IN AMBAS APOSTOLI Pauli ad Corinthios Epistolas, Commentarij.

PER VVOLFGANGVM MVSCVLVM DVSANVM.

Cum Indice rerum & uerborum locupletissimo.



BASILEAE, PER IOANNEM
Heruagium, Anno M. D. LIX.



ORNATISSIMIS AC MAGNIFICENTISSIMIS INCLYTAE CIVITATIS BASILIENSIS CONSVLIBUS AC SENATORIBUS, DOMINIS IN CHRISTO COLENDISSIMIS,

VVOLFGANGVS MVSCVLVS, VERAM AC IUGEM FELICITATEM PRECATUR IN DOMINO.



NIVERSAM *quidem Heluetiæ gentem, Viri clarißimi ac celeberrimi, multis nominibus plurimi faciendam esse non ignoro, eos tamen ex illa non immerito singulari quadam obseruantia prosequor, & amantius complector, quibus me ueritatis Euangelicæ communicatio, ac syncerae fidei societas arctius aliquanto in communi Seruatore Christo Domino coniunxit. Horum celebritati & existimationi, si qua in re cumulum aliquem adijcere possem, eius me officij debitorem haud grauatim agnosco, & ad id quod debeo, propensum esse profiteor, præstaremq; ex animo quicquid huc facere posit, si tanta esset ingenij facultas, quanta est animi in id officij propensio. In horum autem albo haud postremo mihi loco est urbs uestra uere Basilea, id est, Regia, non iuxta sæculum tantum longe lateq; clara, sed & propter Christianæ religionis ac fidei puritatem Regi Regum Christo Domino cum primis sacra. In hac præter alia dona Dei ualde suspicienda est primum insignis Ecclesia ad Canonem Euangelicæ doctrinæ pientißimorum uirorum opera ac ministerio per gratiam Dei reformata, qua in re alij plantando, alij rigando fideliter cooperati sunt Domino, & adhuc cooperantur fratres aliquot pij & eruditi, & haud pœnitendis dotibus ad id muneris instructi, quorum laboribus benedictionem apprecor à Domino. Post Ecclesiam deprædicanda uenit Academiæ uestræ omnis generis disciplinis instructæ celebritas, in qua per eximios cum artiũ, tum sacræ Theologiæ professores, ingenia adolescentum non uestratium tantum, sed & exterorũ haud infeliciter excolũtur, & ut olim Ecclesijs ac Rebuspublicis prodesse queant instituuntur. Et hoc beneficij genus in filium meum Abrahamum Musculum collatum, haudquaquam dißimulare debeo. Is enim nõ modo magnam eruditionis suæ partem, sed & Magisterij sui gradum Scholæ uestræ debet. Est ea quidem à Pio secundo Romano Pontifice, secundum Historicorum cõmentarios, erecta & confirmata, uerum singulari dono Dei factum est, ut seruiat iam non Romano, sed cœlesti Pontifici Christo. De Typographia quid dicam, cuius inuentione Dominus Germaniam nostram tum temporis decorare cœpit, cum in propinquo esset, ut & barbariem, errorum matrem, eliminaret, & mysterium iniquitatis, quod in Ecclesia sæculis iam aliquot omnium licentiosißime grassatum est, detegeret? Propter luculentißima Typographiæ commoda urbem uestram merito amãt, & laudibus extollunt omnes, cum eruditi, tum pij. In hac enim illa potiorem quam habet in*

Germania sedem iam olim nõ sine singulari consilio Dei fixit, cui eximiam operã suam non solum Frobeniana domus, singulari artis huius industria ac sedulitate clara, sed & multi alij industrij ac præstantes Typographi sedulo contulerunt, è quibus haud postremus extitit Ioannes Heruagius, piæ recordationis, uir eximius, mihiq; à multis annis admodum amicus, cuius uestigijs hæredes Ioannem Heruagium & Bernardum Brand, amicos charissimos, dextre inhæsuros spero. Quis autem condigne explicuerit quàm multis illi, quàm uarijs, quàm præclaris & utilibus monumentis omnes artis suæ compendio repleuerint ac ditarint nationes, effecerintq;, ut non in plateis tantum, sed & in toto passim orbe Sapientia clamare, & ad disciplinam suam rudes & imperitos uocare cœperit? Quid aliud doctissimum Erasmum Basileam pellexit, quàm insignis Typographiæ commoditas? Delectatus quidem est & cœli uestri puritate, urbisq; amœnitate: uerum quòd sit Typographicis emolumentis sedulo ac feliciter usus, haud opus est ut commemorem. Quid de insigni Christi organo dicam, qui haud nomine tantum, sed & re ipsa Oecolampadius erat, uir pius & doctus, uir clarus nomine utroq;, Lampas clara domus ô Basilea tuæ? Duobus hisce recte coniunxero eruditissimũ Simonem Grynæum, cuius ingenium & eruditionem in conuentu VVormatiensi Anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo, multi boni & haud indocti uiri exosculabantur. Trium istorum cineres sub eodem apud uos tecto non sine singulari munere Dei asseruantur. Celebratur iandiu nescio quis locus, in quo triũ Magorum corpora quiescere dicuntur. Quod si Magi sunt quos singularis sapientia reddit illustres, reuera felix poteris Basilea uideri, omnino Magis nobilitata tribus. Verum ne quod nemini non est manifestum, studiosius persequar urbis uestræ felicitatem doctioribus, & ad hanc causam prosequendam instructioribus permittens, præsentis instituti mei consilium paucis expediam. Ambas Apostoli Epistolas ad Corinthios scriptas, in Scholæ nostræ collegio hic Bernæ quòd potui, fideliter explicui, & explicationem illarum in hosce quos uidetis Commentarios redegi. Et quoniam ante annos aliquot scripta mea in urbe uestra per supradictum Heruagium imprimi, uulgariq; cœperunt, hæc quoque uisum est consueto prælo subijcere, & publico usui destinare. Ne uero perpetuo commodis urbis uestræ, quibus ego quoq; cum multis alijs bene sum usus, ingratus uidear, uisum est, Viri præstantissimi, laborem hunc meum nomini uestro ad hoc nuncupare, ut aliqua saltem ratione animi mei erga Ecclesiam, Rempublicam, Academiam, & uniuersam simul urbem uestram, propensionem ac gratitudinem declarem. Hoc consilium meum ut æqui boniq; consulatis, & nuncupatum uobis opus, qua estis humanitate præditi, amanter complectamini oro. Christus Dominus, communis noster Seruator, concedat Vobis, Vrbi, Ecclesiæ & Academiæ uestræ, rerum omnium in hisce exulceratis temporibus tranquillitatem ac prosperitatem, cum primis uero constantem in ueritate Dei ac uera pietate progressum. Bernæ Heluetiorum, Anno millesimo quingentesimo, quinquagesimo nono, ultima Ianuarij.

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX LOCVPLETISSIMVS, IN quo unitatis numerus priorē Pauli ad Corinthios epistolam concernit, binarius uero posteriorem.

Coniugij

Deus

E

Israelis

L

M

N

O

P

R

FINIS.

PRAEFATIO DE ARGVMENTO EPISTOLAE.



Cclesiam Corinthiorum Paulus tanto fructu ac studio plantauerat, ut potissimã Apostolatus sui gloriam in illis haberet, illosq; sibi pręcipue uendicaret dicens: Etsi alijs non sum, uobis tamen sum Apostolus. Apud hos egerat annum & menses sex, quod diuina esset uisione admonitus, in ea ciuitate magnum esse eorum numerum, qui ad dominum esset accessuri, qua de re in Actis cap. 18. legere licet. Seditione uero per obstinatos & improbos Iudæos aduersus ipsum mota, ubi fratres in doctrina & fide Christi confirmasset, discessit. Post discessum uero ipsius, circumuenti à pseudapostolis à syncera pietatis conuersatione, in sectas & uaria uicia defecerãt. Itaq; ut ad institutum illos reuocaret, & emendaret, hanc epistolam ad eos admodũ argumentosam scripsit, ut quidam uolunt, ex Epheso quemadmodum habet & Græca pręfatio, & ea quoq; quæ Hieronymo datur. Vel, ut alij sentiunt nempe Gręcorum codices, è Philippis per Timotheum, Stephanam, Fortunatum, & Achaicum. Erant autem, quę in Corinthijs hac epistola corrigenda putauit, nec modica, nec minuta, sed multa uaria & haud dissimulanda uicia, adeo ut mirum sit, quomodo ecclesia à tam insigni Apostolo, tam diligenter ac prolixe instituta, tot potuerit modis tam breui absentię ipsius spacio labefactari & corrũpi. Sed uideamus ex ordine singula.

1 Primum contentione, dissidijs & sectis tanquam carnales & nimiũ inflati laborabant, ita ut in diuersas partes diuisi, quasi capita quædam sectarũ erexerint, à quibus pendebant, & quibus nominetenus quoq; accenseri uolebant, utpote quasi à Paulo pendentes quidam dicerent, ego sum Pauli, alij à Cepha, ego sum Cephæ, alij ab Apollo, ego sum Apollo, ita scilicet à pseudapostolis pendebant in partes misere scissi, ac de illis quiq; gloriabantur, à quibus erant uel baptizati, uel aliàs dementati, perinde ac si non essent satis perfectam doctrinam ab Apostolo suo consequuti. Huc plurimum faciebat opum abundantia, morum corruptio, & ingeniorũ curiositas, deinde & philosophiæ studium quod in ea urbe, ut Chrysostomus annotat, multi essent oratores & philosophi. Vrbs erat magna, opulenta & celebris. Quare & mores illic sicuti fieri solet, corruptiores erant & incolatum illius amplectebantur cupide oratores, sapientes ac philosophi, uerbis splendidis magis, quàm factis pijs & honestis studentes, quorum uerbis & hypocrisi fiebat, ut integritas ecclesiæ rumperetur. Duæ nanq; magnæ sunt ecclesiarum pestes philosophi & pseudapostoli. Isti pesti occurrit primo loco, & merito. Est enim omnium exitiosissima. Hoc facit capite 1.2.3. & 4.

2 Deinde, quoniam opulentiam plerũq; sequitur delicatę uitæ mollities, maxime in scortationis impuritate, usuueniebat, ut Corinthij etiam Christiani facti ueterẽ & consuetam immundiciem retinerent, ita ut talis scortatio, qualis apud ipsos erat, ne inter gẽtes quidem audiretur. Qua in re uidemus quàm sit facilius externas religionis formas mutare, quàm consuetas uitæ corruptelas abijcere. Id mali corrigit capite quinto & sexto.

3 Tertio, ut fieri solet inter eos, qui opibus colligendis student, uigebãt inter Corinthios Christianos lites iudiciariæ, idq; sub impijs, & à Christo alienis iudicibus, ad opprobrium Christianæ religionis, dum alius alij fraudem faciebat, & quisque ius suum persequebatur, nec erat, qui iniuriam à fratre illatam patienter ferendam esse cogitaret. Hoc emendat cap. 6. Et utinam id mali sic emendatum esset ab Apostolo semel, ut postea non esset in ecclesias postliminio reductum

4 Quarto, & hoc agebat Satan, ut publicam legitimi coniugij honestatem labefactando religionem Christi Gentibus & Iudæis etiam hoc nomine odiosam ac detestabilem redderet. Sic induxit quosdam è numero credentium, qui religionis & continentiæ prætextu uxores suas, pertæsi forsan, relinquerent, quasi, maxime in impari coniugio, illicitum esset Christiano cohabitare uxori ac liberis. Et hac de

re ui-

re uidentur Corinthiorum quidam Paulo scripsisse. Instruit igitur & hic illos, docens matrimonia non esse conuellenda, ne imparia quidem, nisi nolit cohabitare infidelis fideli. Et consulit quidem de uirginitate amplectenda, sed id ea cautione, ne quem laqueum simplicioribus inijciat. Hanc causam tractat cap. 7. idq; non sine singulari consilio spiritussancti magna diligentia ac fuse. Erat enim ea correctio nō modo Corinthiorum tum temporis ecclesiæ necessaria, sed & omnibus cæteris in posterum contra Satanæ studia admodum utilis futura.

5 Quinto. Quoniā Christiani inter Gētes incredulos & eidololatras sub impijs magistratibus habitabant, & templa celebria adhuc erant in usu & potestate eidololatrarum, quibus moris erat mactare pecudes dijs suis, corāq; illorū imaginibus in ipsis templis conuiuari, usuueniebat, ut ad gentium impia conuiuia uocarentur & Christiani partim per ignorantiam, quod nondum quod Christiani essent, cognosceretur, partim dolo, ut quales essent probarentur, uel etiam à Christianismo reuocarētur. Hic qui de libertate Christiana gloriabantur, & quacunq; ratione ne offenderent, gratificari studebant amicis, & forsan, ut & crucem declinarent, iungebant se templarijs Gentium conuiuijs, prætexētes eidolum nihil esse, eidolis immolare esse bonas Dei creaturas, & res externas, quæ neminem interne polluant, esse ad uescendum liberas, atq; hoc præpostero libertatis usu grauiter offendebant infirmiores, fidemq; suam & conscientias maculabant, & interim infideles in errore confirmabant. Hos reuocat ad saniora cap. 8. 9. 10.

6 Sexto. Pro more Mercurialium delicatorum, in quo erant & nati & educati, & cui in templis eidolorum assueuerant, uiri comas nutriebant, & tectis capitibus in ecclesia precabantur, mulieres uero nudis capitibus in ecclesijs cōparebant, quod & naturæ & decoro sexus reclamabat. Hoc arguit cap. 11. Hiero. in prologo secūdi libri Commentariorum quos in epistolam ad Galatas sctipsit hæc usq; adeo non esse Apostolica correctione emendata scribit, ut ad suam usque ætatem in ecclesijs Achaiæ durauerint.

7 Septimo. Quoniam non modo abiecta philadelphia, dissidebant animis interne, sed & externe scissi erant in sectas, ne in ipsa quidem dominica cœna concordiam seruabant, sed quasi ad carnale quoddam epulum & sæculare conuiuium collecti, alius inebriebatur, alius esuriebat, & qui ditiores erant, seorsum suas cœnas cōtempta ecclesia Christi præsumebant, atq; ita efficiebant, ut nihil ipsi de cœna domini nisi solum nomen restaret, & conuentus ecclesiastici non in melius sed in deterius abirent. Istam dominicæ cœnæ corruptionem per authoritatem ac declarationem institutionis Christi corrigit, adiectis minis contra eos qui de hoc pane mādu cabant & de calice domini bibebant indigne. Id facit cap. 11. magno serio, pro magnitudine mali, exprobrando, redarguendo, exponendo, comminando & hortando. Antiqua plane est ista dominicæ cœnæ prophanatio, quæ non ab Apostolo tantum, sed & multis pijs patribus repræhensa, nunquā emendari sustinuit, sed perpetuo in peius abiens tandem supremas obtinuit, & omnē correctionis spē exclusit.

8 Octauo Propter charismata quędam peculiaria, maxime linguarum, plerique in ecclesia Corinthiorum ad contemptum reliquorum insolescebant, & cōuentus ecclesiasticos confundebāt, ac inutiles plane reddebant, alienis linguis psallentes, & prophetantes. Contra hunc abusum declarat rationem & usum donorum spiritus, potissimum linguarum, & per occasionem ad potiora charismata, uidelicet fidem, spem & charitatem hortatur. Hoc facit cap. 12. 13. 14. Hoc loco uehementer mirandum est, quid sibi uoluerint Romani, quod linguā suam Germanis in relligione obtruserūt, cum nihil in ea esset, nec hodie sit eius charismatis, quo tempore apostolorum pleriq; per miraculum alijs atq; alijs sunt linguis usi. Nunquam hoc in animum suum inducere potuissent, si tantopere doctrinæ Apostolicæ acquieuissent quantopere apostolici uideri uolunt.

9 Nono. Et hoc licentiæ accesserat, ut fieri solet, ubi omnia pro quorumuis libidine in ecclesia turbātur, ut mulieres cōuentibus ecclesiasticis unà cū uiris ex æquo publicæ doctrinæ functionē usurparēt, cōtra status & cōditionis muliebris subiectio

nem ac decorum. Ab eo illas reuocat cap. 14. Accidebat hoc exuberantia spiritus, de qua prædictum erat, prophetabunt filiæ uestræ. Nos cogitemus quanto serio humanarum adinuentionum luxuries restringenda sit, quando ubertas spiritus, si exorbitet, Apostolica diligentia refrenetur.

10 Postremo, quoniam philosophiæ studio quidam ex illis addicti erant, cœperant & resurrectionem corporum negare. Tales fructus gignit humanæ sapientiæ acumen. Resurrectionem mortuorum paucissimi ex sapientibus huius mundi credunt. Nam eam ratio humana comprehendere nequit, quæ philosophiæ quasi quidam fons est, contra istos asserit fidem resurrectionis, eamq; potissimum ex morte & resurrectione Christi affirmat, & quomodo futura sit describit. Hoc agit capite 15. Argumentis utitur multis & prægnantibus, tanquam in causa, sine qua omnis nostra fides, & uniuersa Christi dispensatio, prorsus inutilis sit oportet.

Hæc sunt uicia Corinthiorum, quę necessario corrigenda ueniebant. Ea plenius adhuc sic recenseri possunt,

1 Contentiones & schismata inter se habebant.
2 Carnales carnaliter sapiebant.
3 Temere iudicabant ante tempus.
4 Alius contra alium inflabatur.
5 Scortationem habebant, qualem nec gentes admittebant.
6 Peccatum illud nec corrigebant nec deplorabant.
7 Iudicijs coram incredulis certabant.
8 Iniurijs alius alium lædebat.
9 Eidolothyta edendo infirmos offendebant.
10 Mulieres nonuelatæ Ecclesiam intrabant.
11 Schismata etiam in cœnam dominicam inferebant, seipsi non probabant, corpus Domini non dijudicabant, alius ebrius erat, alius esuriebat, inuicem non expectabant.
12 Donis spiritus abutebantur.
13 Linguis operam dantes, charitatem negligebant.
14 Mulieres in ecclesia docere præsumebant.
15 Ordinem prophetandi in Ecclesia confundebant.
16 Resurrectionem mortuorum nonnulli negabant.
17 Ignorantiam Dei quidam habebant. Et ultra hæc omnia uocat eos Ecclesiam Dei, & uocatos sanctos. Quid uocarent hodie talē Ecclesiam Anabaptistæ?

Vltimo capite de collectis in usus sanctorum faciendis quædam commemorat, & præterea Timotheum illis, Stephanam, Fortunatum & Achaicum cōmendat, ac pro exemplaribus, quos imitentur, proponit, atque ita suo more salutandi adiecto officio Epistolam claudit.

Nemo debet igitur exigere, ut certus quidam scopus ac status huius Epistolæ tradatur, cum in ea Apostolus de rebus tam uarijs disserat.

Nobis tamen ex istis quæ paucis perstrinxi, obseruandum est, quàm cito status Ecclesiæ, etiam ab Apostolo institutæ, corrumpatur, ut cauti simus, nec credamus illis, qui hodie asserunt, Ecclesiam errare non posse.

Ordo Epistolarum. Quod autem hæc Epistola ei quæ ad Romanos est, ordine subijcitur, non ideo factum est à ueteribus, quod tempore quoque illam subsequatur, cum eam magis tempore præcedat. Nam ea quę ad Romanos est, nullas alias pręcedit, nisi eas quas ex uinculis Romæ scripsit, ut sunt, ad Philippenses, ad Timotheum, ad Ebræos, ut Chrysostomus sentit, & ad Philemonem. Præposita autem est reliquis Epistola ad Romanos, quod in ea potissimum totius Christianæ fidei scopus aliquanto dexterius ac diligentius traditus est.

Hæc paucis præfari libuit, quo lector statim initio Epistolæ huius argumentum sic in compendio habeat, ut simul potiora illius membra singulatim & ex ordine intelligat. Sic enim præmonitus certiorem poterit inter legendum retinere cursum, &

ſum, & quæ legerit, non modo intelligere facilius, ſed & ex præmonſtrata diſpoſitione memoriæ certius & minori negocio commendare.

Eſt hæc Epiſtola omnium accommodiſsima Eccleſijs uel ſchiſmate uel malis moribus, uel ritibus adulterinis corruptis. Quare noſtra hac ætate diligenter eſt ac ſedulo uerſanda, illis præſertim, quorum eſt ex officio curam gerere Eccleſiarum, & quæ in illis corrigenda ueniunt, corrigere. Verum proh dolor tam abeſt hodie, ut ſic animati ſint Eccleſiarum præſides, ut nemo magis prolapſæ religionis reformationem auerſetur & impediat, cuius neceſsitatem plerique illorum ne agnoſcere quidem ſuſtinent, partim ne hactenus erraſſe uideantur, partim ne non ritus tantum tam fœde corruptos, ſed & ſeipſos cum primis emendare, & in ordinem redire cogantur. Quare orandus eſt Dominus, ut ipſe gregis ſui quem ſanguine ſuo redemit, curam gerat, & paſtores largiatur ſynceros ac fideles, quibus maior ſit cura præſtandi officij, quàm uel proprij nominis uel quæſtus.

PRAEFATIONIS DE ARGVMENTO EPISTOLAE, FINIS.

[illegible] non tanto [illegible] intelligere facilius [illegible] ex [illegible] [illegible]
tione [illegible] & [illegible] corpus [illegible]
[illegible] accommodissimi [illegible]
[illegible] corruptis. Quare [illegible]
[illegible] quorum eis [illegible]
[illegible] corrigere. Verum [illegible]
ut [illegible] ut nemo [illegible]
[illegible] necessario [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Quare [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

PRAEFATIONIS DE ARGUMENTO

EPISTOLAE, FINIS.



COMMENTARII VVOLFGANGI MVSCVLI DVSANI, IN PRIOREM EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM CAP.



HOC capite Apostolus post salutationis officium primũ Corinthios, quos erat propter sectarum studium obiurgaturus, per encomiũ gratiæ Dei quam in Christo acceperant, commendat, quam se tanti facere dicit, ut perpetuas illius nomine Deo gratias agat. 2 *Deinde illos per obsecrationem & nominis Domini Iesu Christi obtestationem ad studium concordiæ hortatur.* 3 *Tertio, cur huius admoneat, per narrationem subiungit quomodo audierit sectas inter ipsos esse, ad quarum studium amoliendum, contra supercilia humanæ sapientiæ & falsæ sanctimoniæ, extollit Euangelicæ doctrinæ & uocationis simplicitatẽ, per quam Deus & credentes seruare, & prudentes, potentes, ac nobiles huius mundi pudefacere uoluerit.*

CAPVT PRIMVM.

Subscriptio.



PAVLVS uocatus Apostolus Iesu Christi per uoluntatem Dei, & Sosthenes frater,

Inscriptio.

Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis per Christum Iesum, uocatis sanctis, unà cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco, uel suo uel nostro.

Salutatio.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

ὑπογραφή. 1 VOCATVS Apostolus.] Nõ idem est, atq; nominatus uel dictus Apostolus, uel qui uocor Apostolus, sed uocatus ad munus Apostolicũ, ut & Eras. Rom. 1. uertit. Neq; enim quid nominetur, quisue dicatur apud homines, admodum commendat, sed ad quam functionẽ à Deo uocatus sit, nusquam nõ inculcat. Nam hoc plurimum ad authoritatẽ doctrinæ Euangelicę faciebat, non ultro cucurrisse, sed à Deo uocatum & missum esse. De pseudoprophetis traditur, quod neq; uocati, neq; missi cucurrerint, adeoque ex Deo non prophetauerint. Vt itaq; persuadeat doctrinam suam esse ex Deo, mox initio epistolæ contra pseudapostolos cõmendat Apostolatus sui uocationem.

2 PER uoluntatem Dei.] Hoc ferè in omnibus epistolis inculcat. Et merito. Neque enim

A ab hominibus uel per homines, sed per Iesum Christum magno miraculo cœlitus uocatus erat, unde de uoluntate Dei certus erat factus. Tam enim aberat, ut hanc dignitatem ambiret ut magis totam hanc religionem conatus sit pro uiribus subuertere. Hac de re uidere est Act. 9. ubi sic legimus. Saulus autem adhuc minas ac cędes spirans in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos inuenisset huius uiæ uiros ac mulieres, uinctos perduceret in Hierusalẽ. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saule Saule, quid me persequeris? Hęc ibi, unde satis apparet, in eo ipsum magis fuisse, ut fidem in Christum euerteret, quàm ut Apostolatum illius ambiret.

5 ET Sosthenes frater.] De illo legimꝰ Act. 18. quomodo apud proconsulem Achaiæ Gallionem, facto tumultu Corinthi sit à Græcis percussus, cũ esset princeps synagogæ. Quamobrem uero percussus sit à Græcis, à Luca non memoratur, unde & diuersa hic est opinio, qui- B busdam putantibus hoc factum esse in gratiã Pauli, eò quod aduersum hunc pro Iudæis fecerit, cuius sententiæ est Chrysostomus, ex eo forsan motus, quod seditio memoratur à Iudæis contra Paulum mota, & quod ille fuerit synagogæ princeps: alijs uero arbitrantibus illum percussum esse ut Christianũ, & qui Pauli partes iuuerit, adeoq; seditioni causam dederit. Et qui id sentiunt, mouentur ex eo, quod Apostolo in hac epistola in subscriptione iunctus est, id quod uerosimilius est. Apparet autem illum fuisse uirum pium & cordatum, & qui pro nomine Christi suis relictis & bonis & domesticis Apostolum sit fideliter ac constanter in prædicatione Euangelij comitatus. Non est autem pręter rationem, quod hunc sibi initio huius epistolæ coniungit. Reuocat enim in memoriam illis qui erant ex circumcisione fideles, quid hic uir, olim princeps Iudaicæ synagogæ, à sua gente fuerit propter Dominum perpessus, & proponit illius ipsis exẽplum, quo & ipsi in fide Christi constanter ac fideliter perseuerent. Et uide modestiam Apostoli. Quamuis conuerterit hunc Sosthenẽ ad Dominum, haud tamen uocat eum discipulũ, sed fratrem, longe diuersus à pseudapostolis, qui toti in eo erant, ut discipulos post se traherent. Agnoscebat quidem hic Sosthenes Paulum pro suo doctore & Apostolo, eamque ob

causam illum comitabatur, uerum Paulus illũ non habet pro discipulo, sed pro fratre.

4 ECCLESIAE Dei, q̃ est Corinthi.] Hæc est epigraphe. Nõ scribit quibusdã separatim, sed communiter toti ecclesiæ. Nam pertinebant ad omnes ex æquo, de quibus scribebat. Qui delinquebãt, erant corrigendi, qui adhuc sani erant, in ea erant integritate quam retinebant, confirmãdi. Ideo communiter omnibus eius ecclesię fidelibus epistolam hãc inscribit. Non agit seorsum cum schismaticis, sed horũ morbum in totius ecclesię conscientia curandum esse censet. Pulchre autem ab inscriptione statim sese accommodat ad caussam quam initio epistolę tractaturus erat, ecclesiam illos uocans, idque Dei, duplici nomine ad concordiam hortans. Nam ipsum ecclesiæ nomen, unitatem et concordiam includit, sectis repugnans, & quod ecclesiam Dei illos uocat contra id quasi antidoton est, quod alius, ego sum Pauli, alius, ego sum Cephæ, &c. dicebat, cum nullius essent hominis ecclesia sed Dei.

ἐπιγραφή.

5 SANCTIFICATIS per Christũ Iesum, uocatis sanctis.] 1 Exponit hac periphrasi, quosnã p ecclesiã Dei intelligat. Erat Corinthi synagoga Iudæorũ, quemadmodum Act. 18. patet. Illi se ut populum Dei, ita & ecclesiam esse Dei gloriabantur. Quare ne synagogæ Iudaicę scribere putetur mox atque scripsit: ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, ad differentiam illius Christianæ ecclesiæ specificationem subiecit dicẽs, sanctificatis per Christum Iesum uocatis sanctis. In quibus uerbis expresit, quid sit ecclesia Dei. Multitudo uidelicet sanctificatorum per Christum Iesum, ac uocatorum sanctorũ. De hac non est ut in præsenti dicamus. Erit de illa ex professo in locis nostris dicendum. Ad idem autem propositum cõtra sectarios facit, quod sanctificationis per Christum & uocationis ad sanctimoniam meminit. Per sanctificationem Chrysostomus intelligit baptismi lauacrum, in quo per Christum sanctificamur, hoc est à mũdo prophano in fidem ac cultum Dei segregamur. Et quoniam ea sanctificatio, & ad sanctimoniam uocatio nõ fit in nomine ministri alicuius uel docentis uel baptizantis, sed in nomine Christi, ideo commodum contra sectarum studia sanctificatos illos & uocatos sanctos uocat in Christo Iesu, ut est in Græco. Hac ratione & infra dicit, Gratias ago Deo meo, quod neminé uestrum baptizaui, nisi Crispum & Gaium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizatus sit.

2 Pulchre autem commendat gratiam Dei quod nõ simpliciter illos sanctos uocat, quod soli Deo competit, sed sanctificatos, & uocatos sanctos, id est, ad sanctimoniam & gratiã Dei uocatos. Nam hic non prædicatur meritum fidelium, sed magis gratia Dei in Christo. Est enim uocatum sanctum, uel sanctificatum esse, non uirtutis nostræ sed gratiæ diuinæ titulus & professio. Hac de re Augustinus super illud Psal. 86. Custodi animam meam, quoniã

Augustinus.

A sanctus sum, sic scribit. Et hæc quidem fuistis, inquit Apostolus, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo eos sanctificatos dicit, dicat unusquisque fidelium, sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confesio non ingrati. Si enim dixeris te sanctũ esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Dic Deo tuo, sanct9 sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui, quia tu dedisti, non quia merui. Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipsi domino nostro Iesu Christo. Si enim Christiani omnes & fideles & baptizati in illo ipsum induerunt sicut Apostolus dicit: Quotquot in Christũ baptizati estis, Christum induistis, si membra facti sunt corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta nõ sunt. Iam uide ubi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Ergo dicat unusquisq; Christianus, imò dicat totum corpus Christi, clamet ubiq; patiens tribulationes, diuersas tentationes & scandala innumerabilia: Custodi animã meã quoniam sanctus sum. Hæc ille. Non est igitur sanctificatum esse idem quod iustum ac sine peccato esse.

3 Notandum ergo ecclesiam tam misere corruptam & scissam, adhuc ab Apostolo uocari ecclesiã Dei, sanctificatos & uocatos sanctos, ut & Christus Act. 18. dixit: Ne timeas, &c. quo B niam populus est mihi multus in hac ciuitate. Licet admodũ esset ea ecclesia corrupta, erant tamen adhuc in illa synceri ac probati fideles, quorum gratia hic illi titulus competebat.

6 VNA cum omnibus, qui inuocãt nomẽ domini nostri Iesu Christi in quouis loco, & ipsorum & nostro.] 1 Non est hoc ita intelligẽdũ, quasi diuidat inuocatores nominis Christi à sanctificatis & uocatis sanctis. Sunt enim planè iidem. Verum hoc agit. Ostendit unum esse corpus omnium sanctificatorum in Christo, ubicunq; locorum sint, quod & ipsum fortiter contra sectarũ studium pugnat, per quod fit ut etiam unius loci Christiani à se inuicem scindantur ac dissideant, cum corpus Christi, quamuis multis locis dispersum, sit unitum.

2 Illud. QVI inuocant nomẽ domini nostri Iesu Christi.] Diligenter notandum est. Nam aperte tribuit Apostolus Christo diuinitatẽ, ubi illi dat inuocationem. Omnino nanq; nõ licet inuocare nisi uerum & unicũ Deum. Poterat aliud proferre elogium Christianorum, uerum hoc uoluit ueros ac synceros Christianos ueræ ecclesiæ membra exprimere. Hac se nota probent hodie, qui inuocationem diuorum docent. Quare admonemur hic, qua in re censenda sit Christi ecclesia nempe in inuocatione nominis domini. Quid autem sit inuocare nomen domini, in Rom. cap. 10. declaratum est. Plane adulterinũ est quod hic in commẽtarijs Hieronymo adscriptis legitur ad hũc modum: Proprie sacerdotum est inuocare dominũ, quibus dicit: Sic benedicite filijs Israël, inuo-

inuocantes nomen meum super illos. Ignorabat Apostolus hoc genus sacerdotum in ecclesia Christi. Simpliciter scripsit ecclesiæ Corinthiorum & unà cum illa fidelibus omnibus, qui syncera fide nomen Christi inuocant.

5 IPSORVMQVE & nostro.] In Græco ita posita est hæc particula, ut uel ad dominum Iesum, uel ad locũ pertinere possit. Chrysostomus uidetur ad dominum referre, quasi admoneat Apostolus communem esse fideliũ omnium dominum Christum, ubicunque illi locorum constituti sint. Nam sic scribit: ἀναγνώσομαι κατὰ τὸ νόημα οὕτως. παῦλος καὶ σωσθένης τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν κορίνθῳ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν, ἐν παντὶ τόπῳ, κἂν ἐν ῥώμῃ κἂν ὁπουδήποτε ἂν ὦσι. Ex ista lectionis ordinatione, conspicuum est, Chrysostomum uerba hæc ita intelligere, ut Christus dicatur, communis omnium credentium & inuocantium se dominus, ubicũq; illi sint. Proinde quod dicit, qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, in omni loco, & ipsorum & nostro, ita legendum est, qui est in omni loco, & ipsorum & noster dominus. Quidam tamen legunt in genitiuo, ipsorum & nostri.

Prouocat ergo Corinthios hac particula suo exemplo ad affectum mutuæ & catholicę charitatis ac concordię, non solum erga & inter seipsos, sed simul omnes ubique locorum Christianos, quos colendos & diligendos in Christo uel hoc nomine admonet, quod nomen domini Iesu Christi inuocant.

Hieronymus sic exponit: In omni loco, ipsorum & nostro. Quia sacerdotes & suo & apostolorum loco funguntur, propter quod etiam ecclesiarum apostoli nuncupantur. Sic exponit, quoniã præmissa ad sacerdotes pertinere iudicat. Et quoniam uacillat, addit. Itẽ aliter: Vniuersis ecclesijs prouinciæ Achaiæ ostendit se has literas mittere. Et hanc sententiam Lyranus sequutus sic exponit: Cum omnibus qui inuocant nomen domini, &c. quantum ad fideles habitantes, non solum in ciuitate, sed etiam in tota diœcesi. Ideo subditur: In omni loco ipsorum, id est, subiecto iurisdictioni episcopi, & aliorum ecclesiæ illius ministrorum. Et nostro. Per hoc enim quod subijciebantur episcopo ciuitatis, nõ erant exempti à potestate Apostoli. Hæc ille. Expositio hæc non conuenit statui illius ecclesiæ, qui tũ erat, cum hæc Apostolus scriberet, quare nec menti Apostoli conuenit. Et ualde dubito cõmentarios illos esse Hieronymi, qui illi inscribuntur.

Ambrosius exponit ad hũc modum. Cum Iudæis ueris iungit & gentes, quia salus ex Iudæis est. Vt in omni loco ubi gentes quę inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, & ubi Iudæi suprà memorati sunt, similiter sint omnes unum. Neq; hæc expositio placet. Si Chrysostomi non probatur, puto simpliciter sic esse intelligendum: Vnà cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, nec re-

A fert quo illi loco hoc faciant, ac tales existãt, siue apud nos in hac prouincia, siue alibi, ubicunque agant.

7 GRATIA uobis & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo.] 1. Hęc est salutatio initio epistolæ pro more præmissa. De ratione salutandi amicos & fratres alibi diximus, utpote in cõmentarijs nostris super Matthæum cap. 5, & 10. Ponit autem salutationem uere piam & Apostolicam, quã optarim tam esse mẽtibus nostris uera fide & charitate per spiritum Dei insitam, quàm chartis est nota et familiaris. Vsurpat hanc omnibus ferè epistolis, nec frustra. Nõ enim potest quicquam uel salubrius, uel suauius, aut certe necessariũ magis excogitari, quàm est hæc gratia & pax à Deo patre nostro, &c. De hac salutatione quędam annotauimus in epistolã ad Romanos, ubi eadem habetur. Competenter optat illis gratiam & pacem, non iræ, sed gratiæ ac pacis minister, idq; à Deo patre & domino Iesu Christo, cuius erat minister & Apostolus, & cuius nomine ad ipsos scribebat. Sic cordis affectu spirat & apprecatur fidelibus, quod ex officio Apostolatus prædicabat. Non solum optat salutando, sed & prædicat annunciando.

ἀσπασμός. Salutatio.

2 Gratiam quidam exponunt, condonationem admissorum. Pacem uero quietẽ ac gaudium conscientiæ. Illi uidentur respicere ad id quod gratia potitum solemus dicere eum, qui cum reus esset libere dimissus, nec punitus est ut iure debuisset. Sed hic sensus non est

B proprius huius dictionis. Nam hæc significatio magis exprimit declarationem & effectũ gratiæ, quàm ipsam gratiam, quæ est fauor animi benigni ac beneuoli erga aliquem, unde, ubi opus fuerit, prouenit illa delictorum condonatio. Non semper ergo gratia peccatorum remisionem significat, peccatorum uero remisio semper gratia uocari potest. Beata uirgo dum ab angelo salutaretur, uocabatur κεχαριτωμένη, ubi non statim exponendum est, quod propter peccatorum condonationẽ sit dicta gratiosa. Quemadmodum & eleemosyna, id est, misericordia, aliquando quidem id quod ex misericordia impenditur misero significat, sed non proprie. Nam ita non effectũ, sed magis affectum animi alienæ miseriæ condolentis significat. Ita & pax Ebręis est quando salua sunt omnia. Sic Ioseph ad fratres suos dicebat, השלום אביכם. Est ne pax patri uestro? Quoniam uero conscientiæ pax non est, nisi ex fide gratiæ Dei, recte pax gratię subiungitur, & pro conscientiæ pacatione ponitur. Quanquam haudquaquam negarim Apostolum etiam Ebręo more per pacẽ externi quoque status tranquillitatem intelligere. Hieronymus uidetur illam intelligere de cõcordia ecclesiastica. Sic enim hoc loco annotat. Pax gratiam seruat, quã quidam habere nolebant, intelligens de schismaticis, qui pacem ecclesię rumpentes gratiam etiam Dei, quantũ in ipsis erat, excludebant. Lyranus ad hunc modum.

Gen. 43.

 Gratia

Gratia uobis, in præsenti, & pax, id est, gloria in futuro, in qua pax perficitur. Nos cogitemus dum pax gratiæ subiungitur, non posse ueram contingere pacem nisi ex gratia Dei.

3 A Deo patre &c.] Id est ueram & sempiternam uobis gratiam & pacem opto. Multa sunt etiam tēporaria bona à Deo, cōmuniter omnibus concessa. Verum hic de illis specialiter loquitur, quæ fidelibus Christi & uera ac sempiterna proueniunt, cum dicit: à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Vide quomodo Christum, & qua in re Deo patri coniungat ac dominum nostrum uocet.

προοίμιον.

Gratias ago Deo meo semper pro uobis, super gratia Dei quæ data est uobis per Christum Iesum.

Hoc est exordium, affectum Apostolici pectoris exprimens, ad insinuandam simul & captandam beneuolentiā accommodatū. Nam tam suam Apostolus erga Corinthios beneuolentiam insinuat, quàm illorum, ut attēti sint, captat. Rhetorum quidem hic mos est, sed nō omnibus est Apostoli affectus. Illi ex ostentatione humanæ scientiæ, in qua sunt instituti, & de qua gloriantur, animos auditorum titillare conantur, Apostolus uero magis quærit quomodo prosit, ꝗ quomodo placeat. Itaque licet & ipse utatur commodis subinde exordijs, quibus sibi beneuolentiam auditorū conciliet, non huius tamen duntaxat gratia hoc facit, licet etiam hoc quęrat, sed ut per id illis possit prodesse, & doctrinam suam acceptiorem reddere. Et hoc tum potissimum facit, quando eos quibus scribit aliqua in re castigaturus est, ut hac est epistola facturus, ne per subsequentem correptionem exacerbati animos erga admonentem obturent. Sic solent parentes liberos correpturi, sic & qui pueros in scholis prudenter instituūt. Plurimum momenti habet ad erigendum animos etiam eorum, qui delinquere cœperūt, si quid in se laudari adhuc & alicuius fieri senserint. Nisi enim hoc fiat facili momēto ad desperationem adiguntur, sic ut nunquā in uiam redire cogitēt.

2 Habet autem exordium hoc duo quæ ad conciliandam beneuolentiam potissimum faciūt. 1 Primū est, quod ostendit quo sit erga illos charitatis præditus affectu. Hoc facit in eo quod dicit: Gratias ago Deo meo pro uobis semper. Qui gratias agit, pro re hoc facit sibi chara ac desyderata. Pro Corinthijs hoc facit Apostolus. Erga erant sibi chari ac desyderati. Nec facit hoc cum discrimine aliquo, sed in genere. Non dicit, pro ijs qui adhuc sani inter uos sunt, sed simpliciter, pro uobis. Non excludit eos quos erat correpturus, sed communi hac mitigatione animos eorum ad emēdationem prouocat.

Auxesis est charitatis, quod dicit, semper. Aliquando memorē esse amicorum, potest & modica quædam dilectio, semper uero, uehe-

A

mētis sit amoris oportet. Quoties ad Deum orabat, illicq; ecclesias Christi commendabat, simul gratias illi agebat de singulari in eas gratia collata. Sic memor erat Romanorum, & hic Corinthiorum, & aliarum ecclesiarum indesinenter.

2 Alterum est, quod nonnihil eos cōmendabiles reddit propter gratiam Dei, quam acceperant per Iesum Christum, quam declarat nō solum per continuam erga Deum gratiarum actionem, sed & subiectam amplificationem, præclaram fuisse. Nec putet quisquam nihil habere commēdationis hanc partem exordij, quæ concernat Corinthios, propterea quod non ipsorum commendat uirtutes, sed diuinā gratiam. In hoc sęculo quidem uerum est, encomia non ab alienis, sed proprijs esse uirtutibus sumēda, in regno Christi uero maximum est encomium, & plurima commendatio, diuina gratia & beneuolētia potiri. Et beatam uirginem angelus non ab ipsius proprijs uirtutibus, sed à diuina gratia commendat, dum gratiosam uocat, id est, diuinam gratiam adeptā. Quid enim charius nobis esse debet gratia & fauore Dei? Cur nobis non essent cōmendati, qui beneuolētia diuinæ gratię potiūtur, quos Deus ipse amplectitur & charos habet? Quāquam & in aulis principū reperias forsan hoc usuuenire, ut aulicis reliquis, dūtaxat probis, commendatiores quidam hoc nomine sint, quod principi præ alijs sint chari.

B

Ita debet comparatum esse & inter fratres, ut reliquis sit commendatior qui parentibus est gratior. Sed hoc rarissime inuenias. Notū est exemplum fratrum Ioseph. Illorum odijs ob id ipsum erat expositus Ioseph, quod à patre plus ipsis haberetur in pretio ac singulari ueste ornaretur. Vide Gen. 37.

3 Illud, DEO meo,] Quod & Ro. 1. posuit, quo quod & aliorum commune est suum facit, πολλῆς διαθέσεως indiciū habet, uox enim est eorum qui singulari quadam familiaritate & fiducia erga Deum tenentur. Vnde crebra est in Psalmis, & plerunq; erumpit ubi ardenti & pleno cordis affectu Dei fit mentio, ut maxime solet in tentationibus & anxijs precationibus fieri.

Nec ulla iniuria afficiuntur reliqui pij, quasi non & ipsorum sit Deus, cum eadem charitate, fiducia & familiaritate & illis uti liceat, fratribus suis nihil præscribit, nec fiduciā quæ filiorum est, erga patrem illis aufert, qui communem patrem, suum uocat patrem. Non est autem hac loquutione usus Apostolus præter rationem. Erat enim singularis Dei minister, & hunc inter gentes prædicabat quę ad id usque temporis alienę fuerant à uero Deo. Poterat adijcere, cui seruio, & quem uobis prædicaui, sicut in Rom. cap. 1. dixit: Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo. Perinde est ac si legatus regis dicat, gratias ago regi meo semper pro uobis, pro singulari gratia quā in uos contulit, &c.

OBSER. I.

4 Quod gratiarum actionem ad Deum pręmittit, Corinthios docet suo exemplo, ut nunquam obliuiscantur gratiæ acceptæ, sed perpetuo illius memores grati sint. Est enim gratitudo cōseruatio acceptorum beneficiorum, & conciliatio futurorum.

Docet autem nos ut non solum eorum gratia quæ nobis, sed & quæ alijs à Deo dantur, gratias illi agamus. Verum hic animus opus habet uiuo ac iugi sensu beneficiorū Dei, tam quæ alijs, q̄ quæ nobis ab illo impenduntur,

II.

5 Quanquam in omnibus quoq; alijs epistolis, demptis Galat. 1. Tim. & ea quæ est ad Titum, ad cōmendationem gratię Dei animi sui gratitudinem uel laudando uel gratias agendo, mox initio declarat, ad Corinthios tamen hoc maiore necessitate facit, ut & Chrysost. annotauit. Sentiebat enim gratiam Dei quam illi per suum ministerium acceperant in Christo, à pseudapostolis eleuari, quasi in Christo non satis fuerint imbuti, quemadmodum solent, qui selectas aliquas & nouas reuelationes pollicentur, ut pręsentem Dei gratiā contemptam reddant, & ex animis fidelium auferant spe & expectatione longe sublimiorum. Hac potissimum ratione gratiam Dei quam acceperant per suum ministerium, illis commendatam reddere cupiens, incipit à gratiarū actione, imò ostendit se continuo illius nomine Deo gratias agere, tantum non confundēs eos, quod eius tam cito sustinuerint obliuisci.

Hoc & hodie inculcandum est ijs qui per Euangelium Christi ab erroribus liberati, ueritatis cognitionem acceperunt. Videmus enim gratiam hāc Dei tam multifariam, quam Germaniæ nostræ ecclesijs præ cæteris concessit, à maiori parte eorū qui illius facti sunt participes, susque deque fieri, indeque illis accidere, quod alij in sectas abduci se sinunt, alij ad Babylonem, unde fuerant liberati, redeūt, alij uarijs uitijs uitam suam conspurcant, quorum nihil facerent, si gratiam Dei agnoscerēt, & de amplitudine illius cogitarent, quod facile possent, si memores essent Babylonicę captiuitatis, seruitutis, cæcitatis, tyrannidis, & impietatis, unde beneficio Euangelicæ sunt ueritatis præter spem omnem sola bonitate diuinæ gratiæ erepti. Omnino nostris hodie accidit per acceptæ gratiæ cōtemptum, quod Corinthijs accidisse uidemus, quos alio in loco Apostolus eā ob causam monet, ut uideant ne gratiam Dei in uanum acceperint.

QVAE data est uobis per Christum Iesum.] Et Chrysosto. illud ἐν χριστῷ ἰησοῦ, idem est atque per Christum Iesum. Quamuis non displicet, quod nōnullis magis placet ut quemadmodū in Græco est, legamus, in Christo Iesu. Neque enim per Christum tantum, sed & in illo, hoc est, illi insiti, donis gratiæ Dei ditamur & instructi reddimur. Generalius erat, quod dixit, A super gratia Dei. Nam quicquid boni uspiam est ex gratia & bonitate Dei est, etiam apud eos qui in Christo non sunt.

Ex gratia Dei est uiuere, hominem esse, sanum esse, opulentum esse, sapientem esse, &c. Bonitate nanque domini plena est terra. Et qui huius generis gratia Dei potiuntur, debent & ipsi illam agnoscere & grati esse. De hac uero non loquitur Apostolus hoc loco. Ideo per subiectam expositionem declarat de qua loquatur, cum dicit, quæ data est uobis per Christum, uel in Christo. Hoc est, quam in Christum credentes adepti estis. Licet & diuites fuerint & mundana sapientia prædití, nihil tamen horum commemorat, ea tantum cōmendans quæ in Christo acceperāt per fidem. Et merito hoc facit. Quid enim sunt reliqua omnia huic gratiæ comparata?

Chrysostomus hāc particulam sic exponit, ut tātum respiciat ad hoc, quod per Christum gratiam Dei non per aliquem hominem acceperint Corinthij, quod in se uerum est, & pulchre quoque ad propositum facit, ut admoneantur Corinthij, ne adhæreant pseudapostolis, sed Christo & illius Euangelio. Mihi uero uidetur Apostolus magis exponere gratiā Dei quę illa sit, cuius nomine Deo semper gratias agat.

Quod in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone & cognitione, quemadmodum testimonium Iesu Christi cōfirmatum est in uobis, adeo ut non destituamini ullo dono, expectantes reuelationem domini nostri Iesu Christi. B

Exponit quod dixit, de gratia Dei quę data est uobis in Christo Iesu. Facit autē hoc non simpliciter, sed cum illius amplificatione, per quam & gratiam in Christo acceptam amplificat, & simul Apostolatus sui efficaciam contra pseudapostolos commendat, idque duplici argumento.

Amplificatio est gratiæ Christi.

1 Primum à sufficientia & plenitudine, tali ac tanta, ut nihil posit in illa desyderari. Hoc quidem clanculum hic facit per amplificationem acceptæ in Christo gratiæ, in posteriore uero cap. 12. apertius sic dicit: Nulla in re inferior fui summis apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidem apostoli peracta fuerunt inter uos cum omni patiētia, & signis & prodigijs & potentibus factis. Nam quid est in quo fueritis inferiores cæteris ecclesijs. Quod si malum prima hac & moderata fuisset admonitione emendatum, haud opus fuisset ea quæ hic uno & altero uerbo attigit, & moderate intelligenda cogitandaq; proposuit, in ea quā posteriorem ad ipsos scripsit pluribus & apertioribus uerbis inculcare. Qua in re & modestiam apostolicam, & simul irremissum studium corrigendi mali uidemus.

2 Alterum est à constantia & perennitate ad finem usque duratura. Pertinet enim & illa ad perfectionem doni. Primus defectus est, non

esse acceptum donum plenum & sufficiens, alter, non esse constans ac perpetuum. Licet enim perfectũ sit in se donum, omnibusq; suis numeris absolutũ, ei tamen perfectũ non est qui illo suapte socordia nõ ad finẽ usq; cõstanter utit. Sed de hoc altero defectu in sequẽtib.

2 QVOD in omnibus.] ἐν παντί. Hoc est, in quauis re. Germanismus est. Nam ita solemus nos Germani dicere, *In allem*.

Amplificat autem acceptam iam gratiæ plenitudinem in duobus. Primum in eo quod quantum ad Christi cognitionem & gratiam pertinet, nullo dono spiritus destituti sint. Huc pertinet quod dicit, in omnibus, & mox, adeo ut non destituamini ullo dono. Quod sane non est ultra mentem Apostoli & statũ pręsentis causæ diuexandũ, & ad omnia spiritus sancti dona in uniuersum rapiendum. Neque enim staret hoc uerbũ, si eo sensu acciperetur.

Deinde in eo quod accepta dona abundantia & copiosa sint, quod non solum omnia spiritus dona acceperint sed singula copiose ac opulente acceperint. Ad id facit, quod dicit,

DITATI estis.] Diuitiarũ enim dictio copiã rerũ ac thesauros exprimit. Sic alibi thesauros sciẽtię ac sapiẽtiæ Dei in Christo esse dicit.

Illud, PER ipsũ.] In Gręco est ἐν αὐτῷ, id est, in ipso. Potest simpliciter sic exponi: quod in omnibus ditati estis ab eo tempore quo in Christum credere cœpistis, illique inserti estis. In Christo esse, primum generaliter est in illius esse religione ac nominis professione, deinde est illi uera esse fide & unitate spiritus insitum & incorporatum, quemadmodum palmes est in uite, & membrum in corpore. Prior modus complectitur omnes, qui nomen ac religionem Christi profitentur, posterior uero electorum & uerorum fidelium est tantum.

5 IN omni sermone & cognitione.] Potest quidem uideri illud, in omni sermone, quod est in Græco, ἐν παντὶ λόγῳ, dictũ esse per Ebraismum בכל דבר, ut possit uerti, in omni re. Verum quoniam quod pręcessit ἐν παντί, id est, in omni, generaliter dictum est, existimo non cõuenire, ut hanc quoq; particulam generaliter positam esse sentiamus. Quare pro specificatione præcedentis accipienda uidetur, & legẽda, non in omni re, sed, in omni sermone. Hoc est, in omnis generis sermone & cognitione. Loquitur aũt de donis spiritus, de quibus infrà tractabit cap. 12. & partitur illud quod dixit, ditati estis in omni, in sermonem & scientiam. Per sermonem exponit Chrysosto. disserendi & quæ sentias exponendi facultatem. Scientia uero cognitio est illa diuinę uoluntatis in Christo per Euangelium reuelata.

4 QVEMADMODVM testimoniũ Iesu Christi confirmatum est in uobis.] Testimoniũ Iesu Christi, est Euangelij prædicatio. Ita apostoli dicti sunt testes Christi Act. 1. In Gręco est καθὼς, quod uulgatus interpres uertit, sicut & nõnulli recentiores, quemadmodũ Erasmus, quibus rebus, composita uox est, ex κατὰ & ὡς, quasi dicas, secundũ sic, uel, secũdum quod, id est, quatenus, uel quo tẽpore testimoniũ Iesu Christi confirmatũ est in uobis. Erasmus intellexit testimoniũ Iesu Christi confirmatũ fuisse in Corinthijs uel per sermonem & scientiam Apostolicę prędicationis, tanq̃ per organa, uel per dona sermonis & scientię, ipsis Corinthijs concessa. Sane testimoniũ Iesu Christi confirmatũ fuit bifariam. Primum doctrina apostolorum & portentis, quę facta sunt ab Apostolo in uirtute Christi. Nã id datur signis ac portentis Marci ultimo. Domino sequẽte, inquit, & sermonẽ confirmãte sequẽtibus signis. De signis illis in posteriore cap. 12. commemorat. Deinde in animis credẽtium & donis ab illis acceptis. Sunt qui Græcam uocẽ μαρτύριον, quæ testimoniũ sonat, intelligũt de morte Christi, quo sensu & mortem eorum, qui pro ueritate Christi moriunt, μαρτύριον uocare solemus. Verum exquisitior est hic sensus, q̃ ut conueniat causæ quam hic agit Apostolus.

5 ADEO ut non destituamini ullo dono.] Charisma est Græce, id quod ex affectu gratiæ dat, unde plerũq; donũ uertitur. Intelligit aũt de donis nõ quibusuis, sed ut dixi, de illis quorum infrà. 12. mentionem faciet.

QVAESTIO I.

6 Sed quęritur hic quare de illis donis, quæ neminem saluant, loquatur, & non magis de fide, spe & charitate, sine quibus nemo saluatur, etiamsi cætera dona habeat innumera, & in quibus potior est Apostolatus gloria.

Respondeo. Ita exigebat propositum, in quod tẽdebat. Nam in eo est, ut declaret Apostolatui suo nihil deesse, ut impar debeat haberi reliquis apostolis. Ideo usurpat non occulta illa spiritus dona fidem spem & charitatẽ, sed manifesta, quæ & infrà uocat manifestationẽ spiritus, cap. 12. dicẽs: Vnicuiq; uero datur manifestatio spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uero per spiritum sermo scientiæ, &c. Et præterea tã aberat ut Corinthij negare uel uellent uel possent confirmationem hanc testimonij Christi, & spiritus manifestationem, ut etiam donorum istorum gratia insolescerent plurimum. Quod uero ad potiora illa attinet, admonebit illos infrà. Hoc ideo admonẽdum putaui, ne quis putet diuitias regni Christi esse in sermone & sciẽtia proprie, quod Apostolus hic sermonem ponit & scientiam. Egregia dona sunt spiritus, sed talia, quæ sine fide neminem saluent. Seruiunt quidem ecclesiæ in cognitione Christi ac uera pietate ędificandę, uerũ interea nõ saluant eos, quibus sunt, tanq̃ organis, per miraculosam spiritus sancti operationem data. Notum est illud Christi. Dicẽt multi in illo die. Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. at tũ confitebor illis, nunquam noui uos. Matth. 7.

II.

7 Quęritur etiã hic à quibusdã, (mouet eam quæstio-

quæstionē & Chrysost.) quomodo Corinthij, quū nullo dono spiritus destituti fuerint, potuerint esse carnales, quod infrà illis obijciet. Nunquid carnales estis? Et: Non potui uobis, inquit, loqui, quasi spiritualibus, sed tanq̃ carnalibus. Respondetur hic à plerisq;, quod duę fuerint eius ecclesiæ partes. Vna eorū quę probati manebāt, de quibus infrà cap. 11. Oportet enim hæreses esse, inquit, ut qui probati sunt manifesti fiant. Hanc partē concernere dicūt, quæ aliquid habent encomij. Altera eorū, qui degenerauerāt. Ad istā referenda uolunt, quæ corriguntur & repræhendunt. Chrysost. cum ista & alias rationes assignat, cur prædicentur Corinthij donis spiritus ornati & tamē in multis repręhendātur. Vtpote, uel quod initio quidē tales facti fuerint, ditati uidelicet in omni sermone & scientia, cum dona hæc primū accepissent, postea uero facti per socordiā remissiores opes hasce spiritus amiserint, atq; rursus carnales esse cœperint. Verum & præmissa gratiarum actio, & quæ infrà cap. 12. & 14. sequuntur, huic sententiæ non fauet. Vel, quod dicta sint hæc ab Apostolo hyperbolicōs, qua sermonis figura quę amplificata uolumus maiora facere solemus, q̃ in se existant. Vel, quod de suis ipsius donis sermonis & sciētiæ loquatur Apostolus. Dicā quod mihi uidetur. Ea quæ illis hic tribuit talia sunt, ut nihil prohibeat quin simul carnales fuisse credi queant. Spiritalem enim hominē non faciūt dona illa spiritus miraculosa, quæ ad Euangelij confirmationē in ecclesijs apostolorū uiguerunt, sed regeneratio animorū quę est per fidē, qua corda purgantur, illa demū spiritalē reddit è carnali. Imo tam abest, ut hæc dona, quantumuis miraculosa, per se reddāt hominem ex carnali spiritualem, ut si desit regeneratio, quæ est per spiritū Christi, magis reddāt hominē inflatum & arrogantē, unde & Apostolus infrà dicit: Scientia inflat, charitas ædificat.

Act. 15.

8 EXPECTANTES reuelationem domini nostri.] Et hoc facit ad priorem amplificatæ gratię Christi partē, quę sita est in plenitudine & sufficiētia eorū quæ in regno Christi cognoscēda sūnt, & quę ad Euangelij administrationem & confirmationē requirunt. Tantūdem enim est ac si dicat, nulla alia reuelatione opus habetis, q̃ ea quæ Christū ipsum in die iudicij reuelabit, usq; adeo nullo dono spiritus destituti estis. De hac Christi reuelatione meminit & ad Coloss. cap. 3. Hoc apertius aliquanto cōtra pseudapostolos positum est, qui prætextu sublimiorū reuelationū, Euangelij simplicitatem traducebāt, & Corinthios seducebāt. Diligēter aūt obseruandū est, quod non simpliciter dicit: Expectantes dominū, sed expectātes reuelationē dn̄i nostri Iesu Christi. Est enim Christus ad finē usq; mūdi abscōditus ab oculis huius mundi, in fine uero apparebit conspicuus, ubi non erit amplius tēpus fidei, quod iā est. Abscondito Christo non possumus adhęrere nisi fide ac spiritu: mundus fide hac destitutus Christo addici nō potest. Quàm est aūt ille absconditus, tam est & uita nostra, quæ in illo est & uniuersa felicitas per ipsum nobis parta in oculis mundi abscondita, reuelāda demum, quando ipse reuelabitur. Sit & nobis hoc dictū, qui doctrinę apostolicę fidē damus ne sinamus nobis fucū fieri quasi extra illā desint adhuc, nescio q̃ sublimiū rerū speculationes ac reuelationes. Hoc tātū curem⁹, ut pietatis studio reuelatę p̱ Euāgeliū Christi cognitioni respōdeamus. Hoc si fecerimus, secure poterimus Christi seruatoris expectare aduentū.

9 Et obserua quod nō simpliciter dicit, usq; ad reuelationē domini nostri Iesu Christi, sed expectātes reuelationē, &c. Quo admonemur Christianorū esse, ut cum gaudio expectēt reuelationem Christi. Expectatio Christi nōnihil habet desyderij. Beati quibus expectatus ac desyderatus reuelabitur. Sic Christus dixit. Et uos similes estis hominibus expectantibus dominū suū, &c. & id desyderij pulchre exprimit uerbū ἐκδέχομαι quod significat quidē proprie excipio. Quia uero excipi dicūtur qui expectati cum gaudio suscipiūtur, fit ut ἐκδέχομαι sumatur pro expecto. Commodū aūt, quoniā reuelatio Christi de cœlis expectatur, posuit ἀπεκδεχόμεθα quo usus est & ad Phil. 3. quod significat alicunde aliquid expectare cum gaudio. Vel certe significat uehementē expectationem. Nam ἀπὸ aliquando intendit significatū, ut si dicas ex corde expectare. Existimo autē haud esse inconueniēs, si participium hoc, expectantes, positum esse sentiamus hoc sensu. Vt nō destituamini ullo dono, intellige, uobis necessario, si expectaueritis reuelationē domini nostri Iesu Christi. Sic enim promittit illis copiam & sufficientiam donorum Dei indesinentē, si fideliter adhęserint domino & omni impatientia & scripulositate abiecta reuelationem domini nostri Iesu Christi constanter ad finem usq; expectent. Hanc expectationem sciebat firmissimam esse conseruationē & custodiam syncerae erga Christum fidei, & optimum antidoton contra tentationes defectionis, & quarumuis sectarum.

Qui & cōfirmabit uos usq; in finē inculpatos, in die domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus, per quē uocati estis in cōsortiū filij ipsius Iesu Christi dn̄i nostri.

Hoc alterū est quo gratiā Dei quā in Christo Corinthij acceperant, commendat. Videlicet ab illius constantia & perennitate, quę durare possit ad finem usq;. Et hoc commodum subiecit ei quod dixit, expectātes reuelationē domini nostri Iesu Christi. Caute tamē, non dicit, permanebitis enim usq; in finē inculpati. Nam hoc non erat futurū. Iam tū enim degenerare cœperāt, sed, qui & cōfirmabit uos usq; in finē, magis potentiam & fidem Christi q̃ Corinthiorū cōstantiam cōmendans. Posuit aūt hoc, ut admoneret eos primū nō opus esse noua aliqua reuelatione, sed cōfirmatione in gratia

tia illa Dei quam plenam ac sufficienté acceperát, ut in illa in finé usq; persistere possint.

Deinde confirmatione eam paratá quoq; esse in Christo, à quo sit petenda. Et huius gratia dicit. Qui confirmabit uos. Non enim tam dicit, quid futurũ esset hac in re, q̃ quid à Christo petere deberét, & quid ille paratus sit suis præstare si, quemadmodũ præmisit, reuelationem ipsius constanter expectauerint.

INCVLPATOS.] Hoc est, qui condemnari nequeatis. Pertinet ad hoc quod dixit, cõfirmabit uos, ut scias quatenus confirmet suos dominus. Aliàs in multis deficiũt, & miserijs innumeris exponuntur. Vel expone sine crimine, utpote perfidiæ & defectionis. Alioqui peccatis nemo liber est.

IN die domini nostri Iesu Christi.] Exponit quod dixit, in finem usq;. Nempe quo desinéte hoc mũdo dies domini aderit. Vel quod magis placet, referendũ est ad proxime præcedés, inculpatos, ut intelligamus eum loqui de eo quod per confirmationé domini in die domini sint inculpati futuri quicquid de ipsis interea mundus iudicet. Magna hinc est consolatio ueris Christianis, qui non à mũdo tantũ sed & à falsis fratribus & ecclesia maligne agétium condemnãtur in hoc mundo, quod sciũt se in die domini nostri Iesu Christi habendos esse pro inculpatis. Ad hoc etiam facit, quod fidem Dei adducit ad confirmandã hanc sperandę à Christo confirmationis fiduciã, fidelis Deus inquit. Non sumit argumentũ ab ipsorũ probitate aut aliqua alia prærogatiua, sed ab eo quod omniũ est certissimũ & constantissimũ, quod nemo piorũ negare potest, & quod tale est, unde hoc quod asserit absq; ulla cõtradictione colligitur & quod Deũ, si non confirmemur in bono, ab omni culpa liberat, nostrã uero socordiã dãnat. Fidelis est Deus inquit. Quasi dicat. Nemo abdubitet de fide ac bonitate Dei. Non potest suos deserere. Est enim fidelis. Apud Eras. uide quomodo Apostolus dictione hac πιστὸς utatur. Vtitur hoc elogio Dei & infrà cap. 10. quo talem nobis Deũ cõmendat, qui non modo uerax sit in promissis, sed qui nec fidé expectantiũ se, & à se pendétium irritam & inanem fieri sinat, totus ad nostram salutem propensus.

PER quem uocati estis.] Declaratio est fidei Dei ab eo quod iam præstitit. Nam beneuolentiæ futuræ argumentũ merito ex pręteritis beneficijs colligitur. Ideo uocationem in Christo adducit, in qua agnoscendã proponit fidé Dei. Amplificat eam per hoc quod dicit, in consortiũ filij sui. Satis esset in consortiũ angelorũ uocari. Vocari aũt in cõsortiũ filij Dei, quid aliud est, q̃ non simpliciter assumi ultro uenientes & quęrentes, sed etiam nihil huius cogitantes spontanea & ultronea philanthropia Dei ex summis miserijs in cõmunicationé omniũ bonorũ uocari, quorũ unigenitus Dei hæres est constitutus? Hinc est quod infrà dicturus est, omnia uestra sunt, uos Christi, Christus uero Dei. Et illud obserua, quod nõ dicit, Iesu Christi fratris nostri, cum sic dicendũ uideatur, postq̃ nos in consortiũ filij Dei uocatos esse dixit, sed Iesu Christi, inquit, domini nostri. Neq; ipse adimit filio suo dominij prętogatiuá quã illi dedit in omnia, etiam in consortes suos, neq; nobis licet sic transire in consortiũ unigeniti Dei, ut non agnoscamus eum amplius pro domino nostro. Vocat ipse quidé nos fratres suos dicés: Narrabo nomé tuũ fratribus meis, uerũ nobis cõuenit sic hãc dignationé amplecti reueréter & humiliter, ut simul ipsum dñm nostrũ agnoscam⁹ & colam⁹.

Obsecro autẽ uos fratres, per nomẽ domini nostri Iesu Christi, ut idẽ loquamini omnes, & nõ sint inter uos dissidia, sed sitis integrum corpus eadem mente & eadem sententia.

Post insinuationé & captationé beneuolétię, iam aggreditur primũ caput huius epistolæ, quo Corinthios à sectarũ studio ad concordiam ecclesiasticã reuocare statuit. Et quoniã materia ipsa schismaticis iniucũda futura erat, caute illã & ita ingredit̃, ut q̃ fieri possit tolerabilé reddat admonitionem, & hoc est, quod ab obsecratione ordit̃. Est aũt principalis propositio, ut unanimes sint, eadem mente & eadem sententia perfecti & integri.

OBSECRO aũt uos fratres.] Iterũ pathos in uerbo obsecrãdi, quo amicus exprimit̃ affectus, dũ qui bene cõsulit, etiã obsecrat, ut prodesse possit. Quanq̃ uerbũ παρακαλεῖν etiã hortari & admonere significat & nihil uetat, quo minus ita hic exponatur. Verũ quoniã cõmuniter ita exponũt, & uetus quoq; per uerbum obsecrãdi reddidit, & suauius aliquid è pectore Apostolico eructat uerbũ obsecrandi q̃ adhortandi, maxime initio tractationis uolo & ipse legere, obsecro uos fratres

FRATRES.] Quãuis uulgare sit Apostolo Christianos uocare fratres, hoc tamen loco id opportunissime facit. Primũ, studio nõ eos aperte, qui in culpa erãt, ac sectis studebant (Erant enim probati quidã inter Corinthios, ad quos hæc non pertinebãt de quibus infrà cap. 11.) sed cõmuniter omes, appellatione fratrũ alloquit̃. Est enim tolerabili⁹ ijs qui in culpa sunt, si non nominatim arguãtur sed in genere ita corrigantur quasi ipsorũ uitium, omniũ sit commune. Et licet aliquid hic iniuriæ fiet probatis & insontibus, ferendũ tamé hoc illis est, & hoc pacto seruiendũ infirmis fratribus ad ædificationé cum sciãt unius cuiusuis innocentiã esse Deo conspicuã. Deinde & appellatione fratrũ charitatis & concordiæ fraternæ illos admonet in loco cum proposuerit animos eorũ ad illã impellere. Non enim poterũt locũ habere schismata, ubi regnat charitas fraterna, & rursus ubi schismata obtinent, necesse est uel nullã uel modicã haberi fraternæ charitatis ratioñé. Quid enim minus cõuenit charitati eique fraternæ, q̃ in sectas diuidi?

At hoc fiebat Corinthi. Ideo satis in loco fratres illos appellat, nō q̃ uere fratres uel fraterne inter se animati & affecti essēt, sed ut ad charitatē illis fraternā redeundū esse admoneat.

PER nomē dñi nostri Iesu Christi.] Quanq̃ tāti debuerat esse apostolica authoritas, ut per illius reuerentiā ad cōcordiā se reduci sinerent Corinthij, modestia tñ usus, illā nō obijcit, sed lōge potiorē, nempe nominis dñi Iesu Christi. Q. d. Quod si ego uobis tanti nō habeor, Christus tamē dominus noster tāti sit, cuius gratia permoueamini, ut quod peto, præstetis.

Quę est aūt uis huius obtestationis? an satis est, magnā esse Christi authoritatē, ut illius respectu obtēperent Apostolo? Si satis est, ergo per nomē dñi Iesu Christi quiduis inter Christianos obtineri debet. Nequaq̃. Sed exigit̃, ut hoc quod petit̃, tale sit, quod Christo placeat, qđ nomini illius gloriosū sit, in quo si obedias, Christo gratificeris. Alioqui absurdū & impiū fuerit, ea uelle per nomē Christi obtinere, quæ Christo displiceāt. Quod aūt Corinthij sectis studebāt, Christo utiq; displicebat. Et qđ Paulus exigebat, ut ad cōcordiā redirēt, prorsus nomini Christi cōgruebat & gloriosum erat, Christoq; placebat. Erat enim cōmunis illorū dñs. Quis dñs æquo animo tolerat suorū dissidia? Huc pertinet quod dicit, Dñi nostri Iesu Christi. Deinde & nomini Christi fiebat iniuria, quod Christiani à Christo sic appellati, aliorū nominib⁹ censeri incipiebāt, ut alius diceret̃ Pauli, alius Cephæ, &c. Hanc cōtumeliā deprecat̃, dicens: Per nomen dñi Iesu Christi. Q. d. Ipsum Christi nomē, quo insigniti estis, debebat uos à sectarū cohibere studio, & unitatis admonere. Et huc putatur pertinere, quod in exordio huius epistolæ toties, nempe, ad hunc usq; locum decies, mentionē Christi Iesu induxit, quod nusquam in tam breui uidetur contextu facere.

VT idē loquamini omnes.] Paucis uerbis exprimit quid petat. Quid est aūt idē loqui omnes? Primū cū cōcordiā exigat, quid est qđ eadē uerba exigit? Quid situ̇ est in uerbis? Deinde quomodo idē omnes loqui possunt etiā? sequētia declarāt hāc particulā. Nam ubi dicebāt, alius, ego sum Pauli, alius, ego sum Cephę &c. certe nō idem loquebant̃ omnes. Hoc est, nō ijsdē appellationibus seipsos censebant, cū essent omnes Christiani. Proinde idē omnes loqui quod hic exigit, est idē profiteri de se omnes, eidē authori se accensere omnes, eodē de se prædicato uti omnes. Quid est aūt, quod omnes uult de se prędicare? uidelicet ut quisq; se dicat esse Christianū. Hoc scilicet ut facere nequeūt qui in sectas diuidunt̃, ita qui faciūt, qui de se idem prædicāt, haud facile in sectas sese diuidunt. Idē dicere, potest etiā exponi ꝑ eandem doctrinā profiteri, opinionibus uarijs non dissentire, ut idem sit cum eo quod dicit, eadem sententia.

ET nō sint inter uos schismata.] Id est, sectæ uel scissuræ. Iam per contrariū declarat, A quid sit quod dixit, ut idem dicatis omnes. Ergo cōtraria sunt inter se, idem de se prædicare omnes, uel eandē profiteri doctrinā omnes, & in sectas diuidi. Itaq; schismatici sunt, qui non idē de se prędicāt, qui se nō Christo uni authori salutis, sed alijs atq; alijs addicūt, & qui non eandē doctrinę sententiā profitent̃. Nā ideo alterū ponit ut alterū excludat, quod certe absurde & absque neruis faceret, si fieri posset ut schismatici nō sint, qui nō idē de se prædicāt, nec idē docēt aut profitent̃: ut qui se uocāt Augustinianos, Benedictinos, Franciscanos, magis q̈ Christianos. Itē qui opinionib⁹ diuersis δὶς διὰ πασῶν inter se dissidēt Thomistę, Scotistæ, Albertistæ, &c. Itē nominales, reales, &c. Illi nolūt pro schismaticis haberi, cū tñ nō idē de se prædicēt. Si isti possunt excusari, q̃ dicūt se nihilominus Christū agnoscere ꝓ Seruatore, licet interea patronos elegerint, quib⁹ accēseant̃, quid uetat & Corinthios ita excusari potuisse? Nō enim credo illos ita diuersa de se ꝑdicasse, q̃ Christū prorsus abiecerint, aut patronos illos & magistros suos pro uitę authorib⁹ habuerint. Quod si & Corinthij hoc pacto recte excusant̃, non uideo quomodo Paulus hic defendi queat, ne nugarū ac delirij argui possit. Proinde necesse est Apostolo schismaticos esse, & non idem de se prædicare, pro eodem usurpari.

SED sitis integrū corpus, eadem mente & eadē sententia.] Et hoc ad prioris particulæ B expositionē facit, ut ostēdat se exigere in Christo perfectam concordiam, quā hic collocat in eandem mentem & eandem sententiam.

Et hanc omnimodā & perfectam concordiam uolūt quidam exigi cōmodum per hoc quod dicit κατηρτισμένοι, quod exponunt perfectos uel integros. Significat enim aliquādo καταρτίζω idem quod absoluo & perficio. Nam ἄρτιος aliquando integrū significat, unde desumptū est uerbum καταρτίζω. Et sanè hoc sensu accipitur Lucæ 6. ubi sic legimus, κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.

Quoniam uero καταρτίζω non hoc solum significat, sed simul usurpatur pro cōponere, cōglutinare, cōciliare, utpote, quando quę antea luxata erant, in sua loca restituūtur (unde Galeno, annotante Budæo, καταρτισμὸς est ἡ μεταγωγὴ ὀστῶν ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν τόπου εἰς τὸν κατὰ φύσιν) & quæ diuersa erant, in unā quasi massam coadaptantur (ut apud Dioscoridem κατηρτισμένα ἐδέσματα edulia significant, ex uarijs rebus composita) Videtur haud absurdum esse, si hoc loco intelligamus Apostolum ista dictione, cum de concordia loquatur, exigere partium quasi luxatarum & dissidentium compositionem & conciliationem.

Et hoc sensu pulchre illos admonet gratię Christi, qua antea prorsus luxati ac dissipati, in unum fuerant corpus compositi, & non solum erga Deum, sed & inter seipsos cōciliati.

Quomodocūq; hāc uocē siue cōglutinationis siue integritatis sensu accipiamus, puto pa

rum

rũ referre. Nã earũ rerũ integritas, quæ ex partibus sunt ueluti membris composite, ex indiuulsa partium cohæsione & cõpositione constat, unde & hoc uerbũ utroq; sensu accipit. Et hic apte schismati ecclesiæ opponit, per quod illa integritatẽ & compactionẽ sui ueluti mẽbris luxatis amiserat. Nihil itaq; incõmodi fuerit, si legam⁹, sed sitis integri (corpus nõ est in Græco nec in uulgata uersione) in eadẽ mente, & in eadem sententia.

Satis aũt conuenienter, cum dixisset, ut idẽ dicatis omnes, subiecit, sed sitis integri in eadẽ mente & in eadẽ sententia, significans eos nõ esse eadem mente ac sentẽtia præditos, ideoq; nõ dicere idẽ. Requirit igitur à fidelibus eam mentis ac sententiæ unitatẽ, quæ & foris cum uerbis tum factis declaret. Quod Corinthij in sectas diuidebant, nõ erat aliũde, q̃ quod animo ac mẽte diuisi erãt. Concordia spiritus externæ quoq; uitæ concordiã & unitatẽ cõseruat. Sanè nihil potest excogitari & iucundius & decẽtius in ecclesia Christi, q̃ si omnes eadẽ sint mente ac sententia, atq; ita idẽ dicant oẽs, & eandẽ pietatis regulam mutuo cõsensu seruent, ut nõ sit præter rationẽ, quod nõ hic tantum, sed & alijs locis unitas ista corporis ecclesiastici ab Apostolo urget. Corpus est ecclesia. Corporis aũt unius lingua est una, anima una, spiritus unus, cor unũ, mens una, uoluntas una, caput unũ. Nisi hęc sit in corpore unitas, nõ poterit illius integritas salua cõsistere. Quę cõditio non magis est animati nostri corporis, q̃ ecclesiastici. Et hinc est quod Satan tã improbe satagit, ut unitatem ecclesiæ, ueram illam, quæ in Christo est, uarijs modis scindat, & falsam, quæ sit in erroribus & mendacijs statuat & cõleruet. Quare quod hic Apostolus dicit, sed sitis integri in eadẽ mẽte, & in eadẽ sententia, nõ est indiscriminatim de quauis mẽtis ac sentẽtię unitate, sed de ea intelligendũ quę ad corporis Christi, ecclesiæ uidelicet, integritatẽ omnino requirit. Ea aũt non potest esse alia, q̃ quæ sit in Christo ac per spiritũ Christi. Recte uocabis hanc unitatẽ fidei, spei & dilectionis Christianæ, quę ex ueritate & unitate spiritus Christi proueniat, per quã idẽ credamus & dicamus omnes, idẽ speremus omnes, idẽ diligamus & amplectamur omnes, ubi hæc est unitas, ibi nulla schismata locũ habere possunt. Aliã unitatẽ nõ quærit Apostolus, sed hãc omnino seruatã cupit. Vrgent hodie unitatẽ, qui dominiũ in ecclesia exercẽt. Intelligũt aũt nõ hãc quã intelligit Apostolus, sed eã q̃ ecclesias Christi Rom. põtifici subijciat, quẽ caput uniuersalis ecclesię cõstituerũt. Hũc agnoscere ꝓ capite ecclesiarũ & uicario Christi, qui plenã habeat omniũ rerũ tã cœlestiũ q̃ terrestriũ potestatẽ scrinio pectoris sui inclusam, & hoc illi nomine in omnibus sese subijcere, nec latũ digitũ à cõstitutionibus illius, mãdatis, sancitis, & ritibus quoq; ab ipso approbatis, ne ad manifestã quidẽ & cognitã Christi ueritatẽ discedere, id demũ uocãt uerã ecclesiæ unitatem. Quantũuis diuersa studia, diuersæ opiniones, diuersa instituta tã diuersarũ sint in Papatu sectarũ, propter unã tamẽ hãc unitatẽ, qua se omnes conformiter Rom. pontifici tanq̃ capiti suo subijciũt, ac sua omnia ad pedes illius uel probanda uel reijcienda deferũt, nõ modo tolerant, sed & sanctificant. De his cogitandũ est hodie, quoties plausibiles hæ uoces unitatis, pacis, cõcordiæ ac mutui cõsensus ab aduersarijs iactant, & odiosa illa nobis schismatum & hæresum uocabula obijciunt. Pacẽ & unitatẽ uolumus & nos, sed eã q̃ sit Christi, in Christo, & sub Christo, in spiritu ac ueritate Christi, nõ q̃ nos Babyloni subijciat, unde exire iubemur.

IN eadẽ, inquit, mente, & in eadẽ sententia.] Vulgata uersio sic habet, in eodẽ sensu, & in eadẽ scientia. Sic legit & Ambros. & exponit ad hũc modũ. Perfectos eos uult esse in eodẽ sensu quẽ illis tradiderat, ut nõ discreparẽt. Ad illorũ enim exẽplũ, quos suprà laudat, hos prouocat, ut hoc sentiãt ac defendãt. In Græco est ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. Apparet interpretẽ per νοῦν, id est mentẽ, intellexisse sensum, & per γνώμην scientiã, quæ Græcis uocat γνῶσις. Chrysost. intelligit per γνώμην, uoluntatẽ, quẽadmodũ & nõnulli recẽtiores, per νοῦν uero intelligẽtiã ac sententiã iudicij. Et sanè sunt hęc duo in anima principalia, unde omnis uita nostra uel bene uel male dirigit, mens uidelicet & uolũtas. Græca uox νοῦς, rationalẽ & purissimã partẽ animæ significat, qua sentimus, intelligim⁹ & iudicamus, ad quã pertinẽt sciẽtia, intelligẽtia, sapiẽtia & prudẽtia, secundum quã uel prudentes uel stulti iudicamur, hãc mentẽ uocamus: γνώμη uero mentis est sentẽtia, iudiciũ ac decretũ. Et quoniã hinc plerũq; est uolũtas, fit ut sæpenumero γνώμη pro uoluntate & affectu accipiat. An aũt Apostolus hãc duarũ istarũ uocum discretionẽ hoc loco spectarit, nolim affirmare. Potuit illis uti simpliciter eo sensu quo alibi dicit ut uno spiritu unoq; animo decertãtẽ fidẽ adiuuetis. Et. Sitis eodẽ modo affecti, unanimes, idẽ sentiẽtes, &c. sicut in Actis legimus, Erat illis cor unũ & anima una, & quẽadmodũ Germanice dicimus, *Eins sins vnd gmyets*.

Illud optarim ex animo, ut quoniam nostra hac ætate soluta est cõscientiarũ captiuitas & passim libere sentitur & iudicatur de fidei nostræ ac religionis rebus, ac scripturæ sacræ libere legũtur & exponunt, unde prorsus necesse est uariare sententias, hactenus saltẽ unitatẽ in ecclesia seruemus, ut uno & eodẽ simus corde & animo in Christo domino, aliusq; alium uere diligat, nec iudicet quisq̃ & cõdemnet à se in quibusdã dissentiẽtẽ. Prorsus iniquũ est, propterea dãnare fratrẽ, q, libere sentit, nec iurat in ullius, quisquis sit, uerba magistri, nisi solius Christi, cũ uideamus eos q sic à se dissentiẽtes dãnãt, hoc iure libertatis uti, ut sentẽtiã suã nullius potestati subijciãt, sed liberã retineãt.

Significatum enim mihi de uobis est fratres mei, à familiaribus Chloæ quod con-

cōtentiones sint inter uos. Dico autē illud, quod unusquisq; uestrum dicit, alius quidem, ego sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi.

Quamobrē unitatis seruandæ admoneat, hac quasi narratione quadā aperit. Significatū est mihi inquit: quasi dicat, quod ista scribo, & cōcordiā à uobis exigo, nō est ex inani quadā de uobis suspicione, qua laborare solēt animi sinistri, sed ex eo, quod quorundā relationibus accepi, cōtentiones inter uos obortas esse, interea dum à uobis absum, & huius gratia, animo planè paterno, & ut decet Christi Apostolū, ab istis uos cōtentionibus dehortor. Et amicū hunc affectū iterū exprimit cū dicit, fratres mei, ut ostendat se illos nondū habere ꝓ deploratis, sed agnoscere pro fratribus, eiusdē spei ac salutis consortibus. Videmus etiā eos, de quorū peccatis sumus instructi, recte à nobis uocari fratres.

A familiaribus Chloæ.] Quia dixit: Nunciatū uel significatū est mihi, ne fictū putēt, addit à quibus hoc acceperit. Et tamen nominatim eos nō exprimit, qđ studio factū plerique exponūt, ne inuidiā relatoribus suscitaret. Sanè prudentiæ est quod relationē hanc non tribuit uni certæ personæ, sed generaliter familiaribus Chloę. Quid aūt per Chloën sit intelligendū, ambigūt quidam, è quorū numero est Ambrosius, an sit uir, uel fœmina, uel locus aliquis. Ex odis tamē Horatij annotāte Erasmo Chloë reperitur sexu fœmineo, ut cum dicit:
Me nunc Cressa Chloë regit,
Dulces docta modos, & citharæ sciens.

Apparet hāc familiā fuisse ex ijs quos infrà probatos uocat cap.11. qui certe ægre tulerunt istam ecclesię Corinthiorum diuisionē adeoq; illam Apostolo, ut corrigeretur, insinuarunt.

QVOD cōtentiones sunt inter uos.] Quod suprà uocauit nō idem omnes dicere, itē schismata, hoc iam uocat cōtentiones. Est aūt contētio, æmulatio quædā & zelus, quādo quisq; suā sententiā mordicus tuet̃. Vnde lites oriuntur & rixæ, quod fieri solet ubi sectarū studiū in ecclesia uiget, ita ut cōtētiones fructus quidam sint schismatū, quibus nō elanguida iam sed adhuc calida & feruētia schismata notant̃. Reperies enim schismata inueterata iā & quasi emortua, in quib⁹ nullus apparet cōtentionis feruor, q̄ nō queas recte cōtentiones uocare.

Intelligimus ergo in ecclesia Corinthiorū fuisse nō simpliciter schismata, sed cōtentiosa & feruida schismata quę nomine cōtentionū ad Apóstolū sint à familiaribus Chloæ delata.

DICO autem illud, quod unusquisq;.] Expositio est. Quasi dicat: Quod dico de contentionibus, quæ inter uos esse feruntur, ne me putetis de triuialibus quibusdam uel iudiciarijs rixis loqui, hoc est,

QVOD unusquisq; uestrum dicit.] Legendum est ad hunc modū. Quod unusquisq; uestrū dicit, alius, Ego sum Pauli, alius, Ego sum Apollo, &c. Non enim unusquisq; illorū se & Pauli, & Apollo, & Cephæ & Christi esse dicebat. Nā qui se alicui addixerāt, alijs se nō accensebāt. Qui se dicebāt esse Pauli, illi nō dicebāt simul se & Apollo esse & Cephæ & Christi. Alioqui nulla fuisset inter ipsos dissidia & schismata, nullæ cōtentiones, si quisq; se omnib⁹ istis addixisset. Quia uero istis exponit, de quibus contentionibus dicat, manifestū est quod contentiose alius se Pauli, alius Apollo, alius Cephæ esse dixerit.

EGO quidē sum Pauli.] Hoc, ut pleriq; exponūt, nō ita intelligendū est, quod uere se alij Paulo, alij Apollo, alij Cephæ addixerint, cū à pseudapostolis pependerint, sed quod hoc pacto uoluerit Apostolus absurditatē cōtentionū in se Apollo & Cephę declarare. Nā si schismatici essent, si qui se uel Paulo uel Petro primis illis apostolis accēserēt, quāto magis erāt qui se pseudapostolis adnominabant: Et hoc colligit̃ infrà cap.4. ex eo quod dicit. Hæc per figurā ttanstuli in meipsum, & Apollo propter uos, ut in nobis disceretis ne quis supra id qđ scriptū est de se sentiat, ut ne hic illius, ille huius nomine inflemini alius aduersus alium.

Quanq̄ credibile est fuisse etiā qui se Pauli, uel Apollo, uel Cephæ esse dicerent, cū Paulus eos ad fidē cōuerterit, et Apollo quoq; ibi Christū docuerit post Paulū, homo doctus in scripturis ac disertus. Licet enim hoc sancti nō q̄rant, ut ipsorū nomine quisq̄ ad contentionē abutat̃, cōsilio tamē Satanę hoc fieri uidemus, ut quo quisq; sanctior est, hoc ad schismata & cōtētiones cōtentiosis magis seruiat. Exēplū huius habemus in discipulis Iohānis Matth.9. Io.3. licet Iohāni & Christo optime cōuenerit.

De Petro aūt & Christo quid dicem⁹? Quomodo quidā se Cephę esse dixerūt, cū nō legam⁹ illū uenisse Corinthū? Arbitror fuisse pseudapostolos qui Petri authoritatē Paulo opponētes, alienā sub illa doctrinā introducere, seseq; uenditare conati sint, unde factū sit, ut odio Pauli sectatores illorū Cephistas sese uocarint. Dubiū nō est, iam tum fuisse pseudapostolos, qui Petri nomine abuterentur, & illorum credo esse successores, qui Romæ sub nomine Petri inualuerunt.

De illis qui dixerūt se Christi esse, quid statuemus? an & illi schismatici fuerūt? Ambros. intelligit eos qui in ueritate Christi ac fide perseuerabant, & contentiones istas detestabant̃. Cur ergo cōiungit illos Apostolus schismaticis? Chrysost. dicit hoc nō ideo factū, q, ipsos repræhēdat, quasi nō debuerint se Christo accensere, sed quod à quibusdam tantum hoc diceretur, cum debuerit dici ab omnibus.

Mihi pace aliorū uidet̃ fieri posse, ut nō minus schismatice Christi esse se quisquā dicat, q̄ si se dicat esse uel Pauli uel Petri. Quomodo? Si cōtentiose hoc & peruerse faciat. Vtpote si unitatē & concordiā hoc nomine rūpat, & sub illo peruersam aliquam opinionem mordicus tueatur, & reliquos diuersum sentiētes à Christo ex-

sto ex-

sto excludat, seque ab illis separet. Qui hoc facit, male se Christi esse dicit, licet in se bonum sit esse Christi. Ita Euangelicum dici in se bonum est, & commune omnium Christianorũ. Iam si qui appellatione Euangelij aduersum alios inflati, propter diuersas aliquas sententias peruerse intellectas, à reliquo Christianorum consortio discederent, charitatem rumperent, corpus Christi diuiderent, nunquid schismatici Euangelicos se dicerent?

Finge uenisse Corinthum post discessum Pauli inter reliquos pseudapostolos, qui ut Pauli authoritatẽ eleuarent, discipulos se Christi peculiares fecerint, utpote, quod Christum uidissent, cum illo circuissent, & doctrinam suam ab ipso coràm accepissent, quodq; Christus ipse & circumcisus esset, & legem custodisset, cum Paulus Christum non uiderit, discipulusque ipsius non fuerit. An non hac uia fieri potuit, ut qui istorum doctrinam acceperint, contentiose Christi se, contra doctrinam Apostoli initio traditam, dixerint?

Quod si essent, qui uitam Christi perfecte, ipsorum opinione, expressuri, nec uxores ducerent, nec facultates proprias haberent, nec eodem loco consisterent, ob id quod Christus nec uxorem nec liberos, nec domum, nec terrenam aliquam facultatem habuisse legitur, quotquot uxores habent, & res proprias possident, & uno loco consistunt, à Christo excludentes, ac se uere Christi esse iactantes, an isti uere Christi essent, & non schismatici ipsissimi? Schismatici utique (quemadmodum & olim quidam hoc nomine se apostolicos uocantes, quod nec uxores haberent, nec res proprias posiderent (ut in Augustino est de hæresibus) à consortio omnium Christianorum uxores & propriam facultatem habentiũ secedebant) idque duplici nomine. Primum quod peruerse uitam Christi exprimerent, cũ ista & plerique philosophi ante Christum præstiterint, deinde quod peruersius istorum nomine à communione se ecclesiæ seiungerent.

Proinde licet in se bonum sit dicere, Christi sum, Euangelicus sum, uidendum tamen etiã atque etiam est, ut hoc Christiane ac uere, deinde non schismatice præter rationem dicatur, præter rationem inquam, propterea quod ratione iusta & necessaria, non solum malum non est, sed laudabile, à reliquis diuidi, ut est in exemplo Thobiæ. Hæc uolui alijs cogitanda proponere, quæ ut non assero sic esse facta inter Corinthios, ita non dubito sic apud illos fieri potuisse.

Num diuisus est Christus? Num Paulus crucifixus est pro uobis? Aut in nomine Pauli baptizati fuistis?

Qui liberos suos corripiunt & emendant, primum illis perpetratum facinus exponunt, ut sciant qua de caussa repræhendantur, deinde admissorum absurditatem opprobrant, ut illa cognita auocentur à proposito malo, & ad resipiscentiam permoueantur. Ad hunc planè modum, & Apostolus hic primum quid de Corinthijs audierit mali, exponit, id quod in pręcedentibus fecit, ibi: Narratũ est mihi ab illis, &c. cui expositioni statim subiũgit facti repræhensionẽ, cũ dicit, Nũ diuisus est Christus?

Instituit autem talem ἔλεγχον, qui & absurditatem illam schismatum breuiter & conspicue absque ulla contradictione ob oculos ponat, & nonnihil propter indignitatem rei cõmotum repræhendentis animum resipiat. Et hoc facit, acribus illis & crebris interrogatiũculis (quas Græci πύσματα uocant) instando & urgendo. Erat enim adeò absurdum & aperte contra Christum, quod in Corinthijs repræhendit, ut non habuerit opus ulla probatione uel disputatione.

NVM diuisus est Christus?] Nõ dicit, male facitis, quod Christum diuiditis, qui unitate gaudet, nec diuisionem agnoscit, sed, Num diuisus est Christus? quod aliquanto uehemẽtius est. Quomodo autem Christum diuiserãt Corinthij? Chrysostomus & Hieronymus de eo intelligunt, quod corpus Christi diuiserãt. Ambrosius de eo, quod gloriam Christi diuiserant, & in alios deriuarant. Deinde quod diuersa quoq; de Christo à diuersis doctoribus acceperant.

1 Ergo Christum diuidunt, quotquot ecclesiam in partes & studia scindunt. Et hoc fit primum quando eadem manente doctrina, iuxta Christum eriguntur alia capita, inter se nõ diuersa quibus datur, quod uni Christo competit, ut iam nõ sub uno, sed multis capitibus sit corpus Christi. Et hoc forsan est, quod Ambrosius uocat diuidere gloriam Christi. Gloriam Christi diuidebãt discipuli Iohannis, qui illam Iohanni magistro suo tribuebant, licet inter Christum & Iohannem nihil esset dissidij. Ita si Corinthij reuera pars à Paulo, pars ab Apollo, pars à Cepha, pependerunt, hoc pacto gloriã capitis Christi diuiserunt, licet nec Paulus nec Apollo, nec Cephas hoc quæsierint, & nihil inter illos dissidij fuerit. Ita olim ecclesiam scindẽtes, caput Christi & gloriam illius diuidebant, qui de primatu inter se cõtendentes, ad se rapiebãt quod erat Christi, ut patriarchæ illi Romani, Alexandrini, Ierosolymitani, & Constantinopolitani, quasi sorti tunicam Christi inconsutilẽ subijcientes, & suo quisq; iuri uendicare cupientes.

2 Deinde Christum diuidunt, qui non solũ diuersis capitibus corpus illius asignant, sed & qui diuersa de illo tradunt aut etiam accipiunt, quasi in seipso quoq; iam, non solum in membris suis sit diuisus. In seipso autem diuisus est qui non idem sentit, cuius doctrina in seipsa diuersa est. Nõ quod Christus in seipso ita sit diuisus, cuius sermo simplicissima ueritas est & amen: sed quod qui diuersa de illo inter Corinthios prædicabant, quantũ in ipsis erat, Christũ in se diuisum prædicarent. Vtpote dum alij circumcisionem & legis obseruantiam

tiã sub nomine Christi docebãt, alij uero illarũ abrogationẽ tradebant, alij ciborum delectũ, alij promiscuos cibos probabãt, atq; ita dupli ci nomine Christũ diuidebãt, primũ in seipso, quasi sibi ipsi dissidentem: deinde in corpore ipsius in partes iam scissum. Itaq; quicunq; alia ecclesię capita assignant, à quibus pendendum sit Christianis, & qui diuersa à doctrina Christi & apostolorum tradunt, Christum diuidunt.

1 Diuisus est Christus, quando cum olim dixerit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, iam contrà, non ad me, inquit, sed ad sanctos meos currite qui laboratis, illi uos reficient.

2 Diuisus est, quando iam dicit: qui non manet in Romano pontifice, eijcietur foras sicut palmes & arescet, cum olim dixerit, qui nõ manet in me mittetur foras & arescet.

3 Diuisus est Christus ubi iam dicit: Non solũ Deũ adorate & colite, sed & sanctos meos, cum aliquando dixerit: dominum Deum tuũ adorabis, & illum solum coles.

4 Diuisus est Christus cum olim dixerit: Sine me nihil potestis facere, iam uero uiribus humanis hoc dat, ut possint proprijs motibus & sua ipsorum facultate quod bonũ est facere & appræhendere.

5 Diuisus est Christus iam dicens, non bibite ex eo omnes, sed hęresis est, si hoc doceatur, cũ olim dixerit, bibite ex eo omnes. Quid ad hęc omnia aliud dicemus, quàm quod hic Paulus cœlestis instar fulminis ad dissipationẽ sectarum cœlitus illapsus dicit: Nunquid diuisus est Christus?

Tametsi scissi essent Corinthij in partes: tamen quæq; pars nihilominus uolebat Christi esse, & doctrinam Christi recte tenere uideri, cum tamẽ plurimum inter se & per acoluthiã doctorum & capitum, deinde & doctrinæ diuersitate dissiderent. Cum itaq; fieri nequeat, ut caput dissidẽtium partium esse queat Christus, illi autem Christiani uideri uellent, quid aliud sequebatur quàm quod omnium absurdissime, quantum in ipsis erat, Christum diuiderent in Paulinianos Apollonistas & Cephistas, hoc est in authorem sectarum? Dissidentium autem partiũ caput esse nequit, quia cõmunis est omniũ dominus, quod partes negant, dum quæq; ita sibi Christum adscribit, ut alijs auferat. Is autem non uult tãtum Paulinianorum dominus esse, sed & aliorũ. Illi autem dissidẽt à Paulinianis, & talem Christum uolunt, qui non sit Paulinianorum quoq; dominus. Rursus Pauliniani Christum, ita suũ esse uolunt, ut non sit simul & aliorum. Hoc itaque pacto sequit᷑ uel schismaticos extra Christum esse, quando ille non uult cuiusquam tãtum esse partis, sed communiter omnium, & illi nolũt communem cum alijs Christum, sed proprium & peculiarem sectę suæ dominum, uel Christum, siquidem Christiani sunt schismatici, esse diuisum, quod cum sit impium sen A tire de Christo, merito ab Apostolo urgentur Corinthij schismatici, ac rogãtur an diuisus sit Christus.

NVM Paulus crucifixus est pro uobis?] Primum absurdum quod committebant Corinthij, erat contra unitatem Christi, qui diuidi nequit. Alterum erat contra ipsam redemptionis prærogatiuam. Ea est, ut redemptus alterius nõ sit quàm redẽptoris. Sic infra cap. 7. Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. Et 2. Cor. 5. Et pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt posthac, non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis est mortuus, & resurrexit. Et Rom. 8. Siue uiuamus siue moriamur, domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit ac reuixit, ut mortuis ac uiuis dominetur. Iam qui se uel Paulinianos uel Apollonistas, uel Cephistas uocabant, hanc Christo prærogatiuam infringebant, hoc ipso quod aliorũ quàm Christi esse se dicebant. In alterius enim transire nomen, nõ potest filius sine contumelia patris, nec uxor sine contumelia & iniuria uiri. Hoc faciebant schismatici dicentes: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ. Aliud est dicere: Ego audio Paulum prędicantem, ego à Paulo sum in nomen domini baptizatus, quod ferendum fuisset, & schisma nõ resipuisset, & aliud: Ego sum Pauli. Audire possumus omnes Christi ministros, esse uero non debemus ullius nisi solius Christi, qui pro nobis est mortuus. Hoc scilicet est quod urget B Apostolus, dicens: Num Paulus crucifixus est pro uobis?

AVT in nomine Pauli baptizati estis?] Insurgit ab occultioribus ad manifestiora. Primum quod de Christo diuiso dixit occultius erat eo quod subiecit. Num Paulus pro uobis crucifixus est? (Occultius inquam quod attinebat ad captum sectariorum.) Deinde quod subiecit: Num Paulus pro uobis crucifixus est? occultius isto quod dicit: Nũ in nomine Pauli baptizati estis? Hoc enim apertius erat, in quo minus poterant tergiuersari. Non solum apertum erat, in cuius nomen baptizati essent, sed & id quod inde colligitur, nẽpe eius esse quẽque fidelium, in cuius nomen baptizatus est. Finge inter oues oboriri schismata, ita ut pars huius se, pars alterius esse serui dicat, cum sint omnes unius domini, & nulla alicuius serui. Illis si dixeris: Nũ diuisus est dominus uester, satis quidem declararis schismatis absurditatem, apertius uero hoc feceris, si dixeris: Num seruus ille cuius esse uultis, uos data pecunia coëmit? Et rursus multo apertius isto, si subieceris. Num serui huius signaculo obsignatæ estis? Quod si hoc ignoratis, dominum uerũ non esse diuisum, nec aliquã ferre diuisionem, deinde eius uos esse à quo estis coëmptæ, uel signacula quibus obsignatę estis cõsulite. Vnde statim discetis cuius nomini deputari debeatis. Tale quid uelle mihi uidentur istę percontationes Apostoli.

Quod autem non dicit: Num Petrus crucifixus

fixus est pro nobis? uel in nomine Petri baptizati estis? Sed, Num Paulus cruci? &c. Et num in nomine Pauli bapt? seipsum non alium aliquem ponens, prudentiá resipit apostolicam, ne uideatur non tam Christi quęrere gloriam, quàm alios ad hoc deprimere, ut solus ipse potiores habeat. Hoc facit & infrà cap. 3. ubi seipsum ante alios abijcit, ut Christum extollat, cũ dicit: Quis igitur est Paulus? Quis est Apollo? Item. Omnia uestra sunt, siue Paulus siue Apollo siue Cephas.

Admonemur ergo hoc exẽplo ut quotiescũq; depriméda est humana authoritas, ut salua sit authoritas Christi, ut hoc ea faciam⁹ cautione, ne liuore ducti magis nostram q̃ Christi gloriam quaerere, uel magis nostram ignominiam quàm Christi ulcisci uideamur. Nam ita comparatum est ingeniũ hominis, ut plerunq; sub prætextu nominis Christi suã quærat gloriam, uel dum alios sibi pręferri uidet, oppressos cupiat, non ut solus obtineat Christo, sed ne sint quib⁹ posthabeatur etiamsi priores occupare nequeat.

Deinde notandum est hoc loco quàm non deceat Christianos alicui se addicere, nisi uni Christo, qui pro nobis est crucifix⁹, & in cuius nomen baptizati sumus. Hieronymus hoc loco taxari eos quoq; putat, qui suis iam temporibus in ecclesia diuitijs colligendis operá dátes, exemplo se Abrahæ & Iob tuebantur quibus dici posse arbitratur, Num Abraham crucifixus est pro uobis? Num in nomine Iob baptizati estis? Quasi ne imitari quidẽ liceat aliũ præter unum Christum. Si peccant qui imitãtur Abraham & Iob, hoc est, qui quod Abrahę & Iob licuit, hoc ipso sibi quoq; licere putant quod ipsis licuit, quid de illis dicemus qui nõ solum pro exemplaribus instituendę uitæ sanctos sibi alios alij proponunt, ut faciunt Monachi, & Nonnę, Benedictini & Franciscani, Dominicastri, Bernardini, deinde & qui in doctrina quoq; & opinionib⁹ alios atq; alios authores sectantur, ut Scotistæ, Albertistę, Occamistæ, Thomistæ, sed & patronos sibi quisq; peculiarem deligunt, quorum se fidei cõmittãt, cui per omnem uitam seruiãt, quasi Christiani sint instar pupillorũ & orphanorum à Deo patre & Christo domino relicti ac deserti, quib⁹ opus sit humanũ patrocinium & ἐπιτροπή quædam ne pereant. An non hic dicere possumus multo uerius, quàm ubi Hieronymus dicit: Nunquid sancti pro nobis crucifixi sunt? uel in nomen sanctorum baptizati sumus? deinde & cum Hieronymo etiam istis dicere licebit, Num Benedictus pro uobis crucifixus est? Num in nomen Francisci baptizati estis? &c. Num Thomas pro uobis crucifixus est? uel in nomen Scoti uel Alberti baptizati estis?

Tertio, Notandum obiter & hoc est, quid sit baptizari in nomen patris & filij & spiritus sancti, ut habeamus quasi quandam eius formulæ, qua baptizamus, expositionem, in eo quod dicit: Nunquid in nomen Pauli baptizati estis? inde colligens non licere, ut quisquam dicat se Pauli esse, cum nõ sit in nomen Pauli baptizatus. Quare nõ licet? Quia se iam non potest alij addicere qui Christo dicatus & obsignatus est. Hoc autem est, qui in nomen Christi baptizatus est. Ergo baptizari in alicuius nomen est quasi in illius obsignari peculium, ut ad ipsum proprie pertineas, illiusque te esse profiteare solius. Est itaque baptizare in nomen patris & filij & spiritussancti, inter eos aliquem obsignare, qui in gratiam sunt patris & filij & spiritussancti ita assumpti & sanctificati, ut nullum præterea patrem, nullum dominum, nullum sanctificatorem, paracletum, aduocatum, cuius se fidei committat, quẽ colat, cui obediat ac seruiat, agnoscere liceat. Quid uero ista per baptismum sanctificatio obsignatio, & adoptio secum adferat, non huius est loci, ut commemoremus.

Gratias ago Deo meo, quod neminem uestrum baptizauerim, nisi Crispũ & Gaium.

Hoc loco, & ex consequentibus apparet pseudapostolos duabus rationibus discipulos post se traxisse, & inter Corinthios sectarum studia mouisse. Vna erat baptismus. Altera, eruditioris & elegãtioris sermonis ad normam mundanæ sapientiæ compositi plausibile studiũ fieri potest, ut & alijs nonnullis rationibus usi ad hoc sint, ut suppressa autoritate Apostoli, ecclesiam in partes scinderent. Tamen quoniam de istis hoc loco loquitur Apostolus, nõ perscrutabimur reliquas curiosius, sed istás cõsyderabimus.

De prima ratione loquitur hic, cum dicit: GRATIAS ago Deo meo, quod neminẽ uestrum baptizauerim, &c.] Liquet pseudapostolos baptismate usos contentiose, & ad fomentum & corroborationem sectarum, ita ut quemadmodum Galat. ultimo legitur de doctoribus circumcisionis, cogunt uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur, & isti ad hoc baptizauerint doctrinæ suæ quisque sectatores, ut eos quasi in suum nomen haberet obsignatos, qui interea baptizatos ab alijs auersarentur. Ea nanque erat astutia Satanæ, ut hoc symbolo baptismatis, quo filios Dei obsignari uoluit spiritussanctus in unum corpus, abuterentur ministri ipsius ad dissipationem corporis Christi. Tale studium fuisse etiam in Donatistis & Nouatianis in Ambrosio & Augustino uidere est. Nam illi suæ tantum sectæ potestatem baptizandi uindicabant, reliquorum ab alijs baptizatorum neminem suæ communioni admittentes. Ad quem modum & nostris temporibus pestem hãc Catabaptistæ renouarunt. Cum itaq; studium hoc baptizandi peruersum obtineret iam inter Corinthios, ut pseudapostoli baptizando, non Christo, sed sibi ipsis & suæ gloriæ mystas obsignarent, atq; isti qui baptizabantur, baptistarum suorũ nomina induerent: ut ab hoc se studio alienum ostenderet

ostenderet Apostolus, illudq; traduceret, scribit ad hũc modũ. Gratias ago Deo meo quod neminem, &c. Non dicit simpliciter, quod neminem, sed quod neminem Corinthiorũ baptizauerit, nisi &c. uidelicet ne quisquam se in hoc studio, quasi sua queat authoritate tueri, néue aliquam huius mali occasionem dedisse uideri posit.

De Crispo & Gaio habetur in Actis: De Crispo Act. 18. legimus, ubi archisynagogus fuisse scribit. Et de Gaio Act. 20. & in ea quæ ad Romanos est, cap. ultimo.

Ne quis dicat, quod in meo nomine baptizauerim.

Hic asignat ratioñe, cur Deo gratias agat, quod nõ multos Corinthiorum baptizauerit. Videlicet ne quis dicat, quod in nomine suo baptizauerit. Sed quomodo Apostolo timendum hoc fuisset, si plures baptizasset, quod baptizarit in suo nomine? Ergo qui multos baptizant, uideri possunt in suo ipsorum nomine baptizare, & qui paucos baptizant, suspicione illa liberi sunt? Expendendę sunt circũstantiæ. Per se non sequitur, hic multos baptizat, ergo suspicandum est, quod in suo nomine baptizet, cum & Iohannes baptista multos baptizasse legatur, de quo tamen nemo dicere potest, quod in suo nomine baptizarit. Notatur, ut suprà dixi, studium eorũ qui per baptismum sibi ipsis discipulos obsignabant, adeoq; multi erant in baptizando, quia multi erãt in augendis suis sectis. Quoniã itaq; hic morbus ecclesiam Corinthiorũ obtinebat, gaudet Apostolus, quod non multos baptizauerit Corinthi, ne hoc studio laborasse & ipse uideri possit. Quemadmodum itaq; dum sectæ urgẽt, & per baptismum augentur, ij qui multi sunt in baptizando, etiam si non dicant, Baptizo te in nomen meum, uidentur tamen in suo nomine baptizare, hoc est, non Christo, sed sibi ipsis discipulos creare, ita qui paucisimos baptizant, ab eo uitio alieni uidentur. Sic baptizabant in suo nomine Donatistæ & Nouatiani, hoc est, per baptismum faciebant ex Christianis Donatistas & Nouatianos, non regnũ Christi, sed suas sectas augentes.

Baptizaui autem & Stephanę domũ, prætereа haud scio, num quem aliũ baptizauerim.

De Stephana isto illiusq; familia habemus infrà cap. ult. Diligenter declarat etiã studiose recolendo se nõ multos baptizasse, nec aliquo baptizãdi studio laborasse, cũ potuisset in tãta ecclesia baptizare q̃ plurimos de qua dñs dixerat: Est mihi populus multus in hac ciuitate, ubi ergo dixerat, Neminẽ baptizaui, nisi Crispum & Gaium, quia occurrebat cogitanti & Stephanæ domus, addit & illã, & quia nõ erat sibi de aliquo alio cõscius, subdit, pręterea nescio num quem alium baptizarim, nõ dicens, nullum alium baptizaui, sed nescio an aliũ aliquem baptizarim, simul & cautius, & tamẽ cõ

A mode hoc cõmemorãs, ut ostendat se tã nullo baptizandi studio laborasse, tamq; nullos suo nomini discipulos baptizãdo parasse, ut quãuis paucos baptizarit, eos ipsos tamen in memoria non tenuerit.

Nõ enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut Euangelium prædicarem.

Iam rationẽ reddit, quare tã nullo baptizãdi studio præditus fuerit inter Corinthios, ut tã paucos baptizarit, ne uideat hoc fecisse cõtemptu baptismatis. Nã absq; dubio pseudapost. plurimũ pietatis p̃ferebãt in sedulitate baptizãdi, ut ad ipsos cõparatus hac in re Paulus uideri potuerit ad augendũ cœtũ Christianorum negligẽs. Quid rationis ergo reddit? Nõ dicit, Quia nihil est baptism⁹, quia ad regnũ Christi nõ pertinet baptism⁹. Sed, Nõ enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut Euangelium predicarem. Rationem desumit ex cõditione uocationis suę ad apostolatũ, quã dicit nõ sitã esse in baptizãdo sed in euãgelizãdo, se missũ esse à domino nõ baptistam sed euangelistam, adeoq; studium suum fuisse ut quàmplurimos Christo per Euangelij prędicationem lucrifaceret, baptizandi officio alijs permisso.

Et hic uidemus expositionẽ duorum locorũ Matt. & Marc. ult. ubi suos Christus emittit ad euangelizandũ Matth. ult. dicens: Euntes docete oẽs gẽtes, baptizantes eos in nomẽ patr. &c. & Marc. ult. Ite in mundũ uniuersum, pręB dicate Euangeliũ omni creaturę, quicunq; crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, in quibus licet mentio fiat baptismi, tamen uis eius mandati non est sita in baptismo, eo quod nõ det suis hoc loco mandatũ baptizandi sed euãgelizandi, unde nulla potest argumentatio ex his locis de baptismate sumi, nisi quod forma in nomẽ patris ac filij & spiritussancti baptizãdi præscribitur. Et hoc est quod hic Apostolus dicit se non esse missum ad baptizandum, sed ad euangelizandum, nisi uelimus dicere Paulum aliud accepisse mandatũ à domino quàm reliqui Apostoli, quod temerariũ est asserere.

Sed quæret forsan aliquis, si nõ erat missus ad baptizãdum, cur ergo omnino baptizauit? Ergo fecit quod nõ licuit? Respõdeo. Euãgelij p̃dicatio & baptismus, nõ sunt res cõtrarię, ita ut q̃ alterũ obit, hoc ipso nequeat, si necesse sit, alterum administrare. Qui Euãgeliũ prędicat, nõ est missus ad dispensandã eleemosynã pauperũ. Et tamẽ, ubi necesse erat, fecerũt hoc Apostoli, uerũ quia ἰδίωμα apostolatus erat prędicatio Euãgelij, ideo relicta eleemosynæ administratione adhęrebãt prædicationi uerbi. Ita & Paulo usuuenit in pręsenti caussa. Per seipsum noluit baptizare, nisi ita exigeret necesitas, quemadmodum & de Petro legimus Act. 10. quod per seipsum Cornelium cum suis nõ baptizarit ipse, sed iusserit eum baptizari.

Per hanc collationẽ pręedicationis & baptismatis uidemus expressam Euãgelicæ p̃dicationis dignitatẽ quomodo illa excellat officiũ

 bapti-

baptizādi,& ita sit iniuncta apostolis & Euangelistis, ut ne illis sit nisi euāgelizēt, uæ aūt nō sit si nō p se baptizēt. Vtit̃ hoc loco Chrysost. pulchra similitudine ad declarandā Euāgelicę prædicationis respectu baptismi dignitatē,ita tamē ut baptismo interea nihil decedat. Dicit Euāgelicā p̄dicationē perinde habere atq; instructionē athletę,q̄ sane opus habet certandi sciētia & exercitio, nec est cuiuis p̄stitu possibilis. Baptismi officiū minus exigere industrię exercitij & laboris,& esse instar ei⁹ officij,quo in certaminibus quidā uictoribus coronas imponebāt,q̄ res talis erat,ut quiuis facile posset p̄stare & tamen sua gloria nō carebat. Ita dicit suo tēpore munus baptizādi in ecclesia cōmissum fuisse senibus quibusdā aliàs ad functionē uerbi inutilib⁹. Iā si eadē est ratio cœnæ dominicæ q̄ est baptismi,quid est, qđ nostri episcopi oēm suā functionē collocant in celebrationē aliquot missarū & quasdā alias cęremonias humanitus institutas,neglecta Euangelij p̄dicatione, quā cōmiserunt interea, si tamen cōmiserunt,infimæ eruditionis hominibus?

NON erudito sermone.] Trāsit hic ad alterū pseudapostolorū studium puersum supprimendū,quo nō solū sectas instituebāt & fouebant, sed uirtutē quoq; crucis Christi eneruabant,quam in sequentibus uindicabit magno studio,usq; ad caput quintum.

Viderāt Pseudapostoli,nec ferre poterāt scādalū crucis Christi,apud sapiētes huius mūdi. Hoc fugere cupiētes, filū p̄dicandi Christi crucifixi,quo utebant̃ apostoli,mutarūt in doctrinæ gen⁹,qđ nō redoleret stultitiā crucis Christi & irrisioni pateret, sed qđ redoleret gustū philosophiæ,esset q; plausibile iudicio ratiōis, & alienū ab eo qđ Paulus p̄dicauerat de morte & resurrectione Christi,quo pleriq; sapientū offensi fuerāt. Hoc esse puto, quod dicit,nō in sapientia sermonis,ut intelligat hanc σοφολογίαν de doctrinę pseudapostolorū materia,philosophiæ studiū respiciēte. Quod si quis intelligere uoluerit cum Chrysost.& Erasmo de sermonis cōcinnati & cōpositi elegātiore structura,ut σοφὸν sit hoc loco idē qđ elegās, quasi Apostolus hoc taxet in pseudapostolis qđ rhethoricati sint in Christo p̄dicādo,neglecta Euāgelij prædicādi simplicitate,p me licebit. Arbitror aūt illos doctrinā suā etiā hoc quoq; quasi condimento ab irrisione mundanę sapiētiæ uindicasse, cū in posteriore epistola appareat Paulo ab illis contemptibilis sermonis obiectam esse uilitatem.

Agnoscit ergo, imo uocationi suæ uindicat sermōis simplicitatē, q̄ sibi ad pseudapostolis p̄bro dabat̃,tā abest, ut huius gratia pudefiat, cū dicit se nō solū missū esse ad euangelizādū sed ita quoq; missū esse,ut q̄ simplicissime,reiecta omni sermonis cōpositione & elegantia sine omni mundanæ sapientię facultate & subsidio,sermonē crucis Christi Gētibus p̄poneret. Et hoc facit p negatiuā, dum dicit,nō in sapiētia sermonis. Ergo in simplicitate sermonis. Nā ista est cōtrariorū natura, ut ubi alterū negat̃,alterū affirmet̃. Negat se missum esse ut euāgelizet erudito sermōe,igit̃ indicat se missum esse,ut euāgelizet sermone rudi ac simplici. Nō hic cōparatū est,ut suprà, cū Euangelio & baptismo, ubi dixit, nō ad baptizandū sed ad euangelizādum. Nam baptismus Euāgelio non pugnat, licet sit separata actio & nō proprie apostolica. Pugnat autē studium eruditi sermonis,quod hic à se reijcit Apostol⁹,studio sermonis rudis ac simplicis,quod uidemus cōsuetum esse sacræ ubiq; scripturæ.

NE inanis reddatur crux Christi.]

Crucē Christi uocat mortē Christi & redemptionē nostrā,quæ est per mortē Christi. Illam cōmendaturus à uirtute,cōtra studiū Apostolorū,nō simpliciter dicit ne inanis sit nostra redemptio,sed, ne inanis reddatur crux Christi. Conatur enim etiā ipsū mortis genus, mysterij gratia,cōmēdare & extollere, adeoq;, ut & supra cœpit,aperte ac fortiter meminit crucis Christi,de qua erubescebāt sectarij. Sic & alibi dicit,Ego autem nihil uolo scire nisi Christū Iesum & hunc crucifixum. Item à me absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi.

NE inanis reddatur) ἵνα μὴ κενωθῇ. Ne euacuetur: Quæ euacuātur inania reddūtur,ut inania oua & inanes nuces sunt,in quibus nihil est solidi. Ita per hāc metaphorā p̄ponit nobis crucē Christi,id est mortē Christi,uelut plenū copiæ cornu,unde hauriam⁹ cognitionē diuinæ uolūtatis,dilectionis immensæ,uitā ac felicitatē uerā & sempiternā,iustificationē, pacem & gaudiū: quæ omnia in hanc crucē thesauri instar collocata sunt, ita ut qui ista tollat & obscuret, recte dicatur euacuare crucem Christi quantum in se est,licet interea sit omniū cęlestibus bonis plenissima credentibus.

Iā ergo caussam reddit, quare nō sit missus, ut erudito sermone prædicet Euāgelium Christi,sed rudi ac simplici, uidelicet,ne inanis reddatur crux Christi,quod iā nō esset agere Apostolū Christi sed Satanæ, nō Euāgelij doctorē sed falsificatorem. Quid enim aliud est,qui uel ut marsupium suum refertum reddat,uel mētē inani gloria tumidam,ita prædicat Christū ut inanem faciat illius crucē,unde mortalibus omnis constat spes salutis ac uitæ.

Docet ergo,quatenus nō agnoscat studiū elegātis & compositi sermonis,& quale, ne putemus usum & artificiū eloquētiæ ab Apostolo prorsus dānari. Nō agnoscit etiā opes & potētiā cū tamē sint bonæ Dei creaturæ. Hactenus in ministerio nō agnoscit eloquentiā, & asserit sermonis simplicitatē, quatenus nō euacuetur,sed probe dispensetur gloria & uirtus crucis Christi. Vbi res agitur nō Euāgelij & regni Christi,sed mundi huius negocia dispēsantur, ibi certe locum habet fucus & uis eloquentię, locū habent rationes & persuasiones humanę sapiētiæ,ut quod res ipsa forsan,sua ueluti nuditate absq; ullo fuco & artificio p̄posita obtinere nō potest, obtineat belle cōposita & eleganter

ganter structa. Vbi uero proponēdū est Euangelium Christi, crucis mysterium, opus diuinę uirtutis in Christo, ibi non habet locū artificiū eruditi sermonis, sed simplicitas rudis & incōpositæ dictionis, ubi exigitur fides in Christū, ibi locum nō habet humanæ sapientię λογισμοί, & enthymemata. Quare? Ne euacuetur gloria crucis Christi, & statuatur gloria sapientiæ carnis: ne fides nostra in Christum debeatur magis rhetoricis persuasionib⁹ quàm uirtuti gratiæ Christi. Defectus & infirmitatis indicium est, ubi opus est externo & accessorio apparatu. Mulier uenusta & honesta, quæ natiuo decore commendatur, nihil opus habet, ut fucis ornetur. Turpis uero & inhonesta, opus habet ut belle cōpta fucata & composita procedat, ut quod nō potest naturali & propria pulchritudine obtinere, obtineat aliena & emēdicata, cui si demas ascititium ornatum nihil aliud relinquit quàm ipsa turpitudo & deformitas.

Interea tamen non est putandum locum hic dari ineptæ illi barbariei, cui affine fuit, imò deditum præteritum sæculum, quam magis uocare licet sermonis confusionem ac corruptionem, quàm simplicitatem. Vt enim non est probandum in ministro Euangelij, si studeat rhetorico dicendi artificio, ut magis rationi humanę plausibilem quàm homini Christiano credibilem sermonem componat, quo nō tam Christo quàm sibi gloriam quærat, ita probandum non est si impure, incondite, confuse, corrupte ac peruerse dicat, ita ut neq; seipsum probe intelligere queat. Candor & puritas sermonis, uocum scilicet & sentētiarum, ut intelligi posis quid dicas, tam abest, ut reijciatur ab Euangelio Christi, ut magis requiratur. Neq; enim hoc quærit Apostolus à ministro Christi, ut sit barbarus & ineptus, sermone corrupto & obscuro, sed ut simpliciter & pure Euangelij & crucis Christi doctrinā proponat.

Cauendum itaq; omne studium non solum dicēdi, sed & quodcunq; aliud, quo crux Christi euacuatur. Astutia Satanę nobis nōdū satis est obseruata. Nō est putādū nullā illi esse methodum euacuādi crucem Christi, nisi per studium eloquētiæ. Euacuat mille modis. Quisquis Christianam religionē fundat opibus & potentia mundi, quod iā olim cœperunt & fecerunt Rom. Pontifices, is certe euacuat crucē Christi. Quisquis humanas uires & humana merita docet in religione Christi, euacuat crucem Christi. Quisquis nostram satisfactionem pro peccatis docet euacuat crucem Christi. Quisquis ueritatē carnis Christi negat, quod plerique hæreticorum fecerunt, euacuat crucem Christi. Quisquis etiam id quod in ipso Christo gloriosum est & cœleste ita admiratur, complectitur, & prædicat, ut interea negligat crucē Christi, in qua una gloriatus est Paulus, ut sensim credentiū animos à uirtute crucis Christi, per quam saluamur auocat, ita mirabili consilio Satanæ præpostera gloriæ Chri-

A sti commendatione gloriā crucis Christi euacuat, & in ipso Christo Christum destruit.

Nam sermo crucis, ijs quidem qui pereūt, stultitia est, & nobis qui seruamur, potentia Dei est.

Per distinctionem declarat quatenus sit sermo crucis stultitia, quatenus uirtus & sapientia Dei. Potest etiam exponi per ἀνθυποφοράν, uel per cōcesionē. Fugiebant pseudapostoli scandalum crucis Christi, malentes mundo quàm Christo placere, adeoq; nouam & doctrinā & doctrinæ formā, quæ plausibilis esset humanæ sapientiæ, introducebant. Hanc illorū stultitiam notans, concedit primum, sermonē crucis stultitiam esse quibusdam, uerum talibus, quorū nulla debebat esse ratio ministro Christi, idq; nō ex uicio doctrinæ crucis, sed eorum quibus illa pro stultitia reputatur, alioqui uirtutem esse Dei, ijs qui saluantur. Vt si uelis uino laudem uindicare, cōtra illius calumniatores, dicas: Vinum quidem noxiū est, sed febricitantibus, sanis autem plurimū adfert & utilitatis & iucūditatis. Aut si honesti uiri nomē & gloriam cōtra illius osores asserturus dicas: Displicet quidē & male audit, sed apud reprobos, probis uero admodum cōmendatur. Hic duplici nomine cōmendatur uir honestus. Primum in eo quod bonis placet, deinde non minus in eo quod malis displicet, quibus displicuisse multa est laudis portio. Ita & hoc loco B Apostolus quod putabatur cedere ad ignominiā crucis Christi, declaratione ac diuisione sua conuertit in illius gloriā. Quasi enim obiecturi essent: quid iactat nobis doctrinam crucis, quasi magnus in illa recōditus sit sapientię thesaurus cum sit stulta? occupat dicens: Nam sermo crucis, ijs quidem qui pereunt, stultitia, & nobis qui saluamur, potentia Dei est.

Tuetur ergo gloriam & uirtutē crucis Christi, quam innuerat dicens, ne inanis reddatur crux Christi. Quod aliunde inane potest reddi, in se utile sit necesse est. Quod enim in seipso est inutile, extrinsecus non potest reddi inutile. Scelestus homo à nemine potest scelestus reddi. Ideo declarandi eius gratia, scandalum stultitiæ quod cruci Christi aliunde impingebatur, amolitur, imò in laudem & gloriam illius uertit dicens: Nam sermo crucis, fateor, stultitia quidem est, sed perituris. &c.

1 Illud, POTENTIA Dei est] bifariam potest exponi. Aut enim intelligēdum est, Sermonē crucis haberi pro uirtute Dei, ab ijs qui saluantur, sicut habetur pro stultitia à pereuntibus, atq; ita & Hieronym⁹ & Ambrosius exponūt, aut intelligendum est, quod ijs qui saluantur reipsa sit Dei potentia, non solum æstimetur, secundum illud. Rom. 1. Non me pudet Euangelij Christi. Potentia siquidem est Dei, ad salutē omni credēti. Nā utrūq; uere de Euāgelio Christi enim dicitur, nō solum quod in se ipsa sit uirtus Dei crux Christi, sed quod qui saluantur, per uirtutē illam Dei, quæ in prædicatione Euan-

ne Euangelij operatur, saluentur. Et hoc sensu poterimus sic legere, at potētia Dei nobis est, qui salutem per illum consequimur. Sicut statim dicit, Placuit Deo, ut per stultitiam prædicationis saluos faciat credentes.

SERMO crucis.] Notandum hic est quomodo uocet Euāgelij prædicationem sermonem crucis, id est sermonē de cruce Christi. Quod enim de cruce Christi prædicatur, id uocatur sermo crucis. Epitheton hoc Euangelij diligēter obseruādum est, & penitius omnium Christianorum mentibus insculpendum, ut sciant quando uere uel prædicent uel audiant Euangelium Christi, nempe quādo sermonē crucis Christi quo uisum est Deo saluare credētes, ꝑdicāt uel audiunt, ne se ullo pacto abduci sinat uel ad splēdidiora uel ad sublimiora, quod Corinthijs ꝑ pseudapostolos usuuenerat, qui relicto sermone crucis plausibiliora proponebāt.

STVLTITIA est pereūtib⁹.] Qua in re uidebatur sermo crucis stultitia pereūtibus? Nam oportet illi aliquid inesse, quod incredulorū iudicio stultitiā sapiat. Crucifixus ille prædicabatur ab Apostolo filius Dei, prædicabatur saluator mundi. Iam utrunq; uidebatur mūdi sapientibus summā referre stultitiā, uel hoc scilicet credere de filio Dei quod crucifigi sustinuerit ac potuerit, uel credere de homine per infirmitatē cruci facto obnoxio, quod esse posSit aliorū saluator, quum seipsum saluare nequiuerit. Ita enim & Iudæi dicebant, Alios saluos fecit, & seipsum non potest saluare. Offendebat ergo omnino incredulos, mundi sapiētes, sermo iste crucis, utroq; nomine, cū prædicās de crucifixo, quod sit filius Dei, tum affirmās, quod sit saluator mūdi. Si Deus est, inquiunt, quid poterit stultius excogitari, q̄ Deū cruci affixū, se non potuisse liberare è manibus mortaliū? Si homo est, & ita infirmus, ut crucē effugere nequiuerit, quid & hic stultius fingi poterit, quā credere hominē crucifixū, omnes mortales saluare posse, etiamsi quàm maxime iust⁹ fuerit, cum sibi ipsi saluator esse nequiuerit?

QVI pereunt, & qui saluamur.] De discrimine electorum, & reproborū, hoc est, pereuntiū & saluandorū, notādus est hic locus, quomodo queat utraq; pars agnosci, pereuntibus dicit sermonē crucis esse stultitiā, ijs qui saluantur, Dei potentiā. Cupis scire ad utrā partē pertineas, expende quid tibi uideatur sermo crucis. Si stultitia, signū est, quod de pereuntibus sis. (Qui omnē medicinā & cibū respuit facile moriturus intelligitur.) si potentia Dei, indiciū est, quod ad salutē ꝑtineas. Et unde aliàs habet Apostolus istā certitudinē qđ dicit, nobis q saluamur, nisi ex eo quod fide Christi Iesu credentes agnoscunt in cruce Dei potentiā? Tam abest ergo, ut odio habeamus Euāgelio reluctantes, ut magis cōmisereamur, tanq̄ manifesto indicio pereūtes. Videm⁹ præterea hic fieri nō posse, ut sermonem crucis agnoscant, qui electi nō sunt. Verum de electis ac reprobis peculiaris locus in locis nostris erit.

A Scriptū est enim: Perdā sapiētiā sapiētium, & intelligentiā intelligētiū reijciā. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi disputator sæculi huius? Nonne infatuauit Deus sapientiam sæculi huius?

Per scripturas fidem facit uerbis suis. Citat duos locos ex propheta Esaia. Prim⁹ ex capite 29. alter cap. 33. Quid ergo confirmat eorum quæ præmisit? Præcedentia duo habuerunt, unum, quod sermo crucis stultitia sit pereuntibus. Alterum, quod potentia Dei sit ijs qui saluantur. Ex his uero sequitur quod doctrina crucis quæ prædicatur ad salutem mortalium talis sit, ut iudicio sapiētiæ humanæ compræhendi & agnosci nequeat. Iam qui Euangelio reluctantur iniquum putant talem institui uiā ad salutem, quā humanus intellectus assequi nequeat, adeoq; putāt hoc deo adscribi nō debere. Et hodie quoq; Iudęi dicūt se credere nō posse, quod Deus tam occulto & obscuro modo mittere uoluerit filium suū ut non potuerit agnosci, cum hoc nihil sit aliud, quàm illudere mortalib⁹, promisSiones scilicet ita seruare, ut nemo uoluerit eas agnoscere. Necesse ergo habuit Apostolus scripturarum testimonio probare hoc esse prædictum per spiritum sanctū quod in illis diebus, ubi opus redemptionis perficeretur, ratio saluādi talis futura esset, quā sapiētia sæculi huius nō agnosceret. Ideo hos prophetæ locos inducit, ne quisquā calūniari queat quod è suo capite ista confingat.

B PERDAM sapientiam.] quod ad historiam attinet, minatur Deus populo suo tā intolerabile exitiū per Assyrios, ut nihil sint inuenturi remedij etiam sapientes & intelligentes inter ipsos. Et illud, ubi sapiens? cap. 33. insultatio est liberatorum contra obsessores urbis Ierosolymæ. Nam pollicetur propheta liberationē populo ab obsidiōe ista graui regis Sancherib, ita ut sint liberati iam insultaturi illis, quos antea metuerāt, ac dicturi, Vbi iam est scriba? ubi est quæstor? ubi est scriba Palatiorū? Nam antea dederant regi Assyriorum tributū, quo negato per Ezechiam, ortum erat id belli. Sed hac de re in Cōmētarijs nostris super Ieshaiā. Quod ad lectionē attinet posterioris huius loci, Apostolus neque Ebræa neq; Septuaginta sequutus est, sed magis sensum pro sua libertate expresSit quàm uerba. Nā in Ebræo ita habetur איה ספר איה שקל איה ספר את המגדלים .i. ubi scriba? ubi pōderator? ubi scriba turriū? Septuaginta uero sic πῶ εἰσὶν γραμματικοί; πῶ εἰσὶν συμβουλεύοντες; πῶ ἐστὶν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συντρεφομένους μικρὸν καὶ μέγαν λαόν; Proinde quidā putāt hęc Apostoli esse uerba non alicuius scripturę. Nā nisi unica interrogatiuncula est quę quadrat, nempe, ubi est scriba? reliqua diuersa sunt. Quod enim dicit, ubi est sapiens? nec est in Ebręo nec in Græco. Iterū, ubi est inquisitor sæculi huius, nec est in Ebræo & ipsum nec in Gręco. Et ꝑterea etiā id quod cōgruere uidetur, uerbo tātū cōgruit nō sensu. Nā scriba ספר Ebr. & Gręce, γραμματικός

τινὸς in propheta nō ad sapiētiā, sed ad officiū illud quæsturæ pertinet, qđ magis potestatis quàm sapiētiæ authoritate ualebat, in Apostolo uero γραμματεύς, idē est quod literatus & doctus, ut cōgruat præcedēti, ubi est sapiēs? & sequenti, ubi est disputator sæculi huius? His de causis ꝓpe assentior illis, qui putāt hāc insultationē cōtra mūdi sapiētes mere esse Apostoli nō scripturæ uerbis cōtextā, quam præmisso scripturæ loco cōmodū subiecit, tanquā ex illo natā. Instat enim, & urget, ueritatē huius prophetæ cōspicue adimpletā euincens. Quasi dicat: An nō conspicuum est quod ꝓpheta dicit, hoc nostro tēpore, in hac Euāgelij Christi causa? Nēpe q̃ sapientiū Deus sapiētiā perdiderit. Date mihi aliquē sapiētē, date literatū, date Sophistā aliquē & acutū disputatorē, quæso quid adfert in hac causa? Primum, nō intelliget, sed magis explodet. Deinde q̃ adferet ex sapiētiæ penetralibꝰ plane stulta erūt, nec quicq̃ faciēt ad uerā salutē. Et hoc est, quod ꝓpheta dixit, quod ad oculos iā adimpletū uidemꝰ, ut sapiētiam mundi huius Deus infatuauerit.

Nō est aūt putandū q̃ iudiciū hoc Dei, quo mūdi sapiētes in cognitione Christi appræhēdenda infatuantur, iā olim finē ceperit, cū ipsa causa adhuc duret, & sapientia mundi eadē sit quæ tū fuerit. Proinde quēadmodum suo tempore Corinthios Apostolus cōtra hoc scandalum, quod Euāgelium crucis à sapiētibus mundi reprobatur, hoc prophetæ loco muniuit, ita & nos hodie cōmuniendi sumus similibus locis, ne offendamur, cū uidemus neminē ita reluctari doctrinæ Euāgelicæ atq; mundi huius sapientes, quales eos hic describit Apostolus, uocās literatos & disputatores. Deinde uidemus etiam hic quàm sit periculosum homini Christiano eximium fieri in mundana sapiētia & eruditione, cuius nostro quoq; tēpore conspicua sunt documenta. Et præterea, q̃ non sit sperandū causam religionis suo fore loco per literatos & disputatores restituendam.

Illud, NONNE infatuauit Deus sapientiam huius mundi?] Bifariā exponit͏̃. Primū, ut idē sit, atq; infatuatā ostēdit. Sic exponit Chrysosto. Nec insolēs est ista loquutio, ut dicatur infatuare aliquē qui fatuū esse declarat & cōuincit. Ita nos Germani dicimus. *Du must mich zum dieb machen*, hoc est, probādū tibi erit, q̃ uere me furē uoces. Ad hūc modum ꝑ sermonē crucis declarauit deus & manifestū fecit sapiētiā mūdi huius prorsus stultā esse in rebus diuinis ad salutē pertinentibus, ubi cōpertū fecit, eos potissimū offendi cruce Christi, qui reliquis sunt sapiētiores. Deinde ita exponitur, ut non solū declarauerit hoc Deus ꝑ sermonem crucis, sed & ipse effecerit, id est ipsam sapientiam excæcauerit singulari iudicio, dum studio cōsilium uoluntatis suæ ab ipsis abscondit, Matth. 11. ut uidentes non uiderent. Iohan. 9.

Nec emphasi caret, quod non dicit: Nónne Deus sapiētes huius mūdi infatuauit, sed nónne sapiētiā, &c. Nā si dixisset sapiētes, mox cogitaret aliquis, Apostolū nō de omnibꝰ sed de sui tātū tēporis sapiētibus, forsan stupidioribꝰ loqui. Vbi uero dicit ipsam sapiētiā infatuatā esse à Deo ꝑ sermonē crucis, apertū est stultitiæ dānari in rebus diuinis uniuersam sapiētiam, quā & Cicero lib. 2. de finibꝰ uocari posse dicit rerū diuinarū humanarūq; sciētiā. Et Basilius homelia de prouerbijs Salomonis sic definit: ἐστὶ δὲ σοφία ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τῶν τούτοις αἰτίων. Huc etiā pertinet quod dicit sapiētiā mundi huius, & nō sapientiā aliquorū philosophorum, ut includat omnē ætatem, omne sapientiæ genus, & nihil relinquat planè iudicio & intelligētiæ rationis humanæ, ut uerum sit illud Christi, Nemo cognouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

Nam quoniam in sapientia Dei non cognouit mundus per sapiētiam Deum: uisum est Deo per stultitiā prædicationis saluos facere credentes.

Rationem asignat, cur Deo uisum sit talē salutis uiam inducere, quam mundi sapientia non agnosceret. Quoniam, inquit, mundus in sapientia Dei, per sapientiam suam Deum nō cognouit. Habet autem ista αἰτιολογία duas partes. Primum quid Deo uisum sit, deinde quare hoc uisum sit.

VISVM est Deo, inquit, per stultitiam prædicationis saluos facere credētes.] Stultitiam prædicationis Ebraico more uocat stultā prædicationem. (Intelligit autem sermonem crucis) quam non ideo sic uocat, quod sit stulta, sed quod uel stulta uideatur sapientibus huius mundi, uel quod stultos iuxta mundū exigat, quos saluet, ut & infra cap. 3. admonebit, cum sit ipsa sapiētia Dei & uirtus Dei. Et huic stultitiæ pulchre conuenit, quod non dicit, saluos facere intelligentes, scientes, sapiētes, exquirentes, disputantes, sed credentes, hoc est, stultos, iuxta rationem mundi. Nam illius iudicio stultum est aliquid pro certo appræhendere, ubi nullæ asignantur rationes & persuasiones, sed simpliciter exigitur, ut credas. Et reuera in rebus mundi ita habet, unde & plerunq; huiusmodi stulti, omnia credentes, facile falluntur. In rebus uero diuinis ubi Deo creditur, nō ita. Nam illic Deo creditur omnium ueracissimo, qui neminem fallit.

Deinde, Cur ita Deo uisum est? Quoniam in sapientia Dei, &c. Sapientiam Dei uocat, constitutionem istam cœli ac terræ & omnium quæ in illis sunt, quæ omnia sapientissime sunt condita, siue res ipsas, siue rationem & causas earum, siue effectus & utilitatem, siue ordinem, harmoniam, & constantiam, siue magnitudinem multitudinemque infinitam, deinde & splendorem ac pulchritudinem (unde & κόσμον id est ornatum uocarunt) respicias, ut nihil aliud expendenti occurrat, quam immensa quædam & incompræhensibilis opificis huius & sapientia & potentia,

quam admirari & suspicere possis perscrutari nō possis. Per huius sapiētiæ Dei prædicationem, quæ egreditur etiamnum in uniuersum orbem, mundi sapiētia Deum non cognouit, nec ut Deum coluit ut seruaretur, ideo aliam inuenit rationem, ut seruaret uel credentes & stultos, posteaquam sapientes per suam sapientiam sapientem Deum nō cognouerunt. Et hæc saluandi stultos credētes ratio, licet cedat ad infatuationē sapiētiæ mūdi, deinde ad excæcationē eorū qui illa in reb⁹ diuinis utunť, ut posit uideri iudicium quoddam irati Dei, quatenus perdūtur sapiētes in sua sapiētia, tamen in seipsa est ipsissima misericordia & gratia beneuolētis Dei, & cōsultū cupiētis humano generi. Vnde ut uerbo εὐδοκεῖν usus est Apostolus, qđ significat beneuolētiæ cuiusdā cōsiliū, quā beneuolētiā Dei erga homines expresserunt & angeli in natiuitate Christi. Qua in re perinde fecit Deus, atq; si ciuitas quædā lōgo tēpore liberalitatē regis ꝑ quā fuisset in libertate cōstituta, non sustinuerit agnoscere ut & grata esset, & regē ex animo coleret, adeoq; digna iā esset, q̄ ingratitudinis & socordiæ merito periret: Rex uero quia nōdum luberet uniuersam delere, sed quouis modo ad meliora reducere cōsilio mutato libertatē adimeret, & salutē ita ꝑmitteret, ut in seruitutē redacti obediētes seruarentur. Quis nō reges huius simul & sapiētiā & beneuolētiā iuste deprędicaret? Quis diceret factū esse animi irati, etiā si postea inobediētes, & libertate pristina ꝑ rebellionem utentes merito perirēt? Ita plane uidetur habere cōsilium hoc Dei, cuius Apostolus hic meminit. Ex hoc ergo colligimus ista duo. Primum, nō esse aliā saluādi rationem, quàm istā quæ est per stultitiā prędicationis, qua saluantur credentes, ut merito pereant, quicunq; alia uia salutem quærunt.

Alterū, in causa salutis nostrę exigi stultitiā hanc, qua nō scrutemur, nec rationes exquiramus eorū quæ per Euāgelij prędicationē proponuntur, sed captiuato omni rationis intellectu, imo repugnante, cedamus in obsequium & seruitutem fidei.

Hæc duo cōsyderata, adimunt credentibus offendiculū illud quod in sermone crucis per mundi sapientiam Corinthijs obijciebatur, & perpetuo obijcitur, ita ut iam nemo Christianus offendatur, si uiderit Euāgelicam doctrinā, stultitiæ instar, à sapientibus mundi huius explodi, sed magis stupeat & admiretur, si uideat aliquem ex sapientibus illam amplecti.

Videmus etiam hoc loco, q̄ iustum iudiciū iræ Dei maneat eos qui doctrinā Euāgelij respuunt, & hanc diuinæ beneuolentiæ rationē ad humani generis salutem propositā explodunt, sicut & Iohānes dixit: Qui nō credit, ira Dei manet supra ipsum. Nullam enim possunt habere excusationem increduli, siue sapientes siue stulti iuxta sæculū. Sapientes quia dono Dei abutuntur, & in sapiētia sua Deū nō agnoscunt nec colunt, sed summā Dei sapientiā cō- A temnūt. Stulti quia cōsilium Dei, ad hoc temperatum, ut ad salutē accedere liceat, absq; ullo sapientię carnis adminiculo, nec quicquam exigatur quàm ut credatur, ad quam rem appositissima est stultitia iuxta mundum, & ipsi contēnunt. Vt ergo rex ille cuius suprà memini merito perderet inobedientem ac rebellem ciuitatem, quæ nec libera, nec serua dominum suum agnosceret, ita & mundus à Deo omniū iustissime damnabitur.

QVAESTIO I.

Sed quærat forsan aliquis, quomodo mundum dicat Apostolus Deum in sapiētia sua per sapientiā nō cognouisse, cū idem ipse Apostolus Rom. 1. dicat sapientes Deum per uisibilia opera illa cognouisse. Notādum est hic, duplicem esse cognitionem Dei. Vnam, generalem illam quæ est communis omnibus ex opificio Dei omniū illustrissimo. De ea loquitur Apostolus Rom. 1. Illa non saluat, licet excusationē adimat. Alterum, specialem hanc, quæ est diuinæ uoluntatis in Christo cognitio, & ad salutem facit. Hanc scilicet non cognouit mundus per sapientiam suam in sapientia Dei, de qua, hic locus est.

QVAESTIO II

Deinde quæri potest, quomodo dicat Deū cōsilium hoc stultæ prędicationis tum inijsse, posteaquam mundus per sapientiā suā Deum in sapientia Dei non cognouit, cum alibi consilij huius mysterium fuisse ab æterno abscon B ditum in Christo Iesu, & electos ante constitutionē mundi ad uitam in Christo prædestinatos esse doceat Ephes. 1. Respondeo. Loquitur de Deo humano more, ut & scriptura facit Genes. 6. & multis alijs locis. Sic quoniam ubi cœpit Euangelium tum primum uisa est mutata saluandi ratio, ideo dicit Deum consilium hoc cepisse, cū tamē tia prædestinarit à sæculo, ut infra 2. Loquitur ergo hoc loco Apostolus secundum temporis rationē, de eo quod in tempore cœpit, & secundum ordinem dispēsationis diuinæ, non secundum abditissimam consiliorum Dei abyssum, in qua latet huius consilij principium.

Quandoquidem & Iudæi signum postulant, & Græci sapientiā quęrunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixū Iudæis quidem offendiculū, Græcis uero stultitiam, sed ijsdem uocatis, Iudæis pariter & Græcis Christum Dei potentiam ac sapientiam.

1 Declaratio est superiorum. Dixerat sermonem crucis stultitiam esse pereūtibus, deinde per stultitiā prædicatiōis saluos fieri credētes. Iā declarat qua ratione prædicatio Euangelij, sermoq; crucis perituris sit stultitia, quos diuidit in Iudeos & Gręcos. Quoniā inquit Iudæi increduli signum postulāt, & Græci sapientiā quærūt. Nos aūt ꝑdicamus crucifixū Christū, in quo Iudæi quæ petunt signa nō inueniunt,

nec

nec Græci quã quęrunt sapientiam, ideoq; Iudęi in eo offenduntur, & Gręci pro stultitia habent, quod de Christo prædicamus. Et hac ratione impediuntur ne Christũ fide appræhendant. Obserua, quod eos quos uno uocabulo perituros uocauit, iã uocat Iudæos & Græcos, p quos nõ modo & cæterarũ nationũ incredulos cõprehendit, sed & omnẽ totius mũdi sanctimoniã pariter & sapiẽtiam pstringit, eiusq; dementiæ damnat, quod Christũ sapiẽtiam ac potentiã Dei, ppostero certitudinis studio seducti, signaq; & sapientiã quærẽtes, respuãt & auersentur. Quid ergo pręterea habet in se mũdus hic eximium, quod accõmodum sit regno Dei, quãdo potisſimæ illius nationes, Iudęi ac Græci, cũ sanctitatis, tũ sapiẽtiæ nomine cõspicuæ, offendiculum ac stultitiã inueniunt in eo in quo Deus summã uoluit esse potentiam ac sapientiam omnibus in ipsum credentibus?

Quid est autẽ signum & sapientiã quærere? Est nolle credere uerbo Dei, sed uelle certitudinẽ habere talẽ, quã ratio queat appręhẽdere. Ergo qui signa & sapientiã quærũt, fidẽ crucis Christi respuunt, in qua ipsorum iudicio inueniunt stultitiã & impotentiã, atq; ita offendũtur ac pereunt. Vocati uero id est credentes, in cruce Christi inueniũt sapientiã & potentiam Dei, dũ credunt se morte Christi à morte liberatos & ad uerã uitã assertos, q̃ Dei sapiẽtia & potẽtia ab incredulis intelligi non potest, quia non humana ratione, sed fidei sensu capitur, iuxta illud, Nisi credideritis non intelligetis.

5 Quid est autẽ quod Iudæis signa petẽtibus in Christo ter miraculis referto non potuit satisfieri? Hoc scilicet est, q, signa uel nõ quęrunt ex animo, uel nõ ea quęrũt q̃ uirtute Dei facta sunt in Christo sermonem suũ confirmante sequentibus portentis, sed peculiaria quædã, ut ab ipso Christo quoq; signũ de cœlo petebant. Matth. 16. id quod nihil erat aliud q̃ hypocritica & subdola cõtra ueritatis agnoscẽdę lucem tergiuersatio, cui nullis etiam signis, utut immensis & infinitis, satisfieri poterat.

Videmus ergo, q̃ animis excæcatis ac pertinacib⁹ nequeat ullis quantũuis magnis signis & portẽtis ad hoc satisfieri, ut lucem ueritatis agnoscãt & amplectanť. Quid ergo quęrũt hodie, q ad pdicationẽ Euãgelij signa postulant?

Dicet quisq̃. Ergo ne usq; adeo illicitũ est signa quærere, ut hoc nomine digni sint qui pereant, quotquot ad certitudinẽ ueritatis acquirendã signa poscũt? Quid est ergo quod Achas ppterea in scripturis culpať, quod signũ à Deo petere nolebat? Respondimus ad hãc quęstionem in commentarijs nostris super Ieshaiam cap. 7. Multũ refert quare & quomodo signũ petas à Deo uel nõ petas. Si ut Iudęi increduli, facis rem illicitã, si ut Ezechias, & Gideon, tã non peccas ut etiam quod petis impetres.

4 Illud, Christum Dei sapiẽtiã & uirtutẽ, de Christo crucifixo, deq; illius cruce & morte intellige. Nã, ut & Hierony. hic admonet, nõ loquiť de Christi diuinitate, sed de mysterio, dispẽsatione, & uirtute crucis, in qua & Iudęi offendunť & Græci stultitiã inueniunt, credẽtes uero Dei sapiẽtiã & uirtutẽ, ad saluãdũ uidelicet. Quod dicit, ijsdẽ uocatis Iudæis pariter & Græcis, facit ad discretionẽ earũdẽ gentiũ incredulorũ & fidelium, ne ipsos populos totos reprobatos esse putemus. Fideles uocat uocatos, cũ tñ in genere uocari uoluerit oẽs, ipseq; Christ⁹ dixerit, multi uocati, pauci uero electi, unde cõstat, nõ uenisse ad fidem Christi quotquot sunt uocati. Vocatos ergo hic intelligit eos, quos De⁹ ad salutẽ destinauit, ideoq; singulari gratia ad regnũ suũ uocari uoluit, quomodo & Ro. 8. legim⁹, quos pdestinauit hos & uocauit, quos uocauit, hos & iustificauit, non eos de qb⁹ dictũ est, q uocati sũt nõ erãt digni.

Quoniam stultitia Dei sapientior est quàm homines, & imbecillitas Dei robustior est quàm homines.

1 Hoc pertinet ad id qđ dixit uocatis Iudęis pariter & Græcis Christũ crucifixũ esse uirtutẽ & sapientiã Dei. Ratio est, inquit, q, id qđ stultum putatur in Deo & infirmũ, uidelicet quòd pdicamus filiũ Dei crucifixũ q̃ res Iudęis infirmitas, Græcis stultitia uideť, sapientius est & potẽtius q̃ sit ulla sapientia & uirtus humana. Quare? Quia qđ nulla potuit pstare sapientia nullaq; potẽtia mũdi, hoc pstitit crux Christi. Morte, peccatũ & regnũ Satanæ destruxit, iusticiã & uerã felicitatẽ cũ sempiterna uita inuexit, qđ nec Iudæorũ sanctimonia, nec Græcorũ philosophia unq̃ potuisset efficere. Sed ista crucifixi sapiẽtia & uirt⁹ incredulis est abscondita, & tamen à credentibus agnoscitur.

2 Exponunt quidam hunc locũ etiã de sapiẽtia & uirtute pdicati Euangelij, quo tot⁹ orbis innouat⁹ est, & cõferũt hic imbecillitatẽ philosophiæ in ipsis capitib⁹ Platone & Socrate, cũ uirtute Euãgelij, declarantes q̃ illa nihil, ista tã immensa effecerit. Vide hoc loco Chrysost.

Videtis enim uocationem uestrã fratres, quod non multi sapientes.

1 Probat qđ dicit p cõditionẽ eorũ quos uocatos suprà dixit. i. credẽtes in Christũ. Exponunt aũt ista bifariã. Primũ, de cõditione ministrorũ Euãgelij, quales illi fuerint, nẽpe homines idiotę qđ ad sæculũ attinet, rudes, tenues, imbecilles, ignobiles, quorũ tñ ministerio & doctrina tãta ad fidẽ Christi hominũ multitudo cõuersa & saluti ac uitæ æternæ asserta est, de quibus nemo suspicari potest, q, ullis humanæ sapiẽtiæ persuasionibus aut potentiæ uiribus res tãtas in toto orbe effecerint, quib⁹ nec potẽtia, nec sapientia mũdi resistere potuit, ut cõspicuũ sit argumẽtũ diuinæ sapiẽtiæ & potẽtiæ in cruce Christi declaratę. Hic scilicet declaratũ est, quomodo stultitia Dei sapiẽtior, & ĩbecillitas Dei robustior sit hoĩb⁹. Quadrat huc pulcherrimũ illud exẽplũ cuiusdã philosophi q cũ nullis potuisset disputatiõib⁹ & Syllogismorũ retinaculis ad fidẽ Christi duci, simplicisſima Euangelij Christi pdicatione p rudem

quendam episcopū persuasus credidit, de quo Euseb. in histor. Eccl. lib. 10. cap. 5.

2 Quidam uero exponunt non de ministrorum qualitate, sed in genere, de qualitate Christianorum, quos Deus uocauerit rudes, pauperes, ignobiles, infirmos, & nullos quod attinet ad sæculum & ad collationem eorum, qui ueritati Euangelij potissimum reluctabantur, sapientes, potētes, nobiles, &c. Et hoc sensu pulchre medetur Apostolus ei scandalo, quod patiebantur credentes, propter uilitatē ac tenuitatem conditionis suæ, & splendorem aduersariorū, dū ostendit ita uisum esse Deo, ut tales potissimum eligat, in quibus per prædicationis Euangelicę stultitiā, suam declaret sapientiam & potentiam.

3 Illud βλέπετε uetus reddidit per modum imperandi, uidete. Erasmus uero, modo indicandi, uidetis, & addit etiam rationē, cur melius sit uidetis q̄ uidete. Videlicet quod nō fuerint necesse admonere ut uiderēt, quod alioqui uidebant, sed quod uoluerit Apostolus rē perspicuam & claram argumenti uice ob oculos exponere. Verum nihil puto quicquid id est rationis impedire, quo minus queamus legere uidete æque atq; uidetis. Nō enim simpliciter admonet ut uideāt quod manifestū est, sed ut diligentius consyderent, & in eo diuini cōsilij rationē, & hoc ipsum, de quo loquebatur, expendant, ad quem sensum nō male quadrat si legamus, uidete uocationem uestram.

4 Notandū interea est, quod nō dicit nullos sapiētes, potētes, nobiles, &c. elegit Deus, sed nō multos, ne putemus in uniuersum omnes tales esse abiectos. Aliquos enim certe tales elegit, sed non multos. Rationem subiunget.

5 Ad hæc & illud est notandum, quod uerbo eligēdi utitur, ubi de uocatione loquitur fidelium, ut intelligas eum loqui, non de ea uocatione quā Christus innuit dicēs. Multi uocati, pauci electi, sed de ea, quam hic idē Apostolus Rom. 8. ponit, cum dicit: Quos prędestinauit, hos & uocauit, quos uocauit, hos & iustificauit, quæ est electorum tantū, quemadmodum & iam antea annotauimus.

Vt pudefaceret sapientes, potentes, & obliteraret ea quæ sunt, ne gloriaretur ulla caro coram ipso.

Rationem reddit diuini cōsilij, cur tales uocari uoluerit. Vt pudefaceret, inquit, sapiētes, potētes & nobiles & qui aliquid esse uidētur. Et ut intelligamus quis sit ille pudor, quo per uocationē humiliū, rudium, & imbecilliū afficere uoluit mundi sapientes, potētes ac nobiles, addit uerbum καταργεῖν, quod quasi exponit istum pudorem. Significat enim ignauum, iners, ociosum & inane reddere. i. ἀργὸν ποιεῖν, qd̄ fit, quando aliquid prorsus inutile redditur, ut nō præstet qd̄ ex eo sperabat̄. Est itaq; pudor iste qui mundi sapientiæ, potētiæ ac nobilitati per uocationē istam humiliū & rudium offusus est, nihil aliud quàm manifesta declaratio, A ad ueram iusticiam ac salutē non hoc præstare posse quod sperabatur, sed prorsus inutilem ac stultam esse mundi sapientiam, uanā & imbecillem esse mundi potentiam, quemadmodum per uocationem publicanorum & peccatorum pudefecit sanctimoniā pharisæorū, scribarum, & omnium iusticiariorū, ubi declaratū est, ueram iusticiā ac salutem fide appręhendētibus publicanis ac peccatoribꝰ, iusticiarijs uero & sanctulis operarijs respuētibus, ad ueram iusticiam & salutem nō facere sanctimoniam & iusticiam carnis, sed magis animi deiecti humilitatē, peccati cōfessionē, & fidei stultæ obedientiam. Ita & hic per uocationē hominū abiectorū, rudium & imbecilliū & uicissim neglectum sapiētum, potentum, nobiliū, &c. declaratum est ad cognitionem, & κατόρθωσιν ueræ iusticiæ & salutis id præstare non posse sapientiam & potētiam mundi, quod putabatur, sed plane inutilem esse & uanam.

2 Et hæc est grādis illa confusio, quā mūdus nunquā sustinet agnoscere. Nam & hodie rerū diuinarum cognitionē & uerā felicitatem, nō quærit apud rudes, idiotas, imbecilles & abiectos Christianos, quibus magis stultitiā deputat & ęrumnosam calamitatē, sed apud sapientes, doctos, potētes & nobiles. Verū ubi reuelabuntur electi & manifesta erit gloria fidelium in reuelatione Christi & filiorum Dei, tum erit & ista confusio sapiētum, potentum, nobiliū, non solum ipsis, sed uniuerso orbi quoq; conspicua, cum dicent: Ecce quos habuimus B derisui, quorum uitam æstimauimus esse insaniā, quomodo computati sunt inter electos Dei?

3 Cur autem ad hunc modum cōfundi ac pudefieri uelit Deus mūdi sapiētes, potētes ac nobiles, adhuc ampliꝰ declarat, cū subdit, ne glorieẗ ulla caro corā ipso. Isti rationi duo insunt.

1 Vnum quod superbiam carnis supprimere uoluerit Deus, illiq; omnem adimere gloriam sapientiæ, potētiæ ac nobilitatis, hoc est, quod dixit, ut pudefaceret, ut si dicas eū non esse uidētem cui quidem oculi sint, uerum licet foris aperti, intus tamē uirtute uidēdi destituti, &c. Quæ est enim ista sapientia, potentia & nobilitas, quæ ad ueram iusticiam, ueram sciētiam, ueram potentiā & nobilitatem nihil præstare potest? Tollitur ergo carni omnis gloria sapiētiæ, dum proditur esse stulta, potentię, dū manifestatur esse imbecillis, nobilitatis, dū declaratur esse prorsus ignobilis.

Corā ipso.

Et notāter adiecit, coram ipso, quod nō solum indicat carni ademptā esse gloriam nō in mundo, ubi & sapientiæ & potentiæ & nobilitatis nomine tumet & adorat̄, sed corā Deo, ubi & stulta & imbecillis & ignobilis est, uerū etiam notat gloriā carnis nō esse ueram, sed umbratilē tātū & falsam, ideo quod corā Deo, qui est ipsa ueritas nullam habet gloriam, iuxta illud, Non enim qui seipsum commendat probatus est, sed quem Deus commēdat. Nam coram Deo aliquid esse, hoc demum est uerę esse. Exuit ergo carnem uniuersam ueræ

sapientiæ

Alibi uocat philosophiã falso nominatam scientiam.

sapientiæ, potentiæ & nobilitatis gloria, cum dicit, coram ipso, & nihil illi aliud relinquit, nisi inane spectrum quoddam eius glorię quã habet in hoc sæculo.

2 Alterum est, quod uoluerit Deus omnẽ gloriã sapientiæ & potẽtiæ sibi soli uindicare, per hanc rationẽ saluandi, & ad salutẽ uocandi humiles, imbecilles, ac rudes, neglectis sapiẽtibus & potẽtib⁹. Et hoc sensu posset illud, CORAM ipso exponi per iuxta ipsum, ut intelligas Deum nolle cõmunicationem gloriæ huius permittere carni, ut aliquid uideatur cõferre de sua sapientia & potentia & nobilitate ad rationem salutis & ueræ iusticię ac felicitatis, sed causam hanc ita instituere, ut carni maneat confusio, sibi uero soli omnis honor & gloria, caro depræhendatur stulta imbecillis & ignobilis, ipse uero solus sapiens & potens &c. Sic alibi, soli sapienti Deo, inquit Apostolus, ubi de ista ineffabili sapiẽtia saluandi mortales loquitur.

4 Notandum hic est, quomodo Apostolus dictione carnis notet, & superbiæ, Deo intolerabilis, arguat omnem eam sapientiam, potentiam, iusticiam, sanctimoniam, omnes eas uires, quæ sunt extra Christum. Proinde uniuersa nostra iusticia & sanctimonia nihil est aliud quàm immũda caro, uniuersæ nostræ uires & uirtutes, nihil aliud sunt quàm imbecillis caro, & præterea detestabilis superbia, gloriam Dei, quantum in nobis est, obscurans dum illius sapientiam, sanctimoniam & iusticiam, in Christo respuit reipsa, quicquid uerbis & externa specie simulemus.

Ex eodẽ autẽ uos estis, in Christo Iesu, qui factus est nobis sapiẽtia à Deo, iusticiaq́; & sanctificatio, & redemptio, ut sicut scriptũ est: Qui gloriatur, in domi. glorietur.

Illud ἐξ αὐτοῦ bifariam exponitur. Quidam legunt, ex ipso, & exponũt, Deo patre, uel per ipsum Deum patrẽ, uos estis in Christo, uidelicet uocati. Quidam uero legũt, ex eodem, & exponunt per modum uel rationem uocationis, id est, ex eodem modo, eadem ratione eodem consilio Dei & proposito, uocati estis in Christo Iesu. Nã supra dixit: Videte uocationẽ uestram, quę expositio mihi germanior uidetur. Apparet enim iuxta argumenti materiam Apostolum nõ hoc agere, ut admoneat Corinthios à Deo uel per Deum esse uocatos, quod alioqui sciebant, & absque dubio ipsi quoque pseudapostoli haud quaquam dissimulabãt, adeoq́; ad institutũ nihil faciebat. Sed hoc magis admonere, ut intelligant quo Dei consilio & proposito ad Christum uocati sint rudes & humiles neglectis sapientibus & potentibus mũdi, uidelicet eo, de quo iam dixit, ut pudefierent sapientes & potentes mundi, nec haberet caro ulla gloriam apud Deum alicuius uel sapientiæ uel potentiæ.

Et huc pertinet, quod amplioris declaratio- A nis, imo magis cõsolatiõis gratia subijcit, memori mẽte prorsus uniuersis fidelibus retinẽdum. Qui factus est nobis à Deo sapienia, &c. id quod non solum ad propositum eorum dictũ est, quibus Christus crucifixus stultitia est iniusticia, immũdicia & perditio, cũ sit & credentibus nobis habeatur, sapiẽtia Dei, iusticia, sanctificatio & redẽptio, sed multo magis ad hoc, ut doceat ad quid & quo cõsilio missus sit à patre quod plurimum faciebat ad institutũ. Nam ex eo patebat locum in Christo non habere studium & gloriã humanæ sapientiæ, iusticiæ & sanctimoniæ, ideoq́; pseudapostolos illos magis opprimere q̃ promouere gloriam Christi. Dicit igitur: Qui fact⁹ est nobis à Deo. Intellige de humanitate & omnib⁹ illius agnatis, & uniuersa dispensatione. Secundum diuinitatem non est factus, nec factura, sed secundum humanitatẽ. Sic & alibi ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege. Qui factus est nobis. Non simpliciter. Qui factus est à Deo, sed nobis uidelicet credẽtibus. Quid enim nobis prodesset, Christum esse à Deo factum sapientiam, iusticiã, &c. Nec simpliciter. Qui factus est nobis sapientia, sed: Qui à Deo, inquit, nobis est factus sapiẽtia. Neq; enim sine isto quoque plena esset consolatio & salus. Verum ubi utraq; cõiungit, & à Deo esse factum, & nobis esse, id est, nostrum plane, factum, nihil potest adhuc desyderari ad nostrã salutẽ, cũ Christus B sit noster, & à Deo nobis datus, quãtus quãtus est. Iuxta illud: Puer nat⁹ est nobis & filius datus est nobis.

Qui factus est nobis.

5 Deinde addit, ad quid nobis sit dat⁹, q̃d in illo habeamus. Sapiẽtia, inquit, iusticiaq; & sanctificatio & redemptio. Non dicit ut per illum redderemur sapientes, iusti, sanctificati, & redempti, cum tamẽ hæc nobis per Christũ cõtingunt, & non solum hæc, sed prorsus omnia per illũ nostra sint facta, infrà cap. 3. & Ro. 8. ubi dicit: Quomodo nõ omnia nobis cum illo donauit? Sed ut ipse esset nobis, id est nostra, sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio, quod magno consilio in loco posuit, ut obtineat nobis, tãquam carni, nihil aliud relinqui quàm stultitiam, iniusticiam, immũdiciam & perditionem, & omnem nostram sapientiam, iusticiam, sanctificationem & redemptionem esse in capite Christo, ut cõnectat nos Christo tanquam capiti perpetua necessitate, ita ut hactenus simus, & tamdiu, iusti, sancti, sapientes, & redẽpti, quatenus & quãdiu fide permanserimus in Christo ad sapientiã, iusticiã & sanctificationẽ & redẽptionẽ nobis à Deo dato.

Fastidiat ergo necesse est hãc à Deo nobis datam sapiẽtiam qui de alia gloriatur, aliãq́; sitit. Ita & de iusticia sanctimonia & redemptione.

Duo itaq; hic innuũtur. Vnũ, omnẽ nostrã sapiẽtiã, iustitiã, &c. esse in uno Christo, ne q̃dq̃ nobis hic adscribere queam⁹. Alterũ & nos esse sapiẽtes & iustos & sãctificatos & redẽptos, quatenus in Christo sumus. Nec datur itaq; locus hic temeritati cuipiã & superbię carnis, cũ omnis gloria sapiẽtiæ & iustitiæ reijcit̃ in unũ Christũ, nec negligẽtiæ quasi nobis liceat esse stultis

stultis iniustis & immūdis in Christo, ubi Christus dicitur nostra esse sapientia, iusticia, &c. Quemadmodum enim hominis sensus in capite sunt, ita ut nihil huius posit adscribi pedibus uel manibus, uel reliquis membris, nisi quantum sunt capiti coniuncta, & tū ipsa non sunt insensata, sic & nobis usuuenit in Christo ut in illo habeamus quidem omnem sapientiam & iusticiā, &c. tāquā in capite, uerum ita, ut in illo nō simus ipsi stulti & iniusti, &c. hoc est, prorsus omni sapientia & iusticia Dei destituti, sed redempti, iustificati, sanctificati ac sapientes.

Si oculus est simplex, totum corpus est lucidum.

Vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, &c. Applicat istam sententiā ad propositū, contra pseudapostolos, qui in propria sapientia & iusticia extra Christum gloriam in hoc sæculo quærebant. Respicit autem ad locū prophetæ Hiere. cap. 9. Sic dicit dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, &c.

Cōplexus est itaq; Apostolus breui sententia summam prædicationis & fidei nostræ, cū dicit: Qui factus est nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio, quæ quia demolitur omnem carnis gloriam, bellum sustinebit à doctis, sapiētibus & potentibus huius mundi prorsus ἄσπονδον, usq; ad sęculi consummationem, qui quoniam ipsi sibi uolūt esse sapientes, potētes, iusti, sancti, Christi participes esse non possunt, nec habet in illis locum consilium hoc Dei.

CAPVT II.

1 *Summa capitis huius duo habet. Primum ad memoriam Corinthijs reuocat Apostolus, qualis ad eos uenerit quàm non munitus eloquentia & sapiētia mundi, qualisq; apud eos egerit, nempe infirmus, ac tremebundus.* 2 *Deinde, uindicat prædicationem Euangelij ab ignominia stultitiæ, asserens illi sapientiam Dei, animali homini incognitam & incompræhēsibilē: soli autem spiritui Dei & spiritualibus notam.*



Et ego cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Dei.

Pertinere mihi uidetur capitis huius prima portio usq; ad eum locum ubi dicit: Porro sapientiam loquimur inter perfectos, &c. ad ea quæ primo capite de conditione & qualitate uocationis Euangelicę adduxit, per quā Deus uoluerit mundi sapientiam, potentiam & nobilitatem pudefacere, & carni omnem gloriā adimere, ut qui gloriatur in Domino tantum glorietur, qua uocationis qualitate se quoque compræhēsum esse iam commemorat ad memoriā Corinthijs reuocans, qualis ad eos uenerit Apostolus per quem ad fidem Christi essent uocati. Quasi dicat: Expendite uel in me, A quæ dico, quàm nolit Deus ad promotionem regni sui opera mundanæ sapientiæ, potentiæ & nobilitatis uti. Sed ut istam carnis gloriam inanem reddat & cōfundat, elegerit humiles, rudes, imbecilles & ignobiles, &c. Cū ego ipse uester Apostolus, primum ad uos uenirē, scitis quàm non uenerim cum sermonis aut sapientiæ mundanę eminentia, annuncians uobis testimonium Dei, & quæ sequuntur, &c.

Magno autē consilio reducit Corinthios ad ipsum Apostolat⁹ sui apud eos exordiū & ingressum, ad conuersationis suæ, prędicationis & periculorum conditionē & formam in qua nihil apparuit de qua aliquousq; caro gloriari posset, cum nec sapientiam, nec eloquentiam, nec nobilitatē mundi attulerit, sed magis imbecillitatem, cuius iam recordabitur, & timorem ac tremorem multum ostēderit, & tamen utut ista omnia fuerint contēptibilia, ipsa persona, sermo rudis, doctrina in speciem stulta, utpote de crucifixo quodam saluatore, deinde persequutio, metus ac tremor, nihilominus tāta Dei potentia sese exeruerit, & inter ipsos operata sit, ut immutatis mentibus & relicto Gentili errore ad fidem Christi suscipiendam sint permoti. Hoc scilicet est, cuius gratia illos ad principiū uocationis suæ reuocat, ut in ipso discant cōsilium Dei, cuius supra meminit, ut postea nō usqueadeo mirentur gloriam illam mundanæ sapientiæ, cuius nomine pseudapostoli plurimum tumebāt & simplicitatem doctrinæ Euangelij corrumpebant. B Ad errorem plurimum facit, si obliuiscare unde sis ad ueritatis uiam ingressus. Proinde Satanas astute conuersionis principia Corinthijs per pseudapostolorum splendorem abscondit, ut eo illos longius ab ipsa ueritate abduceret, quo magis à typo apostolicæ formæ consyderando auerteret.

Illud, ANNVNCIANS uobis testimonium Dei.] Bifariam exponunt, actiue & passiue.

1 Actiue, ut intelligas de testimonio quod Deus ipse per ministerium Euāgelicum dabat filio suo, per potentiam spiritus, cuius recordabitur iam in sequentibus, de quo & Christus Ioan. 15. Cum uenerit paracletus spiritus ueritatis, &c. ille testimonium perhibebit de me. Hoc sensu annunciare testimoniū Dei, est prędicare uirtutem Dei in Christo Iesu crucifixo, filio Dei, & è mortuis excitato, declaratā. Certe ad hanc prædicationē non conuenit humanæ sapientiæ persuasio. Absurdū enim est testimonium Dei cōfirmare uelle authoritate rationis ac sapientiæ humanæ.

De hoc testimonio dei de filio suo uide. 1. Iohan. 5.

2 Passiue uero, ut intelligas de testimonio quod ipse Apostolus dedit Deo, ac filio eius. Apostolos enim fuisse utriusq; & patris ac filij testes liquet. Patris, infra cap. 15. Reperimur autem & falsi testes Dei, quoniam testificati sumus de Deo, quod excitauerit Christū, quem non excitauit, uidelicet, si mortui nō resurgūt. Filij, Act. 1. Sed eritis mihi testes, non solū Hierosolymis uerumetiam in uniuersa Iudæa. Et

Lucæ

Lucæ ult. Vos estis testes horum. Et Ioh. 15. Et uos testimonium perhibebitis.

Sunt autem quibus testimonium Dei annũciare apostolum, hoc loco idem est atq; mandatum Dei annũciare, hoc est, nomine Dei testificari & ad pœnitentiam & fidem Christi uocare, quo sensu aliquid sane legimus Actorum 20, ubi sic loquitur Apostolus, quin annunciarem uobis & docerem uos, publice ac per singulas domos testificans Iudæis simul & Grę cis eam quę erga Deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga dominum nostrum Iesum Christum. Est enim Euangelium Christi dupli ci nomine mandatum Dei. Primũ quod apostolis est mandatum, ut prædicent, uæh enim mihi est, inquit, nisi euangelizauero. Nam necessitas mihi incumbit. Deinde quod omnibus in illo denunciatur ac mandatur, nisi uelint æterna morte perire, ut resipiscant & credant Euangelio, adiecta promissione uitæ æternæ his qui credunt. Et hac ratione doctrinam Euangelij, quam prædicabat ex mandato & nomine Dei, uocat testificationẽ omniũ & Iudæorum & Græcorum, quæ quia fiebat nomine Dei, haud immerito potest dici testimonium Dei.

Psal. 2. Prædicans præceptũ eius. 1. Iohan. 3. Et hoc est mandatum eius ut credamus, etc.

Non enim me iudicaui quicquã scire inter uos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.

Græce est, ὀ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τί. Hic pronomen, me, non est, & articulus τοῦ fere ab omnibus negligitur. Omnino subaudiẽdum est aliquid. Vtpote, dignum esse me & sufficientem, non iudicaui eius gratia, quod scirem aliquid inter uos, uel aliquid aliud eiusmodi. Agit enim hoc, ut ostendat se non uenisse ad Corinthios fiducia humanæ sapientiæ & eloquentiæ, cũ nihil professus sit inter eos quàm Christum Iesum, eumq; crucifixum. Sic & illud suprà, non ueniebam cum eminentia sermonis, idem esse uidetur atq;, non ueniebam fiducia eminentiæ sermonis & sapientiæ permotus.

Emphasis autem in eo est, quod nõ dicit se non plurimum scire, sed nihil nisi Christũ Iesum. Nam in eo est, ut ostendat se nulla prorsus scientia & sapientia cõfisum ad eos uenisse, nisi de uni[9] Christi cognitione. Nec frustra est, quod dicit, inter uos. Quasi dicat uobis cõparatus, usque adeo sapientibus, plane nullus fui, nec qua in re gloriari potuissem, nisi de uno Christo Iesu crucifixo, quem uobis annunciare ueni. Et prętерea id quoq; emphasi nõ caret, quod non contẽtus dixisse, nisi Christũ Iesum, addit crucifixũ, idq; cum singulari quadam denotatione καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον, id est, & hũc crucifixum. Vsq; adeo scilicet diuerso modo à pseudapostolis Christũ se prædicasse ostẽdit Corinthijs, ut cuius ipsos pudebat, nempe crucis Christi, de ea ipse sit plurimum gloriatus, & pręter eam nihil scire se professus, & rursus in quo ipsi plurimum gloriabantur, huius nihil ipse sibi uindicauerit, nec concupierit.

A Sit nobis obsecro per Deum hoc Apostoli exemplum noctes atq; dies ob oculos positũ, quibus testimonium Dei mũdo est annũciandũ. Incredibilis uanitas fere occupat omnes hodie Christi ministros, ut nihil minus scire se ostendãt quàm quod solum scire debebãt, & quæ ad Euangelij Christi prædicationem non adeo exiguntur, tanquam summe necessaria, prope sola affectent. Non quod respuẽdę sint omnes artes, ista admoneo. Et Apostolus hic non dicit: Non enim quicquã sciui sed nõ iudicaui sciendum mihi quicquam esse inter uos, nisi Christum Iesum. Aliud est nihil scire, & aliud, scire quidem, uerũ non iudicare sciendum esse aliud quàm Christum Iesum. Absq; dubio omnino stupidus & aliarum rerũ ignarus non fuit, ut multis locis apparet (nam unde alioqui uersiculũ Epimenidis poëtæ citasset in ea quę est ad Titum, κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.) Verum omnia pro nihilo ducebat respectu cognitionis Christi crucifixi, nec iudicabat sæcularem eruditionem ad testimonium Christi Iesu requiri.

Quod autẽ de scientia Christi crucifixi meminit, nõ intelligit simpliciter de historia crucifixionis Christi, quam certe & Iudæi increduli sciebant & uiderant, sed de mysterio crucis, omnibus incredulis abscõdito, in quo abditi sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei. Itaq; in speciem quidem ista extenuationis gratia dicta uidentur, quasi parũ sit & modici momenti, scire Christum Iesum & hunc B crucifixum, uerum reipsa gloriationem habẽt infinitę cuiusdam sapientiæ ac scientiæ, utpote, quam uniuersus orbis sua sapientia nunquam assequi potuit. Perinde est, ac si dicat quisquã hodie inter opulẽtissimos aliquos magnates & optimates constitutus, ego me nihil habere iudico inter uos nisi diuitias cœlestes, & eas infinitas & sempiternas. Et positus inter potentes huius mundi deq; potẽtia sua plurimũ præsumentes dicat, ego me nihil posse inter uos iudico, nisi apud Deũ omnia per eum qui me confortat. Et inter sapientes, ego nihil me scire iudico inter uos sapientes, nisi reconditissimam consiliorum Dei sapientiam, quam totus mundus appræhendere nequit. Omnino tale est reipsa, licet in speciem nõ uideatur, quod hic dicit: Nihil me scire iudicaui inter uos nisi Christum Iesum & hunc crucifixum. Hoc est, nisi filium Dei, Saluatorem mundi, dominum cœli ac terræ, & simul uictoriam illius de morte, Satana & inferno, & totius humani generis redemptionem, liberationem, reconciliationem cum Deo ac restaurationem omnium eorum quæ sunt in cœlo & in terra, & in summa reparationem ueræ ac sempiternę felicitatis. Nam hęc omnia in se complectitur cognitio Christi, idq; crucifixi.

Itaq; ista sciẽtia Apostoli, de qua dicit: Non enim iudicaui me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, duo habet, unum, hunc Iesum, quem prædicabat, esse

Christum. Alterum, esse crucifixum, id est, con silio Dei esse crucifixum ad salutem ac redem ptionem humani generis. Apostoli aliquádiu credebant quidem hunc Iesum esse Christum filium Dei, mysterium tamen crucis ipsius ignorabant Matth.16. Et Iudæi ad Christũ dicebant Ioh. 11. Nos audiuimus ex lege quod Christus manet inæternũ, & hinc colligebant Christo nõ competere quod de morte sua ibi dicebat, nimirum ignorantes mysteriũ crucis.

Et ego per infirmitatem, & cum timore ac in tremore multo apud uos uersatus sum, & sermo meus & prædicatio mea, non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei.

1 Et hęc pertinent ad primam capitis huius partem. In memoriã illis reuocauit quàm humili sermone ad ipsos uenerit, iam subiungit, qualis apud ipsos egerit. Amplificationem autem habent humilitatis Apostolicæ, ad declarandum consilium illud Dei, contra sapientiã & gloriam carnis, de quo suprà egit cap.1.

2 PER infirmitatem.] Infirmitatem putant eum uocare suo more pericula, insidias persequutiones. Sic alibi, si gloriandũ est, de ijs quę infirmitatis meæ sunt gloriabor, ubi & prçmittit & subiungit periculorum commemorationem. Item libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, &c. Ita & hoc loco statim subiũgit, & cum timore ac tremore multo. Verum quoniam aliud est periculum externum, & aliud periculo esse obnoxium, malo per infirmitatem hoc loco intelligere conditionis uel mẽtis Pauli inbecillitatem, qua fiebat multorum odijs & infestationib⁹ obnoxius, perq; illa ad timorem ac tremorem permouebatur. Videt enim ista, cũ timore ac tremore multo, quasi expositionis uice subiunxisse, ut intelligamus illum loqui de eo, quod nulla fuerit mundi potentia & subsidio suffultus, sed omnium probris, insidijs & improbitati expositus & obnoxius. Nam & nos Germani impotentes ac nullis uiribus prçditos infirmos uocamus, utpote si pauperi negocium sit cum diuite, hic dicimus, *Er ist im zuo schwach*. Significat se nullis uel personæ uel potentiæ subsidijs suffultum prędicasse apud ipsos Christum, ne qua id carnis fiducia tentasse putetur, quo omnis ipsius & labor & efficacia & fructus soli diuinæ operationi tribuatur. Quanto magis pseudapostoli subsidijs carnis nitebantur, tanto illa ipse aliena à se fuisse gloriatur, ut admoneat Corinthios cursum Apostolatus sui non carnis uiribus ac subsidijs sed operationibus & efficacia spiritus fuisse apud ipsos suffultum, atque ita studia pseudapostolorum tanquam carnalia & mũdana suspecta reddat, uitandaq; esse moneat. Prædicauerat ipse Christum apud Corinthios primus, ac primos Satanæ & impiorum impetus aduersus doctrinam ueritatis excitatos sustinuit, quemadmodum usuuenire solet illis, qui primi alicubi catholicos & inueteratos errores doctrina ueritatis redarguũt, & lucem tenebris mundi inferunt. Postea subingressi sunt pseudapostoli, sicq; carnalibus sese Corinthijs accommodarunt, ut præ illis sorderet primus ac uerus ipsorum Apostolus, & doctrinam inuehere cœperunt, quę splendore mundanæ sapientiæ spectabilis esset, ideoque ipsos doctores minus redderet omnis generis afflictionibus timoriq; ac tremori curis ac solicitudinibus obnoxios.

1.Cor.11.

3 ET in timore ac tremore multo.] Ecce nõ solum eam infirmitatem cõmemorat, quæ est ab externæ potẽtię inopia, sed & eam quæ est animi. Potest enim esse ut imbecillis quisquã sit adeoque multis afflictionib⁹ obnoxius, & tamen animo firmus nec timeat néc tremat, aut certe non multum tremat. Hic autem etiã animo imbecillis est timens ac tremẽs admodum. Tãti scilicet est Apostolo per propriam infirmitatem declarare potentiam Christi, ut audiemus.

4 Nec putet quisquam ista Apostolo parum adferre laudis. Nam hinc potissimum laudãdus est, quod cum esset & externe & interne infirmus, nequiuerit tot periculis & afflictionibus impediri, quominus circumquaq; crucem Christi prædicaret. Hinc & Chrysost. ista annotat hoc loco: τί λέγεις; καὶ παῦλος ἐφοβεῖτο κινδύνους; ἐφοβεῖτο, καὶ σφόδρα ἐδεδοίκει. εἰ γὰρ καὶ παῦλος ἦν, ἀλλ' ἄνθρωπος ἦν. τοῦτο δὲ οὐκ ἔγκλημα τοῦ παύλου, ἀλλ' ἀσθένεια μὲν τῆς φύσεως, ἐγκώμιον δὲ τῆς προαιρέσεως, ὅτι καὶ δεδοικὼς θάνατον καὶ πληγὰς, οὐδὲν ἀνάξιον διὰ τὸν φόβον τοῦτον ἐποίησεν. ὥστε οἱ λέγοντες ὅτι οὐκ ἐφοβεῖτο πληγὰς, οὐ μόνον αὐτὸν οὐ σεμνύνουσιν ἀλλὰ καὶ ὑποτέμνονται πολὺ τῶν ἐπαίνων. εἰ γὰρ οὐκ ἐφοβεῖτο, ποία καρτερία; ἢ ποία φιλοσοφία τὸ τοὺς κινδύνους φέρειν; ἐγὼ γὰρ καὶ τοῦτο αὐτὸν θαυμάζω, ὅτι φοβούμενος καὶ οὐχ ἁπλῶς φοβούμενος ἀλλὰ καὶ τρέμων τοὺς κινδύνους διαπαντὸς ἔδραμε στεφανούμενος, καὶ ἐν οὐδενὶ τῶν κινδύνων ἐνέδωκεν, ἐκκαθαίρων τὴν οἰκουμένην, καὶ πανταχοῦ γῆς καὶ θαλάττης τὸ κήρυγμα σπείρων. Ita scilicet non promouent sanctorum gloriam, multo minus Christi, qui illam maxime uideri uolunt promouere, ubi quę infirmitatis illorum sunt obticent.

5 Sed oritur hic quæstio, quomodo dicat se hic in multo timore ac tremore fuisse apud Corinthios, imò quomodo fuerit in timore ac tremore (credimus enim illum uera dicere) cum Act.18. legamus dominũ Corinthi illi uisum esse ac dixisse: Noli timere, sed loquere, ne taceas. Nam ego sum tecum, & nemo adorietur te ut affligat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Quomodo igitur timuit ac tremuit? An non credidit cœlesti uisioni? Credidit utiq;, & tamen timuit. Verba domini non hoc uolebant, ne prorsus timeret, sed ne timeret ut taceret. Timorem carnis nõ ademit illi, uerum ne illo uictus taceret, hoc erat scilicet quod exigebat. Et Apostolus igitur timuit, & tamen non tacuit. Et hoc itaq; loco discendum est, quomodo fides uerbi Dei, prote-

Act.18.

protectionis etiam diuinę, nō excludat timorem ac tremorē, nisi talem, qui derogat timori Dei. Ita & illud Matth.10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, nō ita est intelligendū quod exigat à suis Christus quandam animi stupiditatem & Stoicam ἀπαθείαν in aduersis, sed ne uelint homines plus timere quàm Deum. Ideo subijcit ibi, sed eum potius timete qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Horrorem carnis, quem sentiunt sancti quoq; in periculis, non eximit sed corrigit & moderatur, ne superiores habeat, ideo illi timorem Dei opponit.

1 ET sermo me' & prædicatio mea.] Hoc repetit, propter sequentē particulam. Nequit autem alioqui satis inculcare ruditatem prædicationis suæ, ut deijciat glorias pseudapostolorum & declaret uirtutem crucis Christi.

2 IN persuasorijs.] ἐν πειθοῖς λόγοις. Sermones persuasorij sunt quibus auditor in sententiam dicētis, animo persuasus abducitur. Eam uim uocāt quidam Suadam, quidam Suadelam, aliqui ψυχαγωγὸν flexanimam, quæ tantæ est uirtutis, ut diuinos illi ueteres honores dederint. Apud Corinth. Pytho Diana colebatur. Et Ægialenses ad flumen Sytham πειθοῖς sacellū habuisse leguntur. Pinxerunt nonnulli ingentem populum ab unius dicentis ore pendentem, & quasi cathenula aurea per aures transmissa alligatum & attractum. Huius in hoc sęculo magna laus, adeoq; & ingens studium est. Gloriatur autem Apostolus nihil huius attulisse se nec habuisse in sua prædicatione.

1 SED in demōstratione spirit' & uirtutis.] Huc ibat. Ideo reliqua omnia, quę carnis sunt, reiecit, nec erubuit propriam infirmitatem timorem ac tremorem, sermonisq; humilitatē ad memoriam Corinthijs reuocare, ut totum quod gestum erat, daretur operationi & efficaciæ spiritus.

2 Spiritum autē uocat donum spiritus Dei cui addit uirtutem, id est, efficaciam & operationem spiritus. Nec simpliciter dicit, in spiritu & uirtute, sed in demōstratione spiritus & uirtutis.

Quę illa sit demonstratio, aliter atq; aliter exponitur. Potest enim intelligi, de eo quod ex spiritu Dei loquutus sit, iuxta quod Christus apostolis suis Mat.10. pollicitus est, quod non ipsi loquuturi sint, sed spiritus patris ipsorum in ipsis. Et donum spiritus per apparitionem linguarum id significabat. Loquutus est autem ex spiritu Dei nō frigide & ociose, sed efficaciter, ideo addidit, & uirtutis. Spirabat enim sermo Apostolicus in seipso diuinum quid, energiam etiam habēs ad immutandas mortalium mentes adiunctam, per spiritus operationem & efficaciam, cuius gratia Euangelium Christi Rom.1. & cap. præced. uocat uirtutem Dei. Ita & de Iohanne Baptista dicebat angelus ad Zachariā. Et spiritus S. replebitur iam inde ab utero matris suæ, multosq; filiorum Israël conuertet ad dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Helię. Et ut exponeret quid intelligeret per spiritū & uirtutem Heliæ, addebat, ut conuertat corda patrum in filios & inobedientes ad prudentiam iustorum, ut paret domino plebem perfectam. Quid autē illud erat aliud, quàm demonstratio spiritus & uirtutis quam hic sermoni & Euangelio suo tribuit Apostolus? Quidam uero propter dictionem δυνάμεως exponunt de patratione miraculorum & portentorum quæ ab Apostolo uirtute spiritus Dei patrata sunt, quorū & in posteriore ad Corinth. cap. 12. ipse meminit dicens: Signa quidē apostoli peracta sunt in uobis, cum omni patientia, & signis & prodigijs & potentibus factis. Et certe δύναμις plerunq; ita accipitur maxime in historijs Euangelicis. Complectamur igitur omnia per demonstrationem spiritus & uirtutis, quæ spiritus Christi in apostolis & per apostolos ipsorumq; prędicationem operatus est, loquēdo, efficaciter & cum uirtute loquendo, sicut de Stephano legimus, cuius sapiētiæ & spiritui resistere non poterant aduersarij, iuxta promissum Christi, dabo uobis os & sapientiam, cui non poterūt resistere omnes aduersarij uestri, corda audientium permouendo, illuminando, immutādo & regenerando, manifestationem spiritus per uaria dona dando, de quibus infra.12. miraculaq; & portenta patrando. Nam ista spiritū & uirtutem Dei exprimebant.

Lucæ 1.

3 Vide autem quomodo humanæ sapientię det suadelam compositi sermonis, quę sita est in probabilibus rationib', tā incertis, ut quod astruunt, alijs uicissim ac diuersis destruatur, Euangelio uero suo, sermoni rudi & humili, tribuat ἀπόδειξιν, hoc est, certam & firmam demonstrationem, uidelicet spiritus & uirtutis Dei. Et in eo quod spiritum & uirtutem Dei opponit sapientiæ humanæ, traducit illam ac reprobat propter carnem & infirmitatem. Vnde & subdit.

Vt fides uestra non sit in sapiētia hominum, sed in potentia Dei.

1 Quasi dicat, ut fides uestra nō sit fundata supra arenam sed supra petram, non sit dubia & incerta, sed firma, certa & immota. Vt in ędificijs plurimum refert quo quid fundamento nitatur, ne ruinę sit obnoxium, ita & in fide plurimum, imò totum refert, quo nitatur fundamento, ne sit fluctuās & dubia sed firma & solida. Iam qui persuasorijs humanæ sapientiæ sermonibus ad credendum aliquid inducuntur, quid illi aliud habent quàm fidem supra humanam sapiētiam fundatam? Quomodo autem poterit illa constans esse & impetū carnis, ipsius quoq; rationis, mundi & Satanę sustinere & excipere?

2 Vide quàm potenter impugnet studium humanæ sapientiæ, & commendet simplicitatem doctrinæ Euangelicæ. Supra dixit: Ne euacue-

uacuetur crux Christi. Ergo humana sapientia euacuat crucē Christi, Euangelica ruditas tuetur gloriam crucis Christi.

2 Deinde. Ne glorietur apud Deum ulla caro. Itē, ut qui gloriatur, in domino glorietur. Ergo humana sapientia dat carni gloriam, & adimit Deo. Simplicitas Euangelicæ doctrinæ, adimit carni gloriam, & adscribit Deo.

3 Et hoc loco, Ne fides uestra sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei, igitur sermones persuasorij fundant fidem supra arenā humanæ sapientię, cito ruituram, simplicitas doctrinæ Apostolicæ, supra potentiæ diuinę petrā, immote permāsurā, & oēs Satanæ, mūdi, & carnis tentationes & incursus superaturā.

Porro sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non sæculi huius, neque principum sæculi huius qui abolentur, sed loquimur sapientiā Dei in mysterio, quę est recondita, quā præfinierat Deus ante sæcula, in gloriam nostram, quam nemo principum sæculi huius cognouit.

Hęc est altera portio capitis huius qua prędicationem Euangelij liberat à contumelia & ignominia stultitię, tribuens illi, licet occultā, diuinam tamen sapientiam, arcanam quidem sęculi hominibus, notam uero spiritalibus. Agnouit quidem sermonis, personæq; suæ humilitatem, uerum cui coniuncta sit uirtus spiritussancti, ita agnouit quidem prædicationis Euangelij stultitiam coram sæculo, uerū quæ habeat sapientiam reconditam, nulli sapienti compræhensibilem. Vt igitur humilitatē personæ suæ, conditionis imbecillitatem & sermonis ruditatem à contemptu uindicauit per id quod dixit, sed in ostensione spiritus & uirtutis, ita hic & ipsius materiæ quæ de cruce Christi per Euangelium prædicatur gloriam tuetur, cūm dicit, sapientiam loquimur inter perfectos, &c. De qua hæc duo καθόλου ad finem capitis usq; agit. Primum, esse absconditam in mysterio, ignotam mundo & principibus mūdi, nec posse appręhendi cognitione animalis hominis. Alterum, reuelari illam per spiritum Dei credentibus & spiritalibus.

INTER perfectos,] Græce est ἐν τοῖς τελείοις, in perfectis. Vt ambiguum sit quo referas. Et uetus & Erasmus habent, inter perfectos. Intelligunt enim fere omnes Apostolum loqui de ijs, quibus competat prędicatio Euangelij, quibusq; habeatur pro sapientia Dei, quos opponit filijs huius sæculi, quibus illa stultitia uidetur. Puto autem non admodū errare eum, qui legens in perfectis, intelligat de sermonibus aut uerbis spiritus, de quibus infrà dicet, Quæ loquimur non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritussanctus spiritalibus spiritalia comparantes, ut opponat spiritales loquendi modos, alienos ab humanæ sapientiæ imbecillitate, persuasorijs humanæ sapientiæ sermonibus, de quibus suprà meminit, quorū gratia tumescebant pseudapostoli, & Euangelicæ doctrinæ simplicitatem, ut sermone rudem obscurabāt, ne quis putet abs re esse quod hoc sensu ista ab Apostolo dicuntur.

Quod si quis putauerit inconuenientius esse ad hunc sensum, quod nō dicit, sapientiam autem loquimur sermonibus perfectis, sed in perfectis, quod inusitatum sit Latinis dicere, loquor in sermonibus perfectis, cum sit dicendum, loquor sermonibus perfectis, hic uideat infrà eandem phrasim, ubi dicit, ἃ καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλὰ ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, id est, quæ & loquimur non in sermonibus quos docet humana sapiētia, sed quos docet spiritus sanctus. Deinde & commodius est, quoniam omnino aliquid subintelligere oportet, ut id subintelligam⁹ quod & proxime præcedit, & subnectitur etiam, q̄ aliud quid, cuius hoc loco non fit mentio, licet capite superiore de ijs dixerit, quibus prędicatio Euangelij sapientia Dei sit.

Si uero legerimus, inter perfectos, intelligendi sunt credentes, quos suprà uocatos dixit ex Iudæis & Græcis, quos non comparatione minoris intelligentiæ Christianorū hic perfectos uocat, quod quidem alibi facit, sed per collationem incredulorum qui humanæ sapientiæ iudicio impediuntur, ne τέλειοι sint perfecti & accommodi ad percipiendam hāc sapientiam Dei. Suspicor enim si hic sensus retinendus est dictionem perfectionis Ebraico esse more positam, quo perfecti uocantur תמימים, id est, integri, synceri, simplices, quales sunt qui abnegata sua sapientia, simpliciter prædicato Dei uerbo assentiuntur.

Cap. 1.

Reijciendus autem prorsus est sensus illorū qui intelligunt Apostolum loqui de sublimiore quadam sapientia, quàm sit sermo crucis, quam seorsum perfectioribus communicauerit. Licet enim infrà initio cap. tertij in eum sensum aliquid dicere uideatur, non tamen loquitur de alia sapientia sublimiore quàm sit Euangelicæ prædicationis, cum illa habeat in se omnem thesaurū sapientiæ & scientię Dei. Licet prudenter sit iuxta captum auditorum dispensanda, quod & Apostolus ipse coactus fuit facere apud Corinthios.

SAPIENTIAM autem non sæculi huius.] Suggillat sapientiam humanam hoc loco bifariam. Primum quod illam uocat sapientiam huius sæculi, includens eam, quasi carceri cuidā rebus huius sæculi, inanibus ac fluxis, quo reijciat & excludat à rebus spiritalibus & futuri sæculi, in quibus prorsus nihil habet loci. Deinde quod dicit, qui abolentur, siue intelligas de principibus solis, siue simul & de sæculo isto præsenti, quemadmodum secundum Græcam phrasim intelligi potest: ostēdit hic inutilitatē mundanæ sapientiæ, quæ nequeat possessores suos ab interitu uindicare, nec res eas in quibus tanquam artificis sciētia in materia

teria, exercetur. Quemadmodum si medicinā depreciaturus dicas, non de medicina ista corporum, neque medicorum, qui abolentur, sed de spiritali medicina loquor. Quid hic aliud dares medicinæ corporali quàm eam inutilitatem, ut nec ægrotos nec medicos ipsos conseruare queat ne intereant? Tale quid uidetur esse in hac negatiua, qua dicit non sapientiam sæculi huius, nec principum sæculi huius, qui abolentur.

Vocat autem principes sæculi huius non stultos illos tyrannos, bestias magis quàm homines, cum loquatur non de potentia, sed de sapientia sæculi huius, sed sapientes, & prudẽtes, apud Gentes philosophos, apud Iudæos sacerdotes scribas & pharisęos. Nam ita ipse imperãdi ratio & necessitas exigit, ut uel philosophi imperent uel imperatores ac principes philosophentur. Certe nostro sæculo hic locus non bene cõuenit, nisi forsan quatenus adimit principibus huius sęculi sapientię Dei, quæ in Christo prædicatur, cognitionem.

QVI abolentur.] Græce est καταργουμένων, quod uetus reddidit qui destruuntur, Erasmus, qui abolentur. Sensus huius particulæ quem iam exposui, aliorũ est non meus. Nam plerunque ita exponũt, ut intelligatur de omnimoda illa perditione, uel abolitione magis principum, de qua infrà capite decimoquinto, quæ futura est in iudicij die. Verum quia Apostolus non loquitur in futuro, qui abolebuntur, aut destruentur, sed in præsenti, suspicor aliud ab illo agi quàm de futura illa abolitione principum & totius sæculi quæ accidet illis per uirtutem secundi aduentus Christi. Hic uero uidetur loqui de pręsenti aliqua abolitione principum, idque quod attinet ad illorum sapientiam, quæ illis accidat per pręedicationem Euangelij, quam Hieronymus quoq; innuere uidetur cum dicit: Qui cum sapientia sua per nostrum Euangeliũ destruũtur. Quomodo ergo destruuntur principes uel abolentur per Euangelij prædicationem? Confugiamus ad Græcæ dictionis proprietatem, quæ expensa, patefacit nobis, quod quærimus. Suprà capite primo, ibi: Vt pudefaceret sapiẽtes, potentes, & obliteraret ea quæ sunt, uim uerbi huius καταργεῖν expendimus, quod proprie significat ἀργὸν ποιεῖν, id est, ociosum, ignauum, iners, inutile & uanum reddere, & tale esse ostendere. Vt hic illud τῶν καταργουμένων proprie sit, qui uani, inanes, inutiles, & ignaui declarãtur. Quomodo? Vt suprà dixi, quoniam scientiam salutis, quę est in cruce Christi, ignorant, nec uiam unquam inuenire potuerunt ueræ salutis utut sapientes habiti fuerint.

Quod si iam inaudita quędam medicandi ratio ab idiotis & rudibus, nulla opiniõe artis eius prędítis, introduceretur, qua tamen ęgroti passim ac solide curarentur, deque illa dicturus contra cõsuetam opinionem magis quàm artem quæ nunc est in usu, diceres, de medicina autem loquor, non de ea quæ nunc est in A usu apud celebres illos medicos τῶν καταργουμένων, qui inanes ociosi, ac uani redduntur, per nouam illam scilicet & ueram medẽdi artem recens inductam, quis non intelligeret, quid diceres?

SED loquimur sapientiam Dei.] Hic orditur ea quæ pertinent ad sapientiam Euangelicæ prædicationis, cui principio dat, quod sit sapientia Dei. Non potest eam amplius & compendiosius prædicare, quàm quod uocat eam sapientiam Dei. Quid enim homo est cõparatus Deo? Tantundem scilicet humana sapientia est, comparata sapientiæ Dei.

IN mysterio.] Infinita est sapientia Dei, quę ubique in mortalium oculos, ex conditione creaturarum incurrit. Ostẽdit autem se loq nõ de manifesta illa, sed de abstrusiore, ideo ubi dixit, in genere, sed sapientiam Dei, adiecit specificandi, uel magis discernendi gratia, in mysterio, &c. Mysterij dictio non in nostra religione tantum sed & multis alijs in usu est, quasi peculiaris secretiorib⁹ sacris, quę in uulgus spargere pro piaculo habetur. Volunt autem μυστήριον idem esse atque διὰ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, id est, occultandum est, intusque reconditum seruandum. Vsus eius est, ubi aliud uidetur, auditur, alijsque sensibus percipitur, aliud uero creditur. Hac de re uide Chrysostomum hoc loco. Crucis Christi pręedicatio mysterium est. Non enim in ea uidetur quod gestum est, nec in illius superficie patet, quod creditur. Iudæus uidit in cruce, ac morte Christi B infirmitatem hominis unde offenditur, fidelis credit uirtutem Dei, unde saluatur. Ita sacramenta illa noui testamenti mysteria dicuntur baptismus & Eucharistia, ubi incredulus ignorat quid sit aqua, quid panis & uinum, fidelis uero intelligit per fidem & adorat. Vnde illud ueterum: Norunt fideles, quid hic degustetur.

Suprà cap. 1.

QVAE est recõdita.] Commendationem habet, quod hic dicit, prædicationis Euangelicæ, quod non uulgaris cuiusdam sapientiæ doctrinam adferat sed absconditam. Quod absconditur à uulgo, selectum est. Nam præcipua bona, ut sunt filiorum & amicorum, non omnibus obijciuntur. Facit ergo sapientiam Euangelij in cruce Christi, selectam aliquam & præcipuam, quæ non uniuersis destinata sit sed selectis tantum Dei filijs. Est autem ita abscondita, ut nec angelis nec archãgelis neque ulli creaturæ patuerit, antequam adimpleretur, quod & Chrysostomus annotat, citans locum illum Pauli ubi dicit: Vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.

QVAM prędefinierat Deus ante sęcula.] Ante sæcula, idem est atque ab æterno. Nam omnia consilia Dei ab æterno sunt, non temporaria. Duo dat hæc particula Euangelio Christi. Primum quod nõ sit fortuiti euentus, sed certum & præfinitum à Deo. Nemo disputet ergo, cur ista doctrina nõ sit olim allata. Habuit

 suos

suos fines, fines scilicet latendi deinde & fines progrediendi. Præfinitum enim est à Deo quã do deberet reuelari, & quibus. Alterum est, quod ab æterno sit prædestinatum. Non est ergo noua quędam doctrina, ut libera sit à probro & suspicione καινεργίας.

Expendit hic Chrysostomus emhpasim diuinę dilectiõis erga genus humanũ, quod ante illius conditionem prædestinarit rationem salutis ipsorum. Sic solẽt parentes liberis, antequam nascantur etiam, prædestinare quędã quibus opus sint habituri.

Accommodetur hæc particula, ei quod supra dixit capite primo. Nam postquam in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, uisum est Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ne putes hæc ita esse dicta quod sapientiam istam crucis Christi pater tum demum excogitauerit, ubi uidit se à mundo per sapientiam suam nõ agnosci, prohibet quod hic dicit, quam præfinierat Deus ante sæcula.

IN gloriam nostram.] Hoc est, credẽtium. Quæ est autem illa gloria nostra? Chrysostomo idem est atque salus nostra. Alij adoptionem filiorum Dei assignant, quę est per Christum. De gloria ista filiorum Dei uide Rom. 8. Simplicissime expone, ad glorificandum nos. Vt intelligas Deum ante sæcula ita præfinijsse, ut per crucem filij sui eos quos elegit glorificaret. Consolatur humiles & abiectos Christianos in eo quod ab æterno destinatam habent in Christo gloriam, ut hoc quod mundo uidetur ignominiosum, ipsis sit loco summæ & æternæ gloriæ.

QVAM nemo principum sæculi huius cognouit.] Quid est, quod nominatim principibus dat ignorantiam cœlestis huius sapientiæ? An isti soli non cognouerũt? Non id agit, sed eorum meminit, quia soli uidebantur diuinorum habere cognitionem, eo quod pro sapientibus haberentur. Vbi illis adimit sapientiæ Dei cognitionem, conspicuum est, quod omnibus mortalibus illam adimat. Adimit autem omnibus dicẽs: Nemo principum, quod plus est, quàm si diceret, quam principes sæculi huius non cognouerunt. Quod autem omnibus illã mortalibus deneget, infrà patet, ubi dicit, Animalis homo nõ ꝑcipit ea q̃ sunt Dei.

NAM si cognouissent, haudquaq̃ dominũ gloriæ crucifixissent.] Probat quod dixit, ex ipso facto principum sæculi huius. Quis enim prudenter ac scienter filium Dei crucifigere sustineret? Crucifixerunt eum autẽ principes huius sæculi. Ergo non cognouerunt eum. Illum ubi non cognouerunt, sapientiam Dei non cognouerũt. Christus ipse testatus est, quod hic Paulus dicit: Neque me nouistis, inquit, neq; patrem meũ. Et in cruce ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Et Petrus in Actis dicit: Et nunc fratres, scio quod per ignorantiã fecistis, sicut & principes uestri.

Obiter hic notandum est, q̃ non debeat omnia in parabolis applicari ad causam de qua agitur. Nam Matth. 21. & Marc. 12. dat Christus agricolis talem sermonem, ut dicant: Ecce hic est hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Licet enim hæc ad sacerdotes, scribas & pharisæos, crucifixores suos loquatur, tanq̃ ad ipsos pertinentia: tamen non debet inde colligi quod cognouerint ipsum esse filium Dei & hæredem uineæ. Nam alioqui male conueniet ei particulæ cum hoc & similibus alijs locis. Satis erat ex eo colligere, quod occisuri essent filium, & hæreditatem ipsius sibijpsis uindicaturi. Hoc faciebat ad ꝓpositum parabolæ, quod autem eum cognouerint esse filium Dei, non ita. Sunt tamen qui dicant principes Iudæorum non cognouisse dominum gloriæ, quia non plene & efficaciter illum cognoscebant. Et rursus cognouisse eum, quod aliquam illius cognitionẽ ex miraculis nollent uellent hausissent. Verũ sententia quã posui, simplicior esse & minus quęstionis habere uidetur.

Sed quemadmodum scriptũ est. Quæ oculus non uidit, & auris nõ audiuit, & in cor hominis nõ ascenderũt, quę pręparauit Deus diligentibus se.

Locus hic ex Esa. cap. 64. desumpt⁹ est. Ambiguum est autẽ quomodo præcedentibus cõnectatur licet satis liqueat illum ad hoc inductum, ut probet per scripturas, sapientiam Dei principibus huius mũdi esse incognitã, nec ulla posse ratione ab animali homine compræhendi. Potest itaque referri uel ad id quod dixit, quam nemo principum sæculi huius cognouit, ut uelut consequẽter rationẽ adiũgat ex propheta, uidelicet, quod abscondita sint, quæ Deus suis præparauit, & illud, Nam si cognouissent, dominum gloriæ haud quaquam crucifixissent, sit uelut per parẽthesim positũ, uel ad id quod dixit, sapientiam loquimur nõ huius mundi sed sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, ut nõ solum huc respiciat, quod eam sapientes huius mundi non cognoscunt, sed ut ostẽdat, de qua sapiẽtia & de quibus arcanis ipse loquat̃, uidelicet de illis quæ Deus ante sæcula præfiniuit ad nostrã gloriã. Nam utraq; ista insunt huic loco, & quod sapientia Dei sit abscondita sapientibus mundi & quod abscondita illa sapientia Dei ea contineat, quę ad nostram gloriã diuinitus ante sęcula prędestinata sunt. Primum in eo quod dicit: Oculus non uidit, auris non audiuit, in cor hominis nõ ascenderũt. Nam omnis cognitio hominis his uelut instrumentis constat. Aut enim per externos sensus aut per internos ad rerum cognitionẽ peruenitur. Per oculos & aures externos, per cor internum sensum cõplexus est. Ita & alibi de incredulis Iudæis dicitur quod nec uidentes uideant nec audientes audiant nec corde intelligant. Tres crassiores sensus corporis gustum tactum & olfactũ non posuit propheta, eo quod ad rerum sublimium

mium cognitionem, maxime in religione locum non habent. Si ergo nec oculis nec auribus, nec cordi mortalium innotuit cõsilij Dei arcanum, ergo exclusa est omnis illius cognitio naturalis, quæ scilicet esse posit ex ordine rationis & naturæ. Alterum in eo ponitur, quod additur, quæ præparauit Deus diligentibus se. Verbo præparandi respondetur ei quod dixit, quam præfiniuit Deus ante sæcula, & illud, diligentibus se, refertur ad id quod ibi adiecit, ad gloriam nostram.

Sequutus est autẽ Apostolus hoc loco non Septuaginta, sed Ebræos, quamuis non plane, si uerba expendas. Septuaginta nanq; sic habent: ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον θεὸν, πλὴν σοῦ καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεον. Hoc est. A sęculo non audiuimus, neque oculi nostri uiderunt Deum, præter te & opera tua, quæ facies his qui misericordiam expectãt. Ebręa uero ad hunc modũ: ומעולם לא שמעו לא האזינו עין לא ראתה אלהים זולתך יעשה למחכה לו, id est: Et à sæculo non audierunt, auribus non perceperunt, oculus nõ uidit Deum præter te, qui sic faceret expectanti se. Ergo Apostolus adiecit primum illud: Et in cor hominis nõ ascenderunt: deinde uerbum faciet mutauit in uerbũ præparauit: tertio quod Ebræus habet, expectanti se, ipse reddidit, diligentibus se, ut appareat ipsum legisse pro למחכה לו, id est, expectãti se, למחכה לו id est, diligẽti se. Significat enim חבב per beth, diligere. חכה uero per caph, expectare. Et præterea ordinem inuertit, dum illud, oculus non uidit, primum posuit, deinde dẽ auditu subiecit. Ista libertas citandi scripturas sit Apostolis conueniens nobis non ita, quorum est magna cautione in citandis scripturis uti.

OBSER.

QVAE PRAEPARAVIT
Deus diligentibus se.

Solet hic locus citari de immensis futuræ uitæ bonis, quod illa captu & intellectu sint incompręhensibilia. Nec immerito, licet enim per fidem in Christum dignitatem illorum cognouerimus in multis, nondum tamen omnia, imò nec ista quæ cognoscimus, luculenter sed obscure adhuc & in ænigmate cognoscimus. Quàm uero magna sint & inæstimabilia, uel ex eo nobis coniecturandum proponitur, quod quæ in terris uisuntur & audiuntur, & corde percipiuntur ampla satis & splendida, imparia sint cœlestibꝰ & futuris bonis, quę certe non solum ob id quod occulta sunt, sed & quod infinita sunt & magnitudine & multitudine & diuturnitate, nullis possunt sensibus mortalium appræhendi, ne illis quidem, qui sunt alioqui omnium capacissimi. Quid enim cordis desyderio, ut de intellectu taceã, capacius & insatiabilius? Et tamẽ nec illud ad cœlestium bonorum amplitudinẽ sufficit siue intelligendam siue desyderandã. Iam sanè ampli-

A plissima sunt, quæ in scripturis legimus, quæ per Euangelij prædicationem audimus, quæ fide credentes percipimus, & tamen ubi ad ipsam illorum possessionem peruenerimus, ut cessante quod ex parte est, possideamus quod perfectum est, quid aliud nobis usuueniet, q̃ quod per figuram de regina Saba legitur, quę multo ampliora cernens apud Salomonem quàm rumore perceperat, stupebat & consternata dicebat: Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis & super sapiẽtia tua. Non autem credebam narrantibus mihi donec ipsa ueni, & uidi oculis, & probaui quod media pars nunciata mihi non fuerit. Maior est sapientia tua, & opera tua maiora sunt quàm rumor quem audiui. Hoc enim interest inter terrena & spiritalia, quod terrena auidius expetũtur absentia, & citius uilescũt præsentia, quia in se uilia sunt, & de se opinionum nostrarum uicio, plura & maiora promittunt, quàm præstare queant, cœlestia uero minus desyderantur absentia, & plus amantur possessa, nec tædium sui pariunt, eò quod maiora præstent possessa q̃ absentia promiserant.

1. Reg. 10.

II.

Notandum & hoc, quomodo Apostolus sapientiam illam Dei mundo absconditam, & cœlestia arcana, quæ per Euangeliũ prędicantur quidem, omnem tamen sensum superãt, in ea collocat, quæ nobis sint à Deo præparata.

B Quemadmodum si quis regis alicuius splendorem & diuitias inexhaustas commendaturus de illis dicat, quas populo suo pararit. Certe hic non tam gloriam & diuitias regis quàm summam in suos beneuolentiã & uicissim inæstimabilem ciuium eius regni felicitatẽ prędicaret. Huc & illud pertinet quod suprà dixit, quam præfiniuit ad gloriam nostram.

III.

Tertio loco expendendum est summopere, quibus bona illa infinita sint à Deo præparata. Non dicit omnibus in uniuersum, sed quibusdam tantum. Et illos connotat indicio tali, quod nobis queat esse cognitum. Ideo non dicit: Quę pręparauit Deus dilectis suis, quos ipse ab initio dilexit, sed, diligentibus se. Notius enim nobis est, an diligamus Deũ, quàm num diligamur à Deo. Quanquam enim innumeris modis Deus suam erga genus humanũ bonitatem declaret, non tamen inde potest colligi, qui nam sint quos ita diligat, ut æterna illis bona destinarit, eò quod Solem suum oriri faciat supra malos æque ac bonos. Et illud in propheta: Expectantibus se, similiter notam habet nobis cognitam. Nam ad fidem pertinet ista expectatio Dei, iuxta illud: Qui fidit illi non festinabit. Ergo expectabit. Cuiq; uero credenti, fides sua nota est, ut Apostolus 2. Corinth. 13. scribit, dicens: Vosipsos probate num sitis in fide.

Non dico ignorare fideles, quod diligãtur à Deo. Aliàs unde dixisset hic Apostolus: Qui dile-

dilexit me,& tradidit semetipsum pro me? sed licet fide sciamus nos charos esse Deo, minus tamen ignorare possumus, ipsi ne illum diligamus, uel secus, cum ea de re uniuscuiusq; possit conscientia indubitato testari, nec ulla specialis reuelatio ad cognitionē illius requirat.

Quid igitur? Tanti ne est dilectio nostra, ut illius respectu Deus ab æterno præpararit nobis tantam gloriam? Ergo non est electio Dei libera, sed eligēdorum probitati alligata? Deinde non ex bonitate Dei, sed ex futuro merito eorum qui dilecturi erant Deum, ortum habens? Ista nō sunt ex hoc loco colligenda. Neque enim hic traditur quid Deus eligēdo suos respexerit, sed simpliciter quæ sit nota eorum, qui ad æternam felicitatem electi sunt. Alioqui omnes iusticię nostræ, etiam tum cū sunt, ita sunt imperfectæ, ut scriptura eas comparet panno mulieris menstruatæ. Esa.64. & Augustinus recte dicat: Væ uniuersę iusticię nostrę, si remota misericordia iudicet. Et Paulus Ro. 5. Cum essemus peccatores, inquit, & inimici, &c. Quod ergo corruptum est & prauum, & ubi aliquid boni diuino munere accipit (quid enim habes quod non accepisti?) imperfectū & illud est, quomodo potest tantæ electionis esse causa, cum nondum est, quasi melius sit futurū ubi esse incipit, q̄ antea sit à Deo p̄scitū?

NOBIS autem Deus reuelauit per spiritum suum.] Suprà prædicationi Euangelicæ elogium sapientiæ Dei tribuit, dicens: Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio quæ est recōdita, hęc uero ad alteram particulam pertinēt, quam illi tradit, nempe, quod per spiritus reuelationem acquiratur. Habent autem occupationem. Nam quasi quis dicat: Si sapiētiam Dei prædicas talem, quam nemo principum huius sæculi cognouit, imò ea doces, quæ nec oculus quisquam uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, unde tibi horum est cognitio? Respondet. Nobis Deus ipse reuelauit per spiritum suum. Ergo cognitio Dei nulla alia ratione potest appræhēdi quàm per reuelationem Dei. Matth. 11. Datur reuelatio cognitionis horum mysteriorum & patri & filio. Hic & spiritui sancto. Ergo pater reuelat, filius reuelat, spiritus reuelat. Sol illuminat, radius Solis illuminat, splendor Solis illuminat.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in homine? Sic & ea quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei.

Ista probandi gratia ad proxime præcedentia subijciuntur. Dixit. Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum, quibus tria insunt.

1. Deus autem reuelauit.
2. Nobis.
3. Per spiritum suum.

De primo nihil subijcit. Neque enim opus erat. Nec de altero rationem reddit, cur sibi & quibusdam alijs, non autem omnibus. Superest ut tertiam particulam probare instituerit. Videlicet quod spiritus Dei reuelet ista ineffabilia arcana regni Christi. Probat autem duo necessaria. Primum quod possit. Huc pertinet quod dicit: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Ad reuelandi facultatem, hoc est docendi & illuminandi, requiritur scientia eorum quæ docenda sunt. Quia ergo dixit, nobis reuelauit Deus per spiritum suum, dat illi scientiam arcanorum Dei, idque omnium, ad quod utitur uerbo scrutandi, quia loquitur de arcanis Dei, de mysterijs mundo incognitis. Qui autem omnia nouit, eaque arcana, adhæc profunditates Dei, id est, abditissima & secretissima Dei consilia, certe is aptus est ad reuelandum quodcunque secretum.

Scrutatur omnia.

Verbum scrutandi nemo diuexet quasi humano more spiritus Dei res antea ignotas diligenti scrutinio, cogitatione, inquisitione ac ratiocinatione demum cognoscat, id quod humanæ infirmitatis est, non omniscientiæ diuinæ. Nihil aliud agit hoc uerbo Apostolus, q̄ quod scriptura facit, cum de Deo dicit, quod scrutetur corda & renes. Hoc est, omnia secreta intelligat & penetret sua scientia. Accommodauit uerbum scrutandi causæ de qua loquitur. Loquitur enim de mysterio abscondito, more humano pro more scripturæ, quæ de Deo perinde atq; de homine loqui solet.

Alterum, quod Apostolus probat, quod & propius ad propositum facit, est, quod non solum sciat omnia spiritus Dei, ideoque reuelare queat, sed quod solus omnia sciat. Exclusit enim omnem mortalium cognoscendi & intelligendi naturalem facultatem, deditque reuelationem arcanorum Dei spiritui Dei, atque ideo necesse fuit, ut non solum declararet, quod reuelare ista posit, sed quod solus etiā posit. Et hoc declarato, declaratū est & prius illud. Prius est ut scias aliquid, posterius ut solus scias, quod alij ignorant. Vbi de posteriore constiterit, de priore nemo dubitare poterit. Non potest enim non sapiens esse qui solus sapiens est. Hanc itaque particulam quomodo probat? Quis enim, inquit, hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine? Sic & ea quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei. Hic non colligit spiritum Dei scire, quæ sunt Dei, sed neminē præter illum scire quæ sunt Dei. Sicut in hypodigmate quod probandi gratia adducit, nō id tantum est, quod spiritus hominis sciat ea quæ sunt in homine, sed quod præter illum nemo ea sciat, nisi cui per illum reuelentur.

Abludunt autem à proposito, qui quærūt de Satana, an non & ille quæ hominis sint cogitata, sciat. Si scit ea, ergo non est Deus solus cardiognostes: deinde non est uerum quod hic dicit Apostolus.

Est autem argumentum à minori, omnium for-

fortissimũ. Si homo hominis secreta scrutari non potest, par paris, quomodo homo secreta Dei, minor omnium maximi scrutari poterit? Si reconditum quid habet homo, quod soli illius notum sit spiritui, quomodo secretum Dei extra illius spiritum cuiquam notum esse poterit? Si quod uicinum est & cognatum inscrutabile est, quomodo scrutabitur caro quae sunt Dei? terra quae sunt cœli?

Quoniam autem irrefragabile est primũ, neminem hominum scire quae sunt hominis nisi spiritum hominis, qui in eo est, deinde & quod ex eo infert, uidelicet nec quae Dei sunt, nota esse cuiquam nisi spiritui Dei, ideo audẽter interrogat, dicens: Quis enim, &c.

I.

Primum hic notandũ est, quàm nihil possint in rebus Dei liberi arbitrij uires, quamq; ratio humana cæca sit ad cognoscendam ueritatem Dei quę est in Christo Iesu. Sic Christus ad Petrum dicebat Matth. 16. Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et erunt omnes docti à Deo. Igitur nulla scientia, nulla sapientia, nulla rationis humanae industria quicquam poterit ad cognoscendam uolũtatem Dei, nisi accesserit reuelatio Dei, cuius hic meminit. Si enim nemo hominum, ne sapientissimus quidem scire potest quae sint hominis alicuius, etiam stultissimi, cogitationes, nisi accipiat eas per reuelationem, quomodo poterit quisquã scire cogitationes Dei, nisi accesserit reuelatio Dei? Hinc tamen non debet colligi inutile esse ministerium uerbi, quod humanitus administratur. Nam ita dispositum est à Deo, ut per auditum sit fides, & ministri uerbi sint ministri spiritus, & dispensatores mysteriorum illius. Ideo Paulus erat positus ad illuminandas gentes. Sic Galatas parturit in Christo. Et apostolos suos misit in orbem Christus, ut docerent omnes gentes. Et Ioh. 17. dixit: Nõ pro istis tantũ rogo, sed & pro illis qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Magna est utilitas ministerij uerbi, per cuius stultitiam salui fiunt credentes. Sed si accesserit numinis afflatus, & reseratio cordium, ut est in exemplo Lyddae purpurissae, Act. 16. Alioqui qui plantat nihil est.

Notandum autem est quod Apostolus loquitur de uera & uiua uoluntatis Dei cognitione, non de ea quae per exercitium scripturarum est tãtum, sine singulari reuelatione, quae magis opinio quaedam est, ad tempus durãs, incerta & fluctuans quàm certa scientia, unde & inefficax est, nec cor mutans, nec uitam innouãs, nullam fidem, nullam dilectionem uel Dei uel proximi, nullum timorem Dei adferens, cum ea scientia quae est per reuelationẽ Dei, hoc est, per afflatum spiritus Dei haec omnia secum adferat. Adiungatur igitur exercitio scripturarum, precandi sedulitas, adiunga- A tur animi humilitas, adiungatur desideriũ iustitiae. Nam spiritus Dei supra humiles & Deũ timentes conquiescit.

Esa. ult.

II.

Deinde in hypodigmate notandũ est, quod non dicit: Nemo nouit quae sunt in homine, sed: Quis hominum nouit quae sunt in homine? Licet enim cogitationes hominis sint inscrutabiles hominibus, Deo tamen sunt apertissimae. Magno quidem Dei consilio factum est, ut abditissimae sint nostrae cogitationes, nec cuiquam mortalium possibile sit illas cognoscere, quod ad conuictum nostrũ, posteaq̃ ita corruptis sumus affectibus, summopere necessarium est, maxima tamen prouidentia sibi soli reseruauit, ut sciat hominũ cogitationes, qui omnium est moderator. De hoc posteriore non cogitant filij huius sæculi, & priore abutuntur, pro sua prauitate, iuxta illud: Prauũ est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Et Esa. 29. Væ qui profundi estis corde, ut à domino absco ndatis consilium, quorum opera sunt in tenebris, & dicunt: Quis uidet nos?

Esa. 29.

Præterea & eos arbitror non esse bono ingenio prędito s, qui aliorum secreta curiose inuestigant, cum Deus ita ordinarit, ut densissimis tenebris sint hominibus hominum cogitationes opertæ, curiosum scilicet hominum genus scire laborat, quod curare nec uult, nec potest, imò de quo ubi cognouerit, magis doleat q̃ gaudeat, uel si gaudeat, puerse gaudeat. B

Nos uero non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo.

Redit ad id quod dixit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Quae nanque subijciuntur, nihil aliud agunt quàm quod docent arcana Dei nulli hominum, sed soli spiritui Dei scrutabilia esse, ideoq; illum solũ posse reuelare quae Deus præpararit diligentibus se. Iam resumit illud quod dixit, Nobis reuelauit Deus per spiritum suum, latius explicandum. Quomodo reuelauit Deus per spiritum suum? Per id scilicet, quod spiritum suum nobis dedit, hoc est, gratiam & operationem spiritus sui qua docemur, quae sint & quanta quę à Deo donata sint nobis.

Quid est autem quod non simpliciter dicit: Nos autem spiritũ qui ex Deo est accepimus, sed: Nos autem non spiritum mundi accepimus, &c. Et quid uocat spiritum mundi? Dixit neminem scire quae Dei sunt, nisi spiritum Dei, ut nec quae hominis sunt, nisi spiritũ hominis, ita nunc dat mundo, hoc est, mundanis hominibus, suum spiritum, uelut homini cuipiam, per quem intelligit eam partem, qua cõstat rerum cognitio, sapientia & intellectus, (Hoc enim loco de sapientia Dei & de humana loquitur.) ut spiritus mundi sit sapientia & intellectus mundi. Alioqui per spiritum & affectus aliquando, animus & uoluntas intelliguntur. Verũ hic Apostolo non agitur de affectib9.

Notan

Notat autem clanculum pseudapostolos, contra quorum peruersum studium ista scribit, qui magis mundi spiritũ referebant, quàm spiritum Dei, per sapientiæ humanæ studium non Christi, sed suam gloriam quærentes, crucem Christi non prædicantes, sed euacuantes. Horum gratia dicit: Nos autẽ non accepimus mundi spiritum, sed Dei. Quid ergo mirum si desyderatur in nobis, & suspicitur in illis humana sapientia? Gloriẽtur de mundi huius sapientia, qui mundi spiritum acceperunt, quęrant humanã sapientiam, si qui illam affectãt, non ab apostolis Christi, sed ab illis qui principis huius mundi sunt ministri, adeoq; & mundi spiritum acceperunt.

VT sciamus q̃ à Deo donata sunt nobis.]

1 Quæ sunt illa? Quæ per Christum accepimus. Dedit nobis filium, & cum filio dedit omnia, Rom. 8. Et infrà: Omnia uestra sunt. Nec satis est quod omnia nobis dedit, sed uult ut sciamus etiam istam ipsius erga nos paternam beneuolentiam. Et huius scientiam largitur per spiritum suum. Nam ille testificatur cordibus nostris, quod sumus filij Dei, & docet nos omnia. Ergo cognitio donorum Dei est per spiritum Dei.

2 Rursus scientia quæ est ex spiritu Dei, scientia est nõ rerum mundi, sed donorum Dei. Non enim est mundi, sed Dei spiritus, non in hoc datus (licet illi omnia etiam quæ mundi sunt, nota sint) ut mundi nos sapientiam, sed ea doceat, quæ à Deo nobis sunt donata.

3 Tertio ista scientia quæ ex spiritu Dei est, per reuelationem arcanorum Dei, licet sit omnium amplissima, limitata tamen est, non ad omnia in uniuersum quæ in Deo sunt sese extendens, sed ad ea tantum, quæ nobis necessaria sunt, ad cognitionem eorum quę à Deo nobis donata sunt. Alioqui infinita est diuinæ sapientiæ & consiliorum illius profunditas, magis adoranda quàm ad perfectum usque cognoscenda. Licet propensissimus sit erga filiolum pater, nõ tamen illi omnia sua secreta reuelat, sed ea tantum illi insinuat, quæ ipsi sint necessaria ad cognitionem paternæ dilectionis & beneuolentiæ, unde cõmodum hic Apostolus non dicit: Vt sciamus omnia Dei consilia, sed: Quæ à Deo donata sunt nobis.

4 Quarto, notandũ est quod non dicit, quæ à nobis exigantur per Deum, quæ illi debeamus, quo studio, quo timore debeamus illi obedire, cum tamen & ista cognitio ad pietatẽ pertinet, & ex spiritu Dei sit, sed quæ à Deo donata sint nobis. Et quod non dicit, quæ à Deo nobis sunt acquisita & emerita, sed donata, χαρισθέντα, hoc est, gratuito data. Licet enim magno precio, non tamen nostro, sed filij Dei, qui & ipse nobis donatus est, redẽpti sumus.

Ergo primarium est in scientia Dei quæ per spiritũ Dei est, ut cognoscamus quæ per Deũ donata sint nobis in Christo Iesu. Alioqui & mundi huius spiritu præditi, tradunt Deum esse timendum, colendum, idque non temporarijs donis, sed puræ mentis affectibus, ut uidere est in Catone:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic nobis pura mente colendus erit.

Et in Persio Satyra secunda:

Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à uirgine puppæ.
Quin damus hoc superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago
Compositũ ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctũ generoso pectus honesto.

Item quid debeamus quisq; proximo, pleni sunt philosophorum & poëtarũ libri. Quæ uero nobis à Deo sint per Christum donata, prorsus sunt spiritui mundi incognita, à quorum tamen cognitione omnis uera & solida pietas cùm erga Deum, tum erga proximum ortum, & uim suam habet.

Quæ & loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus, spiritalibus spiritalia comparantes.

QVAE & loquimur.] A scientia Dei, quæ per spiritum Dei est, transit ad doctrinæ ministerium, uel magis regreditur. Nam suprà de illo loqui cœpit. Illud duo habebat.

Primum doctrinæ genus mundo incognitum, & illius iudicio stultam prædicans redẽptionem, quæ est per crucem Christi. De hoc est quod dicit: Quæ & loquimur. Quasi dicat. Quid aliud loqueremur spiritu Dei imbuti, perque illum scientiam eorum quæ à Deo donata sunt, nobis adepti, quàm hoc ipsum qd' ex spiritu Dei didicimus? Didicimus autem non sapientiam mundi huius, sed eam quæ à Deo data est nobis, ut sciremus donorum illius munificentiam. Itaq; de illis & loquimur. Ergo doctrina Euangelij est, loqui quæ à Deo donata sunt nobis. Hanc doctrinæ primariam partem qui non tradit, nihil minus agit quàm doctorem Euangelicum.

Deinde doctrina Apostoli & hoc habebat, quod non humanæ sapientiæ persuasorijs uerbis, sed rudi ac simplici sermone tradebatur, qui auribus eorum quos delectabant rhetorum flosculi & enthymemata, uilis & cõtemptus habebatur. Ignorabant enim preciositatem eorum quæ docebantur, è qua sola rudi sermoni apostolorum suauitas omnium iucũdissima accedit. Huc respicit, ubi dicit: Nõ sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus. Quasi dicat. Quod prædicatio nostra non resipit humanam sapientiã, in causa est, quod non mundi sed Dei spiritu imbuti sumus, quem habemus non solum cordis nostri illuminatorem & doctorem, sed & oris gubernatorem & uerborum informatorem. Habent mundanæ sapientiæ mystæ suas loquendi formulas, bene illis utantur. Quę autem insania est ab illis qui è spiritu Dei loquũtus

tur exigere mundani spiritus idioma? quod nihil aliud est, quàm mundi huius spiritum constituere spiritus Dei doctorem ac præceptorē. Quod si pseudapostoli illi malunt esse mundani quàm diuini spiritus discipuli, quid mirū si & mundani spiritus loquelam exprimant? Nos autem quoniam illum non accepimus, neque illius magisterio utimur, libenter patimur desyderari in nobis istam humanæ sapiētiæ elegantiam, quam uelut spiritus Dei mystæ non immerito repudiamus, nō solum quę à spiritu Dei didicimus, sed & quomodo ad loquendum ab illo instituimur, loquentes.

SPIRITALIBUS spiritalia comparantes.] Hæc particula licet omnino ad præcedentia pertineat, trifariam tamen exponitur.

1 Primum, ferè omnes per spiritalia intelligunt doctrinam spiritus, & per spiritalibus, in masculino genere, spiritales homines spiritu Dei imbutos, ut sit sensus. Hi qui spiritū Dei acceperunt, intelligunt ex nobis spiritalem pariter & doctrinam & sermonem. Et huic sententiæ uidetur astipulari quod sequitur: Animalis autem homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei.

2 Deinde Chrysostomus exponit ad hunc modum. Spiritalia per spiritalium collationē probantes & declarantes, non per humanæ sapiētiæ persuasionem, rationes ac syllogismos. Vtpote partum uirginis, per id quod Adam & Eua non ex aliquo concubitu, sed Adam ex terra, & Eua ex Adam sunt conditi, & per sterilis Saræ, item Elizabet Zachariæ partū, & resurrectionē Christi ex figura Ionæ. Ergo Chrysostomo spiritalia spiritalib9 cōparare, est per spiritalium rerū testimonia, figuras & demonstrationes, quæ obscura sunt in fide nostra illustrare ac confirmare. Verum arbitror Apostolum huc non respexisse, hoc maxime loco.

3 Præterea Erasmus in Annotationibus suis (licet in paraphrasi priorem sententiam sit sequutus) dictione spiritalibus, non homines, sed res spiritales intelligit, quibus & spiritalia coaptari & conferri dicit, ubi illæ non mundanæ sapientiæ, sed spiritus Dei uerbis traduntur, ut generi sapientiæ ac doctrinæ respondeat & genus sermonis, & sit conformitas & σύγκρισις. Et hic sensus conuenit ipsi argumento, nam hac de re adhuc loquitur Apostolus. Collatio est & conformitas, quando dialectica dialectice, mathematica mathematice, rhetorica rhetorice, mundana mundane traduntur: cui rei plurimum studetur à singularum disciplinarū alumnis, ita conforme est ut & spiritalia spiritaliter seruata collatione tradantur.

Iterum ergo nouo argumento perstringit humanæ sapientię studiosos pseudapostolos, simulq; nostros magistros magis Aristotelem quàm spiritum Dei spirantes, ostendens studium illud eloquentiæ & sapientiæ humanæ referre, non Dei, sed mundi spiritum, & collationem & conformitatem non spiritalium, sed humanarum rerum resipere: simul defen-A dens sermonis Euangelici ruditatem contra contemptus ignominiam, qua per pseudapostolos & mundi sapientes grauabatur. Adiunge ista ad ea quæ suprà dicta sunt, ibi: Vt fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in sapientia Dei, & habebis quatuor fortissima argumenta contra humanæ sapientiæ in rebus fidei studium. Videlicet, quod sapientia mundi euacuet crucem Christi, quod det carni gloriam coram Deo, quod fidem nostram fundet in persuasorijs rationis humanę uerbis, & hic, quod resipiat spiritum non Dei, sed mundi. Vicissim ruditas sermonis Apostolici commēdat uirtutem crucis Christi, adimit carni, & dat Deo omnem gloriam, fidem nostram fundat in potentia Dei, & resipit spiritū Dei mentium nostrarū doctorē & linguę moderatorē.

Animalis autem homo nō accipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quoniā spiritaliter dijudicantur. At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse uero à nemine dijudicatur.

1 Faciunt ista ad latiorem declarationem eius, quod ostendit sapientiā Dei à nemine cognosci, nisi ab illis quibus ea per spiritum Dei reueletur. Confert autem utrinque cum hominem animalem, tum spiritum Dei, & docet ita esse comparatum hominē animalem, ut quæ B spiritus Dei sunt, nequeat cognoscere, quemadmodum si bestiam dicas cognoscere nō posse quæ hominum sunt. Plus enim interest inter animalem hominem & spiritum Dei, deinde & inter intellectū hominis, & ea quę sunt spiritus Dei, quàm inter hominem & bestiā.

2 Vocat autem hominem ψυχικὸν animalem à potiore hominis parte, anima scilicet, ut admoneat totum hominem ineptum esse ad res spiritales amplexandas. Si enim dixisset: Carnalis autem homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei, uisus fuisset eam tantum hominis partem, quę affectibus carnis corrupta est, & rationi repugnat, à cognitione & approbatione rerum spiritualium & diuinarū reijcere, non autem eam quam rationem uocamus, ita ut uiderentur notari tantum hi homines, qui propterea quod toti carnis rapiuntur affectibus, carnales uocari solent, quod ipsi tantū spiritalia approbare nequeant. Secus uero illi, qui quoniam rationis imperio obedire uidentur, non carnales, sed rationales & sapientes uocantur, quasi isti queant pro rationis industria de rebus iudicare diuinis, ut ita Sardanapalus & diues epulo in Euāgelio ueluti carnales excluderentur à cognitione eorum quæ spiritus Dei sunt, Plato uero & scribæ Iudæorum tanquam rationales & sapientes non excluderentur. Ne hoc quisquam suspicetur, nō dicit: Carnalis homo non accipit ea quæ Dei sunt, sed animalis homo. Id est, is qui iuxta animæ cognitionem & affectus uitam, & maxi-

ximè iuxta sæculum sapienter, instituit, quales suprà intellexit per principes huius mũdi.

3 NON accipit.] Vetus habet, non percipit, quod idem illi esse uidetur atque non intelligit, Græce est, οὐ δέχεται, quod hoc loco magis est, non amplectitur, non approbat, quàm nõ intelligit aut non percipit. Non enim loquitur hic de perceptione quę intellectu fit, quam infrà tanquam huius particulæ rationem subijciet, sed de acceptatione & approbatione, quę fit affectu. Aliud est amplecti affectu, quod sæpenumero absque iusta rerum cognitione fit, & aliud intellectu percipere, quod sæpe affectu non acceptatur. Neque enim omnia intelligimus quæ affectamus & amplectimur, nec rursus omnia amplectimur, quę qualia sint uere cognoscimus. Animalis autem homo nec amplectitur nec agnoscit ea quę sunt spiritus. Vtrunque illi dat Apostolus hoc loco: primũ uero, quod non amplectatur, non approbet ea quæ sunt spiritus: deinde, quod nõ cognoscat etiam, imò ne possit quidem cognoscere.

4 EA quæ sunt spiritus.] Intellige non solum ipsam doctrinã spiritus, sed & illius idiotismum rudem ac simplicem, utrunque nõ approbat animalis. Nam humanarum rerum & scientia tumet, & affectu languet, quia animalis est & carnalis. In ipsa natura utrinque diuersitas est, ut nec spiritus animalia, nec quod animale est, spiritalia probet. Nam caro concupiscit aduersus spiritũ, & spirit9 aduersus carnẽ.

5 Nec præter rationem est, quod non dicit: Ea quæ sunt Dei, sed: Quæ sunt spiritus Dei. Nam & animalis homo multa sanè approbat & amplectitur, & nouit etiam quæ Dei sunt, ut uidere est in scriptis philosophorum, & in ipso communi mortalium sensu. Mysteriũ uero regni Christi, & quæ Deus præparauit diligentibus se, quæ per doctrinam spiritus & intelliguntur, & prædicantur in Euangelio Christi, non intelligit, nec approbat animalis homo. Ideo quasi exponens superiorem particulam, qua dixit: Quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei, pro eo quod ibi dixit, quæ sunt Dei, hic posuit, quæ sunt spiritus Dei.

STVLTITIA siquidem illi sunt.] Hæc est ratio, cur animalis homo non amplectatur ea quæ sunt spiritus Dei. Quia uidelicet illi stulta uidentur.

1 Et hic uidemus primum quod per animalẽ hominem hoc loco intelligat hominem sapiẽtiæ studio deditum, & quæ sapientiæ uidentur amplexantem, quæ uero stulta, reijcientẽ. Nam indicat hac rationis redditione ea quæ spiritus Dei sunt, ideo non acceptari ab animali homine, quod illi stulta uideãtur. Alioqui homo carnalis & magis ex affectibus quàm rationis iudicio uiuens, quæ respuit, magis ob id respuit quod sapientiam uel resipiunt uel exigunt, quàm quod stulta uideantur. Nam ille non minus auersatur philosophiæ studium propter sapientiam quam non affectat, quàm animalis doctrinam spiritus, propter opinionem stultitiæ, quam fugiendam putat.

2 Deinde uidemus hic uerbum illud δέχεται, ut iam monui, non esse de intellectu, sed de affectu exponendum. Non enim ideo sapientes huius mundi doctrinam Euangelij non intelligunt, quod ea uideatur ipsis esse stulta, sed quoniam eam non cognoscunt, ideo stultam reputant, & quia stultam reputant, ideo non acceptant, sed respuunt, ut opinio stultitiæ sit fructus ignorantiæ, reprobatio uero Euangelij apud sapientes ex eo nascatur, quod doctrinam illius stultam esse putant. Igitur animalis homo, sapiens huius mundi, non acceptat, nõ approbat Euangelium, quia stultum illi uidetur, stultũ aũt illi uidetur, quia non intelligit.

3 Tertio patet etiam ex hac particula, quod quæ spiritus Dei sunt, à sapientibus mundi huius non solum non approbentur, sed & explodantur, & cum irrisione reijciantur. A sapientibus enim quæ stulta uidentur, summe fugienda putantur. Est enim stultitia sapientiæ ex opposito cõtraria, ut tolerabilius sit philosopho, quod molestum est, seuerum ac durum, triste & iniucundum, quàm quod stultum est. Nam illius professioni nihil adeo repugnat atque doctrina stulta. Quemadmodum igitur diuiti nihil est aduersum magis paupertate, arroganti nihil inuisum magis humilitate, & homini uoluptatibus carnis dedito, nihil ingratius cõtinentia & uitæ seueritate, ita sapientię studioso nihil magis ridiculum est doctrina tali quæ stultitiam resipere uidetur. Ergo illud οὐ δέχεται non solum hic Apostolo sonat, non amplectitur, sed magis positum est pro auersatur, respuit, explodit, & irridet. Nec id frustra est, quod non dixit, siquidem illi stulta uidentur, sed, stultitia illi sunt, quod apparet p auxesim dictum, ut ostendat ea quæ spiritus Dei sunt à sapientibus huius mundi stultissima uideri, imò ipsam esse stultitiam. Sicut hominem scelestissimum significantes dicimus, scelus est, pro scelestissimus est.

OBSER.

Hic locus summopere notandus est. Non enim priuatum quid & temporarium uel personale, sed generale & perpetuũ tradit, quod non minus nostro quàm Apostoli sæculo uerum est, ut non magis hodie sperandum sit Euangelium Christi placiturum hominibus animalibus, quàm unquam. Est enim animalis iste homo sibi perpetuo similis, & rursus ea quæ spiritus Dei sunt, sibi ipsis quoque perpetuo concordant. Vbi autem animali homini, & nihilominus carnali, Euangelium adeo displicet, quid non irrisionis & molestiæ illius nomine expectandum est Christi, & spiritus Christi ministris?

1 NEC potest cognoscere.] Velut rationẽ assignat, cur ea quæ spiritus Dei sunt, adeoq; & sapientissima, ab animali homine, id est, hominis ratione & intellectu tanquam stultissima reijciuntur. Quia illa, inquit, non intelligit.

git. Alioqui non uiderentur esse stulta, si ea intelligeret.

2 Et ne culpa huius detur hominis animalis desidiæ & negligentiæ, quasi posit ea iudicio rationis, si uires illius intēdat, cognoscere, adimit illi prorsus non solum intellectum diuinorum sed & intellectus facultatem dicēs: Nec potest cognoscere.

Quid ergo hic relinquitur uiribus rationis in cognoscendis rebus Christianæ fidei? Scilicet duobus uerbis, uelut fulminib⁹, prosternitur omnis conatus sapientum huius mundi in rebus Dei. Nec potest, inquit, cognoscere.

Ergo ubi animalis homo conatur ad cognitionem pertingere regni Christi frustra laborat, ubi de rebus spiritus disputat, garrit, ubi pronunciat, mentitur, ubi in religione statuit, temerarius est, ubi docet, seducit, ubi sectatores reperit, perdit. Quare? Quia non potest cognoscere. Quid igitur expectabimus in fidei Christianæ negocio decisionem animalium imò nonnunquam & carnalium?

1 QVONIAM spiritaliter dijudicantur.] Si quæras quare nequeat animalis homo cognoscere ea quæ sunt spiritus Dei, respondet, quia spiritaliter dijudicantur. Quid est spiritaliter aliquid fieri? Est ex sententia, instinctu, & iudicio spiritus fieri. Et quoniam hic de cognitione eorum quæ sunt spiritus Dei loquitur, spiritaliter res diuinas cognoscere, est eas cognoscere iudicio, ductu, & illuminatione spiritus sicut animaliter aliqd uel rationaliter cognoscere, est ex iudicio rationis cognoscere. Idem ergo est ac si diceret, animalis homo non potest cognoscere ea quæ sunt spiritus Dei, quoniā nō animaliter & cū iudicio rationis dijudicant, sed ex instinctu & iudicio ductuq; spirit⁹.

2 Dijudicatur inquit. Dijudicare non est cognoscere, sed ut cognoscas indagare, scrutari, discutere, examinare, ut fieri solet à sapiētibus, qui causarum, effectuum & circumstātiarum scrutinio ad rerum cognitionem rationis uiribus & iudicio perueniunt. Et hoc uerbo in loco utitur, ut indagationes & scrutinia philosophorum traducat & reijciat, doceatque impossibile esse, ut hac uia perueniatur ad cognitionem eorum quę sunt spiritus Dei, eo quod illa nō rationis sed spiritus Dei iudicio & scrutinio cognoscantur.

3 Cauendum est hoc loco commētum eorū, qui particulam hanc exponunt de allegorijs abstrusioribus, quas putāt esse spiritalem dijudicationem per quam ueniatur ad cognitionem eorū quæ sunt spiritus Dei, cum illæ plerunque magis rationalem industriā & discussionem scripturæ animalem resipiant quàm iudicium spiritus. Spiritaliter dijudicare, non est allegorice scripturam exponere, sed ex reuelatione spiritus mentem Dei cognoscere.

AT spiritualis dijudicat quidē omnia, ipse uero à nemine dijudicatur.] Discernit spiritualem ab animali. Vocat autem spiritualem eum qui spiritu Dei illuminatur, qui spiritus

A iudicio non rationis sapit, qui spiritus ductu non affectuum carnalium uiuit. Nihil hic loci est illis, qui ecclesiastici tantum ordinis gratia spirituales uocantur.

2 DIIVDICAT omnia.] Dijudicat, nō rationis indagatione, sed spiritaliter, iudicio spiritus, per quem in cognitionem rerum spiritualium ducitur.

Omnia. Non intellige uniuersaliter de quibusuis, sed de ijs, quæ sunt spiritus Dei, de quibus Euangelium Christi prædicat, & quæcūque ad illa pertinent.

3 IPSE uero à nemine dijudicatur.] Nemo animalis potest dijudicare, æstimare & cognoscere spiritalem hominē. Vt est Ioh. 3. Spiritus spirat ubi uult, & uocē eius audis, & nescis unde ueniat aut quo uadat, sic est omnis qui natus est ex spiritu. Spiritalem enim esse, spiritaliter intelligere, spiritaliter uiuere, talia sunt, quæ non possunt rationis iudicio compræhendi. Ideo illud, à nemine, non est uniuersaliter de omnibus hominibus, sed de ijs tantum accipiendum, qui non sunt spiritales. Mūdus, inquit Iohannes, nō nouit uos quia non nouit Deum.

Ioh. 3.

1. Ioh. 3.

4 Hæc uerba à nonnullis aliter exponuntur. Ambrosio uerbum dijudicandi idem est atque condemnādi, ut, Quoniam spiritaliter dijudicatur (nam in singulari legit, & ad animalem hominem refert) idem sit atque, spiritaliter condemnatur. Sic spiritalis iudicat omnia, id est, per illius exemplum condemnātur

B increduli. Et ipse à nemine iudicatur, id est, cōdemnatur. Ita & Hieronymus. Theophylact⁹ illud, Spiritalis dijudicat omnia, intelligit de eo quod omnia quæ mundi sunt, spiritalis tāquam uana iudicet. Et ipse à nemine dijudicatur. Id est, inquit, à nemine arguit. Est ex recētioribus qui hāc particulam, & ipse à nemine dijudicatur, referat non ad spiritalem hominē sed ad ipsum spiritum Dei propter sequentia, quod licet in se uerum sit, uerborum tamē cōtextui non admodum congruit.

Quis enim cognouit mentem domini? Quis cōsilium dabit illi? Nos autem mentem Christi tenemus.

1 Locum desumit ex propheta Esa. cap. 40. quo & in Romanis capite undecimo usus est. Probat autem hic illud quod supra dixit, Quę sunt Dei nemo nouit, nisi spirit⁹ Dei, &c, quod iam primū posuit, spiritalis dijudicat omnia, ipse uero, ut spiritalis, à nemine dijudicatur. Si enim nemo cognouit mentem Dei, nisi spiritus Dei, certe firmum est, quod nemo cognoscat illam per rationis iudicium, & quod soli spiritales eam cognoscant & quod illi à nemine cognosci queant. Quæ hic notanda sunt, uide in Commentarijs nostris super Epi. ad Ro.

2 Nos autem mentē Christi tenemus. Mens Christi est mens Dei, secretum illud cōsilium Dei. Christum autē ponit, quia per illius fidē dat spirit⁹, & per spiritū reuelatio mentis Dei.

CAPVT III.



T ego fratres non potui loqui uobis, ut spiritalibus, sed loquendum fuit ut carnalibus, ut infantibus in Christo. Lactis potu uos alui & non cibo. Nōdum enim poteratis, imò ne nũc quidem adhuc potestis. Nam adhuc carnales estis. Siquidem cũ in uobis sit æmulatio & contentio, & factiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Etenim cum dicat aliquis, ego quidem sum Pauli, alter uero ego sum Apollo, nonne carnales estis?

Redit hoc capite ad id quod primo cœperat, ut διχοστασίας quas inter se Corinthij alebāt corrigat. Calumnię pseudapostolorum & omnium mundi sapientium obnoxia erat cum doctrina Pauli, tum ipsa personę humilitas, & sermonis ruditas, qua doctrinam stultitiæ nomine eleuabant, sermonem uero uelut rudem & abiectum explodebant, cui calumnię obuiā perrexit capite secundo. Nam ex isto contemptu crucis Christi & humilitatis Apostolicæ, uelut ex fonte, fluxerat ἡ διχοστασιῶν ἀφορμὴ, insinuantibus sese Corinthiorum animis pseudapostolis, nomine sapientiæ & eloquentiæ, ut contempta simplici crucis Christi doctrina, discipulos post se traherent, & ecclesiam Christi scinderent. Iam quoniam & hoc plurimum ad id mali faciebat, quod doctrinam pseudapostolorũ, cum simplicitate eius quam initio ut elementariam ab Apostolo acceperant conferentes, illam admirabātur uelut sublimem & perfectiorem, istam uero uelut rudē & humilē fastidiebant, & ob eam causam maiora de pseudapostolis quàm par erat sentientes, in illis gloriabantur, seque illorum discipulos esse iactabant: primum isto capite imperfectioris doctrinæ causam per translationem in auditorum qualitatem conijcit, deinde subiūgit, quàm nemo debeat etiam de ministris Christi sentire & gloriari ultra quàm condignum sit, nedum de illis qui sapientiæ nomine turgent.

ET ego fratres nō potui loqui uobis ut spiritalibus.] Capite sequenti uidere est, quàm saturi fuerint Corinthij, & nomine eius doctrinę quā pseudapostoli tradebant, ita inflati, ut quæ ab Apostolo acceperant plane fastidirent, & in pseudapostolorum sapientia gloriantes dicerent: Talia tamq; præclara & sublimia à Paulo antea non audiuimus. Quàm insipida & rudia nobis tradita sunt hactenus istis collata, quæ nunc audimus? Hi sunt ueri doctores, qui ueram nobis adferunt doctrinā, qui nobis quæ hactenus latuerunt, in lucem proferunt. Paulus istis comparatus plane stultus, imbecillis & uilis est. Isti cogitationi occurrit per translationem. Non dicit, cum ueni rem ad uos sublimiora uobis tradidi, quàm quæ nunc auditis, sed, non potui uobis loqui ut spiritalibus, sed loquendum fuit, ut carnalibus. Quasi dicat. Verum est non tradidi uobis initio sublimiora & perfectiora, sed qua ratione id factum est? An ex mea ignorantia & sermonis inopia? Nequaquam, sed ex uestra imbecillitate, cuius cogebar habere rationem. Videndum enim mihi erat, quid uos capere possetis, non quid ego tradere possem. Non poteratis autem sublimia & perfectiora capere, eo quod carnales essetis, quales etiamnum estis, ideoque mihi loquendum ad uos fuit nō uelut ad spiritales sed uelut ad carnales. Rursus autem uocat eos fratres, quo sermonem hunc aliàs ingratum nonnihil mitiget.

VT infantibus in Christo. Lactis potu uos alui, & non cibo.] Similitudine declarat, cur non potuerit illis initio sublimiora tradere. Facit se parentem, ut & infrà capite 4. dicit: Non multos habetis patres. Siquidem in Christo Iesu per Euangelium uos genui. Illos facit infantes in Christo & paruulos. Parentis est rationem habere ætatis & imbecillitatis liberorum suorum, illosque ita alere, ut proueh at, non ut perdat. Hoc facit, ubi cibum accommodat illorum ætati & capacitati, infantibus lac & pulmentum, adultis solidum cibũ porrigens. Ita Apostolus Corinthijs quos in Christo genuerat, primũ ea quæ essent captui ipsorum accōmoda tradidit, quæ hic lacti cōparat, quæ perfectiora erant reseruans, donec in Christo uegetiores redderentur.

QVAE SINT HIC *obseruanda.*

I.

NON potui loqui uobis.] Quærendũ hic, quomodo nō potuerit Apostolus Corinthijs sublimiora ob id tradere, quod carnales adhuc essent, & infantes in Christo, cum tamen pseudapostoli potuerint illis sublimia proponere? Quis enim etiam stultissimus nō potest sublimia quæque proponere, licet non intelligantur? Respondeo. Elucet quidem hac in re Apostoli prudens dispensatio, qua quibusuis nouit competētem cibum subministrare, quæ & omnibus est imitanda Christi ministris, quam & Christus ipse seruauit aliter instruēs discipulos & aliter populum, uobis, inquit, datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Et inter ipsos discipulos quoque hac in re discreuit ubi Petrum Iacobum & Iohannem seorsum in montem secum, & ad secessum precandi in hortum relictis alijs assumpsit. Item cum dicebat Ioh. 16. Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Verum præter hanc prudentiam spiritus obseruandum est quàm fidelis fuerit Apostolus erga Corinthios in opere domini, in eo quod non quæ ad gloriam sibi, sed quę ad illorum facerent utilitatem cōsyderauit

ſyderauit & propoſuit, qui affectus quęrendę ſalutis illorum cohibuit deſpenſationis apoſtolicæ curſum, ut nequiuerit alia tradere, q̃ quæ illis eſſent compræhenſibilia adeoque & utilia. Contrà uero pſeudapoſtoli, longe aliter affecti, non Chriſtianorum profectum ſed ſuã ipſorum ſpectantes gloriam, non expenderũt auditorum uires quid illis conducere poſſet quid non, ut paulatim ad ſolidiora proueherentur & in Chriſto creſcerent, ſed quid eſſet auditu magnificum ſplendidum & plauſibile, etiam ſi nunquam caperetur, uel ſi caperetur, nihil conferret, aut etiam obeſſet, idque propoſuerunt non patres ſed pædagogos agentes, ut infrà dicet: Et ſi multos habetis pædagogos, non multos tamen habetis patres. Cõmendatur itaque nobis hoc loco prudentia pariter & fidelitas germanorum Chriſti miniſtrorum, quam ſequamur, & uiciſsim infidelitas pſeudapoſtolorum quam fugiamus. Qui malunt uideri uel inſigniter docti, & ſęcularis quoque eruditionis haud expertes, uel ſingulariter eloquentes, aut ſolito ſublimiora & hactenus à nemine tradita adferẽtes, nihil hi minus quàm ædificationem imperitorum ſpectant, ſed toti eò collimant, ut quam quærũt inanem gloriam eleganter & erudite dicendo, & ſingularia quædam docendo conſequãtur. Hoc genus concionatorum alienum eſt à Canone apoſtolico, quo à miniſtris Chriſti ac diſpenſatoribus myſteriorum Dei requiritur, ut fideles inueniãtur. Qui ſic docent, non modo inutiles ſunt ad paſcendum gregem domini, ſed & inſtructi ad ſeducendum, præſertim ſi qualiſcunque acceſſerit hypocriſis.

II.

SED loquendũ fuit, inquit, ut carnalibus.] Quęrendum ſecundo loco, quomodo Corinthios uocet carnales, cum infrà cap. 4. dicat: In Chriſto Ieſu per Euangelium ego uos genui. Et hoc loco. Vt infantibus in Chriſto, lac potũ dedi. Si erant Chriſto per Euangelium nati, atque ita infantes in Chriſto, certe habebant ſpiritum ſanctum. Qui nanque ſpiritum Chriſti non habet hic nõ eſt eius Rom. 8. Et infrà hoc capite. An, inquit, neſcitis quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in uobis? Si ſpiritum ſanctum habebant, quomodo erant carnales? Aut quid aliud eſt eſſe carnalem, quàm non eſſe ſpiritalem & ſecũdum carnem affici, ac uiuere? Reſpondemus carnalem bifariam uocari. Primum carnales uocantur qui prorſus ſecundum carnem uiuunt, & plane expertes ſunt ſpiritus Chriſti ac gratiæ Dei, nondũ regenerati ſed adhuc toti in uetuſtate carnis peccati conſtituti. De illis legere eſt Rom. 8. Qui carnales ſunt, quæ carnis ſunt curant: Itẽ Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, uos autem in carne nõ eſtis, ſiquidem ſpiritus Dei habitat in uobis. Deinde carnales uocantur etiam illi, qui licet ſint in Chriſto regenerati, ſunt tamen adhuc infirmi, & paruuli in Chriſto cum quod cognitionẽ attinet tum & A affectuum carnalium mortificationẽ, quales ſunt hoc loco Corinthij, qui denominatione ab eo quod excellebat ſumpta carnales uocantur. Siquidem ſuperabant hac in re & pleriſq; alijs carnales in illis affectus, quorũ gratia carnales dicuntur, iuxta quam denominandi rationẽ & ſpiritales uocari ſolent, qui tamen nõ ita ſpiritales ſunt, ut prorſus uniuerſis carnis ſint affectibus liberati, ſed ita uocantur, ob id quod ſpiritalis in illis & cognitio & cõuerſatio potiores habeat.

Habet ſpiritalis natiuitas ſuos gradus quibus paulatim adſurgit ad maiora, donec perfectionem attingat, & iuxta graduũ iſtorũ progreſſum plerunq; & denominationem ſortiũtur qui ex ſpiritu regenerati ſunt, ut carnales uocentur quatenus plus ex carne quàm ex ſpiritu uiuunt, infantes, cum adhuc rudes ſunt ac teneri, nondum exercitatos habentes ſenſus in cognitione & uita Chriſti, infirmi, cũ fide, ſpe & patientia nondum ſunt corroborati, ſpiritales, fortes, perfecti, quando adulti in cognitione Chriſti, in fide, ſpe, charitate, patientia & uita Dei promouerunt. Ita etiam de ſeipſo diſputat Apoſtolus Rom. 7. hac ratione ſe carnalem uocans, eo quod legi peccati in carne nõnihil eſſet obnoxius. Ita & cõmunis uſus obtinuit ut inſenſatos, & ſtultos uocem⁹ eos, qui tamẽ non prorſus ſunt rationis expertes, ob id quod plus in uita oſtendant ſtultitiæ q̃ ſapientiæ, ſapiẽtes uocemus non eos, qui principia quædam ſapientiæ habent, ſed eos qui B nonnihil in ſapientia progreſsi, ita uiuunt, ut indicia de ſe ſingularis ſapientiæ præbeant.

III.

LACTIS potu uos alui inquit, & nõ cibo.] Tertio, quęrendum eſt, quam doctrinæ Chriſtianæ partem intelligat per lactis potum, & quam per cibum. Quid illis primum dare potuit, niſi quod & acceperat à domino, & reficiendi uires haberet? Acceperat autem à domino Euangelium prędicandum quemadmodũ ſuprà dixit: Non enim miſit me Chriſtus baptizare ſed euangelizare. Nec alia erat prędicatio quæ animã poſſet regenerare, quàm hęc ipſa, ut & infrà dicet, per Euangelium ego uos in Chriſto genui, nulla item alia facit ad recens regeneratę mẽtis refectionem. Nam & ſuprà dixit: Viſum eſt Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Et Rom. 1. Euãgelium eſt uirtus Dei ad ſaluandum credẽtes. Quis ergo eſt ſolidus cibus, quem infantes in Chriſto Corinthij non poterant capere & ferre? An alia quædam doctrina præter Euangelium Chriſti, quemadmodum aliud adulto datur cibi genus, quàm infanti? Eiuſdem enim generis non ſunt, lac & panis.

Nequaquam alia ſed eadem Euangelij doctrina & lac eſt & panis. Lac infantib⁹ in Chriſto, panis iã adultis. Quomodo? Ita uidelicet, ut gloria gratiæ, potentię ac regni Dei in Chriſto latius & clarius exponatur adultis quàm rudibus adhuc & recentib⁹. Velut lac eſt, quã-

do docetur, unum esse Deum, hunc mundi mi sertum misisse filium in carnem, illumque nostræ salutis gratia tradidisse in morte, ut quotquot in illum credunt, habeant uitam æternā, resipiscendum esse à uitæ pristinæ erroribus & moribus corruptis, baptizandum esse in nomen Christi, in remissionem peccatorum, credendum esse mortuorum resurrectionem, & uitam æternam, item iudicium futurum uiuorum & mortuorum. Ista & consimilia, qualia omnino habet initialis etiamnum fidelium institutio Symbolum illud fidei Christianæ, lactis similitudine intelligenda sunt non quod in se sint modica, sed quod primum simpliciter credenda non exacte intelligenda proponantur. Quāta uero sit amplitudo & maiestas dispensationis regni Christi, quanta gloria bonitatis & potentiæ Dei, quantaque illius sapientia in Christo, de quibus admonet nonnulla Apostolus Eph. 1.2.3. Coloss. 1. si quis statim uelit proponere ijs, qui recens in Christo sunt nati, perinde faciet, atque si quis panem uelit statim proponere infantibus.

Ebr. 5. 6. Ad Ebr. cap. 5. & 6. ista apertius ac fusius tradūtur, unde loci hui9 declaratio petēda est.

Ioh. 16. Et id quod Iohan. 16. Christus dixit: Adhuc multa habeo uobis dicere, quæ non potestis portare modo. Adhuc infantes erant apostoli, lac bibebant non solidum cibum edebant carnales & ipsi, non quæ Dei sed quæ hominum sunt sapientes, deinde & de primatu inter se contendentes, unde non poterant solidiorem cibum adhuc ferre. Pœnitendum esse, & credēdum Euangelio, adesse regnum Dei, hunc Iesum esse filium Dei in quo uno sit salus, utiq; acceperant & confessi quoque iam fuerant. Mysteriū uero mortis Christi, resurrectionis, ascēsionis & glorificationis, deinde rationem regni illius & dispensationem per uirtutē spiritus, quæ omnia post acceptum spiritum demum cognouerunt, nondum ferre poterant, quæ uelut solidus cibus erant.

Proinde qui hunc locum exponunt de cęremonijs ac ritibus ecclesiæ quasi discipuli tum nondum potuerint intelligere talia, plane ridiculi sunt. Quemadmodum & illud pontificia sublimitate dignum est, quod 35. quæst. 5. Quædam lex, ubi præsens Apostoli locus citatur, per lac intelliguntur illicita initio concedenda, per solidum cibum grandiora postea grauamina imponenda.

Itaque non est aliud atque aliud doctrinæ genus per lactis potum & solidum cibum intelligendum sed plane idem, non re, sed auctu & explicatu diuersum, perinde atque fides ipsa in Christum & cognitio regni eius, non est alia in imperfectis & alia in perfectiorib9 sed omnino eadem, licet auctior in istis quàm in illis. Ita Basilius de sua fide scribit epistola 79.

Basilius. ὥσπερ γὰρ τὸ σπέρμα αὐξανόμενον, μεῖζον μὲν ἀπὸ μικροῦ γίνεται, ταὐτὸν δὲ ἐστὶν ἑαυτῷ, οὐ κατὰ γένος μεταβαλλόμενον ἀλλὰ κατ' αὔξησιν τελειούμενον, οὕτω λογίζομαι καὶ ἐμοὶ τὸν αὐτὸν λόγον διὰ προκοπῆς ηὐξῆσθαι, οὐχὶ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐξ ἀρχῆς ἐνόντος, τὸ νῦν ὑπάρχον γεγενῆσθαι. Non alia lux in oculos cæci incurrebat, cum homines uidebat uelut arbores, & alia cum omnia recte cernebat sed utrobiq; eadem, licet clarior postea quàm antea, nec alia uidebat postea quàm antea, sed eadem uerum clarius quàm antea. Eadem lux est quam uident infirmi oculi, eiusdemque Solis, quam & unde uident sani, nec quicquam interest, nisi quod isti Solis splendorem plenius intuentur, illi uero minus ferre possunt. Ad hunc modum habet & captus doctrinę Euangelicæ in credentibus pro ratione auditorum dispensandæ. *Marci 8.*

Nondum enim poteratis, imò ne nūc quidem adhuc potestis. Nam adhuc carnales estis.

Rationem subiungit, quare nondum potuerit illis loqui uelut spiritalibus. Nondum enim inquit poteratis, uidelicet capere, uel ferre. Nam tale quid subintelligendum est. Non dicit: Nondum enim poteram, sed nondum poteratis.

IMO ne nūc quidē adhuc potestis inquit.] Deijcit hic factum eorū. Putabāt enim se plurimum excreuisse rerum spiritaliū intellectu, ita ut simplicitatem doctrinę Euangelicę spernerent, quam tamen nondum rite intellexerant, atque eam ob causam ad sublimiora adspirarent intempestiuius, perinde atque in disciplinarum studio plerunque fieri uidemus, ut antequam prima elementa rite cognoscantur ad ulteriora plerique properent. Traducit simul & pseudapostolorum temeritatem, & infidelitatem, qui rudes adhuc à lactis cibo auocabant ad sua ipsorum figmenta, culpabiles plane, etiamsi illos ad uera spiritalia percipienda intempestiuius prouocassent.

NAM adhuc carnales estis inquit.] Ratio est, quare nondum illos posse dicat. Taxat autem illorum ignauiam, quod non dicit: Nam carnales estis, sed, Nam adhuc carnales estis. Quasi dicat. Tempus quidem esset, ut solidiorem cibum caperetis uerum uestra ignauia fit, ut necdum illum capere queatis, quandoquidem perpetuo carnales esse pergitis. Sic Ebr. 5. dicit: Etenim cū deberetis esse magistri propter tempus rursum indigetis, ut uos doceamini quæ sunt elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo.

Siquidem cum inter uos sit æmulatio & contentio, & factiones, nonne carnales estis?

Probat arborē ex fructibus. Quod adhuc carnales sint, probat ex operib9 carnis, de quibus uide Gal. 5. inter quæ connumerantur & æmulatio, & contentio, & sectæ.

I.

Obseruandum autem est, quare non obijciat fornicationis immundiciam deinde & cōmessationes, & quæ huiusmodi & ipsa sunt opera

opera carnis, cum æque istis essent Corinthij obnoxij, ut infrà uidebimus cap. 5. & 11. Quid est quod ad probandum quod adhuc carnales sint producit æmulationem, cõtentionem, & factiones? Primum quia cœperat hoc malum ante omnia corrigere, ideo ista inducit. Deinde cœpit autem illud ob id ante omnia corrigere quod esset perniciosissimum, & prætereà generalius. Nam fornicationi unus, & comessationibus diuites tantum leguntur obnoxij fuisse. Ideo particularibus malis reseruatis, primum, quod totum Christi corpus occupabat emendare instituit. Quemadmodum enim periti medici est, eum morbum cum primis curare qui & perniciosior est, & non unius tantũ membri sed totius corporis uires populatur, ita & hoc loco faciendum erat prudenti Apostolo in curandis morbis animorum.

II.

Deinde & hoc est notandum, quàm erret, qui per contentionem putant posse ad rerum spiritalium cognitionem pertingi, cum hic Apostolus aperte doceat, per æmulationem, cõtentionem, & factiones, impediri cognitioné rerum spiritalium. Quare? Quia animi carnales sunt, nec apti ad percipiẽdum ea quæ sunt spiritalia, ideo quod carnalibus affectibus sint excæcati. Deinde quicquid traditur non ita acceptatur ut ueritas cognoscatur, & pietas prouehatur, sed ut contentio & factio foueatur. Exigit enim captus spiritalis doctrinę animum limpidum ac purum, qui non sit carnalibus affectibus perturbatus. Talis autem non est, qui spiritu æmulationis & contentionis laborat. Vnde est illud: Nimiũ altercando amittitur ueritas.

III.

Notandum est etiam hoc loco, unde sint factiones & sectæ in ecclesia. Primum quidem ex carne, ut qui sectarij sunt, licet uideatur esse spiritalissimi, reuera tamen carnales existant. Propius autem ex zelo uel æmulatione, quãdo alius pro alio zelo ducitur. Nam hinc oriũtur contentiones dum quisq; eum in quo gloriatur cupit ad cœlum usq; euehere, reliquos ad infernum deturbare. Et ubi ita contẽditur, statim nascũtur sectæ & factiões, ut scindatur unitas corporis Christi. Proinde in hoc est Apostolus, ut auferat primum istud æmulationis studium quod sciat illo sublato, cito Corinthios posse ad concordiam reuocari.

ET secundum hominem ambulatis?] Ergo carnalem esse, idem est atq; secundum hominem ambulare, id est, humanis duci affectibus. Nec carnem nec humanam naturam dãnat Apostolus, sed illius corruptionem. Illam notabat & Christus in Petro Matth. 16. cum diceba t. Abi retro me Satã. Non enim sapis quæ Dei sed quæ hominum.

ETENIM cum dicat aliquis, ego quidem sum Pauli, &c.] Probat eos esse æmulatores contentiosos & sectarios ideoque & carnales A ex ipso facto, quod negare non poterant. Atq; ita redit ad institutum, quod cap. 1. cœpit.

Quis igitur est Paulus? Quis Apollos? nisi ministri, per quos credidistis?

Posteaquam per translationem causam imperfectioris doctrinæ, quam contemnebant saturi Corinthij, imbecillo illorum captui deputauit, causatus eos ut carnales & infantes in Christo sublimiora capere non potuisse, neque dũ etiã posse, ut qui adhuc carnales sint, progreditur ad alteram huius capitis partem, nimiam & præposteram admirationẽ pseudapostolorum demoliturus, quæ plurimum faciebat ad studiũ sectarum, quo laborabant.

Demolitur autem eam ratione cum efficaci tum prudenti. Efficaci, per id, quod ostendit quo loco haberi & cuius æstimari debeant Christi ministri. Quicquid enim nimium est non potest melius restringi, quàm si ad iustũ modum reuocetur. Est suus cuique ęstimationis, honoris ac dignitatis modus, ad quem, si quid accesserit superflui, reformãdum est. Prudenti ratione utitur in eo quod non aliorum sed suam ipsius & Apollo personam inducit, in quibus declaret, quàm non debeat quisq̃ plus æquo de Christi sentire ministro, quod ob id facit, ne uideatur non tam ipsorum mederi malo quàm suæ consulere gloriæ, & ut hanc causam, alioqui periculosam, dextere καὶ μετὰ παῤῥησίας tractare queat. Et hoc est, quod B confidenter dicit: Quis est Paulus? Quis est Apollos? quod cum minore suspicione facit q̃ si diceret, qui sunt isti uestri apostoli, quos admiramini & tantum non adoratis? Vbi non putaretur dicturus unquam, Quis est Paulus?

Illud autem. QVIS est Paulus? Quis est Apollos?] Vetus sic habet. Quid est Paulus? Quid est Apollos? Verũ Græca habent, τίς ἐστιν, quis est, quod tamen ipso Apostoli sensu nihil aliud est, quàm quid est, id est, cuius momenti est, uidelicet, ut dignus sit, cui nomen det quisquam, uelut religionis authori. Innuit autem neminem apostolorum & ministrorũ Christi tanti esse debere, ut ipsius se quisquã esse dicat, cum omnes simus Christi. Vrget itaq; rogando. Quis est Paulus? Quis est Apollos? quemadmodum solemus rogare de illis, quinam sint, quos uidemus plus æquo coli, & supra modum extolli.

NISI ministri.] Hic est modus æstimandi apostolos. Ministri sunt, non domini. At ministrorum non est trahere post se discipulos, nec illis quisquam licite nomen dare potest, ut illorum esse se dicat cum solius sit domini, qui caput est & princeps electorũ omnium. Sic infrà cap. 4. Sic nos existimet homo tanquam ministros Christi.

PER quos credidistis.] Non, in quos credidistis, nec, qui uos ad fidem adduxerũt, sed, per quos credidistis, id est, per quorum ministerium uos Deus ad fidem filij sui adduxit. ἀνθρώπους, inquit Chrysostomus, δι᾽ ὧν ὁ διακονούμενος

μὲν ὁ τοῖς ἀγαθοῖς, ἀλλ' ὁ παρέχων αὐτὰ καὶ διδούς. At beneficij gloria, nō ministro sed ipsi benefactori ac largitori debetur.

OBSER. I.

QVIS est Paulus?] Admonemur hoc loco q̃ libere existimationē eorum eleuare debeamus, qui supra quàm par est in ecclesia Christi extolluntur, etiamsi sint ueri Christi ministri, imò apostoli, per quos primum in Christum credere cœperimus. Audiant igitur qui Petri apostoli uolunt esse discipuli & successores, illumque sic constituunt ecclesiæ caput, ut primatū uniuersalis ecclesiæ in successores suos quasi hæreditario transmittere potuerit. Dicant nobis, quis sit Petrus. An non minister Christi? In hoc illum ordine relinquant. Quid uero de illis dicendum est, qui cum nō sint ministri Christi, nec aliquē ad fidem Christi adducant, nihilo tamen minus dominium sibijpsis uindicant in ecclesia, & quiduis mandādi ac præcipiendi potestatem? Si recte dixit Apostolus: Quis est Paulus? Quis est Apollos? quāto iustius nos dicemus: Quis est iste pōtifex? Qui sunt isti equestres Episcopi, nisi domini ecclesiarum, per quos non credidimus sed perditi sumus?

OBSER. II.

Notandum est, quod dicit, per quos credidistis. Videtur extenuare ministerium uerbi, uerum si recte reputes illud pulchre cōmendat ab effectu. Licet enim non sit primaria fidei causa, sed secundaria & instrumentalis, magnum tamē uel hoc est esse instrumentū fidei ad salutē. Nam ita uisum est Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, ut ad Rom. 10. merito prophetæ exclamationem, Quàm pulchri sunt pedes annunciantiū pacem, annunciantium bona, ministris Euangelij applicet. Et hoc pacto, ubi uidetur se & Apollo deijcere, non parum sibi honoris cōtra contemptum quo laborare cœperat apud Corinthios uindicat, per id, quod effectum prædicationis suę commemorat dicens. Per quos credidistis. Et ideo non dicit, qui uobis annūciarūt fidem Christi, sed per quos credidistis.

ET ut cuique dominus dedit.] Gręce, καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ κύριος ἔδωκεν. Et cuique sicut dominus dedit. Videtur aliquid desyderari, uel, ut Erasmus reddidit, legendum esse, Et ut cuique dominus dedit, καὶ ὡς ἑκάστῳ ὁ κύριος ἔδωκεν. Similis loquutio, ijsdemque uerbis est Rom. 12.

Deinde ita posita est hæc particula ut tam ad credentes Corinthios quàm ad ministros Christi apostolos Paulū & Apollo referri possit, uel certe ad utrosque, ut intelligas Corinthios tantū fidei adhibuisse prædicationi Apostolicæ quantum gratiæ dominus largitus sit, & rursus apostolos tantum pr̨edicando effecisse, quantum & ipsis à domino gratiæ & effectus datum sit. Nam utrinque opus est uirtute Christi, apostolis, ut fructum adferant, sicut Ioh. 15. dicit: Sine me nihil potestis facere, auditoribus, ut credant. Nisi enim illis cor aperiat, ut est in exemplo Lyddæ purpurissæ Act. 16. frustra prædicauerit Apostolus.

Mihi uero uidetur simplicius, ut intelligamus eum loqui de suo & Apollo ministerio, &, quia dixerat, per quos credidistis, effectus illius gloriam dare Deo. Quasi dicat: Non solum ministri sumus, non domini, sed nec quicquam præstare & efficere possumus, nisi quātum cuique dederit dominus, ut gloria sit nō nostra sed domini

Ego plantaui, Apollos rigauit, Deus autem incrementum dedit.

Explicat distributionem quam cœpit in eo quod dixit, sicut unicuique dedit dominus. Quasi dicat. Mihi dedit ut plantarem, Apollo ut rigaret, incrementum ipse utriusque operi adiecit. Plātauerat ipse quia primus illic Christum pr̨edicauerat. Apollos postea eos qui crediderant in fide Christi confirmauerat, ideo dicit illum rigasse à se plantata. Est autem hęc similitudo plantandi & rigandi omnium pulcherrima & ad causæ declarationem accommodissima ac luculentissima in qua, si recte reputes, hæc tria habentur.

Primum declarat rationē ministerij uerbi, quod sit opus ministrorum Christi, dum illis tribuit plantationem & rigationem, faciens ex eis cultores hortorum & pomerij regni cœlestis, quorū geminum munus est. Aut enim plantant, hoc est, quod syluestre est, uelut de oleastro sumptū, transferunt & inserunt oleę, aut quod plantatum est, rigant, id est, fouent & prouehunt, ut fructum adferat in usum domini. Perinde omnino habet & uerbi ministerium. Minister enim Christi, uel è regno Satanæ translatas animas, ueluti surculos, inserit regno Christi cum primum ad fidem illius pr̨edicatione uerbi adducit incredulos, & per resipiscentiam ad innocentiam uitæ peccatores, uel eos quos Christo lucrifecit, aut ab alijs lucrifacti sunt, uelut rigat, fouet ac prouehit, dū admonitionibus & exhortationibus in fide Christi, spe, dilectione, & patientia corroborat, ne tentationibus uicti retrolabātur, & flaccescentes pereant. In his duobus compræhenditur uniuersum ministrorum opus, quod perpetuo uersandum est. Cogitemus autem, quātum exigat diligentiæ, studij, ac sedulitatis indefessæ, cultura illa hortorum & uinearum, ut inde colligamus, quàm sit officiosa & negociosa plātandarū & rigandarū animarū cura.

Deinde, cauet hæc similitudo, ne nimium detur ministris, quod tum faciebāt Corinthij, & post Corinthios pontificij. Quid enim facit, qui plantat, quid qui rigat, nisi accedat incrementum à Deo? quod tamen nullo modo est in manu siue plantantis siue rigantis sed omnium liberrime & absolutissime in unius manu & arbitrio Dei. Inanis labor scilicet est, si plantes & riges, nisi detur incrementū à Deo. Igit omnis gloria eius est qui dat incrementū.

Tertio,

Tertio, cauet & hoc, ne contemnatur è regione opus ministerij, dum ostendit, quàm sit ad salutem necessarium. Licet enim sine incremento, nec qui plantat, nec qui rigat, quicquã efficiat, incrementum etiam non sit in manu plantantis neque rigantis, sed Dei, nihilominus ita diuinitus comparatum est, ut incrementum non detur, nisi plantetur & rigetur. Et huius gratia nemo sapiens plantandi & rigandi munus contemnit, si modo fructum quærat.

Igitur hac similitudine Apostolus prudentissime ita pseudapostolorum æstimationem præposteram deiecit, ut iuxta ministeriũ uerbi contemptui non reddiderit obnoxium, deinde ministerij rationem ita uindicauit, ut nihil gloriæ diuinæ derogarit.

Itaque neq; qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus.

Collectio est ex præmisis, de ministerij ratione & effectu, ei respondés, quo suprà dixit: Quis est Paulus? Quis est Apollos? Nam ibi inconsulte dixisset, Paulus nihil est, Apollos nihil est. Verum ubi declarauit utriusque opus & effectum in domino, quàm omnia pendeant à domini gratia & uirtute, tum secure intulit, itaq; qui plantat nihil est, &c. Hoc est, non est tanti momenti, ut ipsi adscribatur operis effectus. Si qui plantauit, & qui rigauit, nihil sunt, quid iã sunt pseudapostoli æstimãdi?

SED qui dat incrementum Deus, inquit.] Hic non est resumendum illud, est aliquid, sed est omnia, ut illi debeatur quod pseudapostolis dabatur.

Diligenter notandum est, quod non simpliciter dicit, sed Deus, neque, sed qui incrementum potest dare Deus, sed, qui dat incrementum Deus. Non solum potest dare incrementum plantatis à nobis & irrigatis, sed dat etiã sicuti reipsa uidemus, & sic dat, ut nõ sinat nos frustra plantare & rigare. Itaque si quem à studio plantandi & rigandi absterret, quod dixit: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, hunc in officio retineat quod subijcit: Sed Deus qui dat incrementum. Sicut & illud, quod non dixit, neque qui plantat efficit aliquid, neque qui rigat, sed, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat. Aliud est nihil efficere plantando & rigando, & aliud nihil esse. Minister Christi non plantat frustra, quia Deus dat incrementum. Frustra plantaret, si Deus incrementum non daret. Quamuis autem per incrementum à Deo datum utiliter plantet, nihil tamen est, hoc est, non is est, cui gloria debeatur incrementi, non est nisi minister operationis Dei. Hæc cogitet Christi minister, quo in officio suo constanter pergat.

Cæterum is qui plantat, & is qui rigat, unum sunt.

A Quomodo unum sunt, cum dixerit iam, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat? Si nihil sunt, quomodo unum aliquid sunt? Nihil sunt, id est nullius momenti, ob id quod per se nihil possunt, nec quicquam efficiunt, nisi incrementum detur à Deo. Vnum sunt, id est, diuersi non sunt, sed idem. Idem sunt primum quod uterque minister Christi est, deinde & scopo idem sunt. Nam uterque ad eundem finem spectat, ad ædificationem uidelicet corporis Christi. Tertio & æstimatione idem sunt, ut neuter neutri sit præferendus. Quod si qui plantat & qui rigat unum sunt, ut nec qui plantauit, sit ei qui postea rigat præferendus, quomodo is qui rigat præferendus putabitur ei qui plantauit? Si præferendus non est alter alteri, quomodo ergo dicebant Corinthij, ego sum Pauli, ego sum Apollo? Arguit ergo ab æqualitate ministrorum Christi, plurimum delinquere sectarios, qui præpostera admiratione ita de quibusdã ministris gloriantur ut & nomina illis dent, & reliquos fastidiant.

Vnusquisq; tamen suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem.

Correctio est. Non enim per omnia idem sunt, qui plantat & qui rigat. Nam licet ministerij, scopi, & æstimationis gratia pares sint, studio tamen & labore plerunque dispares sunt: ut & de seipso dixerit Paulus alicubi, B plus omnibus laboraui. Hoc est, quod dicit, Vnusquisq; tamen suam mercedem accipiet, iuxta suum, non iuxta alterius laborem, fidem, studium, ac diligentiam.

OBSER. I.

Si quisque suam mercedem accipiet iuxta laborem suum, ergo qui minus laborat, licet sit unum ministerij, scopi, & æstimationis gratia cum eo qui multum laborat, coram Deo tamen illi par non est. Et rursus, qui plus laborat, plus etiam mercedis accipiet. Facit hoc ad intendendum studia & laborem ministrorum, ne quisquam putet esse laborem suum coram domino inanem.

De mercede non est opus hic multis disputare. Neque hinc potest colligi, quenquam ex suis uiribus aliquid posse promereri, ut Deus iure cogatur aliquid illi dare mercedis.

Nemo enim quicquam habet, quod à Deo non acceperit, nemo quicquam potest, nisi Deus det & uelle & perficere. Vnde & hic Apostolus dixit, ut cuique dominus dedit. Itaque nihil aliud facit Deus quàm quod sua ipsius dona & opera in nobis coronat. Vt recte dixerit Augustinus libro primo Confessionum, capite quarto. Reddis debita nemini quicquam debens. *Augustinus.*

Est igitur gratiæ Dei, quod mercedem daturus est, non nostri meriti, quod illam accepturi sumus. Neque hinc colligi debet, licitum

tum esse, ut quisquã Deo mercedis gratia seruiat. Nam id esset mercenarium agere, non filium, in domo Dei. Deinde esset admodũ iniquum, si mercedem posceret is, qui de suo nihil contulit, sed omnia ab eo accepit, à quo mercedem poscit. Sic Christus dicit: Si omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus.

II.

Obseruandum autem & hoc est, quod nõ dicit, unusquisq; tamen propriam mercedem accipiet iuxta fructum suum quem adfert, sed iuxta laborem. Multum laborarunt prophetę, & parum fructus attulerunt propter immensam populi malitiam. Merces igitur non fructus quantitati deputatur, sed laboris. Licet qui multum fructus adfert domino, suo sit potiturus honore, ut est in parabola de dispensatis talentis: Hinc tamen non sequitur in præiudicium cessurum ac detrimentum operantis, si propter telluris malitiam fructus nõ respondeat labori. Incrementum est Dei, quod suæ libertati dispensandum reseruauit, ita & fructus. Nostrum est, ut diligenter laboremus in uinea domini, etsi datur multũ adferre fructus, licebit de eo gaudere coram domino. Sin minus, nihilo secius operis nostri rationem habebit dominus.

III.

Non debet populus discernere inter ministros Dei, & de illorum differentia iudicare. Neq; enim ipsius, sed Dei est iudicare, quantũ quisq; fidei, studij, laboris ac diligentię impendat, qui & solus omniũ pectora nouit, & scit quid cuiq; & quantum dederit. Ergo qui discernit inter Christi ministros, alienum à se opus facit. Et hac de re infrà cap. 4. admonebit, ubi colligit: Proinde ne ante tempus quicquã iudicemus, antequam ueniat dominus.

IIII.

Suggillat etiam studia pseudapostolorum qui non hoc curabant, ut opus suum approbarent domino, cuius solius est dare cuiq; competentem mercedem, sed gloriam ab hominibus quærebant, quibus sese approbabant, more pharisæorum, Matth. 6.

Etenim Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio estis.

Hoc referendum est ad id quod dixit: Qui plantat & qui rigat unum sunt, ut illud: Vnusquisq; tamen sicut dominus dedit, sit uelut parenthesis uice adiectum. Declarat autẽ quomodo unum sint, qui plantat & qui rigat. Etenim, inquit, cooperarij Dei sumus utrique, tam qui rigat, quàm qui plantat. Deinde & uos, in quibus ædificandis & colendis laboramus, Dei estis agricolatio & ædificatio. Quẽadmodum itaque qui domino cuipiam ad agricolationem ministrant, licet alius alio studiosius id faciat, omnes tamen unum sunt: primum propter domini cui ministrant, unitatem, deinde & operis finem, tertio & hoc nomine quod ager seu ædificium domini est: ita coniungit ministros Christi quoque, ut unum sint, quia unius domini sunt ministri, æquè omnes illius cooperarij, quia in eodem sunt ministerio, & quoniam ipsi credentes, in quibus laboratur, sunt domini.

Vide ergo quàm absurdum fuerit, quod alius dicebat, ego sum Pauli, alius, ego sum Apollo, cum omnes essent Dei, nec essent unius ministri tantum, sed simul omnium opus, uel ut si pars ædificij dicat, ego sum lapidicidæ, pars dicat, ego sum fabri lignarij, pars, ego sum fabri ferrarij, cum singulæ domus partes sint nec huius nec illius, sed ipsius domini, cui ędificantur. Tantundem ergo est, quod hac similitudine declarat, ac si dicat: Nos non sumus domini, sed ministri. Operamur non nobis, sed domino. Vos non estis nostri, sed domini. Cur ergo uos addicitis ministris, duplici nomine peccantes: primũ, quod quæ domini sunt, ministris attribuitis: deinde quod ministrorum unitatem & æqualitatem scinditis, imò & ipsum opus domini, quod estis uos, diuiditis.

Notandum autem quàm caute non dicat: Etenim Dei sumus incrementarij, sed operarij. Nihil enim amplius est ministri, quàm ut operetur. Deinde ne hoc quidem simpliciter dicit, sed, cooperarij, inquit, Dei sumus. Neque enim solum incrementum non est in nostra manu, sed ne ipsum opus quidem nostrarum est uirium, nisi habeamus cooperatorem Deum, nisi ille gratia & uirtute sua adsit, non solum incrementum & effectum largiendo, sed & uires operandi & perferendi dando. Non enim uos estis, inquit, qui loquemini, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis. Et, ego dabo uobis os & sapientiam. Igitur non est eadem ratio ministrorum Christi, quæ est artificum, uel operariorum, qui operas suas alicui locant. Illi etiamsi dominus operis non adsit, nec quicquam conferat, possunt per se operandi præstare laborem, & opus perficere. Isti uero non ita, qui, nisi adsit dominus ipse cum cooperando, tum effectum operis largiendo, nihil prorsus poterunt facere in hoc opere, nedum efficere. Quemadmodum enim instrumentum artificis in utroque deficit, ut nec per se possit moueri, nec aliquid perficere, nisi moueatur ac dirigatur ab artifice, ita & ministri Christi in utroque deficiunt. Non enim, inquit alibi, sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Imò si propius hanc causam inspexerimus, minus præstamus ad hanc ædificationem spiritalis ædificij, q̃ instrumentũ præstet artifici. Est enim instrumenti usus artifici ita necessarius, ut sine illo nequeat destinatũ opus perficere. Nõ enim illo utitur ob id tantũ, quod ita lubet, sed quod necessitate perficiendi operis illo cogitur uti. In hoc autem ædificio non ita habet.

habet. Nos non ita sumus cooperarij Dei instrumentales, quod sine nostra opera nequeat ædificare domũ suam, cum absque ullis cooperarijs fecerit uniuersam cœli ac terræ machinã, idque solo uerbo. Dixit, inquit, & facta sunt. Sed quod ita singulari beneuolentia, qua erga nos est, infirmitatem nostram cognoscere, & mutuo cohonestandam proponere uoluit, cum alioqui sine nobis omnia solus nihilo minus quàm per nos aut nobiscum efficere queat.

Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super illud ædificat.

Sensim labitur ad commendationem operis sui. Facit autem hoc per collationem. Confert enim opus suum operi eorum qui maximopere suspiciebantur à Corinthijs, id quod facit per similitudinem ædificij, quam commodum metaphoræ subijcit, qua dixit, Dei ædificatio estis. Confidenter dicit, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super illud ædificat. Quasi dicat. Qualescunque sint isti apostoli uestri, quos supra modũ admiramini, & quantumuis opus meum apud uos contemnatis, ego architectus sum, ego fundamentum posui, isti uero quid aliud faciunt, nisi quod labori meo superstruunt? Quod si tanti sunt, cur nõn ubi nondum facta est Christi mentio ipsi fundamentum huius ædificij collocant in domino, quod certe maioris glorię materiam haberet, quandoquidem illam tantopere affectant, quàm quod in alieno labore sapientes uideri uolunt? Tale quid uidentur Apostoli uerba spirare. Omnino enim maioris gloriæ est esse architectum & fundamentum ædificio ponere, quàm qualitercunq; iacto fundamento superstruere.

Ne uideatur autem sibi ipsi quicquam adscribere, præmittit confessionem gratiæ Dei, dicens: Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, quod & suprà fecit, cum dixit, ut cuique dominus dedit. Vocat autem gratiam sibi datam, sapientiam illam & facultatem prædicandi Euangelij, maxime inter eos, quibus nondum innotuit Christus. Est autem omnino singularis quædam gratia Dei scite & efficaciter fundamentum hoc domus Dei ponere. Habet quidem & superstruendi labor, necessariã industriam, cuius admonebit infrà. Verum nõ statim cuiusuis est, ut scienter & docte fundamẽtum futuro ædificio collocet, tale, quod sit solidum & firmũ, id quod iusti fundamenti מושׁבּ est.

Porro quisque uideat quomodo superstruat.

Notat clanculum temeritatem falsorum apostolorum, qua præter iacti fundamenti rationem quiduis superstruebant. Videtur quidem simpliciter admonere, ne quisquã temere supra fundamentum positum pro suo arbitrio quælibet struat, interea tamen reijcit temeritatem pseudapostolorum.

Admonemur hoc loco, quanta solicitudine curandum sit, ut ubi fundamenta Christi iacta sunt, tale superstruatur ædificium, quod fundamento congruat. Et huius gratia nõ est cuiuis committendum superstruendi officium. Exigit enim & illud suã industriam & cautionẽ.

Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positũ est, quod est Christus Iesus.

Vocula rationis γὰρ innuit ista probãdi gratia adiecta esse. Videntur autem mihi pertinere ad ea quibus dixit, se uelut sapientem architectum fundamentum posuisse, quod nihil aliud est quàm asserere fundamentũ se posuisse iustum ac firmum. Huc itaq; respicit iam cum dicit: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, pręter hoc quod positum est, quod est Christus Iesus. Non solum dicit, Christũ enim pro fundamento firmo ac solido posui: sed tale posui fundamentum, quod ita necessarium est, ut nemo unquam aliud ponere queat.

Ergo duo habet hic locus. Vnum Christum esse fundamẽtum ecclesiæ. Vide Eph. 2. 1. Pet. 2. Esa. 28. Alterum: Non posse constitui aliud extra Christum fundamentũ, quo nitatur ædificium hoc Dei. Non est enim aliud nomẽ sub cœlo datum hominibus in quo sit salus.

Emphasim habet, quod dicit: Quod positũ est. Quasi dicat. Conentur uestri apostoli quãtumuis uolent Euangelij doctrinam obscurare, nunquã poterunt alium tradere Seruatorẽ, quàm eum ipsum, quẽ ego uobis tradidi, quẽ uobis iam posui fundamẽti loco. Quid est igitur quod illos tantopere extollitis? Et forsan præter rationem non est, quod nõ dicit, quod ego posui, sed quod positũ est, ut innuat Christum iam à patre in fundamento collocatum esse, iuxta dictũ Esaiæ cap. 28. Atq; ideo nemini mortaliũ possibile esse ut aliud fundamentũ ponat, aut quod positũ est, loco dimoueat.

Quod si quis superstruit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusque opus manifestum fiet. Dies enim declarabit, quod in igne reuelatur, & cuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus mãserit quod superstruxit, mercedem accipiet, si cuius opus exustũ fuerit, damnum patietur, ipse uero seruabitur, sed sic tanquam per ignem.

Ista referenda sunt ad id quod dixit: Porro quisque uideat quomodo superstruat. Declarat enim q̃ referat plurimũ, quid quisq; super hoc fundamentũ ędificet. Propterea q, manifestũ sit futurũ, q̃ uera quisq;, q̃ solida & iacto fundamẽto digna ecclesiæ Christi tradat. Minatur

natur enim adfore aliquando diem, id est, lucē, quæ abſcondita reuelet, diſcuſsis tenebris, fore aliquando, ut probetur quid quiſque docuerit. Hic ſi perſtiterit tradita doctrina, dignam fore mercede, ſin minus, dignam quæ aboleatur, ut author illius luſurus ſit omnem operam, ipſeque una periturus, niſi ſolida in Chriſtum fide ita fuerit prædictus, ut examinis uim ferre queat. Iſta uero parabolice tradit, non apertis uerbis, quandoquidem hanc cauſam per ædificij ſimilitudinem ingreſſus eſt.

QVOD ſi quis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc.] Chriſtus tum eſt eccleſiæ fundamentum, quando ſyncera & firma in illum fide creditur, tanquam filium Dei uiuentis, & unicum mundi Seruatorem.

Super hoc fundamētum ſtruitur, quicquid illi doctrinæ & fidei fundamentali, eccleſiæ ſeruandum traditur. Id autem pro ædificantium, id eſt, doctorum opinionibus & affectibus uarium eſt. Aliqui enim ſynceriter in Chriſto docti, ueram & ſolidam pietatem, utpote indubitatam fiduciam in unum Chriſtum, certam ſalutis ſpem in eodem Chriſto, patientiā in ferendis aduerſis pro eodem Chriſto, φιλαδελφίαν germanam per eiuſdem Chriſti ſpiritū, & priſtinæ uitæ immutationem, tanquam ædificium fundamento correſpondens, alij uero cognitionem Chriſti non pure tenētes, uel erga Chriſtum inſynceriter affecti, fidei Chriſti adijciunt commenta philoſophica, uel obſeruantiam legis, ut quidam ex Iudæis faciebant, uel traditiones quaſdam humanitus inuentas. Illorum ædificium uocat hic Apoſtolus aurum, argentum, lapides precioſos (utpote marmoreos & conſimiles) reſpiciens ad fundamenti dignitatem: iſtorum uero, lignū, fœnum, ſtipulam, res uidelicet, tanto fundamento indignas, & parum reſpondentes, deinde non ſatis firmas, quæ ignem probatoriū ferre queant.

CVIVSQVE opus manifeſtum fiet.] Hæc eſt comminatio aduerſum eos, qui propter ignorantiam rerum ſpiritalium, qua Corinthij laborabant, humanæ ſapientiæ nomine turgebant & illuſtres habebantur, tanquam apoſtoli Chriſti, cum eſſent pſeudapoſtoli & diſsipatores eccleſiæ Chriſti. Illis minatur futurū, ut manifeſtum fiat quid ipſe & quid illi docuerint, utri in hoc Chriſti ædificio pro fundamēti dignitate recta ac ſolida ſtruxerint.

Habet autem iſta comminatio bonæ conſcientiæ fiduciam & ſecuritatē, quæ tam abeſt ut tenebras optet, & lucē fugiat, ut glorietur etiam de futura ueritatis reuelatione, illamq; operarijs ſubdolis comminetur. Et hanc ſecuritatē infrà cap. 4. aperte ponit, cum dicit: Mihi uero pro minimo eſt, ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, imò nec meipſum iudico, &c. Cæterū qui me iudicat, dominus eſt. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis donec uenerit dominus, qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, & patefaciet conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.

Infrà 4.

DIES enim declarabit, quod in igne reuelatur.] Rationem reddit qua ſit manifeſtum futurum cuiuſq; opus. Quæ reuelantur per lucem reuelantur, ut quæ occuluntur, per tenebras occuluntur. Eph. 5. Omnia quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur. Intelligit autem per diem eam lucem qua quid manifeſtū redditur. Habet & ignis uirtutem examinandi, probandi, adeoque & ualorem rerum manifeſtandi, utpote auri, argenti, &c. Vnde & ſcriptura per ignem tentationem examen & probationem intelligit.

Quid iam Apoſtolus exacte per diem, deinde & ignem, id eſt, quam lucem & probationem intelligat, per quam ſit cuiuſq; opus manifeſtum futurum, ambiguum eſt.

Dies ignis.

1 Aut enim poteſt intelligi de reuelatiore Chriſti cognitione, per quam olim futurum ſit, ut manifeſta reddatur qualitas doctrinæ cuiuſque.

2 Aut de probatione quæ eſt per tribulationes & crucem. Nam & ignis nomine tribulatio & afflictio ſignificatur, & per afflictionem probari ſolet, quid quiſque de Chriſto & ueritate Dei ſentiat, quamque firme fundamento Chriſti nitatur.

3 Vel de die aduentus Chriſti intelligi poteſt, per quem ſane omnia ſecreta reuelabuntur, ut infrà capite quarto commemorabit. Huius diei iudicium, & omnium diſcuſsio, recte igni comparatur probatorio. Vt enim aurum per ignem iudicatur & manifeſtatur, ita & iudicio diei illius omnia probabuntur & manifeſta reddentur. Mediam ſententiam puto eſſe retinendam.

SI cuius opus manſerit, quod ſuperſtruxit, mercedem accipiet.] Opus manere dicitur, quod examinationem & explorationem ferre poteſt, quod examinatum perſiſtit, & rectū depræhenditur. Vt ædificium, quod uentorū ac tempeſtatum uim ſuſtinet, uelut examinatur, & rectum ac firmum depræhenditur: Ita ea doctrina manſura eſt in Chriſto, quæ uel in luce plenæ cognitionis Chriſti, uel in quibuſuis tentationibus, uel in extremi diei iudicio recta ac ſolida, id eſt, ueritate ſuffulta, & fundamenti dignitati conſona depræhendetur.

MERCEDEM accipiet.] Declaratio eſt eius quod ſuprà dixit: Vnuſquiſque ſuam mercedem accipiet, ut intelligas de illis, quorum opus in domino ſolidum eſt & firmum.

SI cuius opus exuſtum fuerit.] Hoc eſt, ſi cuius doctrina depræhendetur inanis & friuola ad fundamentum ædificij nihil pertinens, ut in exploratione perſiſtere nequeat. Loquitur enim ad ſimilitudinem eorum quæ igne probantur.

Admonet autem iſta ſimilitudine, futurū, ut doctrina eorum, qui ſuper fundamentum Chriſti humanæ ſapientiæ conſulta, aut legis obſeruantiam, utpote de cibis, ueſtitu, cultu, ritibus externis, &c. uel humanas traditiones ædi-

ædificant, sit aliquando comburenda, id est, annihilanda & friuola depræhendenda. Omnis enim plantatio quæ ex Deo non est, eradicabitur.

DAMNVM patietur.] Consumpti uidelicet operis, ad cuius loquitur similitudinem. Vel certe mercedis apostolicæ damnum feret quæ his tantum dabitur, quorum opus mansurum est. Laude, & gloria, & mercede, quæ manet fidos Christi ministros, priuabitur.

IPSE uero seruabitur.] Etiamsi opus fuerit exustum, non tamen mox ipse simul exuretur ædificator. Vt enim salus non est sita in ministerio Apostolico (alioqui soli Apostoli seruarentur) si id etiam rite administretur, sed in sola Christi fide per gratiam Dei, ita perditio ministri non est in eo sita, si inanem structurã collocet super fundamentum Christum, id quod multi sancti patres per imprudentiam zeloq; ignorantiæ fecisse depræhenduntur, sed in una incredulitate & impœnitentia, cui soli peccatorũ negatur remissio. Hoc est scilicet quod dicit. Ipse uero seruabitur, sed quomodo? uelut per ignem. Quem ignem? Eum scilicet de quo iam meminit. Cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Per hunc probationis ignem structor inanis ædificij seruatur, si probatus, fuerit in fide Christi uera & syncera depræhensus, utut opus inutile ignis ui absumatur.

CONTRA OPINIONEM *ignis purgatorij.*

Vide Augustinũ de Ciuit. Dei libro 21. ca. 21.

Loci huius obscuritas male feriatis, uel certe imprudentibus in Christo hominibus, causam dedit opinionis eius, quæ passim de igne purgatorio obtinuit, quo peccata uenialia post mortem expurgentur, ut ex illo animæ mortuorum uelut aurum è camino ignis purificatæ ad cœlum euolent. Quàm autem ab isto commento alienus sit Apostoli sensus, satis patet uerba & statum causæ diligenter expendentibus.

1 Primum enim. Non loquitur de igne aliquo materiali, qualem isti dant purgatorio suo, sed de metaphorico, id est, probatione. Vt enim non loquitur de auro, argento, lapidibus preciosis, ligno, fœno, & stipula, sed de doctrina, ita non loquitur de igne aliquo materiali, sed de exploratione quæ instar est ignis, ut sicut aurum & cætera, ita & ignis dictionem parabolice posuisse intelligendus sit. Si isti urgent dictionem ignis, urgebimus nos dictiones auri, argenti, lapidum preciosorum, ligni, fœni, stipulę, quibus si libet repleant, uel alant ignem suum purgatorium, si tamen saturari potest illius immensa ingluuies & auri sacra fames.

2 Deinde, non loquitur de animabus explorandis, neque negocium illi est cum operibus bonis uel malis, sed cum doctrina quam diuidit in synceram & adulteram, & illam permansuram cum laude, istam uero consumendam cum damno structoris prædicit. Quid hoc ad commentum peccatorum uenialium in igne purgatorio repurgandorum?

3 Tertio. Quod omnium est potissimum & manifestissimum, non dicit, quorundam opus, sed cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Ergo non solum pseudapostolorum, sed & Pauli & Petri opera isti igni obnoxia sunt. At isti non audent Apostolos igni suo purgatorio tradere, quem deputant solis peccatis uenialibus. Neque impiorum opera admittunt ad hunc ignem. Ignis uero Pauli omnia omnium probabit.

4 Quarto. Non dicit, purgabit, sed probabit. Quis non uidet aliud esse purgare, & aliud probare. Probabuntur omnia, non autẽ repurgabuntur omnia.

5 Quinto. Dat Apostolus igni suo uirtutem manifestandi & reuelandi, uidelicet ea quæ in hoc sæculo sunt abscondita. At quomodo hoc quadret igni purgatorio, ut possit dici reuelaturus peccata, ipsi uiderint.

6 Sexto. Obijciunt patres. Quos quæso? An Hieronymum? Atqui ille locum hunc sic exponit. Magistros & doctores significat super fundamentum quod Christus est, recte instituere homines uel praue, in quibus magistrorum doctrina in die iudicij in igne reuelabitur, ubi consumptis peccatoribus probati manebunt, doctores autem super his qui probati fuerint, mercedem retributionis accipient, in illis uero, quos ignis exuret, damno afficientur, quia inuacuum laborauerunt. Iidem autem magistri in iudicium uenientes, salui fient, si tamen ipsi causa non fuerint perditorum. Item. Examinationem autem iudicij, igni uoluit comparare, iuxta consuetudinem scripturarum. Hæc ille.

Hieronymus.

Ambrosium obijcere non poterunt, qui manifeste de doctrina probanda locum hunc exponit.

Ambrosius.

Augustinus quoque cum illis non facit, qui in Enchiridio suo capite sexagesimo octauo sic scribit: Ignis enim de quo loquutus est Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est, & qui ædificat supra hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides preciosos: & qui ædificat ligna, fœnum, stipulã. Cum enim hoc dixisset, adiunxit uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus permanserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus autem exustum fuerit, damnum patietur, &c. Non ergo unius eorum tantum, sed utriusque opus ignis probabit. Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Iste ignis in hac interim uita facit, quod Apostolus dixit, &c. Hæc iste.

Item de Ciuit. Dei lib. 21. capite 26.

Quin & ipse Chrysostomus, licet per fœnũ, stipulam & ligna, intelligat opera mala, & per ignem supplicium malorum, nõ tamen astipulať cõmento ignis purgatorij, sed exponit de igne

Chrysost.

igne gehennæ in quo mali ardebũt perpetuo. Id patet, ubi sic scribit: Detrimentum patiet̃. Ecce unum supplicium. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Ecce alterum. Hoc autem significat, quod ipse non ita peribit, quemadmodum opera, in nihilum rediẽs, sed manebit in igne. Salutem igitur rem hanc appellat, sed non simpliciter. Propterea addidit: Quasi per ignem. Etenim nobis consuetudo dicendi est, in igne salua esse quæ non comburuntur, neque in cinerem cõuertuntur. Noli igitur cum ignem audis, in nihilum redire ardentes arbitrari. Quod si salutem tale suppliciũ appellat, noli admirari. Solet enim in male significantibus rebus bonis uti nominibus, & in bene malis. Vt exempli gratia. Captiuitatis nomen malę significationis nomen uidet̃. Sed in bona re Paulus eo utitur his uerbis: In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Contrà in re mala, præclaro utitur uerbo, regnauit peccatum. Atqui regni nomen laudabilius ast. Itidem hoc in loco cum inquit: Saluus erit, nihil aliud quàm supplicij incrementum significat. Quasi dicat. Ipse perpetuo in supplicio permanebit. Hæc ille. Imò contendit omnino ista nõ de alio igne ignisq; supplicio intelligenda esse, quàm æterno. Cum isto facit, ut assolet, Theophylactus.

Hæc Chrysostomi expositione usi sunt Græci contra Latinos in Synodo Ferrariensi.

Vide iam quæ sit de hoc loco sententiarũ uarietas, quàm male conueniat patribus istis.

1 Per superstructores Ieronymus intelligit magistros & doctores, cum quo facit Ambrosius: Augustinus & Chrysostomus quemcunque Christianum. Imò Chrysostomus secundo pernegat non posse intelligi de magistris & doctoribus.

2 Per aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum & stipulam, Ieronymus exponit auditores, discipulos, uel bonos uel malos. Ambrosius doctrinam aut bonam aut malam. Augustinus curam uel Dei uel mundi. Chrysostomus cum suo Theophylacto, opera uel bona uel mala.

3 Per diem, Ieronymus, Chrysostomus, & Theophylactus, iudicij extremi diem. Augustinus pręsentis sæculi tempus. Ex Ambrosio ægre colliges quid senserit.

4 Per ignem, Ieronymus examinationẽ iudicij futuri. Augustinus tentationes pręsentis temporis. Chrysostomus cum Theophylacto ignem æternum exponit, quod tamẽ Ambrosius aperte negat.

Ecce isti sunt capita patrũ, quibus adeo parum conuenit hoc loco ut & alter alterius sententiam reijciat. Vnde est ista sententiarum diuersitas? Ex loci scilicet obscuritate, unde posteriores commentum purgatorij ignis, quem tamen isti patres non uiderunt, corroborare uoluerunt.

An nescitis quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Si quis templum Dei prophanat, hunc perdet A **Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis uos.**

Dixit, Dei ædificatio estis. Ego fundamentum posui, alius superędificat. Iam declarat de quo ædificio loquatur. Videlicet de templo Dei, uel certe, quod magis placet, ab ædificij dignitate argumentum maioris comminationis aduersus pseudapostolos struit. Varia sunt ædificia, quorum omnium augustissimum & sanctissimum haberi debet ædificium templi Dei. Multum peccat, qui quoduis regni ædificium diruit, omniũ uero maxime temerarius est, qui ipsam regiam demolitur. Hactenus q̃ periculosum sit quiduis superstruere sup fundamentum ædificij Dei, quidque eos maneat, qui res illi friuolas superstruunt, admonuit: iã uero eos notat, qui non solum superstruunt quiduis, sed ipsum etiam Dei templum prophanant, minaturq; illis iudicium Dei admodum uehemens. Ratiocinatur autem ad hunc modum.

1 Quisquis templum Dei, ędificiũ illud Dei sacrosanctum, prophanat & conspurcat, hunc iustissimo supplicio Deus destruet.

2 Qui uos autem destruit, templum Dei destruit. Vos, quos dixi ædificationem esse Dei, in quo ego fundamẽtum posui, quod est Christus, templum Dei estis sacrosanctum, in quo habitat spiritus Dei.

3 Ergo qui uos prophanat & conspurcat, B hunc Deus destruet.

2 AN nescitis quod templum Dei estis?] Ad minorem pertinet hæc particula, quã hoc modo non solum tanquam uerã asserere, sed magis tanquam manifestam, ut quam ignorare non debebant, per interrogationem proferre uoluit. Ita enim de rebus manifestis, quæ sine pudore ignorari nequeunt, percontari solemus, dicentes, an ista ignoras? Videtur autem ignorare hoc ipsum quod est, qui conditioni suæ ex æquo pro dignitate non respondet, id quod Corinthij faciebant: unde Apostolus ad hunc modum percontatur: An nescitis, &c.

3 ET spiritus Dei habitat in uobis.] Expositio est, quomodo credentes Christo templum sint Dei. Videlicet, propter inhabitantem spiritum Dei. Vocabulum templi numinis præsentiam significat, non simplicem & qualemcunque (nam alioqui Deus ubique præsens est) sed singularem, quę diuinam referat & paternam gratiam. Hoc exprimit Apostolus, cũ dicit: Et spiritus Dei habitat in uobis, hoc est, gratia spiritus Dei in uobis est, quæ uos renouat & moderatur. Est itaque templi Dei uera definitio, habitatio spiritus Dei.

4 SI quis templum Dei prophanat.] Græcè est, εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ θεός. Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illũ Deus: quam allusionem forsan aliqua ratione interpres neglexit, uerbo prophanandi respiciens ad uiolatam templi consecrationem. Dicuntur enim res sacræ prophanari, quãdo uiolantur,

lantur,& præter phano debitum honorem in abusum rapiuntur. Secundo uero loco, nõ quadrabat reddere, hunc prophanabit Deus. Qui enim templum Dei prophanat, ut ipse prophanus est, ita à nemine ꝓphanari potest. Et alioqui Deus neminem ex sacro prophanum reddit, prophanos uero perdit. Ideo recte uersum est, hũc perdet Deus. Licet enim φθάρειν sit corrumpere, quoniam tamen quę corrumpuntur perduntur, fit ut & perdere significet.

5 Notandum est aut in uerbo φθάρει qua in re sita sit templi Dei prophanatio. Corrumpendi enim uerbum ad ea pertinet, quæ in synceritate & puritate subsistunt, quorum synceritas adulterina mixtura corrumpitur & perditur. Ita templum Dei prophanatur, quando synceritas animorum erga Christũ adulterino dogmate, contentione, dissidio, sectarumq; studio corrumpitur, id quod faciebant tum pseudapostoli, quibus hic iudicium Dei minatur.

6 NAM templum Dei sanctum est quod estis uos.] Hæc est ratio, cur graue Dei iudiciũ maneat eos, qui templum Dei prophanant. Videlicet quia rem Deo consecratam prophanant.

Videmus hoc loco, qua religione sit administranda ecclesiæ ædificatio, quidq; expectandum sit illis qui ecclesiæ Christi, fideique erga Christum synceritatem adhæc & unitatem illius labefactãt. Perdet hunc, inquit, Deus. Nõ optat, sed certo prædicit.

Ne quis seipsum fallat. Si quis uidetur sibi inter uos sapiẽs esse, in sęculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens.

Parænesim cõminationi subiungit. Dehortatur autẽ à duobus malis, quæ uelut radices sunt contentionum ac dissidiorum unde plerunq; studia sectarum oriuntur. Vnum est, philautiæ malum, quo fit, ut quis sibi ipsi sapiẽtiæ nomine placeat. Alterum est, quo quis sapientiæ nomine in aliquo quem admiratur gloriatur. Cõtra primum est, quod dicit. Ne quis seipsum fallat. Si quis sibi uidetur sapiẽs esse inter uos, &c. Contra alterũ, quod ex præmissis colligit. Itaq; ne quis glorietur in hominibus.

2 NE quis seipsum fallat.] Seipsum fallit, qui de seipso sentit, quod non est, qui sibi ipsi applaudit & assentitur, id quod fere omnes facillime facimus. Loquitur autẽ contra opinionem propriæ sapientiæ qua qui prædditi erant, super fundamentũ Christum ædificabant fœnũ, stipulã &c. Igitur fallax est persuasio proprię sapientiæ, quam uix potest suspectam magis & fugiendam reddere, quàm quod illi fallaciam adscribit. Parum enim decorum est falli, turpe autem est, si quis seipsum fallat. Et ipsi sapientiæ humanæ haud facile poterit quicquam turpius accedere, quàm quod fallaciæ arguitur. Quid enim minus potest competere sapientiæ, quàm error & seductio.

3 SI quis uidetur sibi.] Exponit quid admoneat. Non simpliciter dicit. Si quis uidetur, sed si quis sibi uidetur sapiens esse. Deinde addit, inter uos, hoc est, Si quis cum Christianus sit, putauerit se tanquã Christianũ inter Christianos esse sapientem. Tertio, non simpliciter dicit, stultus fiat, sed in sæculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Alioqui mirum uideri potest quomodo stultitia per se possit reddere sapientem, quę sententia plane paradoxon resiperet. Est autem prorsus inuersio quædã. Corinthij putabant se tum esse sapientes, si iuxta morem sæculi sapientes essent. Admonentur autem hic per contrarium si sapientes fieri uelint, ut magis ea sectentur, quæ sæculi iudicio stulta uidentur.

Stultum autẽ fieri quempiam in hoc sęculo bifariã dici potest. Primum, si nullo religionis impulsu, sed mera temeritate faciat, aut ꝑ ignauiã patiatur ea quæ noxia sunt, nec ulla ratione probari possunt, ita ut sibijpsi non modo sit inutilis sed & perniciosus. Sultitię huius innumera sunt exẽpla, quibus sic in sęculo hoc declaratur stultus, ut interea tamen nõ possit haberi sapiens inter fideles. Deinde stultus fit in hoc sæculo, qui cognita ueritate, quã mundus hic intelligere non potest, totũ se, & omnia sua Christo Seruatori addicit, cõtẽnit terrena hæc omnia, quæ mundus impẽsissime admiratur, & propter Christum etiam uitã suam nõ dubitat in quæuis conijcere discrimina, sic ut ex animo dicat: Mihi mũdus crucifixus est & ego mundo. Qui hoc pacto animatus est, à filijs huius sæculi suauissime ridetur, ac ꝑ homine habetur omnium stultissimo. Ac nisi tales stulti reddamur per spiritũ Christi, sapientes coram Deo non erimus. De hoc genere stultitiæ loquitur hic Apostolus, cum dicit: In sæculo hoc stultus fiat, ut reddat̃ sapiens. Tales stulti sunt ueri Christiani, quos Roma ridet, cũ uocat eos *bon christian*, quod illic sonat fatuum.

ETENIM sapientia mũdi huius stultitia est apud Deum.] Per γνώμην reddit rationẽ, quare eum qui cupiat uideri sapiẽs, iubeat in hoc sæculo stultum fieri. Quoniam, inquit, sapientia mũdi huius, quã uos admiramini & affectatis, stultitia est apud Deum. Dicẽdũ erat. Etenim stultitia mundi huius sapientia est apud Deũ. Verum mauult ita proferre sententiam, ut sapientiam mundi stultitiæ nomine iuxta propositum suum traducat, quàm ut mundi stultitiam sapientiæ nomine cohonestet.

2 Nõ autem simpliciter sapientiam dicit esse stultitiã, sed eam quę mundi huius est, qua uidelicet mũdus de rebus diuinis, ad salutẽ pertinentibus, iudicare præsumit. Hanc scilicet ita prorsus deijcit, ut nõ dicat, modici apud Deũ momenti est, sed, quod gloriã sapientiæ plane in summam disturbat ignominiã, stultitia est apud Deũ. Quid enim ignominiosius est opinioni sapientiæ q̃ quod eam uocat stultitiam, idq; apud Deum, ipsum sapientiæ fontẽ, nedũ exactum cognitorẽ? Similis est illa Christi sententia Luc. 16. Quod altum est corã hominibus, abominatio est corã Deo. Omnium rerũ perfectum ac uerũ iudiciũ apud Deum est. Qualia

ab illo æstimantur uniuersa, talia reuera sunt. Iudicia mortalium meræ sunt opiniones, plerunq; inanes.

5 Sententiam hanc non admodũ curant qui gloriam sapientiæ apud homines, nõ uerã sapientiã quærunt, quibus satis est, si habeantur pro sapietibus, qualescunq; iudicentur à Deo. Pij uero malunt ꝑ stultis haberi in hoc sęculo, & uere interim corã Deo sapere, q̃ diuersum. Huc igitur Corinthios Apostolus à pseudapostolorũ uanitate auocare conat̃. Sciebat enim hac in re plurimum esse sitũ, ad hoc, ut cessante præpostera illorũ admiratione, ad ecclesiasticã unitatem reiecto æmulationũ studio pedẽ referrent. Perinde ac si animum uiri cuiusdã, formã mulieris alicuius misere suspicientis ac depereuntis ad sanitatem reuocaturus dicas: Pulchritudo illa quã in hac muliere deperis, omnium eorum iudicio, qui quasuis mulierũ formas exacte æstimare norunt, tam non est pulchritudo, ut magis ipsissima sit turpitudo. Hoc quàmprimum persuaseris, ad id certo faciet, ut sensim desinat amare, donec eò euadat, ut tandem & contemnat. Tale quid molitur hic in Corinthijs Apostolus.

4 Expendenda hoc loco est mũdanæ sapientię peruersitas, & omnimoda cęcitas. Suprà illi dedit, quod quę Dei sunt pro stultitia reputet. Hic illi adscribit, q̃, quæ iudicio Dei stulta habentur, ipsa pro sapientia suspiciat & admiretur. An hoc non est esse peruersum prorsus cęcum, Deoq; repugnans ingenium?

Scriptum est enim. Qui compræhẽdit sapientes in astutia ipsorum. Et rursum, Dominus nouit cogitationes hominũ, quod sint uanæ.

Duobus hisce scripturæ locis præmissa confirmat. Prior ex cap. 5. Iob, posterior ex psal. 94. desumptus est. Videntur autem non referri ad idem probandum. Dixit: Sapientia enim mũdi stultitia est apud Deum. Subijcit, Scriptum est enim, Qui cõpræhendit sapientes in astutia ipsorũ. Omnino hic locus aliud quid probat quàm habeat sententia proxime præmissa. Est enim aliud sapientiam mundi pro stultitia reputare, & aliud, sapientes in ipsorũ astutia cõpræhendere. Proinde apparet priorem locum ad comminationem præmissam referendum esse, qua dixit: Si quis templũ Dei prophanat, hunc perdit Deus. Notat enim non simplicem imperitorum hominum stultitiam, sed eorum qui sapientiæ nomine suspiciebãtur, & astutia sua Corinthiorum simplicitatem & synceritatem in Christo corrumpebãt. Illis minatus est iudicium Dei. Hoc iam scripturæ loco confirmat, quo minatur futurum, ut cõpræhendãtur in ea astutia à domino, qua tum ecclesiam Dei prophanabãt, hoc est, ut hoc ipsum astutũ consiliũ, sit eos ad perditionem instar laquei intricaturũ. ὁ δρασσόμενος, inquit, uerbum δράσσεσθαι significat aliquid non solũ appręhendere, sed & ueluti pugno præhensum concludere & cohi-

A bere, ut elabi nequeat. δράξ enim pugnũ significat. Et πανουργία ea est astutia quæ in omnes sese formas mutare potest. πανοῦργος est, qui in omnibus rebus uersatus est, ut habitum quendã uersutiæ contraxerit, qualem poëtæ Proteum describunt.

Igitur tam abest, ut uersutorum hominũ cõsilia quod uolunt perficere queant, ut ea ipsa illis sint laquei loco futura. Exemplum esto ipsa Satanæ πανουργία, deinde astutum sacerdotũ & pharisæorum consilium contra Christum. Ne forte ueniant Romani, &c. Hinc illud. Malum consilium consultori pessimum.

2 Rursum. Dominus nouit cogitationes hominum, quod uanæ sint. Posterior hic locus ad paræenesim præmissam pertinet, qua dixit: Ne quis seipsum fallat, si quis sibi uidetur sapiens esse inter uos, stultus fiat in hoc sæculo, ut sapiens reddatur. Etenim sapientia mundi huius stultitia est apud Deum. Huc referendũ est quod Dauid dicit: Dominus nouit cogitationes hominum quod uanæ sint.

Duo habet hic locus. Vnum quod cogitationes hominum Deo sint notæ. Alterũ quod sint uanę. Prius nemo facile negat, nisi ex professo impius, simul Deum ipsum negans. Posterius non agnoscitur, nisi ab illis, qui spiritu Dei ducuntur, nempe, quod cogitationes hominum uanæ sint. Loquitur autem propheta nõ de quibusuis cogitationibus hominũ, neque de quibusuis hominibus, sed de sapientibus sapientum cogitationibus. Vnde & Apostolus reddidit pro

B אדם τῶν σοφῶν. In Ebræo est מחשבות, id est, ingeniosę & subtiles cogitationes. Id & Græci expresserunt, dum reddiderũt τοὺς διαλογισμοὺς, id est, ratiocinationes. Igitur posterioris huius particulæ gratia, quod uanę sint, locum hunc adduxit Apostolus, ut probaret, sapientiam mundi stultitiã esse corã Deo.

5 Affirmat itaque Apostolus ista tria de mũdi huius sapientia & uersutia. Primum, quod astutæ illius cogitationes, quibus innumera molitur, domino sint notæ. Secundum quod sint stultæ & uanæ, hoc est, inutiles, inanes, & inefficaces, ut non sint assequuturæ quod uolunt. Tertium quod sint instar laqueorum, quibus compræhendantur. Hæc omnia plurimũ cedunt ad fidelium & simplicium consolationem, præterquam quod omnem humanæ sapientiæ admirationem & æmulationem auferunt apud credẽtes, in quem finem & ab Apostolo commemorantur. Cætera uide in Comment. nostris super hunc Psalmum.

Hinc illud, dominus irridet & subsannat eos.

IGITVR nequis glorietur in hominibus.] Alteram partem paræenesis ponit, qua dehortatur Corinthios à præpostera admiratione pseudapostolorum, qua fiebat, ut sese illis addicerent, inque illis gloriarentur, atque ita in sectas diuiderentur. Colligit autem hanc particulam ex præmissis ad quæ illationis nota, ὥστε, id est, itaque respicit. Quasi dicat. Cum itaque nihil sit qui plantat, nihil qui rigat, nisi ministri tantum, cum ipsorum non sit incremen-

tum

tum sed Dei, cum non sit ipsorum ædificatio, quæ uos estis, sed Dei, cumq; omnis mundi sapiẽtia, & quæuis humani cordis cogitatio, utut astuta, coram Deo stulta sit & uana, quid aliud sequitur, quàm quod admoneo, nẽpe, nõ esse gloriandum in hominibus? Igitur nemo uestrum glorietur in hominibus.

Loquitur autem non de simplici quadã gloriatione, sed de tali, qua Corinthij alius aduersus aliũ, in eo quisq; quẽ sectabatur, gloriabantur, seseq; iactabant quasi pręcipui aliquid nacti, & cuius nomine sibi belle placebant, ob id quod tanti uiri essent discipuli. Ita gloriari, nihil aliud est, quàm se authoris alicui[9] nomine gloriosum æstimare & iactare, ac reliquos pręse contẽnere, id qđ uidemus in Augustinianis, Benedictinis, Franciscanis & Dominicastris.

Quod uero nõ dicit, in apostolis Christi, ac ministris uerbi, in sapientibus ac doctis, cũ tamen huc respiciat, sed in hominibus, ταπείνωσις est, per quam gloriam illam pseudapostolorũ eleuat, qua propter sapientiæ splendorem, uel opinionem saltem, conspicui & in admiratione erant, quasi dicat: quales quales sint, homines sunt, non dij. Sunt autem homines uani ac stulti. Quis igitur gloriabit̃ in uanis ac stultis? Vani sunt inquam ac stulti, quatenus homines sunt. Quod si aliquid habent boni, ex Dei munere habent, ad quem etiam omnis cuiusq; boni gloria referenda est.

Notandum tamen est, quod non dicit, Itaq; nolite in ꝓcio habere Christi ministros, id qđ alibi præcipit. Non hoc agit isto loco, ut admoneat auditores, quo debeant honore afficere uerbi ministros, sed magis auocat ab illorum præpostera & nimia admiratione. Est autẽ aliud gloriari in ministris, quod Corinthij faciebant in pseudapostolis, & aliud subdi prępositis & in precio habere uerbi ministros, quod medium quoddam est inter præposterã admirationem & hanc gloriationem quã uetat Corinthijs Apostolus, & inter cõtemptum illum ministrorũ Christi, quo tum ab ijsdem Corinthijs Apostolus, & hodie fere omnes uerbi ministri susq; deq; feruntur & annihilantur. Qui nimiũ extollũt Christi ministros, obliuiscũtur illos esse homines, nec cogitant eos nihil habere, qđ à Deo non acceperint, deinde & in multis deficere uelut homines nõ obseruant, in id tãtũ respiciẽtes quod plus æquo admirantur, utpote quod splendide ac sapienter loquũtur, aut si quod aliud singulare donum in illis elucescens, admirationẽ mouet. Rursus qui ministros cõtemnũt, nihil aliud in illis uidẽt, quàm quod homines sunt. Et si qua in re depræhẽdi possunt imbecilles & imperfecti, huc oculos habent obnixe intẽtos, idq; solũ inspiciũt uersant atq; reuersant. Dona uero Dei, quibus poterant bene uti, prorsus negligũt. Istis sane nõ est op[9] ut inculces ministros Christi esse homines, cũ id abũde satis obseruent. Illis uero rursus nõ ꝓderit, si plurimũ cõmẽdes dona Dei, quibus præditus sit Christi minister. Proinde

A mediũ iter tenẽdũ est, atq; ita honore afficiẽdi Christi ministri, ut meminerimus eos esse homines, iterumque ita sciẽdũ eos esse homines, ut simul sciamus esse Christi ministros.

Omnia nanq; uestra sunt, siue Paulus siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia uestra sunt, uos autem Christi, Christus uero Dei.

Subijcit adhuc aliud argumẽtum de dignitate Christianorum sumptũ, in quo duo uidẽda sunt. Primum, quomodo dicat omnia esse Corinthiorum. Alterum, ad quid hoc dicat.

Quare Corinthiorũ sint omnia ultro patet ex eo quod dicit, uos autẽ Christi, Christus uero Dei. Vnde liquet eorũ qui Christi sunt, esse hanc dignitatem, ut illorum sint omnia.

1 Primo loco expẽdendũ est, quomodo credentiũ sint omnia. Multifariã enim aliqđ alicuius esse dicit̃. Nã omnino nõ ita sunt omnia nostra, quemadmodũ nos Christi. Nec Christus ita est Dei, quomodo nos Christi. Videndum itaq; quo modo nostra sunt omnia, nos uero Christi, Christus autem Dei.

1 Fit aliquando, ut meum dicatur, quod fidei meæ commissum est. Ita discipulus pręceptoris dicitur, & ecclesiam cui in Domino præest, suã uocare potest minister. Hoc sensu Paulus Euangelium Christi suum esse dicit. 2. Tim. 2.

2 Alia ratione meum est, quod ex me natum est. Sic filius patris dicitur. Isto sensu dictũ est B hic, Christus uero Dei. Est enim primogenitus & unigenitus Dei, hæres omnium, Ebr. 1.

3 Rursus alio modo meũ est, quod enim uel fide, uel amicitia, uel alia quadam ratione pręcipue coniunctum est. Sic uxor mea dicitur, meus amicus, meus socius, meus collega, me[9] symmysta.

4 Adhuc aliter meũ dicitur, quod iuris mei est, & in proprietatẽ ac peculiũ mihi cessit. Et hoc uarie accidit.

1 Aut enim est ex largitione gratuita. Sic omnia nobis cum Christo donantur. Ro. 8.

2 Aut est ex opere meo. Nã opus proprie artificis dicitur. Ita Christi sunt omnia, tanquam per illum condita.

3 Aut iuris mei est aliquid, eo quod ære meo comparatũ sit. Ita Christi sumus, ab illo redempti. Empti estis, inquit Apostolus, precio magno, & non estis uestri.

4 Aut ex hæreditate in ius meum aliquid cedit. Hac quoq; ratione Christi sunt omnia tãq̃ primogeniti Dei, & nostra etiã, quatenus filij Dei & hæredes, cohæredes uero Christi sum[9]. Rom. 8.

Ex his puto satis liquet, quomodo nostra sint omnia, nos Christi, Christus Dei.

Nostra sunt omnia, primũ ex dono gratuito, deinde hæreditario, quatenus per Christũ facti sumus filij & hæredes Dei.

Nos sumus Christi, partim ut creatura creatoris, partim ut redempti redẽptoris, item ut peculium domini omnium. Rom. 14. 2. Cor. 5.

Christus uero Dei est neq; ex largitione, neq; ex redẽptione, sed ex natiuitate, tãquam filius patris, siue diuinam siue humanam illius naturam respicias, licet alia sit diuinæ, & alia humanæ generationis ratio & conditio.

Secundo loco uidẽdum est ad quid ista scribat Corinthijs Apostol⁹. Particula causalis γὰρ indicat ea parænesi, qua dixit: Itaq; nemo glorietur in hominibus, ratiõis uice esse subiecta, ut ostenderet ob id Corinthios nõ debere gloriari in hominibus, quod ipsorum sint omnia. Quomodo autẽ hæc ratio ad propositũ faciat, non eodem modo traditur.

1 Sunt qui ad hunc modũ exponãt. Cum ex ęquo sint omnia uestra, siue Paulus siue Apollos, siue Cephas, &c. qua ratiõe alius gloriatur in alio, sibiq; peculiariter adscribit, quod commune est omniũ? Si Paulus aliquid habet, certe nõ quibusdã tãtũ, sed omnibus ex æquo habet. Est enim omniũ uestrũ, nõ quorũdã tãtũ.

2 Alij uero sic. Cũ uos nõ sitis alicuius hominis, sed Christi tãtum, q̃ est ratio quod in hominibus gloriamini & nõ magis in Christo? Rursus, cũ non solũ Christi sitis, & nullius alterius sed & isti, in quibus gloriamini, sint uestri (Sũt enim omnia uestra, siue Paulus, siue Apollos, &c.) quare gloriamini in illis, qui uestri sunt? An nõ absurdũ est, si is qui maior est glorietur in minore, dominus in seruo? Et hoc sensu notatur peruersitas pseudapostolorũ quod cũ serui essent ecclesię, ex domina cõstituebãt famulã, & ex seruis dominos. Rursus & stultitia Corinthiorum traducitur, quod cũ domini essent ministrorum, in seruis gloriabãtur. Et hic sensus uidetur esse retinẽdus. Nõ enim dicebant, Paulus meus est, sed, Ego sum Pauli, &c.

Chrysost. hic annotat, discipulos in Christo nullam debere gratiã magistris sed magistros discipulis, quorum gratia acceperunt à domino quæ habent.

SIVE Paulus, &c.] Enumeratio est ꝓposito necessaria. Seipsum ponit primo loco, quia causam agit nõ inanis gloriæ, sed humilitatis. Pseudapostolos non adnumerat nominatim, erat enim inuidiosum, sed tales sibi cõiungit, quorum ut uerisimile est authoritate apud Corinthios abutebãtur pseudapostoli, ad supprimendã Pauli ęstimationẽ. Id enim quod apud Galatas sub nomine Petri factum est, credibile est, & apud Corinthios esse factum. Quasi dicat: Ipse ego, qui fundamentum apud uos posui, uester sum, ipse Apollos qui me subsequutus est in opere domini, uester est, ipse quoque Petrus, quem uestri isti Apostoli iactãt, mihiq; opponunt, non est dominus ecclesiæ, sed minister, & aliorum & uester, in quibus cum nõ liceat uobis gloriari, quanto minus istis uestris apostolis licet?

Sed quærẽdũ est, quomodo dixerit se, Apollo & Petrum esse Corinthiorũ, cũ & ipsi essent de numero eorũ, quorũ dicit esse omnia eo q^d Christi sint? Videndum est, quatenus minister Christi sit ecclesiæ. Hactenus nõ est quaten⁹ & ipse credit in Christum. Sed quatenus ministrũ agit. Vt credens enim est filius Dei, hæres omniũ, ut minister est eorũ, quibus seruire iussus est. Colligitur hinc maioris dignitatis esse, credere in Christũ quàm agere ministrũ Christi. Nam hinc non est salus, illinc uero est.

SIVE mundus.] Cur ista adijcit, cum uideantur proposito nõ esse necessaria? Neq; enim Corinthij gloriabãtur de mundo, aut de uita, uel de morte &c. sed de apostolis suis. Mihi uidentur per auxesim adiecta, qua non solum se Apollo & Cepham dixit esse Corinthiorũ, sed omnia, ut tolleret admirationem & insolentiã eius q^d dixit præceptores ac doctores esse discipulorum, & non discipulos præceptorum. Vbi enim audimus omnia esse nostra, ipsum mundum, uitam, mortem, pręsentia & futura, quomodo uideri poterit insolẽs, si homo quisquã noster esse dicatur? Quorum totum regnũ & omnia regni bona sunt, quid mirũ fuerit, si regni quoq; ministri illorum esse dicantur?

SIVE uita, siue mors.] Hieron. de uita & morte Christi. Chrysost. de uita & morte ministrorũ exponit, quasi dicat Apostolus, Siue uiuamus ad uestrã utilitatẽ uiuim⁹, siue moriamur ad cõfirmãdos uos morimur. Ambr. intelligit de cuiusq; Christiani uita & morte. Simplicius est ut in uniuersum de omniũ uita & morte siue Christi, siue ministrorũ, siue aliorũ quorũcunq;, siue etiã nostra intelligamus, ut idem sit ac si dicat omnia uestra sũt, siue uiuãt, siue moriantur, siue præsentia sint siue futura.

Videtur autẽ mirabilis esse possessio possidere mortẽ, illamq; reputari inter bona filiorũ Dei. Verum si expendas illã esse Dei, à quo per Christum omnia accepimus, deinde cogites, quomodo omnia cogãtur electis seruire in bonũ, siue uiuẽdo, siue moriẽdo, iã non admirabe ris, quid mors faciat inter electorũ bona, quibus dispẽsante Deo mors quoq;, siue aliorum siue propria in bonum cedit.

SIVE præsentia, siue futura.] Per præsentia omnia tã corporalia quàm spiritalia, tã aduersa quàm amica, per futura, cœlestia bona, credẽtibus promissa, quæ per spem expectamus, ineffabilia & infinita intellige.

OMNIA uestra sunt.] Ingeminatio est & asseueratio ad confirmandã istam electorum dignitatem posita.

Ratio autẽ illius est quã subiũgit dicẽs: Vos autẽ Christi, Christus uero Dei. Nostra sunt omnia, quia Christi sunt omnia, cuius nos sumus. Christi uero sunt oĩa, quia Dei sunt oĩa, cuius ipse est. Sed dices. Quomodo consequitur ista argumentatio? Oĩa uestra sunt, quia uos Christi? Recte ne dicetur ad seruũ, omnia tua sunt, quia tu heri tui es? Nequaq̃. Quia non est seruus hęres bonorum Domini sui, sicuti filius est patris. Habet ergo argumentatio ista, robur suum in illis, qui in Christo non sunt serui, sed filij & hæredes Dei.

Rursus dices. Cũ Corinthij essent carnales & schismatici, quomodo tribuit illis pręrogatiuam

uiam filiorum? Respondeo. Loquitur illis ut Christianis de prerogatiua uerorum Christianorum, ad quã erant uocati & assumpti, ut declinantes in uiam reuocet.

LOCI COMMVNES.

1 Primus est: Ex Deo esse oĩa, cuius est Christus, & quæcunq; sunt in cœlo & in terra.

2 Alter est: In deum dirigẽda esse omnia. Nã ita sunt nostra omnia, ut nos simus Christi, & ita Christi sumus, ut simus Dei, & omnibus ad illius gloriã utamur. Id colligitur ex ipsa enumerationis serie.

3 Tertius est: Christũ esse dominũ omniũ. Nã ideo nostra sunt omnia, quod Christi sumus.

4 Quartus: Christum esse mediatorem nostrum, per quem omnia accepimus.

5 Quintus: Omnia seruire electis, etiam quę illis uidentur aduersa & inimica, ut sunt mundus & mors.

6 Sext⁹: Ministros uerbi, etiã apostolos pręcipuos, esse ecclesiæ nõ dños sed ministros.

7 Postremus: Non esse gloriãdum in quoq̃, nisi in eo cuius sumus communiter omnes.

CAPVT IIII.

Toto hoc capite Apostolus personæ suæ æstimationem contra eos uindicat, à quibus temerario iudicio & contẽptu abijciebatur. Vt enim sectarij pseudapostolos supra modum admirabantur & extollebant, ita Paulum fastidiebant & contemnebant. Posteaquam igitur præposteram æstimationem pseudapostolorum animis Corinthiorum exemit, commodum & ministerij sui contemptum amolitur.



Ic nos æstimet homo, ut ministros Christi, ac dispẽsatores mysteriorum Dei.

Quid de se sentiri uelit, breui sentẽtia declarat. Idq; necessario facit posteaq̃ ad deijciendas pseudapostolorũ glorias dixit: Itaq; nemo glorietur in hominibus. Nõ enim ita euellẽda est animis fidelium peruersa pseudapostolorũ, aut etiã ministrorũ Christi æstimatio, ut periclitetur ea, q̃ illis debetur, & ministerio uerbi Ecclesiæq; ædificationi necessaria est. Hanc igitur ponit cũ dicit, Sic nos æstimet homo, &c. Quasi dicat: Quicqd de pseudapostolis uestris sẽtiatis, de nobis, utut contẽptis, hoc est sentiendũ, quod simus Christi ministri, dispensatoresq; mysteriorum Dei. Nec supra hoc quisquam, nec infra de nobis sentiat. Nam utrũq; cedet ad ignominiam Christi. Ministri sumus ac dispensatores, igitur non adorãdi uelut domini. At rursus Christi sumus ministri, & mysteriorum Dei dispensatores, & hoc nomine non abijciẽdi, sed propter Christum audiendi.

DISPENSATORES mysteriorum Dei.] Hæc particula expositoria est, ad prioris declarationem adiecta. Ministerium Christi, est dispensare mysteria Dei. Vocat autem mysteria Dei, gratiam noui testamenti, per sanguinem Christi partam, & fide appræhendendam, ad salutem & uitam æternã. Angustius est, si exponamus de baptismate & cœna dominica, q̃ ut apostolicę dispensationi conueniat. Loquitur de dispensatione omnium eorum quę gratiæ regni Christi sunt annexa. Ea quoniã nulla possunt humana ratione compræhendi, sed omnino reuelatione spiritus sancti opus habẽt, recte mysteriorum nomine commendantur. Huius gratiæ dispensatio est prædicatio Euãgelij. Per illam enim remissio peccatorum & uita æterna credentibus dispensatur. Sic suprà dixit. Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes. Ista dispensatio nõ est in potestate ministri, ut cuicunq; lubet gratiam Dei largiatur, sed in uoluntate & uirtute eius, qui dat incrementum, & aperit corda audientium, ut est in exemplo Purpurissæ, Act. 16.

καὶ οἰκονόμους. Pulcherrima metaphora ministrum Christi cohonestat. οἰκόνομος enim non quiuis, sed domesticus est dispensator, cuius officium est uniuersæ familiæ quæ cuiq; sunt necessaria distribuere. Sunt autem credentes, domestici Dei, Ephes. 2.

Res domestica, diuidenda familiæ, est, ut dixi, gratia noui testamenti quæ ad exteros non pertinet. Illius symbola quidem sunt baptismus & communicatio corporis & sanguinis domini quæ & patres symbola gratiæ Dei uocarunt, uerum plura sunt mysteria.

1 Notandum est itaq; hoc loco, quid sentiendum sit de Episcopis illis, qui in ecclesia Christi bona domini non dispensant, sed magis pessundant, & interim egregie saginantur in patrimonio quod uocant crucifixi, ut tyrãnidem taceã, qua Christi ouiculas misere opprimũt.

2 Deinde & hoc obseruãdum est, quod cum mysteria illa dispensanda per Euãgelium, Deo adscribat, ministros tamen illorum uocat ministros Christi. Ergo æqualem facit hic Christi & Dei potestatem & authoritatem. Ita & Rom. 1. Euangelium in quo ministrabat, uocat Euangelium Dei, & dominum, cui ministrabat, facit Christum, uocans se seruum Christi. Cum ergo qui bona Dei administrat seruus ac minister Christi uocatur, quid aliud innuitur, quàm Christum esse cum patre dominum omnium, adeoq; Deum salutis nostræ.

Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur.

ὁ λοιπὸν est, quod ordine sequitur quod secundo loco requiritur. Primarium enim est dispensare mysteria Dei. Post illud exigitur, ut bona fide dispensentur. Nihil autem refert siue fidelis, siue fidus legamus: fidelem esse tribuunt seruo, fidum amico. Cum autem dixerit Christ⁹: Vos amici mei estis, si feceritis quę

ego præcepi uobis, existimo tales dispensatores esse & fideles seruos, & fidos amicos Christi. Admonet igitur Corinthios, quid sit spectandum in Christi ministro, nempe quàm bona fide mysteria Dei dispenset. Is autem certe fidus domino non est, qui magis curat, ut sapientiæ nomine & splendore ab auditoribus suspiciatur & adoretur quàm ut mysteria Dei fideliter dispẽset. Qui suam gloriam quærit in ecclesia Christi, id qđ domini est sibi usurpat, cum si quid habet, domino debeat adscribere.

2 Qui bonis domini in ecclesia pro suo arbitrio utitur iniurius est in dominũ, nec agit fidũ Christi ministrũ. Fides in ministro requiritur, authoritas uero domino relinquenda est.

Duo sunt præclara boni ministri dona, prudentia, uidelicet, qua possit quæq; suis temporibus, pro domesticorum conditione & cõmoditate dispensare, deinde fides, qua nõ quę sua sed quę domini sui sunt quęrat. Hęc si una fuerint plane cõmendatissimum reddunt ministrum. Quoniam uero maior est in hoc sæculo prudentiæ & sapientiæ quàm fidei gloria, maluerunt pseudapostoli sapiẽtię opinione apud Corinthios illustres esse, quàm fidei probitate apud Deum commendari. Hoc uidetur Apostolus notare, cum dicit: in dispẽsatoribus requiritur, ut fidus quis inueniatur. Alioqui non solum hoc requiritur in Christi ministro, ut fidus, sed simul ut & prudens sit, teste Christo Matth. 24. Quis putas, inquit, est fidelis seruus & prudens, quem cõstituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tẽpore? Nulla habebatur fidei apostolicæ ratio, quam declarabat in ministerio suo Apostolus, sed una sapientiæ regnabat in pseudapostolis opinio, ideo non absq; ratione hic admonet, in dispensatoribus requiri fidem.

Potest hæc Apostoli sententia etiam hoc pacto exponi, quod fidem requiri dicat in dispẽsatore mysteriorum Dei, ob id, quod licet & prudentia requiratur, maior tamen habeatur apud Deum fidei quàm prudentiæ ratio. Imprudentiam enim, fidei probitas & synceritas facile excusat, perfidiam uero excusat prudentia nunquam.

Obseruandum autem est, quod non dicit, in dispensatoribus requiritur, ut fidus quis iudicetur, sed ut fidus inueniatur. Inuenias qui putetur esse fidus, uerum si exacte animi illius cãdorem requiras diuersum depræhendes. Erit autẽ olim tempus diuini iudicij, in quo quisque qualis reuera sit inuenietur. Hic qui fidus inuentus fuerit audiet: Euge serue bone & fidelis, &c.

Non ingrediar hic mare illud magnum & spaciosum, infidelium ministrorum ac dispensatorum, non eorum tantum qui in baptismo sub Babylone, Christi se mentiuntur esse ministros, sed & eorum, proh dolor, qui Babylonẽ reliquisse, & in ipsius Christi castra transisse & non mendacio, sed ueritati, seruire uideri uolunt. Rara auis in terris nigroq; simillima cygno fidelis Christo minister, præsertim hac nõstra ętate. Quod suo tempore Apostolus dixit, Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, nostro hoc decuplo magis potest ueraciter dici. Nec mirum est, catholicam ministrorum ac dispensatorũ obtinuisse in ecclesia perfidiam, cum fideles non ferantur, perfidi uero in precio habeãtur, uel etiamsi propter uitæ leuitatem, correptionem, & impudentẽ immundiciam contẽni cœperint, defendantur tamen & ob id potisimũ retineantur, quod se mundo huic peruersissimo accommodare norunt.

Mihi uero pro minimo est, ut à uobis dijudicer, aut ab humanô die.

Notat pseudapostolos, quorum summum erat studium, ut hominum sese reputationi approbarent. Contrà ostendit se nihil huius curare, ut uel probetur, uel improbetur humano iudicio, sed unum hoc quærere, ut iudicio Dei fidus inueniatur. Non dicit pro iniquo est, sed, pro minimo est. Moderate loquitur, ne nimiũ eos offẽdat. Satis iniquè inter ipsum & pseudapostolos iudicabant, uerum hoc non exprimit, contentus innocentia & conscientia sua, qua fretus nõ adeo magni faciebat, quomodo de se iudicarẽt, quos sciebat esse non homines tantũ, sed & carnales, & existimatione pseudapostolorum fascinatos. Potest illud ἀνακρίθω in utranq; partem capi, ut non solum dicat de bona reputatione, sed & de contemptu. Quasi dicat: Pro minimo mihi est, utrum uos me iudicio uestro extollatis, quemadmodum extollitis uestros istos apostolos, aut explodatis, infraq; illos abijciatis? &c.

AB humano die.] Declaratio est, cur minimi momenti faciat iudicium Corinthiorum, ne uideatur illos prorsus cõtemnere. Fit enim plerunque, ut licet non admodum curemus quid homines nihili de nobis sentiant, nolumus tamen à quibusuis contemni. Ideo prorsus omne iudicium humanum à se contemni dicit, ne se putent Corinthij ab Apostolo peculiariter contemni. Nam alioqui probri loco haberi solet, si alicui dicatur in faciem, non curo quid de me sentias. Vocat autem humanum diem, ad differẽtiam diei illius, quo Deus omnia iudicabit. Dies uero hic nihil est aliud q̃ iudicium, unde & Erasmus reddidit, humanum iudicium.

OBSER. I.

Admonemur itaq; hoc loco, quàm non debeamus alicuius momenti facere humanum iudicium, quo alius in cœlum extollitur, alius in abyssum abijcitur. Traducitur enim hic ab Apostolo falsitatis. Alioqui immerito illud contempsisset. Non est autem hoc de sæculari tantum foro intelligendum sed & ecclesiastico, illis qui sibi non sunt alicuius mali conscij. Cum enim dicit, ut à uobis dijudicer, omnino

nino ad ecclesiam Corinthiorum loquitur, nõ ad forense iudicium. Est quidem, ubi audienda, rursus est ubi non est audienda ecclesia.

Hinc autem nemo colliget, ita contemnendam esse sententiam de se mortalium, ut hoc liberius quæ mala sunt designet. Alibi docet ut omnibus studeamus placere, sed in bono. Hoc itaque curandum quidem est, sed nõ principaliter, quasi satis sit placuisse hominibus. Quin magis curem⁹ ante omnia, ut Deo probemur. Hoc facientes si fieri potest, ut simul placeamus hominibus, bene est, sin minus nõ affligat nos sinistrum mortaliũ iudicium, contentos iudicio Dei.

Imo nec meipsum dijudico. Nullius enim rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum.

Tam incertum esse ostendit humanum iudicium, ut neque de seipso nisi temerarius esse uelit, iudicare queat. Quid enim sit in homine, & qualis coram Deo æstimetur, tam non potest assequi humana cognitio, ut nemo seipsum satis agnoscere posit, quãto min⁹ alios? Ideo seipsum quoq; Apostolus non dijudicat, nec condemnans, nec iustificans.

NVLLIVS enim rei (malæ scilicet) mihi cõscius sum.] In Græco simpliciter est, οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, id est, Nullius enim mihi conscius sum. Multorum utique sibi conscius erat, uerum loquitur de fide sua, qua Christo ministrabat, idque secundum conscientiam suam inculpate.

Ratio est, cur non dijudicet seipsum. Primũ condemnare se non potest, eo quod nullius sibi mali sit conscius. Deinde iustificare se non audet, eo quod iustificatio ipsius non sit in eo, quod sibiipsi non sit alicuius mali conscius, cũ possit esse, ut Deo pateat quod sibi sit ignotum, iuxta illud: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me.

Dicet quisquam, cum infrà cap. undecimo dicat: Si nosipsi iudicaremus, non iudicaremur à domino, quomodo non modo non iudicat seipse, sed & hoc de se palam testatur, perinde atque si iuste faciat, seipse non iudicans? Respondeo. Distinguendum est inter causam & causam, eam de qua infrà, & hanc de qua agit in præsenti. Infra repræhendit abusum cœnæ dominicæ, quem nec agnoscebant, nec iudicabant Corinthij, ut necesse esset iudicari eam à domino. Hic uero loquitur de fide & innocentia Apostolatus sui, cuius iudicium soli Deo tribuit, quod nec Corinthij de illa recte iudicare, nec per conscientiam ipse suam iudicare ac damnare se posset. Ideo cum dixisset: Imo nec meipse iudico, subiecit. Nullius enim rei mihi conscius sum.

1 Duo sunt hoc loco notanda. Primum quãta fuerit & quàm rara Apostoli innocẽtia, qua dicere potuit, nullius se mali conscium esse.

A Intelligendum autem est de administratione Euangelij.

Magna emphasi non dicit: nullius enim perfidiæ, aut flagitij, sed simpliciter, nullius enim mihi conscius sum. Multa fiunt à ministro uerbi, quorum gratia repræhendi potest, etiamsi aliàs recte doceat, nec ullius sceleris argui queat. Horum nihil agnoscit in se Apostolus.

Cæterum peccatis non caruit, unde alibi queritur de corpore peccati, & lege peccati, in membris suis agente.

2 Alterum, quàm non sit in conscientia nostræ innocentiæ sita, nostri iustificatio. Si non iustificantur qui nullius sibi mali sunt conscij, quid sentiendum est de alijs qui conscientiam peccatorum excutere non possunt? Quis ausit autem dicere, castum est cor meum? Reliquũ igitur est, ut per fidem gratuito iustificemur.

Dices: Ergo nec innocentia locum habet in iudicio Dei? Quæ est hæc iusticia, quæ nec innocenti parcit?

Respondeo. Apostolus non dicit: Nihil peccaui, innocens sum, sed nec in hoc iustificatus sum. Sed: Nullius mali mihi sum conscius, ac tum subijcit: sed nec in hoc iustificatus sum. Innocentia uera est, quæ non nostra, sed Dei conscientia comprobatur. Hac præditus est nemo per se. Interim nemo ueraciter innocẽs periclitatur coram Deo. Sed quis est hic, & laudabimus eum?

B

Cęterum qui me iudicat dominus est.

Vni domino dat iudicium, ut ostendat se ob id non curare iudicia humani diei, quod uni domino placere gestiat, cui & intimæ cogitationes suæ pateat. Tantum enim est quod dicit, Dominus est qui me iudicat, atque, Dominus nouit quis sum, quid animo geram qua fide ipsi ministrem. Huius conscientia nitor, parum solicitus quid de me iudicet homines. Obsecro, unde securi comparebimus in conspectu domini, cum non nostra ipsorum conscientia, sed ipsius iudicio standum sit, uel cadendum? Dicamus igitur cum Dauide: Ne intres in iudicium cum seruo tuo domine.

Proinde, ne ante tẽpus quicquam iudicetis, donec uenerit dominus qui & illustraturus est occulta tenebrarũ, & patefaciet consilia cordium, ac tunc laus erit unicuiq; à Deo.

Colligit ex pręmissis, abstinendum esse à iudicandi temeritate, eo quod iudicium solius sit domini, qui solus nouit consilia cordium: quæ sunt à cogitatione mortalium abdita, & tenebris densissimis operta. Homo non potest aliter iudicare, quàm secundum externam rerum faciem, Deus autẽ intuetur corda. Nota est historia electionis Dauidis, quàm errauerit Samuel

1. Sam. 16.

Samuel in Eliab. Non uetat prorsus iudicare. Nequit enim iudicio carere, humanarum pariter ac diuinarum rerũ necessitas. Nã alioqui frustra dixisset, omnia probate qđ bonũ est tenete. Et, spiritalis omnia dijudicat. Et 1. Tim. 5. Quorundã hominum peccata manifesta sunt precedẽtia ad iudicium. De illis non prohibet iudicare. Temeritatẽ eã cohibet, qua Corinthij de ministris Christi iuxta faciem externam iudicantes, alium in cœlum usq; euehebant aliũ prorsus abijciebant. Huius gratia dicit, nolite ante tẽpus, &c. Item donec uenerit dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum. Itẽ. Tunc laus erit unicuiq; à Deo.

Notantur iterum pseudapostoli, qui iudicij diuini nulla habita ratione laudẽ quærebãt apud homines in humano die. Minatur autẽ illis aduẽtum domini, ꝑ quẽ olim sit lucis instar manifestum futurũ, quod tum occulte ab illis gerebatur, cõsciẽtiamq; mortalium fugiebat. Donec uenerit dominus, inquit, qui illustraturus est occulta tenebrarũ, & patefaciet cõsilia cordiũ. Tum, inquit, diuersum apparebit. Qui nunc cõtẽnuntur si fideles fuerint inuenti coram Deo, gloriosi erunt & illustres, rursus qui nunc in precio sunt, si corã Deo fuerint deprehensi perfidi, prorsus abijciẽtur. Exemplo sint illi, de quibus Matth. 7. ad quos dicturus est Christus, Non noui uos, &c. Isti absq; dubio in humano die gloriosi fuerunt, prophetãtes, uirtutes facientes, dæmonia eijcientes, &c.

Obserua uero, quod non simpliciter dicit, cui nota sunt occulta tenebr. & consilia cord. sed, qui illustraturus est, & patefaciet occulta teneb. & consi. cord. Nec simpliciter dicit, cogitata, sed, cõsilia cordiũ. Acriter pũgit pseudapostolos, hactenus tamen parcens quod eos nõ nominatim perstringit. Et parũ forsan est, quod qui nunc in honore sunt, olim exploden tur. Quis poterit exprimere cõfusionem eam, quam sustinebunt pseudapostolorum admira tores & adoratores, idq; duplici nomine, primum in illis quos suspexerunt, deinde in illis quos in hac uita contempserunt? Ista si fuerint probe ac sedulo expensa, absq; dubio coërcebunt procliuitatem illã temere de Christi ministris iudicãdi. Interea non prohibet, quo minus iudicet̃ in ecclesia de reprobis tã ministris q̃ auditoribus. Iudicat ecclesia de manifestis, q̃ iudicium palã exposcũt, ipse uero hic loquitur de occultis, de quibus nulli cõpetit ecclesię, ut iudicet, sed soliꝰ Dei est iudiciũ. Quare nõ simpliciter dicit: Proinde ne iudicetis quicq̃, sed, Proinde ne ante tempus iudicetis quicq̃. Ante tẽpus iudicat, qui de occultis sentẽtiã pronun ciat, priusq̃ manifestent̃. Manifestatio autẽ occultorũ, nõ est horũ tẽporum, nec cadit in cognitionẽ & dijudicationẽ humani diei, sed reseruat̃ ultimo iudicio, secundo Christi iudicis aduẽtui. Vnde subdit, donec uenerit dominus qui & illustraturus est occulta tenebrarũ & patefaciet consilia cordium. Ad huius iudicij diẽ appellare nõ est nisi eorũ q ueraciter dicere pos

A sunt, Nullius mihi mali cõscius sum. Cæterorũ peccata quæ manifesta iam sunt, recte iudicãtur, nec possunt amplius ante tempus iudicari.

Obserua uero q̃ elegãti similitudine cõparet aduẽtum Christi exortui Solis, cũ dicit. Donec uenerit dñs, q̃ & illuminabit occulta tenebrarũ. Sol exortu suo illuminat ea q̃ nocturnis fuerãt tenebris abdita & occulta, ut cunctorũ oculis patefiãt. Sic Christus ubi uenerit ad iudicium dispellet oẽs hasce tenebras, quibus nũc occulta cordium nostrorũ obteguntur, imo regni Satanę quoq; regni tenebrarũ neqtias quãtũuis abditas & abstrusas patefaciet. In hisce tenebris multa occulunt̃, ꝑsertim in Antichristianismo, q̃ dies dñi luce sua omnibus reddet manifesta. Multi iã habentur pro orthodoxis, quos cognoscemus in illo die ipsissimos esse hæreticos. Rursus multi habẽtur ꝓ hæreticis, quos tũ uidebimus à domino agnosci ꝓ ueris fidelibus. Ludit Satan in tenebris istis & cordibus incredulorum, uerum expectemus diẽ domini, & cõmittamus iudicium occultorum futuræ illius illustrationi.

Illud. Et tunc laus erit unicuiq; à Deo, non est nisi de ijs dictũ, qui fideles in die iudicij inueniẽtur. Quare addẽdũ erat, quid hypocritis ac perfidis futurum sit. Verum non eò spectabat, sed laudem duntaxat pseudapostolorum suggillare uolebat, qua tantopere à Corinthijs extollebãtur, sibiq; ꝑferebãtur. Quasi dicat: Iã admodũ uestros istos doctores laudatis, ac me respectu illorũ fastiditis, uerum inconstãs hęc

B est illorum laus. Laudis tempus erit, ubi uenerit dominus. Ibi uere laudabuntur, qui synceri ac fideles à domino inuenientur.

Hæc autem fratres per figurã trãstuli in meipsum & Apollo, propter uos, ut in nobis disceretis, ne quis supra id quod dictũ est sentiat, ut ne alius pro alio aduersus alium inflemini.

1 Exponit quõ dixerit: Etenim cũ dicat aliqs, Ego sum Pauli, &c. Et. Quis est Paulus? Quis est Apollos, &c. Et omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, cum tamen nec sub sua, nec Apollo persona uiguerint Corinthiorũ dissidia, q̃ corrigere instituit: Hæc, inquit, fratres, ꝑ transfigurationẽ in me & Apollo transtuli, nõ quod nostra nomina dissidiorũ dederint materiã, sed quod sub illis declarare uoluerim dissidiorum uestrorum absurditatẽ, ut admonerem uos, ne amplius alius pro alio aduersus alium inflemini.

2 μετεσχημάτισα trãsfiguraui. μετασχηματισμὸς est, quãdo sub aliena ꝑsona, siue nostra siue aliorũ, aut ficta, quorũdã delicta incusamus. Eiꝰ generis etiã est, quãdo nõ solũ ꝑsonã alienã inducimus, sed & crimẽ aliud sub alio cõficto, aut uero quoq;, cõsimili tamẽ, rephẽdamus. Notũ est exẽplũ ꝓphetæ Nathã, qua trãsfiguratione, & ꝑsonę & criminis in corrigẽdo Dauide sit usꝰ. 2. Reg. 12.

PROPTER uos.] Hoc est, ut uobis parcerẽ tãquã ægrotis & imbecillibus, ne uos scilicet offende-

offenderẽ, si ex nomine qđ suspicitis taxarẽ. Relucet hic iterũ Apostoli prudẽtia, omnibus Christi ministris obseruanda. Sectarij ingenio sunt amantium prędit, quibus durũ est & intolerabile, si nominatim perstringanť, de quibus gloriatur & à quibus pendẽt, ita ut magis iritetur q̃ curẽtur. Ideo prudẽti cõsilio usus, rẽ ipsam quidẽ q̃ sit absurda ob oculos exposuit, sed sub alienis personis & nominibus, idq; nõ quibuslibet, sed ut tolerabilior esset admonitio cũ primis sub sua deinde & Apollo ꝑsona.

Prudentiam istam imitentur omnes uerbi ministri, castiganda sunt uitia, sed ita ut delinquentes curẽtur non exasperẽtur, quod potissimum faciendum est, ubi studia partium inualescant. Si ea est delinquẽtium imbecillitas, ut non sint laturi si recta inuehamur in morbos, quibꝰ laborãt, aut taxemus ex nomine, à quibus dependent, utendũ est Apostoli exemplo, ut per obliquum & trãsfigurationem uel personarũ uel criminis, qđ uolumus assequamur.

Inest autem non solũ prudẽtia in isto transfigurationis cõsilio, sed & affectus dilectionis, plane paternus, qui se in mille figuras uertit, ut laboranti filio succurrat. Non dicit, propter uestros pseudapostolos, sed propter uos, ut intelligas non metum esse, quod nõ ausus sit offendere tantos uiros, sed affectum charitatis, quo noluerit iritare imbecilles & ægrotos. Ingeniosa res est, & solliciti plena timoris amor. Qui isto præditi sunt affectu nõ utcunq; inuehentur in delinquẽtes, sed magna id solicitudine moderatione & cautione facient, unice spectantes, quid ferre ualeant, quid non, quos emendare constituunt.

4 VT in nobis disceretis.] Duo dicit. Primũ, quid toto hoc tractatu eos admonere uoluerit, uidelicet, ut discerẽt non sentire supra eam regulam quã descripsit, de quoquã, nec inflari pro alio aduersus alium. Alterũ, ut id discerent in se & Apollo, cum quod ipsi nihil huius unquam spectarint, nec unquam cõsilium dissidijs dederint, tum quod pro animi morbo nõ sustinuissent id in illis discere, quos plus ęquo extollebant. Ea nanq; amoris est cæcitas ut uicium non uideatur uicium, in eo quẽ deperis, uideatur autem statim in alijs, quos nõ admodum curas. Quod ergo in pseudapostolis non didicissent, in se & Apollo spectandum ac discendum proposuit.

5 SVPRA id qđ scriptũ est.] Chrysost. putat aliquem scripturæ locũ intelligi ab Apostolo, utpote: Quid uides festucã in oculo fratris tui &cæ. uel, Nolite iudicare, ne iudicemini, uel, Qui se exaltat humiliabitur, aut, Quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit omniũ minister. At ista domini licet uerba sint, non tamen uerisimiliter ab Apostolo per scripturam intelligi puto, eo quod cum ista scriberet, Euangelistarum scripta, aut nondum extabant, aut nõdum Corinthijs innotuerant.

Hierony. exponit, ne quisq̃ supra scripturæ disciplinã sentiat. Ambrosius trãsit. Simplicius autem uidetur, ut intelligamus de eo quod suprà scripsit. Sic nos existimet homo tanquam ministros Christi, &c.

A

6 φρονεῖν.] Erasmus adiecit, de se, quasi nolit Apostolus quenquã de seipso supra mẽsuram præscriptam sentire. Verum, si addẽdũ est aliquid malim adijcere, de quoq̃. Alloquiť enim hic nõ uerbi ministros, de quibus plus æquo eximie sentiebatur à Corinthijs, sed ipsos auditores ac discipulos, quos à præpostera præceptorũ admiratione auocat, quorũ gratia trãsfiguratione, cuius meminit, usum se esse dicit. Et huc facit etiã qđ subiũgit, ut ne alius ꝓ alio aduersus aliũ inflemini. Nã id ex eo plerũq; sequitur, ut inflẽtur cõtra alios qui de quibusdã ut eximijs ac præclaris gloriant, id quod inter sectarios uiuuenire uidemus, dũ Franciscani ꝓ suo Francisco, aduersus Dominicastros inflantur, & illi uicissim. Proinde præmisit illud, ne quisquam supra pręscriptam regulam de quoquã sentiat. Qui enim de omnibus uerbi præconibus nihil aliud sentit quàm quod ministri sint Christi ac dispensatores mysteriorum Dei, is certe nullius gratia aduersum quenquã inflabitur, sed de uniuersis idẽ sentiẽs, omnes ex æquo uenerabitur.

7 φυσιοῦσθε, id est, inflemini. Metaphora est, sumpta de membrorũ inflatione, quæ ex morbo, corruptis humoribus, aut spiritu malis humoribus pleno nascitur. Ad eum modũ & animi superbia inflatio dicitur, propter spiritus peruersi tumorẽ. Quod si istã animorũ inflationẽ idẽ cõcomitaretur dolorum sensus, qui in nodosa sentiũť podagra, forsan citius curaretur.

B

Notatur autẽ à Chrysost. q̃ sit stultũ de aliena gloria inflari, quod perinde est, atq; si quis ꝓpter alienas diuitias superbiat. Quid quæso faciet in propria gloria cõstitutus, qui etiã de aliena superbiendi sumit argumentum.

Quis enim te discernit? Quid autẽ habes quod nõ accepisti? Quod si etiã accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis?

1 Apostrophe est trina ꝑcõtatione uehemens & urgẽs, deinde numero singulari uelut unũquenq; cõueniẽs. Exponiť aũt nõ eodẽ modo, Nã aliqui referũt ad ipsos doctores, q apud Corinthios dissidiorũ authores erãt, utpote Chrysost. & Hieron. Quidã uero ad auditores ac discipulos de ꝑceptoribꝰ suis gloriãtes, id quod Ambros. facit. Paraphrastes Eras. priorẽ ꝑcõtationẽ discipulis, reliquas doctoribꝰ applicat.

2 QVIS te discernit?] διακρίνειν uariæ significationis uerbũ est. Nã & discernere significat, & extollere (quoniam selecta plerunq; discernuntur) & dijudicare, unde & Chrysostomus dijudicandi sensu particulam hanc exponit, quem sequutus est Erasmus, ita reddẽs. Quis enim te dijudicat? Si legerimus, quis te discernit? sensus est, quis te reliquis præfert? Quis te extollit? quis eximium reddit? Si, quis te dijudicat, idem est, ac si dicat, cuius nam iudicio tibi places? quis te examinat, inquirit, probat,

bat, eximiumq; esse deprǽhendit? Cuius calculis usus extolleris? quasi dicat, Homines imperiti ac stulti, sua de te opinione decepti, eximium te esse putant ac dijudicāt, & inde superbis. Atqui non quem homo sed quem Deus commēdat ac dijudicat ille demum probatus est. Hominum iudiciū fallit. Videtur hoc sensu respicere ad ea quæ initio capitis huius sub sua persona dixit, Mihi autem pro minimo est, ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, &c. Cæterum qui me iudicat, dominus est, &c.

Potest illud, Quis te discernit? ita exponi, ut ad Deum referatur. Quasi dicat, Si charismatis alicuius gratia superbis, quæso quis est, qui te singulari dono à reliquis discreuit? An tu ipse? Certe nequaquā. Quid enim habes quod non acceperis? Atq; ita conueniet hæc particula cū sequentibus.

5 QVID autē habes, quod nō acceperis?] Cōmuniter exponūt, quid habes quod nō à Deo acceperis. Solus Ambrosius aliter. Is ut dixi arbitratur totā hāc apostrophē pertinere ad eos, qui præceptorū gratia aduersus alios inflabātur, seseq; à reliquis seiungebāt, & exponit ad hunc modū. Quid iā habes, qui reliquos cōtēnis, qđ antea à me nō acceperis? Quid cōtulit tibi magister iste, de quo ita gloriaris, ut reliquos fastidias, quo hactenus carueris? Quā fidem interea, & quæ noua charismata per istū magistrum tuum cōsequutus es? Quod si quæ audis, audisti & antea, quę habes, accepisti iam antea, ut nihil noui, nihil præcipui, quo carueris hactenus post abitum meū acceperis, quæso qua ratiōe usqueadeo de magistro hoc tuo, cui nomē das, gloriaris, ut à reliquis separeris?

Et isti sentētiæ duo uidētur in uerbis Apostoli fauere.

Vnū est, qđ nō simpliciter dicit, Quis te discernit? Sed, Quis enim te discernit? ut quasi præmissæ admonitioni rationis uice subiungātur istæ percōtationes, ꝓpter causalem γάρ. Dixit enim, ut in nobis disceretis, ne quis supra id qđ scriptum est de quoquam sentiat, ut ne aliꝰ ꝓ alio, cōtra aliū inflet. Hic quasi rationē exigēs, cur aliquis putet sibi cōtra reliquos alicuius nomine gloriādū esse, uel certe ostendēs neminē tāti faciēdū esse, ut illiꝰ gratia debeat quisq̃ à reliquo sese fideliū grege secernere, subijcit: Quis enī te discernit? Quasi dicat, Quis enim tāti est, ut authoritate sua à reliquis Christianis te separare possit? Quis nā ille est, quē tāti facis, ut illiꝰ nomine infleris aduersus fratres? Si Christum spectas, at ille cōmunis est omniū credētiū dn̄s. Si doctorē aliquē, at quisquis ille & quātus quātꝰ sit, nō dn̄s est, sed minister, cuius nō est officium secernere, sed coniungere Christo credentes. Malus dux est, qui regiū exercitū authoritate sua dissipat ac separat, quē debebat seruare quàm unitissimum.

Alterum est, quod non dicit, qđ si accepisti, Sed, quod si etiā accepisti, qđ gloriaris? Quasi dicat: Quod si id, cuiꝰ nomine gloriaris de nouo doctore, etiā à me iam antea accepisti, quid

A gloriaris quasi nō acceperis? Vident̄ aūt & sequētia huic sententiæ astipulari & uelut prodere affectum hūc Apostoli cum dicit: Iam saturati estis, iam ditati estis, &c.

Et sane ita plerunq; euenire uidemus, ut nouum doctorem adeptus populus, eum quem antea habuit fastidiat, deq; nouo insolescat & superbiat, etiam si is nihil adferat, quod antea non audierint.

Quod si ista Ambrosij sentētia cuiquam arridet, per me licet illa utatur. Alioqui cōmuniter hęc Apostoli uerba cōtra arrogantes ac superbos quosuis usurpant̄. Quisquis enim gloriatur, alicuiꝰ nomine oportet glorietur, quod sibi uel soli, uel cum paucissimis uindicet rarū & eximiū, ut sunt sapientia, eruditio, eloquentia, opum splendor, corporis uenustas, opinio iusticiæ, & quæ alia sunt huiusmodi. Illis oggerit̄. Quid habes, quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis?

4 Insunt autem his uerbis duo notanda.

1 Vnum est, Neminem habere quicquam, quod non acceperit à Deo, siue immediate, siue per ministerium aliorum, uel angelorū uel hominum uel bestiarum. Nam omne bonū de sursum est, &c.

2 Alterum est, illicitum esse gloriari de alieno bono. Nam omnis gloria illi debetur, cuius, & à quo sunt omnia. Ideo dicit: Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Non dicit: Si accepisti, noli gloriari de alieno. Sed quid gloriaris? Notat enim impudentiā huiusmodi B arrogantiæ, quasi dicat: Quid nam rationis prętexere potes, ut merito uideare gloriari de eo quod non tuum est, sed aliunde habes? Ridiculū plane est de alienis bonis superbire. Nota est Æsopica cornicula, quæ alienis coloribus ornata, tandem pudefacta est. Iam uide, si stultum est, ridiculum, absurdū, & si Deum respicias impium etiam, gloriari de bonis, quę licet acceperis, habes tamē, quid sentiendū de illis, qui per hypocrisim ea simulant quę nō habēt, illorum opinione sese uenditant?

Iam saturati estis, iam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis, atq; utinam sane adepti sitis, ut & nos simul uobiscum regnemus.

Hæc & quæ sequūtur admodum salsa sunt, & stomachum resipiūt. Primum autem notat Corinthiorum fastidium & cōtemptum, quo erga se & doctrinā ab ipso acceptā aliò à pseudapostolis abducti & inescati laborabant. Facit autem id non sine ironia, cum dicit: Iam saturati estis, iam ditati estis, &c. Non enim iam erant perfectam regni Christi cognitionem adepti, neque dum aliquo usque in spiritu excreuerant. Siquidem, ut suprà dixit, carnales adhuc erant. At uidebantur sibi iam abunde ditati, & magnam cœlestium rerum cognitionem adepti. Iuxta hāc ipsorum opinionem per ironiam loquitur dicēs. Iam saturati estis, iam ditati estis, &c.

Morbus

Morbus hic omnino uulgaris est, & animũ indicat imbecillem. Vt enim infirmi stomachi indicium est, si quisquam cito & modico cibo ita saturetur, ut fastidio edẽdi afficiatur, ita & infirmi animi argumentũ est & plane puerilis, si quisquam cum uix prima teneat rudimenta putet se iam ad ipsum sciẽtiæ rerum uerticem ascẽdisse. Et ipsa saturitatis metaphora, qua utitur Apostolus huc respicit, quemadmodũ & reliquæ duæ, nẽpe, iam ditati estis, itẽ, iam regnatis, cõsimilem morbum metaphoricẽs exprimunt. Nã quod in suo genere usuuenit stomacho infirmo, id & tenuioribus accidit, qui mox atq; aliquam adepti sunt facultatulã, iam arbitrantur se abunde diuites effectos esse ac prorsus regnare, cũ adhuc multis egeant. Piorum itaq; est quod ad ueritatis cognitionẽ & solidæ pietatis studium attinet, insatiabilẽ habere ingluuiem & perpetuam auaritiam, nec unquã sibi persuadere quod aliquid sint perfectionis adepti.

Quod secundo dicit, iam, iam, uidetur nõ carere admiratione, quasi dicat: Tã cito saturati estis? tã cito ditati estis? Et illud, ἐβασιλεύσατε, licet in forma præteriti sit positũ, in præsenti tamẽ legẽdum est, ut & uetus reddidit. Nõ enim actum notat præteritum, sed qui adhuc duret, ideo & Erasmus reddidit, nõ regnastis, sed regnum adepti estis. Potest accipi ꝑ Ebraismo, quo præteritum positum sit pro præsenti.

Intelligit autem per uerbum regnandi nihil aliud quam plenã scientiæ facultatẽ ut nullius opem desyderent. Regnare enim hic idem est, atq; uicisse, enauigasse, eoq; euasisse, ut iam citra cuiusq; opitulationem cõsistere liceat. Regnum duo habet. Vnum quod attinet rerũ gerendarum facultatem, alterum quod cõcernit imperãdi potestatẽ. Iuxta primã regnandi rationẽ dicit, sine nobis regnatis. Hoc est, Eò ꝓmouistis iã opinione uestra, ut nulla in re putetis operã meã uobis esse necessariã, euasistis iam omnem rerũ ignorantiã, omnẽ Christiani nominis ignominiam, omnẽ passionũ Christi infirmitatem, in Christo regnatis, prudentes, ualidi, & clari.

Ita & nos in Christo olim regnabimus.

ATQVE utinã regnetis.] Pathos est quo indicat tã abesse, ut inuideat illis regnũ in Christo, ut doleat sibi q, magis opinione regnent q̃ ueritate, optetq; ipsis ex animo, ut regnẽt. Simul tamẽ innuit eos nihil minus q̃ regnũ esse adeptos. Alioqui dicẽdũ erat, gratulor uobis, q, hactenus promoueritis, ut iã regnetis. Cum uero optat ut regnent, indicat se diuersum uidere in illis ab eo regno, de quo superbiebant.

VT & nos simul uobiscũ regnemus.] Hoc est, ut & nos in gloria simus uobiscũ. Ergo gloriã, pacẽ, ac regnum sibi optat Apostolus? Nequaq̃. Sed hoc indicat, se merito debere participẽ esse gloriæ ipsorũ, tanquã præceptorẽ, eo q, à se acceperint, si quid habeant. Ita quippe comparatum est in rerum æquitate, ut gloria discipulorum sit gloria præceptoris.

Vel si ista expositio nõ placet, intelligẽdus est ex affectu paterno loqui, quo fit, ut regnãte filio, id est, cõmode & ꝓspere habẽte, regnet & pater, animi scilicet affectu, etiam si foris nihil hui⁹ appareat. Et hui⁹ affect⁹ infrà recordabit̃. Et hic sensus magis arridet. Plus enim resipit Apostoli pectoris non seipsum, sed quæ aliorum sunt spectantis.

Arbitror eñ, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostenderit tanquã morti destinatos. Quoniam spectaculũ facti sumus mundo & angelis & hominibus.

Declarat se nihil min⁹ q̃ regnare. Sed omniũ esse abiectissimũ, mirisq; modis iactari & affligi. Ostendit autẽ, licet occultius, nõ ita destinatũ esse à Deo, ut qui Christi sunt, in honore sint, & regnẽt in hoc seculo, idq; cõijciendum exhibet suo exẽplo, qd' opponit studio & fortunæ pseudapostolorũ, quos admodũ insynceritatis insimulat, qua nõ quæ Christi, sed q̃ sua ipsorũ quærentes, curabãt & satagebant, ut in precio haberentur, nobiles & clari regnarent, cũ ipse interea pro fide Christi ceu stultus, imbecillis & cõtemptus abijceretur. Tantũ nõ dicit, Non ambulatis recto pede ad Euangelium Christi, alioqui non regnaretis, sed mecũ affligaremini. Tanta nãq; pro Christo patior quotidie, ut appareat nos uelut morti destinatos esse à Deo, & ob eam causam missos, ut passim morti exponamur.

APOSTOLOS nouissimos.] Amphibolice dictũ est, ut nescias, an dicat se nouissimũ ostẽsum esse Apostolũ, uel se nouissimũ Apostolũ ueluti morti destinatũ ostẽsum esse. Mihi placet posterior sensus ut intelligamus afflictiones eas quib⁹ premebat̃ quotidie, quasi declarasse Apostolũ morti diuinit⁹ esse destinatũ, tã abfuisse, ut regnũ ĩ hoc seculo repererit. Vocat aũt se nouissimũ Apostolũ, nõ solũ uocatione (scio qd Ambrosius de Enoc & Helias postremis apostolis, cũ antichristo cõflictaturis scribat) sed & æstimatione eo modo, quo infrà se uocat abortiuum & minimum inter apostolos. Vetus interpres uidetur priorẽ, Erasmus uero posteriorem sententiam secutus.

Infra 15.

QVONIAM spectaculũ facti sumus.] Quare dicat se uelut morti diuinit⁹ destinatũ, & quomodo, ostẽdit. Quia spectaculũ, inquit, facti sumus mũdo, & angelis & hominib⁹. Hoc est, tã nõ regnam⁹ in hoc mũdo, ut nusq̃ nõ explodamur, abijciamur, & ꝓ scelestissimo habeamur, adeoq; publico ꝓbro afficiamur. Solebãt tum nocentes publico spectaculo puniri, & omniũ probro puniẽdi exponi. Et ꝓbri hui⁹ auxesim habet, q, nõ uni & alteri ciuitati sed ipsi mũdo, angelis & hoĩbus spectaculũ se factũ esse dicit.

Mundum intelligo generaliter positum, angelos & homines distributiue.

Per angelos alij bonos, alij malos spirit⁹ intelligunt. Chrysostomus de bonis exponit ad hunc modũ. Nõ solũ cũ mũdo nobis sed & cũ spiritib⁹ peruersis & potestatib⁹ incorporeis certamẽ est, ideoq; nõ solũ mũdo & hominib⁹ sed

sed ipsis quoq; angelis spectaculũ facti sumus. Tanta nanq; sunt nostra certamina, ut & angelorum digna sint spectaculo. Ambrosius uerò mundo malos angelos coniungit, quibus spectaculum factus sit Apostolus. Intelligitur autem dictione spectaculi publicum probrũ & ludibriũ, quo sensu certe bonis angelis Apostolus spectaculũ nõ fuit, qui magis, ut in psalmo est, castrametati sunt circa seruum Dei illumq; ex afflictionibus eripuerunt.

Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes in Christo, nos imbeciles, uos autem ualidi, uos clari, nos contempti. Ad hoc usq; tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operãtes proprijs manibus, male audiẽtes benedicimus, persequutionem patientes sustinemus, conuitijs affecti obsecramus, ueluti excrementa mundi facti sumus omnium reiectamentum ad hunc usq; diem.

Per collectionem amplificat disparitatẽ sortis suę, quæ longe aliter habebat quàm ea quã pseudapostoli in Christo humanæ sapiẽtię studio quęrebant. Cõfert autem utrinq; quo ipse rerũ statu cõsistat, imo magis iactetur, & quid ipsi per pseudapostolos inducti quęrant. Nos, inquit, Christũ ita pdicamus, ut illius nomine stulti reputemur, ĩbecilles pmamur, cõtẽptui omnium exponamur & ad hoc usquetempus esuriamus, sitiamus, nudi simus, colaphis cędamur, incertis uagemur sedib⁹, laboremus proprijs operantes manibus, male audiamus, conuicijs afficiamur, & uelut excrementa mundi & omnium peripsema habeamur. In hunc usque diem inquam nondum alia nobis conditio, alia sors obtigit in Christo, quàm ista omnium abiectissima, ac tot afflictionibus tantisq; probris obnoxia. Vos uero lõge aliter affecti, in Christo quæritis, ut prudentes, ualidi, & clari sitis, ut non necesse sit esurire, sitire, nudari, colaphis cędi, incertis uagari sedibus, male audire, persequutionem ferre, cõuicijs affici & omnium peripsema, mundiq; uelut excrementa fieri. At mirum fuerit quomodo uos in Christo geratis, si ista in illo licet obtinere, cũ mihi diuersissima illius nomine accidant.

Ad hũc modũ Apostolus suo exẽplo docet q̃ nõ germanos Christi ministros habeãt, cũ quibus in Christo cupiant in hoc sęculo pacẽ, gloriam & regnum obtinere, inter tot inimicos, à quibus certe, si regnum Christi cupiant ex animo promotum, eodem probro sint excipiendi quo ipse. Quod si dux quidam Christiani exercitus contra Turcas impugnandos missus, ita se gerat cum Turcis, ut quietũ ocium in ipsorũ gremio agat, quis non suspicabitur illum non satis fideliter commissum administrare bellũ, maxime cum alius quispiã, in pari munere cõstitutus, crebris & indesinentibus Turcarum incursionibus & conflictationibus quotidie affligetur? Solent huiusmodi duces proditionis argui. Tantundẽ ergo dicit Apostolus, doctores uestri non sunt fidi Christi ministri, nec regni illius promotores, sed proditores. Verũ id aperte non dicit, sed per collationem dispari s utrinq; suæ & illorũ sortis ipsis intelligendum relinquit.

VOS prudẽtes, ualidi, clari in Christo.] Nõ quod essent tales, sed quod tales esse quærebant, nolentes propter Christum haberi stulti, esse imbecilles (id est omnium libidini expositi, ut sunt pauperes & inopes. Nam potentes non facile infestantur) & cõtempti, sed ita sese gerebant, siue ita instituebantur à pseudapostolis ut probrum & calamitatem crucis Christi effugerent.

AD hoc usq; tempus.] Sic infrà, ad hunc usque diem. Quasi dicat: Iam tot annos Christũ prędico, nec unquam hactenus aliam adeptus sum sortem, quàm istam calamitosissimã. Mihi nondũ potuit obtingere quod uos in Christo quæritis ne hodie quidem.

Clanculum autem animi sui cõstãtiam spectandam proponit, quod in tot aduersis rebus tanquam diuturnis & irremisis nunquã à scopo deflexerit, cum ipsi recẽs Christo accensiti, iam pacem & gloriam in hoc mundo ambirẽt.

ET esurimus & sitimus.] Huiusmodi & apud ipsos Corinthios perpessus fuerat. Cum essem apud uos inquit. 2. Cor. 11. & egerem nemini onerosus fui, &c. Et hodie esuriẽdum ac sitiendum esset Christi ministris, si libera esset contributione alendi.

MALE audientes benedicimus.] Hic non solum quid patiatur, sed & quid ipse uicissim male affectus faciat, ad hoc commemorat, ut patientiæ & mansuetudinis suæ exemplo admoniti discant, quales habeant doctores an Christi sint imitatores nec ne.

VELVTI excrementa mundi facti sumus.] Quasi sũmatim uno uerbo cõplectitur, quàm non sit regnum adeptus in hoc mũdo. Ipse inquit mundus ita nos passim explodit, exibilat & abijcit, ut ceu excrementa illius habeamur, & omniũ peripsema. περικαθάρματα sunt repurgamenta, quæ circumquaque ex omni domo congesta eijciuntur. Budæus dicit eos qui pro peste expianda dijs apud Gentes immolabantur dictos esse καθάρματα. Tale κάθαρμα erat Ionas cum sedandæ tempestatis gratia abijceretur in mare. Eiusdem momẽti est περίψημα qua dictione quicquid sordium uel à pedibus uel aliunde abstergitur, significatur ἀπὸ τοῦ περιψᾶν quod est abstergere.

Sic Christiani ubi pestis uel fames ingruebat abijciebantur ad Leones. uide Tertullian.

OBSER. I.

Quid ergo? Christi ministri germani & synceri esse non poterunt, qui non habentur pro stultis, qui non sunt contempti, qui non affliguntur, qui non esuriunt ac sitiunt, qui nõ nudi sunt, qui non incertis sedibus circumuagantur,

tur, qui non proprijs manibus operãdo uictũ quęrunt? Respondeo. In his rebus non est sita ministerij Christi, & fidei in Christum synceritas. Alioqui quotquot male haberent in hoc sæculo probi habendi essent, cum inuenias sæpenumero pessimos nebulones hanc sortem perpeti ut ubique male excipiantur. Quin hoc curandum est Christi ministris & fidelibus, primum ut ante omnia quęrant regnum Dei ex animo, deinde parati sint pro Christi nomine in omnem euentum. Quod si contigerit talibus esse in precio & pace, bene. Nam & Paul⁹ nouit non solum esurire sed & abundare & saturari, si uero crux, persequutio & cõtemptus acciderit pro Christo, ferendum & hoc est, inque fide & dilectione Christi persistẽdum. De opere manuario, an ad ministerium Christi sit necessarium infrà uidebimus cap. 9.

Phil. 4.

II.

Deinde notãdum est hic omnibus Christi ministris quanta debeant animi constantia præditi esse, ad hoc ut nihil non ferre possint pro Christo. Quis nostrum uel minimam partem eorum perpessus est pro Christo quæ Paulus hic connumerat?

Non quo uos pudore suffundam, hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo. Nam etiamsi innumeros pædagogos habeatis in Christo, non multos tamẽ habetis patres. Siquidem in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui.

Iam ad finem tendit huius causę. Videri autem poterat, maxime hoc capite, animo parũ amico, exprobrãdi gratia, non solum dissidiũ, quo inter se, laborabant, sed & pessimum ingratitudinis uicium objjcere Corinthijs, quorum gratia tot labores, probra & pericula tulerit, pro quibus ipsi nihil rependerint, nisi & nominis & doctrinæ ipsius contemptum, id quod certe merito illos pudore suffundere poterat. Curat ergo pro sua prudentia suspicionẽ hanc mentibus ipsorum eximere, cum dicit: Non quo uos pudore suffundã hęc scribo, &c. Admodum enim urit beneficiorum improperatio, uehementerq; commouet ingenuos animos ingratitudinis imputatum uicium, præterquam quod animum prodit nõnihil abalienatum, & haud facile reconciliabilem, deinde & suas glorias non aliorum utilitatem quęrẽtem. Vt igitur hæc omnia amoliatur, licet ipsi digni fuerint, qui pudefierent, commodum utitur ista animi sui declaratione, ostendẽs primum nõ ea se ratione ista cõmemorare, quod cupiat eos aliquo pudore aspergere, deinde subiungẽs affectu se paterno eoque adhuc cõstanti, admonendi gratia scribere.

ΟΥΚ ἐντρέπων ὑμᾶς.] Pulchre usurpatur à Gręcis uerbum hoc ἐντρέπω, pro confundo, pudore suffundo. Licet enim proprie nõ significat pudefacere sed inuertere, quia tamen, cui turpia quędam objjciuntur, per obiectionem probri sui in sese cum pudore redire, ac sententiam

A mutare adigitur, fit ut ἐντρέπειν pro pudefacere, & ἐντροπή pro pudore & confusione usurpetur.

Obseruandum est autem quod dicit, non confundens uos ista scribo, pro, nõ ut pudore uos suffundã, hæc scribo. Hoc quisq̃ facere recte dicit̃ qd̃ animo facere intẽdit, nõ qd̃ ex ipso facto præter faciẽtis sententiã accidit. Fieri potuit ut uehemẽter sint hoc Apostoli scripto pudefacti Corinthij. At hoc ille nõ spectauit, ideo se dicit illos scripto suo nõ pudefacere, cũ hoc animo nõ scribat. Vt enim recte aliquem ignominia afficere dici potest, qui ignominiæ gratia aliquid facit, etiamsi ad ignominiam eius quem lędere conatur, non cedat, ita uicissim recte dicitur non pudefacere quenq̃ qui quod facit animo pudefaciendi non facit, etiãsi is quẽ repræhendit pudore suffundatur.

Ἠθικὸν hoc loco est, ut studiose caueamus, ne quos arguimus ita arguamus, ut data opera pudefieri uideantur, maxime si repræhendantur eorum gratia, quę in nos immeritos commiserunt. Tum enim non illos corrigere sed nos potius ulcisci uideri poterimus, id quod non poterit ad ædificationẽ errãtium cedere.

SED admoneo.] Non dicit, increpo, arguo uos, sed admoneo. νουθετεῖν est aliquid menti cuiuspiam suggerere, id quod fieri solet ab amicis ijs qui sui parumper obliuiscuntur, & quod delinquunt errando magis quàm ex destinato delinquũt. Commendat igitur ista mitigatione scriptum suum, dum facit eam esse

B amicam admonitionem, ostenditque se de illis quos admonet non id sentire quod maliciose sed quod ex errore nõnihil delinquant.

Et huc facit quod nõ dicit, ut fratres, quod plerunque solet, sed tanquam filios, idque dilectos, quibus declarat se animo prorsus paterno illos admonere, nihilque admonendo quærere aliud quàm quod pater quærit, dum dilectos filios emendat, qui nullum alium habet corripiendi finem, quàm unam filiorum salutem. Multũ authoritatis est parenti in filios, & affectus ille paternus, omnia in filiorũ profectum instituens, nullam non arguendi uehementiam & austeritatem excusat. Non potest ergo Apostolus fortiori argumento admonitionem suam ab omni sinistra suspicione liberare, tolerabilemque, imò acceptam reddere, quàm hoc uno, quod Corinthios ponit in locum filiorum suorum sibi admodũ dilectorũ.

Nam etiamsi innumeros pędagogos habeatis in Christo, non multos tamen habetis patres. Siquidem in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui.

Quid iuris in eos habeat ut merito illos admoneat, ostendit per collationem, qua se cum doctoribus ipsorum confert, tanquam parentem cum pædagogis.

I Multum discriminis est inter pędagogum & ipsum parentem. Potest esse ut puero prosit ad tẽpus pædagogus, & ius aliquod in ipsum obtineat, uerum non ita, ut parentis utilitatẽ

& imperium puero adimat. At hoc moliebantur pseudapostoli isti Corinthiorum in Christo pædagogi.

2 Deinde pædagogus paterni affectus fidẽ & suauitatem assequi non potest.

3 Tertio mutari potest, ut liceat per successionem multiplicari pædagogorum numerũ, parẽtis uero non item, qui perpetuo unus est. Hoc scilicet non expendebant Corinthij atq; ideo satis imprudenter pędagogis ita sese addicebant, ut quod insensati pueri solent, eius à quo fuerant in Christo geniti, fastidio iam & contemptu afficerentur. Hanc illis stultitiam obijcit, cum dicit, Nam etiamsi mille pędagogos habeatis in Christo, non multos tamẽ habetis patres.

Emphasim collationis habet, quod non dicit, Nam etiamsi multos habeatis pædagogos in Christo, sed, etiamsi mille uel innumeros habeatis pædagogos. Quasi dicat. Multum extollitis, & plurimi facitis doctores uestros, ita ut putetis iam uos sine me regnare. Atqui insipienter hoc facitis, nõ intelligentes, illos uobis nullo alio loco esse posse quàm pædagogorum, me uero unum uobis esse in Christo parẽtem. Iam quæ potest esse pędagogi & parentis comparatio? Esto habeatis innumeros huiusmodi doctores, quid aliud habetis q̃ pædagogos? Numerum parentis certe augere nõ potestis, quem unum habetis. Quicquid sint uestri doctores, pædagogi sunt, non parentes, & licet innumeri sint, parentis tamen nec ius auferre, nec affectum adæquare poterunt.

Clanculum autem submonet Corinthios hac parẽtis & pædagogorum collatione, quid expectandum illis sit à doctoribus istis. Nẽpe id quod puero à pædagogo, qui plerunq; arroganter sibi imperium sumit in alienum puerum, tyrannidi quàm commodæ institutioni similius. Noti sunt mores pædagogorũ in pueros, qui se regnare putant, ubi quàm seuerissime quiduis minarum plagarumque illis inferunt. Quod autem Corinthij huiusmodi sint pædagogorum suorum imperium experti, patet in posteriore cap. 11. ubi sic legitur: Suffertis enim si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis uos in faciẽ cædit, quibus uerbis innuit quid ab istis pædagogis perpessi sint Corinthij.

SIQVIDEM per Euang.] Declaratio est, quomodo se uocet ipsorum parẽtem, negetq; illos multos patres habere extra se posse. Siquidem inquit non ipsi, sed ego uos genui in Christo. Hanc mihi gloriam præripere quanti quanti sint non poterunt. Non dicit. Ego uos primus in Christo docui, non isti, sed ego uos genui in Christo per Euãgelium. Quasi dicat. Quod Christiani estis in Christo renati, hoc mihi debetis non uestris pædagogis. Proinde mei estis in Christo non ipsorum filij.

OBSER. I.

EGO.] Natiuitas in Christo, spiritussancti A opus est, non carnis & sanguinis, nec alicuius humanæ uoluntatis. Ioh. 1. Quomodo igitur sibi hic adscribit quod ipse Corinthios in Christo genuerit? An hic sibi sumit quod Dei est? Non supra dixit, Quid est Paulus? Ego plantaui, qui plantat nihil est, sed Deus qui dat incrementum? Reluctatur ne & gloriæ Dei, sibi sumens quod Dei est, & sibijpsi, impugnans quod supra fassus est? Respondeo.

Nec sibi sumit quod Dei est, sed loquitur secundum gloriam dispensationis Euãgelicę, quam à Christo acceperat non excludens uirtutem spiritussancti cuius se ministrum professus est. Quoniam ipsius ministerio Corinthij fuerant cooperante Christo, in Christo nati, hac ratione facit se ipsorum parẽtem. Alioqui unus parens est omnium. Matth. 23. idque non solum in Christo, sed & in carnali natiuitate, à quo est omnis paternitas quæ nominatur in cœlo & in terra. Carnalis etiam pater, magis abusiue quàm proprie parens est. Seruit enim ministerio suo ad natiuitatẽ hominis, non ipse ut uerus pater suo arbitrio suaq; uirtute gignit.

Rursus, nec sibijpsi contrarius est. Nam suprà, ubi deijcienda erat propostera admiratio pseudapostolorum sopiendæque sectę Corinthiorum, ex illa natæ, necessario retulit omnia ad Deum, ut nihil esset ministrorum, quo omnis gloria uni daretur Deo, ac discerent Corinthij modeste sentire de doctoribus suis, seque B non illis sed uni Christo addicere. Hac ratione dixit: Quid est Paulus? Et. Qui plãtat nihil est, sed Deus qui dat incrementum. Hic uero ubi authoritatem suam tueri proposuit aduersus pseudapostolos, idque ad Corinthiorum utilitatem & salutem, non suam ipsius gloriam, facit se in loco parentem ipsorum, conferens sese non Deo sed pseudapostolis, quorum certe respectu ipse parens erat Corinthiorum, quoniam ipsius ministerio Christo crediderant.

II.

GENVI.] Ergo credentes in Christũ sunt noua creatura, & credere Christo, est renasci. Hac similitudine depingitur omnimoda ueteris natiuitatis, quæ ex Adam est, abolitio, & innouationis perfectio. Hac de re est Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnũ Dei. Iam immutationem natiuitatis sequitur & ingenij, & affectuum, & morum immutatio. Hinc est, quod renatos in Christo hortantur apostoli ad depositionem uetustæ corruptionis & nouæ uitæ conuersationem.

III.

PER Euangelium.] Vt minister commemorat organum regenerationis. Alioqui dicẽdum erat, per spiritum Dei. Admonet autem eos ueluti seminis, ex quo erãt in Christo nati. Videbãtur enim illius modicam habere rationem, seducti per pseudapostolorum præposteram admirationem. Certe magnum dat gloriam Euangelicæ prædicationi, quod eam facit

cit organũ ſpiritalis natiuitatis. Per illam ſcilicet in Chriſto renaſcimur per illam etiam alimur in Chriſto.

Adhortor itaque uos, ut imitatores mei ſitis. Hac de cauſa, miſi uobis Timotheum, qui eſt filius meus dilectus & fidelis in domino, qui uobis in memoriã reducet uias meas quæ ſunt in Chriſto quemadmodum ubique in omni eccleſia doceo.

Dixit, ſed ut filios meos dilectos admoneo, iam ſubdit, quid eos admoneat. Nempe, ut ſe imitentur in Chriſto, non pſeudapoſtolos iſtos à quibus ſeducebantur.

1 Ad huius perſuaſionem facit, primũ quod ex præmiſſo colligit dicens, igitur, hoc eſt, cũ ego uos in Chriſto genuerim non illi, mei ſitis non illorum filij, illi pędagogi ſint non patres, ęquum eſt, ut non illos ſed me imitemini. Germani filij eſt imitari parẽtis ingeniũ & mores.

2 Deinde & illud, quod dicit, παρακαλῶ, lubet per obſecrantis affectum exponere. Ardet enim pectus Apoſtoli affectu erga Corinthios filios ſuos plane paterno. Et plus ponderis habet ad hoc quod agitur, ut legamus, obſecro, quàm hortor.

3 Tertio, quoniam ad id inſtituti opus habebant pręſenti aliquo inſtructore uel potius admonitore, nec dum integrum ipſi eſſet Apoſtolo uenire ad eos, miſit ad eos Timotheum. Hoc eſt, quod dicit. Hac de cauſa miſi uobis Timotheum. Et hunc commendat illis primũ à ſui dilectione, quod ſit ſibi dilectus filius, utpote germanus ac ſyncerus, deinde quod ſit fidelis in domino. Hoc eſt, talis qui uias ipſius, ut ſedulus imitator, probe teneat, & ſyncera ſit erga Chriſtum fide, fidelis in illius opere ideoque commodus ad id, ut in memoriã ipſis reuocet quibus uijs ingredi debeant.

QVI uobis in memoriam reducet.] Caute non dicit, qui uos docebit uias meas. Sed qui in memoriam reducet. Non enim erat illis noui aliquid, quod antea nec uiderint nec audiuerint ab ipſo Apoſtolo, allaturus, ſed eorum tantum admoniturus, quæ primum ab Apoſtolo acceperant, ſed poſtea per pſeudapoſtolos ſeducti deſeruerant.

VIAS meas quæ ſunt in Chriſto.] Declaratio eſt, qua in re debeant imitari parentem ſuum Apoſtolum. In ea uidelicet, ut ita ingrediantur, doceant, ac uiuant in Chriſto, quomodo ipſam uiderant ambulantem, docẽtem, & omnia ad Chriſti gloriam referentem, proque illa nihil non cupide ferentem ac facientem. Per illud enim quod dicit, quæ ſunt in Chriſto, tacite mordet pſeudapoſtolos, quorum uiæ non in Chriſto ſed in humana erant ſapiẽtia, & inanis gloriæ ſtudio.

QVEMADMODVM ubique in omni eccleſia doceo.] Non fruſtra hoc adijcit. Indicat enim ſe nihil illis tradidiſſe, quod non ſimul & alijs eccleſijs tradiderit. Nec dicit, quemadmodum in multis, ſed ubique in omni eccleſia doceo. Nihil immutabat ueritatis doctor. Eandem ubique Chriſti ueritatem conſtanter docebat, licet illius gratia innumeris iactatus periculis. Et ſimul innuit quàm ſit abſurdum, ab ea doctrina degenerare, quam acceperant omnes eccleſiæ Chriſti.

DOCEO.] Verbo docẽdi admonemur Apoſtolum ſi nõ in uniuerſum, certe potiſsimum ad doctrinam reſpicere, cum dicit: Imitatores mei eſtote, &, qui uobis in memoriam reducet uias meas. Neque enim error Corinthiorũ in quibuſdam duntaxat eccleſiæ ritibus ſitus erat, ſed potiſsimum in ipſa doctrina crucis Chriſti, quam pſeudapoſtoli philoſophiæ ſtudio uiciauerant. Chryſoſt. uidetur non de doctrina ſed de traditionibus & ſtatutis quibuſdam, deinde & de aduerſitatum tolerãtia exponere, cum dicit, τουτέστιν, τὰς οἰκονομίας, τοὺς κινδύνους, τὰ ἔθη, τοὺς νόμους, τοὺς θεσμοὺς, τοὺς κανόνας τοὺς ἀποστολικοὺς καὶ τὰ ἄλλα πάντα, niſi & doctrinã includat, quod dicit, καὶ τὰ ἄλλα πάντα.

OBSER. I.

Notandum eſt hoc loco, quas uias ingredi debeamus in Chriſto, ſi uoluerimus ſentire & facere cũ eccleſia apoſtolica & catholica. Eas nempe quas Apoſtolus Chriſti ubique in omni eccleſia conſtanter docuit. Quas autem docuerit teſtant̃ ipſius ſcripta. Hęc ſint uice cuiuſdã Timothei, q nos in uijs Apoſtoli inſtruat.

II.

Deinde in eo quod dicit: Qui uobis in memoriã reducet uias meas. Videmus quàm non ſit inſolens, quod querimur hodie eccleſias Chriſti à uijs apoſtolorũ & Euangelij Chriſti degeneraſſe. Si enim eccleſia Corinthiorũ adhuc ſupſtite Apoſtolo, à quo fuerat in Chriſto genita, ita degenerauerat à doctrinę Chriſti puritate, ut illius, uelut oblita, admonenda fuerit per Timotheum, quale & eccleſiæ Galatharum accidit, quæſo quid dubitatur fieri potuiſſe ut per tot ſæculorum curricula puritas apoſtolicæ doctrinæ uiciaretur? Si admiratio pſeudapoſtolorum nouis uijs ingredientium decepit ac ſeduxit filios Apoſtoli, ut iam fuerint obliti primariæ ſuæ inſtitutionis, adhuc in uiuis agẽte Apoſtolo, quid non potuit accidere huiuſmodi poſt apoſtolorum tempora, irrumpente undique in eccleſiam, uelut exercitu quodam, falſorum doctorum, humanæ ſapientiæ & inanis gloriæ ſtudio turgentium impoſtura & ſeductione?

Perinde quaſi nõ ſim uenturus ad uos, inflati ſunt quidam. Sed ueniã breui ad uos, ſi dominus uoluerit & cognoſcam non ſermonem iſtorum qui inflati ſunt ſed uirtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in uirtute.

1 Sciebat Apoſtolus Timotheum ſua præſentia propter improborum faſtum non tantum præſtare poſſe quantum mali corrigendi

exigebat necessitas, sed profuturum quidem ad hoc, ut saniores & corrigibiles ad uiá Apostolicæ doctrinę reducerentur, uerum non ita metuendum ipsis inflatis, ut cœpto se paterentur per illius præsentiá abduci, & ob eam causam aduentus suijpsius metum illis inculcat, quem non poterant ut absentem ita præsenté quoque cotemnere. Intelligebat enim illos propterea inflatos esse, quod securi essent de perpetua sui absentia. Igitur ut inflationis huius uelut radicem extirpet, adimit illis istam securitatem per metum aduentus sui, dicens: Perinde, quasi non sim uenturus ad uos, inflati sunt quidam. Sed ueniam breui ad uos, &c.

2 Facit autem hoc prudenti consilio, ut inflatos doctores præsenti Timotheo reddat tractabiliores & contractiores, quos ille alioqui habiturus erat insolentiores aduersarios, nisi obstitisset uenturi Apostoli metus. Et eo pertinet quod non simpliciter dicit: Veniam ad uos, sed addit, breui. Nec certum aliquod tempus pręscribit, sed minatur cito se adfuturum, ut incerti de ipsius aduentu, modestius sese erga Timotheum gererent, & opus illius in domino hoc minus impedire conarentur.

1 QVASI non sim uenturus ad uos.] Pseudapostoli ergo ob id erant inflati quod nunq̃ rediturum sperabát Apostolum, ideoq; ipsius absentia per arrogantiam abutebantur. Sed quibus coniecturis ducebantur, quod sperabant illum non uenturum amplius ad Corinthios? Verisimile est illos istam spé ex eo sumpsisse, quod sciebát illum persequutionis procellis è Corintho pulsum, atque ob id non facile ausurum regredi, nec si id tentaret, apud Corinthios, utpote quibus esset factus admodum inuisus hęrere posse, & præterea propediem persequutionum fluctibus obruendum & interiturum. His spebus credibile est eos in istam inductos esse securitaté, ut sperarint nunquam uenturum ad Corinthios Paulum, & ob eam causam arrogantes esse cœperint.

2 SI dominus uoluerit.] Et temeritatis notam ita declinat, & simul ostendit quátum ad se pertineat, plane se uenturum, nisi impediat cósilium domini. Hoc autem ideo facit ne putent se minari tantum aduentú suum, non auté proposuisse sibi serio reditú ad Corinthios.

5 ET cognoscam non sermonem istorum.] Quid facturus sit apud eos declarat. Sermoné autem uocat, uerborum phaleras, & fucatam illam eloquentiam, cui studebant pseudapostoli, & cuius nomine sibijpsis & imprudentibus Corinthijs apprime placebát. Hanc dicit se nó consyderaturum sed longe aliud. Videlicet uirtutem. Hanc exponunt quidam facultatem edendi miracula, quibus confirmabatur tum doctrina Euangelij. Quidam uero intelligunt rectam uitæ conuersationem, qua quod uerbis docetur ipso opere demonstretur, ut uirtus opponatur uerbis. Pulchre auté non dixit: Non cognoscam sapientiam & philosophiam eorum qui inflati sunt, sed, non cognoscam sermonem, λόγον, eorum, ut intelligas doctrinam inflatorum hominum nihil fuisse aliud quàm inanes λόγους, omnium ueritatis ac pietatis uirtute destitutos.

4 NON enim in sermone est regnum Dei.] Quare non sit sermonem inflatorum moraturus forti & inuicta sententia declarat, qua tribus quatuor uerbis & inanitatem logicam inflatorum hominum ex ecclesia, quasi uentilabro quodam, euétilat, & stultitiam Corinthiorú carpit, qui neglecta uirtute, qua regni Dei uis & efficacia quasi certo argumento declaratur, admirari cœperunt sermonis structuram & uanæ scientiæ bullas, cum regnum Dei nó sermone sed uirtute constet.

Ostendit auté hac sententia in ecclesia Christi non esse suspiciendas eas res quibus regni Dei uis & efficacia non exprimitur, sed potius ad eas connitendum, quæ liquido declarant uirtutem regni Dei, quales sunt fidei in Christum synceritas, spes, charitas, pax, gaudium, iusticia, malorum tolerátia, spiritus modestia & quæ id genus sunt. Ita & Romanos consimili ratione à disidio cibario coërcuit dicés: Nó est regnú Dei esca & potus, sed, &c. cap. 14.

Quid uultis? Cum uirga ueniam ad uos, an cú charitate & spiritu lenitatis?

1 Comminationem & metum aduentus sui intendit, formidabilem illum reddens non solum inflatis spermologis, sed simul & alijs delinquentibus adeoque transitum parat ad reliquorum uiciorum correctioné, quorum iam deinceps primum est inauditum illud stuprú, de quo mox cap. sequenti.

2 Resipiunt autem omnino paternum affectum hæc uerba. Patris náq; est immorigeros filios disciplina uirgę ne pereant castigare, morigeros uero charitatis comitate ac lenitate cóplecti. Ad utrunq; se paratú esse ostendit. Non est autem illud, an cum charitate, ita intelligédum, quasi uirga ad paternam charitatem nó pertineat, cum ea ipsa sit, quæ uirga utatur erga filios dilectos, ut conseruentur ab interitu. Sed charitatis dictione usus est pro suauitate & comitate patris quam ostendit erga morigeros filios. Videtur auté loqui iuxta sensum eorum qui corripiuntur & castigantur seueriter. Illi non sentiunt patris charitaté dum uapulát, sed magis dú bláde ac suauiter tractant.

Non caret autem emphasi, quod non dicit: Cum autem uenero, in uirga ueniam ad uos, quod austerius fuisset, sed. Quid uultis? An cú uirga ueniam ad uos, uel cum charitate, &c.

1 Nam hoc pacto ostendit se, non sua sponte usurum uirga, sed ipsorum impœnitentia coactum, cum in ipsorum sit arbitrio aduentum suum uel seuerum uel mitiorem reddere.

2 Et simul illos ad pœnitentiá inuitat. Quasi dicat. Vtrum uobis optabilius erit? An ut seuerus impœnitentium castigator aduenia uel ut comiter uos ac suauiter pœnitétes complectar? An non & uobis & mihi iucundius erit,

ut

ut cum spiritu lenitatis ad uos q̃ spiritu seueritatis, uirga usurus adueniam? At qualis ueniam; in uobis est situm. Si mauultis mitem ac blandum q̃ seuerum, bene, pœnitentiam agite, & ad uiam redite, sin uero pertinaciores facti comitatem meam despicitis, ideoq; pœnitentiam respuitis, ecce paratus sum ad ulciscédum omnem uestram iniquitatem. Proinde etiã atq; etiã uidete utrũ uelitis. Cõsimilẽ austeritatẽ minat̃ & in posteriore, cap. 10. & ulti.

CAPVT V.



Omnino auditur inter uos stuprum, & huiusmodi stuprum, quod nec inter Gentes nominatur, ut aliquis uxorem patris habeat. Et uos inflati estis, ac nõ potius luxistis, ut tolleretur de medio uestrũ, qui facinus hoc perpetrasset. Nam ego quidẽ, ut absens corpore, præsens autem spiritu, iam decreui tanquam præsens, ut is qui sic hoc patrauit, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis & meo spiritu, una cum potestate domini nostri Iesu Christi, tradatur Satanæ ad interitũ carnis, q̃ spirit⁹ saluus sit in die dñi Iesu.

Toto hoc capite Corinthios repræhendit propter commissum à quopiam ex ipsis stuprum, imò propter illius impunitatem, deinde urget, additis rationibus ut eum qui deliquit tollant & eijciant ex ipsorum consortio Satanæq; tradant. Et hac sectione tria facit. 1 Primum obijcit commissi facinoris enormitatem. 2 Deinde reprehendit eos, quod scortatorem non castigarant. 3 Tertio, prę scribit suam sententiam, quid de illo in ipsorũ conuentu statuere debeant.

OMNINO audit̃ inter uos stuprũ.] Exaggerat admodum scortatoris facinus, ut impudentiam non illius solum, sed & ipsorum Corinthiorum taxet. Nec conuenit eum qui deliquit sed uniuersam ecclesiam, quod tam impudenter peccantem non castigassent.

AVDITVR.] Non dicit, geritur, sed auditur. Tametsi enim multum in qualicunq; talis facinoris perpetratione aduersum Deũ peccabatur, ei tamẽ peccato plurimũ ex eo accedebat, quod absq; ullo pudore ita publice gerebatur, ut pessimo nomine religionem Christi conspurcaret. Impudentiam ergo notat tum eius qui peccabat, tum eorum qui illius diffamia nihil mouebantur.

OMNINO.] Nec simpliciter dicit, auditur inter uos stuprũ, sed, Omnino auditur, intendens impudentiam admissi facinoris quæ tãta sit, ut indubitatũ ac plenũ circumquaq; rumorem sparserit, quẽ non quorundã tantum sed omniũ ora passim iactent, uel poterat ad stuprũ referri, quasi dicat auditur inter uos stuprum indubitatum.

A

ET tale, quale nec inter Gẽtes.] Diffamiã istam ostẽdit non esse uanam ac temerariam, qualis plerũq; de modico aliquo lapsu spargi solet, sed esse talem, quæ merito plurimũ inualescat, & maxima turpitudinis nota Christi ecclesiã apud Gẽtes infamem reddat. Stuprum enim inter uos tale, inquit, geritur, & geri narratur & auditur, quale Gentium, utut scelestarum, pudor non ferret. Et uerbũ nominandi quod dicit, qualis nec inter Gentes nominat̃, ad amplificandam flagitij huius turpitudinẽ facit, ut ostendat illam tantã esse, ut ne Gẽtes quidẽ illã admittant, imò ne nominare quidẽ sustineant. Sic Eph. 5. ne nominetur quidẽ inter uos inquit. Sceleris huius intentionẽ ex collatione struit, cõferens Gẽtes Christianis, qđ alicubi & in alijs facit. Quantũ enim Christianorũ professio pietate & uitę sanctimonia Gẽtes cognitione Dei destitutas excellere debet, tanto turpius à Christianis peccatur, si peccando Gẽtibus pares sint nedũ si illas superẽt.

Et hanc admissi stupri enormitatẽ diligenter obijcit, dũ signanter illius qualitatẽ expendit. Nõ enim dicit: Omnino auditur inter uos tale stuprũ quale nec inter Gẽtes nominatur, sed postq̃ dixit: Omnino auditur inter uos stuprũ, quasi separatim illius qualitatẽ expendẽs subijcit, & tale stuprũ, &c. Licet omnis scortatio cõtra Deũ sit, est tamẽ alia alia grauior, maxime in qua iam non contra unũ tantum Dei

B

præceptũ sed plura delinquitur, & qua enormius honestas publica lęditur. Generaliter uetita est scortatio, singulariter uero turpiores illius species adiectis minis sunt ꝓhibitæ qualis est, quæ hic repræhenditur.

VT aliquis uxorẽ patris habeat.] Non dicit: Vt aliquis nouercã suã habeat, sed per descriptionẽ nouercæ, turpitudinẽ sceleris exprimit, dũ id ponit cui⁹ gratia nõ licet habere nouercã. Ob id uidelicet, qđ uxor est patris. Sic Leui. 18. legim⁹. Turpitudinẽ uxoris patris tui non discooperies. Turpitudo enim patris tui est. Naturæ repugnat, unã & eandẽ habere cũ patre uxorem, & cõmunis sensus, nõ solũ Dei pręceptũ, reclamat & abhorret. Ista turpitudo nõ satis exprimit̃ dictione nouercæ, licet in illa cõpræhendatur, exprimit aũt si dicas uxorẽ patris queq̃ habere, ideo & Apostolus ad hũc modũ loqui uoluit. Et Leuit. 20. cap. ubi peccatũ hoc morte puniri præcipit̃, ea redidit̃ ratio, qđ patris turpitudinẽ reuelet, qui id ausit.

HABEAT.] Non dicit, cognouerit, sed habeat. Aliud est semel per insaniã delinquere, & postea abstinere per pœnitentiã, & aliud cõstanter peccato immorari, & hic, quod maius erat, etiã iure matrimonij publice cohabitantẽ habere patris uxorẽ, id quod iã non solũ est scortatione incesta in paternã delinquere reuerentiã, quale erat quod de Ruben legimus Gen. 35. sed & matrimonij sanctimoniã ad tãti sceleris obuelationem impie usurpare. Certe isto uerbo habendi plurimũ taxat scortatoris hui⁹ pariter & reliquorũ Corinthiorũ impudẽ

tiã. Expendendũ hic uenit, quo abeat caro, etiam sub Christianæ religionis operculo, ubi nemo est qui superiore potestate fultus, quiduis tentãdi cohibeat licẽtiam. Quis dubitat istũ incestuosum aliquo cõmento facinus suũ palliasse? Qui quid nostris tẽporibus ab Anabaptistis tentatũ sit, imò quid non sit, expenderit, nihil mirabitur & hoc stuprũ inter eos, qui pseudapostolos præ Paulo admirari cœperãt, nõ stupri sed coniugij esse loco habitum.

ET uos inflati estis.] Iã progreditur ad reprænsionẽ ecclesiæ Corinthiorũ, quã obiurgat ob id quod facinus hoc non prohibuerũt, sed impunitũ abire permiserũt. Reprænsionem aũt hanc non simpliciter ponit dicẽs: Et uos illum nõ cohibuistis, non emendastis, nõ è uestro consortio eiecistis, sed, Et uos inflati estis, ac nõ potius luxistis, ut tolleretur de medio uestrũ, &c. quibus uerbis ipsas radices ponit, primũ eius, quod faciebãt, deinde eius quod facere debebãt & non faciebãt. Tam enorme peccatũ contẽnebant nec emendabãt. Vnde? Quia scilicet inflati erãt. Ex inflatione quippe nascitur reliquorũ neglectus. Ecõtrario, ex luctu piorũ, qui non dolere non possunt, ubi uident cõtra Deũ ad diuini nominis ignominiã impudenter delinqui, sequitur conatus tollendę offensæ Dei & conseruandę puritatis ecclesiasticę. Hoc est quod dicit: Et uos inflati estis & non potius luctũ habuistis, &c. Alij de pastoribus Corinthiorũ istud exponũt: Et uos inflati estis, id quod facit Hiero. Verũ meo iudicio quemadmodũ per totã epistolam nõ apparet quod doctoribus Corinthiorũ scribat sed uniuersæ ecclesię, ita nec hic apparet. Nec causam uideo, cur ista necessario ad doctores referantur.

Illud expendendũ est, quomodo dicat Corinthios ita inflatos esse, ut propter inflationẽ tã insignis stupri emẽdationem neglexerint. Hiero. quoniã de doctoribus exponit dicit eos uana sciẽtia inflatos fuisse. Theophylactus uero Chrysost. ut assolet, sequutus istã Corinthiorũ inflationẽ dicit fuisse super doctrina scortatoris, quasi is fuerit unus ex illorũ doctoribus, ea præditus eloquentia, & inani philosophiæ sciẽtia, ut pleriq; Corinthiorũ in illo superbierint. Mihi uero similius est Apostolũ loqui de ea inflatione cuius suprà capite præcedenti meminit dicẽs, ne hic illius, ille huius nomine alius aduersus aliũ inflemini. Vel simpliciter eã inflationẽ intelligit, qua ita sibi ipsi quisq; placebat, ut nemini curæ esset, quid ab alijs gereretur, sed quisq; satis putaret, si ipse eo, quo alij, crimine nõ teneretur, imò ex aliorũ delictis occasionẽ sibi gloriãdi ac superbiendi desumeret, id quod potissimũ ab illis fieri solet, qui sectarum studio laborant.

ET non potius luctũ habuistis.] Hoc scilicet magis expressisset animos Christiana charitate, & spiritus synceritate præditos, quàm inflatio illa uel propriæ uel alienæ scientię, aut etiã innocentiæ opinione contracta. Luctũ poscit & non irã, ut significet compatiendũ mẽbris esse omnibus si unũ ex illis patiatur ac periclitetur. Non loquitur aũt de priuato unius cuiusuis, sed magis de publico luctu, qualis in ecclesia Israëlis erat in usu, ubi quidpiã contra Deũ esset gestũ, ut cõgregato populo ieiunaretur, oraretur, quod delictũ esset emendaretur, ac qui deliquisset ad placandã diuinæ maiestatis indignationẽ puniretur. Huius exemplũ est euidens in facto Iesabel, 1. Reg. 21. Et hæc sentẽtia magis conuenit ei quod agit Apostolus, quàm quę apud Chrysost. & Theophylactũ legitur. Quod enim hic dicit, eos facere debuisse, id mox subijcit, præcipiens ut faciant.

VT tolleretur è medio uestrũ.] Non dicit simpliciter, ut tolleretur è medio, sed addit uestrũ. Neq; enim hoc agit, ut prosus extinguatur, eq́ue uiuis auferatur, sed ut ex ecclesiæ consortio ad tẽpus eijciatur. Nec dicit: Vt pœnitentiã ageret & resipisceret, sed, ut è medio uestrũ tolleretur. Nam hoc erat in potestate ecclesiæ, alterũ situ erat in animo eius qui deliquerat, uel potius in gratia Dei. Lugere potest ecclesia & deflere peccantes, eq́; suo abijcere contubernio, & pœnitentes cũ gaudio recipere, animos uero illorũ corrigere non potest, gratia domini potest. August. hic annotat, quod non dicit, & nõ luctũ quia tollebatur, sed, ut tolleretur. Id est, ut lugentiũ dolor ad Deũ ascẽderet, & ipse tolleret hoc opus de medio eorũ sicut ipse sciret, ne forte illi per humanã imperitiã eradicarent simul & triticũ. Contra epistolam Parmeniani. lib. 3. cap. 1.

OBSER.

Discimus ergo hoc loco, quã nõ debeamus contenti esse nostra ipsorũ innocentia, nisi & aliorum delicta primũ deflere, deinde & charitatis studio emendare conemur. Vnius peccatũ obijcitur toti ecclesiæ. Imò soli ecclesiæ. Neq; enim uerbo ipsum scortatorẽ alloquitur Apostolus, sed toto capite ecclesiã obiurgat, & uelut cõmissi criminis ream facit, hoc uno nomine, quod sua potestate ad castigandũ delinquẽtem non fuerat usa. Et merito. Nihilo enim magis insons est eo qui deliquit, qui cũ ex officio delinquentẽ debeat emendare, uel contemptu uel negligentia, delinquendi illi impunitatem permittit.

NAM ego quidem, ut absens corpore, præsens autẽ spiritu.] Iam tertio loco, ut impellat eos ad eijciendũ & castigandũ impudentẽ illũ scortatorẽ, sententiã suã iam latam prescribit, cuius præiudicio cohibeantur, ne uel contemnãt amplius tam enorme facinus, uel secus de incestuoso statuãt, quàm ipse iam ex potestate dñi nostri Iesu Christi decreuerit. Nec differt hanc causam donec ad eos ipse ueniat sicut infrà cap. 11. quędam disponenda sibi dicit cum uenerit ad eos, sed magno serio iam sibi quid faciendũ sit decretũ esse scribit, & ut hoc ipsi mox exequantur urget, uidelicet propter pestis huius contagionẽ, cuius infrà mentionẽ faciet, ubi dicit: Modicũ fermenti totã cõspergit. &c. Nec mandat hoc negocij Timotheo, sed suã authoritatẽ, spiritus sui præsentiã, & domini nostri Iesu Christi potestatẽ interponit, ne

ne Timothei præsentiam apud Corinthios odiosam reddat.

1 NAM ego quidē ut absens corpore.] Quęrendum hic quamobrem corporalis absentiæ suæ mentionem faciat. Poterat simpliciter dicere: Nam ego quidem iam decreui, ut is qui sic hoc patrauit, &c. Verum, quoniam ut suprà meminit, uidebat absentiam suam multis causam dare pleraque inepta & absurda per arrogantiam tentandi, ostendit se, licet corpore sit absens, non tamen omnino absentem illis esse, sed spiritu coràm omnia illorum uidere & iudicare, quod puto ad hoc scribit, ut in metu eos cōtineat, maxime qui ipsius absentia abutebātur: deinde ut & in futuro iudicio de scortatore ferendo, diligentiores reddat.

Arbitor aūt Apostolū loqui nō de tali spiritus præsentia, quæ uel in memoria, uel solicitudinis affectibus sita sit, qualis solet esse amicorū, quos cura & solicitudo per dilectionem extra corpus ad ea cogitanda rapit, quæ amicos cōcernunt, & qualis est ea de qua dicitur, quod amans magis sit ubi amat, q̃ ubi animat, sed potius de miraculosa quadā & efficaci, q̃ quid geraī, alibi uideat & cognoscat. Ita Coloss. 2. dicit: Hoc aūt dico, ut nemo uos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum, spiritu tamen uobiscū sum, gaudens & uidens ordinē uestrū & firmamētum eius quæ in Christo est fidei uestræ. Nec mirū uideri debet singulari quadā diuinitus cōcessa uirtute, sanctos apostolos & prophetas spiritu ibi esse posse, ubi corpore non sunt: ita ut quid à procul dissitis geraī, quasi coràm constituti uideant, quod & de Elizeo 2. Reg. 5. legimus, ubi ad Giezi dixit: Nōnne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursū tui? quando legamus eos spiritus oculis etiam quæ posterioribus tēporibus futura erant præuidisse. Et huic sentētię astipulatur Hiero. maximè Coloss. 2. Ambros. uideī exponere nō de spiritu Apostoli, sed de spiritu Dei, qui nusq̃ non adsit. Verū absq; cōtrouersia de suo spiritu loquitur, idq; nominatim, cū dicit, cōgregatis uobis & meo spiritu.

Coloss. 2.

2. Reg. 5.

2 IAM iudicaui tanq̃ præsens.] Ita sibi iam decretū esse ac fixū ostēdit, ut insignis ille fornicator Satanæ tradaī, ad hoc, ut sua illis sententia præiudicet, qua cohibeanī, ne secus statuant, q̃ hic sibi præscribi uideant. Tanq̃ præsens, inquit. Spiritus sui præsentiā nō uult inferiore loco haberi, q̃ si omnino & corpore corā esset, id qđ & ipsum stimulādi gratia facit.

3 VT is qui sic hoc patrauit.] Declarat quid & de quo statuerit. De eo scilicet qui sic hoc patrauit. Refricat facinus, idq; nō simpliciter dicēs, qui hoc patrauit, sed, qui sic hoc patrauit, ostendens ad hoc se iudiciū impelli nō tā ipso facinore, q̃ illius impudentia, qua nō semel ꝑ insaniā cōstuprauerit patris uxorē exēplo Ruben, sed illam etiā uelut uxoris loco habeat. Et in hac particula propè depræhenditur Apostolus nō usurus fuisse ista iudicij seueritate, nisi magis circūstātijs & enormitate delicti q̃ ipso delicto simpliciter admisso fuisset impulsus. Itaque admonemur hoc loco, ut delictorū discrimina non solum in se, sed & in modo & circūstantijs obseruemus, ut sciamus ubi opus sit seueriore castigatione, & ubi misericordia & condonatio locū habeat, ne ubiuis proni simus ad eijciendos ex ecclesia fratres.

4 IN nomine dñi nostri Iesu Christi.] Chrysost. indicat quosdam hanc particulā coniungere cum præcedenti, ut intelligamus scortatorē patris uxorē ita penes se habuisse, ut facinori suo Christi nomē prętexuerit, tanq̃ operculum flagitiosæ libertatis. Verum simplicius est ut referamus ad sequentia, intelligamusq; interponi ab Apostolo Christi authoritatē, in cuiꝰ nomine debeāt cōgregari Corinthij, deq; isto flagitioso homine castigādo decernere.

1 Est enim in nomine domini aliquid facere uelut loco & authoritate ipsius facere, quod si rite fiat, ita firmum & ratū est, ac si ab ipso domino personaliter geraī. Non enim uult Apostolus in ecclesia quicq̃ geri, quod nō fulciatur potestate & authoritate Christi. 2 Pręterea in nomine dñi aliquid facere, aliquando idem est atq; ad gloriā nominis dñi facere, ut Coloss. 3. Quicquid egeritis, omnia in nomine dñi nostri Iesu Christi facite. Hoc est, ꝓpter gloriā nominis Christi facite, ut & 1. Cor. 10. admonet. 3 Aliquādo est in fiducia nominis dñi aliqđ facere, ut Psal. 20. Nos aūt in nomine dñi Dei nostri uexilla erigemꝰ. Et Dauid. 1. Sam. 17. ad Goliath dicebat: Tu uenis ad me cū gladio, & hasta & clypeo, ego autem uenio in nomine domini exercituum, &c.

5 CONGREGATIS uobis & meo spiritu.] Non uult suo solius iudicio eijci ex ipsorū cōsortio scelestū, sed cōmunibus totius ecclesiæ suffragijs. Hoc enim & ipsi ecclesiæ ꝓderat, & emēdando peccatori, sicut & in posteriore dicit: Sufficit illi qui huiusmodi est, obiurgatio ista, quæ fit à multis. Ecclesiæ hactenus cōducit q, dum de tā enormi facinore iudicat, quasi proprio præiudicio in posterū sibijpsi quisq; aditū ad cōsimilia ꝓcludit. Et plurimū ad hoc facit, ut is qui cōmuni omniū iudicio cōdemnaī & eijciī, pudefactus hoc citius resipiscat, q, nusq̃ in ecclesia reperit, qui palpet & locum subterfugij præbeat. Verū ius hoc ecclesiæ & institutū Apostolicū Rom. pon. prorsus irritū reddidit, & è medio sustulit, dū sibi soli, & episcopis potestatē excōmunicandi uindicauit.

Iterū aūt inculcat illis spiritus sui pręsentiā ut appareat periculū fuisse, ne uel sententiam hanc non exequerentur, uel non unanimi consensu exequerentur, ut fieri solet, ubi sectarum studia obtinent, nisi impulsi fuissent spiritus Apostolici præsentia & metu.

6 CVM uirtute dñi nostri Iesu Christi.] Iā secundo dñi mentionē facit, ut inculcet illis oīa hic dñi & potestate & uirtute geri. Græce est σὺν τῇ δυνάμει, nō σὺν τῇ ἐξουσίᾳ, hoc est, cum uirtute, nō cū potestate. Nā illud suprà, in noīe dñi nostri, idē est atq;, in potestate dñi nostri. Hic uero adiūgit & uirtutē Christi, miraculosam illā,

quæ cooperabat̃ agentibus in nomine ipsius, A nō solū docendo & sanando, sed & ubi necesse erat, reprobos castigando. Eras. annotat, σὺν, nō semper cōiunctionis, sed aliquãdo & fauoris & aspirationis habere notã, ut cū Deo geri dicat̃, quod propicio & fauente Deo gerit̃. Ita sensus esset, cū uirtute domini nostri Iesu Christi, id est, aspirante & fauente uirtute domini nostri Iesu Christi, qui quod decretū in nomine ipsius fuerit, efficaciter sua uirtute exequit̃.

7 TON τοιοῦτον.] Videt̃ hoc uacare, qđ attinet ad orationis cōtextū & plenitudinē. Nã suprà satis expresit, quū adiudicauerit Satanę, nēpe eū qui sic hoc patrauerat. Verū si spectes Apostoli mentē, nō est ociose positū. Nequit enim satis ingeminare culpã tã enormis flagitij. Et hac ratione nec suprà nec hic dicit, iudicaui iã hūc hominē Satanæ tradendū esse, sed, eū qui sic hoc fecit, & hic, eū q̃ est huiusmodi, ut ostēdat huiusmodi flagitia in ecclesia nō esse ferēda, sed cum seueritate cōpetenti extirpanda.

8 TRADATVR Satanę, ad interitū carnis, ut spiritus saluus sit in die dñi.] Hæc tandem est sentētia Apostoli, qua quid de scortatore tam impudēte sit statuendū præscribit̃. Et est bimēbris. Primū enim indicat quid sit faciendū, deinde ad quē finē dirigenda sit flagitiosi huius condēnatio. Exponitur aūt uarie. Ambrosio Satanæ tradi ad interitū carnis, est eijci ex ecclesia & prorsus condēnari. Carnis interitū, intelligit carnalis hominis interitū & condēnationē. Et illud, ut spiritus saluus sit in die dñi, B exponit de spiritu sancto, nō de spiritu scortatoris. Spiritū S. hic dicit ecclesiæ spiritū intelligendū esse, qui saluat̃, cum non amittit̃, quēadmodum solemus rem nō amissam saluã, amissam uero perditã uocare, licet in se, ubi ubi sit, nō sit perdita, sed nobis. Vult ergo scortatoris huius ineritum ad id institutū esse ab Apostolo, ut ecclesiæ Corinthiorū spiritus, sanctus uidelicet, in hominibus ecclesiæ, in die iudicij saluus reperiat̃, eò quod is soleat deserere contaminatos, periculum autē fuerit, ne per scortatoris huius exemplū uniuersa inficiaretur ecclesia, adeoq; contristaretur & fugaretur spiritus sanctus. Hęc Ambrosij sentētia nō uidetur exprimere mentē Apostoli, qui carnē & spiritum per antithesim hic posuit, non diuersorū, sed eius qui corripiendus erat.

Ambrosius.

Chrysost. Chrysostomus exponit, scortatorē hūc Satanæ ita traditū esse, ut morbo aliquo, uel malo uulnere, ad exemplum Iob, licet diuersa ratione, in carne percussus, euaderet in die domini æternas gehennæ pœnas.

Augustinus. Augustinus nō eandem tantum sed geminam expositionē ponit, contra Parmenianum lib. 3. cap. 1. ubi sic scribit: Quid ergo agebat Apostolus, nisi ut per interitū carnis saluti consuleret, ut siue aliqua pœna uel morte corporali, sicut Ananias & uxor eius ante pedes apostoli Petri ceciderunt, siue per pœnitentiã, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam. Hæc ille.

Hieron. Ad consimilem modum & Hiero. exponit: Certe in posteriore, ca. 2. liquet Apostolū scortatorē hunc nō eo consilio tradidisse Satanæ, ut prorsus in sempiternum periret, sed ut seruaretur. Nam ibi iubet illi impendi misericordiã, & quod deliquerat ab ecclesia condonari, hoc est, iterum absq; dubio, pœnitentē in ecclesię gremium recipi, ne abundantiori tristitia absorberetur, ne locus esset insidijs Satanę, cuius notæ essent cogitationes, uidelicet ad perdendum pronæ & prorsus intentæ.

OBSER. I.

Videmus itaq; hic, Satanã etiam ecclesię ministrum esse, idq; ad salutē eorum qui corripiuntur. Ita & 1. Tim. 1. scribit Apostolus Hymenæum se & Alexandrū tradidisse Satanæ, non ut perirent, sed ut discerent nō maledicere. Et certe lictor iste tum erat ecclesiæ necessarius, cū carebat magistratu qui sontes puniret. Iam uero ubi in ecclesia sunt principes & magistratus, quibus dici potest: Seruite domino in timore, qui potestate à Deo accepta, carnē delinquentē in interitum ducere possunt, ut spiritus seruetur in die domini, merito cessauit miraculosa ista delinquentium castigatio, quę tempore apostolorum ministerio facta est Satanæ, omnium periculosissimo, nisi adsit prudentia apostolica.

II.

Sed quæri potest, quomodo per interitum carnis, spiritus seruetur in diē domini. An per hoc tantū, quod caro punit̃, spiritus saluari potest? Ergo quotquot in carne puniunt̃, propter delicta aliqua, spiritu seruantur? Et hoc est qđ infrà cap. xj. dicit: Si nosipsos iudicaremus, à domino non iudicaremur, dum iudicamur autem à domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. De credentibus forsan potest hoc sentiri, ut in corpore puniti, spiritu ꝓpter fidem in Christum seruent̃, de impijs uero nequaq̃. Minus habet periculi si intelligamus interitum carnis siue is fiat lictoris, siue Satanæ ministerio, tum facere ad salutē spiritus, quando per illum qui deliquit ad resipiscentiã ducit̃, cuius interuentu spiritus gratiæ & peccatorum remisionis capax factus, seruat̃. Ita solent parētes, dum liberorum delicta emendãt, dicere: Satius est ut per me uapules, q̃ ut lictori plectendus tradare. At nō mox lictoris manum euadit, quisquis à patre iam antea castigatus est. Nisi enim paterna uirga cedat delinquēti filio ad resipiscentiã, certe nihilominus tractabit̃ à lictore, imò durius, idq; merito.

III.

Deinde & hoc quæret aliquis forsan, an in die dñi solus spirit⁹ seruet̃ in illis, qui in carne cum agerēt in hac uita, sunt puniti? Vt spiritus inquit, seruet̃ in die dñi. Atqui in die dñi quotquot seruabunt̃, nō spiritu solū, sed & corpore seruabunt̃. Quidã sic effugiūt, ut ꝑ carnē exponãt carnalē illū hominē, ꝑ spiritū uero spiritalē & regeneratū. Caro hoc sensu interit, dū carnalis homo uirtute pœnitētiæ interit, mortificatis uidelicet carnis affectib⁹, spiritus uero seruatur,

uatur, dum spiritalis homo, noua illa creatura in Christo, tota scilicet, cum corpore & anima in die domini seruatur. Verum meo iudicio simplicius est, ut de carne illa peccatrice intelligamus, quam in omnibus plane mortalibus interire necesse est & corrumpi, deinde & de spiritu hominis, id est anima, quæ seruari potest sola, ne intereat nec temporaliter nec in futuro sempiterne, id quod carni nõ potest, qualis nunc est, contingere, cui necesse est, ut intereat, id est, corrũpatur, ac in nouissimo demum die, uirtute Dei restituatur. Consilium itaque Apostoli erat, satius esse carnem illam alioqui propediem interituram, Satanæ affligendam tradere, quàm & carnem & spiritum perpetuæ condemnationi permittere. Hic certe Apostolo in mentem non uenit solum spiritum saluum futurum neglecta carne, proinde neq; colligi debet ex ipsius uerbis.

Nõ est bona gloriatio uestra. An nescitis quod paululum fermenti totam cõspersionem fermentat? Expurgate itaq; uetus fermentum ut sitis noua conspersio, sicut estis infermentati. Nam & Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festum celebremus, non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uersutię, sed in infermentatis synceritatis & ueritatis.

Post sententiæ suæ pręscriptum, adijcit ampliorem illius rationem, illustrationem & corroborationem. Et primum glorias illorũ reijcit, & inconsyderantiæ condemnat, dicens: Non est bona gloriatio uestra. An nescitis, &c.

Chrysost. Exponit autem Chrysostomus de ea gloriatione, qua in scortatore ipso tanquam uiro singulariter sapiente & facundo (intelligit enim illũ fuisse ex pseudapostolis doctoribus) sint gloriati, quam Apostolus ob id dicat non esse bonam, quod per illam impudentis hominis animum à resipiscentia impedierint, adeoque ædificationem ecclesię neglexerint: imò quantum in ipsis erat, corrumpendæ illius causam dederint. Mihi uero cum alijs, ut & suprà monui, nec uerisimile est hunc scortatorem è numero doctorum fuisse, nec uidetur Apostolus de ista, sed magis de ea gloriatione loqui, qua quisq; de sua ipsius innocentia gloriantes malum hoc impunitum & inemendatum ferpere relinquebãt, quasi in ecclesia satis sit, per se esse innocentem, & non simul requiratur, ut quod male à quouis in illa geritur, corrigatur. Occurrit itaq; illorum cogitationi, in speciem bonæ, negatq; statim bonam esse, adiecta ratione, cur id faciat, cum dicit:

AN nescitis quod paululum fermenti totã cõspersionem fermentat?) Ista ratio gnomen habet similitudinis luce illustratam, qua declarat quę sit uis mali exẽpli, in ecclesia impuniti. Est aũt fermẽti simile ita comparatũ, & ad mali exempli operationẽ declarandam appositũ,

A ut multo sit efficacius quod dicit hoc pacto, q̃ si proprie & absq; ullo simili dixisset: An nescitis, quod unius impudẽtis hominis exemplũ uniuersam ecclesiã corrumpat? Vnde & præmittit inconsyderãtiæ illorũ repræhensionẽ, dicẽs: An nescitis? Q.d. Tam estis inconsyderãtes in hac causa, ut putetis uos apprime excusatos uestra ipsorũ innocentia, nec animaduertatis interea periculũ esse, ne tota uestra ecclesia malo isto exẽplo, uelut quodã fermento inficiatur. Quis adeò stupidus est, qui ignoret quid expectandũ sit conspersioni alioqui puræ ac syncerae, si locus sit fermento?

Et ne excusent negligentiam suã per delinquẽtis unitatẽ, quasi nõ adeò periculosum sit unius hominis delictũ, cũ adhuc reliquũ ecclesiæ corpus sit saluũ, nõ dicit: An nescitis quod ex fermẽto corrumpat̃ cõspersio, sed quod modicũ fermẽti, deinde nõ aliquã tantũ partẽ cõspersionis, sed totã cõspersionẽ, nec addit dubij euẽtus notã, sed asseuerãter dicit, fermẽtat.

Ergo hæc altera ratio est quã assignat, cur uelit eiectũ è cõsortio ecclesiastico scortatorẽ. Suprà dixit, ut tradat̃ Satanæ ad interitũ carnis, ut spiritus saluus sit in die dñi, quę ratio cõcernebat salutẽ eijciẽdi & corripiẽdi. Hic talẽ causam adijcit, quę pertineat ad cõseruationẽ puritatis ecclesiasticæ, in qua nobis ob oculos ponit̃, per similitudinẽ fermẽti, quãta sit uis & pestis mali exẽpli, tãta uidelicet, ut unius hominis, uelut ouiculæ, scabies, totũ gregẽ inficiat, sicut modicũ fermẽti totã cõspersionẽ fermentat. Et huius cõtagionis causæ sunt istæ.

B

1 Prima, quod ingeniũ mali ita sit efficax, ut facile & cito serpat, occupet & corrũpat, quod in bonis rebus nõ fit, quæ nõ adeo facile obtinent. In rebus amaris nõ statim superat immixta dulcedo, & lanã tinctã albedinis puritas certe omniũ ægerrime uincit, si tamẽ uincere potest. Vicissim uero absq; ullo negocio & q̃ dulcia sunt acrore, & quæ alba nigrore corrũpunt̃ & inficiunt̃. Ita sane peccati cõtagio, qua uicium uicio trahit̃, & malũ in ecclesiæ mẽbra latissime diffundit̃, pro suo ingenio, deinde & eorũ quæ adhuc impolluta sunt teneritudine & capacitate, omniũ facillime totũ ecclesię corpus corrũpit ac perdit, utut initio modica & exilis. Ex modica scintilla grande orit̃ incẽdiũ, & integræ absumunt̃ ædes, imò & urbes. At uicissim grandia incendia nõ ita facile una restinguunt̃ guttula. Hoc pacto non eadẽ est conspersionis, quãuis magnæ operatio in modicum unius saltem pugilli fermentũ, quæ est modici fermẽti in magnã quoq; cõspersionẽ.

2 Deinde accedit ui & efficaciæ peccati magnũ adiumentũ ex carnis nostrę corruptione, quã fit, ut alioqui ad mala recipienda & imbibenda proni simus, & plus æquo capaces. Vnde illud poëtæ est: Etenim dociles imitandis, Turpibus ac prauis omnes sumus, &c.

3 Tertia est, uicinitas, uelut administra cõtagionis. Nostra corruptione fit, ut etiã soli cõstituti in uicia degeneremus, q̃d nõ timendũ est, ubi

ubi malorum uicinitas accesserit. Notum est illud: Vuaque contacta liuorem ducit ab uua. Conspersio farinæ alioqui plerunque acroré, si negligatur, accersit, quod si accesserit fermétum, quomodo non infermentaretur per illius coniunctionem? Iam etiamsi essemus natura incorrupti, tamen ex conuersatione malorum mali mores contrahuntur, perinde atque balbutire discunt, qui cum balbis, & claudicare qui cum claudis conuersantur. Conuersationis enim tanta uis est, ut per illam imprudentes etiam uicia eorum quibuscum agimus imitemur, quemadmodum de Platonis & Aristotelis familiaribus legitur, quorum alij illius gibbum, alij istius exprimebant balbutié.

Deploranda hic est ecclesiæ miserrima corruptio. Si tantum periculi est ecclesię ab unius delinquentis impunito exemplo qualis qualis ille sit, modo in ecclesia constitutus, quantum quæso est, ubi non unus aut alter, sed tot milia impune delinquunt, idque non uulgares tantum, sed potissimum ij, quorum authoritas plurimum patrocinij omnis generis erratis ac sceleribus adfert? iuxta dictum poëtæ: Maxime si subeant animos magnis authoribus. Loquitur autem de domesticis uiciorum exemplis. O rem difficilem ac raram, si datur paucissimis bonis in tanta ubique obtinente delinquendi licentia, fidei & innocentiæ synceritatem illibatam custodire.

EXPVRGATE itaque uetus fermentum.] Iam ex causa præmissa parænesim infert, adhortans ad id quod suprà præscripsit, ut è medio ipsorum tam flagitiosum scortatorem, ad conseruandam ecclesiæ puritaté tollant. Hæc scilicet est capitis huius propositio quam cohonestat, & mirum in modum illustrat per ueteris ac figuralis Paschatis declaratam in Christo ueritaté. De institutione ac ritu typici Paschatis, esuq; azymorum, & expurgatione fermenti, uidere est historiam Exo.12.& 13.

Paschatis festum duo habebat. Memoriam uidelicet liberationis ex Ægypto, & typum futuræ redemptionis, quæ per Christum contigit, uerum agnum Dei, qui sanguine suo captiuos liberauit. Ad hoc festum adiectum est mandatum de reiectione fermenti, quod duplici nomine mysticum erat. Primum significans abijciendos esse redemptis, & ad terram promissam properantibus Ægyptios errores, induendamque pectoris erga Deum syncerá pietatem, deinde adumbrás illam in nouo testamento, immolato uero Paschate apud eos futuram qui non typice, sed cum ueritate Paschatis essent festú in Christo celebraturi. Huc respiciens Paulus Corinthios adhortatur, ut ueterem illam Gentilium errorum & affectuú impuritatem adhuc reliquam ex pristinæ uitæ conuersatione expurgent dicens: Expurgate itaque, &c. Neque enim dicit: Cauete à ueteri ferméto, sed expurgate, nec subdit, ut permanere possitis noua conspersio, sed, ut sitis noua conspersio exigens, ut penitus cum summa diligentia ueteris uitæ reliquias (Augustinus, quicquid in eis superbiæ de ueteri homine remansisset) expurgent, ut prorsus puros ac synceros in conuersatione nouæ uitæ sese domino exhibeant. Arbitror tamen non esse periculú, si per uetus fermentum ipsum scortatorem intelligamus.

SICVT estis infermétati.] Quomodo admonet ut fermentum expurgent, ut sint noua conspersio, si iam erát infermentati, id est, sine fermento? Arguit à gratia uocationis, propter quam illos dicit infermétatos, id est, synceros esse, admonens ut sint reuera quod esse debebant, & ad quod uocati erant. Sic infrà 6. dicit, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, cum tamé carpat in illis iam enormia uicia. Vide Commentarios nostros in Psal.16. ibi. Sanctis qui sunt in terra eius.

Augustinus contra epistolam Parmeniani lib.3.ca.2. sic annotat: Quid est, ut sitis, & quid est sicut estis? Nisi quia erant ibi tales, erant ibi non tales, quos ut tales essent, exemplo taliú commonebat. Tamen omnes in uno tanquá eosdem admonet, ne illi quia tales erant, desperarent de his quia nondum tales erant, tanquam eosdem admonet, cum dicit: Vt sitis sicut estis, &c. Hæc ille, quæ argumento quod tractabat, accommodauit.

NAM & Pascha nostrum.] Quare expurgare iusserit uetus fermentum, ut essent noua conspersio, iterum rationem addit, sumptam à perpetuo illo legis statuto, quo azyma Paschati sunt connexa, tantoque serio mandatú, ne à quoquam usurpetur fermentum, ut extirpationem minetur lex è populo Dei animæ fermentatum quid gustanti. Ne itaque Corinthiorum quisquam diceret, quid ad nos fermenti interdictum, qui non sumus Iudæi, nec usum Paschatis habemus, per occupationem dicit: Nam & nostrum Pascha immolatus est pro nobis Christus. Quasi dicat. Et nos habemus Pascha Christum: scilicet qui pro nobis immolatus est. Iudæi habent agnum typicú, nos uero non typicum, sed uerum illum habemus agnú Dei, qui pro nobis immolatus est.

ITAQVE festum agamus.] Iterum colligit, uel magis cœptam illationem resumit & absoluit, adiecta declaratione fermenti ueteris & conspersionis nouę. Festum celebremus inquit. Vetus habet, Itaque epulemur, quod in Græco est, ὥστε ἑορτάζωμεν. Itaque feriemur, uel festum celebremus. Ferias habebat Pascha Iudaicum totos septem cótinuos dies, per quos solennibus epulis operam dabant, abiecto fermento in azymis epulantes. Iam, inquit Apostolus, cum & nobis sit Pascha, quid aliud restat, quàm ut festum hoc celebremus.

1 Habet autem mystica ista festi celebratio primum ferias ab operibus mortuis, ociú scilicet domino consecratum.

2 Deinde habet publicum gaudium. Est enim festum agere, publicæ lætitiæ symbolú. Et huius gratia, non dixit: Nam Christus occisus

sus est, sed: Nam Pascha nostrum Christus pro nobis immolatus est, ut transitus non typici, sed ueri, & agni immolati, non pro captiuis in Ægypto, sed ijs liberandis qui sub tyrannide Satanæ detinebantur, admoneat, quarũ certe rerum memoria quam pijs mentibus adferat lætitiam, in liberatione populi Israëlitici, liberationisque solenni memoria adumbratũ est.

3 Tertio habet festum Paschatis etiam abiectionem ueteris fermenti, & epulas azymorum. Hanc particulam declarat Apostolus cũ dicit: Non in fermento ueteri, nec in fermento maliciæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, synceritate scilicet & ueritate. Ergo per uetus fermentum intelligit maliciã & uersutiam, & per azyma synceritatem & ueritatem. Habet & regnum cœlorum fermentum suum, sed nouum, non uetus, Euangelij scilicet primordia, per quæ totus mundus infermentatus est, de quibus est parabola Christi Matth. 13. Habent & pharisæi suum fermentum, sed uetus, non nouum, hypocrisim scilicet, Lucæ 12. & peruersam doctrinam, Matth. 16. Habet & Iudæorum & Gentium caro suũ fermentum, sed & hoc uetus est, non nouum, malicia scilicet & uersutia. Iudæi summo studio panis fermentum expurgant, ita ut & murium foramina & cauernulas expurgent, ne quid illius remaneat: deinde & diligenter azymis farinaceis uescunt, maliciam uero interea & uersutiam, hoc est prauum & subdolum ingenium non abijciunt, ideoque nec ueris azymis synceritate & ueritate uesci possunt.

Matth. 13.
Lucæ 12.
Matth. 16.

Et uide quomodo non dicat, neque in fermento scortationis, cum tamen contra hoc uicium isto loco pugnet, sed, neque in fermento maliciæ & uersutiæ, quibus uelut generalib⁹ uicijs omnia reliqua complectitur. Ita neque castitatem & continentiam ponit è contrario, sed synceritatem quam opponit maliciæ, & ueritatem, quæ respondeat uersutiæ.

Duo hæc habet uetus noster homo, maliciam scilicet & uersutiam. Malicia est ingenij corruptio, uicium, uel uiciositas, quemadmodum & Cicero κακίαν magis pro uicio cuiusq; rei, quàm malicia sumit. Et nos Germani dictione boeß plerunq; hoc sensu utimur, ut intelligamus defectum & uicium magis quàm maliciam. Basilius de uita solitaria, cap. 3. in fine: Malicia nihil est aliud quàm defectus uirtutis. Versutia est ingenij prauitas ad nocendũ prona, coniunctam habens fraudem & simulationem. Vnde & Satan πονηρός dicitur, non simpliciter, sed uersute ac subdole malus, quãobrem illum Apostolus in angelum sese lucis mutare dicit. Et ista uersutia perpetuo obtinet in prauis, omnia simulans, in quauis religione constituta. Hac enim cum simus praui & peruersi, nec Dei in animo, nec mortalium rationem habentes, egregie & metum Dei, & suauem erga proximos affectum simulamus. Hoc itaque fermenti, id est, corrupti & acidi ingenij, genus expurgari uult à Christianis A-

κακία.
πονηρία.

A postolus & Paschatis festum celebrari in synceritate & ueritate, id est, animi puritate & integritate, cum erga Deũ, tum erga proximũ.

4 Quod autem Paschatis festum septem totos & continuos dies durabat, in quibus non licebat ullo fermento uti, admonemur, ne unquam ad uetus illud fermentum relictis azymis redeamus. Est enim numerus septenarius perfectionis symbolum, donec adueniat dies octauus, qui futuræ quietis est. Quemadmodum itaq; continuum habemus & perpetuũ hoc Paschatis festum, ita oportet ut & reliqua Paschati cohærentia continua sint & perpetua, ne cũ Iudæis semel in anno duntaxat externo ocio festum hoc celebrare nos simulemus magis quàm celebremus, cum illius celebratio non typica, sed uera, sita sit non in ocio corporis, nonnunquam flagitioso, & quibusdam cæremonijs, sed in ocio spiritus ab operibus mortuis, & gaudio, synceritateque ac ueritate animi redemptionis suæ memoriã indesinenter celebrantis.

Scripsi uobis per epistolam, ne commisceremini cum scortatoribus, & non omnino cum scortatoribus mundi huius, aut cum auaris aut cum rapacibus, aut simulacrorum cultoribus. Alioqui debetis è mundo exire. Nunc autẽ scripsi uobis, ne commisceremini. Si quis B frater nominatus, aut scortator fuerit, aut auarus, aut simulacrorũ cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cũ eiusmodi ne cibus quidem sumẽdus est. Quid enim ad me attinet, etiam de his qui foris sunt iudicare? Nõne de his qui intus sunt iudicatis? Eos uero qui foris sunt, Deus iudicat. Etiam auferte malũ ex uobis ipsis.

Apparet hoc loco Apostolum iam antea epistola quadam, qua caremus, Corinthios admonuisse de uitandis & excõmunicandis reprobis, id quod & Ambrosius sentit, quanquã Hieronymus & Theoph. intelligũt illum de hac ipsa epistola loqui, & ad id respicere, qđ dixit, Expurgate uetus fermentum. Iam quicquid sit, scriptum hoc suum declarat & exponit Apostolus quid senserit, ne quo pacto hic errent Corinthij, putantes eam admonitionẽ etiã ad uitandos incredulos pertinere, & forsan ad Christianos non pertinere, uidebantur enim in isto scortatore ita se gerere, ut qui putarent non esse uitandum eum scortatorẽ qui frater esset. Imò arbitror Apostolum non solum declarare scriptum suum, sed Corinthios simul repræhendere, quod admoniti quoq;, idque peculiari scripto, tam insignem scortatorem in suo gremio tolerauerint. Quasi dicat. Ista iam antea uobis scripsi, ut nulla uobis esse posit excusatio. Scripsi enim per epistolam,

lam,ne commisceremini cum scortatoribus, A &c. Verum uos,ut uideo,admonitionem meā prorsus neglexistis. Quod si eam non intellexistis,ecce iam illam uobis expono,&c.

NE commisceremini cum scortatoribus.] Verbum commiscendi, maxime in scortationis scelere usurpatum, plerunque obscœnam habet significationem.Hic uero simpliciter pro conuersari & commercium cum quoquam in rebus ac negocijs huius uitæ habere sumitur. Quod autem non dicit συμμίγνυσθαι,sed συναναμίγνυσθαι,putat Erasmus ad hoc factum, ut admonerentur Corinthij pristinæ uitæ immundiciæ,qua cum quibusuis reprobis absque ullo timore domini commercium habuerint, eò quod συναναμίγνυσθαι sit idem atque denuo cum aliquo commisceri.

AC non omnino cum scortatoribus mundi huius.] Particula hæc non eodem sensu exponit̃. 1 Quidā illud οὐ πάντως,non omnino,ad uerbum commiscendi referunt. Quasi dicat Apostolus:Scripsi uobis ne commisceremini scortatoribus,idque ita, ut omnino scortatoribus huius mundi,id est, infidelibus non commisceremini,alioqui,si id facturi estis, optarim uos prorsus mundum hunc relinquere,uidelicet regionem illam Græciæ tot nominibus contaminatam.Nunc autem scripsi uobis,ne commisceremini, uel ijs scortatoribus qui sunt in grege & numero fratrum, ut uel cum illis saltem nihil habeatis cōmercij,quandoquidem exigere non audeo, ut mundum hūc relinquatis. Et huc uidet̃ respexisse Erasmus in uersione sua,quanquam in paraphrasi alium sensum sit sequutus.

2 Quidam uero ita exponunt, ut illud, non omnino,non ad uerbum commiscendi,sed ad sententiam Apostoli sit referendum. Quasi dicat:Scripsi uobis ne commisceremini cū scortatoribus,& id ita scripsi, ut omnino non hoc exegerim,ut nihil commercij habeatis cū scortatoribus auaris ac rapacibus huius mundi, quod scio fieri non posse.Nam alioqui deberetis mundum hunc plane relinquere. Nunc autem scripsi uobis ne commisceremini cū scortatoribus,quod intelligo de illis,qui inter fratres,in uestro gremio tales sunt.Et ad hāc sententiam,quæ cōmunior & simplicior est ,adiecta ratio pertinet. Quid enim mea refert etiā de his qui foris sunt iudicare?

SI quis frater nominatus.] Illud, ὀνομαζόμενος,Græci intelligunt eo sensu, quo nos Germani eos qui quod nomine dicuntur, reipsa non sunt,*genant* uocamus,quemadmodum sacerdotes,pontifices & monachos,quos uulgo spiritales uocāt,*genanten geistlichen* appellamus. Respexerunt opinor Græci ad id quod ij qui ueri fratres sunt in Christo,tales esse non possunt,quales hic ab Apostolo describuntur.

Augustinus uero contra epistolam Parmeniani lib.3.cap.2.dictionem hanc sequentibus coniungit,ut intelligamus Apostolum eū fratrem ita uelle uitari,ut nihil cum ipso cōmercij habeatur,qui non solum sit scortator, auarus,rapax,&c.sed ita sit, ut iam infamis sit factus,nominatus, id est, diffamatus scortator, auarus & rapax.Nā alioqui fieri potest, ut nescias fratrem,cum quo tibi necessario aliquid intercidit negocij,esse talem : deinde etiam si scias,nō tamen statim ita uitandus est,ut reddas eum infamem, cum occulto adhuc morbo laboret,quem alio queas pharmaco,quàm hoc præsenti,curare,quod illis duntaxat uidetur competere, qui publico offendiculo mali sunt,nec alia ratione sanari sustinēt.Certe hæc Augustini sententia multum habet rationis, licet non statim necesse sit participium hoc,nominatus,ad sequentia coniungere.Videtur enim Apostolus loqui de his Christianis, qui professioni Christianæ nomen dederunt, & ab omnibus fratribus in ecclesia pro Christianis agnoscunt̃. Vide apud August.confess.lib. 8.cap.2. de Victorino quodam Romanorum rhetore. Erant enim tum quidam occulti discipuli ac fratres, qui metus gratia nomē Christo non aperte ac publice dabant,sicut & tempore Christi in Nicodemo & alijs usuuenit, ut appareat Apostolum sententiam hanc nō ita præscribere,ut occultos & imbecilles Christi discipulos hoc pacto declinari uelit,si quid cōmiserint eorum peccatorum quę hic recenset, sed eos tantū qui ex professo sint Christiani.

AVT simulacrorum cultor.] Putat Erasmus totum hunc sermonem perturbatiorem esse,& Delium aliquem natatorem desyderare,maxime huius particulæ gratia, additq; ra- B tionem,eò quod uerisimile sit tum inter Christianos nullum fuisse simulacrorum usum ac cultum. At meo iudicio nihil hic est obscuri. Quis enim dubitat Christianos fuisse, qui uel metus uel superstitionis gratia, philosophicis rationibus inducti, Gentium simulacra licet non uulgari sensu,coluerint, inque illis uenerati sint, non Iouem,aut Apollinem, aut Mercurium,sed uirtutes diuinas, quas philosophi deorum talium nomine & cultu uenerandas esse tradiderunt? de quorum sententia in Augustino alicubi, præsertim in libris de Ciuitate Dei legere est. Videmus hodie nonnullos ad quamcunque religionem ita paratos esse, ut omnia præsumant commoda & tolerabili expositione mitigare, usurparique præter offensam Dei posse non solum sibijpsis,sed & alijs persuadere.Crediderim hoc hominum genus etiam apostolorum tempore, apud eos præsertim fuisse qui philosophiæ studio celebres habiti sunt.

CVM eiusmodi ne cibum quidem cap.] Non simpliciter dicit,cum eiusmodi cibū non esse sumendum,sed ne cibum quidem, innuēs omnem uitæ consuetudinem illis denegandam esse, ita ut & id quod minus uidet̃ habere periculi,illis amputetur,nedum ea necessitudo & communio quæ est in religione Christi.Inuenias qui denegatum religionis ac mysteriorum Dei commerciū facile ferant, dummodo

modo reliquo uitæ huius commercio nō priuentur. Igitur Apostolo delinquentium salutē spectāti satis nō est ecclesiasticā talibus amputasse consuetudinem, nisi & reliquam quæ huius uitæ est, tollat, ut pudefiant & emendētur.

QVID enim ad me.] Hæc est altera ratio cur non mandauerit incredulorum declinare commercium, sed & eorum qui cum fratres sint, uel scortantur uel rapiunt uel simulacra colūt. Videlicet quod increduli ad se non pertineant, iudicioque suo subiecti non sint, eo quod foris sunt, & Dei tantū iudicio obnoxij. Neque enim locum habet in illis iudicium ecclesiæ, qui in ecclesia non sunt. Quemadmodum urbis iudicia in eos tantum ualent qui ciues & incolę sunt, in exteros non item, & cuiusuis patrisfamilias censura in domesticis tātum locū habet, ita & iudicium ecclesiæ in ecclesiæ membris tantum ualet. Et pręterea ipsa ratio ecclesiastici iudicij talis est, ut non competat exteris. Est enim instar medicinæ quam certe increduli non agnoscunt, qui non separatione sed magis commercio & consuetudine Christianorum, dummodo licita & casta, curari possunt. Quod si per illam non curantur, diuino iudicio sunt relinquendi.

ETIAM auferte malum ex uobis ipsis.] Ista est conclusio, & emphasim habet, quod dicit, ex uobis ipsis. Quasi dicat. Non iubeo ut malum, id est, si quis malus est, auferatis ex illis qui foris sunt, quod fieri non potest, & ad uos non pertinet, sed solius Dei est. Ex uobis ipsis auferte eum qui malus est. Nam ille demum uestro iudicio obnoxius est. Non est autem τὸν κακὸν, sed τὸν πονηρὸν, ne putet quisquam quemcunq; malum auferendum esse ex ecclesia, cum omnes simus mali nemo bonus nisi unus Deus. πονηρὸς enim non simpliciter malus est sed uersutus ac peruerse malus. Videtur autem Apostolus hanc conclusionem sumpsisse ex lege, ubi crebra est, uerum nō eo sensu quo hic ab Apostolo ponitur. Lex enim ita loquitur, ubi iubet per mortis pœnam tolli malum è medio populi Dei, qua ecclesia non utitur, quæ excōmunicatione contēta est. uide Aug. in quæst. Deuteronomij cap. 39.

DE EXCOMMVNI-*catione.*

Exigit capitis huius tractatus, ut quædam ad excommunicationem ecclesiasticam pertinentia notentur.

1 Principio, quid illa sit, in eo uidere est, qđ & cibi commercium ei qui excommunicādus est à fidelibus negari uult, multo magis communionem mysteriorum Dei. Est ergo talis separatio, qua prorsus omnis uitæ consuetudo & communio negatur flagitioso. Scio quibusdam excommunicationem esse, quæ non humanæ uitæ sed religionis duntaxat societatē amputet. Ego uero illam malo iuxta hanc Apostoli sententiam definire, maxime propter

A causam suprà assignatam, quod uidelicet plerisq; parū est religione separari à Christianis, modo reliqua uitę societas non denegetur, in quibus certe inefficax est religionis separatio.

2 Deinde uidemus hoc capite quorū intersit potestas excommunicandi. Nempe non episcopi tātum, neque populi solius, sed simul & episcopi & populi, hoc est, totius ecclesiæ. Cōgregatis uobis, inquit, & meo spiritu. Qui potestatem hanc transferunt in solos ecclesiæ præsides, non solum iniuriam ecclesiæ faciūt, sed & inanem reddunt hanc medicinam.

3 Tertio, admonemur & hic super qualibus delictis ferenda sit excommunicationis sentētia. Non quæuis hac uirga sunt castiganda in ecclesia, sed quæ propter enormitatem suam regno Dei excludunt, de quibus etiam infrà cap. sequenti uidebimus. Reliqua sunt uel mā suetudine quadam corrigenda, uel patienter toleranda. At hodie, quæ ferenda non sunt feruntur, & quæ ferenda excommunicatione feriuntur.

4 Quarto, etiam de fine & usu excommunicationis hoc cap. perdocemur, qui triplex est.

1 Primus ut infamiæ nota auferatur ab ecclesia & nominis Christiani professione. Et hoc statim initio capitis innuitur cum dicit: Omnino auditur inter uos scortatio, &c. Ergo sub excommunicationis uirgam cadunt, quæ bonum ecclesiæ odorem infamiæ fœtore abominabilem reddunt exteris.

B 2 Alter est, ut qui perdite peccant, emendentur. Vt spiritus inquit saluus sit in die domini. Igitur excommunicandi sunt, qui perniciose delinquunt, salutemq; suam prorsus pessundant, ut ad seipsos redeant & resipiscant.

3 Tertius est, ut ecclesiæ puritas ab infectione conseruetur, ne modicum fermenti totam conspersionem fermentet.

Hi sunt excommunicationis fines ad quos excommunicando prospiciendum est. Quod si neuter horum appræhendi potest, iam inutilis est excōmunicatio, imò magis perniciosa adeoque non usurpanda.

CAVTIO.

Ecclesiæ status raro talis est, ut isti excommunicationi sit locus. Vbi maior pars ita delinquit, ut partem in regno Dei non habeat, fieri non potest, ut minor pars maiorem excōmunicare queat, nedum hos excommunicationis fines assequi. Nam alioqui res abiret in schismata, & boni frumenti extirpationem, non in zizaniorum emendationem. Crimina nanq; quæ in uulgari sunt consuetudine & à multitudine committuntur, parua putantur. Quicquid enim sceleris & iniquitatis, ut Aug. annotauit, multitudinē inebriat, amittit examinis ueritatem. Hic status est, corde & moribus separari à malis, & cum iustis, de quibus est Ezech. 9. lugere iniquitates populi Dei, ut lugentes ac gemētes per signum illud Ezech. reuelatum malorum uastationē euadere mereamur.

reamur. Hic quippe cõsilia separationis & inania sunt, quia malos non corrigunt, & alioqui & nobis è mũdo esset egrediendum, & simul perniciosa, quia plus perturbant infirmos bonos quàm corrigant animosos malos, sed hic seuera disciplinę Dei misericordia necessaria est. Vbi uero pauci sunt qui delinquunt, & multitudo ab illis criminibus, quę emendanda sunt, libera est, ibi certe potest excommunicationis usus esse iustus. Hic enim nullũ est periculum schismatis ubi qui castigatur non habet multitudinis turbam in crimine sociã, uel talis nõ est, qui posit authoritate sua schisma instituere. Et hic qui deliquit timore potest percuti & pudore sanari, cum ab uniuersa ecclesia anathemizatur, & salua pace fidelium nõ interfectorie punitur sed medicinaliter amputatur, ut hic locum habeat illud Apostoli, in posteriore ad Cor. Sufficit ei correptio q̃ fit à multis: sed hac de re uide Aug. lib. 3. cap. 2. contra epistolã Parme. unde ista desumpta sunt.

Et hæc tolerandorum malorum, cauendiq; schismatis ecclesiastici ratio, ibi ualet, ubi mali mores tãtum non etiam falsi Dei cultus sunt in ecclesia ferendi. Alioqui magis Tobiæ exẽplum sequẽdum est ecclesiam Israëlis falsi cultus peruersæque doctrinæ gratia relinquẽtis. quàm quod hic ab Augustino præscribitur.

CAPVT VI.



Vdet aliquis uestrũ, negocium habens aduersus alterũ, iudicari sub iniustis, & nõ sub sanctis? An nescitis, quod sancti mundum iudicabunt? Etsi in uobis iudicatur mũdus, indigni estis minimis iudicijs? An nescitis quod angelos iudicabimus nedũ ea quæ ad uictum pertinent? Proinde iudicia siquidem habueritis de ijs quę ad uictum pertinent, qui cõtempti sunt in ecclesia, eos constituite. Ad erubescẽtiam uestram dico. Adeo non est inter uos sapiens, ne unus quidem, qui posit dijudicare inter fratrem suum ac fratrem? Sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus? Itaq; iam quidem omnino delictũ in uobis est, quod iudicia habetis inter uos inuicem. Cur non potius iniuriam patimini? Cur non potius damnum accipitis? Imò potius iniuriam facitis & damno afficitis, idq; fratres. An nescitis quod iniusti regnũ Dei nõ posidebũt?

Delinquebant fideles Corinthij plurimum in eo quod inter se alter alteri lites iudiciarias mouebant, idq; sub iudicibus ethnicis, ad probrum Christiani nominis. Malum hoc obiter mediocri digreßione carpit & emendat.

A Deinde cœptam scortationis repræhensionem resumit, & ad finẽ usq; capitis prosequit.

Triplici nomine Corinthios Apostolus obiurgat in hac causa. Erat enim peccatum illorum, quod hic admittebant, non simplex, sed trimembre.

1 Primum, admodum erat absurdum, quod Christianus Christianum ad ethnicorum tribunalia uocabat. Hoc primo loco uelut malæ radicis malum fructum amputat.

2 Deinde, delictum erat, quod qui iniuria afficiebantur, illam non ferebant sicuti conueniebat Christianis sed lite iudiciaria ius suum persequebantur. Hoc carpit secundo loco.

3 Tertio, quoniam qui ista faciebant cogi uidebantur per eos, à quibus lędebantur, adoritur & illos, ostendens iniustis non esse locum in regno Dei.

Est autem ista obiurgatio admodum uehemens, crebrisque interrogationibus referta, quibus non sine animi indignatione ita perstringit & urget delinquẽtes, ut plane sint inexcusabiles. Sed uideamus singula membra.

AVDET aliquis uestrum.] τολμᾷ τις ὑμῶν. Erasmus reddidit: Sustinet aliquis uestrum. Et uersionis suæ causam reddit in annotationibus, ne temere ita reddidisse uideatur. Intelligit Apostolum non temeritatẽ hac in re siue audaciam Corinthiorum tanquam rem periculosam audentium, sed impudentiam magis arguere, admirantem quod quisquam animũ B inducere posit, ut ob rem pecuniariã sub ethnicis iudicibus contendat, cum id esse debeat homini Christiano uehementer pudendum. Certe quamuis periculosum etiam fuerit Christianis, iudicio experiri cum sub iniustis, tum sub impijs iudicibus Christiani nominis osoribus, quoniam tamen apparet Apostolũ non tam quid periculi hac in re sit consyderasse, q̃ quantum turpitudinis ac dedecoris illa adferat professioni Christianæ, uidetur ista Erasmi uersio non esse præter rationem, ut legamus: Sustinẽt ne aliquis uestrum, &c. id est: Potẽst ne quisquam hoc impudentiæ sibi permittere, tanquam nullam habere nominis Christiani rationem, ut iudicio contendat cum fratre sub iudice ethnico & iniusto, & non magis sub sancto?

Innuit autem Apostolus hac admiratione, ita comparatum esse debere animum Christiani hominis erga decorum Christianæ professionis, ut quæ illam dedeceant, uelut indigna dura & intoleranda aspernetur, fugiat & abhorreat, nec ullo pacto quicquam illorum admittere sustineat. Non enim simpliciter dicit, absq; admirationis & stuporis nota, sustinetis iudicio contendere sub iniustis, sed cum admiratione interrogando, sustinẽt ne quisq̃ uestrum, &c. Quasi dicat. Satis admirari nequeo, posse uel aliquem ex uobis, sub iniusto iudice litẽ intendere fratri & non sub sancto. Vbi & illud τις ὑμῶν auxesim stuporis habet. Plus enim est, quàm si diceret, sustinẽtis ne iudicio

dicio contendere sub iniustis? Iudicat quippe A rem hanc adeo esse absurdam, ut mirum sit aliquem esse posse inter Christianos, qui eam sibi admittere sustineat, nedum multos.

NEGOCIVM habens aduersus alterum.] Graece est πρὸς τὸν ἕτερον, quod Erasmus reddidit, cum aliquo. Verum negocium habere cũ aliquo, amphibolicum est. Potest enim & amicum commercium significare, & cõtrouersiã, ideo malo cum ueteri interprete legere, aduersus alterum. Maxime cum & Græci hac præpositione aliquando ad hunc modum utãtur, ut μάχομαι πρός τινα pugno aduersum aliquem.

Est autem negociũ uel causam habere aduersus aliquẽ, nihil aliud, quàm lęsum habere quod de aliquo querare, cuius gratia illum in ius uocare posis. Sic & Matth. 5. si obtuleris munus tuum ad arã & illic recordatus fueris, quod frater tu9 habet aliquid aduersus te: Hoc est, q, iniuria aliqua illũ affecisti, cuius gratia tibi succenset, &c. Cogita hic, quales Christiani simus, inter quos offensæ locũ inueniũt.

IVDICARI sub iniustis.] uerbum κρίνομαι aliter atq; aliter accipitur, licet simpliciter significat iudicari. Hic certe nõ pro iudicari positum est, sed pro iudicio experiri, contendere & litigare. (sic κρίνεσθαι ἄρει est Marte decernere) ut pertineat nec ad reum nec ad iudicẽ, sed ad actorem, qui aliquem in ius uocat & accusat. Non enim de eo loquitur Apostolus, qui causam dicere cogitur, & de crimine aliquo accusatur qui & ipse κρίνεσθαι dicitῖ, sed de eo qui B fratrem apud iudicem accusat & reum agere conatur. Infrà idem uerbũ κρίνετ significatione pasiiua pro condemnatur positum est.

SVB iniustis.] Infideles intelligit, ethnicos, nominis & fidei Christi expertes. Infrà eos uocat infideles, ne putemus illũ loqui de malis Christianis. Vocat autẽ eos iniustos satis in loco. Iudicis enim est iuste decernere, reiectis sinistris affectib9 uel odij uel fauoris. Ethnici uero non solum impietatis gratia coram Deo iniusti erant, sed & insigni maleuolentia contra nomen Christi excæcati, non poterant in causa Christianorum, quos inmerito exosos habebant, ex æquo quod iustum esset iudicare. Vnde certe periculosum quoq; erat Christianis, illorum foro uti.

ET non sub sanctis.] Admiratur Apostolus non solum quomodo sustineant litigare sub iniustis, sed & quamobrem sanctorũ iudicium fugiant uel contemnant. Erat enim duplex ista uesania. Et hanc posteriorem partem ita urget, ut appareat illa plus offensum esse q̃ priore. Absurdum quidem est litigare sub iniustis, uerum cum id fieri posit sub sanctis, nolle sanctorum uti iudicio, id demum est, quod plurimum isti absurditati adfert augmenti, & admodum dedecori est existimationi sanctorum. Quemadmodum stultum est per se, fodere cisternas ueteres, quæ aquas continere non ualent, stultisimum uero si id fiat non urgẽte necesitate, cũ præstò sit fons aquæ uiuæ, &c.

Obserua uero quod dicit, & nõ sub sanctis, cum dicendum esset, & non sub iustis, secundum rationẽ oppositorum. Significat sanctos demum uere esse iustos, prophanos uero iniustos. In iudicijs siquidem quæritur iusticia & ęquitas, qua qui innocens est, à calumnia improborum liberetur. At ea iusticia plus loci habet apud sanctos ac diuinos homines, quàm apud prophanos & mundanos.

AN nescitis, quod sancti mundum iudicabunt?] Ob oculos illis exponit quanta contumelia afficiant ecclesiam sanctorum, dum illam indignam constituunt, quæ iudicet de minutis membrorum suorum causis. Huc pertinet quod dicit, an nescitis quod sancti mundum iudicabunt? Et si in uobis iudicatur mundus, indigni estis minimis iudicijs? An nescitis, quod angelos iudicabimus? nedum uictualia ista? Primum res ipsas de quibus sub ethnicis iudicibus litigabant, quàm sint uiles per collationem eorum, quæ per sanctos iudicabuntur expendit. Deinde enthymemate indignitatem huius rei exprimit, cum dicit: Si mũdus iudicabitur in uobis, indigni estis qui de minimis istis iudicetis? Ratio huius consequẽtiæ est, quod indignus non sit minutarum rerum iudicio, qui de maximis iudicare potest. Sancti autem iudicabunt de maximis rebus. Nã mundũ & angelos quoq; iudicabũt. Ergo sancti indigni nõ sunt rerũ minutarũ iudicio.

Apparet itaq; Apostolum contemptum ecclesiæ uindicare hoc argumento. Nisi enim ij, qui fratres ad ethnicorũ tribunalia adigebãt, parũ reuerenter de fratribus sensissent, ad ethnicorum forum utiq; causas suas non transtulissent, sed arbitros ex fratrũ gremio delegissent. Hoc intellexit Apostolus cum dixit, indigni ne estis. Ideoq; sanctorũ honorem ista collatione uindicare uoluit.

Sed quæritur quomodo credentes Christo mũdum & angelos sint iudicaturi, cum pater omne iudicium dederit filio, isq; solus sit constitutus iudex uiuorum ac mortuorum. Ita uidelicet, quod exemplo fidei illorũ mundi perfidia damnabitur. Ita exponit Ambrosius. Ita duodecim apostoli ex Israële sumpti, Israëlis perfidiam condemnabunt. Sic Niniuitę & regina Austri condemnabunt quamuis nationẽ incredulam. Matth. 12. Terra fœcunda cõdemnat sua fertilitate terram sterilem, eodem cultu & imbre usam frustra. Qui eodem præceptore usus indoctus euasit, merito condemnatur à condiscipulo qui plurimum profecit. Ita uidelicet mundus iste recte condemnatur in credentibus, quod gratiam cœlestem in Christo exhibitam contempsit, quam isti sunt amplexi. Quidam tamen exponũt sic: Iudicabũt sancti mundũ, quia assessores erunt summi iudicis, secundum illud Matth. 19. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Nihil hic contradictionis est. Vterq; sensus habet, unde probetur

Matth. 19.

Matth. 12.

Rursus de angelis non idem sentitur. Quidam intelligunt ministros ecclesiæ per eccle-

siam iudicandos, quorum sententiam Chrysostomus reijcit. Alij de malis spiritibus exponunt, qui Matth. 25. angeli Satanę à Christo uocātur. Hos ideo dicit à sanctis damnari Hiero. quod cum in carne non sint, pietate superētur à sanctis qui in carne illa corrupta degunt.

Ergo fides ac uita Christianorum iudicat & condemnat mundum, id est, incredulos & impios. At uereor ne uiceuersa ad exemplū Israëlitarum, per eos qui sub nomine Christi non sunt, iudicandi simus qui Christiani uocamur. Quod si uita uitam damnat, non uideo quomodo nostra sit Iudęorum Turcorum aliarūq; gētium damnatura, cum uiuatur à nobis usq; adeo flagitiose, ut nobis collati Turci & Iudęi, sancti uideri posint. Cęterum solo nomine & ritibus quibusdam externis ab illis separamur. Sed uideamus singula.

An nescitis inquit? Particulam hanc ingeminat. Colligimus inde, notisimum esse debere fidelibus, primum, mundum & angelos, id est, malos spiritus, obnoxios esse iudicio & condemnationi. Deinde, iudicandos esse à sanctis. At iam uidentur sancti iudicari & condēnari à mundo & malis spiritibus. Verum, ut sunt rerum uices, qui nunc iudicātur à mūdo olim iudices erunt mundi, & qui nunc sunt iudices sanctorum, olim iudicabuntur & condēnabuntur à sanctis. Consulto igitur non dicit, quod sancti judicant, sed, quod iudicabūt mūdum. Sic auocat fidelium mentes à spectris rerum præsentium, ad consyderationem futurarum, quibus nullæ subsequuturę sunt uices & alterationes. Admodum uidetur esse miserū, iudicari & condemnari in hoc sæculo subiectumque esse non modo legitimis sed & iniquis impiorum hominum iudicijs, quæ tum, quemadmodum nunc quoq;, ferre cogebantur sancti ac fideles. Appositisime igitur admonet Corinthios non modo, quàm non conueniat, ut sancti iudicentur à mundo, sed & q̄ non debeant animo esse deiecto, si iudicentur à mūdo, quod futurū sit, ut ipsi iudicēt mūdū.

QVOD sancti mundū, inquit, iudicabunt.] Quid est quod non dicit: Quod sancti iniustos & prophanos iudicabunt? Admonet iniustos & prophanos pertinere ad hunc mundū, esseque mundum nihil aliud quàm iniustorum, impiorum ac prophanorum hominum colluuiem, ad quam potisimum pertineant, qui in illo cæteris dominantur.

ET si in uobis, inquit, iudicatur mundus.] Sic est in Græco. Erasmus uertit. Et si per uos Ebræum בכם nonnunquam sic capitur. Apparet tamen non esse frustra dictum ab Apostolo, ἐν ὑμῖν, id est, in uobis. Iudicatur, id est, dānatur in fidelibus mundus, primum, dum in illis crucifigitur & exterminatur quotidie. Deinde dum per spiritum ac uerbum regni Dei iudicantur increduli & arguuntur de peccato, iudicio & iusticia. Tertio iudicabitur in illis in futuro sæculo dum respectu illorum condemnabitur. Atq; ita uidet exponere quod dixit: An nescitis quod sancti mundum iudicabūt?

INDIGNI estis, inquit, minimis iudicijs?] Si citra interrogationē legerimus, uocantur iudicia prophanorum minima, respectu iudiciorum sanctorum. Si cum interrogatione, iudicia minima sunt quę terrena concernūt. Et reuera sic sunt omnium minima cēsenda. At hodie habentur maximi momēti, suntq; iudicia de rebus salutis nostræ plane parerga.

AN nescitis q̄, angelos iudicabimus? inquit.] Assurgit, amplificādo dignitatem sanctorum, primum in eo, quod pro iniustis posuit mundum, deinde in eo quod iam angelos quoq; iudicandos à nobis esse dicit.

Obserua uero, quomodo cum dixisset: An nescitis quod sancti mundū iudicabūt? Subiecit in secunda persona. Et si in uobis iudicatur mundus, & hic in prima. An nescitis quod angelos iudicabim⁹? Ne uidelicet ad alios nescio quos sanctos ista referamus, & nō ad fideles.

PROINDE iudicia siquidē habueritis de uictualibus, contemptos, &c.] Argumēto cōformē illationem subiūgit. Quasi dicat. Cum itaq; tanta sit ecclesiæ dignitas, tam abest, ut indigna debeat haberi uictualium iudicio, ut uel ij qui sunt in illa prope nihil, illorum iudices sint constituendi. Tanti uidelicet debebat uobis esse dignitas ecclesiæ, tamque uiles uideri res istæ terrenæ, de quibus cōtenditis.

DE uictualibus, inquit.] Gręce est, βιωτικά, id est, uitam hanc sustentandam concernētia. Qua uoce iam secundo iudicia terrenarum rerū depreciat. At interim cogitet cordatus homo, quomodo extenuanda sint studia, & iudicia earum rerum, quę ad superbiam, fastum, luxum, quęstum, uoluptates, & libidinē absq; ulla necesitate usurpantur, si sic extenuantur uictualia, quibus in hac uita carere non possumus. Non discimus hinc contēnere dona Dei, quæ uitæ nostræ alendę diuina largitate suppeditantur, absit, sed admonemur, ne illa sempiternis bonis præferamus, néue propter ipsa aliquid admittamus, quod fideles homines dedeceat.

CONTEMPTOS, inquit, qui sunt in ecclesia.] Ergo habet ecclesia quosdam contemnendos? Nequaquam. Quomodo nanq; contēnēdi sunt, ꝑpter quos mortuus est Christus? Qui ad dignitatem sunt filiorū Dei, & ad sempiternam felicitatem ac gloriam uocati? Intelligit ergo non de talibus quibusdam qui contemnēdi sint in ecclesia, sed de pauperioribus, imperitioribus, & indoctis, qui à sectarijs & inflatis cum contemptu fastidiebantur. Perstringit igitur rursus sectariorum superbiam, quemadmodum & in præcedenti cum dixit, indigni estis minimis iudicijs?

ILLOS constituite.] Gręce uox καθίζετε anceps est. Potest enim tam iudicandi quàm imperandi modo legi. Vnde & quidam cōstituitis legunt. Vt Ambrosius, quē schola Vuitenpergen. sequuta est. Isti per contemptos intelligunt Gentes, quę sint in ecclesia contemptę, id est, quę ab ecclesia contemnantur. Alij uero legunt constituite modo imperandi, è quibus est &

est & August. quorum sententia meo iudicio simplicior est & uero similior. Alioqui cum καθίζειν significet in sedem uelut iudicem collocare, quomodo dici possunt credentes Corinthij ethnicos collocasse in sedem iudiciariam, cum illi iam antea habuerint iudicandi potestatem, nec illam à Christianis accipere potuerint, etiamsi nō habuissent? Aliud certe est sub iudice ethnico litigare, & aliud ethnicū hominem in sedē iudiciariā collocare. Quare, quod dicit: Contemptos in ecclesia, non est ad gentes referendū, sed ad inferioris ordinis homines ac fideles, qui sunt in ecclesia.

AD erubesc.] Hanc particulam exponūt tāquam correctionē præteriti mandati, quasi Apostolus non serio uoluerit contemptos in ecclesia terrenarum rerum iudices constitui, malit tamen illud q̃ quod sub ethnicis litigabant. Et hoc quoq; ex sequenti particula colligunt. Meo tamē iudicio tam abest ut nō serio id dixerit Apostolus, ut optandum illi fuerit, id ita fieri potuisse à Corinthijs. Fecisset enim ad dignitatem ecclesiæ Christi & contemptū rerum terrenarum.

ADEO non est inter uos sapiens, ne unus quidem.] Q.d. Cum debeatis omnes intelligentes esse iusticiæ & æquitatis, adeo ne omnes stupidi estis & insensati, ut ne unus quidē sit inter uos sapiēs, qui possit discernere inter fratrem & fratrem? Omnia emphatice dicūt. Innuit enim nō opus esse magna iuris peritiæ subtilitate, ad hoc ut arbitrum quis agat inter Christianos qui cum sint inter se fratres, facillimi sunt ad remittendum & componēdum.

At bone Deus quāta opus est hodie legum copia cautione & sinuositate, q̃ omnia sunt referta aduocatorū, procuratorū & iurisperitorum turba? Vt taceam quod legum uolumina numerosa dicuntur, præ multitudine, quā uaria & multa iniquitas poscere uisa est. Ex hoc loco episcopi ansam sumpserūt implicādi sese negocijs uictualibus dijudicandis, qua de re uide Augu. de opere monachorum capite. 29. Item annot. Erasmi.

SED frater cum fratre litigat, &c.] Vrget absurditatem huius mali. Debebāt arbitrorū sētētia componere causas, at id tam nō faciebant, ut auderent litem intendere idq; fratres fratribus, & hoc apud infideles. Hactenus primum peccati huius mēbrum declarauit, quod & ipsum ostēdit non esse simplex, sed triplex. Primum quod eligebant arbitros ex fratribus id quod ex contemptu ecclesię faciebant. Deinde quod frater cum fratre litigabat contentione iudiciaria. Tertio quod id etiā sub infidelibus iudicibus faciebant. Perinde ac si domestici, causam nō sinerēt ab alijs domesticis cōponi, sed in contentionē iudiciariā, idq; sub exteris contra seipsos insurgerent. Obserua uero, quod dicit, idq; sub infidelib⁹. Supra uocauit ethnicos iudices iniustos. Hic uocat eos ἀπίστους, id est, infideles. Sunt autē duplici nomine ἄπιστοι, primū quod sunt increduli & infideles, alieni à fide Christi. Deinde quod sunt perfidi uel infidi, utroq; nomine auersandi, nisi cogatur Christianus aliunde in ius uocatus innocentiam suam sub illis defendere.

ITAQVE iam quidē omnino delictū in uobis est, quod lites, &c.] Hacten⁹ Corinthios repræhendit Apostolus, quod apud infideles litigabant. Iam deinceps ne putent in eo solo se posse repræhendi, quod iudicio corā impijs contendebant, ad reliqua mali huius mēbra transit, quę talia sunt, ut etiamsi in ecclesię gremio litigarēt adhuc tamē defendi nō possent. Hoc est, quod dicit, ἤδη μὲν οὖν. Iam quidem igitur. Q.d. Etiāsi non apud impios litigaretis tamē culpabiles estis uel hoc nomine prorsus, quod lites habetis inter uos, cū sitis Christiani & filij pacis, &c. Illud ὅλως. Omnino, uel tātundem est, atq; irrefragabiliter, absq; ulla cōtradictione, q̃ certissime, uel idē significat q̄d totaliter, eo quod utræq; litigantiū partes culpabiles sint, tam quæ iniuriam iudicio uindicat q̃ quæ illam intulit. Illa quod nihil iniuriarum patienter sustinet, ista quod iniuriam intulit. Est ea nanq; litigandi cōditio & ratio, ut in ius congrediantur & qui lęsus est & qui lęsit. Hinc enim lites sunt, quod alter lędit, alter læsus iniuriam non tolerat. Cōsyderatis itaq; litigiorū causis, utrasq; partes culpabiles esse ostendit. Neutra nanq; illarū Christianis competit, à quibus tā abesse debet, ut iniuria quēpiam afficiant, ut illatam etiā patienter ferāt. Hoc scilicet est quod dicit: Iam quidem omnino delictum in uobis est.

DELICTVM.] Græcè est ἥττημα, quod defectum significat, ac diminutionē, Germanice *ein fehl oder mangel*. Indicat enim hac dictione à Christianis exigi perfectionē innocentiæ, patientiæ & charitatis, quæ certe apud eos non est, qui iudicio inter se contendunt. Erasmus dictionē hanc à uerbo superandi ac uincendi, aut uictū esse deducit, ut intelligamus eos qui inter se litigant superatos esse uel ira, uel superbia, uel auaricia uel impatientia, ἡττάομαι nanq; uinci significat. Et sane uerum est, iam uictos esse aliqua tentatione, qui inter se litigant, etiā eos, q in iudicio superāt & uictores abscedūt.

IN uobis.] Delicti huius immunes sunt iudices, sub quibus litigatur. Licet enim peccent qui inter se litigant, non tamē peccat, qui litigantes iuris sententia & potestatis suæ authoritate dirimit, eūq; qui læsus est uindicat, & iniustū punit. Huius enim officium necessarium est, posteaq̃ ad lędendum omnes sumus proniores q̃ ad illatam iniuriā patienter ferendum. Culpabiles tamē sunt qui isto officio uel utuntur ipsi, uel alios uti cogunt.

Cur nō potius iniuriā patimini? Cur nō potius damnū accipitis? Declarat q̄d dixit eos omnino culpabiles esse in eo, q̄ iudicio inter se contenderent. Et principio eos alloquit̄ qui iniuste læsi, in ius uocabāt aduersarios, ut ubi reliqui intellexerint nō licere Christiano illatā iniuriā iure uindicare, intelligāt multo minus licere iniuriam cuiq; inferre. Non aūt dicit simpliciter, peccatis quod iniuriam nō fertis, quod

quod damnum non accipitis, sed tacita quadam collatione rei huius delictum spectandũ proponit, cum dicit: Cur non potius iniuriam patimini? Respicit enim ad aliud quoddã malum, quod plus debebãt declinare ac fugere, quàm terrenæ cuiuspiam rei dispẽdium. Illud est, læsio charitatis & unitatis Christianæ. Vt enim Christiano potior esse debet charitas, ꝙ commodum aliquod terrenũ, ita damnum læsæ charitatis magis fugere debet quàm terrenæ facultatis. Nec emphasi caret, quod percontando instat ostendens sibi tam uideri absurdum quod faciebant, ut rationẽ illius nullam uidere queat, imò ab ipsis audire cupiat, qua nam ratione non magis ferant iniuriam, quàm quod charitatem inter se lędũt. Et huc quoq; facit illud Christi Matth. 5. Ego autem dico uobis, nolite resistere malo, &c. Et qui uult iudicio tecum contẽdere, & tunicam tuã tollere, dimitte illi & pallium. Hoc certe lõge consultius est quàm per impatientiæ malum mentis amittere tranquillitatem, charitatem fraternam uel lędere, uel læsam prorsus extinguere, mortificationem ueteris hominis pręcludere, uindictam de manibus supremi iudicis eripere. Sed hac de re uide in annotationibus nostris super Matth. cap. 5.

Matth. 5.

Est autem ista sentẽtia tam rationabilis ut & Platoni multis sit tractata in Gorgia. Dicũt Græci. βέλτιον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι τοῦ ἀδικεῖν.

Contra hanc sentẽtiam Christi & Apostoli, non ueniunt, qui innocentiam suam paucis testantur, & aduersario quàm peccet significãt. Non enim est boni hominis ad iniusta tacere, sed modeste corrigere, ita tamẽ, ut nihil aliud quærat, quàm emendationem eius qui delinquit. Et Christus & Paulus innocẽtiam suam testati sunt, & improbos repræhenderunt, & nihilominus illatam iniuriam patienter tulerunt. Et Ieremias cap. 37. ad regem Sedechiã dicebat: Quid peccaui tibi & seruis tuis & populo tuo, quia misisti me in domum carceris? Nũc ergo audi obsecro domine mi rex, ualeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne remittas me in domum Ionathæ scribæ, ne moriar ibi. Ecce primum testatur innocentiam suam, peccatumq; regis in se insontem commissum repræhendit, deinde iniuriam etiã & uim deprecatur. Ista non sunt animi impatientis, nec doctrinæ isti repugnant.

Ierem. 37.

IMO uos iniuriam facitis, & dãno afficitis, idq; fratres.] Ista per auxesim delicti adijciũtur, ut ostendatur quàm absint adhuc à Christianæ professionis perfectione. In Christianismo delinquit, ꝙ iniurię est impatiẽs. At quãdo ad eam perfectionem patientiæ perueniẽt, qui usq; adeo adhuc sunt iniusti, ut alios etiã per iniuriam lędant? Est enim omnino peius iniuria quẽquam afficere quàm illatam iniuriam iudiciaria lite repellere.

IDQVE fratres.] Et hic est delicti huius auxesis. Iniustum est quẽcunq; per iniuriam lędere, etiam exterum & inimicum. Enormius autem peccatur, si id etiam fratri fiat. Quasi dicat. Cum ne inimicos quidẽ lędere debeatis, tam estis iniqui, ut nec fratribus parcatis. Quales nam esse uos credendum est erga incredulos & inimicos, cum tales sitis erga fratres?

Hoc itaq; pacto Apostolus luce clarius exponit omnino delicto obnoxios esse Christianos, si iudiciarias inter se lites habeant. Primũ enim, indicium datur esse illos iniuriæ impatientes, contra doctrinam Christi & omnium sanctorũ mentẽ & ingeniũ. Deinde certum est factam esse aliquã iniuriã, aut saltem intendi. Tertio exaggerationem criminis habet, quod frater fratri iniurius est, quem debebat nõ minus diligere quàm seipsum.

AN nescitis, quod iniusti regni Dei hæreditatem non consequẽtur?] Arguit eos hic summæ incogitantię, qua minuta quędã & inania persequẽtes regni Dei hæreditatẽ amittebãt. Quasi dicat. An adeo stupidi & incogitantes estis, ut propter res adeo uiles & inanes negligatis summã illam regni Dei felicitatẽ, dũ desyderijs uestris uanis obsequẽtes iniuste lęditis fratres? Certe nõ potestis ignorare, iniustis nõ esse locũ in regno Dei. Vos aũt iniusti estis, cum dãno quenꝙ immerito afficitis. Quomodo igitur nõ cogitatis ꝙ sit insanum pro rebus terrenis amittere æternã regni Dei felicitatẽ?

Admonet nos hoc loco Apostolus cõmemoratione regni Dei, primariũ hũc esse debere Christianorũ in omni uita scopũ, ne quid cõmittamus, quod à consequutione regni Dei, hæreditario possidendi impediat. Ad illud enim uocati sumus per gratiã Christi. Ea uocatio nunꝙ debet mẽtibus nostris excidere, ne quo pacto per illius obliuionẽ immergamur rebus huius mundi inq; illis peccantes, diuina nosipsos dignatione priuemus. Perinde mihi uidetur Apostolus facere, ac si quisꝙ bonarũ literarũ candidatis, quorũ scopus est rerũ cognitio, deq; rebus intellectis diserte ac dilucide posse loqui, si ocio uiderit plus æquo deditos dicat: An nescitis, ꝗ nemo ociosus & ignauus eruditus ac doctus euadere poterit? Hic non solum denegaretur ocio rerũ sciẽtia, sed simul admonerẽtur adolescentes bonis literis consecrati, ad quẽ scopũ spectare seseque accõmodare & quicquid ab illo consequẽdo impediat, fugere debeãt. Sed dicit quisꝙ: Si iniusti è regno Dei excludũtur, ergo requiritꝰ nostra iusticia ad hoc ut saluemur, & irrita est doctrina gratiæ. Respõdeo. Ipsum uerbũ hæreditandi non admittit meritũ propriæ nostræ iusticię. Quare non consequitur, saluari nos propria iusticia, propterea quod iniusti hæreditate regni Dei priuantur. Per gratiã Dei sumus uocati & assumpti in adoptionem filiorũ Dei. Hãc dignitatẽ retinere nõ possunt, qui iniusticiæ magis ꝙ iusticiæ post acceptam gratiã studẽt. De illis iniustis intelligendũ est quod hic dicitur non de ijs qui nondũ in hanc sunt gratiam assumpti & initiati. Alioqui nemo prorsus saluari posset. Verum in sequẽtibus patebit ista sententia, ubi dicet: Sed hæc eratis quidã, uerũ abluti estis, &c. Quod itaq; dicit. An nescitis,

Simile.

nescitis, quod iniusti regnū Dei non hæredita bunt, nō est pro generali accipiendū sententia.

Ne erretis. Neqꝫ scortatores, neqꝫ cul tores simulacrorum, neqꝫ adulteri, neqꝫ molles, neqꝫ qui concumbunt cum ma- sculis, neqꝫ fures, neqꝫ auari, neqꝫ ebriosi, neqꝫ maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient

Intelligebat Apostolus uana quadā opinio- ne ac securitate seduci Corinthios satis ad feli tatē esse putantes, quod Christo dedissent no- men, in illum baptizati essent, & qualicūq; il- lius fide præditi. Hoc uocat errorē cum dicit: Nolite errare. Q.d. Ne cogitetis, benignus est Deus, nō ulciscet̃ peccata nostra, Christiani su mus, gratiā Dei acquisiuimus, damnari nequi mus, alia est nostra cōditio quàm infidelium. Error est, putare Christianismum nihil esse a- liud q̃ inanis tituli professionē, & cultū quen dam rituū externorū. Gentium est ista opinio, nō Christianorū, à quibus ad regni Dei posses sionē solida requiratur pietas & uera iusticia.

NEQVE scortatores.] Quos generaliter in- iustos uocauit, consequenter per species expri mit, haud quidē omnes iniusticiæ species re- cēsens, sed eas saltē, quibus sciebat obnoxios potissimū esse Corinthios, & reliquos Genti- lismo assuetos, inter quos obtinebant scorta- tiones, eidololatria, adulterium, mollicies, ma scula uenus, furtum, auaritia, ebrietas, maledi centia & rapacitas. Parat aūt isto uiciorū cata- logo transitū ad prosequendā scortationis e- mendationē, atq; ideo priore illā loco ponit.

Videt̃ hic locus quibusdā aliquāto durior, quod ea uicia, quæ leuioris momenti uident̃, cū grauioribus cōiungit, eidemq; pœnæ subij cit, nempe priuationi regni cœlorū, cum tamē certū sit, ut grad⁹ sunt in peccatis, quorū aliud alio est grauius, ita & gradus esse pœnarū. Vt- pote simplex scortatio, nō est eadem grauita- te qua est adulterium, mollicies, & masculorū concubitus, & ista rursus non tam sunt enor- mia, q̃ est cultus simulacrorū, quo in primam tabulam peccat̃, deinde auaricia minus habet delicti q̃ furtum & rapacitas, siquidem illa iu- xta uim Græcæ dictionis affectus quidam est plus habendi q̃ sit necesse. Aliud enim omni- no est plura appetere q̃ par sit, suaque tenacius retinere, q̃ quę aliorū sunt per furtum & rapi- nam auferre. Et peccatum ebrietatis, plerisq; prorsus nullum uidet̃, certe ipsorū iudicio in- dignum, quod è regno Dei excludat.

πλεονεξία.

Sciendum igit̃, Apostolū nō hic quæ sint fu turæ peccatorū istorū pœnę describere, sed o- mnibus hoc dare, quod priuēt regno Dei. Pri- uatos uero regno Dei alia alios pœna manet. Vt enim uenenū quodcūq; hoc in se habet, ut uita spoliet, licet aliud alio sit fortius, acerbio- réq; mortē adferat, ita iniusticia omnis regno Dei excludit, licet aliam alia grauitate sua ex- cellat, maioresq; pœnas adferat. Non est aūt ut flagitia quæ hic recensent̃, singula explice- mus. Sunt enim aliàs nimis nota, & ab ipsis

Simile.

A gentibus damnata, una dempta eidololatria.

Atqꝫ hęc eratis quidā, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis ꝑ nomē dn̄i Iesu, & per spiritū Dei nostri.

1 Aut tacitæ illorū cogitationi occurrit, qua poterant dicere: Quod si tales regnum Dei nō acquirent, neq; nos illud acquiremus. Tales enim fuimus. Concedit igit̃, tales eos fuisse, sed declarat, fuisse quondam talem, iam uero nō esse, sed per gratiā Christi ab his uicijs emū datū, iusticiam accepisse, aliud esse q̃ nō solum fuisse, sed adhuc esse. Q.d. Scio quod olim ta- les fueritis. Id uero uos condemnare, regnoq; Dei excludere nō potest, posteaq̃ lauacro Chri sti abluti, purgati, sanctificati & iustificati e- stis, modo curetis, ne in pristinā immundiciē relabamini. 2 Aut admonet eos acceptæ mūdationis, ostenditq; q̃ sit absurdum si post ablutionē pristinæ immundiciæ, post sanctifi- cationē spiritus & fidei iustificationem, uelint ad easdē sordes recurrere, iterūq; fieri propha- ni, & iusticiā per fidē Christi acceptā, prioris ui tæ iniusticia cōmutare, atq; ita gratiæ Christi contumeliam inferre. Quæ est enim ratio ab- luendi, si licet sordibus pristinis iterū pollui? quę ratio sanctificandi, si uita prophana regno Dei nō excludit? quæ iustificandi, si ad uerā fe licitatem nihil obest iniusticiæ studium?

Obserua uero, quod nō simpliciter dicit: Et hæc eratis, sed, & hæc eratis quidā, ne omnes tam enormium flagitiorū maculis aspergat.

B PER nomen domini Iesu, & per spiritum Dei nostri.] Trina maiestas Dei exprimit̃ hoc loco, cui in Christū credentium ablutio, repur gatio, sanctificatio & iustificatio datur. Memi- nit enim Dei nostri, deinde domini Iesu, tertio & spiritussancti. Et hoc est, quod in nomē pa- tris, ac filij & spiritussancti baptizamur. Obser uemus hic amplitudinem cœlestis gratiæ, per quam tam grauia flagitia abluuntur, & gratis remittuntur.

Omnia mihi licent, at non omnia cō- ducūt. Omnia mihi licent, at ego nō re- digar sub ullius potestatem.

Locus hic non eodem modo exponitur, cū à ueteribus tum recentioribus. Chrysosto. & Hiero. intelligūt culpari ab Apostolo uentris ingluuiem, idq; hoc loco ob eam causam fieri, quod illa fomenta præstet scortationi, ad cu- ius repræhensionem trāsitus, ut suprà monui, paratur. Primum omnino uerum est, gulā mi- nistram esse libidini, quod & ipsa iuxta sæcu- lum doctorū uirorū prouerbia testant̃, è quo- rum numero illud est: Sine Cerere & Baccho friget Venus, ad quod astipulat̃ etiā sacra scri- ptura, ut uidere est Ezech. 16. de peccato Sodo morum. Deinde & hoc uerum est, quod Græ ci, præsertim Corinthij, utroque & gulæ & li bidinis nomine, ut fieri solet in emporijs no- bilibus, infames admodum fuerint, unde & Græcis κορινθιάζεσθαι, idē est atq; pro genio & li- bidine intemperanter uiuere, si tamen id est

uiuere, & non magis ipsam uitam conspurcare & extinguere. Duabus hisce rationibus uero similis est istorum expositio. Quod si ea placet, erunt ista, omnia licent, & escæ uentri & uéter escis, uoces nō Apostoli, sed eorū qui intemperantiam gulæ & Christianæ libertatis, & naturalis dispositionis argumento defensabant, ab Apostolo per mimesim in seipsum translatæ, & præuia concessione ad correctionem adaptatæ, quā attexit, cum dicit, at nō omnia expediunt, at ego sub nullius potestatē redigar, at Deus & hūc & illas destruet. Quasi dicat. Gulæ uestræ prætexitis ciborū libertatem quā agnosco quidē. Nam omnia, fateor, mihi, quæ huiusmodi sunt, licent, at interea etiam atq; etiā uidendū est quid cōducat, quid nō. Non enim omnia conducunt. Deinde uidendum etiā est, ne amissa, quā prætexitis, libertate serui uentris reddamini, iam nihil minus q̄ liberi. Ad hæc, prætexitis etiā ipsam dispositionē naturæ, qua escæ deputatę sunt uētri, & uenter escis, quā & ipse agnosco, at consyderandū est, q̄ illa sit trāsitoria, ne plus ęquo uentri seruiētes & escis indulgētes, quæ Deus olim abolebit, offendamus in rebus spiritalibus & æternis. Ambros. hæc exponit de licito sumptu prædicandi Euāgelij, à quo se Apostolus dicat abstinere, q, uideat illū Euangelij cursui propter pseudapostolos nō cōducere, deinde captiuū reddere quodāmodo ministrū Christi in eorū seruitutē, à quibus ille uictus sustentationē accipit. At quomodo hæc sentētia uel pręcedentibus uel subsequētibus adaptat̃, nō ponit. Erasmus in paraphrasi uidet̃ fluctuare, incertus, quā sententiam ponat. Partim enim hāc quæ Ambrosij est, ponit, partim aliā quandā attingit, cū dicit: De cibis nihil ueto uescat̃ quisq; quibus uelit, at fœdā libidinē dāno. Neq; enim ut uenter escis dedicatus est, ita corp⁹ dicatū est spurcæ libidini. Ista uident̃ hoc uelle, q, alia sit ratio escarū q̄ scortationis. Escas deputari inter licita, quibus libere sit utendū, modo conducant, scortationē uero tanquā illicitam & noxiā esse fugiendā.

Mea sentētia est ista. Quā fugiēda uobis sit ô Corinthij, omnis scortatio, poteratis uel meo exēplo discere, qui etiā licitis abstineo, ubi intellexero illa nō cōducere, deinde studiose caueo, ne illorū seruituti subijciar. Et licet escę & uenter res sint naturaliter cōiunctæ, nō tamē utor illarū iure, ubi nō cōducit, consyderans q̄ sint olim destruēdæ ut indignæ sint, quarū gratia in res æternas peccē. Cū ergo à cibis, reb⁹ licitis, ubi nō cōducūt, abstineo, q̄to magis cauēda sūt illicita, è quorū numero est & scortatio?

OBSER.

OMNIA mihi licēt.] Locus hic nos docet q̄ sint in usu rerū licitarū cōsyderanda. Licita uarijs circūstantijs aliquādo ita grauant̃, ut Christiano homini iam nō sint licita. Quædā enim licita quidē sunt, sed nō conducūt. Talis est cibus per offendiculū proximi sumptus. Tale etiā est stipendiū propter Euangelij pędicatiōnē datū, ubi id cedit in detrimentū Euangelij. Rursus quædā & licent & cōducunt. Talia erant quę Paulus faciebat libero spiritu, ad hoc ut aliquos lucrifaceret, cū Iudæis tanq̄ sub lege cōstitutus, uetitis cibis abstinēs, cum Gentib⁹ tanq̄ à legis iugo liber, quibuslibet uescēs.

Eorū uero quæ illicita sunt, ut sunt omnia iniusta, legi Dei repugnātia, nihil cōducit. Sūt enim ut iniusta omnia, ita & noxia, unde damnatur uox illa impiorū, Faciamus mala ut eueniant bona. Quæ diuinitus disponunt̃, aliam habēt rationē. Illicitum est discipulo prodere præceptorē. At disponente Deo semel illicitū hoc facinus plurimū attulit utilitatis. Illicitū est crucifigere insontē, nedum filium Dei omnium saluatorē. Verū hoc semel factū profuit toti orbi. At quæ huiusmodi sunt, nobis non sunt imitabilia, nisi expresso mandato Dei ad illa adigamur, quēadmodum Abrahā iubebat̃ mactare filium suū, & Israëlitæ per fraudē spoliare Ægyptios. Proinde impia erat sentētia Rom. pont. qua subitū & improuisum Templariorum interitū decernebat, dicēs: Etsi non licet per uiam iustitiæ, licet tamē per uiā expedientiæ, quæ uox planè erat digna Rom. pontifice. Quid aliud dicebat Caiaphas? Expedit, aiebat, ut pereat unus homo, ne tota gens pereat. Imò crudelior & iniquior erat Rom. Caiaphæ uox. Siquidē non unius hominis, sed tot millium necē, eamq; nō iudiciariā & legitimā, sed uiolentam administrandam decernebat̃.

Clementis V.

At de istis non est hic locus. In rebus licitis quædā consyderanda nobis ab Apostolo proponunt̃. 1 Primū, an conducant, hoc est, an usus illorum non cedat in damnum proximi. Quod si fuerit, iam ex licitis fiunt illicita pro loco uidelicet & tēpore. In se nanq; quæ licita sunt, non mutant̃. 2 Deinde, an nō officiat nostræ libertati qua domini sumus omnium. Iniustum enim est, ut prodita libertate, qua Christus nos donauit, serui reddamur elementorum, cum sub unius domini potestatē constituti simus, qui ab omnium nos seruitute redemit. Admonemur ergo ut inuersionē illam caueamus, qua fieri potest, ut dum in temerario rerum licitarum usu libertatē præteximus, libertatē amittamus, iam nō dn̄i, sed serui eorum de quorum libero usu frustra gloriamur.

Escæ uentri, & uenter escis, Deus aūt & hunc & illas abolebit. Corpus uero non scortationi, sed domino, & dominus corpori. Deus aūt & dominū suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam.

Ista lucem adferunt præcedentibus. Nam 1 primum declarant, de quibus rebus licitis loquat̃ Apostolus: uidelicet de cibis, quorū usus liber est fidelibus, ne quisquā illud: Omnia mihi licēt, uniuersaliter de quibuscūq; rebus intelligat, cū certū sit ex hoc loco Apostolū loq de escis, & alioqui nō oīa sint licita, sed multa diuinitus prohibita & illicita. Huiusmodi sententię non sunt ultra authoris mentē diuexādæ, qualis est & illa qua alibi dicit: Omnibus omnia

omnia factus sum,& qua Christus Matth.5.dicit:Ego aũt dico uobis, nolite omnino iurare. Neq; enim in uniuersum omne iusiurandum tanq̃ malum abijcit,cum tota scriptura,& ipsa iurisiurandi ratio reclamet, sed consuetudinẽ iurandi prauam illam & peruersam,qua Iudęi à scribis & pharisæis seducti peccabant, condemnat. Deinde uelut applicat, quod dixit,ad propositum. Q.d. Primum naturaliter quidẽ cibus uentri, & uenter cibo adaptatus est, ut nihil sit illiciti, si cibus permittatur uentri,& uenter cibo. At cum res istę sint periturę, utpote quas dominus olim abolebit, nõ licet illarum gratia quæ potiora sunt turbare, sed maior est habẽda regni Christi fraternæq; charitatis ac nostræ salutis ratio, q̃ cibi ac uẽtris, utut naturaliter coniunctorũ. Iam si id faciendum est in his naturalibus ac licitis, quãto magis in ijs quæ & illicita sunt & contra naturæ dispositionẽ? Corpus etenim nõ est ut cibo ita & scortationi deputatũ,nec scortatio corpori.

Matth.23.

ESCAE uẽtri.] Subintelligẽdũ est aliquid. Erasmus adiecit,destinatę sunt, & commode. Nihil enim uideo quod reclamet. Est nanq; ista pars corporis diuinitus ad hoc destinata, ut alimenta accepta concoquat, & in reliqua corporis mẽbra digerat. Et escæ ad hoc paratę sunt, ut uentri ad alendũ corpus administrẽt. In ea uero particula, qua dicit: Corpus aũt nõ scortationi sed domino, & dominus corpori, non inuenio quo uerbo utrunq; membrũ absoluam. Nam corpus quidem nostrũ domino destinatũ, uel cõsecratum esse, possum dicere, at uicissim dominũ destinatũ esse corpori nostro uel consecratũ, non item. Est omnino quędam coniunctio corporũ nostrorũ ac domini, a quæ uno uerbo exprimi nequeat. Corpus enim nostrũ ita cõiunctum est domino ut illi subsit, dominus uero corpori nostro coniunctus est, ut illi præsit. Notandũ hic est, quod non dixit: Escæ corpori,& corpus escis, sed escæ uentri,& uẽter escis. Nec dixit: Venter domino & dominus uentri, sed corpus domino, & dominus corpori, ubi omnino honesti⁹ de corpore loquitur q̃ de uentre, ut intelligamus corpora nostra, licet uentris ac ciborũ usu necesse habeant, escis tamẽ non esse sed domino deputata ac consecrata, ut non uentri & escis sed domino uiuamus. Et ista obseruatio etsi nõ per omnia, nõnihil tamẽ astipulatur Chrysost.& Hiero. expositioni, qui hæc uerba, contra gulæ uiciũ posita esse intelligunt. Licet enim de naturali uentre,& escis illius loquatur Apostolus, apparet tamẽ illũ gulæ intemperãtiam duplici argumẽto ab illius organo & materia sumpto contemptã reddere. Primum est à uilitate & uentris & escarũ. Ea nota est omnibus, uentris & escarũ conditionẽ sensate expendẽtibus, quos ipsa saltem uẽtris & escarũ uocabula statim admonent, quæ sit hic immũdicia quę molestia ac uilitas. Alterũ est ab utrorumque corruptione & futuro interitu cuius gratia certe minus nobis debet gulæ studium esse, cum sciamus illius & organum & mate-riam res esse fluxas & breui interituras.

DEVS abolebit.] Coloss.2. dat escis Apostolus id imbecillitatis, per extenuationẽ, q̧ ipso usu intereant & corrumpãtur, notãs eos, qui multũ religionis in rebus hisce corruptibilib⁹ collocabãt. Hic uero Deũ ipsum dicit & uentrẽ & escas pariter aboliturũ. Hoc sane licet uniuersaliter in fine mũdi sit futurũ, quotidie tamen per mortem fieri uidemus quidẽ, at parũ consyderamus. Ergo opus Dei est nõ minus abolere ac destruere & uentrẽ & escas, q̃ condere. Et quod de uentre & escis dicitur, idem & de reliquis uoluptatis generibus cogitandum est. Obserua uero quod nõ dicit de corpore, esse illud abolẽdũ à Deo sicut uentrẽ. Corpus enim manebit, ille uero uentris usus qui huius est uitæ, abolebitur.

ABOLEBIT.] Hoc non ita intelligẽdum est, ut putemus membrũ hoc prorsus è corporibus nostris in die resurrectionis tollendum. Gręcè est, καταργήσει. i. ociosa reddet. Substantiã membri huius non exterminabit de corporib⁹ nostris, sed eo ministerio corruptionis quo nunc distinetur, per gloriã incorruptionis & immortalitatis futuræ liberabit quemadmodũ & reliquas creaturas omnes, qua de re uidere est in Ro. cap.8. Nec est uti dicat quisquã quæ ergo erit illi⁹ necessitas, si hoc ministerio liberabitur? An habebimus mẽbra, quorũ nullus erit usus? Ipsum πλήρωμα corporũ nostrorũ, & ipsum decus, exiget, ut nullũ membrorũ pereat, cum ne capillus quidẽ de capitibus nostris sit teste domino periturus. Nec manuum nec pedũ, nec dentiũ is certe, quẽ nunc habemus, tunc erit usus, nec tamẽ putandũ est corpora nostra istis exptia instar trũcorũ futura.

CORPVS aũt non scortationi.] Scortatio igiť hoc peccati habet, quod dispositioni diuinæ repugnat. Cuiusq; instrumenti peccatũ est abusus. Abusus corporis est scortatio. Ergo scortatio peccatũ est corporis, & malæ uoluntatis corpore abutentis. Sententia ista reluctať opinioni hominũ carnaliũ, qui non consyderata diuina dispositione, naturales corporis act⁹ esse iudicãt, quibus affectuũ libidini seruitur, cum reuera non sit naturale, quicquid naturę, ut est à Deo condita, repugnat. Edere quidem naturale est, si legitime ad corporis sustẽtationem edatur, si uero pro gulę intẽperantia, iam naturale nõ est. Ita & mulieri cõmisceri uirũ, naturale est, si id iuxta ordinationẽ diuinã legitime fiat, si secus, nõ itẽ. Quare? Quia ut hic Apost. dicit: Corpus scortatiõi deputatũ nõ est.

Scortatio peccatum est corporis.

Non est naturale qď natura, ut est à Deo condita repugnat.

SED dño,& dñs corpori.] Quæ sit corporis & dñi coniunctio, infrà statim declarabit.

DEVS aũt & dñm suscitauit.] Hoc opponit ei qď de uentre & escis dixit, uidelicet, Deus aũt & hunc & illas destruet. Poterãt enim dicere: Atqui tota nostra corpora nõ modo uentres abolebunť. Occurrit, dicẽs: Morienť quidẽ, uerum excitabunť à Deo. Cõmendat autẽ corporũ nostrorum dignitatẽ, primũ à coniunctione Christi, quod argumentũ iam cõsequẽter tractabit. Deinde à perẽnitate & futura resurre-

surrectionis gloria, cũ dicit: Deus aũt & dñm suscitauit, & nos suscitabit, etc. Vt igitũ à studio gulæ auocat argumẽta à ueneris & escarũ uilitate & corruptione sumpta, ita à scortatione p corporũ nostrorũ dignitatẽ & futurã gloriam auocamur. Quod autem futurã corporũ nostrorũ resurrectionem argumento resurrectionis Christi præteritæ confirmat, pro suo more facit, ut fidei nostrę cõsulat, simulq; admoneat corporum nostrorum resurrectionẽ ex Christi uirtute & cõmunione constare, unde & Christus dixit: Ego sum resurrectio & uita. Hac de re uide Rom. 8. At infrà illam cap. 15. fusius ex proposito tractabit.

PER potentiã suam.] Vnica dictione omniũ incredulorũ ora obstruit, nisi per summã impudentiam omniũ oculis ac mentibus occurrentẽ Dei omnipotentiã negare uelint. Solet resurrectionis articulo potentiã Dei adiungere, ut Rom. 1. & Eph. 1. ubi magnitudinẽ potentiæ Dei in resurrectione Christi declaratã esse scribit. Vt ergo futuræ resurrectionis fidẽ nobis faciat, recte hæc duo coniungit, resurrectionem scilicet Christi, & potentiam Dei.

1 An nescitis, quod corpora uestra mẽbra sunt Christi? Num igitur tollens mẽbra Christi, faciã scorti membra? Absit. An nescitis quod qui adglutinatur scorto, unũ corpus est? Redigentur enim, inquit, duo in carnẽ unã. At qui adglutinatur domino, unus spiritus est. Fugite for-
2 nicationẽ. Omne peccatũ, quodcũq; fecerit homo, extra corpus est, sed qui scor-
3 tatur, in propriũ corpus peccat. An nescitis q corpus uestrũ templũ est habitantis in uobis spiritussancti quẽ habetis
4 à Deo. Et nõ estis uestri iuris. Nã empti estis pcio: glorificate igit Deũ in corpore uestro, & in spiritu uestro q̃ sunt Dei.

Versat Apostolus diligẽter in ijs argumẽtis quibus scortationis peccatũ & immundiciã Corinthijs adimere queat, ut appareat illos isti uicio uehemẽter obnoxios fuisse. In superioribus, tribus argumẽtis corpora nostra cõcer-
1 nẽtibus usus est, utpote q, ad scortandum nõ
2 sunt diuinitus deputata. Deinde q, cõsecrata sunt dño, ac cõiunctionis illius dignitate co-
3 honestata. Tertio, q, olim sunt excitanda per potentiã Dei, qua Christus excitatus est. Pręsenti uero loco primũ argumentũ illud cõiunctiõis Christi, qd supra breuiter attigit, decla-
1 rat & amplificat. Deinde alia tria adiũgit. Primũ, à singulari quadã scortationis cõditione,
2 quã id peccati propriam habet. Secundũ ab ea dignitate, qua corpora nostra templa sunt spi-
3 ritus sancti. Tertiũ à iure redemptionis, quod in nos habet qui nos redemit.

AN nescitis.] Etiã hic, quẽadmodũ & in superiori causa, crebris interrogationibus instando & urgẽdo, uehemẽs est, & simul ostendit, q̃ Corinthiorũ incogitantiam satis admirari ne- A queat quomodo ignorare queat, qua sint dignitate prędita in Christo ipsorũ corpora, q̃ ex scortatione mẽbra Christi fiãt mẽbra scorti, q̃ sit peccati huius peculiaris cõditio, quomodo sint corpora ipsorũ templũ spiritussancti, &c. unde facile possent colligere, q̃ sit hoc peccatũ detestandũ ac fugiendum homini Christiano. Hoc est qd illud οὐκ οἴδατε, an ignoratis, tertio repetit, quẽadmodũ & suprà hoc ipso cap. fecit.

QVOD corpora uestra mẽbra sunt Christi.] Qd suprà dixit, corpus nõ scortatiõi, sed dño, & dñs corpori, hic declarat. Ea est inter dñm & corpora nostra cõiunctio, q̃ est inter caput & mẽbra. Tota Christi ecclesia, corpus Christi est, qd habet capitis loco. In hoc corpore mẽbrũ est quisq; Christianus. Hæc p similitudinẽ dicunt, de qua nõnulla habebimus infrà ca. 12. Non est aũt frustra, qd nõ dicit: An nescitis, q, mẽbra Christi estis, id qd generalius erat, sed, q, corpora uestra mẽbra sũt Christi. Nõ hoc ideo dicit, q, ab hac dignitate animas credentiũ excludat, quasi sola corpora nostra sint membra Christi, sed q, ita quadrabat proposito. Luctat enim cõtra peccatũ scortationis, quo potissimũ corpora polluunt. Ideo quę illorũ sit dignitas, in mediũ adducit, ut detestãdã reddat scortationem, per quam illa conspurcantur, & quã in Christo dignitatem acceperunt, amittunt.

Corpora uestra.

NVM igit tollẽs mẽbra Christi, faciã scorti mẽbra?] Iam quantã temeritatẽ, absurditatẽ, & q̃ irreligiosam improbitatẽ habeat in se scor- B tatio, ex eo qd dixit, corpora nostra esse membra Christi, ob oculos ponit. Nõ dicit: Nũ tollẽs corpus meũ faciã illud membrũ scorti, sed, Nũ tollẽs mẽbra Christi, faciã illa mẽbra scorti? Quod enim corpus uiri scorto copulat, non uidet tantũ habere peccati, in oculis hominũ carnaliũ. Ideo causam hãc aliquãto exactius et religiosius expendẽs, id de corporibus nostris adducit, qd nõ ex natura sunt, sed ex gratia & dignitate cõiunctionis Christi, cũ dicit: nũ igit tollens mẽbra Christi, faciã scorti mẽbra? Deinde nõ dicit, coniungã illa scorto, sed id ponit qd scortatio in cõiunctione scorti facit. Facit aũt illa, ut scortator cũ scorto unũ fiat corpus. Hoc est qd dicit, faciã illa scorti mẽbra? Quantũ igit discriminis est inter Christũ & scortũ, inter illius puritatẽ & huius immundiciã, tantũ utiq; temeritatis & absurditatis habet scortatio, quę ex mẽbris Christi facit mẽbra scorti, qua pphanatione qd potest geri detestabilius?

Illud, Tollẽs, ita exponit à Hiero. ut indicet ea corpora quæ scorti mẽbra fiũt, sublata esse & abscisa è corpore Christi. Tollit, inquit, mẽbra Christi, id est, abscindit se à corpore Christi, qui iunctus est meretrici. Idẽ ponit & Ambro. cũ dicit: Ait, quia meretrici adhærẽtia mẽbra desinunt esse mẽbra Christi. Certe nõ potest fieri ut membrũ scorti sit membrũ Christi. Quæ enim esset coniunctio Christi & scorti? Duo sunt diuersissima corpora Christi & scorti. Impossibile est igitur ut quis simul utriusque possit esse membrum.

Duo itaq; dat scortationi mala, quorum illa gra-

la gratia uehementer sit fugienda.

1 Vnum est, quod gratiam Christi & dignitatem corporum nostrorum, qua membra Christi sunt, perdit, & è corpore Christi abscindit.

2 Alterum, quod ex membris Christi, facit mēbra scorti. Multū est per scortationē abscindi è corpore Christi. Quàm uero absurdū est, cōiunctionē & incorporationē Christi cōmutari coniunctione & incorporatione uilissimi & impurissimi scorti? Quàm insana est ista cōmutatio? Quod si ad parē aliquā dignitatē esset è corpore Christi trāsitus, haberet forsan talis permutatio nōnihil rationis. Iam à Christo abalienatū incorporari scorto, quis nō uidet, quātæ sit impudentię, quantus Christi contēptus? Turpe est in se, corpus uiri nō scortationi, sed matrimonio & legitimo cōiugio deputatū, facere membrum scorti, ut istā turpitudinem homo uel sæculari sapientia & honestate prędítus, merito fugere debeat. Iam nō qualecunq; corpus, sed membrū Christi è corpore Christi auulsum, membrū scorti efficere, quantum quæso temeritatis habet? Si rem indignā cōmittit, qui cum nobili sit mulieri legitime coniunctus, turpissimo scorto conglutinatur, quid de illo sentiendum, qui corpus Christo coniunctum, membrum constituit scorti?

Et hoc notandū est, qđ nō dicit: Num tollētes mēbra Christi, facietis ex illis mēbra scorti? sed: Num tollens mēbra Christi, faciā membra scorti? Causam hāc in se transfert, & ostendit quomodo illā expendat, q̄ nunq̄ sit cōmissurus, ut rē tot modis indignā designet, ut suo illos exēplo instruat, q̄ à scortatione abhorrere debeat Christiani hominis anim⁹, quoq; loco habere tantā dignitatē corporis, qua Christo incorporati sumus, ne illā sustineat ullo pacto cōmaculare, nedum prorsus abijcere, & cū uili scorto cōmutare. Obserua & illud: Nō dicit: Faciā mēbra uxoris, sed, faciā mēbra scorti. Quia cōiugium legitimū nō diuidit quenq̄ à cōiunctione Christi, diuidit uero scortatio.

AN nescitis, quod qui adglutinatř scorto, unum corpus est? &c.] Corpus scortatoris fieri mēbrū scorti p̄ carnalē illā adglutinationē, primum pro indubitato asserit, taq; manifestum, ut mirari se ostendat, si illud ignorēt, deinde p̄ scripturę authoritatē cōfirmat. Quasi itaq; negātes per scortationē, se ex mēbris Christi facere mēbra scorti, ac secū dicētes, absit, interrogat, an ignorēt quāta sit uis scortationis, & adglutinationis uiri cum scorto. Tanta uidelicet ut per illā ex duob⁹ corporibus fiat unū. Cum ergo certum sit corpora credentium Christo, esse mēbra Christi, deinde æque certū sit, eum qui scorto adglutinatř, unum corpus esse cum scorto, quid aliud colligi potest, q̄ per scortationē membra Christi mutari in mēbra scorti?

REDIGENTVR enim, inquit, duo in carnē unā.] Probatio est, sumpta ex cap. 2. Gene. ubi scriptū est, dixisse Adamum: Hoc tandē os est ex ossibus meis, & caro de carne mea, propterea uocabitř Virago, quoniā de uiro sūpta

A est. Propterea relinquet uir patrē suum, ac matrē suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unam. Postremā hanc particulā, והיו לבשר אחד. Et erūt in carnē unā, probandi gratia adducit hoc loco Apostolus. Mirū aūt uideri potest, quomodo scortatorē & scortū unum esse corpus, per hunc locum probet, cum Adā ista nō de scortatione, sed de legitima uiri & mulieris cōiunctione dixerit. Cum tanta sit inter scortatores & legitimos coniuges diuersitas, quomodo eadem sentētia utrisq; potest cōpetere? Primū qđ ad sexū utrarūq; partium attinet, nihil est discriminis. Vtrinq; est uir & mulier, tam in scortatione q̄ in cōiugio. Deinde quod ipsam quoq; cōmixtionē & copulam carnalē cōcernit, nihil est differentiæ. Vno discrimine discernuntř, liciti & illiciti. At in isto discrimine non est sita coadunatio ista carnalis, unde unum utrinq; corpus ex uiro & muliere redditř, sed magis in carnali utriusque sexus copula & cōmixtione. Proinde tam de scortatoribus dici potest q̄ de legitimis cōiugibus, erunt duo in carnē unā. Benedictio illa Dei: Crescite & multiplicamini, & replete terrā, certe nō est nisi ad legitimos cōiuges dicta. At ipsa multiplicatio humani generis per commixtionē uiri & mulieris nō minus uim suam exerit in illis qui illegitime cōmiscentř, q̄ in ueris & ordinatis cōiugibus. Quàm ergo ista uis multiplicationis nō pendet à licito uel illicito uiri ac mulieris cōgressu, utut peccēt qui illicite cōiungūtř, sed simpliciter à carnali illorum

Gen. 1.

B cōmixtiōe, tā & ista Adæ sentētia nō astringitř ad legitimū, sed quēuis utriusq; sex⁹ cōgressū. Ita & qđ in Psal. dicitř, Vinū lętificat cor hoīs, & panis cor hominis cōfirmat, licet magna sit furis & iusti differētia, in utroq; tn̄ uerum est.

AT qui adglutinatř dn̄o, unus spiritus est.] Videlicet cum dn̄o: ut diuersimode inter se habent Christus & scortū, ita & diuersimode de illis loquitř Apostolus, id quod inepte faceret, si idē posset & scorto simul & Christo adglutinari, & unū corpus cū scorto, & unus esse spiritus cū Christo. Iā cū ista inter se discreta sint & diuersa, liquet fieri nō posse, ut q̄ scorto adhæret, pariter possit & Christo adhærere, & cū unū sit corpus cū scorto, unus esse spiritus cū Christo. Et uide quomodo utrobiq; uerbo κολλᾶσθαι adglutinādi utatř. Suprà nō dixit: Qui semel atq; iterū incidit in scortū, unū corpus est cū scorto, sed qui scorto adglutinatř. Nō enim ex uno & altero cōgressu quisq̄ mox unū corpus cū scorto redditř, sed ad eā rē opus est diutina adhæsione & tenaci adglutinatione, cuius & Adā mentionē fecit Gen. 2. cū dixit: Propterea relinquet uir patrē suum ac matrē suam. ודבק באשתו והיו לבשר אחד & adglutinabitř, uel adhærebit uxori suę, & erunt in carnem unam. Et Græci illud דבק reddiderunt προσκολληθήσεται. i. uelut adglutinatus adhęrebit.

Ita & hic non dicit: Qui Christo nomen dedit, uel, Qui ad Christum uenit, sed, Qui domino adglutinatur, unus spiritus est, ut indicet

ad

ad istam spiritus unitatem opus esse solida & constanti cohæsione, qualis est membrorum in corpore,& ramorum in arboribus, qua de re &Christus diligenter suos admonet Ioh.15. toties adhortans, ut in se maneant. Manet autem in illo, qui syncera fide & charitate nõ ficta,constanter illi adhæret.

VNVS spiritus est.] Cur non dicit, unum corpus est? ut inter utranque diuersam inter se scorti & Christi coniunctionẽ discriminet, & ostendat eam quæ cum Christo est, non esse carnalẽ,qualis est uiri cum muliere, sed spiritalem,quæ non corporum,sed spiritus cõiunctione consistat. Ideo & infrà cap.12.usurpata dictione corporis,adiungit unde ista incorporatio oriatur & subsistat,cum dicit: Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, ut ostendat istam coniunctionem esse non corporalem,sed spiritalem.

Rursus,cur nõ dicit, unum spiritum habet cum Christo,sed unus spiritus est? AnChristus spiritus est, & qui illi adhæret, spiritus est, & nõ caro? De Christo certe legimus etiam post resurrectionem quod dixerit:Palpate &uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. De Christianis,quod carnem & ossa habeant, nemo dubitat. Quid est ergo quod dicit: Qui domino adglutinatur, unus spiritus est?

Lucæ 24.

Non hic expendit quid naturaliter & corporaliter fit qui Christo adglutinat̃, sed quid fit per gratiam & operationem spiritus. Quod natum est ex carne, inquit Christus Ioh.3.caro est,&quod natum est ex spiritu,spiritus est, hoc est,spiritale est.

Nec hic negatur uera Christi humanitas, qua sibi naturam nostram uerbum Dei coniunxit,de qua loquitur hic ipse Apostolus Ephes.5.cum dicit: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, sed quod in hac Christi coniunctione primarium est,exprimitur. Non enim facile diceret Apostolus:Qui carnem Christi non habet, hic non est eius:dicit autem:Qui spiritum Christi non habet,hic non est eius.

Rom.8.

Augustinus de Trinit. lib.6.cap.3. rationem reddit,quare non dicat Apostolus, qui adhæret meretrici,unum sunt, & qui adhæret domino,unus est,uel,unum sunt: sed,qui adhæret meretrici,unum corpus est,& qui adhæret domino,unus spiritus est. Cum, inquit,sic dicitur unum,ut nõ addatur, quid unum,& plura unum dicantur,eadem natura atque essentia non dissidens nec dissentiens significatur. Cum uero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum,quamuis natura diuersis, sicut anima & corpus nõ sunt utique unum. Quid enim tam diuersum, nisi addatur aut subintelligatur quid unum?id est unus homo, aut unum animal. Inde Apostolus:Qui adhæret meretrici, inquit,unũ corpus est,nõ dixit,unum sunt, aut unum est, sed addidit corpus, tanquam ex duobus diuersis masculino & fœminino sexu unum corpus adiunctione compositum. Et qui adhæret domino, inquit, unus spiritus est,non dixit: Qui adhæret domino,unus est,aut unum sunt,sed addidit, spiritus. Diuersum enim est natura spiritus hominis & spiritus Dei, sed inhærendo fit unus spiritus ex diuersis duobus, &c. Hæc ille. Sane sic habet, licet unus simus cum Deo spiritus,haud tamen sic unũ cum illo dici possumus, sicut pater & filius unum existunt.

Et epistola 174.colligit ex præsenti loco ad hunc modum: Si de carne diuersi sexus dictũ est: Qui adhæret meretrici, unum corpus est, & de spiritu hominis,qui non est quod dominus,consequẽter scriptum est: Qui autem adhæret domino,unus spiritus est, quanto magis Deus pater in filio, & Deus filius in patre, & Deus spiritus patris & filij unus Deus est, ubi nulla est diuersa natura cum pro diuersis modo quodam sibi cohærentibus dicatur uel spiritus unus uel corpus unum? Et cum pro anima & corpore sibi cohærentibus dicatur unus homo,cur non multo maximè pro patre & filio sibi cohærentibus dicatur unus Deus, cum sibimet inseparabiliter cohæreant, quomodo non cohærẽt corpus & anima? Et cum corpus & anima sit unus homo,quamuis corpus & anima non sint unũ, cur non multo magis sit pater & filius unus Deus, cum pater & filius unum sint, secundum illam ueritatis uocem:Ego & pater unum sumus. Hæc ibi.

Et in epistola 177.idem hoc argumentũ rursus Pascentio obijcit dicens: Tu autem digneris breuiter respondere, quomodo accipias quod ait Apostolus: Qui adhæret meretrici, unum corpus est, qui autem adhæret domino,unus spiritus est. Diuersi enim sexus corpora sibi adhærentia, unum corpus dixit. Et cum spiritus humanus nullo modo possit dicere:Ego & dominus unum sumus,tamẽ cum adhæret domino,unus spiritus est,quanto magis ille qui uerissime dixit:Ego et pater unum sumus,quia inseparabiliter patri cohæret,ipse & pater unus Deus est? Hæc ibi.

Fugite scortationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.

FVGITE scortationem.] πορνείαν admiscet qua nõ solum id agit,ne posthac amplius scortentur Corinthij,sed ut detestentur id peccati,& uelut summam immundiciam fugiant. Non dicit,Ne scortemini, id quod & multi alijs de causis non faciunt, plerique ob id quod pro uoto compotes illius euadere nõ possint, aut quod periculum uel diffamiam metuant, quibus competit illud:

Non audent peccare mali formidine pœnę.

Sed fugite, id est,abhorrete ab ista immundicia. Neque enim, meo iudicio, corporalem tantum fugam,sed eam potius quæ animi est horror &

ror & criminis detestatio, præcipit, quæ locum habet: Vbi oderunt peccare boni uirtutis amore.

Theophylactus putat notari ab Apostolo libidinis uiciū in eo quod carni nostræ insidietur,& nos indesinenter insectetur, cum dicit, fugite scortationem, quasi dicat: Insectatricē illam pestem studiose fugite,ne uos appræhēdat & perdat. Certe tot instructa illecebris est ista libido, ut magna opus sit cautione, ne per illā inescemur & illaqueemur,ut non immerito uelut impudēs aliquod scortum & insidiosum passim adolescētiū oculis obuium,quàm diligentissime sit fugiendum. Vnde nemo miretur,cur hoc peccatum passim obtineat,postea quam paucissimi sunt,qui non etiam sponte in ulnas illius sese conijciant,cum ęgre euadāt,q̄ summa cautione insidias illius declināt.

OMNE peccatum,&c.] Grauare uult & detestabile reddere scortationis peccatū. Videbat enim illud propter diuturnam & impunitam consuetudinem ac licentiam,uel pro nullo,uel certe pro leui ac ueniali peccato reputari. Quoniam uero non potest ex gradibus peccatorū argumentum sumere, quasi maius hoc peccatum sit reliquis, cum sint pleraq; peiora, saltem ex illius dissimilitudine, qua singulari quadam cōditione à reliquis omnibus differt, argumētatur. Odiosum enim est merito,quicquid peculiarem quandam habet maliciam. Nam quodcunq; malum, communem cum alijs omnibus maliciam habet,hactenus nonnihil meretur ueniæ, quatenus communi & generali malicia, noxium est. Quod uero singulariter ac peculiariter malū est,singulari quoq; ac peculiari odio dignū est. Hoc scilicet in scortatione spectat Apostolus,inducens peculiare quoddam illius malum,in quo cum nullo alio quocunq; peccato communicet. Nō quod hoc solum peccatum tale sit,cum & pleraq; alia, si non omnia,si diligenter examines, aliquod in se peculiare malum habeāt, ut exempli gratia, Auaritia hoc peculiariter habet,quod per ętatem iam non decrescit, ut auctior etiam reddatur in senibus, cum reliqua peccata uel morbo,uel casu aliquo, uel tempore deficiāt & extinguantur, uel saltem languescant, sed quod scortatio peculiari malo corpori scortatoris sit noxia, qua in re cum nullo alio peccato communicat.

Complectitur autem dissimilitudinem hāc scortatiōis,qua à reliquis peccatis differt,duobus ueluti mēbris. Primum, dat omnibus peccatis,quæcunq; fecerit homo,quod extra corpus, proprium scilicet peccent. Deinde scortationi adscribit, quod illa sola in corpus proprium peccet. Hic opus est cognoscere, quid sit in corpus proprium peccare, & quid extra, ut dissimilitudinem istam intelligamus. Dicam quid mihi uideatur. In corpus proprium peccare, est illi iniuriā inferre, sanctimoniamque illius polluere. Honos enim corporis nostri est illius puritas & sanctimonia. Illa pol-

In corpus proprium peccare.

A luitur peccando, ubi actus scilicet peccati in ipsum corpus trāsit. Peccatum ergo extra corpus est, cuius actus non ipsum delinquentis corpus polluit, sed in ea q̄ foris sunt extenditur. Licet enim membrorum abusu peccemus furando, rapiendo, fallendo, falsum testimonium dicendo, occidendo, &c. Ipse tamen actus peccati, non totius corporis est,sed quorundam duntaxat mēbrorum, & in rebus extrarijs absoluitur,& alijs infert iniuriam. Peccatum uero in proprium corpus est, quo sanctimonia & honos illius actu aliquo immundo polluitur. Tale est autem scortatio. Ergo scortatio in hoc à reliquis peccatis differt, q̄, cum illa extra corpus,ista in proprium corpus peccet. Et huc puto respicere Apostolum, 1. Thessal. 4. ubi dicit: Hæc est enim uoluntas Dei sanctificatio uestra,ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrum uas suum possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes quę non nouerunt Deum. Videmus hic abstinere à scortatione, esse uas suum possidere, cum sanctificatione & honore. Loquitur autem de corporis uasculo. Ergo qui scortatur uasculi,id est,corporis sui honorē & sanctificationem polluit.

Chrysostomus & Theophilactus, istam corporum impurationem, quæ per scortationem est, adeo putāt esse notam omnibus, ut moris sit ab actu uenereo, tanquam purgandorum B corporum gratia, balnea petere, quod post nullum aliud peccatum solebat fieri. Verum illi non cogitarunt Apostolum, non de eiusmodi corporali impuritate loqui, quæ per aquam ablui potest, nisi & coniuges legitimi in sua ipsarum corpora peccent, qui & ipsi consimiliter balneis utuntur.

Quidam hunc locum exponunt de corpore mystico, quod est Christi & ecclesiæ, per allusionem coniugij. Sed Ambrosius istam sententiam, quam Nouatiano adscribit, constanter refellit, eo quod malus Christianus nequeat corpus Christi scortando polluere, cum illud non sit unus & alter Christianus, sed omnes Christiani, cuius singuli sint membra, adeoque tam non possit corpus Christi polluere, quàm nequit omnes Christianos peccato suo contaminare.

Deinde res magnæ disputationis est, quomodo reliqua peccata omnia quæ à Christiano fiunt, dicantur fieri extra corpus Christi mysticum, ut sola scortatio in illud peccet.

Grauat ergo Apostolus scortationis peccatum magna inuidia, quod præter omnium aliorum peccatorum cōditionem, ipsum solum peccet in propriū cuiusq; scortatoris corpus.

1 Finge tale quoddam esse peccatum domesticum, quod peculiari malicia ipsam domum commaculet, cum reliqua exteros tantum lędāt. Nōnne uidebitur illud singulari quodam odio dignum esse?

2 Aut finge ciuem quēdam esse, qui singulari

quadam malicia, cum reliqui exteros tantum negocijs suis grauent, conciuibus uero parcat, rapina, fraude & usura conciues spoliet, an nō omnium ille communi & publico odio merito obnoxius esset?

5 Omne belli genus malum est & fugiendum bono uiro. Omnibus autem detestabilius est, quod ipsum ciuium corpus, cum sit intestinum, perdit.

Ista non in hoc tendunt, ut putādum sit maius esse peccatum quod peccantem lædit, minus uero, quod alijs iniuriam infert, absit, sed quod communi sensu magis abhorreamus ea quibus nosipsos quàm quibus alios lędimus. Hactenus isto argumento utitur Apostolus, ut uel ista ratione, si superiora argumenta parum scortatores mouent, detestandam reddat scortationem.

Tale est etiam, quod istud peccatū non unā tantū personā, sed duas inuoluit. Nequit enim à solo aliquo admitti, cum reliqua aut non inuoluāt extra delinquentē alios aut non necessario inuoluant. Qui furatur, non perdit furto suo eū cuius bona furatur. Qui inuidus est sibi soli peccat. Qui mentitur, item & sic de singulis. Sola scortatio delicti sociū exigit, ut & hoc nomine sit detestanda.

An nescitis, quod corpus uestrum tēplum est spiritussancti, qui in uobis est, quem habetis à Deo?

Iterum à dignitate corporum nostrorum arguit, deinde & à maiestate & sanctimonia spiritussancti. Dignitas corporum nostrorum est, quod illa templum sunt spiritussancti inhabitantis in nobis. Iam ea debetur maiestati illius reuerentia, ut nullo pacto uioletur ac prophanetur templi illius sanctitas. Quod si enorme peccat, qui templum Dei sanctum, lapidibus structum, immundicia sua polluit, quomodo leue peccatū putatur, quo sancti spiritus templum, quod nō hominū sed Dei manibus structum est, conspurcat, id quod scortationis immundicia facit, dum corpora credentium impurat. Et huc facit quod non habitaculi, sed tēpli dictione usus est, ut admoneat eam deberi corporibus nostris sanctimoniam quæ debetur templo Dei. Et ideo non adiungit quàm scortationis impuritas templo Dei non conueniat, permittens illud ipsorum consyderationi. Quis enim ignorat, siue spiritussancti naturam & puritatē, siue templo Dei debitam reuerentiam expendat, quàm indignū sit & inconueniens templo spiritussancti peccatū hoc scortationis?

Vide suprà cap. 3.

QVOMODO CORPORA NOstra templum sint spiritussancti.

Sed quæritur hoc loco, quomodo corpora nostra crassa & corruptibilia templum esse possint spiritussancti. Suprà cap. 3. dixit: An nescitis quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Hic dicit: An nescitis quod

A corpus uestrum templum est spiritussancti? An spiritus Dei habitat in corporibus nostris? Nunquid cōuenientius corda nostra spiritussancti habitationi asignarentur? Ita plane puto. Ergo loquutio ista metaphorica est, ad similitudinem templi lapidei, quod habitationi Dei asignatur, propter sacrarium & sedem propiciationis in templo, eo quod ibi Deus peculiariter gratiæ suæ dispensationem pollicitus est, cum alioqui nec cœlo nec terra capiatur. Ita uidelicet & corpora nostra templū sunt spiritussancti, propter cordium uestrorum sanctificationem, quæ per spiritum Dei est, ut sacrarij locū obtineant, propterea quod in illis dona illa & uirtutes spiritussancti peculiariter efficaciam suam exercent. Quis enim adeo absurdus est, ut putet spiritū Dei incompræhensibilem siue cordibus, siue corporibus nostris includi cum sit infinitus?

Esa. 66.

AVGVSTINVS.

Colligit ex hoc loco Augustinus in libro cōtra sermonem Arianorum cap. 20. argumentum diuinitatis spiritussancti contra Arianos qui illam negantes, minorem filio spiritum sanctum esse dicebant, id quod & Ambrosius alicubi facit. Medium autem argumenti huius est, quod templum nulli competit creaturæ, sed uni Deo. Hic uero tribuitur spiritui sancto templū. Ergo cōuincitur esse Deus. Quod B si de Salomone, inquit Augustinus, legeretur in scripturis, quod spiritui sancto tēplum iussu Dei struxisset, Deum esse spiritū sanctū nō dubitarent, & eum Deum esse negare audent, qui templum habet non ex lignis & lapidibus sed ex membris Christi.

Notandum est & hoc, quod non dicit: An nescitis quod templum spiritussancti fieri potestis, quem accepturi estis à Deo, si corpora uestra munda custodieritis, ut alliciat eos spe acquirendi spiritus Dei, sed, An nescitis quod corpora uestra templum sunt spiritussancti, qui in uobis est, quem accepistis à Deo? Admonet igitur eos acceptæ gratiæ, ad hoc, ut uideant ne illam per scortationis immundiciem amittant. Libenter hoc argumento utitur Apostolus, ubi ad uitæ sanctimoniam hortatur, unde credentes uocat sanctos, dilectos, ablutos, iustificatos, corpus & membra Christi, templum Dei & spiritussancti. Erat enim manifestis argumentis ac signis uirtus & operatio spiritussancti in credentibus declarata, ut illam negare nequiuerint, unde omnium sane fortisimo argumento ex illa sumpto, cōtra scortationis & omnis generis impuritatem pugnat.

Et non estis uestri. Nam empti estis precio.

Et Hieronymus & Ambrosius, Chrysostomus item & Theophylactus istam particulam à præcedenti diuulsam legunt & exponunt.

Nam

Nam separatum habet argumentum, à iure redemptionis sumptum, quod in nos habet dominus. Qui pecunia coëmptus est sui iuris nõ est, sed eius à quo precio comparatus est. Non habet ergo proprij corporis arbitriũ, nisi quãtum permittit heri, cuius seruus est, uoluntas, contra quam in corpus proprium nihil habet potestatis. Cum ergo precio sanguinis Christi empti sumus, nõ licet nobis permittere corporibus nostris, quicquid uoluntati domini nostri repugnat. Repugnat autẽ scortationis immundicia. Ergo, &c.

1. Petr. 1. Precij huius amplificationẽ ponit Apostolus Petrus, epist. 1. cap. 1. Scientes, inquit, quod non corruptibilibus, auro uel argento, redempti estis de uana uestra conuersatione paternę traditiõis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi, &c.

Igitur duplici nomine iniustum est & indignum facinus, si Christianus sanguine Christi redemptus corpus suum scortando polluat.

1 Primum quod in alienam rem potestatem sibi sumit, contra ius & uoluntatẽ domini sui.

2 Deinde quod ad pristinam immundiciam recurrit, ad uituperium tam inęstimabilis precij, cum ab illa sit redemptus & liberatus.

Simile. Quemadmodum si puellam quandam è domo & immundicia meretricia dato certo precio ob id redimas, ut ab ea miseria liberata tibi sit honesto cõiugio coniuncta: Illa uero tãtæ oblita gratiæ, ad pristinam sese spurcitiam denuo recipiat, iniuria primum in potestatem tuam quam precio in illam acquisieras, deinde & in acceptam gratiam, qua fuerat à tanta immundicia liberata. Tale prorsus est, quod Christiani flagitiosi & scortatores admittunt.

Glorificate igitur Deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt Dei.

Illatio est ex præcedenti propositione, qua enthymema construit, quod ad perfectum argumentum duci potest, si addatur maior propositio quæ desyderatur, utpote ad hunc modum. Quicquid Dei est, ad gloriam Dei facere debet. Corpora uestra & spiritus uestri Dei sunt. Minorem hanc probauit ratione redemptionis, cum dixit: Empti enim estis precio. Ergo corpora uestra & spiritus uestri, ad gloriam Dei facere debent. Iam ad gloriam Dei non facit immundicia scortationis, per quam cum in ius Dei quod in uos habet, tum in gratiam illius iniurij estis. Igitur ut Deum glorificetis in corpore uestro & in spiritu uestro, quę Dei sunt, fugite scortationem.

ET in spiritu uestro.] Hanc particulam ob id adijcit, ut ostendat non corpus solum, sed & ipsum spiritum per scortationis impuritatem pollui, concupiscentijs uidelicet impuris. Alij id rationis assignant, quod puritas corporis sine ea quæ spiritus est, Deo nõ admodum placeat, atque ideo non solum corpore, sed & animo fugienda sit scortatio. Tale est illud

A Matthæi 5. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, &c.

CAPVT VII.

IAm commodum Apostolus post repræhensam scortationis immundiciam, coniugij causam subijcit, tanquam sanctorum hominum opinione uicinam, ne illam putetur unà cum scortatione damnasse, aut certe, ne nõ intellecta illa lapsus paretur ad scortationem. Apparet autem fuisse Corinthijs nonnihil contentionis de coniugio, ita ut quidam illo putauerint Christianæ religionis gratia abstinendum, quidam etiam coniuges iam sese propter religionem, maxime in impari coniugio cõstituti, separauerint, & hisce de rebus Apostolo scriptum esse per bonos & pios, unde & ait: De quibus autem scripsistis mihi, &c.

Agit itaq; hoc capite primum de coniugio, deinde de ἀγαμίᾳ, tertio, de uirginitate, idq; omnia ita dilucide ac distincte, tantaq; cautione, ne cui laqueum ponat, ut mirum sit ueteres quosdam, alioqui doctos uiros, capitis huius lucem non uidisse. Verum impleri oportuit Apostoli prophetiam, qua ille futurum prædixit, ut exurgat doctrina dæmoniorum, qua nuptiæ prohibeantur, uide 1. Tim. 4.

Principio autem de coniugio docet, quod Christianis coniugibus esse liceat. 1

B *Deinde, quod quisq; coniugum compari suo debitum coniugij reddere debeat.* 2

Tertio, quod non debeant separari coniuges. 3

Quarto adijcitur consilium de coniugibus, quod ad religionem attinet, inter se diuersis. 4



DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini uxorem non attingere, attamen propter stupra uitãda suã quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum habeat.

Quid Corinthij Paulo de causa coniugij scripserint non liquet penitus.

Chrysostomus arbitratur quod percontati sint an coniugium Christianis liceat, uel non liceat, uel, ut ipsa uerba illius asignem, ἀλλὰ ἀπέχεσθαι γυναικὸς ἢ μή, id est, an abstinendum sit à muliere uel non.

Quidam uero illud, Bonum est homini uxorem non attingere, intelligunt hoc ipsum esse, quod Corinthij scripserunt, ut sit ista lectionis series. De quibus autem scripsistis mihi, uidelicet, Bonum esse homini, ut ab uxore abstineat, assentior quidem, uerumtamen propter stupra uitanda curandum est, ut quisque suam uxorem habeat & suum quæque uirum. Et isti lectioni uidetur fauere, quod Græca habent καλὸν ἀνθρώπῳ, ut addi possit tam infinitiuus

finitiuus ἆναι, quàm indicatiuus ἐστὶν, & legi, Bonum esse homini, æque atque bonum est homini.

Quidam autem legunt hãc particulam tanquam quæ non sit Corinthiorum, sed ipsius Pauli.

Credibile est autem Apostolo non solum de coniugibus, sed & de nuptis ac uiduis, item de imparibus coniugibus dirimendis, adhæc & de uirginibus, scriptum esse. Quid enim uetat ex ipso illius responso colligere, quid percontati sint Corinthij?

BONVM est.] De eo bono non loquitur, cuius oppositum est uicium & tale malum quod iniusticiam coniunctam habeat. Si enim id uellet, non diceret hoc ipso capite, Quod si duxeris uxorem nõ peccasti, etsi nupserit uirgo non peccauit. Proinde hoc bonum nihil aliud est quàm commodum & profuturũ, cuius oppositum est malũ quidem, sed quomodo dies mali, id est molesti dicuntur. Infrà declarabit seipsum, quomodo dicat bonum esse homini, ut uxorem non attingat.

Hieron. Quod si collectio Hieronymi aduersus Iouinianum hoc sensu posita est, firma persistit, si uero colligit coniugium esse ita malum ut sit illicitum, damnabilis expositio est.

ATTAMEN propter stupra uitanda.] Quanquam propter præsentem necessitatem commodum esset abstinere à coniugio, non tamen hoc suadet, propter incontinentiam Corinthiorum, quos sciebat esset ad scortationẽ procliues, ne daretur illis stuprorum occasio. Aliàs, quomodo conuenisset adimere illis coniugium, quos iam tanto serio scortationis causa repræhenderat?

Et uide quomodo non dicat, attamen propter stupra uitanda, bonum est, ut quisque uxorem suam habeat, & quæque uirum suum, nec dicat, consulo, ut quisque suam habeat, ne polluatur ex aliena, sed ἐχέτω, habeat, idque non semel, sed iterum, id quod imperantis etiam est. Non quod simpliciter imperet quibusuis coniugium quasi illicita sit ἀγαμία, sed quod sciat Corinthiorum incontinentiam illiq; uelit omnem adimere occasionem scortandi. Ita & 1. Timo. 5. ubi cognouit iuniores uiduas in Christo lasciuire, adeoque aduersario occasionem maledicendi dare, non dixit: Bonum est, & consulo, ut iuniores nubant, sed, uolo igitur iuniores nubere, quod certe est non iã consulentis tantum, sed magis præcipientis.

Quod si tempore Apostoli, ut fortiter colligit Erasmus, ubi pauci erant Christiani, & paucissimi Christi ministri, deinde persequutionis gratia malum erat nubere, propter stupra uitanda præcipit Apostolus, ut quisque suam, & quæque suum habeat, quanto magis ubi nunc tanta est credentium multitudo, tanta ociosorum pinguium ac libidinosorum sacerdotum copia, tantaque pacis publicæ tranquillitas, curandum erat, ut omnis scortandi tolleretur occasio, maxime cum uideamus iam olim omnis generis immundiciam passim apud eos qui cœlibatum profitentur cum irrecuperabili Christianæ honestatis detrimento, obtinere & regnare.

SVAM quisq; uxorem, &c.] Non dicit mulierem quisque habeat. Nam & inter scortatores reperias, qui mulierem penes se habeat, concubinam, qua sit contentus, cui & thori fidem seruet, è qua etiam liberos suscipiat, id quod de se scribit Augustinus in confessionibus libro 4. cap. 2. qui & filium habuit ex concubina Adeodatum confess. libro 6. cap. 15. Talis tamen copula illegitima est, quod & Augustinus fatetur. Coniugium uero docetur ab Apostolo, cum dicit, unusquisque suam habeat, & unaquæque suum. Quæ extra connubium legitimum uirum habet, non suum dicitur habere sed alienum. Sic Iohan. 4. Samaritanæ dicebat Christus: Bene dixisti quod uirum non habeas. Quinq; enim uiros habuisti, & quem nunc habes non est tuus. *Iohan. 4.* Liquet itaque concubinatum istum, quem pontificij sacerdotes hodie libere sectantur, nihil esse aliud quàm scortationem, cum non sit coniugium legitimum, ad quod uitandæ scortationis gratia quosuis adigit hic Apostolus iubens, ut quisque suam & quæq; suum habeat. Proinde 17. canon Toletani concilij de concubinatu, reprobus est.

Obserua

1. Vitãdam esse scortationẽ Christianis tã uiris q̃ mulieribus.
2. Matrimoniũ huc conducere tã uiris quàm mulieribus.
3. Matrimonij fidẽ esse non solum liberorum procreationẽ, sed & scortationis uitationem.

OBSER. I.

In eo quod dicit, propter uitandam scortationem, habeat quisq; uxorem suam, satis indicatur coniugium legitimum remedium adferre contra scortationem, ut possint cum uiri tum fœminæ licita copula illicitum uitare cõgressum. Et hoc uerum esse depræhenditur apud eos qui per coniugiũ nihil aliud quęrunt, quàm ut naturæ legi satisfaciant. Apud intemperationes uero, qui libidini fræna absq; ullo Dei timore laxãt secus habet. Nam illis quod licet non admodum placet, sed pane furtiuo delectãtur. Audimus subinde coniugij irrisores, homines impuros, impuritatem suam tã non tegẽtes, ut dicant, impossibile esse, ut una quis queat esse contentus. Et si quisquam sit, qui hoc possit, illum eadem facultate & in uniuersum omnibus posse carere. Hi aperto ludibrio oraculum hoc spiritussancti abijciunt, non alia ratione, quàm quod iuxta suam intemperantiam de aliorum uirorum natura & temperantia iudicant.

II.

Videmus etiam hoc loco coniugij finem non eum tantum esse, ut liberi creentur, sed & hunc,

hunc, ut uitetur scortandi occasio. Ergo plurimum errant, qui putant cõiugium legitimum nõ esse nisi inter fœcũdos, quasi in illis qui uel ætatis uel naturę defectu steriles sunt, nulla sit amplius coniugij ratio. Præscribitur hic ratio coniugij, ut uitetur scortatio. At illius peccatũ timendum est & uitandum, non solum iunioribus & fœcundis, sed & ętate prouectioribus & infœcundis. Vnde uiduã non agnoscit Apostolus quæ ali debeat in ecclesia, nisi quæ attigerit annum sexagesimum. Certum est igitur, quod & inter steriles & natu grandiores iusta sit coniugij ratio.

Et ne quis in uiris quidem senibus & grandæuis, si iuniores uxores habeant, ut de Abrahamo legitur, istam coniugij rationem concedat, propter fœcunditatis possibilitatẽ, in mulieribus autẽ neget, eo quod ex illis iam prouectioribus proles tolli nequeat, aduertẽdum est, quod ista coniugij ratio quã Apostolus hic assignat, non magis uiris competit quàm mulieribus. De utrisq; enim dicit, propter uitandam scortationem quisq; uir uxorem suam, & quæq; mulier uirum suum habeat. Tam enim mulieri quàm uiro uitanda præscribitur nõ solum scortatio, sed & scortationis occasio.

Vxori uir debitam beneuolentiã reddat, similiter autem & uxor uiro. Vxor proprij corporis ius nõ habet, sed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed uxor.

Ista coniugij legẽ ac משפט exprimunt, & illud quod dixit, quisq; suam & quæq; suum habeat, ad propositum coniugij finem applicat. Ad hoc enim, ut cõiugibus stupra uitare liceat, opus est ut alter alteri coniugi debitam beneuolentiam reddat. Vocat autem debitã beneuolentiam, obsequium illud, quo naturæ legi utrinq; seruitur. Illam, ne putetur esse libera cuiquam coniugum, uocat debitam, & non dicit præstet, sed ἀποδιδότω reddat, ut debita reddi solent.

Rem parũ uerecũdã, ut inquit Eras. uerecunde notat.

VXOR proprij corporis ius non habet.] Velut rationis uice subijcit, quare debitam uocet beneuolẽtiam hanc mutuam. Ob id uidelicet, quod neuter coniugũ proprij corporis ius habet, sed uiri uxor, & uxoris uir. Ea est lex coniugij, qua discernitur à concubinatu, in quo nec uiri corpus in potestate mulieris, nec mulieris in potestate uiri est, sed quisq; proprij corporis ius habet, ut relicto cõcubinatu possit se legitimo addicere cõiugio, nec peccat, si altera ab altero discesserit. Et hoc ipsum est, cui⁹ gratia pleriq; coniugio cõtempto liberam sectantur libidinẽ ne cogantur corporis libertatẽ amittere. Arbitrãtur enim rem esse molestam & indignã uiro, corporis proprij potestatẽ permittere mulieri, at uetita libidine polluere corpus non scortationi, sed domino destinatum, non putant rem esse indignam uiro.

Coniungit ęqua lege utrosq; & uirum & uxorem Apostolus, parem utriq; in alterius corpus potestatem, & ius assignans quod ad mutuam istam beneuolentiam attinet & naturæ legem. Alioqui quod reliquam coniugij conditionem concernit, non est ea in uirum potestas mulieri, quæ est in mulierem uiro. Nam is caput est mulieris, cui à domino dictũ est, Sub potestate uiri eris, & ipse dominabitur tibi.

Ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex cõsensu, ad tempus, ut uacetis ieiunio & precationi, & rursum in unum conueniatis, ne tentet uos Satanas, propter intemperantiam uestram.

Hinc apparet uel tum fuisse qui religionis prætextu istam debitam beneuolentiam coniugibus negarint, uel Apostolum quod temporibus posterioribus futurum erat pręuidisse, & antidotum parasse. Non dicit, ne alter alteri mutuam beneuolẽtiam deneget, sed ne fraudetis uos inuicem. Fraus enim est, quando quod debetur cõmentitio aliquo prętextu aufertur. Ita quippe uerbum ἀποστερεῖν hoc loco capitur ut respondeat ei quod dixit, uxori uir debitam beneuolentiam reddat, similiter & uxor uiro.

NISI si quid ex consensu.] Ista nec præceptum habent, nec cõsilium, sed permissionem ac dispensationẽ. Neq; enim pręcipit, nec consulit, ut precandi & ieiunandi gratia separentur coniuges, sed si id faciendum sit permittit quidem ac dispensat, iuxta uero normas præscribit, ne temere id, & immodice pariter & periculose fiat. Ideo non dicit, ad ieiunãdum & precandum separemini, sed nisi si quid tale faciendum est. Deinde addit limitationem, ex consensu, ut ostendat repugnante altero id non licere, & summe periculosum esse. Nam ut Chrysostomus ait: Maioris est æstimanda concordia, quàm ieiunia & precandi studium. Et plurimum parit perturbationum, & periculi si id tentet quisquam coniugum altero reluctante. Item, ad tempus, ne perpetuo secubitu separẽtur, sed temporario duntaxat. Adhæc, non quauis de causa, sed ad ieiunandum & precandum. Hoc est, quando forte uel propter ecclesiasticam, uel ob domesticam necessitatem seriore ac feruentiore precatione ambienda est diuina misericordia. Vnde non dicit, ut ieiunetis & precemini, sed ut uacetis ieiunio & precationi. Ita & Chrysostomus exponit. Nam alioqui, inquit, si uetaret coniunctos precari, quomodo impleretur illud, Sine intermissione orate? Non enim precationem polluit ista cohabitatio, sed seriorem impedit. Præterea, ne ista deuotio mali det ansam addit, iubendo, & rursum in unũ conueniatis, ne tẽtet uos Satanas propter intemperantiam uestram. Vide quanta solicitudine cauerit insidias Satanæ, sciens quàm essent intemperantes Corinthij, & tentationibus Satanæ facile expositi.

Abutitur hoc loco Papa Siritius contra

Papæ Siritij nugamenta.

ipsam Apostoli mentem, in decretis suis ubi de continentia sacerdotum ad hunc modum argutatur.

Præterea quod dignum & pudicum & honestum est suademus, ut Sacerdotes & Leuitę cũ uxoribus suis non coëant, quia in ministerio ministri quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios nanq; Apostolus scribens, dicit: Abstinete, ut uacetis orationi. Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quantomagis Sacerdos utiq; omni momento paratus esse debet, mundiciæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur, qui si contaminatus est carnali concupiscentia quid faciet? Excusabit? Quo pudore? Qua mente usurpabit? Qua cõscientia, quo merito exaudiri se credet? cum dictum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest iure etiam Gẽtilitas accusare. Forte licere creditur, quia scriptum est, unius uxoris uirum. Non permanentem in concupiscentia generandi, sed propter continentiam futuram, qui ait, uellẽ omnes homines sic esse, sicuti & ego. Et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt, uos autem iam nõ estis in carne, sed in spiritu.

Rom. 8.

Liquet hunc Papam & reliquos eiusdem farinę coniugio immundiciam deputasse contra authoritatem sanctarum scripturarũ, maxime Ebr. 13. deinde & patrum ac ueterum conciliorum, potissimum Niceni, & Gangrensis. Atq; ideo passim uidemus commercium connubiale, obscœnam cõiunctionem & libidinosam societatẽ ab istis impijs uocari. Verum istam impietatem indelebili nota manifestæ ac spurcissimæ immũdicię iam olim ulcisci cœpit iudicium domini.

1 Primum iniuriam facit & menti & uerbis Apostoli. Neq; enim ille imperat laicis abstinẽtiam, neq; causam istam assignat, ut possint deprecãtes exaudiri, quasi coniuges nisi separentur à Deo non exaudiantur, cum non debita coniugũ beneuolentia reddat iniustos Deo sed peccatum.

2 Deinde quod ex isto fundamẽto falso substruit æque falsum est. Videlicet quod dicit Sacerdoti non licere ministrare sacris, nisi abneget commercium uxorium. Ista sentẽtia damnata est cũ in Niceno cõcilio admonẽte Paphnutio congressum cõiugum legitimum castitatem esse non immundiciam, tum cap. 4. concilij Gangrensis, ubi damnatur, qui coniugem Sacerdotẽ discernit, tãquam propter nuptias offerre non debeat.

3 Vim facit & reliquis duob⁹ locis Apostoli ex Tit. 1. & Ro. 8. Nã de ista corporali mũdicia nõ loquit̃ Apost. sed de ea quæ mentis est, nec immundus quisquã ex cõgressu uxoris redditur, nec ita in carne sunt coniuges, ut Deo non placeant, sed qui secundũ carnis concupiscentiam uetitam & immundam uiuunt.

Sed relictis istis nugis, expendamus istam Pauli admonitionem aliquanto exactius.

I.

NE fraudetis uos inuicẽ.] Saluberrima est ista, & ad propositum Apostoli, omnium accomodissima admonitio. Debitor est consorti suo quisq; coniugum. Vir ipse licet sit caput uxoris, illiq; dominetur, nihilomin⁹ debitor illi constitutus est, idq; non rei pecuniariæ tantũ, sed proprij quoq; corporis. Non est itaq; cuiquam coniugum cogitandũ, quid sibi arrideat sed quid compari suo debeat, uidendumq; ne fraudem in cõiugali debito committat. Ista admonitio licet cõiuges hoc loco concernat, talis tamen est, quæ omnibus sit mortalibus applicãda. Quis enim est, qui nõ aliquo usq; debitor sit illis, quibus cõuiuit? Et forsan, qui minores sunt, non ita opus habent hac admonitione, ne maiores suos defraudent. Nã illi cogi possunt, ut officium pręstent: opus autem potissimũ habent, qui superiores sunt, & nec cogi possunt à minoribus, nec agnoscunt quid illis debeant, putantes esse sibi quicquid faciẽdi libertatem. Hoc quippe animo plerunque qui rerum potiuntur, erga subditos sunt, ut alios arbitrentur sibi omnia, se uero nihil cuiquam debere. Illis itaq; crebro inculcandũ est, quod capita sint, inferioribus suis ueluti mẽbris plurimũ debẽtia, ut curẽt nõ minus illis præstare quod debent, quàm exigere quod sibi ab illis debetur. Reditus annuos ac census & primitias & decimas, ut suis temporibus, tanquam debita exigant, in cautiones referunt, uerum quæ ipsi uicissim debent subditis, ne semel quidem inspiciunt.

Nec putãdũ est hac in re sitã esse Christianæ perfectiõis metã. Nõ enim satis est Christianę professioni, neminẽ defraudare, sed exigitur, ut de iure tuo cõcedas, & supra q̃ debes proximo etiã inimico inseruias. Ab ista perfectione qui proximos defraudant tã absunt, ut ne Gẽtium quidem ęquitatẽ dũ teneant, nedũ Christianorum iusticiã. Inoleuit nostris tẽporibus impudẽtissima iniquitas, ut passim inuenias, qui promptissimi sint ad hoc, ut pecunias mutuo accipiant, cum nunquam in animum induxerunt, quod fidem reddendo quod debent, liberare uelint. Quando illi quæ sua ipsorum sunt egenis impendent?

II.

NISI si quid ex consensu.] Hoc mediũ illud est, & uelut instrumẽtũ, quo debiti retinaculũ soluitur, ut iam non sit defraudatio, sicubi non præstatur quod debetur. Consensu isto fit, ut quod alterius est iure, in alterius uel usum uel dominium licite cedat. Hinc illud est, uolenti non fit iniuria.

Videndum tamen, ut consensus iste non repugnet diuinæ uoluntati. Nam non mox licebit cõiugibus status & copulæ suæ uinculum ex consensu prorsus dissoluere, ut alter ab altero in uniuersum perpetua separatione disiungatur.

gatur. Quod enim Deus coniunxit, homo, inquit Christus, non separet. Proinde nō simpliciter dicit, nisi ex consensu, sed nisi aliquid ex cōsensu, idq; ad tempus. Inuenias alioqui, qui mox utrinq; coniugij pertæsi, ut status iste molestiarum plenus est, facili consensu à se inuicē dissiliret. Imo crediderim rarissima futura cōiugia, quæ non hoc pacto dissoluerentur. Non est igitur in potestate coniugum, ut mutuā fidem inter se alter alteri relaxet. Nam id repugnat ordini Dei.

III.

VT uacetis ieiunio & precationi.] Serię precationi cōiungit ieiunium. Nota est consuetudo piorum, cum ueteris tū apostolicę ecclesię, qua cum serio esset, propter calamitatē aliquā uel præsentem uel futuram, ambienda diuina clementia ieiunij humiliationem & afflictionē precationibus coniunxerunt. Et hoc genus instituti exigit uacationē ab alijs negocijs nō solum illicitis, quibus in uniuersum ac semper renunciandum est more Niniuitarum, sed & à licitis ut hic uidemus.

Putat Erasmus uacationis dictionē ad precationem tantum referēdam esse, eo quod illa ieiunio non perinde cōpetat, propterea quod hic non ita exigatur animus à mundanis curis abstractus atq; in absoluendis precationibus. Verum meo iudicio non sunt separanda hoc loco, ieiuniū & precatio, ut non minus ieiunio isti quàm precationi cōpetat animus liber & ab alijs negocijs absolutus. Institutum hoc ieiunandi simul & precādi in desuetudinē abijt magno ecclesiæ malo. Obserua uero, nō minus esse cōiugibus quàm continentibus accessum ad ecclesiastica ieiunia & serias preces, at scortatoribus non item.

IIII.

ET rursum in unum cōueniatis.] Bona res ieiuniū, bona precandi sedulitas. At est modus in rebus, etiam bonis, ac talibus, quarum gratia res aliquando licitæ & honestæ seponēdæ sunt. Notum est illud: Sunt certi deniq; fines. Item, ne quid nimis. Istum modum si obseruassent in ecclesia episcopi, minus loci fuisset insidijs Satanæ & minus scandalorū. Regressus aūt iste à ieiunio etiā ad hoc utilis est, ut pateā ad ista reditus, qui occluderetur si lapsus fieret ad stupra. Sicut per ocium, quietē & refectionē corporis, ad labores qui intercludūtur, per irremissum laborē uires corporis eneruātem.

V.

NE tentet uos Satanas.] Vide quid ieiunātibus, precantibus, & licitis abstinentibus metuat. Ne tentet, inquit, uos Satanas. Nisi periculum esset etiam ieiunantibus & precātibus à tētationibus Satanæ, nihil huius admonuisset. Imo hic potissimum timēdæ sunt Satanæ insidiæ, ubi à licitis seceditur, idq; immoderate, ut ad illicita fiat lapsus. Rem hanc ipsa luce clariorem reddidit experientia. Igitur securiores sunt ne per Satanam tententur qui licitis utuntur remedijs.

A Nec dicit: Ne perdat uos Satanas, aut, ne cōijciat uos in stuprorum immundiciam, sed, ne tentet uos. Non uult igitur ne tentandi quidē occasionem relinqui Satanæ, nedum superādi ac perdendi. Certe non mox uictor euadit qui tētat, nec statim perditur qui tētatur. Imo multis tentatio Satanæ occasionē pręstitit nobilis uictorię. At tentandi occasionem dare Satanę, nō est hominis pij & cauti: uult nos fortes quidem esse in superādis aduersarij tētationibus, at interea simul admonet cautionis, ne temere illis causam demus. Ita & Christus orare docuit, ne inducamur in tentationem maligni.

VI.

PROPTER intemperantiam uestram.] Nō dicit διὰ τὴν ἀκολασίαν ὑμῶν, propter uestram infrænē libidinē, sed διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν .i. ꝓpter uestrā incontinentiā, uel continēdi impotentiam. Licet aliquando ἀκρασία in uicio sumatur pro ἀκολασία, hoc tamen loco, ubi de cōiugibus agitur, & de ea incontinētia, cui per cōiugium licite satisfit, nō est posita aliter q̈ pro naturali lege, cui obnoxij sunt oēs mortales, nisi q, qdā dispēsatione diuina ab illa liberātur. Et ista naturalis ἀκρασία nō est peccatū. Alioqui peccarēt oēs coniuges legi naturæ inseruiētes, & male iuberet Apost. cōiuges in unū redire, ut illi satisfaciētes Satanæ tentationes effugiant. Quis quæso peccando insidias Satanæ declinat?

Imo ausim dicere ἀκρασίαν istam, tāquam legem quādam naturæ esse à Deo, cū in uiris tū B in mulieribus, inditam, ad hoc ut humani generis posteritas cōseruetur, ita ut nemo seipsum queat ab illa eximere nisi diuinitus ac singulariter eximat. Ideo Christus dixit: Nō oēs capiūt uerbū hoc, sed quibus datū est. Et infrà Apost. dicet: Sed quisq; propriū donū habet. Est itaq; ἀκρασία ista non solū naturalis & sine peccato, nisi degeneret in libidinē infrænē, liberā, & uagam, sed & necessaria & utilis cōseruationi generis humani. Alioqui qs sustineret tātis subijci molestijs, siue quæ uiros seu quæ mulieres in coniugio adobruunt, nisi ui sua utrunq; sexum captiuum haberet ista ἀκρασία? Libido uero intemperans, & uaga scortationis impuritas, nec naturalis est, sed corruptæ naturæ uicium nec utilis, sed noxia & damnabilis. Et in coniugibus repræhēsibilis est libido, si passionibus desyderij gētiliter inseruiatur, qua de re uidere est, 1. Thess. 4.

Matth. 19.

Noui quid hac de re disputet Augustinus de ciuit. Dei, lib. 14. cap. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 24. facit eam pœnam peccati, ut est quidem, uerum non sine diuinæ dispositionis prouidētia. Non mox peccatum est, quod pœna peccati est, dolor parturientium pœna peccati est, peccatum non est. Pane uesci in sudore uultus, pœna peccati est. At non est inobediens diuinæ uolunti quare peccatum non est. Molestiam habet adiunctam, propter carnis inobedientiā, at inde non redditur peccatū. Turpitudine habet, unde & pudēda uocantur mēbra illa quæ generationi subseruiunt, pudoris'q;

risq; gratia obteguntur, & actus ipse nō solum uulgaris & illicitus, sed & cōiugalis secretum amat & publicum fugit, & horum gratia peccatum non habet. Sunt & alia quædam in corporibus nostris quæ turpitudinem habent & oculi gaudent. Malesuada est? At id & de fame dicitur. Seruit corruptioni, & originali malo, quod ex Adamo diffunditur in omnem carnē, unde & Dauid dicit: Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, attamē peccatum non est, nisi uel accedat uetita intemperantia, uel ordinem cōiugij respuat. Non eiusdē rationis sunt quæ ex peccato sunt. Quædam enim ex peccato sunt tãquã damnabilis arboris dãnabiles fructus, ut sunt inordinati affectus, iræ, liuoris, superbiæ, prauæ concupiscentiæ, &c. cum suis prauis actibus, homicidio, mendacio, adulterio, scortatione, &c. Quædam uero sunt ex peccato, tanquam pœna quædam & calamitas, ut sunt uitæ huius molestiæ, carnis nostræ corruptio, & quæ illam comitantur, fames, sitis, dolor & cruciatus, morbi, mors ipsa, per quam ad terram reuertimur. Inter ista connumeranda est & hæc ἀκρασία naturalis necessitas & lex.

VII.

Notandum est & hoc, quàm ex nobis tentationis occasionem uenetur Satã, nec quicquã tentando possit, nisi nostra incautione uel imbecillitate iuuetur. Ita Christum nō tentabat, nisi ubi animaduertit eum famem sustinere. Ita & Euam adorsus est, ubi illam solam reperit, idq; apud arborē pomi uetiti, illiusq; aspectu nōnihil oblectari animaduertit. Et hoc est, cur Iacobus cap. 1. unumquenq; à sua ipsius cōcupiscentia abstractum & illectum tentari dicat. Oportet enim Satanam principia quędam ex nobis uenari, quibus ad tentandum, tanquam medijs quibusdam utatur, & ex quibus laqueos nobis struat. Sic Iudam tentauit posteaquam intellexit illum furem esse, & de quęstu solicitum. Ita 1. Tim. 6. dicuntur incidere in tentationē & laqueum, qui uolūt diuites fieri.

Hoc autem dico iuxta indulgentiam, non iuxta præceptũ. Nam uelim omnes homines esse, ut & ipse sum. Sed unusquisq; proprium donũ habet, alius quidem sic, alius autem sic.

Per correctionem cauet, ne occasionem det futuræ tentationi, quã cupit uitari. Ideo ostendit se ista dicere non pręcipiendi, sed indulgēdi modo. Est autem συγγνώμη ea concessio, qua permittis & concedis, non quod sit optimum tibiq; magis arrideat, sed quod aliorum captui & imbecillitati conuenire putaueris, quod alio uocabulo Græci συγκατάβασιν, id est, condescensum uocant. ἐπιταγὴ uero, pręceptum est, & aliam habet rationem. Hic simpliciter absque ullo condescensu & indulgentia quod faciendum est, ita iniungitur, ut non sit in potestate subditi quicquam decidere de eo quod man-

A datur, cum συγγνώμη nō cogat, sed liberum permittat, an facias uel omittas quod cōceditur. Cum ergo dicit se istud non præcipere, sed per indulgentiam & cōcessionem ponere, ad hoc facit, ne putent Corinthij, omnino necesse esse, absq; ulla tergiuersatione aut differentia hoc singuli faciant, quod in uerbis istis cōtinetur.

Videndum itaq; hoc loco, qua sobrietate & prudentia spiritus sint non solum patrum, sed & apostolorum scripta legenda & amplexanda. Nam aperte hoc loco Apostolus in suis uerbis discrimen obseruandum ponit, admonens non omnia eiusdem esse rationis & conditionis. Quædam facit consilia & concessionem, quibus nullius cōscientia constringitur, quorum obseruantia pro cuiusq; captu libera permittitur. Quędam uero non consulendi aut indulgendi, sed præcipiēdi modo ponit, tanquã obseruatu necessaria, de quibus audiemus hoc capite, & nonnullis alijs sequentibus.

Notanda simul est Apostoli prudentia & uigilantia, qua diligenter cauet, ne de rebus periculosis ita disputet, ut rimam aperiat tentationib9 Satanæ. Nō spectat quid ipse, sed quid Corinthij possint. Nec adigit illos præceptoria potestate ad res licet bonas, sed periculosas, uerum demittit sese ad captum imbecilliũ, consyderatq; quid humeri illorũ ferre possint uel ferre recusent.

Deinde non est contentus, quod non præcipit res liberas licet bonas & utiles, sed admonet eos etiam, quod ista non præcipiendi, sed B concedendi modo scribat. Cur hoc facit? Metuit forsan ne ipsi id non intelligant. Omnino illos hoc scire uult. Alioqui tam diligenter huius non admoneret. Ergo scribat operæpreciũ esse, ut id intelligerent Corinthij. Quamobrē? Ne præter rationē conscientiã peccati incurrerent, ubi nihil esset peccati. Istã spiritus prudētiam, & paternã uigilantiam imitari debebant ecclesię doctores ac pastores, nō solũ ne de rebus liberis pręcepta statuerent, sed apostolica συγγνώμη uterētur, uerumetiã ut diligēter rerum libertatē Christianis notã facerēt, seseq; explicarēt, quid quatenus & qua ratione proponerent, quid necessario seruandum præciperent, quid fidelium arbitrio & imbecillium captui liberum relinquerent.

Sed quo referēda sit ista συγγνώμη omnino uidendum est. Non enim eiusdem rationis sunt pręcedentia, ut ad illa omnia indiscriminatim pertinere possint, sed plurimum interest, quo referas. Augustinus libro de bono coniugali, cap. 6. ex hoc loco colligit concubitum coniugalem, quem alter coniugum ex lege matrimonij tanquã debitũ, negare nō debet si non fiat respectu prolis acquirēdę culpa nō carere. Vnde hoc colligit? Ex eo uidelicet, quod istam συγγνώμην refert ad id qđ Apost. dixit, uxori uir debitã beneuolētiam reddat, similiter autē & uxor uiro. Hoc intelligit Apostolũ non pcepti uice, sed p ueniã posuisse & ignoscētiã, tanquã de re nonnihil quidem culpabili, sed propter maius

maius malum concedenda. Et hoc indicant ipsius uerba. Nam sic scribit.

Augustin. uerba.

Iam in ipsa quoq; immoderatiore exactione debiti carnalis quam eis non secundum imperium præcepit, sed secundum ueniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceatur, etsi eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud ꝑpter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Et paulo pòst. Cõiugalis enim concubitus generandi gratia nõ habet culpam, concupiscentiæ uero satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter fidem thori, uenialem habet culpam.

1 At meo iudicio, primum non est necesse, ut intelligatur Apostolus hoc loco de debito coniugali, coniugibus inuicem reddendo, cũ præcedentia alias aliquot habeant particulas, quo tutius referri possit ista συγγνώμη. Neque enim quadrat, ut intelligamus coniugale debitum ex Apostoli cõdonatiõne, etiam quatenus uitandæ tantum scortationi seruit, reddendum esse, cum id exigat lex ipsa coniugij, & fides thori legitimi, qua alter alteri obnoxius est. Potest referri uel ad id quod dixit. Propter uitandam scortationem quisque uxorem suam & quæque maritum suum habeat, ne putetur omnibus præcipere coniugium, tãquam rem ita necessariam, ut sine peccati conscientia uitari nequeat, uel ad eam particulam qua dixit, nisi si quid ex consensu, ad tempus, ut uacetis ieiunio & precationi, &c. ne ista intelligantur necessaria præcipi, & non per cõcessionẽ dici.

Huc refert & Ambrosius.

2 Deinde non statim συγγνώμη eam cõcessionem & indulgentiam perpetuo significat, qua quæ culpam quidem habent, sed propter maioris culpæ malum uitandum conceduntur, quale est quod repudij libellus Iudæis per Mosen permissus est. Nam & tũ aliquid recte per συγγνώμην fieri dicitur, quãdo relicto maiori bono certa ratione minus bonum suadetur & apprehenditur. Qui consulit, ut quisq; suam habeat uxorem, uitandę scortationis gratia, non consulit rem minus culpabilem, ut quæ maioris est culpæ uitetur, sed à re commodiore & utiliore, continentia uidelicet & ἀγαμία ad eam quæ & ipsa bona quidem est, sed minus commoda regno cœlorum propter instantem necessitatem, certa de causa auocat. Non enim, ut ipse testatur Augustinus, duo mala sunt cõiugium & scortatio, quorum alterũ sit peius, sed duo bona sunt coniugium & ἀγαμία, quorum alterum est melius, quemadmodum duo mala sunt, scortatio & adulterium, quorum alterum grauiorem culpam habet.

De bono cõiug. ca. 8

Proinde ex ista συγγνώμη, qua Apostolus considerata Corinthiorum imbecillitate, ἀγαμίαν non ausus suadere, quæ commodior erat, & utilior regno Christi, admonet ut scortationis uitandæ gratia suam quisque uxorem, & quæque maritum suum habeat, non euincit concubitum legitimum aliquid habere culpæ etiam in illis, quibus nulla generandæ sobolis spes esse potest.

Nã uelim omnes homines esse, ut & ipse sum. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidẽ sic, alius autem sic.

Rationem reddit cur non præcipiat coniugium, sed suadeat. Non ideo uidelicet, ꝙ illo gaudeat ipse, uel beatos ducat coniuges, cũ malit omnes homines continentiæ dono præditos esse sicut ipse erat, uerum, quod sciat dona Dei esse uaria, non eadem omnibus data, sed alijs aliud, atque aliud, ob quam causam fieri nequeat, ut uulgaris sit continentia. Tantundem est quod his uerbis dicit. Ideo illud θέλω γὰρ, commode legendum est, uidelicet, uelim enim, non uolo & addenda concessionis nota μὲν, quidem, propter sequentẽ correctionis particulam ἀλλὰ, sed id quod & mox initio capitis huius faciendum est.

Habet itaque ista αἰτιολογία duas partes.

1 Prima, qua ostendit quid cupiat, siquidem fieri posset, cum dicit, Nam uelim quidem omnes homines esse sicut ipse sum.

Contenditur hoc loco qualis fuerit Apostolus, quod ad coniugij, uel continentię causam attinet. Non enim loquitur uel de Apostolatu suo, uel de gente & tribu Iudaica, è qua erat, uel de stimulo carnis, quem inuitus patiebatur, uel de peccatis suis, quorum remissionem & ipse cum omnibus sanctis precari cogebatur. Sed de hac causa in qua iam uersatur. Hic quidam contendunt fuisse illum coniugem, eo quod sui mentionem facit in ipso cõiugij & non uirginitatis tractatu: cum istis sentit Eusebius & Erasmus. Alij uero contrà, coniugij expertem fuisse uolunt, eo quod dicat, uelim omnes homines esse, sicut ipse sum, nec credendum sit illum optare, ut omnes homines non cœlibes sint, sed coniuges, quæ sententia est Ambrosij. Verum quid opus est inani ista contentione quasi coniugio quiddam addat coniunx, uel demat cœlebs Paulus?

Non hoc agit isto loco, ut simpliciter optet omnium cœlibatum, quasi ille per se quicquam faciat ad salutem, & singulari apud Deũ prærogatiua sit commendabilis. Sed, ut infrà dicet, propter illius commoditatem, ut expeditius liceat regnum Dei & illius iusticiam consectari minusque impediantur credentes persequutionũ procellis, optat omnibus hanc continentiam, qua ipse quamuis esset uxoratus uxore tamen carere poterat. Quis hoc nomine optet sibi continentiæ donum?

Deinde quærunt quidam quale sit hoc uotum Pauli, quo, si fieri posset omnes mortales sibi similes, id est, cõtinentes, esse uellet. Quod si coniugio abstineret uniuersus orbis, periret, inquiunt, genus humanum. Augustinus simpliciter id uelle putat uotũ Pauli, optatq; hoc ipse cum Paulo. Reddit rationem, quod ita citius

cap. 10. ubi supra.

citius compleretur ciuitas Dei, modo id fieret corde puro, & conscientia bona, ac fide non ficta, terminareturque mundus. Ego credo huc non prospexisse mentem Pauli, sed simpliciter consyderasse commoditatem continentię, quatenus illa multis caret molestijs, & aptior est regno Dei, præsertim tempore persequutionum, idque optasse animo erga regni Christi profectum, & omnium mortalium salutem flagranti. Vbi notandum obiter est, ingenium piorum, quibus hoc peculiare est, ut quàm à Deo gratiã acceperunt, cupiant omnibus mortalibus secum esse communem, rursus, si quid triste patiuntur, nolint id cum aliquo mortalium cõmunicari. Tale quid & Act. 26. in Paulo uidere est. Contrarium est maleuolorum ingenium, quibus gaudium est socios habere in pœnis, & gloriosum, si quid eximij soli habeant.

2 Altera adiectę rationis pars est, qua declaratur, quid ab eo uoto impediat ne audeat omnium optare, quam uellet, continẽtiam, uidelicet, quod quisq; suum donum habeat à Deo, alius quidem sic, alius uero sic. Habet autẽ ista particula, quam arbitror diligenter expendendam, quædam obseruanda.

OBSER. I.

Primũ est, quomodo impediatur à uoto suo Apostolus, per id quod quisq; proprium donũ habet ex Deo, alius quidem sic, alius uero sic. Ita uidelicet, quod nõ audet sperare futurum salubriter, utut præcipiatur, optetur, tentetur, exigatur, quod à Deo non est concessum. Non audet optare, nedum exigere, ut omnes mortales, ne Christiani quidem, continẽtiam profiteantur. Quare? Quia facultas continendi nõ est omnibus à Deo concessa. Non enim omnibus eadem diuinitus, sed alijs alia data sunt. Quid est ergo, quod episcopi tanta imprudentia tot millibus hominum continentiam imposuerunt? Et quę est uouentium illam temeritas, cum & Christus dicat: Nõ omnes hoc capiunt, sed quibus datum est? *Matth. 19.*

1 Regerũt quidam. At promissum est à Christo, quod accepturi simus quicquid à Deo petierimus. Quod igitur nobis præstitũ est impossibile, per gratiam largientis Dei redditur possibile. Verũ est, si quid petatur nomine filij & petatur fide incõcussa, taleq; sit quod regno Christi sit uel gloriosum uel necessariũ. At res ipsa declarat, qua ratione cœlibat⁹ professionem imponant illi, isti appræhendant, deinde omnibus conspicuum est, quomodo petãt, & quid accipiant.

2 Alij dicunt, uolenti nihil est difficile. Modo quis uelit, facile continentiam custodiet. Debebat ergo Christus dicere. Nõ omnes hoc capiunt, quia nõ omnes uolunt. Qui uero uoluerint, accipient & poterunt. Iam cum dicit, sed quibus datum est, satis aperte innuit frustra tentaturos istam continentiã, quibus illa non est à Deo concessa. Non est itaque & hoc loco, uolentis, sed donantis Dei.

II.

Notanda est diuina bonitas & munificentia erga genus humanum, in eo quod nõ quibusdam tantum, sed omnibus mortalibus dona sua largitus est. Non enim dicit, habent aliqui sua peculiaria dona, sed quisq; proprium donum habet ex Deo. Nemo ergo queri poterit, quod sit diuina beneficentia destitutus, sed quisq; habet, unde Deum glorificet.

III.

Adhæc, quod non omnibus idem, sed alijs alia concessit, admonet nos sapientiæ & prudentiæ Dei, qua omnia pro suo ineffabili consilio, certis quidem at nobis nec inuestigandis nec compræhensibilibus, sed magis à longinquo adorandis rationibus, omnium consonãtissima uarietate temperat & dispensat. Proinde omnium sunt ineptissimi, & parum reuerentes erga istam diuinæ dispensationis sapientiam, qui suis consilijs istam donorum Dei uarietatem disturbant, aliud ex alio efficere tentantes, præterquam quod cuncta gubernans Dei prouidentia in singulis instituit. Ego sapientiam mortalium hãc unam & omnium maximam duxerim, si cum intelligentia uersari in ista donorum Dei uarietate, cum in se quisquam tum erga alios possit. Ista sapientia opus est potissimum illis, quorum est alios moderari, ut intelligãt quo quenq; instituere, quidq; ex quouis exigere ac sperare possint.

IIII.

Et hoc notandum est, quod non dicit. Sed aliqui tantum hoc donum habent, ne putemus continentiam tantum donum esse Dei, sed, quisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius uero sic, ut intelligamus & coniugium reputari inter dona Dei, ut & uere donum Dei est. Hic cogitandum est quis illud, quibus, & ad quid, & qua benedictione instituerit. Donum Dei est, continentiæ facultas. Verum, & coniugalis castitas, & uidualis quoque, & ipsæ diuinitus ad bonum concessæ sunt mortalibus. Quod autem coniugium molestijs refertum est, non est ex doni huius, sed mortalium uicio

V.

Postremo uidemus hoc loco, quàm nolit Apostolus cuiusquam uitam ad alterius, sed ad proprium donum institui. Quis non duxerit esse imprudentem eum, qui domum suam non ad propriæ, sed ad alienæ facultatis mẽsuram instituat, aut qui pedibus æger non quantũ ipse per se poterit per diem, sed quantum itineris uiderit eos qui sanis sunt pedibus conficere, sibi præsumat? Eadem stultitia sanctorum exempla multis præsumpta sunt ad imitationem, non expenso quid proprij humeri ferre possent, quid non possent.

Dico

Dico autē inconiugatis & uiduis, bonum eis est, si manserint, ut & ego. Quod si se non continent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri.

Ista pertinent ad secundum capitis huius membrum, quo de uiduis agitur. Quidam arbitrantur & ad digamiam pertinere, quam Apostolus licitam faciat uiduis, si se non contineant. Illi digamiam esse putant, quando mortua priore coniuge, denuo nubitur. Talis certe licita est Christianis p̄senti testimonio Pauli, licet ueteres quidam, è quorū numero Tertullianus est, illam fecerint illicitam. At uerior digamia ea est, qua cum duabus coniugibus simul habetur matrimonium, ut monogamus est, qui unam duntaxat coniugē habet. De ista non agitur ab Apostolo hoc loco.

DICO autem.] Ex sequenti moderatione patet, quomodo dicendi uerbo utatur hic Apostolus. Non præcipit, nec iubet, sed cōsulit. Alio sensu dictum est à Christo, Matth. 5. Dico uobis, diligite inimicos uestros, &c. Nā ibi nō consulendi, sed præcipiendi sensu, dicēdi uerbum positum est.

INCONIVGATIS & uiduis.] τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις. De uiduis nihil est dubij, quod eas intelligat, quę uiros suos morte amiserunt. De ἀγάμοις uero ambiguum uidetur, an eos intelligat, qui nunquam sunt experti cōiugium, uel eos, qui ab uxoribus per mortem liberati sunt, quos uiduos uocamus. Nam ἄγαμος proprie est qui coniugatus non est. Vnde & Erasmus reddidit inconiugatis, licet putet ἀγάμους dici non posse, qui semel sint experti nuptias. Non occurrit illi, quod infrà de coniuge à uiro discedente legitur: Si discesserit maneat ἄγαμος, ubi manifestum est, quod ea dictio etiam illis cōpetere queat, qui nuptias sunt experti. Est itaque simplicius ut intelligamus agi hoc loco quid uiduos & uiduas facere deceat. De uirginibus enim infrà in tertio capitis huius mēbro tractabitur.

BONVM illis est.] καλὸν αὐτοῖς. Bonum hic non sumitur pro uirtute, sed pro commodo. Non hoc bonum intelligit, quod Deo placeat. (Nam coram Deo inter coniugē & continentem nihil est discriminis.) Sed quod ad consectandam regni Dei iusticiam multum habet commoditatis. Vnde nō dicit ἀρεστὸν τῷ θεῷ. Gratum Deo, sed bonum illis est. At quare bonum sit, infrà commemorabit.

SI manserint ut & ego.] Colligunt ex hoc loco Paulum fuisse uiduum, eo quod se uiduis collocet in exemplum. Certe non potest fortius uidualem suadere cōtinētiam, quàm suoipsius exemplo. Dicit, bonum esse uiduis, ut sic maneant. Et ne uideatur alijs suadere aliud quàm sibipsi, proponit illis suum exemplum. Non potest quisquam maiore fide alijs consulere, quid sectandum, quid fugiendum, quàm

A si quod alijs consulit, & ipse cōplecti, & quod alijs dissuadet ipse auersari depræhendatur. Licet non mox alijs conducat, quod ipse conducturum putas, & reipsa sectaris, nemo tamen culpare poterit consulentis affectum. Nō multum efficiunt, qui quod iniungunt alijs, ipsi ne digito quidem attingunt.

QVOD si se non continent, nubant.] Moderatio consilij est, ne quod suadebatur in bonum, uergeret in damnum. Vt enim suprà dixit, unusquisque proprium donum habet, alius sic alius uero sic, atque ideo utut in se sit commodum regno cœlorum, si abstineatur à coniugio, malum tamen redditur, si absit donum continentiæ. Addit itaq; uigilanter limitationem, ostendens quousq; & quibus bonū sit absq; coniugio manere.

Obseruandum autem est, quod non dicit, si se continere non possunt, sed, si se non continent. Non enim ulla hic proponitur continendi necessitas, quasi teneantur Christiani ad cōtinentiam, nisi continendi impotentia excusentur. Nemo cogitur. Quisquis non uult continere se, æque liber est à continentia, atque is qui non potest. Iam quid de illis statuendum iam olim erat, qui quod se non cōtineant, manifesta immundicia declarant, de quibus certe disputandum non est, quod possint, aut non possint, quid uelint aut respuant. Quod enim cōtinere se nolint, deinde ne possint quidem, publica scortatione produnt. Quis credat illos

B præter animi sententiam scortari? Aut poterit ne quisquam dicere, quod cōtinentiæ donum habeant, qui ita scortātur, ut prope ad nihil aliud nati esse uideantur?

Eximunt quidam isti sententiæ Monachos & Nonnas, & Sacerdotes. Vtinam eadē opera illos & incontinentiæ eximerent, & continentia donarent. Prætexitur uotum. At ut in canonibus est, uotum non debet seruire perditioni & iniquitati. Præposterū est si ex uoto nectatur laqueus p̄ditionis. Not⁹ est Cypr. locus ad Pomponiū lib. 1. cap. 11. ubi hac de re sic scribit. *Cypr.*

Quod si se ex fide Christo dicauerūt (loquitur autem de uirginibus Deo dicatis) sine ulla fabula perseuerēt, ita fortes & stabiles pręmiū uirginitatis expectent. Si autē perseuerare nolunt, uel nō possunt, melius est ut nubāt, quàm in ignem delicijs suis cadāt. Certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant cū scriptum sit. Si cibus scandalizat fratrem, nō manducabo carnem in sæculum, &c. Et Aug. alicubi arguit eos incōsyderātiæ qui taliū coniugia pro ueris coniugijs non agnoscunt, sed si poterunt, dirimunt proq; adulterio habent. *27. q. 1. Nuptiarū.*

NVBANT.] Vbi incōtinētia manifesta obijcitur uotarijs, regerūt, orādum esse Deū, ut det donū cōtinentiæ. Atqui Apostolus poterat dicere: Quod si se nō cōtinēt orēt ad Deū p̄ dono cōtinētiæ, ut quod melius est cōiugio, seruare possint. Iā nō ita dicit, sed nubant, inquit, si se non cōtinent, uelut digito ostēdens quid faciendum sit incontinentibus.

NAM

NAM satius est matrimonium contrahere quàm uri.] Hæc est ratio limitationis cur nubere debeant incontinentes. Quia melius est matrimonium cõtrahere, quàm uri. Est autem perpetuo quod melius est, quoad eius fieri poterit, amplectẽdum. Melius est cõtinere quàm nubere. Bene, qui potest capere capiat. Vbi autem deest cõtinentia, melius est nubere quàm uri. Ergo continentiæ uel uoluntate uel facultate destitutis, melius est ut nubant, quàm ut concupiscentię flammas subeant. Melius esset prorsus abstinere ab omni cibo. Nam careremus multis molestijs, ad quas cogimur cibi gratia, uerum cum id fieri nequeat, melius est edere & bibere, quàm fame periclitari.

QVAM uri.] Vstionem hanc quidam exposuerunt de incendio gehennæ, quos refutat Erasmus. Aliam sententiam habent Commentarij Hieronymo attributi, in quib' sic legitur. Malo fornicationis melius est, quod igne punitur, sicut Iudas in Genesi de sua nuru pronũciat. Apparet hũc intelligere uerba Apostoli de igne supplicij, quo puniri debeant scortantes, quasi dicat Apostolus: Melius est ut matrimonium contrahant incontinẽtes, quàm si se non continentes scortentur, ideoq; ignis supplicio tradantur. At nostro sæculo non quadrat hæc expositio. Nũc enim scortatoribus nõ est metuẽdum ignis supplicium, sed sacerdotibus ac monachis coniugibus, ut inuertenda sint Apostoli uerba, dicendumq;: Qui se non continet, scortetur. Melius est enim scortari quàm uri.

Apostolus nec de præsenti aliquo, nec gehennæ supplicio, sed de concupiscentiæ incendio loquitur, quod Chrysost. tyrannidem concupiscentiæ uocat. Nos Germani uocamus *brunst des fleyschs*, aliàs, *das heymlich leyden*. Innuit enim Apostolus, ubi donum continentię deest, ibi nihil aliud expectandũ esse, quàm istas concupiscentiæ flammas.

Notandum autem est, quod non dicit: Melius enim est matrimonium contrahere, quàm scortari, sed, quàm uri. Non mox scortatur qui uritur, id est, qui libidinis ęstu uexat̃. Attamen etiamsi nõ publice scorteris, ubi tamen incendium istud libidinis senseris, non est expectandum dum in scortationẽ cadas, aliquòue alio immundicię opere cõtra deũ pecces, sed usurpandum cõiugij remedium, antequam tentatione uincaris. Hoc scilicet est, quod nõ dicit, melius est nubere quàm scortari, sed, quàm uri. Nam ob id ipsum suadet matrimoniũ, ne in scortationem, imo in ustionem incidant incontinẽtes, iuxta id quod initio capitis huius dixit. Propter scortationem uitandam, habeat quisque uxorem suam, & quæq; uirum suum. Quod si ijs qui libidinis ustionẽ sentiunt, imo incontinentibus antequam urantur nubendũ est, ne urantur, ne dum scortentur, ne, ut Chrysost. habet, cõtinendi laboribus & sudoribus subuertantur, quid iubendum est illis, qui iam pleno impetu scortantur?

Tres inuenio causas, propter quas nubendũ

A sit incontinẽtibus, & æstum hunc libidinis in carne sua sentientibus.

Prima est, de qua iam diximus, ad quam & Apostolus respicit periculum uidelicet scortationis, & omnis generis impuritatis. Horrendum est cogitatu quid ista libidinis ustio monachis & Nonnis pepererit. Paucissimi nanq; sunt, qui illam uincãt, nempe quibus id à Deo datum est. Reliqua turba quouis modo illius sese molestia quidem liberat ad tempus, uerũ incredibiles conscientiæ cruciatus incurrit.

2 Altera est quod etiamsi opus libidinis non sequatur, inutilis tamen, imo nulla est ista continentia corporis ubi animus immundis quotidie cogitationibus conspurcatur. Neq; enim ita comparatus est Deus, ut non plus mentis quàm corporis rationem habeat.

3 Tertia est, quod tales animi prorsus inepti sunt regno Dei, occupantur enim impuris cogitationibus, ut sanctis meditationibus locus ullus esse nequeat.

Satius itaq; est, ut & scortationis uitetur periculum, & animi declinetur impuritas matrimoniũ contrahere, quàm libidinis perpeti incendium. Nisi enim coniugio ueluti refrigerio quodam incontinentiæ sopiretur incendium, certe ridiculus esset Apostolus, qui incontinentibus suadeat, ut nubant. Reipsa uidemus eos qui coniugium abiurarunt, cum dono cõtinentiæ careant, perpetuo quodam libidinis æstu occupari, impurisq; & oculis & gestibus

B & uerbis, ut reliqua taceam, quasi fumo quodam æstuantis pectoris malum prodere.

Quid autẽ dicemus de adolescentibus, quibus nec permittitur, nec decorum est, neq; conducit etiã, ut ante iustæ maturitatis annos nubant, & tamẽ libidinis malum sub ipsa pubertate uehementer insidiosum est & permolestum? An & hic locum habet Apostoli sententia: Melius est nubere quàm uri? Licet enim de uiduis loquatur, res tamen ipsa quã uitari uult non solũ uiduis, sed & illis qui ad nuptias adhuc sunt immaturi & inepti, timendum est.

Consulendum hic est adolescentibus, quãdoquidem illis ad remedium coniugij nondũ adspirare licet, multominus cũ Christiani sint ad scortandi exorbitare licentiam, qua & malum non restinguitur, sed magis incenditur, & ira Dei prouocatur, ut hac in re cauti sint, ne malo recenti & insueto, dum illud uel incaute admittunt, uel ferre nesciunt, subuertantur & pereant, antequam nubendi accesserit ætas. Fons miraculosus in Epiro faces accensas extinguit quidem sicut alij fontes, uerum extinctas redaccendit, quod cum alijs cõmune non habet. Tale quid habet & scortatio, ut nõ tam extinguat quàm redaccendat libidinis incendium. Libido uero incẽsa instar est lapidis quam uocant Asbeston, eo quod extingui nequeat. De utroque August. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 5.

1 Profuerit illis cum primis studium timoris domini, & exercitium eloquiorum Dei.

Bonum

Bonum homini est, inquit ille, si portauerit iugum domini ab adolescentia sua. Et Dauid: In quo corrigit adolescentior uiam suam? In custodiendo sermones tuos. Adijciendæ & crebræ precationes ad dominum, quibus alitur timor domini, pij cordis propositum cōfirmatur, & sanctimonia quædam ac mentis castitas imbibitur, qua fiet, ut immundæ cogitationes aut non facile admittantur, aut si per imprudentiam admissæ sint, omniũ facillime extinguantur.

2 Deinde curādum illis est, ut temeritatem omnem, ac quiduis tentandi, audiendi, uidendi, loquendiúe licentiā, deinde & eorum quibus deest timor domini, societatem fugiant. Cohibendus est uisus, obserandæq; aures, ne quid uel uideatur uel audiatur, unde occasio detur cogitationibus impuris, quæ si fuerint semel atq; iterum receptæ & ad cordis ueluti focum instar scintillarum admissæ, haud ita facile poterunt extingui. Non frustra admonuit ille. Nil dictu fœdum, uisuq; hæc limina tāgat, Intra quæ puer est. Et alius:

Adfluit incautis insidiosus amor.

3 Tertio conducet & hoc plurimum, ut summo studio caueāt ocium. Ocia si tollas, inquit ille, periere Cupidinis arcus. Contemptæque iacent & sine luce faces. Item. Queritur Ægistus quare sit factus adulter. In promptu causa est, desidiosus erat. Ocium literarium & honeste & salubriter negociosum est, quo si fuerit animus adolescentis occupatus, non admodum uacabit ut ad perniciosas cogitationes exorbitet. Domi parentibus debita obedientia satis exercebit morigeros adolescētes, nec locum ullum permittet uagæ & uiciorum feraci libertati. Cum ocio uitandus est usus uini, quo sanguis accenditur, & in libidinem exæstuat.

Quod si his medijs usi fuerint adolescētes, bona spes est, quod adolescētiam suam ope & gratia domini illibatam sint usq; ad annos cōiugio aptiores seruaturi.

At cōiugatis præcipio, non ego, imò domin9, uxor à uiro ne separetur. Quod si separata fuerit maneat innupta, aut marito reconcilietur. Et maritus uxorē ne dimittat.

Redit ad primum capitis huius membrũ, alicuius adhuc admoniturus cōiuges. In prioribus cauit ne coniunx coniugem iure suo defraudet admonens ut uir uxori, & uxor uiro debitam reddat beneuolentiam, ne locus sit Satanæ tentationibus. Hic adiungit de seruādo coniugij uinculo infracto & illibato, domini præceptum. Sunt enim hæc duo propter astum Satanæ tenēda coniugibus, ne prætextu religionis coniunx aut neget coniugi debitũ, aut prorsus à coniuge discedat. Tametsi nāq; Corinthij de Iudæis non fuerint, sciebat tamē Apostolus quàm & inter Gentes ægre seruaretur cōiugij copula, & quāta temeritate dissilirent coniugia. Deinde sciebat astum Satanę, quàm iniquus sit legitimo connubio, & quanta uafricie per religionis speciē carnalibus patrocinari soleat affectibus. Adhæc tenendum erat, ne ex eo quod ἀγάμοις ac uiduis continentiam suadebat, male feriati homines ac pręposteге religiosi ansam sibi damnandi coniugia & quos Deus coniunxit segregandi sumeret. Ideo causam coniugum posteaquam consiliũ suum de uiduis posuit, non absque ratione resumit.

NON ego sed dominus.] Aperte distinguit Apostolus inter ea quæ ab ipso domino sunt præcepta, & ea quæ ipse absq; peculiari domini mādato tradebat. Quod coniunx nō debeat separari à coniuge, nec uir dimittere uxorem à domino præceptum est. Qua de re uidere est Matth. 5. & 19. Ideo dicit hoc præceptum non esse suum ipsius sed domini, quod absq; dubio ob id cōmemorare uoluit, ut hoc plus reuerentiæ erga coniugium legitimum rite seruādum incuteret coniugatis fidelibus.

Obseruandum est igitur hoc loco duo esse præceptorum Christi genera.

1 Vnum quod per seipsum dedit, aut aliàs in scripturis expressum est. Tale est præsens hoc de coniugio non dirimendo, & quæ alia sunt huiusmodi.

2 Alterum eorum est quæ non per seipsum, neque alicubi in scripturis, sed spiritu sancto per apostolos agente ac loquente dedit. Talia sunt pleraque Pauli, hoc ipso capite, ut audiemus infrà, & cap. 11. de uelandis mulierum precantium capitibus, & quod de cœna domini precipit, ut alius alium expectet & quæ cap. 14. de modo prophetandi & psallendi in ecclesia tradit, & quod mulieribus in ecclesia silentium pręcipit, quæ tamen, licet nusquam sint ab ipso domino præcepta, nec alicubi in scripturis scilicet expressa, asserit esse domini mādata, cum dicit: Si quis uidetur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis q, domini sint mandata. Prioris generis præcepta uocantur ἔγγραφα, posterioris uero ἄγραφα, quæ certe & suam authoritatē merito habent in ecclesia Christi.

Nec firmum est tamen, quod hinc sibi tyrāni ecclesiastici quiduis præcipiendi potestatē & authoritatē uendicant. Non enim mox amplectendum est pro domini mādato, quod ab episcopis titularibus aut alio quopiam præcipitur, licet quæ apostoli præceperint authoritatem assequuta sint. De illis nanq; certum est testimonio domini, quod non ipsi sed spiritus sanctus ex ipsis sit loquutus, de istis uero non item. Proinde curandum est ut ea quæ ἄγραφα in ecclesiam post apostolorum tempora sunt inducta, talia sint, q̃ liquido fluant ex ἐγγράφοις.

Deinde & iuxtà notandum est, quod licet loqueretur ex spiritu sancto, plus tamē authoritatis esse uoluit illis mandatis quæ peculiariter domini sunt. Confidenter hic dicit: At

coniugatis præcipio, non ego sed dominus. Præcipere se dicit, & tamẽ ut id cũ authoritate irrefragabili faciat addit, non ego, sed dominus. Ista sit & hodie episcopis præcipiẽdi modestia & confidentia quoq;, ut ubi pręceptum domini præcessit, confidenter præcipiant, sed addant non ipsorũ esse sed domini præceptũ.

VXOR à uiro ne separetur. Item & maritus uxorẽ ne dimittat.] 1 Locus hic Pauli, primũ pertinet ad eos qui legitimi sunt coniuges. Alioqui si illegitimum sit coniugium, non solum licebit uxori quæ legitima non est, separari à uiro, & uiro uicissim dimittere non suã, sed peccabunt nisi quàm primum separentur. Legitimis coniugibus non licet, ut à se inuicẽ separẽtur, nisi certis de causis, propterea quod separandi nõ sunt, quos Deus cõiungit. Deus autem eos non coniungit, qui contra legem Dei, quę Leuit.18. lata est, coniuncti sunt. Proinde propter peccati conscientiam separandi sunt, tam abest, ut separari nequeant.

2 Deinde etiam in legitimis coniugibus nõ erit uniuersale, quod nihil exceptionis admittat, quod dicit: Vxor à uiro non separetur, & maritus uxorem ne dimittat. Sunt enim casus quidã, in quibus licet fieri quod hic prohibet.

1 Vtpote, si intercesserit per adulterium coniugalis fidei uiolatio. Hic certe non solum licet insonti dimittere adulteram, sed & merito insipiens censetur, si illam apud se retineat. Vnde Pro.18. legimus. Qui tenet adulterã stultus est & insipiens. Et notum est exemplum Ioseph Matth.1. qui ob id quod iustus esset, nõ quidem prodendum esse coniugis delictum, ut putabat, attamen ab illa discedendum esse cogitabat.

2 Item, si uir sit incurabiliter ex natiuitate impotens, ut nequeat pręstare maritum adeoque nec uti legibus matrimonij, certe licebit uxori ab illo diuertere.

3 Præterea & si uir uel ad eidololatriam cogat, uel indubitato uitæ uxoris insidietur, licebit utiq; fideli & insonti coniugi ab illo separari & Apostolus ipse religionis casum subijciet in quo liceat uxori discedere à uiro. Et Christus Matth.5. & 19. adulterij casum excepit. Proinde non est aliter intelligendũ quod hic ponit Apostolus, quàm de tali separatione coniugum, quæ matrimonij uinculum soluat, & quos Deus coniungit separet, quod in istis & similibus casibus quos recensui nõ fit. Vbi dimittitur adultera, per illius dimissionẽ non rumpitur coniugij uinculum, quod iam antea per adulterium dissolutũ est. Et in casu impotentiæ non dissoluitur cõiugium, quod nunquam uerum fuit. Nec in religionis casu, eo quod ius coniugij improbo ademptũ iam est uirtute potioris fidei quæ Deo seruãda est. Et is qui uitæ uxoris insidiatur, sibi ipsi ius cõiugij ademit, quod ipsius naturæ hostis in uxore effectus est.

QVOD si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur.] 1 Hoc loco utuntur

A ij, qui prorsus illicitum esse contendũt, ut priore uiua etiam licite dimissa, nubatur alteri. Diuortium, inquiunt, approbat quidem in casu ecclesia, sed hactenus ut utriq; maneant inconiugati, aut reconcilientur. Et huc applicant etiã uerba Christi Matth.5. & 19. ubi adulterij damnatur, qui uxorem dimittit, & qui dimissam ducit. Respondemus hic, nec Christũ nec Paulum loqui de tali diuortio, quod sit adulterij gratia tẽtatũ, sed de eo loqui Christũ quod sit quauis de causa, iuxta consuetudinem Iudæorũ quam ex lege Moysi traxerãt, id quod ipsa quæstio indicat, qua dicebant, licet ne homini diuortium facere cum uxore sua qualibet ex causa, & de eo loqui Apostolum quod sit factum propter dissidium aliquod & simultatem, quod patet ex eo quod dicit, aut marito reconcilietur.

Matth.19

2 Deinde, non loqui uel Christum uel Paulum de alio diuortij genere, quàm quod erat in usu cum apud Gentes tum apud Iudæos, quo ita separabantur coniuges, ut licuerint alteræ nuptiæ. Et huius Christus quoq; nominatim meminit, taxans quidem illud & refutans, sed dempto casu adulterij commissi. Diuortium illud pontificium, nouum est inuentum, nec apud Gentes nec apud Iudæos consuetum, quo ita separant in casu adulterij, ut neutri parti permittatur denuo nubendi libertas, quod genus diuortij nomine magis diuortium est quàm re.

B Cum ergo nec Christus nec Paulus de alijs diuortij causis loquantur, quàm quibus utebantur Iudæi qualibet ex causa uxores dimittẽtes, & quæ oriantur ex domesticis dissidijs, nec illorum tempore aliud fuerit diuortij genus, quàm quo transitus permissus sit ad alteras nuptias, non potest uel ex Christi uel Apostoli uerbis colligi, quod ubi licitum est diuortium, non etiam liceant alteræ nuptiæ, saltem parti insonti. Excipit Christus casum adulterij. Quomodo? ut si ille sit, non cõmittat adulterium, qui uxorem adulteram dimittit & illa dimissa alteram ducit. Quare? Quia uidelicet licitum est eiusmodi diuortium, ratum & iustum. Alioqui nõ liceret uiro alteri mulieri corporis sui potestatẽ permittere, nisi iam à prioris coniugij uinculo uere liber esset.

Dissentiũt hac in re etiam ueteres. Aug. & Hieronymus negant licere, etiam in casu adulterij, uerum quibus illi & quàm solidis argumentis ducantur, uidere est in disputatione Eras. Rot. omnium doctissima, quam annotationibus suis super hanc epistolam scriptis inseruit. Ambrosius aperte testatur licere. Nam ita in præsenti loco annotauit. Et uirum uxorem, inquit, non dimittere. Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens sicut de muliere, quod si discesserit, manere sic. Quia uiro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris uir est. Hactenus ille, nisi quod mulieri

Ambrosius.

lieri illicitũ facit quod permittit uiro. At qua de causa? Caput enim mulieris, inquit, uir est. Verum caput mulieris non est adulter. Nam ille ius suum in uxoré uiolata thori fide amittit. Et hac in re idẽ potestatis utriq; cõiugum, alteri in alterius corpus facit quod & Augustinus asserit.

Sed redeamus ad Apostolũ. Si seperata fuerit, inquit, maneat innupta. Sunt qui hoc per concessionem & indulgentiam dictum esse putant, quasi permittat Apostolus separationem coniugibus male cohærentibus, quibus propter quotidiana dissidia & mores coniugio reluctantes male conuenit, nec placari aut componi inter se sustinent, quod satius sit talibus à se inuicem ad tempus saltem dirimi, q̃ cum animarum suarum iactura & animorum exacerbatione male conuiuere. At Apostolus non dicit: Si uero illi cum uiro male conuenerit, separetur, modo non nubat alteri quod sane per concessionem cõspicue diceretur: Sed, si uero separata fuerit, maneat innupta, &c. hoc est, si contra coniugis officium à uiro discesserit, si quod non debet, fecerit secedendo ab eo, cui debebat indiuulse cohærere, maneat innupta. Non enim abijci debet hic quod præmisit, uxor à uiro ne separetur. Quanquã non negauerim plerunq; melius esse ut disiunctim quàm simul uiuãt coniuges implacabiles, perpetuis iurgijs conuictum suum sibijpsis perniciosum & intolerabilem reddentes. Non tamen uidetur Apostolus id agere hoc loco.

MANEAT innupta.] Non dicit, maneat separata, sed maneat innupta. Non enim iubet, ut in separatione illa illicita, qua cõtra ius matrimonij à uiro discessit maneat, sed ne alteri iungatur, ut locus esse posit reconciliationi. Neque enim ex hoc colligi debet, quod uxor à uiro male separata non peccet, si ad illum nõ redeat, modo ita maneat, nec alteri nubat. In peccato uiuit ubi separata manet, nec reconciliari sustinet, adulterium uero committit si alteri iungatur. Nunquã diceret Apostolus, maneat separata, qui ne orandi quidẽ gratia diutius uult separari coniuges, ne locus sit tentatori Satanæ.

Sed merito quæritur hic, quid uiro sit faciendum, si uxor separata nolit recõciliari, sed uel in separatione pertinaciter perdurauerit, uel alteri se iunxerit siue scortatori siue coniugi? Quid si prorsus cum nebulone aliquo aufugerit, ut spes resipiscentiæ esse nequeat? Continebit, inquis. Profecto bonum consiliũ, siquidem id poterit. At puto non facile nupturum fuisse si id doni habuisset. Iam si continere nequiuerit, quid faciet? Scortabitur? Absit. Nubet igitur alteri. Idem & de uxore sentiendum, si à uiro fuerit præter culpam uel abacta, uel deserta, idq; sine ulla reconciliationis spe, maxime intercedente scortatione.

Plane mirabilis est astus Satanę, ad excogitandum uias quibus scortationis impuritatẽ contra domini præceptum & publicam honestatem inter Christianos prouehat. Primũ in eo quod ueluti continentiæ gratia & propter diuini cultus sanctitatem sacerdotibus & monachis nuptijs interdici curauit, idque talibus qui dono continentiæ destituti sunt. Deinde in eo quod separatis coniugibus, & ita separatis, ut reconciliari nequeãt, alteras nuptias negari fecit. Ecce summam uersutissimi hostis peruersitatem. Cupiebat promoueri, idq; impune, scortationem etiam inter Christianos. Clamabat Paulus. Nolite errare, neq; scortatores neque adulteri regnum Dei possidebunt. Videbat in admiratione esse continentiam, & in honore nuptias. Adinuenit rationes, quib⁹ impunitam introduceret scortationẽ. Primũ per speciem castitatis, deinde per speciem cõiugij insolubilis. Excogitauit continentiæ uotum & coniugij legitimi interdictũ. Nisi enim in sacerdotibus præcessissent ista, quis ferret illorum immundiciam, qua summum ecclesię probrum illatũ est? Deinde nisi accessisset in eo causa diuortij interdictum denuo nubẽdi, certe non tolerarẽtur scortantes in separatione coniuges, sed redigerentur ad castitatẽ coniugij. Nunc uero condonatur utrisq; uaga libido, illis propter uotũ continentię prę missum, istis uero propter ademptam denuo nubendi potestatem, ne cõiugium dirimatur, cum iam olim sit diremptum. Ad hunc itaq; modũ suis inuentis sub specie continẽtiæ, & coniugij nõ infringendi, contra utriusq; scortandi licentiã honestatẽ pessimã in ecclesiã Christi inuexit.

Reliquis autẽ ego dico non dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & ea assentitur, ut habitet cum illo, ne dimittat eam. Et mulier quæ habet maritum infidelem & is assentitur ut habitet cum ea ne dimittat illum.

Coniugibus Christianis scribebat Apostolus. Illorum autem aliqui, pro temporis illius ratione, utraq;, aliqui una tantum parte Christiani erant. Hactenus ijs, qui utraq;, mandatũ domini, nunc ijs qui una duntaxat parte ad fidem Christi uenerãt, adeoq; impari coniugio cohærebant, quomodo se gerere debeant ex spiritus sancti instinctu pręscribit. Erat autem huiusmodi coniugij duplex euentus. Vnde & sententiam suam iuxta euentuum rationem bipertita cõditione accommodat. Non enim eodem modo infideles coniuges erga fideles sese gerebant. Nam quidam eorum Christiani nominis professionem non usqueadeo in cõiugibus fidelibus abhorrebant, ut illius nomine coniugij uinculum dissoluendum putarẽt, quidam uero contrà ita erant nomini Christiano infensi ut fideles coniuges suas aut abigerent, aut ad pristinę superstitionis impietatem reclamante conscientia adigerent. Vt itaq; fidelis coniunx, siue maritus siue uxor, quid utrobiq; faciẽdum sit, cognosceret, causam hãc tractare uoluit Apostolus, breuiter quidẽ sed dilucide. Erat enim periculũ ne uel imprudẽti

zelo peccarent in legem coniugij, uel coniugij prætextu deficerent à fide ac professione Christianæ religionis, atq; ita utrobiq; in Deũ delinquerent.

RELIQVIS autem.] Non intelligit alios quàm eos coniuges, quibus erat impar coniugium, quod sequentia declarant. Loquitur autem ad hunc modum, ut distinctim de utroq; coniugum genere tractet, separans impares coniuges à paribus, de quibus hactenus egit.

EGO dico, nõ dominus.] An Apostoli est aliud loqui q̃ uerbum domini? Qui loquitur inquit Petrus, loquatur tanq̃ sermones Dei. Et ipse Paulus: An experimentũ quæritis eius qui loquitur in me Christus? Quid est igitur quod hic dicit: Ego dico non dominus? Suprà monui duplex esse præceptionum domini genus. Vnum quod per ipsum dominum, alterũ quod per ministros domini apostolos ex instinctu spiritus domini traditum est. Ad posterius pertinet hic locus. Non intelligit hoc se non ex domini sententia dicere, sed distinguit hoc genus præcepti à superiore, quod peculiariter erat ab ipso domino positum. Non est autem hinc colligendũ quod hoc præcepti genus libere possit & impune contẽni ac trãsiliri, eo quod nõ sit ab ipso domino sed illius Apostolo datum. Licet enim merito plus moueat quod ab ipsius domini ore progressum est, ut tamen non est præter domini sententiã quod ab apostolis traditur, ita non debet contemni à fidelibus & pro cuiusq; arbitrio uel seruari uel negligi. Perinde atq; in ædibus ac familijs bene institutis maximam quidem autoritatem habet quod ipse per se paterfamilias præcipit, ut liceat ἐμφατικῶς illius œconomo dicere: Hoc non ego præcipio sed dominus, interea tamẽ non est derogandum iussis œconomi cui paterfamilias gubernandæ domus potestatem concredidit, ut in ipsum patremfamilias peccare credatur, quisquis hoc temere fecerit.

1.Pet.4.
2.Cor.13.

SI quis frater.] Notũ est Apostolo fratris ac sororis dictiõe Christianũ hominẽ significari.

ET mulier.] ut de marito loquitur qui frater sit, id est, fidelis, ita & de muliere non quauis sed quæ soror sit & fidelis intelligendus est hic, ubi dicit, & mulier.

VXOREM habet infidelem. Et: Virum habet infidelem.] ἄπιστος etiam is dicitur, qui fidem datam non seruat, quem Latini perfidũ uocamus. Sic Dido Æneam perfidum appellabat, dissimulare etiã aiebat, sperasti perfide tantum, posse nefas? At hoc sensu nõ est posita ab Apostolo hæc dictio. Neque enim præscribit quid faciendum sit in coniugio, si pars altera coniugalis fidei seruans nõ fuerit, sed quid Christianus facere debeat, si cõiugem habeat non Christianam. Hoc sensu γυναῖκα ἄπιστον uxorem uocat infidelem, id est, extra Christianæ fidei professionẽ cõstitutam. Alioqui quis ita facile certo cognoscet de uxore sua Christi fidem oretenus professa, reuera ne Christo fide-

A lis sit, an fidem Christi magis simulet q̃ in corde habeat? Huius admoneo, ut id quod 2.Cor. 6. de relinquẽdis infidelibus ponitur, recte intelligamus, ne cum anabaptistis separationẽ fidelium ab ijs qui putantur parum esse fideles, licet sub nomine Christi cõstituti, somniem⁹. Apostolo infideles non uocãtur qui nominis ac fidei Christi religionem, etiã falso, amplexi sunt, sed qui illam aperte respuunt, quos impios, incredulos, & gentiles uocamus.

ET ipsa assentitur, ut habitet cũ illo.] Non dicit, καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ, & ille assentitur, neq; καὶ αὐτῇ εὐδοκεῖ, & ipsi placet, sed συνευδοκεῖ, assentitur, aut complacitum illi est, uidelicet infideli coniugi. Sunt itaq; duo notanda. Vnũ, quod cohabitationem connubialem in arbitrium ponit non fidelis sed infidelis cõiugis. Non dicit: Si quis frater uxorem habet infidelem, uolueritq; cum illa habitare, non dimittat eam, sed si illa assentitur ut habitet cum ipso ne dimittat eam. Scribit enim nõ infideli sed fideli, nõ quid ille facere possit aut non possit, sed quid in casu debeat, ostendens non licere etiam infidelem coniugẽ dimittere, nisi illa manere noluit. Alterũ quod consensus iste debeat esse nõ mulieris infidelis tantũ, sed cum primis & mariti fidelis. Præsumit enim ita comparatũ esse fidelis uiri animũ erga cõiugẽ infidelẽ quoq;, ut illam cupide, si fieri possit, apud se retineat. Ideo dicit: Et ipsa συνευδοκεῖ, id est, unà consentit, idẽ ipsi quod fideli marito, placet. Ad hunc B modum ubiq; affectos nos esse dicit: Vt primi quod iustum & æquũ est probemus, paratiq; simus ad omnia, quæ uel Deo placent uel proximo sunt proficua, ut si cui infidelium quoq; idem sit animus, possit nobis dici συνευδοκεῖν.

Obseruandum iuxtà est, quanta simplicitate fidelem coniugem instruat, ut retineat coniugem infidelem, si illa assentiatur ad cohibitãdum, non expendens, quibus id causis mota faciat, modo assentiatur. Potest enim iste infidelis coniugis assensus uarias habere causas. Vtpote, si sit ex tepore quodam erga propriã superstitionẽ, quod & inter nos uidemus multis accidere qui propter stupiditatem quandã & ἀδιαφορίαν erga Christianam religionẽ & ueritatis causam, etiam cum Turcis usq; ad connubialem thorũ, modo commodum esset, cõiungerentur ac cohærerẽt. Certe uerisimile est multos hac ratione fidelibus coniugibus cohæsisse. Aut si oriatur ex singulari quadam animi mansuetudine, aut ex carnali erga coniugẽ amore uel certe ex affectu propensiore in cõmunes liberos. Non curat ista Apostolus hoc in loco, nec exigit ut accedat fidei assensus, sed contentus est ut assentiatur infidelis ad cohabitandum iuxta leges coniugij. Proinde nec fidelis anxius esse debet, in perquirendis assensus huius causis, licet optare debeat, ut iustæ sint ac tales, quæ futuræ resipiscentiæ præludere queant. Videlicet, si assentiatur infidelis propter animi mansuetudinem, uel dilectionem connubialem, aut liberorũ amorem, aut quod

1
2
3
4

quod optimum esset, ex quadam animi ad fidem Christi inclinatione. In his omnibus posset aliquid spei esse, fore ut per mutuam cohabitationem sensim incipiat approbare Christi religionem. Et uero causa, quæ ex stupore, tepore, & ἀδιαφορία erga propriam superstitionem est, ut motu facilis est, ita parum habet firmitudinis, ut metuendum sit, eundem fore talem coniugem in Christianismi qui est in Gentilismi professione.

Est autē non solum in isto pręsenti casu obseruandū, quod de cohabitandi consensu scribit Apostolus, sed & in uniuersis coniugijs, ut & nos illo contenti simus, nec curiose inuestigemus, quibus rationibus placeat uxoribus nostris, ut nobiscum iuxta coniugij legem cohabitent. Quis dubitat innumeros esse, qui parum honesta de causa legitimis maritis conuiuāt? Quicquid illas moueat, modo ad cohabitationē legitimā consentiāt, non licebit maritis ultra illā aliquid ita exigere, ut nisi id assequantur diuortium affectent. Quanq̃ enim ut Chrysost. alicubi inquit, ἀπὸ τῆς γνώμης τὰ πράγματα κρίνεται, iudicio tamen domini permittendū est, quid quāq; ad connubialē societatem permoueat, nisi quod optādum est, ut animo sint ad status huius sanctimoniam accōmodo.

NE dimittat eam.] Hoc est, bona & secura conscientia illam retineat. Non enim id tantū agit, ut infidelē coniugē si illa assentiatur ad cohabitandū, non dimittat frater, sed ut sciat se bona conscientia illius cōsuetudine pro ratione thori legitimi uti posse, & debere etiam, nō secus q̃ si & ipsa fidelis esset. Neq; enim tā consulit quieti domesticę q̃ fidelium conscientijs, nec de noua quadam coiugum cohabitatione præscribit, quæ expers sit legitimæ status huius cōsuetudinis. Est quidem ista imparium coniugū cohabitatio quod ad religionis synceritatē attinet, satis periculosa, ut parū consyderanti mirum uideri posit, an non cogitauerit Apostolus, fieri posse, ut fidelis maritus per infidelis uxoris consuetudinē uel ad Gentilismum reducatur, uel certe ἀδιαφορίαν quandam erga Christi religionē imbibat. Quātum sane hac in re sit periculi, ipsum mandatum Dei Iudæis Deut. 7. traditum satis exprimit. Non sociabis cum eis, inquit, id est gentibus, cōiugia. Fliam tuam non dabis filio eius, nec filiā illius accipies filio tuo. Quia seducet filiū tuum, ne sequatur me, & ut magis seruiat dijs alienis, irasceturq; furor domini, & delebit te cito. Deinde & exemplū Israëlitarum apertam habet imparium coniugiorū dissolutionē, etiā eorū, in quibus coniuges procreatis liberis parentes euaserant ut simul coniunx à cōiuge, & parens à liberis separaretur. Quid ergo rationis fuit Apostolo, ut Christianis legem hanc periculosam præscripserit?

Deut. 7.

1. Esdræ 9. 10.

1 Primū, spectandū hac in re fuit Apostolo nō quid plus quid minus haberet periculi, sed quid esset ex ordine diuino iustum & seruandum. Seruandū autē est legitimi coniugij uinculū. Id legitimum & integrū est, donec fides illius, qua nititur salua persistit. Illa uero non uiolatur aliqua superstitione, quia non cōstat uerę religionis professione, quasi ij soli sint cōiuges, qui pij sunt. Cum ergo in hoc casu, integrum sit adhuc cuiq; coniugum matrimonij ius, non potuit Apostolus aliud præscribere, q̃ ut cauerent fideles, ne propter incredulitatē infidelis coniugis matrimonium dissoluerēt, utut esset ista cohabitatio periculosa. Nō enim faciendum est malum, ut eueniant bona.

2 Deinde quod attinet ad præceptum Dei Deut. 7. aliud est præcipere fidelibus ne cōiugium ineant cum infidelibus, cum liceat cuiq; de sua sibi gēte & fide thori consortē sumere, & aliud uetare ne matrimoniū in Gentilismo ab infidelibus contractum, ubi fides alterutri parti accessit, religionis gratia dirimatur. Apostolus hic nō dicit: Si quis frater nupturus est cum muliere infideli si illa assentitur ut habitet cum eo, nubat illi, sed si quis frater habet infidelem uxorem & illa assentitur, &c. ne dimittat eam. Infrà uero dicet: Si uult nubat, tantum in domino, quibus uerbis & ipse uetat fidelem nubere infideli. 3 Tertio factū quoq; Israëlitarū aliam habuit rationē. Qui alienigenas uxores duxerant, anteq̃ illas duxissent erant fideles ex populo Dei, deinde contra expressum Dei mandatum, quod Esdras magno cum luctu queritur, illas duxerant. Itaq; merito separabantur huiusmodi coniugia. In hoc uero casu, quoniam nec fidelis infideli, nec cōtra aliquod Dei mandatū, nupserat, nō potuit Apostolus talibus coniugibus aliud pręscribere, q̃ ne fidelis infidelē dimitteret, si assentiretur ad cohabitandum.

Sanctificatus est enim maritus incredulus per uxorem, & sanctificata est uxor incredula per maritū. Alioqui filij uestri immūdi essent nūc aūt sancti sunt.

Hęc est αἰτιολογία eius quod dixit, ne dimittat eam. Forsan putabant imperitiores Christiani, talem cohabitationē esse immūdam & illicitam, metuebantq; ne unum corpus cum eidololatra coniuge fierent, quemadmodum qui scorto iungitur, unum corpus cum scorto redditur, atq; ita ex membris Christi facerent iam membra eidololatræ, quod plus haberet peccati, q̃ si illa facerēt membra scorti. Ob hāc causam dicit: Sāctificatus est enim maritus incredulus, &c. Hoc est, maritus enim incredulus in uxore, id est, in uxoris cōiunctione, quę per matrimoniū est, iam olim uirtute nuptiarum mundatus est, ut illius coniunctio & copula nihil habeat impuri, ita uicissim & uxor incredula propter legitimum cōiugium quo uiro coniuncta est iam olim mūdata est, ut nō polluat fidelis, si illi cohabitet. Sumitur enim hic sanctitatis dictio pro mundicia coniugalis thori, quam ille habet ex traditione Dei. Ideo dicit: Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Debebat dicere, nūc autem

Vide hic Chrysost.

mundi sunt, nisi idem hoc loco esset sanctum esse atq; mũdum esse. Est itaq; simplicissimus huius loci intellectus primum in eo, ut sanctitatis dictionem non intelligamus de ea sanctitate quæ est uel ex fœdere Dei, uel ex spiritu fidei, quo credentes in populum Dei sanctificatur, sed de mundicia coniugalis thori. Alioqui molestam pariet disputationẽ, quomodo uir infidelis sanctificatus dici possit. Deinde ut hanc sanctificationẽ, id est, mundiciam tribuamus nõ fidei cõiugis fidelis, sed coniugio propter traditionem Dei, cum Hieronymo, qui dicit, quia ex traditione Dei sanctæ sunt nuptię, & Ambrosio, qui ita habet, sancti sunt liberi, quia ex legitimis coniugijs nati sunt. Proinde illud: ἐν τῇ γυναικί, & ἐν τῷ ἀνδρί, id est, in uxore, in marito, non est ita legẽdum, ut addatur fideli, quod habet uetus interpres sed simpliciter ut Gręcus habet. Quod si addendum aliquid est, satius est ut addatur, legitimo, uel legitima, ut intelligamus uirum infidelem in coniuge legitima mundatum, id est, uirtute coniugij legitimi non esse impurum sed purum quantum attinet ad legem & cohabitationem coniugij, licet impurus sit, quod attinet ad commercium religionis, de quo uox erat diaconorum in ecclesijs. Abscedant prophani, accedant sancti.

Notandus est hic locus, non solum in hoc casu dissimilis religionis, sed & in alijs consimilibus utpote si uxor maritum habeat sub signaculo quidem Christi constitutum, interea tamen nulla fide nulloq; timore Dei præditũ, sed nefarium & flagitiosum. Non sit anxia, ne polluatur admixtu mariti flagitiosi & improbi. Licet enim sit & uita, & animo & moribus impurus, purus tamen est illius congressus & conuictus, propter sanctitatẽ matrimonij. Purus est inquam piæ coniugi, licet ipsi impuro nihil sit purum. Spectandum est qua in re & quatenus coniungatur pius impio, fidelis infideli. Si mariti flagitijs non assentitur uxor pia, conuictu illius non potest pollui quemadmodum nec fidelis prophanatur per copulam infidelis, nisi illi in infidelitate coniungatur. Noui multas inbecilles consciẽtias hac in re fluctuare ac perplexas esse, quibus declaratione ista Apostolica succurrendum est, ne frustra turbẽtur, aut diuortium meditando contra legem coniugij in Deum peccent.

Qui opinionem septem sacramentorũ ecclesię tuentur, & scripturis probare conantur, præsentem locum ad defendẽdum matrimonij sacramentũ usurpant, rogantes quãobrem maritus infidelis sanctificatus sit, & liberi talis coniugij sancti, nisi propter sacramentum cõiugij? At isti debebãt cogitare, statum quęstionis esse nõ in genere de mysterijs, sed de sacramentis ecclesiæ & noui testamenti. Si noui testamenti sacramentum est matrimonium, fatebuntur aut illum non esse legitimum extra noui testamenti tempus aut si hoc nequeunt, gentes & infideles nobiscum communicare in ecclesiæ sacramentis. Deinde respondeant, quomodo definitio sacramenti, quam tenent ex Augustino theologi, locum habeat in matrimonio. Dicit enim Augustin⁹: Accedat uerbum ad elementum & fit sacramentũ. Per uerbum intelligit Christi promissionem & institutionem, ut in baptismate & Eucharistia, per elementum uero rem uisibilem, in qua sit similitudo rei significatæ, quam queas uocare uisibile uerbum. Mysterium tribuit Apostolus cõiugio, Ephesiorum quinto: At non mox sacramentum est ecclesiæ, quod mysteriũ in se habet. Alioqui tot habebimus sacramenta, quot mysteria.

ALIOQVI filij uestri immundi essent, nũc autem sancti sunt.] Ambrosius hanc particulam ita exponit. Alioqui, id est, si uir fidelis coniugem infidelem dimitteres & aliam duceres, essent filij uestri immundi, quia uos redderemini adulteri. Nunc autem, id est, si infidelem coniugem retineas, sancti sunt, quia de legitimo coniugio nati sunt. Simplicius uero est ut intelligamus Apostolum respicere ad coniugij sanctimoniam etiam eorum qui extra fidem Christi coniuges sunt. Quasi dicat. Nisi esset coniugium sanctum & mundũ etiam inter infideles, quid aliud sequeretur quàm omnes infidelium liberos esse spurios & immundos? Sed absit. Sãcti sunt, quia de legitimo cõiugio nati sunt. Ambrosius respicit ad id quod dixit, ne dimittat eam. Altera expositio, ad id quod dixit, sanctificatus est uir infidelis in coniuge.

Abusus sum aliquando pręsenti loco contra errorem anabaptistarum, infantes Christianorum baptismo arcentiũ, putans illud: Nunc autem sancti sunt, idem esse atque, de populo Dei sunt propter fidelem parentem. Verum, licet in se firmum sit, quod credentium liberi & sancti & ad populũ Dei propter fœderis participationem pertinentes, adeoque baptismatis, tanquam signi fœderis participes sunt, nihilominus ad hanc causam præsens locus nihil facit, in quo non de fœderis & populi Dei sanctimonia sed de cõiugij legitimi, etiam infidelium, puritate agitur. Non enim liberis tãtum, ad quos forsan poterit ita pertinere fidelis parentis sanctimonia, ut fœderis Dei sint propter illam participes, sed & maritis & uxoribus infidelibus sanctimonia adscribitur, utut fidei Christi repugnent. Nec de alia agitur sanctitate ac puritate liberorum, quàm quę & infidelibus parentibus competit. Illis autem non competit alia, quàm quæ est ex coniugio legitimo. Aliàs satis testimonij habetur ex scripturis, unde erroris conuinci poterunt anabaptistę, ut nihil opus sit hoc loco cõtra illos uti.

Quod si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace uocauit nos Deus.

Hactenus ostendit quid faciendum sit fideli, si

li, si coniunx infidelis ad cohabitandum consenserit: nunc uero si accidat ut Christianæ religionis impatientior rupto coniugij uinculo discedat, quid tum facere debeat fidelis, quandoquidem id, ut uerisimile est, crebro usuueniebat, ex ordine docet, cum dicit: Quod si incredulus discedit, discedat. Quasi dicat. Si uero incredulus ad cohabitandum non assentitur, sed propter odium Christiani nominis diuortium instituit, atque ita discedit, ut conuictum & consortium coniugij deneget, discedat, nihil est quod hic possis aut debeas, sed sine ut suopte uicio separetur, modo tamen illi non des iustam separationis causam.

Non hoc agit Apostolus, ut iubeat fidelem susq; deque ferre coniugis separationem, per id quod dicit: Quod si discedit, discedat, neq; uetat, si qua queat humanitate & comitate in officio retineri, quin hoc fiat, modo non obsit Christianæ professioni, sed consulit imbecillium conscientiæ, ostendens per discessum infidelis coniugis nihil peccati deriuari in fidelem, neque hoc exigi, ut discedentem uel ui uel iure detineat. Et huc etiam sequentia pertinent.

NON est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi.] Ista expositionem habet eius quod dixit, discedat, si discesserit, ut indicet, per istum infidelis coniugis discessum liberari à lege coniugij fidelem. Quod enim dicit, non est seruituti subiectus frater in huiusmodi, quid aliud est, quàm liber est à lege ac seruitute coniugij? Et hinc est quod Ambrosius concludit, in huiusmodi casibus licere insonti denuo nubere. Nam sic scribit hoc loco. Non debetur reuerentia coniugij ei, qui horret authorem coniugij. Non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deũ, si alij se iunxerit. Contumelia enim creatoris, soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. Hæc ille. Est autem caute legendus hoc loco Ambrosius in eo quod dicit: Non est ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione est. Apostolus non ita scribit. Libertatem nanque fidelis coniugis, à lege coniugij, non ponit in eo, si coniunx alter sit sine deuotione Dei, sed in discessu coniugis infidelis. Alioqui iubet, ne dimittatur, si consentiat ad cohabitandum. Non dicit, si consenserit in Dei deuotione. Sequeretur ex uerbis Ambrosij nec inter Gentes nec inter Iudæos, imò neque inter eos coniuges, qui etsi sub nomine Christi constituti, non utrique pij essent, ratum censendum esse matrimonium, quasi fundamentum matrimonij sit in consensu deuotionis Dei constitutum, ut liceat pio coniugi, absque ulla peccati conscientia, discedere à coniuge impio, nisi uelit cohærere in matrimonio non rato, quod nihil aliud esset quàm sub nomine ac specie matrimonij scortari. Verum est quod colligit, at nõ ex causa quã assignat ipse, sed quã Apostolus ponit.

Ambros.

A Non dicit quidem, non est seruituti subiectus frater in huiusmodi, sed alteri potest nubere. Satis est, quod liberũ facit fidelem, si coniunx infidelis discedat. Nam nihil aliud sequi potest, quàm si liber est fidelis, ut non peccet denuo nubendo. Si enim peccaret, non peccaret aliunde, quàm quod liber non esset à lege prioris coniugij. Ita Rom. 7. ubi dicit mortuo uiro liberam esse uxorem à lege mariti, adiungit illam non esse adulteram, si iungatur alij uiro. Quare. Quia per mortem liberata est à lege coniugij. Nisi hoc esset, non liceret adspirare ad alteras nuptias. Ita plane & hoc loco, ubi sua sententia liberum à seruitute cõiugij pronunciat coniugem fidelem, si infidelis discedat, nemo rei huius intelligens aliud tenere potest quàm licitas esse derelicto fideli coniugi, alteras nuptias. Nec opus erat illud adiungere, sed satis erat liberum cuiusuis conscientiæ & necessitati permittere. Alioqui debebat addere, quod in priore casu adiecit, uidelicet, ut derelictus fidelis maneat innuptus, expectetq; separati reditum & conuersionẽ. Sed hoc fuisset periculosum.

Simul aduerte, quod non uiro tantum id libertatis assignat, sed pariter & uxori, quod repugnat sententiæ Ambrosij, cuius suprà alicubi memini, qua non id potestatis facit uxori quod uiro, in huiusmodi casibus.

Sunt qui discessum infidelis coniugis latius extendant, quàm præsenti negocio cõueniat, B uidelicet, ut liceat denuo nubere derelicto, quacunque causa altera coniunx, siue propter iram, uel μεχθηρίαν aliquam discesserit, eò quod illicite deserere coniugẽ, sit hominis nõ Christiani, sed gentilis & infidelis. Temerarius discessus, si sit pertinax, uidetur quidẽ à lege matrimonij eximere insontem ac derelictam. Verum meo iudicio plurimũ refert, quibus causis discessus fiat. Nolim temere in huiusmodi casibus pronũciare, nisi periculum certum sit scortationis, & nulla reconciliationis spes.

SED in pace uocauit nos Deus.] Græcè est ἐν δ' εἰρήνῃ. In pace uero. Et sensus est: Nostri officij est ut cum omnibus pacifici simus, nemini dantes dissentiendi ac litigandi causam, nedũ coniugibus. Non enim uocati sumus ad dissidia & iurgia, sed ad pacem.

1 Quidam referunt ad id quod dixit: Si consenserit ad cohabitandum ne dimittat eam, ut intelligamus Christianæ fidei professionem non separare quæ bene coniuncta sunt, nec in dissidia constituere, quibus competit, ut pacem conseruent, ut illius gratia non debeat fidelis coniunx ab infideli separari, si assentiatur ad cohabitandum.

2 Alij applicant proxime præcedentibus, ubi dixit: Si discedit, discedat, ad hunc modũ. Non exigit uocatio & professio Christianę fidei, ut fidelis coniunx cum infideli iurgetur et contendat, coneturque illum uel ui uel iure in officio detinere, ne discedat, neque hoc exigit ut iurgantem & nomen Christi opprobrantem

tem sustineat. Non enim ad disidia, sed ad pacem uocati sumus. Proinde si non potest fidelis consensum infidelis obtinere, ut in pace cõuiuat, sinet illum discedere. Ita ad utrunq; sensum haud inepta est ista particula.

Infrà 14. Alibi dicit: Non est enim dissensionis Deus sed pacis. Admonemur igitur his uerbis quæ rationis uice adiecta sunt, ut in omnibus pacẽ sectemur, quantum in nobis est, ut neq; disidijs nostris abigamus coniuges, neq; iurgãtes & discedentes contentiose retineamus. Vt enim pacis studio repugnat, si coniunx propter religionis diuersitatem dimittat coniugem, ita & pacis esse non potest, si disidentem ac discedentem conetur uel uiolenta uel iuridica contentione retinere.

Sed quęritur, quomodo dicat Apostolus in pace nos uocatos esse, quod cogimur intelligere hoc loco de domestica illa & coniugali tranquillitate, cum tamen Christus dicat: Putatis quod pacem uenerim mittere in terram? Non dico uobis, sed separationem. Erũt enim ex hoc quinq; in domo una diuisi, tres contra duos, & duo contra tres: diuidetur pater aduersus filium, & filius aduersus patrem, mater aduersus filiam, & filia aduersus matrem, socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum suam. Et in Matthæo additur. Et inimici hominis domestici eius. Si Christus istã separationem uenit in terram mittere, quomodo dicit Apostolus, in pace nos esse uocatos? Quæstionis huius duplex est solutio. *Lucæ 12. Matth. 10.*

1 Prima, ut dicamus separationem istam regni Dei prędicationem in terra consequutam esse, non à Christo studio quęsitam. Ita euenit, ut per fidei prædicationem Euangelij contradicentibus incredulis oboriretur contentio ista & separatio domesticorum cognatorumque, quæ licet in se sit miserabilis, optabilior tamen est, quàm si in malo constaret pax & concordia.

2 Altera, ut si omnino contenditur disidium hoc etiam quæsitum, & studiose à Christo motum esse, dicamus intelligendum esse primum non de alio quàm religionis. Neque enim credendum est, quod in se cupiuerit separata quæ Deus coniunxit, deinde id etiam non ita, ut fideles disidiorum sint authores, ut & reuera non sunt. Neq; enim author dissidij est & separationis, qui ueritatem ac pietatem amplectitur, & ad hoc instruitur, ut q̃ sanctisime seruet quæcunque diuinitus sunt instituta, ut sunt coniugia, & parentum maiorumq; obseruantia.

Proinde nihil diuersi est utrinque in uerbis Christi & Apostoli. Christus malam illam, quæ in errore erat concordiam, non eam quę coniugum & cognatorum est, disturbare uenit. Et fideles ab Apostolo non docentur, ut in errore ac superstitione consentiant infidelibus, sed ut seruata Christi fide, cupiant in officio retinere coniuges, & caueant ne sua temeritate causam dent separationi. Si uero id fieri A nequeat, reluctantibus incredulis, ac discedentibus, sinant illos absque conscientiæ scrupulo discedere, ut qui in huiusmodi non sint seruituti subiecti.

Qui nanq; scis mulier, an maritum sis seruatura? Aut qui scis uir, an uxorem sis seruaturus?

Apostrophe est ad ipsos coniuges fideles, percontatoria, rationemque habens præmissorum, quod patet ex particula γάρ. Exponitur autem bifariam.

1 Quidam enim ad id referunt quod dixit, si discedit, discedat, quasi id nolentem fidelem, sed infidelem seruare cupientem, percõtetur, Vnde sciat se seruaturum, id est, ad fidem conuersurum, infidelem ac discedentem coniugẽ, si conetur illam uel ui uel iure detinere. Appa ret hoc sensu argumentum esse ex incerto & dubio, cuius gratia nihil periculi certi sit subeundum. Periculosum enim est fideli coniugi habitare cum infideli contendente & iurgante, ut magis sit illius timendus relapsus, quàm istius speranda conuersio. Quasi dicat. Cum incertum sit, an sis infidelem coniugem seruaturus, tantopere reluctantem, ut cohabitare nolit, qua ratione conaberis illam tanto periculo retinere? Neque enim aliquid spei apparet futuræ conuersionis, posteaquam usqueadeò Christi religionem abhorret, ut illius gratia cohabitationem recuset?

B 2 Alij ad id referunt, quod dixit: Si consenserit ad cohabitandum, ne dimittat eum, quasi sit argumentum à spe meliori in rebus dubijs amplectenda sumptum, ad hoc faciens, ut persuadeatur fidelis coniunx, ne infidelem, si ille consenserit ad conuiuendum, dimittat, quod non solum id fieri non liceat, sed & per hunc conuictum spes esse posit ut seruetur, & ad fidem conuertatur. Ita exponunt Chrysostomus, Hieronymus & Ambrosius. Vtut intelligamus, certum est, quod ista pendeant à præcedenti particula qua dixit: In pace uero uocauit nos Deus. Illa si probe intelligatur, adferet secum & huius adiectæ rationis sensum. Non uideo quid periculi sit in utroq; sensu. Nam utrunque uerum est, uidelicet, quod spem conuersionis sibi concipere debeat fidelis de infideli, si cohabitare non detrectet, illiusque gratia multa facere, ad quod hortatur apostolus Petrus, rursus, quod non debeat cõtendere, & uiolenter ad cohabitandum cogere reluctantem ac discedẽtem, eò quod de huiusmodi haud facile sperari posit, quod seruari queat. Proinde in hoc casu & consimilibus opus est prudentia spiritus, diligenterque uidendum quid sperari posit quid non, ut & proximi salutem, si illa sperari posit, non negligamus, & rursus caueamus, ne certa pericula subeamus, ubi nulla sunt argumenta resipiscentiæ, nec aliquid sperari potest, cuius gratia quod periculosum est, subeatur. *1. Pet. 3.*

Vtcunq;

Vtcunq; fuerit, unusquisq; ut ipsi partitus est Deus, unusquisq; ut illum uocauit dominus, ita ambulet. Et sic in ecclesijs omnibus ordino. Circūcisus aliquis uocatus est? ne accersat præputium. In præputio aliquis uocatus est? ne circūcidatur. Circumcisio nihil est, & præputiū nihil est, sed obseruatio mandatorū Dei. Vnusquisq; in ea uocatione in qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ, quinetiam si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in domino uocatus est seruus, libertus est domini. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisq; in eo, in quo uocatus fuit, fratres, maneat apud Deum.

Habet hoc Christiana religio, ut necessarios humanæ uitæ status tam non è medio tollat, damnet aut inuertat, ut si quid illis accesserit peruersi, magis corrigat, atque ita in integrū emendatos restituat, non iubens dirimi coniugia, sed illibata pro institutione Dei seruari, nec seruos adimēs dominis, nec dominis excutiens ius in seruos, nec libertos conijciens in seruitutem, nec seruos extollens in externam illam sæculi huius libertatem, nec circūciso iniungens præputium, nec præputiato circumcisionem, sed omnes hosce status intactos relinquens. Huius suprà cœperat admonere, ubi dixit: In pace uero uocauit nos Deus. Verum quoniam id erat & breuius & obscurius dictum, quàm ut ab imperitioribus satis intelligeretur, uisum est ista declarandi gratia adijcere, & generaliter nō de coniugio tantum, sed & de reliquis statibus instruere Corinthios. Credibile est multorum cōscientias peruersa fuisse opinione turbatas, quasi nouitas religionis, non mentis & uitæ solum, sed & pristini status immutationem exigat, maxime si cui relatio sit ad impios & incredulos, utpote coniugis fidelis ad infidelem, serui fidelis ad infidelem dominum. Proinde ista declaratio, quamuis nihil aliud agat, quàm quod suprà dixit: In pace nos esse uocatos, necessario tamen propter inconsyderantiores adiecta est, ne illorum conscientiæ frustra ubi nihil est opus turbentur.

VTCVNQVE fuerit, unusquisque, &c.] Particula hæc uarie legitur, nec eodem modo exponitur. Sunt qui illam præcedentibus, sunt qui sequentibus connectant. Quidam illam etiam in seipsa conuellunt, & partem illius præcedentibus, partem uero sequentibus asignant. Græcè est εἰ μὴ, quod aliquando sonat, an non, aliquando, nisi.

Εἰ μὴ.

Aut non.

Qui legunt, an non, applicant præcedentibus ad hunc modum. Qui scis uir, an uxorem sis seruaturus, an non? Et istam distinctionem Græci quidam codices exigunt, qui pro εἰ μὴ, habent ἢ μή: id est, aut non? Deinde quod sequitur: Vnicuiq; sicut diuisit dominus, faciūt initium sequentis contextus.

Nisi.

Qui uero legunt nisi, ita præcedentibus cō iungunt: Qui scis uir an uxorē sis seruaturus? Nisi sicut unicuiq; diuisit dominus, hoc est, nisi quatenus à domino unicuique dispositū est, quando & per quos ad fidem ueniat. Sic Ambrosius intelligit, cuius hæc uerba sunt: Diuisit unicuiq; dominus quādo saluetur, hoc est, scit quando possit credere, & sustinet illum. Sic & hic docet expectādos esse infideles, nec scandalū de his pati debere. Prior lectio & expositio mihi uidetur & uerior & simplicior esse.

Ambrosius.

Erasmus aliter legit. Putat illud εἰ μὴ, seorsum esse legendum, ut nec præcedentibus nec sequentibus cōnectatur, ut idem ualeat, atq;, in summa, utcunq; sit, qua loquendi forma relictis incertis ac dubijs ad certa transitur. Incertum est, infidelem ne fidelis seruaturus sit aut non sit. Illo relicto ad id quod certum est, transit, cum docet, unicuiq; in eo statu manendum esse, in quo ad Christi fidem uocatus est. Ista loquendi forma Latinis quidē in usu est, ignoro an Græci illa per εἰ μὴ utantur, alioqui haud inepta est hæc lectio.

Vtcunq;.

VNVSQVISQVE ut ipsi partitus est Deus.] Græca lectio sic habet: ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ θεός. Id est, unicuiq; sicut diuisit Deus. Et: ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ κύριος, οὕτως περιπατείτω. Id est, unumquenq; sicut uocauit dominus, ita ambulet. Atque ita ad uerbum reddidit uetus interpres. Verū Latinis auribus dura est ista uersio. Proinde quod Apostolus suo more scribit, ἑκάστῳ ὡς, pro ὡς ἑκάστῳ, & ἕκαστον ὡς, pro ὡς ἕκαστον, quemadmodum & Rom. 12. legitur, commodius uertendum est, ut & Eras. reddidit. Videlicet, quisque ut ipsi partitus est Deus, quisq; ut illum uocauit dominus, ita ambulet.

Summa loci huius est, ut quisq; maneat, ut à domino uocatus est. At ista uidetur bifariā exponi posse.

1 Primo, ut illa, unusquisq; ut ipsi partitus est deus, unusquisq; ut illū uocauit dominus, ita ambulet, idem sint, atq;: Ad quemcunque uitæ statum quisq; uocatus est diuinitus, in illo ambulet, ut uocandi uerbum non ad fidei causam, sed ad ordines ac status humanæ uitæ pertineat. Et ista sententia primum admonet status illos uitæ nostræ, utpote coniugum, uiduarum, dominorum, seruorum, libertorum, & nationum uarietatem, esse à Deo, ne quis putet tanquam sæculares & immundos hosce ordines uitandos esse Christiano. Deinde non solum illos à Deo esse, sed & illorum quoq; dispositionem ita diuinitus administrari, ut cuiq; sua conditio, ordinante Deo cedat. Id innuit diuidendi uerbum, cum dicit: Vnusquisq; ut ipsi diuisit Deus, ne quem suæ conditionis pudeat, sed quisq; sciat in eo sibi statu fideliter persistendum esse, in quem sit diuinitus constitutus.

2 Alterq

2 Altero modo possunt ista exponi, ut uocandi uerbum non ad status & ordines humanæ uitæ, sed ad Christi fidem sit referendum. Ita quod dicit: Quisque ut illum uocauit dominus, ita ambulet, tantundem ualebit, atq;, in quocunque statu quisque constitutus, ad fidem Christi uocatus est, in illo ambulet. Sic illud: Circumcisus aliquis uocatus est, idem est atque, in circumcisione constitutus aliquis ad Christum uocatus est.

Quanquam illud quod in repetendo hanc summã dicet: Quisque in ea uocatione, in qua uocatus fuit maneat, uidetur utrique sententiæ competere. Habet enim duplicem uocationem. Primam status in quo quis positus ad Christum uocatur. De illa est, quod dicit: Quisque in ea uocatione, in qua, &c. Alteram religionis Christi, ad quam uocatur quis, siue dominus, siue seruus, siue Iudæus, siue Græcus, siue coniunx siue ἄγαμος. Hanc notat, cum dicit: Vocatus est, intellige ad Christianismũ. Ista uolui breuiter annotare, sed ita ut cuique liberum sit, quod magis germanum putat apprehendere.

DE MONACHORVM *statu.*

Præsens hic Apostoli locus non potest aliter intelligi, q̃ uel de ea uocatione quæ statuũ humanæ uitæ est extra Christũ, uel de ea qua ex statibus illis ad fidem Christi uocamur.

Dicant autem monastici status defensores, quam ex hoc Apostoli loco uocationem assignare uelint monachismo suo. Si priorem, ergo qui monachi sunt, in statu sæculari sunt, extra Christum posito, è quo ad Christi fidem uocandi sint, ut non sit melior huius uitæ statibus, & nõ plus quàm illi commercij habeat cũ Christo. Si posteriorẽ, respondeat, quid fuerint ante monachismũ, Christiani ne uel increduli. Incredulitatẽ negabũt, etiã ante monachismi professionem. Ergo Christiani, adeoq; iam antea in uocatione Christi fuerũt, & permanere potuerunt, etiamsi monachismũ spreuissent. Non est igitur monachismus uocatio illa ad Christum, de qua hic loquitur Apostolus. Alioqui male iuberet quenque in suo statu manere, in quo fuit, cum ad Christum uocaretur, sed rectius quosuis uocaret ad monachatum.

Cum igitur monachismus non sit de his uocationibus, quæ hic ab Apostolo ponuntur, quæ est ista temeritas, quod hunc locum pro status sui defensione citant? Quin iam rogent Apostolum an idem sit pronũciaturus de monachismi statu. Cum enim ista scriberet, ne somniauit quidem de monachis.

Deinde certũ est quidem, diuersitatẽ quandam innui uocationis, de qua loquitur Apostolus, cum dicit: Vnusquisque ut uocauit dominus, ita ambulet. Verum ista diuersitas non est in eo ad quod uocat dominus, sed in eo unde uocat, aut si mauis, nõ in qualitate fidei, ad

A quam uocamur, sed in qualitate eorũ qui uocantur. Nam fides ad quam uocamur, una est & eadem, ad quam omnes pariter uocamur, ut nihil hic sit discriminis. At illi qui uocantur diuersi sunt, hoc est, in diuerso statu sunt. Nam alius seruus, alius libertus, alius coniunx, alius ἄγαμος uocatur, &c. Dicãt nunc monachi quò suam uocationẽ referre uelint. An ad eos status unde uocat Christus, uel in eam uocationẽ ad quam uocat omnes absq; ullo discrimine. Puto quod nolunt ad status istos humanæ uitæ, unde quidam ad Christum uocantur. Ergo ad eam uocationem, ad quam suos uocat Christus. Cur ergo diuersitatem habet monachismus à uocatione reliquorum Christianorum? Vocatio Christi, communis illa fidelium quæ ad salutem est, caret diuersitate. Ipsorum uero diuersa est. Ergo non est Christi uocatio, de qua Apostolus loquitur. Nihil igitur ad eos hic locus.

VT illum uocauit dominus.] Vocationem fidelium tribuit ipsi domino, licet apostolorũ fieret ministerio. Iste loquẽdi modus, quo dominus facere dicitur, quod per suorum ministerium fit, diligenter notandus est. Plurimũ enim authoritatis Euangelico ministerio tribuit, & admodum consolatur conscientias eorum, qui ministerio Euangelico, per quod uocantur, obtemperant, ut sciant se non humanitus, sed diuinitus ad Christianę fidei professionem uocatos esse. Certe non est apostolorum,

B sed Christi uocatio, quæ non in apostolorum, sed Christi nomine prædicatur. Ministerium uocandi apostolorum quidem est, sed ipsa uocatio domini. Hinc illud Apostolo in usu est: Qui uocauit uos. A quo uocati estis. Et 2. Thessalonicensium 2. Qui uocauit uos per Euangelium nostrum.

ET sic in ecclesijs omnibus ordino.] Non contentiosis plurimũ ualere debet, quod non solum ab Apostolo instituitur, sed ab omnib⁹ simul ecclesijs obtemperanter accipitur. Huiusmodi ordinationibus quisquis obluctatur, merito singularitatis & contentionis notã sustinet. Et hac puto ratione particulam istã adiectam esse, ut contentiosis minus esset occasionis reluctandi, uel certe imbecilliores conscientiæ hoc citius acquiescerent, quo uiderẽt sententiam hanc Apostoli in omnibus obtinere Christi ecclesijs. Talibus enim reliquorum fidelium consensus multum adfert persuasionis.

Hinc tamen nemo me putet istorum patrocinari argumento, qui in religionis controuersia quiduis ex multarum ecclesiarum consensu stabilire conantur. Non enim mox pium est & Deo gratũ, quod καθολικὸν est. Et multa sunt eiusmodi, quæ non possunt omnibus conuenire & prodesse ecclesijs. Et præterea non eandem meretur authoritatem cum eo quod ab Apostolo omnibus tradit ecclesijs, quod Pontifices & tyranni ecclesiarum fidelium multitudini obtrudunt, & uel errore uel metu admit-

mittitur. Locum habet catholicæ obseruantię authoritas in rebus licitis & utilibus, & ad hoc usurpanda est, ut ijs persuadeatur, qui res ipsas liquido dijudicare non possunt, & ut simul irrequieti & contentiosi coërceantur.

Διατάσσομαι, inquit.] Ordino & cõstituo. Duplex est ordinationũ & constitutionũ genus.

1 Vnum, ut quæ antea in usu sunt, non diuellantur, sed rite ac legitime custodiantur. Sub isto cõpræhenditur præsens ordinatio, in qua non noui aliquid instituitur, sed status & ordines humanæ uitæ suo loco collocantur.

2 Alterum, cum instituuntur noua quę antea in usu non fuerunt. Hoc genus traditionis uniuersam Christi ecclesiam occupauit. Est autem supra modum periculosum, licet enim in casu locũ habeat, si uera accedat, & solida spiritus sancti prudentia, & ecclesiæ regimen teneant uiri uigilantes ac pij, qui sana doctrina libertatem conscientiarum in Christo fideliter tueantur, simul tamen magnam adfert tyrannidi & omnis generis superstitioni, conscientiarumque captiuitati occasionem, eandem sibi quiduis constituendi potestatem uindicantibus ijs, qui non Christum, sed seipsos in ecclesia quęrunt, quę ueris Christi ministris & apostolis, omnia ductu spiritus moderantibus fuisse legitur.

Est itaq; ista traditionum controuersia, quę nostro sæculo uiget, à pijs & in Christo prudentibus uiris, neq; pro ueteri consuetudine, neque carnalium hominũ temeritate, sed pro ipsa ueritatis & ædificandarum ecclesiarũ regula dimetienda & dijudicanda. Videmus enim utrinque non æquis oculis causam hanc introspici, dum illinc ecclesiastici quos uocant, magis regno suo quàm Christi ecclesijs consultum cupiunt, hinc uero plebs dissoluta non spiritus, sed carnis libertatem amplectitur, & omnem utut piam & necessariam ecclesiæ disciplinam horret & auersatur.

Circumcisus aliquis uocatus est? ne accersat præputium. In præputio aliquis uocatus est? ne circumcidatur.

Ista exempli uice subijciuntur. Nec frustra. Erant enim qui cum audirent finẽ uenisse circumcisioni, uel odio gentis suæ, quod tanta pertinacia fidem Christi Iudæi persequerent, & ipsum quoque Christum occiderãt, pręputium sibi accersendum putabant, tanquam in illo gratiores Christo futuri, eoque pacto declaraturi se prorsus à Iudaica defecisse pfidia.

Rursus erant qui propter Abrahæ prærogatiuam putabant se meliores fore, si Christi fidei & circumcisionem coniungerent, maxime cum non deessent, qui illius etiam necessitatẽ fidelibus ex Gentibus prædicarent, de quibus est in Actis cap. 15. & in epist. ad Gal.

Vt igitur utrisque consulat, illis dicit, ne accersant præputium, id est, ne putent se Christo minus placere circumcisos, sed in ea conditione maneant, modo syncera sint erga Christum fide, istis uero, ne circumcidantur, id est, ne arbitrentur se in præputio Deo placere nõ posse, sed in illo fiducialiter & secura conscientia maneant. Hac de re uide in Galatis.

NE accersat præputium.] Græcè est, μὴ ἐπισπάσθω, id est, ne attrahat. Intelligit autem resectam pelliculam. Sed quæritur quomodo pręputium accersi queat à circũciso, & quod resectum est restitui.

Scribunt quidam per pharmacum quoddã restitui posse præputium. Admonet huius & Theophylactus. Et Erasmus Cornelium Celsum hac de re citat lib. 7. cap. 25. Commentarij Hieronymo dati id pernegant, & particulã hanc exponunt nõ de pelliculæ amputatæ restitutione, sed de abiectione cæremoniarum legis, & complexu uitæ gentilis, quasi dicat Apostolus, ne putet se peccare si non statim legis cęremonias abijciat tanquam immundas, cum in illis, modo fiduciam ac spem salutis in illas non collocet, nihil impediat, esse uere Christianum.

NE circumcidatur.] Hic quæritur, quare Timotheum circumciderit, si qui in præputio uocatus est, circumcidi nõ debet? In promptu responsio est. Non ita dicit: Ne circumcidatur, quod peccatum sit circumcidi, sed quod non sit necesse, ut relicto præputio accersatur circumcisio. Quemadmodum & illud: Ne accersat præputium, non habet uetandi uim, sed necessitatis pernegationem. Neque enim peccabant, qui relictis legis cæremonijs Christianismi libertatem amplectebantur, & cum pręputiatis absque ullo discrimine quibusuis uescebantur. Hoc sensu & illa dicta sunt, ita ambulet, & infrà, in ea maneat. Non enim & ibi uetat, relicto eo statu in quo quis uocatus est, alium amplecti, ut si quis agamos uocatus esset, aut seruus, nõ licuerit nubere, aut si per heri benignitatẽ daretur, è seruo in liberti transire conditionem: sed unum hoc agit, ut sciat quisq; non peccare se, si in quo statu uocatus est, in eo persistat.

Circumcisio nihil est, & præputiũ nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.

Hac sententia rationem reddit, quare nec præputiatus circumcisionem, nec circumcisus præputium accersere debeat. Quia circumcisio nihil est, nihil est etiam pręputium, sed obseruatio mandatorum Dei. Magna peruersitas est, anxium esse & solicitum in eo quod nihil est, id est, quo Deo non gratificatur, & negligentem in eo quod unum ab omnibus exigitur. Ecclesiastes ult. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Et Act. 10. In omni gente qui timet Deum & operatur iusticiam, acceptus est illi. Huc igitur Corinthios ista sententia dirigit, ut nihil de circumcisione uel præputio soliciti, seduli sint obseruatores mandatorum Dei.

SED obseruatio mandatorum Dei.] Ambrosius ita exponit, id est fides, quæ propitiũ facit

facit Deum, si bonis operibus approbet. Respicit autem ad locum in Galatis cap. 5. ubi dicit: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid ualet nec præputium, sed fides quæ per dilectionem est efficax. Et cap. 6. eandem sententiam ita ponit: In Christo enim Iesu nec circumcisio aliquid ualet nec præputium, sed noua creatura. Coniungantur ergo ista, obseruatio mandatorum Dei, & fides per dilectionem efficax, & noua creatura, id est, renouatio interni hominis. In his est ueritas Christi.

Hoc est mãdatum Dei ut credamus in filiũ eius, et diligamus nos inuicẽ. 1. Ioh. 3.

At dicet quis, quomodo circumcisio nihil est, cum sit præcepta à Deo, si obseruatio præceptorum Dei requiritur? Respondendum. In Christo nihil est, in quo euacuata est, uelut umbra per corporis præsentiam. Finem accepit in Christo, quia non ad ueritatem, sed ad umbras pertinebat.

Notanda est hæc particula nostris potissimum temporibus, quibus pars ita de fidei iusticia contendit, ut prope nullam habeat seruandorum Dei mandatorum rationem, pars uero usqueadeò operũ studio omnia tribuit, ut ferre nequeat fidei dari iusticiam, quæ tamen illi ab Apostolo tot testimonijs absq; ulla controuersia assignatur. Istis quod hic ab Apostolo ponitur, perinde est ac si dicat: Fides nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Hi primum debent animaduertere Apostolũ nõ de fide, sed circumcisione & præputio dicere quod nihil sint. Possunt enim illa, ut sunt externa, ita seruari, ut nihil prorsus pietatis accedat uel circumcisorum uel præputiatorũ mentibus. Fides uero, modo uera sit, non potest inanis esse animi affectus, qui Deo non placeat, cum usqueadeò placeat, ut sine illo impossibile sit Deo placere. Deinde, obseruent, quod non de quorumcunque, sed Dei mandatorũ obseruantia loquitur. Alioqui per obseruantiam mandatorum hominum frustra Deo seruitur, etiã si quæ Deus præcepit, seruet quisquam. Opprobrat enim populo suo Deus, q̃ se mandato hominum, id est, ob id quod homo præcipiat, timeant. Ista quippe τήρησις mãdatorum Dei hæc duo habet. Primum ut magis sit animi affectus & studium, quàm externum aliquod opus. Deinde, ut obiectum habeat, non creaturam aliquam, sed unum Deũ, cui omnis debetur obedientia.

Hinc duo colliguntur. 1 Primum de ista mandatorum Dei obseruantia nihil sibi uendicare eos posse, qui plus homines quàm Deũ metuunt. 2 Alterum eorum infirmitatem, qui bonum quod uolunt, præ carnis imbecillitate non faciunt, & malum quod detestant, faciunt, boni à Deo consuli, propter sui reuerentiam quæ certissimum est fidei opus. Ita nos Germani dicimus, Gott nimpt den willen für das Werck.

SERVVS uocatus es? ne sit tibi curæ.] Debebat dicere, seruus maneas, quoniam in generali præceptione dixerat, unusquisq; in qua uocatione uocatus est, in ea maneat. Verũ quoniam non pręcipiebat seruitutem, sed consulebat conscientijs fidelium, ne putarent se peccare ubi nihil erat peccati, néue Christianismũ in eas res collocarent, quibus Deo non seruitur, quasi per expositionem formam propositionis mutat, dicens: Ne sit tibi curæ. Id est, ne sis anxius propter statũ seruitutis, quasi Christianus esse nequeas, donec in illo fueris.

QVINETIAM si potes liber fieri, potius utere.] Ista per auxesim sunt adiecta. Tantundem enim dicit. Imò tam non esto anxius in seruitute, qui seruus uocatus es, ut etiamsi copia detur libertatis, malis in seruitute consistere, ut quod dicit, potius utere, idem sit atq; magis seruitutem exerce, illique conditioni incumbe.

Ergo præfert Apostolus seruitutem libertati? Atqui libertas multo commodior est regno Christi, maxime persequutionis tempore, quàm seruitus, dominorum, plerunque infidelium, obnoxia uoluntati. Respondeo. Apostolus non discernit hoc loco inter seruitutem & libertatẽ, sed in hoc uno est, ut doceat nihil habere seruitutem, cuius gratia quisquã à Christianismo possit impediri. Et ut hanc sententiam diligenter inculcet, & persuasissimam faciat, utitur ista auxesi, dicens: Quinetiã si potes liber fieri, potius utere. Tam enim liberum uult Christiani hominis animum in his rebus esse, ut etiam si seruus uocatus sit, nõ affectet Christianismi nomine libertatem, ne tum quidem cum offertur.

Vel certe, quod dicit: Si potes liber fieri, nõ de oblata per herum libertate, sed de copia aufugiendi dicit, quod solenne erat seruis. Vt in Onesimo seruo Philemonis uisum est. Hoc sensu nihil aliud dicit, quàm ne Christianus seruus ita horreat seruitutem, ut si copiam aufugiendi acquirat, in libertatem sese uelit asserere, sed tam contentus ea sorte sit, ut nolit, etiamsi periculo careat, iugum hoc abijcere, sed hoc maiore fide, postquam Christianus factus est, domino suo seruire.

1 Non tam metuendũ erat Apostolo, ne putarent sibi Christiani non licere libertatem, ut monendi fuerint, quo illam, si copia detur, prę seruitute eligerent, quàm ne putarent seruos Christo placere non posse.

2 Deinde, sciebat humani cordis superbiam, alioqui plus affectare libertatem, & horrere seruitutem.

3 Non ignorabat & seruorum ingenium ita corruptum, ut quasi ad seruitutem natum uideatur, recte uiuere non posse, nisi in seruitute, eò quod hoc hominum genus plerunq; male educatum, seipsum regere nesciat, ut si uelis eos seruituti eximere, perinde facias, ac si uelis pueros à paterna liberare obedientia, potestatemq; permittere suopte ingenio uiuendi.

His quoque rationibus adducor, ut magis arrideat eorum sententia qui illud μᾶλλον χρῆσαι, id est, magis utere, idem esse uolunt, atque, magis seruias, & maiore fide ac sedulitate, absque

que ullo conscientię scrupulo,seruitutis conditionem complectere.

Sunt qui alium sensum adferant. Videlicet istum. Verum si potes liber fieri, magis utere, id est, ea potestate oblatę libertatis potius utere, quàm seruitute. Sic paraphrastes Erasmus: Quin potius illud agêdum,ut si detur occasio, libertatem arripiat ac mutet seruitutem. Verũ meo iudicio ista sententia nec quadrat proposito,nec subiectę rationi. Et coniunctio καὶ inserta,cum dicit: Quin etiam si potes liber fieri, satis indicat ista prioris particulæ,ne sit tibi curæ, auxesim habere. Proinde malo cum Ambrosio,Hieronymo, & Chrysostomo priorem sensum amplecti,quem Chrysostomus nõ solum ponit,sed & posteriorem hunc reijcit. Interea tamen non uetat Christianũ oblatam libertatem, si iusta detur illius copia, abijcere. Quis enim non malit liber esse quàm seruus,si præter alicuius id fieri poterit iniuriam?

Etenim qui in domino uocatus est seruus,libertus domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit,seruus est Christi.

1 Rationẽ reddit, quare qui seruus uocatus est, anxius esse non debeat, ita ut ne appetat quidem,Christi nomine,libertatem, si illa poterit obtingere. Quare? Quia uidelicet iam meliorem libertatẽ, quàm sit illa externa,in Christo adeptus est. Hoc est quod dicit: Etenim qui in domino uocatus est seruus, libertus domini est. Rursus, qui libertus in domino uocatus fuit, seruus est Christi. Vt non habeat,cur de carnis ingenuitate glorietur. Nõ hic dixit, libertus uocatus es? ne sit tibi curæ. Non enim ea erat libertis tentatio contẽptus & abiectionis,quæ erat seruis. Deinde non cogebantur infidelibus dominis obnoxium habere conuictum, quod seruis usuueniebat. Conueniebat igitur magis ut seruos confirmaret quàm liberos. Et huius gratia non liberos sed seruos per apostrophen alloquutus est.

Est itaque quisque Christianus,quacunque conditione sit,& seruus & libertus. Libertus, ob id quod à seruitute peccati liberatus & manumissus est per spiritum Christi. Sic Ioh.8. Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Seruus uero,propter obedientiam domino debitam, in quam omnes sanguine Christi redempti sumus. Neq; enim ita facti sumus liberi à iugo peccati, ut nostri postea iuris simus, sed ut ei seruiamus,per quem sumus à tyrannide peccati liberati. Sic Rom.6. Nũc uero manumissi à peccato, serui facti sumus Deo. Habent ista consolationem, ut nemo seruus moleste ferat carnalem seruitutem, cum sciat illam non nocere, nec impedire à uera nobilitate & libertate spiritus quæ est per Christum, sed eam demum fugiendam esse seruitutẽ, quæ peccati, & appræhendendã libertatẽ quę spiritus est.

2 Video & hoc loco aliam à quibusdam adferri sententiam,talem uidelicet, quæ non loquatur de seruitute Christi, neq; de libertate

A quæ per Christum est,sed de seculari utraque, hoc sensu. Etenim qui in domino uocatus est seruus, libertus domini est, id est, tantundem ualet apud dominũ, ac si libertus esset. Et rursus qui liber uocatus fuit, seruus est Christi, hoc est, non maiori reputatione apud Christũ est,quàm si seruus uocatus esset. Vt enim circũcisio nihil est, & præputium nihil est, ita certe nec seruitus quicquam est,nec libertas coram domino. Sic Gal.3.dicit: Non est Iudæus neq; Græcus,non est seruus neq; liber,non est masculus aut fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Quomodo non sunt serui, non liberi, non Iudæi non Græci, non mares, nec fœminæ in Christo,cum istæ conditiones per Christi fidem Christianis non sint adeptę? Ita scilicet, quod nec impediunt quicquã nec promouent in Christo. Non hoc quæritur, ut uel seruus sit quisquam uel liber, uel masculus uel fœmina,ad hoc,ut Christianus sit,cum omnes isti eandem habeant apud Christum, quæ fidei est, prærogatiuam. Vt uerum fatear, ista sentẽtia uidetur esse simplicior & germanior, licer prior tradatur fere ab omnibus. Verum nihil est periculi,utram capiamus. Nam ambę ueræ sunt & pię.

PRECIO empti fuistis, nolite fieri serui hominum.] Cur hoc dicit,cum homini seruire nihil impediat à regno Christi? De qua nãq; alia seruitute loquutus est, cum dixit: Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ, quàm de ea qua homo B seruit homini,fideli uel infideli? Et quid aliud plerosq; mouebat, ut putarint indignum Christi sanguine redemptos, seruire homini, quàm quod Christianos credebãt Christi sanguine redemptos non hominibus sed Christo seruire debere? Quid est igitur quod idem & eadẽ ratione hic ponit Apostolus, cum suprà diuersa tradiderit? An forsan quæ supra dixit, ad illos qui in seruitute constituti ad Christũ uocabantur dixit,hoc uero quod nunc scribit, ad eos scribit qui liberi uocati erant, ne se permitterent humanæ seruituti, propterea quod non dicit: Nolite esse, sed: Nolite fieri serui hominum?

Ratio quam pręmittit dicẽs: Precio empti estis, talis est, ut non solum competat liberis sed & seruis. Deinde nõ potest intelligi, quod dicit: Nolite fieri serui hominum, de terrena illa & seculari seruitute, de qua loquutus est hactenus,nisi uelimus Apostolum sibi ipsi cõtrarium reddere. Quid igitur dicit? Videbat aliã quandam hominum seruitutem, longe periculosiorẽ. Ea erat, qua alius dicebat: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ. Aduersus illam eodem argumento & suprà usus est,cum dixit: Nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? Item: Omnia uestra sunt, uos autẽ Christi. Repugnat itaq; hic captiuitati consciẽtiarum,admonetq; Christianos, ut, nisi uelint precio quo empti sunt iniurij esse,nullius hominis imperio,ꝑ sua libidine in ecclesia quiduis pręcipientis, sese subdant, sed in libertate

1.Pet.1.ponitur hoc precium.

k quã

quam à Christo redemptore acceperunt, maneant, & nullius imperium in rebus fidei, nisi unius redemptoris Christi, agnoscant. Metuebat illis iugum circumcisionis, metuebat magistros philosophiæ. Nam utrunq; Corinthijs periculum erat. Ita & Galatis scripsit, in libertate qua Christus nos liberauit state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Astipulatur isti sententię & Ambrosius. Nam is hominum seruos esse dicit, qui humanis se superstitionibus subijciunt.

Gal. 5. Ambro.

Hinc tamen nemo putet authoritatem ministrorum Christi labefactari, de quibus dictũ est. Qui uos audit, me audit. Nã licet illis obtẽperemus, ubi non sua somnia sed Christi uerbum proponunt, non tamen illis sed Christo obtemperamus. Vt enim illi nõ sunt magistri nostri sed Christi discipuli dum non suam nobis sententiam sed Christi prædicant, ita nos non sumus illorum serui sed Christi, dum non illorum sed Christi præceptis obedimus.

VNVSQVISQVE in eo in quo uocatus fuit, fratres, maneat apud Deum.] Iam tertio propositionẽ hanc repetit, absq; dubio, quod uideretur necessario propter turbatores inculcanda. Repetit autem eam non sine emphasi animi fideliter ista tanquam fratribus præcipientis cum fratres eos appellat. Deinde, & limitationem addit cum dicit, apud Deum, hoc est, quatenus cum Deo fieri licet, quatenus per fidem Deo debitã fieri potest, maneat quisq; in quo uocatus fuit. Et ista limitatio applicanda est omnibus in uniuersum statibus ne putet sibi quisquam ita obediendum esse hominibus, ut uoluntati Dei repugnet. Oportet Deo plus obedire quàm hominibus. Per se cõtra Deum non est esse coniugem, esse seruum, esse circumcisum, esse præputiatum, &c. ut in his statibus nihil impediat esse Christianum. Proinde non est necesse ut mutentur ac turbentur, modo salua permaneat fides in Christum, modo nihil præcipiatur quod sit contra Deum. Quod si casus accidat, ut aut relinquẽdus sit status in quo uocatus est quisquã, aut peccandum erga Christi fidem, ibi non manẽdum sed cedendum est etiamsi sit à legitimo coniuge, nedum hero aliquo cedendum.

De uirginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autẽ do, tanquam misericordiam consequutus à domino in hoc ut sim fidelis.

Hoc tertium membrum est præsentis capitis, quo de uirginitate quid sentiendũ sit ponit. Dat autem illi in summa duo. Primũ, esse liberam & nemini pręceptam. Deinde, esse utilem & commodam, certa de causa.

Matth. 19. Qui potest capere capiat.

DE uirginibus autem præceptum domini non habeo.] Præceptum domini non habere, aut idem est atq; dominum uirginitatẽ nõ pręcepisse, uel Apostolo nihil de ea mandasse. Est autem utrunque uerum. Nam neq; legem de uirginitate ipse tulit dominus, neque Apostolo quicquam potestatis dedit, illam præcipiẽdi, id quod non frustra admoneo. Mihi plane uidetur Apostolus non solum hoc dicere quod ipse dominus nusquam de uirginitate præceperit, sed quod & nihil à domino sibi de illa sit mandatum, unde à quoquam illam exigendi potestatem habeat.

A

Quid est autem, quod non æque de coniugio dixit, se non habere domini præceptum, sicut de uirginitate? An illud præceptum est? Nequaquam. Alioqui male consuleret uirginitatem, nec uirginitas esset libera. Liberam autem eam esse ostendit, cum se nullum de ea dicit habere præceptum. Tantundem enim est, ac si dixisset: Virginitas libera est, ubi dicit: De uirginibus præceptum domini non habeo. Id autem quod liberum est, ita liberum est, ut uel seruari uel omitti possit. Non est igitur coniugium pręceptũ si libera est uirginitas. Cur iam de illo nõ hoc dicit, quod de uirginitate dicit? Quia uidelicet occurrendũ erat hypocrisi quorundam, qui uirginitatis professionem iam tũ necessariam facere conabantur, & coniugium tanquam rem immundam explodebant. Ideo non erat opus dicere: De coniugio præceptũ domini non habeo, quia nemo illud necessarium faciebat, de uirginitate uero necessariũ erat admonere, quod nihil esset à Deo de illa præceptum. Ambrosius arbitratur, quod de hac quoq; Apostolo scripserint Corinthij. Videlicet cordatiores, qui fidelium conscientijs apostolica sententia consultum cupiebant.

B

CONSILIVM autem do.] Græcè est, γνώμην δὲ δίδωμι. Id est, sententiam uero meam uidelicet, do. Hoc est, quid mihi hac in re faciẽdum esse uideatur, ostendo. Consilium uero dare, nihil est aliud, quàm quid sentias ostendere. Proinde recte γνώμη pro consilio ponitur. Est autem id disciminis inter præceptum & consilium, ut in præcepto sit faciendi quod mandatur necessitas, nisi uelis contra Deum peccare, in consilio uero eius quod consulitur libertas, ut id absque ulla peccati conscientia libere possis uel facere uel omittere. Ista libertas merito seruatur in consilijs quæ ab hominibus dantur, etiã apostolis. Quare? Quia non quod homo sanctus, sed quod Deus sentit, tale est, ut sine peccato omitti nequeat. Non enim sumus serui hominum, sed Dei, nec ligat nos uoluntas sanctorum, sed domini.

Notandum est hic, quæ sit Apostoli modestia. Postquam dixit se non habere de uirginitate domini præceptum, non audet subijcere, ego uero authoritate qua fungor, uobis mando, ut uirginitatem profiteamini, id quod Romani episcopi postea facere cœperunt, tametsi negent se uirginitatem præcepisse. Quid aliud autem faciunt, ubi ab illis qui ordinandi sunt in ministerium Christi, abiurationem matrimonij, & continẽtiæ professionem exigũt? Virginitatem non extorquent nisi à clericis. Atqui Apostolus in toto isto tractatu nihil discriminat inter clericum & nõ clericum. Neq; enim

enim aliquid discriminis est inter ministros ecclesiæ & reliquos Christianos, quod ad uirginitatem uel matrimoniũ attinet. Non enim sunt isti status de substantia uel Christianismi, uel ministerij ecclesiastici. Alioqui prorsus de hoc meminisset Apostolus. Quomodo autem meminisset, quũ tam ministris quàm reliquis Christianis nihil præcepti de uirginitate datũ sit diuinitus? Cur tantum consulit uulgo Christianorum uirginitatem, & nõ præcipit? Quia non habet de ea aliquod domini præceptum. Si hic ualet ut non liceat Apostolo præcipere quod Deus nõ præcepit, cur non & in clericis ualet, cum neq; illis præcepta sit à Deo uirginitas? An Apostolus clericorũ fuit dominus, & non Christianorum? Certe nec clericorum. At quid opus hac de re uerba facere? Res ipsa declarat, Satanam non spectasse uirginitatem, sed sub specie uirginitatis quæsisse coniugij abiurationem & abominationẽ, ut locus esset omnis generis immundiciæ.

Eccius in suis locis, de cœlibatu (egregius uidelicet cœlibatus commendator) hác Apostoli sententiam, tanquam uirginitatis laudẽ contra nos citat ad hunc modum. Cum in superiori puncto Christus laudauerit se castrantes (quod non est uerum sensu Eccij) propter regnum Dei, & Paulus uirgines, sequitur improbantes cœlibatum, Christum & Paulum conculcare. Hæc ille. Quis autẽ improbat uirginitatem? Necessitatem illius impugnamus, utilitatem commendamus, sequuti Apostolũ. Paulus laudauit uirgines. Bene. Faciamus hoc utrinq;. Sed non ita, ut necessariam faciamus uirginitatem, non alio sensu, quàm quo Apostolus hoc fecit, nec ita ut cuiquã laqueũ inijciamus, & coniugij remedium, si illo opus sit amputemus. Isti uirginitatis prædicatores, quod Deus non præcepit uerbis extollunt, & quod prohibuit opere faciunt. Nouũ est prorsus religionis genus, ut quidã Saluianus Massiliensis episcopus scripsit, licita non faciũt & illicita committunt. Temperant à concubitu, (quamuis nec hoc faciant, nisi à licito) & non temperãt à rapina. Quid agis stulta persuasio? Peccata interdixit Deus nõ matrimonia. Non conueniũt uestris studijs facta uestra. Non debetis esse amici criminum, qui dicitis uos esse effectores uirtutum. Præposterum est, quod agitis, non est conuersio sed auersio, qui iampridem, ut fama est, opus honesti matrimonij reliquistis, tandem à scelere cessate, Hæc ille.

Libro 5. de prouidẽtia Dei.

TANQVAM misericordiam cõsequutus à domino ut sim fidelis.] Particulã istam absq; dubio hoc nomine inseruit ut consilio suo fidẽ faceret. Solent enim eorum consilia plus mouere, qui fideliter consulunt. Et ideo illud, ut sim fidelis, intelligo cum Ambrosio de ea fidelitate, qua salubriter ubi opus est consulitur: Quanquam Hieronymus refert ad fidem, qua Christi seruitio fideliter incumbebat, uidelicet hoc sensu. Consulo uirginitatem, tãquam per misericordiam Dei, donum illius consequutus, ad hoc, ut Christo in illius ministerio, coniugij molestia liberatus, fideliter seruiam. Itaque quod dicit tanquam misericordiam consequutus, bifariam exponitur. Vno modo, ut per misericordiam, donum uirginitatis intelligamus, quasi suo exemplo Apostolus ad illã reliquos alliciat, & consilio suo fidem faciat. Altero, ut per misericordiam non uirginitatis sed fidelitatis, hoc est, animi fidelis & quibussuis beneuolentis donum exponamus. Et hæc posterior sententia mihi potior esse uidetur. Quanquam enim certum sit, donum uirginitatis magnum esse bonũ, & misericordiæ Dei beneficium (attamen non ita, ut coniugij molestia iræ Dei deputetur) illud tamen incertũ est, quod Paulus suo exemplo hic uirginitatẽ suadeat cum uerosimilius sit coniugem illum fuisse, quàm uirginem.

Videtur autem Apostolus, quicquid misericordiæ diuinitus accepit, sentire ad hoc se accepisse, ut prosit fidelibus Christi. Hic animi fidelis affectus isto Pauli exemplo debebat omnibus Christi ministris summopere commendatus esse. Faceret enim plurimum ad hoc, ne putarent se fidelium cõstitutos esse dominos, sed potius ad ædificationem ministros & cõsiliarios. Deinde & fidelium animos huc permoueret, ut maiore promptitudine & alacritate, si quid illis consuleretur, obsequundarẽt. Nunc autem ubi malunt iræ Dei quàm misericordiæ ministri esse, & quicquid possunt non ipsi solum sed & auditores ac subditi, ad hoc unum referre, ut sint domini & magistri in ecclesia, ut non referunt spiritum Apostolicum, ita non inueniunt iustam ac spõtaneam in ijs quæ statuunt obedientiam.

Simul quoque notandum est, ubicunque fuerint reperti fideles in domino ecclesiæ ministri, hoc est, qui syncero erga ecclesiam affectu, quæcunq; fidelibus commoda sunt ac salutaria, consulunt, beneficium illos referre misericordiæ Dei erga ecclesiam. Et uicissim sicubi infideles fuerint ministri, apertum indicium esse iræ Dei aduersus ecclesiam. Reipsa nanque fides ministri magis ob id à Deo datur, ut ædificetur ecclesia, quàm ut bene sit ministro. Et hinc est, quod suprà dixit: Omnia uestra sunt, siue Paulus siue Apollo, &c.

Vtitur Augustinus præsenti particula in disputatione aduersus Pelagianos, epistola 107. ad Vitalem Carthaginensem. Itẽ Retractationum libro primo, capite 23. ad hoc ut doceat & euincat fidem esse donum miserentis Dei. Negabant enim hoc illi, asserentes in nostra situm esse potestate & uoluntatis arbitrio Euangelio credere uel non credere. Notat itaque hoc loco, quod non dicit Apostolus: tanquam misericordiam consequutus, quia fidelis erã, sed ut fidelis essem, id est, ut relicta incredulitate eam fidem apprehenderem, quam antea impugnaueram. Et hinc colligit, misericordiam Dei etiam infideli impendi ad hoc, ut fidelis fiat. Verũ est omnino & pium quod

 efficere

efficere conatur, attamen de hac fide, non loquitur hoc loco Apostolus.

Arbitror igitur hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem. Nam bonum est homini sic esse.

Verbum arbitrandi in literis apostolicis, non est idem quod uerbum opinandi, cui nõnihil incertitudinis inesse uidet. Certe bonum est quod consulit. Addit uero rationem. Nam alioqui uideretur diuinæ repugnare sententiæ qua Deus dixisse legitur: Non est bonum hominem esse solum, si simpliciter bonum esse diceret: Propter præsentem inquit necessitatem. Quæ est ista necessitas? Fere omnes intelligũt molestias huius status, & curas huius uitæ. Ambrosius nominatim ponit ærumnas partus, & orbitates liberorum. Sane innumera est coniugij incommoditas & multis molestijs semel liberatus est quisquis illo abstinet. At meo iudicio de huius generis molestijs, quæ Christianis non sunt peculiares, sed cum omnibus infidelibus Iudęis & Græcis in matrimonio constitutis communes, quas & Romanus ille Metellus uidit, nõ loquitur hic Apostolus, sed de tali quadã necessitate, quæ Christianos & peculiariter premebat, & præsenter tum urgebat, cum dicit: Propter instantem necessitatem. Ea erat Christiani nominis persequutio qua coniuges separabantur, liberis & maritis spoliabantur, & ad defectionem à fide Christi propter coniugalem amorem & affectum erga liberos omnium fortissimum solicitabantur. Nisi enim maior esset molestia cõiugum ubi calamitas psequutionis grassat, nõ dixisset Christus, uę prægnãtib9 in illa die.

Et huc etiam facit, quod repetendo dicit: Nam bonũ est homini sic esse. Non dicit: Nam Deo placitum est, sic esse, sed bonum, id est, cõmodum est homini sic esse. Ostendit se non loqui de dignitate aliqua uirginitatis, qua coniugium coram Deo excellat, sed de commoditate & utilitate eius, quam in præsenti necessitate persequutionis homini adferat, ut hoc minus ad defectionem à Christi fide permoueatur, sed liberior sit ad quæuis pro nomine illius ferenda discrimina.

Hæc obseruata, prosunt contra eorum superstitionem qui nescio quantum meriti per se tribuerunt uirginitati coram Deo. Deinde & contra eos, qui propter corporales illas & generales coniugij molestias, putarunt Apostolum uirginitatem suasisse fidelibus, cum ipsa doceat experientia, extra procellas persequutionis, ubi tranquillus est rerumpublicarum & Christianismi status, periculosiorẽ esse uirginitatis professionem, & ruinę propiorem, quàm statum coniugij.

Isti homines, admiratores uidelicet & nimij deprædicatores uirginitatis, non obseruarunt quantũ discriminis sit inter ea bona, quæ uitijs opponuntur, & quorum studiũ & exercitium omnibus competit, & inter ea quæ tẽporaria sunt, & pro ratione ac uarietate temporum uel usurpanda uel ponenda, atque ideo mox ubi audiunt laudari uirginitatem ab Apostolo, ibi non animaduertentes quo scopo id fiat, usurpandã esse putant. Quod si passim & semper bonum est uirginitatis studiũ, cur quæso nec à Deo nec ab Apostolo præceptum est? An non Dei est, quicquid omnibus bonum est, præcipere? Vtique. Non præcipit autem uirginitatem. Quare? Quia commoda quidem est sed in tempore, sed quibusdam nõ omnibus, & illius conatus quàm est commodus & utilis ijs quibus abstinendi facultas diuinitus concessa est, tam est noxius & periculosus diuersis.

Alligatus es uxori? Ne quære solutionem. Solutus es ab uxore? Ne quæras uxorem. Quod si duxeris uxorem, non peccasti. Etsi nupserit uirgo, non peccauit. Attamen afflictionem in carne habituri sunt huiusmodi. Ego uero uobis parco.

Redit ad cautionem pro sua prudentia. Timendũ enim erat ne uirginitatis consilio male intellecto, causam cõiugij grauaret, ansamque daret coniugibus matrimonij pertæsis, instituendi diuortium, & ijs qui extra coniugium sunt, conscientiam peccati generaret si matrimonium contraherent. Ideo non contẽtus eo quod de uirginibus nullum se domini præceptum habere, sed consilium dare dixit, simpliciter ac manifeste utriusque & coniugij & uirginitatis libertatem repetit, & sententię suæ rationem ponit.

ALLIGATVS es uxori?] Coniugio tribuit alligationem. Ea est fidei obligatio, unde constat matrimonium, quæ uirum alligat uxori, & uicissim uxorem uiro, ut neuter sui sit arbitrij. Huius alligationis gratia, qui carnis sectãtur libidines ac promiscuam uenerem amplectuntur, coniugium uitant, & concubinatum uagum ac liberum eligunt, qua nequitia præsertim notabiles sunt qui sacris sunt, ut uideri uolunt, initiati. Hos sectantur & nonnulli alij Epicurei, qui de coniugio amplectẽdo ne uerbo quidem admoneri sustinent. At fit interea, ut dum honesto coniugij uinculo stringi nolunt, implicentur non solum scortorum, sed & Satanæ laqueis, quibus ad omnis generis immundiciam captiui detinentur.

NE quære solutionem. Item: Ne quære uxorem.] Ista non eadem ratione prohibentur. Prius enim non consilij sed præcepti uigorem habet. Posterius uero non præcepti sed consilij. Neque enim qui solutus est ita à quęrenda uxore arcetur, sicut ligatus à repudianda. Cœlibatus licitus quidem est, sed non ita, ut ad illum aspirare liceat coniugibus, rupto matrimonij uinculo, quemadmodum relicto cœlibatu, licitus est ad coniugium transitus.

Et

Et ob id subiũgit. Quod si duxeris uxorem non peccasti. Etsi nupserit uirgo, nõ peccauit. Non autem addit: Quod si quæsieris solutionem, non peccasti. Vide hic quis sit spiritus ille, qui quod Apostolus tam luculẽter absque ullo discrimine de uirginibus & inconiugatis dixit: Videlicet, quod non peccent si nupserint, inuentis uotorum impedimentis, & spiritalis matrimonij, quod cum Christo instituunt retinaculis, irritum reddiderit. Tale est, quod Theophylactus eximit ab hac sententia uirginem Deo dicatam & Christo nuptam, eo quod illa, si nubat, adulterium contra Christum inducat. Belli homines non animaduerterunt Christianos omnes Christo desponsatos esse, attamen externum hoc & corporale cõiugium spiritali illo nihil impediri. Nos relictis istis nugis, audiamus quid Apostolus Christi dicat, & firmiter teneamus, non esse peccatum, si uirgo nupserit. Quod si stultum aliquod uotum intercessit, urgente ustionis necessitate proijciatur, tãquam quod ex Deo non sit, & agatur pœnitentia de stultitia, id est, temeritate uouendi quæ stultissima est, licet uirginitas, si ex dono Dei ad iustum finem tendat, suam utilitatem ac laudem habeat.

ATTAMEN afflictionem in carne habituri sunt huiusmodi. Ego uero uobis parco.] Hæc est sententię Apostolicæ declaratio quare dixerit: Consilium autem do, & bonum est homini sic esse. Non dicit: Deo non placebũt huiusmodi, nihil coram Deo prærogatiuæ singularis habebunt, sed afflictionem in carne habituri sunt. At carne affligi non est obnoxium peccato. Non loquitur autem de alia carnis afflictione, quàm de qua iam suprà meminit, instanti uidelicet necessitate persequutionum. Non quod qui extra coniugium erant, persequutionis fuerint expertes, sed quod expeditiores fuerint ad quæuis aduersa propter Christum ferenda.

EGO uero uobis parco.] Nimirum tanquam imbecillibus. Quasi dicat. Non audeo tantum mihi roboris de uobis polliceri, ut necessitatem istam constanter feratis, atq; ideo rationem habens uestræ infirmitatis, optarim uos esse cœlibes ut hoc minus ferendum sit rerum aduersarum. Quid hic dicunt, qui uirginitatis ac cœlibatus professionem tãquam rem arduam, singularis cuiusdam apud Deum meriti esse contendunt, propter nescio quam uitæ austeritatem? Si recte sentiunt, quid est quod Apostolus se isto cõsilio uirginitatis parcere dicit Corinthijs? Quis non uidet, plus uirtutis exigi ab ijs qui coniuges sunt, ut syncere Christo adhæreant, q̃ à uirginibus? Quis ignorat mollius & tranquillius uiuere cœlibes q̃ coniuges? Imo innumera cœlibum multitudo, hoc nomine, quicquid foris simulet, cœlibatum appræhendit, ut coniugalis status curas & infinitas molestias declinet. Proinde si quid austeriori ac molestiori uitæ debetur singularis præmij, coniugio debetur non cœlibatui. Non debetur autem. Quia non huc est respectus oculorum Dei, sed ad animorum synceritatem, qualis qualis sit uitæ huius status, modo non illicitus. Apostolo nũquam in mẽtem uenit quod quidam de uirginitatis, uel cœlibatus singulari coram Deo præmio & prærogatiua ociosi homines nõ ex spiritu Dei sed humani cordis somnijs tradiderunt, sed pro suo erga fideles charitatis affectu, & fide erga Christum de tali status humani genere aliquo cogitauit, in quo Christiani tutius in fide Christi consisterent, & pro nomine Christi illata aduersa cõmodius ac leuius ferrẽt. Expẽdebat enim carnis ingenium mobile & incõstãs, uidebat quotidie causam regni Christi uersari non inter angelos sed homines infirmos & flexibiles, atque ideo cõsilia sua huc referebat omnia, ut minus esset scandalorum. Hoc scilicet est, quod dixit: Bonum est homini sic esse propter instantem necessitatem. Et tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco.

Cæterum illud dico fratres, tempus contractum est, superest, ut qui habent uxores, sint tanquam non habeãt, & qui plorant, tanquam non plorent, & qui gaudent tanquam non gaudeant, & qui emunt tanquam non possideant, & qui utantur mundo hoc, tanquam non utantur. Præterit enim habitus mundi huius.

In rebus licitis, duo principaliter sunt cauẽda. Vnum, ne cum peccati conscientia, illis tãquam illicitis uel utamur uel abstineamus. De illo hactenus. Alterum ne illis ita afficiamur, ut quæ seriora sunt & præcipue curanda negligamus. De isto nunc agit.

CAETERUM illud dico fratres.] Non admodum refert, quo quisque statu sit, uel cœlebs uel coniunx, uel seruus uel liber, unde ea de re nihil potuit generaliter præcipere, nisi quatenus propter instãtem necessitatem pro cuiusque dono bonum & commodum esse iudicauit, sed id uero plurimum refert & omnes concernit quod nunc traditurus est. Tantundem significare uidetur quod dicit: Illud autem dico fratres, atq;: Illud uero ab omnibus communiter & indiscriminatim exigo, quicquid sit cum ijs de quibus hactenus loquutus sum.

In illis enim non tantum est periculi, quantum hic est. Proinde utut illa habeant, quod iam admoniturus sum, omnibus promiscue curandum est. Indicat itaque ista loquutione Apostolus, licet fideliter consuluerit de cœlibatu propter instantem necessitatem amplectendo, maioris tamen momenti esse quod iam præcepturus est, & maiore cura huc elaborandum, ut rebus licitis temperanter utamur, quàm ut illis prorsus abstineamus. Est enim illud regno Christi ita commodum, ut minus sit tentationibus & periculo obnoxiũ.

Periculosum consilium est prorsus abstinere à coniugio nisi adsit continentiæ donum, coniugio uero temperáter uti, & uxorem habere tanquam non habeas, & utile est & securum. Deinde illius oppositum coniugium uidelicet, non solum licitum est, sed & ad uitandam scortationem utile remedium, istius uero & illicitum est, & regno Christi incommodum. Et peccat enim & ineptus est regno Dei, quisquis uxore & rebus huius sæculi intemperantius afficitur.

TEMPVS contractum est.] ὁ καιρὸς συνεσταλμένος. συνεσταλμένον dicitur, quicquid abiecta amplificatione ac dilatatione in arctum & angustum cogitur, ut cito finiatur. Ita mundi huius tempus, ututin se longum & satis prolixũ, in nouo testamento contractum dicitur, eo quod omnium rerum finem cito sit adducturum. Pulchre auté de temporis angustia sumptum argumentum præmittit, ut animos fideliũ à reb⁹ cito perituris hoc facilius auocet.

Ambros. Ambrosius putat Apostolum hoc loco téporis breuitatem non ita inducere, quod reuera contractum sit noui testamenti tempus, cum longum sit, sed quod pro sua prudentia ita uoluerit fidelium mentes terrore ultimi iudicij ad meliorem uitam impellere. Verũ meo iudicio non solum pium est Apostoli propositum & utile, sed & uerum quod tempus cõtractum esse dicit: Nam licet in se sit longum, respectu tamẽ sæculorum quæ prolapsa sunt, contractum est, ac simile tempori uespertino, quo dies ad noctem uergit.

SVPEREST.] Τὸ λοιπόν ἐστιν. Reliquũ est. Particula ista bifariam legitur. Vno modo, ut præcedentibus coniungatur hoc sensu. Illud autem dico fratres. Tempus deinceps contractũ est, ut τὸ λοιπὸν sit idem atque deinceps, & uerbum substantiuum ἐστὶν, ad participium συνεσταλμένος referatur. Altero modo, ut legatur seorsum, & applicetur non præcedentibus sed sequentibus, ac doceat quid iam deinceps à fidelibus sit curádum. Priorem lectionem Ambrosius, posteriorem uero & uetus interpres & Erasmus sequuti sunt. Ego non uideo quid referat, utram lectionem amplectamur. Nam ita est contextus uerborum, ut utrouis modo legi possit. Nec in sensu multum est discriminis, nisi quod prior lectio ulterius ac deinceps iam noui testamenti tempus contractum, posterior uero, eo quod tempus contractum sit, hoc deinceps curandum esse dicit, quod statim subiungitur.

Hierony. VT qui habent uxores, sint tanquam non habentes.] Cauenda est hic Hieronymi exposito, qui dicit Apostolum hoc loco cum omni intentione, coniuges quoque hortari ad continentiam ut hoc amplius persuadeat innuptis, ne matrimonium contrahant. Vxorem habere tanquam non habeas, illi continẽtiam seruare est, & uxore uti, incontinentem esse. Quod si Apostolus usum uxoris uetat, quid est, quod suprà dixit: Vxor uiro debitam

A beneuolentiam reddat? Ergo sibi ipsi contrarius est. Absit. Habere tanquam non habeas, est corde non nimium affici. Theophylactus dicit, esse non omne studium circa nuptias & uxores consumere. Et Ambrosius, non debere ad generãdum esse solicitum, neque ad usum ipsum deditum. Non dicit, non debere generare, & uxore uti, sed non debere solicitum ad generandum, & ad usum uxoris deditum, id est, plus æquo propensum esse. Ergo non abstinentiã, sed téperatum uxoris usum exigit.

1 Apostolo uxorem habere, non est cum uxore tantum habitare, sed illa simul pro ratione & lege coniugij uti. Aliàs habere uidetur uxorem qui illa non utitur, reuera autem non habet. Omnino ista, qui habẽt uxores, qui plorant, qui gaudent, qui emunt, qui utuntur hoc mundo, non ita sunt ab Apostolo dicta, ut externam aliquam sui speciem significent, sed simpliciter ipsarum rerum ueritatem exprimunt. Vt quemadmodum de uere plorantibus, uere gaudentibus, uere ementibus, & mũdo isto uere utentibus, ita & de ijs qui uere uxores habent, non solum habere uidentur, intelligenda sint.

2 Deinde sicut illa, sint tanquam non flẽtes, non gaudentes, non possidentes, non utẽtes, non idem sunt, atque non fleant, non gaudeant, non possideant, non utantur hoc mundo, sic & hoc, sint tanquam non habentes, non idem est atque non habeant, uel non utantur,

B Vt enim usum mundi huius utentibus illo nõ aufert quod dicit, sint tanquam non utantur ita nec uxoris usum habenti uxorem aufert, quod dicit, sint tanquam non habentes.

3 Tertio, & ipse scopus Apostoli non hoc exigit ut è coniugibus reddátur cœlibes, quasi cœlibatus apud Deum aliquid habeat prærogatiuæ, sed ut animi fidelium liberi sint à rerum huius sæculi nexibus, quo cõstantes Christo adhærere queant, cuius & infrà admonebit. Ad hunc finem non minus pertingit coniunx, si coniuge legitime & temperanter utatur, quàm si illa prorsus careat, sicut & ij, qui mundo utuntur tanquam non utantur, æque constantes in fide Christi perseuerant, atque ij, qui illo non utuntur. Quapropter ista Hieronymi expositio prorsus aliena est à mente Apostoli, & studiose cauenda.

Item uide in epistolis Leonis ad Rusticũ Narbonẽ. episcopũ cap. 3.

Sed esto, habere tanquam non habeas, sit idem atque non admodum delectari aut affici uxore quam habes. Quid igitur est, quod hic ipse Apostolus Ephes. 5. iubet, ut mariti uxores diligant sicut sua ipsorum corpora, imò quod arctius est, sicut Christus dilexit ecclesiam suam? Hic iubet habere tanquam non habeas, illic præcipit ut diligas plurimum. Docet ne hoc loco ut maritus frigido sit erga uxorẽ affectu? Cur ergo illic tanta dilectione prosequi iubet? Certe nostro tempore satius est admonere, ut mariti uxores suas diligant, posteaq̃ tam pauci sunt, qui syncero amore erga cõiuges suas afficiant. Habenda est igitur ratio

tio temporum, ut si nimius regnet amoris affectus in coniugibus, ut periculum sit defectionis à fide Christi, sicut persequutionis tempore accidere solet, locũ habeat ista Apostoli admonitio: si uero tempore pacis refrixerit coniugalis dilectio, admoneantur mariti ut uxores suas sicut sua ipsorũ corpora, & sicut Christus ecclesiam suam dilexit, diligant. Nõ quod inconstans debeat esse dilectio mariti erga uxorẽ suam, sed quod admonitio Apostoli prudẽter pro ratione temporũ & personarũ instituẽda sit, & q. carnalis & corruptus amoris affectus à coniugibus fidelibus abesse debeat.

ET qui plorant, tanquam non plorẽt.] Plorare malũ non est, fleuit enim & Christus, modum uero excedere malũ est. Animũ enim declarat tribulationis impatientem, adeoq; & regno Christi ineptũ. Intelligit autẽ eos, qui in hoc sæculo affliguntur, quos docet, ut moderate lugeant. Non exigit ne prorsus fleant, sed iubet, ut in rebus tristibus nõ admodum animo deijciantur, & tam nõ illarũ gratia à Christi ueritate deficiant, quàm si prospere habeãt. Non reddit igitur Apostolus Stoicos ex Christianis, qui sapienti & iusto homini non permittunt, ut sensu rerum tristium nonnihil tangatur. Sic & alibi non uetat contristari, sed immodestiam lugendi, quæ gentium est, uetat.

ET qui gaudent, tanquam non gaudeant.] Per gaudentes intelligit eos, qui rebus in hac uita fruuntur secundis, quibus terrena ista ex animi sententia succedunt, qui sanitate corporis, rerum opulentia, pace & honore huius sæculi potiuntur. Non enim de ijs loquitur, qui in domino gaudent. Illorum nanque gaudium haudquaquam cohiberet, & ad temperantiam restringeret, illis nunquam diceret, ut sint tanquam non gaudentes.

Itaque & inter Christianos malum non est, rerum prosperitate potiri, & gaudere in rebus secundis. Humanum est, & ita habet naturæ nostræ ingenium, ut misere affecti lugeamus ac ploremus, rursus in rebus prosperis constituti, gaudeamus. Istam naturæ nostræ conditionem tam non damnat Apostolus, ut Romanorum duodecimo iubeat gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Non est itaque Christiani hominis Stoicorum ἀπαθέιαν sectari, quam nuper Anabaptistæ inducere conati sunt. Verum utrobique seruare modestiam, & nec rebus tristibus deijci, nec secundis extolli, id demum est Christianæ professionis, & plus habet uirtutis, quàm si per Stoicorum ἀπαθέιαν trunci ac stipites redderemur, omnibus humanis affectibus exuti.

ET qui emunt, tanquam non possideant.] Per ementes aut negociatores, intelligit aut eos qui domos, prata, agros, uillas, uineta, & id genus bona coëmunt. Alioqui, quis mortalium est, qui non aliquando emat, quæ necesse habet ad uitæ sustentationem, uictum uidelicet & amictum? De talibus emptoribus loquitur, quibus periculum est, ne ijs quę coëmunt, nimium afficiantur, qui uidelicet emendo opulenti redduntur. Hos monet, ne opibus cor apponant, sed sint tanquam non possidentes. Quadruplex periculum est in opibus.

1 Vnum, ne animos possidentium se inflatos reddant. Sic nos Germani dicimus: *Guot macht muot.*

2 Alterum, ne corda illorum sibi deuinciant, & fiduciam in se generent. Hinc Dauid admonet: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

3 Tertium, ne luxui materiam suppeditent, & occasionem præstent. Id notatur in diuite Euangelico.

4 Quartum, ne cupiditatem ac sitim plura habendi incendat. Vnde ille dicit:

Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.

His omnibus liber est animus Christiani hominis, qui ita emit ac diues est, ac si non possideat. Is nec insolescet, nec fiduciã in opes collocabit, nec luxuriabitur, neq; plura appetet, sed ita diues erit, ut nihilo sit minus modestus, corde libero, temperans, & præsentibus bene contentus.

Illud, ὡς μὴ κατέχοντες, tanquam non possidentes, ad uerbum est, tanquam non retinentes, quasi auellere ob id cupiat animos ementium à bonis terrenis, quod ea retinere nequeant, sed nolint uelint, amittere cogãtur. Certe qui id cogitat, haud facile cor suum opibus terrenis addicet.

ET qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.] Græce est, ὡς μὴ καταχρώμενοι, tanquã non abutentes. Theophylactus notandum putat inter usum & abusum discriminis aliquid hoc loco. Erasmus arbitratur hic nihil esse discriminis. Videtur hæc particula ita posita, ut quasi summam habeat eorum quæ recensere cœperat Apostolus. Longum enim erat omnia adnumerare, in quibus licet licitis, seruandus est modus, ne uel deijciamur animis uel inflemur, atque ob eam causam compendiose adiecit: Et qui utuntur hoc mundo, tanquã non utantur. Per mundum autem intelligit ea quæ in mundo sunt, quæ uitam hanc præsentem concernunt. Illis uti licet, sed moderate, & corde non affixo. De his autem non intelligit, quæ in mundo Iohannes uidit & cauere docuit, cum dixit: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, charitas patris in eo non est. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ. Istis certe non licet uti. Imò abusus mundi in istis est, quem uetat & Paulus.

1. Ioh. 2.

PRAETERIT enim habitus huius mũdi.] rationem adijcit, sed talem, quæ cõmoda sit captui eorum quibus scribit. Nam alioqui dicendum erat: Nisi enim hoc feceritis, in fide

Christi persistere non poteritis. Hoc quippe illis metuebat. Verũ ea ratione paulò inferius utet. Nunc cõmodũ, ubi mundi mẽtio incidit, ab illius fugacitate & incõstantia argumentũ persuadendi sumit. Præterit enim, inquit, habitus mundi huius, παράγει Græcè est, quod & seducere & præterire significat. Vnde Stapulensis quod nos legimus, præterit, uel transit, uertit, seducit. Vide Eras. Vtrunq; uerum est, & causæ quam agit Apostolus, accommodũ. Iohannes in sua canonica uerbo isto pro trãsire utitur, cum dicit, παράγεται ὁ κόσμος.

Notanter autem non de mundi substantia, sed figura & habitu quem nunc habet loquit, cum σχῆμα ponit. Et satis contemptim, ea quę mundi huius filij tantopere admirantur, figuram uocat, umbra nanq; sunt, non solida ueritas. Quæ in illo uel bona uidentur uel mala, nec uere bona uel mala, nec diuturna sunt, sed umbratilia & transitoria. Quid igitur causæ est, unde in tristibus anxij, & in prosperioribus elati esse debeamus, cum nec tristes nec secundæ res huius mundi ueræ sint, aut constantes, sed non nisi umbra quædam momentaria rerum tristium & secundarum, quas perpetuas & ueras futurum sæculum habebit.

Velim autem uos sine solicitudine esse. Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt domini, quomodo placiturus sit domino. At qui duxit uxorem, solicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. Diuisa sunt hæc duo, mulier & uirgo. Innupta curat ea quæ sunt domini, ut sit sancta & corpore & spiritu. Cõtrà quæ nupta est, curat ea quę sunt mundi, quomodo placitura sit uiro. Hoc autẽ ad id quod uobis conducibile est, dico. Non uti laqueum uobis inijciam, sed ut quod honestum ac decorum est, sequamini, & adhæreatis domino absque ulla distractione.

Redit ad consilium quod suprà de agamia dederat, asserens bonum esse cœlibatum propter instantem necessitatem, & quod tribulationem in carne sint habituri coniuges, quas declinari cupiat, eò quod illis parcat. Iam id consilij resumit, & adhuc aliam quandam illius rationem adijcit, ut doceat quantam commoditatem habeat cœlibatus in regno Christi, præ matrimonio. Eam sumit à molestia cõiugij, qua multis curis est obnoxiũ: cuius gratia fit, ut cõiugatus minus sit appositus regno Christi quàm cœlebs, periculumq; sit, ne plus quæ sæculi quàm quæ Christi sunt curet.

Θέλω δὲ ὑμᾶς.] Volo autem uos. Non hoc dicit imperandi sed optandi modo, ut & Erasmus reddidit: Velim autem uos. Sic suprà. Volo enim omnes esse sicut & ego sum, pro, uelim enim omnes esse, &c.

A SINE solicitudine esse.] Ἀμερίμνους εἶναι. Curarum multa sunt genera. Non exigit ut in uniuersum omnibus curis liberi sint. Est enim impossibile, deinde nec utile est, animum habere prorsus solutum & ociosum, quod hominis est, prorsus inepti ac leuiculi, & nullo rerum sensu præditi. Tales non optat esse Christianos, qui omnia susque deque ferant, & sint rerum cùm diuinarum tum humanarum egregij contemptores. Rerum terrenarum curam ac solicitudinẽ abesse Christianis optat, quod sciat illorum ingenium esse, ut animum occupent, nec sui iuris esse permittãt. Vnde & Christus Matthæi sexto dicit: Nolite soliciti esse quid manducetis, quid bibatis, quid induatis, &c. Sed primum quærite regnum Dei & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Cur hoc præcepit? Ob id uidelicet, ut liberiores essent ad quærendam regni Dei iusticiã, nullis huius uitæ curis impediti. Sic Matthæi decimotertio, curas huius uitæ spinis cõparat, quibus uerbi Dei fructus impeditur ac suffocatur. Et Lucæ uigesimoprimo dicit: Cauete ne corda uestra ingrauentur crapula & ebrietate, & curis huius uitæ. Ergo solicitudo rerum terrenarum his testimonijs conuincitur eo esse ingenio, ut animos mortalium captiuet, & à libera regni Dei consectatione impediat, quod etiam ipsa quotidie experientia declaratur.

QVI cœlebs est, curat ea quæ sunt domini.] Declarat seipsum, quomodo cupiat eos

B sine solicitudine esse. Id autem facit per collationem utriusque status, coniugij & cœlibatus, ostendens illius incommoditatem, & huius commoditatem. Quantum enim commoditatis habeat cœlibatus, non potest melius cognosci, quàm ex consyderatione molestiarum coniugalium.

CVRAT ea quæ sunt domini.] Non mox uerum est, si assertiue legas. Reperias enim innumeros cœlibes & innuptos, qui nihil minus curent quàm quæ sunt domini, nec ob id cœlibatum amplexi sint, ut domino integrius ac plenius adhæreant, sed ut declinata coniugij seruitute, liberius liceat indulgere genio. Et nostri clerici cum omnes cogantur esse ἄγαμοι, quomodo quæso curant quæ sunt domini? Nisi uelis per ea quæ domini sunt, bona ecclesiastica, id est, census ac reditus ecclesiasticos intelligere, quorum sanè iam olim magna quidem, sed prorsus insyncera cura tenentur. Quis enim non uidet, quàm non Christi, sed quæ sua sunt curent?

Proinde quod dicit: Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt domini, non est aliter intelligendum, q̃ ut idem sit atq;, aptus est & expeditus ad curandum ea quæ sunt domini. Hoc certe uerum est, & summopere optandũ fidelibus, maxime ubi tribulatio persequutionis sæuit.

QVAE sunt dñi.] Quæ illa sunt? Nihil exprimit nominatim Apostolus. Nec opus erat. Simpliciter enim de perseuerantia fidei & confessio-

fessionis Christi loquit̃,ut curare quæ Christi sunt,nihil aliud sit, quàm quærere regnũ Dei & iusticiam eius,& nõ mundo,sed Christi esse uoluntati addictum.

QVOMODO placeat domino.] Quasi exponit quid sit curare ea quæ sunt domini. Studio uidelicet illi placendi teneri. Illud duo habet. Vnum,ut uitetur, quicquid illi displicet. Alterum,ut quæ placita illi sunt,fiant.Horum cognitio non est ex humanis cogitationibus, sed è uerbo Dei petenda,ne quis hoc loco uitam monasticam somniet, cum nulla alia sit ineptior regno Christi. De ea loquor qualis nunc est, & quæ iam olim plus cœpit habere superstitionis quàm pietatis, nihilque aliud est,quàm conscientiarum captiuitas, & liberæ charitatis impedimentum. Sedulitas audiendi uerbum Dei,& precandi, bonum quidem habet ad pietatem exercitium, si rite dispensetur, & accedat studium charitatis erga proximos.Omnem uero uitam uni isti exercitio addicere,abiectis reliquis pietatis officijs, qualia sunt, suscipere peregrinos,uestire nudos, solari mœstos, uisitare captiuos & infirmos,id demum est,quod Christo placere nequit,nec ab Apostolo requiritur, nec tum temporis inter Christianos in usu erat.

At qui duxit uxorem, solicitus est de his quæ sunt mundi.

Neque hoc ubique uerum est.Reperti nanque sunt multi qui licet coniuges essent, non tamen quæ mundi,sed quæ domini erant curarunt, quales erant Prisca & Aquila,qui coniuges utique erant, & tamen non quæ huius sæculi,sed quæ Christi erant curasse leguntur, ita ut & ceruices suas pro Apostoli uita posuerint,Romanorum decimosexto. Proinde nec hoc per assertionem simpliciter intelligendũ est,sed ut idem sit atque, periculum est, ne tẽpore confitendi Christi,solicitus sit de his quę sunt mundi, eò quod ipse status coniugalis talis sit,ut animum coniugis curis suis plerunque adobruat, ut minus reddatur appositus regno Christi curando.Sic est in parabola Lucæ decimoquarto: Vxorem duxi, & ideo nõ possum uenire.

Lucæ 14.

DE his quæ sunt mundi.] Rem familiarem intelligit, cuius copiam status iste desyderare uidetur, ut omnia affatim, quæ uxori, quæ liberis & domesticis necessaria sunt, ad manum sint, quæ res quantum adferat curarum ac solicitudinum,norunt experti.

QVOMODO placeat uxori.] Quid hoc est? An peccatum est, placere uxori? Nequaquam. Quemadmodum neque prouidere uxori, liberis,& reliquæ domui, peccatum est. Alioqui male scriberet hic ipse Apostolus Timotheo, quod fidem abnegauerit, & infideli deterior sit, si qua suis, & maximè familiaribus non prouideat.Sed solicitum esse & anxium in his rebus quæ mundi sunt, & quomodo gratificeris uxori, præterquam quod

1.Tim.5.

A infirmæ fidei indicium est,ineptum etiam reddit ad hoc, ut quæ Christi sunt,studiose quærantur. Quoniam autem difficile est coniugatum harum rerum cura non teneri, & molestissimum tempore persequutionis cum uxore habitare, quæ animo sit auerso, nec minus negociosum in omnibus illi gratificari & placere uelle, eò quod multa sit mulierum intemperantia, propter uarios & importunos illarum affectus, quibus facilè mouentur, difficile uero imperant,arbitratur fidissimum Apostoli pectus in periculosis persequutionum procellis, multo commodius esse abstinere à coniugio, quàm istis molestijs obnoxium fieri, & eò adigi ut impediatur animus à studio placendi domino.

DIVISA sunt hæc duo, coniunx & uirgo.] Hactenus de uiris, nunc idem & de mulieribus tradit. Est enim hac in re eadem utrinque sortis & ingeniorum conditio. Vtrorunque est animo esse erga Christum syncero, & placiti illius studioso. Deinde & utrique ita comparati sunt, ut terrenis curis occupati, minus quæ Christi sunt curent. Imò mulieres, quo mobiliores sunt, & intemperantiores, hoc periculosius terrenis curis & affectibus inuoluuntur.

Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος.] Hæc particula bifariam legitur.Quidam illud μεμέρισται adiecta coniunctione καὶ, præcedentibus coniungunt,& legunt.Qui autem uxorem duxit, B solicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori,& diuisus est. Deinde interiecto puncto,reliqua ita substruunt.Mulier & uirgo innupta, cogitat quæ sunt domini. Ita legunt ac diuidunt,uetus interpres & cõmentarij Hieronymo dati.Ambrosius quoque de uiro coniugato ita legit,nisi quod uerbum diuidendi de muliere & uirgine repetit. Alij legunt ad hunc modum,quem sequimur,ut & Erasmus reddidit: Diuisa est uxor & uirgo. Deinde subijcitur distributiua collatio uxoris ac uirginis, qua declaratur quomodo diuisæ sint.Natura non sunt diuisæ,nec sexu, nec dignitate coram Deo, sed diuersitate affectuum & studio dispari. Omnibus fidelibus cor debet esse unum & anima una, par erga Christũ fidei synceritas & æquale studium illi placendi. Verum pro conditione & uarietate statuũ fit, ut quod unitum esse debebat, diuisum & in partes sectum reddatur,dum animi fiunt in Christi fide ac studio impares.

INNVPTA curat ea quæ sunt domini.] Id est,aptior est,ut curet.

VT sit sancta & corpore ac spiritu.] Pro ratione collatiõis debebat dicere,quomodo placeat dño.Cum ergo huius loco dicit,ut sit sancta & corpore & spiritu, innuitur tantundem esse hoc loco, sanctam esse mulierem corpore & spiritu,atque placere domino. Ergo mulier si cupiat placere domino, innupta sit, ut posit sancta esse & corpore & spiritu. Quid igitur? Quæ nupta est, nec sancta est, nec domino

mino placet? Quomodo ergo suprà infidelem coniugem in marito sanctificatam esse dixit? Si de sanctitate loquitur, quæ per fidem ac spiritum Christi est, quomodo adscribitur hic innuptis, cum sit etiam nuptarum & fidelium omnium? Si de mundicia illic corporis & animi loquitur, quomodo illam hic dat uirginibus, cum sit & coniugum? Coniunx nanque, si in fide coniugali maneat, nec corpore nec animo immunda est, quatenus coniunx est. Quid est igitur quod dicit: Vt sit sancta corpore & spiritu? Primum, non disputat quid sit uirginitas, nec sanctitatis gratia inter illam & coniugium discriminat, sed simpliciter dicit, quæ sit illius commoditas ad hoc, ut Christo seruiatur. Deinde quoniã uirginitas mundiciam quandam habet corporis & animi, dicit fidelem uirginem pro status sui commoditate hoc posse conari, ut uere sit sancta, non corpore tantum, sed & spiritu, id est animo, id quod tum est, quando curat quæ Christi sunt, & quomodo illi placeat. Inde nemo recte colliget, quod coniunx immunda sit corpore & animo, & quod domino placere nequeat, nisi corpus impuris actibus, & animum immundis polluat affectibus, id quod & innuptæ potest accidere.

Colligimus ex hoc loco de uirginitate.

1 Primum illam non æstimandam alicuius esse momenti, si corporis tantum habeat mundiciam. Exigit enim hic Apostolus non corporis solum, sed & spiritus sanctimoniam.

2 Deinde finem illius esse, ut curentur, non quæ mundi, sed quæ domini sunt, & expeditius regno Christi ministrari queat. Nihil ergo minus sunt quàm uirgines, quæ etsi non corpore, animi tamen affectibus uirile consortium appetunt. Nec Christo probantur ociosæ illæ, etiamsi affectibus animi sint plane angelicis, quæ nulla in re Christo seruiunt, sed suæ tantum tranquillitati consulunt.

Quæ nupta est, curat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro.

1 Non mox omnes. Maior tamen pars. Et hic status tempore persequutionis id secum adfert periculi.

2 Nec peccat, si placeat uiro, modo ita, ut potissimum Christo placeat. Si coniugis est, ut uirum suum amet, prudens sit, casta, sobria, domus curam habens, benigna & subdita, quomodo malum erit, si ista faciens (ut facere iubetur Titi secundo) uiro placeat? Apostolus Petrus hortatur mulieres coniuges, ut difficiles & infideles maritos pia & honesta conuersatione ad dominum conuertant. Hoc certe fieri non potest, nisi uiris placeant. Nihil ergo hic peccatur, si coniunx istis medijs pijs & honestis uiro cupiat in bonum placere, deinde, si ante omnia cupiat placere Christo. Non uetat igitur Apostolus coniugem placere uiro, cum id sit & illi & marito necessarium, nec mali quicquã habeat, sed docet, quid

A periculi subsit, si id anxie fiat & præter modum, quemadmodum plerunque solent, eò quod sexus iste uiri sit appetentior, & id ingenij habeat, ut cupiat placere uiris, atque huc luctetur nugis suis, crinibus tortis, ornatu uestium, auro, argento, serico, quæ omnia abesse uult ab illis quæ pietatem profitentur.

HOC autem ad id quod uobis conducibile est dico.] Ista uel per insinuationem dicuntur, ut credant fideliter consulenti, nec aliud quicquam quàm ipsorum utilitatem quærenti, uel per cautionẽ adijciuntur hoc sensu. Quicquid id sit quod de commoditate cœlibatus, & incommoditate coniugij dico, non aliter dictũ uolo, nec à uobis aliter usurpari, quàm quatenus ad uestram ipsorum cessurum sit utilitatẽ, quam unam hic specto. Vos uidete iam singuli, quid uobis sit conducibile. Mihi uisum est huius admonere, & ita arbitror causam hanc habere, sed, ut suprà dixi, quisq; proprium donũ habet, alius sic, alius alio modo. Quod cuique conducibile est, sectetur.

NON uti laqueum uobis inijciam.] Quis non uidet Apostolum id quod res erat ultro consyderasse? Si consilium suum non tantopere declarasset, & causæ istius libertatem monstrasset, uidebat futurũ, ut, quod suadebat, imperitis & imbecillibus conscientijs in laqueũ cederet. Quomodo? Si conarentur illo extra donum Dei uti. Hoc est, si cœlibatui spreto cõiugio sese addicerent, id quod non potest nõ

B male cedere, & perditioni seruire.

Vide admirabilem astum Satanæ. Data opera cauit Apostolus, idq; nominatim expressit, quæ de cœlibatus commoditate disputabat, non huc tendere, ut inde struatur laqueus conscientiarum, quasi res ista sit necessaria, sed cuiusq; conscientiæ liberum relinqui, quid sequatur quid non. Et ausus est hinc impudentissimus Satan, contra expressam Apostoli mẽtem, curam ac solicitudinem, tam innumeris animabus laqueos struere, in quibus misere & corpore & spiritu pereant. Et quod crudelissimum est, eò tandem inualuit ista insania, ut malint ecclesiastici principes sciẽter ac prudenter perire tot animas, pro quibus Christus est mortuus, quàm hunc laqueum, quem non Apostolus, sed Satanæ astus struxit, per doctrinam Apostolicam solui.

SED ut quod decorũ est sequamini, &c.] Græcè est, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως, id est, sed ad id quod decorũ est, & huc facit, ut indiuulse dño adhæreatis, intellige, hoc dico. Exponit mentẽ cõsilij sui, & illius utilitatẽ declarat, quã decoro & constanstiæ circa Christi fidem & obseruantiam includit. Decorum hic non uocat ἀγαμίαν, sed status in quo quisque est honestatem, qua sic uiuit, ut nulli diffamiæ Christiani hominis conuersatio reddatur obnoxia. Habet & Christianissimi professio suum decorum. Id est, ut uita professioni respondeat. Professio spiritalis est & cœlestis. Ergo decorũ illius est, ut reiectis hu-

ius

ius uitæ cupiditatibus cœlesti conuersatione studeamus. Christo indiuulse adhærere, est cō stanti & immota fide nō quæ mundi, sed quæ Christi sunt curare, nec ullis tentationibus ab illius dilectione auelli. Liberum ergo permittit Apostolus cuique fideli pro suo dono uel cœlibatum uel coniugiū amplecti, modo huc faciat, ut Christianæ professionis decorū seruetur, & in fide Christi immote perseueretur. Quatenus cuiquam ad id seruire potest cœlibatus, hactenus illum cōsulit. Sin secus, satius esse suprà dixit, nubere quàm uri.

Inepti planè sunt, qui Christiani status decorum putāt esse uirginitatem, & Christo indiuulse adhærere idem esse atque uirginitatē constanter seruare, quasi coniugium & probrum habeat, & coniuges Christo adhærere nequeant, cum Apostolus cœlibatum hactenus suadeat, ut si ad decorum & perseuerantiam Christo adhærendi faciat, usurpetur. Aliud est quod suadet, & aliud quod suadendo spectat. An Dauid uirgo erat, cum diceret: Mihi autem adhærere Deo bonum est? Quomodo adhærebat Deo? Audi. Ponere in domino Deo spem meam. Ergo domino indiuulse adhærere, est syncera fide, spe & dilectione constanter ab illo pendere, nec ullis tentationib⁹ ab eo auelli. At id potuerunt per gratiam Dei, & possunt etiamnū pij homines in matrimonio constituti, non minus quàm uirgines.

Quod si quis indecorum uirgini suæ putat, si prætereat nubendi tempus, & sic oportet fieri, quod uult faciat, nō peccat, iungantur matrimonio. Cæterum, qui stat firmus in corde, non habens necessitatem, sed potestatē habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet suam uirginem, bene facit. Itaque qui elocat nuptum, bene facit. Attamen qui nō elocat nuptū, melius facit.

Adhuc ampliori declaratione cauet, ne cuiuspiam libertati consilio suo præiudicet. Non satis est, quod dixit: Etsi nupserit uirgo, non peccat. Deinde. Hoc ad id quod uobis conducibile est, dico, non uti laqueum uobis injiciā, sed ut quod decorū est, sequamini, sed adhuc opus esse putat pluribus rem eandem inculcare. Tantopere uidelicet solicitus erat, ne cui suo consilio obtemperandi necessitatem obtrudere uideretur. Descendit paululū ad species, licet hoc quod in specie dicit, antea generaliter dixerit.

QVOD si quis.] Non exigit, ut pater uirginem suam domi seruet, contra uel suam uel illius uoluntatem, sed totam hanc causam arbitrio & iudicio parentum committit. Vsuuenit aliquando ut ignominiosum uideatur uirgini, si ultra nubendi tempus domi paternæ detineatur innupta. Argumentum enim habere uidetur, esse ineptam & inutilem, aut malis

A moribus præditam, uel certe talibus ortā parentibus, ut illorum gratia fastidiri mereatur. Et alioqui ridiculum est uetulam uidere uirginem. Hoc uidetur dicere Apostolus, cum scribit: εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν νομίζει, id est, si quis indecorum esse putat. Et ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος, id est, si sit superadulta, si ætatem & maturitatem nubendi, pubertatem egressa, prætereat. Decorū hic de cuiusque loci ordine & consuetudine intelligendum est. Potest quisquam apud eos populos habitare, ubi nihil indecori habeat, si superadultam uirginem domi retineat. Rursus fieri potest, ut apud eos sit quibus id turpe uideatur. Iam quicquid hac in re fit, cuiusque iudicio permittit. Non enim dicit. Quod si indecorum fuerit, sed, si quis indecorum uirgini suæ putat. Satis est, si pater putet indecorū uirgini suæ si ætatem nubendi supergrediatur, nec opus est, ut cuiquam ea sit de re ad reddendam rationem obnoxius.

ET sic oportet fieri.] Alius articulus. Necessitatis uidelicet. Vbi periculum est, ne incontinentiæ tentationibus superata uirgo, labatur in scortandi turpitudinem. Hoc est, si uideatur uiri appetentior, quàm ut tutum sit eā uirginitati destinare. Non uideo aliam necessitatem contrahendi matrimonium in uirgine, præter istam. Et utinam huius potiorem rationem habuissent parentes, qui filias suas extra necessitatis huius experientiam in monasteria truserunt immaturas, ut tum primum il-
B lius fiant expertæ, ubi uoti uinculo ligatæ, ad nuptias amplius aspirare non permittuntur. Bene dicit. Et sic oportet fieri. Est enim reuera ineluctabilis necessitas nubendi, ubi continentiæ donum non habetur, nisi locum dare uelint parentes omnis generis turpitudini. Istam necessitatem licet infanda libido hodie in monachis, nonnis ac sacerdotibus horrendis exēplis, & inexcusabili turpitudine proclamet, tanta tamē est episcoporum stupiditas, ut nullam dum illius habere rationem sustineant.

QVOD uult faciat.] Quasi dicat. Nihil impedio meo consilio. Non adimo illi quod uult faciendi hac in re libertatem. Per me licet facere, quod faciendum esse putauerit. Non dicit: Quod debet & necesse est faciat, ne prorsus hanc libertatem necessitati alligatam putemus, sed, quod uult faciat, ut agnoscamus omnimodam libertatem. Parenti pro excusatione satis est, si uirginem suam nuptum elocat, quod ita faciendum putat, & sic facere placet, etiamsi nō omnimoda urgeat necessitas.

NON peccat.] Idem suprà dixit. Repetit ob id, ne laqueum injiciat fidelium conscientijs. Sunt enim argutuli quidam, qui ad turbandas fidelium ac simplicium conscientias facile inferunt. Si hoc est consilium Apostoli, & Apostolus non ex se ipso, sed ex spiritu sancto loquutus est, ut & infrà dicet, ergo qui consilio illius nō obtemperat, spiritui sancto non obtemperat. Qui autem id facit, quomodo non

quod

quod malum est facit? Qui quod malum est facit, utique delinquit. Ergo qui relicta uirginitate uel se uel uirginem suam matrimonio cōiungit, peccat. Contra huiusmodi argutias opus fuit, non semel, sed iterum inculcare, non peccari à quoquam si matrimoniū contrahat.

IVNGANTVR matrimonio.] Pluraliter loquitur, ad sponsum & sponsam respiciens. Copula nanque ista singularitate non constat, sed in duobus consistit.

CAETERVM qui stat firmus.] Ista pertinēt ad hoc ut sententiam suam quam suprà dederat, diserte declaret, ne putetur cuiuis sequenda, quod uidebat esse periculosum. Proinde certis conditionibus illam limitat & circumscribit, uidelicet istis.

Prima, si firmus sit in corde. Hoc est, si non fluctuet in utranque partē. Non uult enim tale quid tentari animo non bene firmato.

Altera, si nulla necessitas diuersum exigat. Nam etiamsi pater firmo sit proposito seruandi uirginem suam, nunquam tamen id faciet secundum Apostoli consiliū, si necessitas exigat matrimonium.

Tertia, si propriæ uoluntatis potestatē habeat. Ea hac in re pendet à consensu filiæ. Citra illam non habet potestatem pater filiā uel nuptum dare, uel à nuptijs cohibere.

Quod adijcit, & hoc decreuit in corde suo, nihil aliud est, quàm quod primo loco dixit: Qui stat firmus in corde. κρίνειν quippe aliquādo significat non simpliciter iudicare, sed firmo & inconcusso proposito decernere & statuere. Ita in epistolis Plinij de quodam Corellio Ruffo legitur, quod cibum respuerit ægrotus, ob id, quod diutino morbi dolore uictus, per ἀσιτίαν mori destinasset, atque ideo medico cibum admouenti responderit, κέκρικα, id est ita decreui & inconcusse statui. Ergo non uult temere quenquam consilio suo obtemperare, sed omnino exigit animum bene consultum, & firmatum, & ut nulla necessitas aliud suadeat, & uirgo assensu suo patris uoluntati astipuletur. Hæc est mens & prudentia Apostoli, quam utinam obseruassent præterita sæcula.

Lib. 1. epistola 12.

Istam expositionem malo, quàm eam quā adfert Theophylactus, qui scribit ista ad extollendum uirginitatis meritum ab Apostolo dici, ita ut qui filiam suam uirginem seruat, sit uir animo constanti, & sano iudicio præditus: rursus, qui filiam suam nuptū elocet, licet non peccet, sit tamen inconstans animo, & iudicio non bene sano. Non hic est animus Apostoli ut prædicet, sed ut requirat constantiā & rectum iudicium in eo qui filiam suam matrimonio non iungit, & ut, quemadmodum dixi, prohibeat, ne quisquam suæ sententiæ re non bene pensitata obtemperandum esse putet. Cautionem habent uerba Apostoli, nō cōmendationem uirginitatis. Alioqui si temere quis nec animaduersa nubēdi necessitate, nec consulta filiæ uoluntate, uirginitati illam consecrare uoluerit, tam aberit, ut sit uir animo bene constans, & iudicio recto præditus, ut magis temeritatis accusari queat, & uerius cōtra quàm iuxta Apostoli sententiam fecerit.

VT seruet suam uirginem.] Domi uidelicet, & in sua potestate. Ignorabatur enim illis temporibus captiuitas illa monastica, qua uirginitatem professæ, sub potestatem alicuius monachi uel nonnæ ponuntur, & ædibus ac potestati patris eximuntur. Domi seruabantur uirgines, sub custodia & obedientia parentum, idque multo tutius & castius quàm hodie sub tyrānide monastica. Deinde ita seruabantur, ut si postea necessitas aliqua exposceret, nemo prohiberet illas nuptum elocare. Peruersa obedientia est, cui nonnæ subdūtur hodie. Primum ob id, quod non solum ius nubendi aufertur, etiam ubi necessitas perspicue id exigit, sed & quod cassata paterna obediētia, uel in mulieris alicuius, uel impuri monachi potestatem ueniunt. Consilium Pauli non hoc docet, sed relinquit uirginem in domo & pōtestate patris, nec adimit ubi necesse est, ius nubendi.

BENE facit.] Hoc est, prudenter facit. Ergo qui non obseruatis istis conditionibus id facere conatur, non bene, sed male, id est, stulte & imprudenter facit.

ITAQVE qui elocat nuptum, bene facit.] Summandi gratia dicit. Vide autem quàm nō sint duo contraria inter se elocare nuptum, & non elocare, ut ita bene faciat uirginem suam seruans, ut qui suam nuptum elocat, male faciat. Vt suprà admonui, duo bona sunt, coniugium & uirginitas, modo illis recte utamur. Potest enim fieri, ut qui filiam suam matrimonio iungit, melius faciat, quàm si illam uirginem seruet. Proinde quod dicit, attamen qui non elocat nuptum, melius facit, non nisi in eo sensu & illis conditionibus quas suprà posuit uerum est, aliàs ne bonum quidem est, nedum melius.

OBSER. I.

In eo quod non solum liberum facit matrimonium, sed & bonum, cum dicit: Qui elocat nuptum, bene facit, admonentur parentes non minus ad hoc, ut si opus & maturum sit, filias suas nuptum dent, quàm si necessitas nubendi non sit, uirgines illas seruent. Huius æque debebant habere rationem prædicatores cœlibatus, atque continentiæ uirginalis. Debebant docere non solum nubendi libertatē, sed & si continentiæ donum desit, prudentiā & beneficentiam paternā ad elocandas filias.

II.

Deinde in eo, quod potestati & prudentię paternæ filiarum uel nuptias uel uirginitatem subijcit, ita tamen, ut illarum accedat assensus, admonet primum non esse in potestate filiæ, ut sine patris consensu matrimonio sese iungat, sed patris id esse officij. Id uocat elocare nuptum. Quid est igitur illa doctrina, quæ tradit iustum

dit iustum esse matrimonium ac plenum ex consensu sponsi & sponsæ, etiã si parentes cõtradicãt, unde orta sunt clandestina matrimonia, quæ plerunq; intercedẽte uino, scortatione, & lenone aliquo, parum honeste, multo minus firme coëunt.

Euaristi decretum. Inde & in decretis Euaristi papæ, qui post Linũ ordine quint[9] fuisse legitur, ita habetur.

Similiter custoditũ & traditum habemus, ut uxor uiro legitime iungatur. Aliter enim legitimum, ut à patribus accepimus, & à sanctis apostolis eorumq; successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem uidẽtur habere, & à quib[9] custoditur, uxor p[illegible]atur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur & legibus detur.

Hæc ille. Notum illud Euripidis. Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς, μέριμναν ἕξει, κόυκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Respondeãt hic decretarij illi doctores quis isti decreto authoritatem suam ademerit.

2 Deinde simul admonemur, in potestate patris non esse, nolẽtem uirginem cogere, uel ad coniugium, (ut est etiam in historia Rebeccæ, *Gen. 24.* ubi dicebant uocemus puellam & quæramus ipsius uoluntatem.) uel ad uirginitatẽ. Vtraq; in re plurimum peccatur subinde à parẽtibus, quod filias suas inuitas uel cogũt ad matrimonium, uel ab illo abstinent.

Vxor alligata est legi, quandiu uiuit maritus eius. Quod si dormierit maritus eius, libera est, ut cui uult nubat, modo in domino. Attamẽ beatior est, si sic maneat, iuxta meam sententiam. Opinor autẽ quod & ipse spiritum Dei habeam.

Et hic locus solicitudinem Apostoli declarat. Nam fere nihil dicit quod antea nõ dixerit. In summa autem tria dicit.

1 Vxorem alligatam esse legi, quandiu uiuit maritus eius.

2 Post uiri dormitionem liberam esse, ut nubat cui uelit.

3 Beatiorẽ tamen esse, si uidua maneat, iuxta suam sententiã. De istis omnibus suprà quoq; egit. Quid op[9] erat ergo repetere? Causam hãc magna solicitudine uersat, ubiq; anxius, ne nõ satis sese declaret, néue cui laqueum inijciat.

VXOR alligata est legi.] Huius meminit & Rom. 7. sed aliò respiciens. Hic uero non tam id agit, ut doceat uxorem legi obnoxiam esse quoad uir eius uixerit, qua in re forsan minus erat controuersię, quàm ut refricet mulieri uiduæ illicitũ non esse, si mortuo priore uiro alteri se iunxerit. Nec putabit quisquã hãc Apostoli solicitudinem præter rationem esse, si cõsyderet, quid pleriq; doctores de secundis nuptijs tanquam illicitis respuendis tradiderint, è quorum numero est Tertullianus, qui in libro de Monogamia locum hunc Apostoli ita eneruat, ut dicat de his uiduis intelligendum qui priores maritos in fide Christi non habue-A rint, & secũdas nuptias licitas esse quæ in fide primæ sint. Verum nihil huius meminit Apostolus. Sunt hominis huius inanes cogitationes. Concilium postea Epaunense, cap. 32. illicitas nuptias uocat, si relicta sacerdotis denuo nubat, iubetq; & maritum & uxorem à cõmunione ecclesiastica arceri, donec separentur. Quodam alio concilio mandatum est sacerdotibus, ut nec benedicant secundas nuptias nec ad prandia illarum uocari se sinant. Prouidus est spiritussanctus, atq; ideo opus fore putauit, ut p os Apost. ea de re uel fidelibus cõsuleret, quicqd cõtẽtiosi & superstitiosi tentaturi essent. Arbitror aũt multũ hac in re tenebrarũ offudisse abusum unius dictionis digamiæ. Digamia erat, quãdo simul duę habebant uxores quod & hodie apud Turcos cõsuetudinis esse dicũt, polygamia, quãdo plures, monogamia, quãdo una tãtũ. Postea abusiue cœpit digam[9] haberi, si quis mortua priore secundam ducat, & polygamus, q sæpius prioribus uita defunctis matrimonium iterat, & monogamus, qui semel tantum in uita nubit. Hinc factum esse puto, ut horror prioris digamiæ per errorem sit in alienã hanc translatus. Veteres nolebant idq; ex pręscripto Pauli, digamum ordinari in presbyterum aut diaconum, qui scilicet duas simul uxores habuerit. Postea translatum est & ad eos, qui duas nõ simul sed morte intercedẽte habuerũt, ita scilicet factum est, ut uere monogamus habitus sit & hodie habeatur B pro digamo, cum nihil sit minus. Non potest Ecclesia dici duos habere episcopos, quæ mortuo priore alterius utitur successione, & quomodo potest mulier uocari digama, quæ priore uiro per mortem ablato, uni alteri iungitur?

AD cui uelit nubendum.] Hoc quadrat de uiduis, de uirginibus non item. Nam illæ sunt adhuc in potestate maiorũ. Ambrosius eò refert, ut intelligamus coactas dãnari nuptias.

MODO in Domino.] Hoc est cum fideli marito. Suprà uoluit dirimi impar cõiugium, hic non uult, cum uitari possit, iniri. Ita & lex præcipit. Deut. 5. Nemo det locum hic ineptis hominibus, qui illud modo in Domino, de spiritalibus nuptijs cum Domino ineundis exponere conantur, ut habeant, quo superstitionẽ suam tueantur.

ATTAMEN beatior est.] Non coram Deo, sed in hac uita. Non enim inter coniugium & uiduitatem discernit, ut habeant coram Deo, sed quomodo in hac uita status alter altero commodior & pacatior sit admonet.

OPINOR autem, quod & ipse spiritum Dei habeã.] Respicit contentiosos & arrogantes pseudoapostolos, qui de spiritus Dei reuelatione multum gloriabantur. Vnde non dicit simpliciter, quod spiritum Dei habeam, sed q, & ego spiritum Dei habeam, quasi dicat, non minus de spiritu Dei & forsan aliquãto uerius gloriari possum quàm isti, quos tãtopere suspicitis.

CAPVT VIII.



AEterum de his quæ simulacris immolantur, scimus, quod omnes sciētiam habemus. Sciētia inflat, charitas uero ædificat. Quod si quis uidetur aliquid scire, nōdum quicquam nouit, quemadmodum scire oportet. At si quis diligit Deū, hic cognit⁹ est ab illo.

Per libertatem quidlibet edēdi peccabatur inter Christianos plurimū ab ijs, qui reliquis uidebātur fide & scientia rerum potiores. Idq; dupliciter. Partim ita ut offenderent qui ex Iudæis Christianismo accesserant, quorum conscientiæ adhuc imbecilles & legi nonnihil obnoxiæ interdictis à lege cibis abstinebant. De illo admonuit Ro. ca.14. Partim ad offensionē eorū & læsionē qui erāt ex Gentibus. Id fiebat per eos, qui absq; ulla fratrū imbecilliū ratione simulacrorū sacrificijs sese admiscebant, etsi nō sacrificātes cum sacrificātibus Gentibus, cū uescētibus tamē & in epulo simulacrorū accūbētibus unà accūbentes, & ijs quæ simulacris oblata erant uescentes. Qua in re & Gentes in errore confirmabātur & imbecilles Christiani uel offendebātur, uel ad id exēpli impari sciētia & fiducia, imo contra conscientiam, alliciebantur, unde haud parum dedecoris & offensaculi Christianæ professioni generabat. Adoritur itaq; & istorū temeritatem Aposto. cap. præsenti, admonetq; fortiores, ut magis ad ædificationē per charitatē, libertate Christiana, q̄ ad destructionē per sciētiā, utātur. Tractat autē hanc causam cōspicuis argumentis, nihil obscuri habētibus, & pleraq; sumpto de se exēplo, deinde & de casu ueterū, cautionis gratia immiscet. Neq; enim hūc tractatū isto cap. absoluit, sed in decimū usq; ꝓcedit, ut uidebim⁹.

CAETERVM de his, quę simulacris immolantur.] Græcè est, περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων. Græcæ linguæ ignari arbitrantur discriminis aliquid esse inter ea quæ Græci εἴδωλα & quę Latini simulacra uocant, atque ob eam rationem inter eidololatriā quoq; & simulacrorū cultū discriminant, ab eidolis & eidololatria quidē abstinendū putantes, à simulacrorum uero cultu & honore non item. Cum per omnia idem sint εἴδωλον & simulacrum, εἰδωλολατρία & simulacrorum cultus. Eidola intelligunt de dijs Gentiū, per simulacra uero & imagines putant nō nisi sanctorū picturas & statuas significari. Belli homines mentem scripturæ imo spiritussancti in scripturis non intelligunt, ubi prohibetur cultura eidolorum, putantq; eam tātum speciem impietatis ꝓhiberi, quæ apud Gētes inualuit, atq; ideo secure in ipsissimā eidololatriā ruūt.

εἰδωλόθυτα, uocat Apost. ea quę in sacris & cultu eidolorū sacrificandi gratia mactabantur & offerebantur. Non quod Gētes eidolis tanquā eidolis cultū illū sacrificiorū exhibuerint (non enim simulacris, sed dijs quorum uenerabātur simulacra, oblationes suas destinabant) sed q, in simulacris deorum deos coluerint. Ob eam rationē εἰδωλόθυτα uocat, quæ opinione Gētium pro θεοθύτοις habebātur. Huius propterea admoneo, ut uideamus nullam esse excusationē eorum, qui, quem imaginibus sanctorum cultū impendūt, εἰδωλολατρίαν uocari nolint, eo quod intentio ipsorū nō sit ad imagines, sed ad sanctos uel ad Deum ipsum, cuius uenerātur imaginem. Hac ratione & Iudæi & Gētes negare potuissent, simulacris offerri, quæ offerebant dijs. Verum spiritussanct⁹ in Apostolo nō mētitur, ubi dijs oblata εἰδωλόθυτα uocat. Quanquā ne sic quidem excusantur simulacrorum cultores. Neq; enim sacrificandū est nisi Deo soli, neq; id aliter quàm iuxta ipsius uerbū. Est autem uerbo Dei prohibitū, ne ad honorē ipsius & cultum fiant simulacra, cōtra quod mādatū expresse delinquunt simulacrorum cultores.

SCIMVS, quod omnes scientiā habemus.] Hic loc⁹ potest exponi bifariā. Primū, ut illud, scimus, intelligam⁹ de sciētia Apost. quę se dicat haud ignorare, sciētiā de eidolorū uanitate passim obtinere inter Christianos. Deinde, ut generaliter pertineat ad oēs Christianos, illud scimus, quasi dicat: De eidolothytis, quæ illorum sit ratio & inanitas, satis habemus sciētię, nō sumus ignari, sed scientes. Habemus enim oēs eā scientiā per ueritatis doctrinā instructi. Itaq; priore sensu, illud ὅτι expositorie ꝑ quod legendū est, ut ostēdat qd se dicat scire Apost. Altero uero rationaliter adiectū est pro Nam, uel, quoniā, ut reddat ratio, quare Christianis tribuat eidolothytorū sciētiā. Ob id uidelicet quod Christianis passim per ueritatē reuelatā uanitas eidolorū innotuerit. Prior tamē expositio uidetur simplicior. Vtut legamus, Apost. in hoc est, ut sciētiæ gloriationē arrogantibus & Christiana libertate abutētib⁹ excutiat. Erat enim illa mali huius ueluti fons quidā. Arrogātiam enim sciētię nō ipsam scientiā passim inter Corinthios obtinuisse satis indicatur infrà, ubi dicit: Sed nō in omnib⁹ est sciētia. Proinde illud, quod oēs scientiā habem⁹, ironice uidet esse dictū, ad notandū studium & ostētationē sciētię. Sic illud, Scribim⁹ indocti doctiq; poëmata passim. Certe nō oēs poëmata scribebāt. Verum quoniā studiū & ostētatio scribēdorū poëmatū, passim inualuerat, uisum est poëtæ eam stultitiā hac loquutionis formula notare.

Nota, q, nō dicit habetis sed habem⁹ ne apertius mordeat. Ideo quasi seipsum quoq; immiscet, ut quod dicturus est, non Corinthijs solū, sed & sibi ipsi dicere uideatur, quo tolerabilior sit correptio.

SCIENTIA inflat, charitas uero ædificat.] A prępostero sciētię studio auocat ad id quod bonū est. A sciētia nō auocat, sed à puerso illius studio. Alioqui sciētia per se bona est, & donū Dei, quod multis modis ad gloriā Dei & mortalium salutem facere potest, si rectus usus accedat. Proinde pigri illi & ignaui homines, qui inuidentiæ stimulis agitati, bonas scientias, & litera-

literarum studium sugillāt, nullam liuoris sui ansam ex Apostoli uerbis habere possunt. Nā ut recte colligit August. lib. aduersus Faustum Manichæum 15. cap. 8. si scientiā ueritatis damnaret Apostolus, utiq; seipsum quoque damnaret. Nam & se inter scientes hoc loco connumerat, non solū in eo quod dicit quod omnes scientiam habemus, sed & quod ipsam eidolorum inaniū, & unius Dei ac domini cognitionem tā dilucide ponit. Et 2. Cor. 11. dicit: Nam etsi imperitus sum sermone, nō tamen sciētia. Imo non solum nō damnat scientiā, sed illam etiā in Iudæorum zelo desyderat, cū dicit: Testimoniū illis perhibeo, quod zelū quidē Dei habent, sed non secundum sciētiam. Optabat igitur Iudæorū zelo scientiæ lumen accedere, uidebat enim illos ob id in ueritatē Dei delinquere, & propriæ saluti repugnare, quod scientia ueritatis destituti essent. Et Ro. in eo commendat, quod repleti erant omni sciētia. Et in hac ipsa Epistola gratias agit Deo propter Corinthios, quod in omni sciētia diuites essent facti. Et alibi dicit scriptura. Quia tu repulisti scientiam repellā & ego te. Et, Qui ignorat ignoret. Et infrà 14. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malicia paruuli estote, sensibus autem perfecti sitis. Itaq; non scientiam Apost. hoc loco dānat, sed peruersum illius studiū & usum.

Augustin.

2. Cor. 11.

Ro. 11.

Cap. 15.

1. Cor. 1.

1. Cor. 14.

DE PERVERSO SCIENtiæ studio.

Omnibus id mortalibus agnatū est, ut rerū scientiam appetat. Obseruauit illud in natura mortaliū Philosophus ex certis sensuū nostrorū indicijs, maxime ex uisu. Ita enim cōparati sum⁹, ut oīa uidere cupiamus ob id potissimū quod hic sensus magnā nobis rerū cognitionē & multū discriminis adferre soleat. Verū unde sit in nobis ista sciētiæ cupiditas, uidere nō potuit, quia ueritatis p sanctā scripturā traditę expers fuit. Nos aūt illā scimus nobis, ex primorū parentū trāsgressione, degustata arbore sciētiæ boni & mali, p carnis successionē hæreditarie inditā. Præuidebat spiritus Dei istā cupiditatē sciētiæ boni & mali noxiā fore generi humano, atq; ob id gustū arboris illius uetuit. Hactenus tn̄ nobis seruit Philosophus, quod morbū hūc in mortalibus obseruat & prodit.

Lib. 1. Metaph.

Deinde, ut omnia mortaliū corrupta sunt, ita & studium illud cognoscēdarum rerū corruptum est & peruersum. Huius autē peruersitas uidetur esse duplex.

1 Prima, Quod quæ ad nos nihil pertinēt, & quæ nihil utilitatis adferunt aut certe nō multum conferunt, magis affectamus cognoscere quàm quorum cognitio nos cōcernit, & multum habet momēti. Hoc curiositatis nomine à doctis quidē passim traducitur & carpitur, sed non ita facile deponitur.

2 Altera est. Quod etiā quę cognoscēda sunt, & quorū sciētia gloriæ Dei & nostræ saluti seruire poterat, nō in eū finē discimus, ut illorum scientiā ipso opere bene collocemus, sed ut tātū sciamus, & aliquid præ alijs esse uideamur. Pulchrum & gloriosum est, rerum diuinarū & humanarū haberi scientē. Habet enim ista sciētia nonnihil diuinitatis. Eritis sicut dij, aiebat serpens, scientes bonum & malū. Ideo stupidi & rectè ignari bestiarū irrationaliū loco haberi solent. Hinc fit, ut sapientes penè deorum loco habeantur. Et qui aliquid in mundo uideri uolunt, non tam de ingenij malicia, & uitæ corruptione, q̄ de errorū obiectu uerecundantur, quod in nostris temporis sacrificis & Episcopis apertum est. Vitæ prauitatē & uanitatē non diffitentur, errasse uideri nolunt.

A

Huc respicit Apostolus, cum dicit, scientia inflat. Intellige primum, propter ingenij nostri corruptionem, non ex culpa scientiæ. Ita quippe peruersi sumus, ut quod in se bonum est, & prodesse poterat, nostro uicio obsit. Et diuitiæ bonæ sunt. Attamen & ipsæ inflāt. Sic Germani dicimus, *Guot macht muot*. Suo tamen uicio non hoc faciunt sed nostro. Alioqui Deus qui omniū est ditissimus, omniū esset inflatissimus. Si scientia p se inflaret, quo quisq; esset doctior, hoc esset etiā inflatior. Verum reperias innumeros indoctos sciolos, qui doctiorib⁹ multo sint inflatiores. Quare? Quia nō sciētia p se, sed magis opinio sciētiæ inflat. 2. Cor. 3. dicit Apost. litera occidit. Loquitur aūt de literali sciētia legis. Quomodo illa occidit? Non suo sed carnis nostræ uicio. Vt enim lex p carnē infirmat, ita & p carnem ad mortē facit, quæ data erat ad uitā. Tale scilicet est, quod & hoc loco dicit. Scientia inflat. Deinde intellige, si absit charitas, secus, si illa accedat. Quēadmodū enim nec diuitiæ inflāt, si adsit charitas, nec litera occidit, si accedat gratia spirit⁹, quæ uiuificat, ita certe nec scientia inflat, si charitas adsit. Libera potētia tyrannidem gignit. Verum, si desit amor erga populum. Is uero si accesserit, non tyrannum reddit sed patrē & populi iustissimū rectorē.

B

CHARITAS ædificat.] Innuit Corinthios maiore sciētiæ studio q̄ charitatis inflatos, parū curasse fratrū ædificationē. Ideo reiecta inflatione quæ est per opinionē scientiæ, admonet eos charitatis. De illa nominatim infrà ca. 13. tractabit, quo loco ingeniū illius uidebim⁹.

1 Quantū præsens locus exigit, Primū obseruandum est, quod nō dicit, charitas uero non inflat, uel, charitas humiliat ut inflatiōis uicio oppositā uirtutē charitati tribuat, sed, charitas ædificat. Quo uerbo metaphorico ostēdit, nō hoc se tantū requirere, ut abiecto fastu sint humiles, sed ut alius aliū in Christo per charitatē quæ non quæ sua, sed quæ aliorū sunt, quærit, ꝓuehāt & quotidie magis atq; magis confirmēt. Sum⁹ enim, ut suprà dixit, Dei ędificatio.

2 Deinde & hoc notandum est, quod ista ædificatio locum habere non potest, ubi regnat animorum inflatio. Nam ita charitati dat ædificationem, ut inflationi illam adimat. Imo illa no solū nō ędificat, sed magis, ut infrà patebit, destruit. Opposita sunt, ædificare & destruere.

Et quoniam ista, scientia inflat, charitas uero ædificat, per modũ oppositionis posita sũt, nihil aliud potest colligi, q̃ ut scientiæ inflatrici debet destructio, quéadmodũ charitati humiliatrici ędificatio. Opposita nõ sunt, sciẽtia & charitas, absit. Sed inflari sciẽtia & charitate humiliari, ea demũ oppositionis uĩ habẽt. Certũ igitur est ecclesiã Christi nulla ratiõe magis destrui, q̃ inflariõe, siue illa sit, ex opinione inanis glorię, siue ex potestate & authoritate supra reliquos uel ex diuitijs, aut, ut hic dicit, ex scientia.

3 Tertio, Cauendũ tamẽ hic est, ne ita demus charitati ædificationẽ ut scientiã excludamus. Vt enim scientia sine charitate inflat, ita charitas sine sciẽtia humiliat quidẽ & suauẽ reddit erga fratres affectũ, ad ędificandi tñ opus assurgere non potest. Imò magis nocebit ubi potissimum iuuare & ædificare conatur, nisi cognouerit, quid faciendum, quid non sit.

QVOD si quis uidetur aliquid scire.] Exponit præmissam gnomẽ. Et primũ eã partẽ, qua dixit, scientia inflat. Ad eam pertinet quod hic subijcit. Quod si quis uidetur aliquid scire, nõdũ quicquã nouit, quẽadmodũ oporteat scire.

In eo, quod non dicit, Quod si quis aliquid scit, sed, Quod si quis uidetur aliquid scire, ostendit se non de sciẽtia, sed magis sciẽtiæ opinione dicere, illiq; dare quod inflet. Est autem illud εἴ τις δοκεῖ, si quis uidetur, non ita legendũ, ut intelligamus eũ nihil dum scire, & inflatum esse, qui alijs sapiẽs esse uidetur, sed qui sibi ipsi uidetur aliquid scire. Vnde & Erasmus de suo adiecit, sibi, cum in Græco non sit. Potest etiam ita legi. Si quis aliquid se scire gloriatur, ut non nudã opinionẽ, sed magis gloriationẽ intelligas. Nam δοκῶ nõ solũ opinari, sed & gloriosus esse, p ἔνδοξος γίνομαι, significat, unde sunt ἄδοξος & ἀδοξῶ per oppositum. Si iste sensus placet, nihil aliud erit illud εἰ δὲ τις δοκεῖ εἰδέναι τι, q̃ repetitio eius quod dixit, scientia inflat. Quasi dicat. Si uerò quisquã alicuius scientię gloriatione inflatur, sibiq; ipsi illius nomine placet. Et ista repetitio ad id instituta est, ut inflatis scientię ueritatẽ adimat, ostendatque omnino inanem esse illorum gloriationẽ & inflationẽ. Hoc est, quod addit, nihil dũ nouit, id est, nondũ ipsam scientiã de qua gloriatur appræhendit. Imò amplius aliquid dicit, dũ omnẽ prorsus illi scientiã aufert. Et quoniam id uidebatur durius, interpretãdi gratia subiungit, quẽadmodum oportet scire. Nã reuera nihil scit, qui non scit sicut scire oportet. Quid est autẽ scire, quẽadmodum oportet? Est rectè scientia uti. Abusus scientiæ, nõ est uera scientia. Est autẽ abusus scientiæ Dei, illius gratia inflari & reliquos contẽnere. Hoc est quod dicit, Qui autẽ gloriatur se quicquã scire, nihil dum nouit, sicut scire oportet. Rectus uerò scientiæ usus est, ut ad suum quæq; sciẽtia finẽ dirigatur. Est enim cuiq; arti finis suus. Vt scientię medendi finis est, ægroti corporis restitutio, scientiæ ædificãdi, structura domus. Ita in regno Dei sciẽtiæ Dei finis est, Deum diligere & illi per dilectionẽ adunari & saluari. Vt igitur medicinã nõ nouit ut oportet, quisquis illa nõ ad corporum sanitatẽ utitur, ita certè nec sciẽtiã rerum spiritualium rectã ac ueram habet, quisquis illa nõ ad hoc utitur, ut Deo seruiatur, & illius uolũtati studeatur in quo uera salus est, & sciẽtiæ Dei finis. Etenim si mundanæ istę scientię non à nudis & ociosis opinionibus, sed ab ipsarum finibus æstimantur, quanto magis hoc in scientia Dei spectandum est?

AT si quis diligit Deum, hic cognitus est ab illo.] Debebat dicere, At si quis Deum nouit, quẽadmodum scire oportet, hic cognitus est ab illo. Ergo cum dicit, At si quis diligit Deũ, innuit, Deum diligere, esse uerã Dei scientiam habere. Et rectè. Est enim finis diuinæ cognitionis, dilectio Dei. Itaq;, qui nõ diligit Deum, nec in Deo proximum, quicquid scire uideatur rerum diuinarum, etiã si omnẽ scientiã habeat, ut infrà cap. 13. dictur⁹ est, planè nihil scit. Deum autẽ non diligit, qui opinione scientiæ inflatur. Nam arrogantia & fratrum contemptus non est scientiæ Dei finis.

Hic cognitus est ab illo.

Quid est autẽ, quod dicit, hic cognitus est ab illo? Particula ista uarie exponitur. Ex Ambrosio & Hieronymo, nihil potest elici, quod ad illius expositionem faciat.

1 Erasmus in paraphrasi, Theophylactum secutus uidetur, cui à Deo cognitũ esse idẽ est, atq; notum illi & familiarẽ esse factũ, hoc est, Deo approbari diligentem se. Iam quoniam propositum Apostoli est dicere, quis sit, qui ueram Dei scientiam habeat, non, qui à Deo cognoscatur uel probetur, uidetur debuisse dicere, hic nouit illum.

2 Sunt qui putant idẽ esse, atq;, hic instructus est ab illo ut uerã ipsius scientiã habeat. Atqui neq; hoc agit Apostolus ut doceat unde sit, sed quæ sit uera scientia Dei.

3 Philippus arbitratur Apostolum suo more mutata ratione grammatica dicere uoluisse, hic cognoscit Deum.

4 Mihi uidetur ita legi posse. At si quis diligit Deũ, ὑπ' αὐτοῦ ἔγνωσται οὗτος, id est ab eo cognit⁹ est ille, id est Deus. Quod si ista lectionis cõpositio stare potest, simplex & ad ꝓpositũ faciẽs erit sentẽtia. Staret aũt meo iudicio, si consimiles loquendi formæ possent ostendi in literis Apostoli. Quanquã non multum est periculi, etiãsi cum Theophylacto intelligamus eũ demum Deo probari, qui ipsum diligat. Atq; eo sensu nihil de scientia Dei cogitandum est, sed ad præmissæ gnomæ posteriorẽ partẽ respiciẽdum, qua dixit, charitatẽ ædificare, ut intelligamus illã duplici nomine cõmendari, hoc loco. Vno, quod ad ædificationẽ fraternã faciat. Altero, quod diligẽs Deo placeat, magis q̃ multiscius. Et ista charitatis cõmendatio nõ est extra argumẽti hui⁹ propositũ. Nã in eo est Apostolus, ut ab ostẽtatione sciẽtiæ ad charitatem ædificantẽ & Deo placẽtẽ Corĩthios abducat.

Expẽdamus igitur hoc loco, qđ de nostris tẽporibus sentiẽdũ sit, quibus sciẽtia quidẽ cum diuina-

diuinarum tũ humanarũ rerum in immensum creuit, charitas uero erga Deũ & proximũ, ita refrixit, ut ne Gentium quidem humanitatẽ, & sæcularis amicitię officiositatem retinuerimus. Belle scilicet Deo placebimus multa sciẽtes, cũ id quod omniũ est primariũ negligam⁹.

De esu igitur eorũ quæ simulacris immolãtur, scim⁹, quod nihil est simulacrũ in mundo, & quod nullus sit Deus alius, nisi unus. Nã etiãsi sunt qui dicãtur dij, siue in cœlo siue in terra, queẽadmodũ sunt dij multi, & domini multi, nobis tamẽ est unus Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illũ, & unus dominus Iesus Christus, per quẽ omnia & nos per illũ, sed nõ est in omnibus sciẽtia. Nõnulli uero cũ cõscientia simulacri, usq; ad hoc tẽpus tãquã simulacris immolatũ edũt, & cõsciẽtia illorũ infirma cũ sit polluitur.

Hactenus Apostolus peruersam sciẽtiæ gloriationẽ, qua Corinthiorũ pleriq; insolescebãt, hoc nomine taxauit, quod sine charitate, quã negligebãt, magis inflando noceat q̃ prosit, cũ charitas cõtrà & proximos ędificet & Deo gratos reddat. Nunc uero de qua scientia eidolothytorum loquatur declaraturus subijcit, περὶ τῆς βρώσεως &c. Suprà dixit, περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, hic repetẽdo unica adiecta dictione τῆς βρώσεως, ostẽdit Corinthios istos quos repræhẽdit, nõ in cultu eidolorum, sed in esu eorum, quæ eidolis immolabantur deliquisse.

SCIMVS, quod nihil est simulacrũ in mundo.] Quomodo eidolothytorũ esum scientiæ pretextu excusarint, ueluti ipsorũ uerbis exprimit, & simul indicat, de qua sciẽtia suprà dixexit quã omnes habeãt. Potest autẽ hęc particula bifariã legi & exponi. Aut, ut uet⁹ interpres habet. Quod nihil sit eidolũ in mundo, uel ut Eras. rediddit, qđ nullũ est simulacrũ in mundo. Quod enim Græce est οὐδὲν tam per nihil q̃ per nullũ uerti potest. Si legerimus, quod nihil est simulacrũ in mundo, sensus erit. Scimus simulacra illa deorum nihil esse, nisi lapides & ligna, inania spectra. Est enim εἴδωλον nihil aliud quàm εἶδος ἀνύπαρκτον καὶ ἀνυπόστατον, id est, species quædam in qua nihil est ueritatis subsistentis, sed merum & inane spectrum. Cum ergo nihil sit simulacrũ, ex re certe nihili, ea quæ simulacris offerũtur nihil possunt habere noxij. Si nihil habent noxij, cur illicitum esset illis uesci? Quomodo possent uescẽtem polluere? Si uero legerim⁹: Scimus quod nullũ est simulacrũ in mundo, intelligendũ nõ ita est, quasi neget Apostolus in mundo esse & haberi simulacra, cum infinita fuerit & hodie sit illorũ multitudo, sed quod nullũ sit, quod ueri Dei sit simulacrũ. Quam enim, inquit per prophetã Deus, similitudinem mihi ponetis? Ergo quæ simulacris offeruntur, meris figmentis offeruntur, quæ nihil habent ueri, nihil diuinitatis. Et hac

Nihil.

Nullum.

quoq; ratione nõ possunt uescẽtẽ cõspurcare.

IN mundo.] Cauendũ ne cœli distinctione positũ esse putem⁹, quasi in cœlo sit simulacrũ Dei. Habet magis uniuersitatis notã, ut intelligamus omnia totius mundi simulacra uanitatis argui, idq; nõ eius tantũ tẽporis, quo scribebat ista Apost. sed prorsus omniũ sæculorũ. Nihil sunt omnia omniũ temporũ, siue Iudaica, siue Gentilia, siue Christianorum simulacra.

ET quod nullus sit Deus alius, nisi unus.] Hoc rationis uice adijcit, quare nihil sit simulacrũ quodcunq; in mundo. Quia unus est tãtũ Deus, nec est alius præter illũ. Ergo Gentiũ dij nõ sunt dij. Nullũ igitur simulacrũ diuinũ aut Dei simulacrũ est. Nã uero Deo nec licet, quia ꝓhibuit, nec possibile est aliquod ponere simulacrũ. Quę autẽ dijs Gentiũ ponuntur, deorum simulacra esse non possunt, eo quod quorum simulacra sunt, dij nõ sint. Omnium itaq; potentissime simulacrorũ cultũ hoc loco prosternit, quod dicit nihil esse simulacrum in mundo, & rationem assignans addit, non esse deum alium nisi unum.

NAM etiam si sunt, qui dicãtur dij.] Opinio multorum deorũ passim obtinuerat. Illi reluctabatur hæc sententia, qua dixit, non esse nisi unum Deum. Ne ergo uideatur negare, quod omnibus erat notissimũ, uidelicet multos haberi deos, per distinctionẽ Christianorũ fidem separat à Gentiũ errore, & admonet aliud esse dici multos deos, & aliud uere esse multos deos. Cõcedit quidẽ multos dici & haberi deos, sed per errorẽ, inter Gẽtes, reuera tamẽ unum tãtũ esse uerũ Deũ affirmat, huiusq; cognitionem & fidẽ Christianis adscribit dicens, nobis tamen unus est Deus. Notãter ergo dicit: Nã etiãsi sunt qui dicantur dij. Et quod sequitur, quemadmodum sunt dij multi, intelligẽdum est iuxta pręmissam particulam, multos dici & haberi deos, non autem esse.

SIVE in cœlo, siue in terra.] Duplex deorũ genus à Gentibus cultum esse apparet. Cœlestium unum, terrestrium aliud. Per terrestres quidam & inferos intelligunt, alioqui triplex erit Gentilium deorum genus. Illud, Siue in cœlo, Hieronymus intelligit de angelis, id est, cœlestibus spiritib⁹, Chrysost. Theoph. Ambr. de Sole & Luna, & reliquis astris, quib⁹ errore Gentili diuinitas quædam adscripta sit.

SIVE in terra.] Hierony. de sanctis in terra agẽtibus, de quibus dictum scribit illud. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Ambros. & Chrysost. de ijs, qui ex hominibus in deorũ numerum relati sint, utpote Apolline, Esculapio, Hercule, & Minerua. Mihi tamẽ uidetur, saluo aliorũ iudicio, illud, in terra, non de mortuis q̃ diuino honore à Gentibus culti sunt, sed de uiuis intelligendum, huius mũdi, uidelicet principib⁹, qui omni in se mortaliũ potestate trãslata deorum loco uiui quoq; & habebantur & haberi uolebãt. Et ita puto sentiendũ & de eo qđ subijcit, queẽadmodũ sunt dij multi & domini multi, ut ꝑ dominos intelligamus rerum

humanarũ potẽtes, omnibus omnia præcipiẽtes, & quiduis à quoq; ꝓ arbitrio exigẽtes. Ita imperatores Rom. dñi uocati sunt. Quanq; de quibusdã legit, q, id nominis nõ agnouerint, tanq; mortales, sed dijs adscripserint. Verũ nõ ꝓhibeo, quin ꝓ eodẽ sumãtur hę duę particulæ, dij multi, & dñi multi, ut nihil sit aliud esse Deũ q̃ esse dñm. Nã oĩno diuinitatis potẽtiam exigit rerũ potiri dominio. Vnde & nos Germani dicimus, *Gott ist ein herr, der apt ist ein münch.*

NOBIS tamẽ unus est De⁹.] Ista distinctione qua Christianorũ fidẽ à Gẽtiũ errore seiungit, satis ostẽdit, qđ nõ dicat uere multos esse deos ac dños: Sed, quod Gẽtibus multi habeãtur. Nã si uere multi essent, iã nõ Gẽtibus tãtũ sed & nobis essent. Cũ autẽ nobis dicit nõ esse nisi unũ Deũ, indicat nõ nobis, sed Gẽtib⁹ multos esse deos. Potest autẽ hæc particula intelligi, uel de eo, quod nobis habeatur tãtũ unus Deus. i. quod nos unũ tantũ Deũ credamus & colamus, sicut qđ præmisit, quẽadmodũ sunt multi dij, idẽ est atq; quẽadmodũ habẽtur, creduntur & colũtur à Gẽtibus multi dij: uel ita exponi, ut de gubernatiõe & ꝓuidẽtia Dei erga nos intelligat, quasi dicat: Nos uero relicto Gẽtibus multorũ deorũ fallaci patrocinio, unius ac ueri Dei ꝓtectione moderatione & ꝓuidẽtia fruimur, uerũ simplicius est, ut priorẽ expositionẽ retineamus. Nõ enim Christiani tãtũ ꝑ unũ ac uerũ Deũ gubernamur & sustentamur, sed omnes quoq; in uniuersum mortales. Nã omnes in illo uiuunt, mouentur & subsistunt. Act. 17. Nisi uelimus de ea tantum intelligere gratia, quæ nobis per Christum contingit.

QVI est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus dñs Iesus Christus ꝑ quẽ omnia & nos ꝑ illũ.] Primũ generaliter ueri & unius Dei diuinitatẽ describit, deĩde specialiter quãtũ illa erga credẽtes declarata est. Generalis descriptio est, qđ dicit: Qui est pater ille, ex quo oĩa. Dat enim illi, q, sit author & fons omniũ, cũ ex eo dicit esse oĩa. Quod uero patrẽ uocat, potest quidẽ idẽ esse cũ eo quod omnia ex illo esse dicit, uerũ meo iudicio ad discretionẽ filij positũ est, cuius statim mẽtio subijcit. Specialiter aũt ad fideles pertinere uidet, quod dicit: Et nos in illũ. Nos. i. in Christũ credẽtes, quib⁹ unus est De⁹. In illũ. i. ad illũ pertinem⁹, populus illius sumus. Quanquã nõ absurdũ sit, si cũ ueteri interprete legamus illud εἰς αὐτὸν in ipso, ut ad generalẽ Dei prouidẽtiã ꝑtineat, qua fit, ut quẽadmodũ ex Deo sumus, ita & in illo sustẽtemur, moueamur & uiuam⁹, ut est. Act. 17. Certe Ro. 11. generali ꝓuidentię Dei tribuitur, nõ solũ quod ex ipso & ꝑ ipsum, sed & εἰς αὐτὸν, in ipsum sint omnia. i. omnia ad illũ tanquam ad suum principium sint referenda. Quanquã & ibi uetus interpres reddidit in ipso.

ET unus dñs Iesus Christus ꝑ quem omnia & nos ꝑ illum.] More suo Deo patri cõiungit filiũ dñm. Ita Ro. 1. & suprà 1. Et ut patri dat, quod ex ipso, ita isti, quod ꝑ ipsum sint omnia.

Et ista nõ sunt eò rapiẽda, quasi nõ sit eiusdẽ

A diuinitatis cũ patre filius, eo quod dñm illũ uocat, & per ipsum dicit esse omnia, sed magis ad hoc usurpãda, ut declaretur filius eiusdẽ cũ patre esse potẽtiæ ac diuinitatis. Quã enim, non demit patri, ne sit etiã dñs omnium, quod filio dominatum adscribit, tã nec filio adimit diuinitatẽ, quod patrẽ Deũ uocat, & ut nõ ꝓhibet quo min⁹ ꝑ patrẽ quoq; sint omnia, ut Ro. 11. est, ꝑ id quod de filio dicit, ꝑ quẽ sunt omnia, ita certe nõ uetat dicere, aliquo modo ex filio quoq; esse omnia, in eo quod patri dat, quod ex illo sint omnia. Videtur autẽ in eo quod Christũ dñm appellat, ad id respicere, quod est unigenit⁹ Dei, cuius omnia sunt q̃ patris sunt, cui pater oĩa in manus dedit. In eo uero quod dicit, ꝑ quẽ sunt omnia, ad id, quod uerbo Dei omnia sunt cõdita, iuxta illud, Oĩa ꝑ ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Illud, Et nos ꝑ illũ, quidã ad singularẽ diuinæ gratiæ dispensationẽ, ꝑ quã in Christo ante sæcula electi, postea uocati, iustificati & saluati sum⁹, referũt, è quibus est Ambr. quidam uero idẽ esse uolunt quod id quo dixit per Christum esse omnia, nõ solum cœlũ & terram, sed & omnes in uniuersum mortales. Est autẽ probe notandum, quod filio hominis, quẽ uocat Iesum Christũ, ista adscribit, quę tamẽ uerbo Dei cõpetunt, ut sciamus nos non esse hominis alicuius adoratores, ubi Christũ adoramus sed eius qui est dominus omniũ per quem omnia sunt cõdita, qui eiusdem cum patre est diuinitatis, potentiæ & operationis.

Vide Aug. ad Placentiũ Donatistam Epistola 174.

B SED nõ in omnibus est sciẽtia.] Hactenus sciẽtiã recitauit, qua se tuebantur & quã iactabãt ij qui eidolothytis temere uescebantur, illamq;, tanquã uerã non improbauit, sed & suo calculo approbauit, iã uero deinceps q̃ nõ satis sit ista scire, sed cogitandũ etiã sit, ne offendiculũ ponatur infirmis admonet, & quid hac in re peccetur declarat. Et primũ id ponit, qđ erat illis primũ quoq; cogitandũ, nẽpe, istã sciẽtiã de eidolis, nõ esse in omnibus. Ea cogitatio nunq̃ remittẽda est perfectioribus in ecclesia. Est enim ad id qđ sequitur omnino necessaria, uidelicet, ut nõ cogitẽt quid ipsi possint, sed magis expendant quid nõ possint in ecclesia infirmi, qui nõ sunt deserẽdi, multo minus perdẽdi. Malus est itineris comes, qui nõ quid alij simul proficiscentes, sed hoc tantũ spectat, quid ipse possit. Iacob expendebat imbecillitatem paruulorũ suorũ, cũ quibus proficiscendũ erat, dicens: Noli domine mi, quod paruulos habeã teneros, & oues & boues fœtas mecũ, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Præcedat dñs meus seruũ suum, & ego sequar paulatim uestigia eius, sicut uidero paruulos meos posse, donec ueniã ad dñm meũ in Seir. Illi qui simul canunt, non expendunt quisq; quàm ipse alte possit intẽsa uoce assurgere, sed rationem habent eorũ qui minus possunt. Sciunt enim alioqui cõcẽtum quẽ uolũt haud bene se posse obtinere, si cõcinentiũ aliquis cantando deficiat.

Gen. 33.

ciat. Talem animū cupit indere Corinthijs Aposto. ut nemo quid ipse sciat, spectet, sed magis obseruet quid adhuc alijs desit, ne qui infirmi sunt ulla in re offendantur ac lædantur.

Et hoc erat etiam nostris temporibus faciẽdum, in plerisq;, maxime initio renouatæ doctrinæ ueritatis. Det dominus ut uel nunc tãdem isti admonitioni obsequamur.

NONNVLLI uero, cū conscientia simulacri usq; ad hoc tẽpus, tãquã simulacris immolatū edunt.] Ægre dediscitur qđ à pueris imbibitū est, maxime quod carni quoq; agnatum est, ut est simulacrorū cultus. Et hoc etiã Christianis plerisq; ex Gentibus usuueniebat. Erat penitius infixū, nonnihil numinis adesse simulacris, adeoq; nõ poterãt ea libertate uesci ijs quæ simulacris offerebantur, qua illi qui sciebãt nihil esse simulacrū, sed ubi illis uescebãtur, cū conscientia simulacri, id est, tanquam sacro epulo, cum religione simulacri uescebantur, non ut bonam Dei creaturam ad compescendam famem, sed ut rem sacram magis animi quàm corporis gratia usurpantes.

Galat. 5.

VSQVE ad hoc tempus.] Apparet istã infirmitatẽ aliquandiu durasse in Christianis plerisq;. Nondū tamẽ uult illos Apost. contẽni. Et quid mirū est si etiã hodie plerique in ecclesijs ubi ueritatis obtinet sciẽtia, per multū tẽporis nonnihil de pristinis erroribus retineant, si id factū est in illis ecclesijs, quas ipse instituit Apostolus? Discamus & nos cõsimilem μακροθυμίαν erga huiusmodi infirmos ostendere.

ET cõsciẽtia illorū, infirma cū sit polluitur.] Quid damni sequitur istū libertatis abusum apud infirmos, cum cõscientia simulacri, & non libere, eidolothytis uescentes, exprimit. Quid illud? conscientiæ pollutio. Quid est autẽ pollui conscientiam? Amb. dicit, conscientiã pollui, si nõ bene sentiat circa unū Deum. Ergo ignorantia Dei est cõscientiæ pollutio, & rursus cognitio Dei, est mundatio conscientiæ.

Notandum autẽ est, quod istam pollutionẽ non dat eidolothytis in se, sed cõscientiæ infirmitati. Nam sanã conscientiã non polluunt. Sicut infirmū stomachū lędit bonus alioqui cibus, at non suo sed stomachi ęgrotantis uicio, ita & eidolothyta, cum sint bonę Dei creaturę sanã conscientiã nõ lędunt, lędunt autẽ infirmam, culpa ægrotãtis cõscientię nõ propria.

Habet aūt mitigationis nõnihil, quod istorum hominū conscientiã, erroneã & superstitiosam, imò eidololatricã infirmã uocat, quod ob id facit ut ad cõmiserationẽ perfectiores in fide ac robustiores magis quàm ad contemptum, aut condemnationem excitet.

Quinquies hoc capite infirmitatis dictione utitur.

1 Primum quod nõ sit detestãdus, qui ex infirmitate peccat, aliud facturus si robustior esset. Nequit enim pręstare quod sani præstant. Multum exigebat roboris, tam diuturnã consuetudinẽ, deinde publica sacra abijcere & cõtemnere, quibus infirmi ueluti ponderibus quibusdã ne ad sciẽtiã ueritatis in liberiorẽ aurã assurgerẽt, premebãtur & prohibebãtur.

A 2 Deinde, q, ista infirmitas olim oĩbus cõmunis fuerit. Certe communi morbo laborantes, merito patiẽter tolerãtur & curantur, dum in illis quisq; sanus uidit, qualis & ipse fuerit.

Atqui esca nos nõ cõmẽdat Deo. Neq; enim si edamus aliquid nobis superest, neq; si non edamus quicquã nobis deest.

Posteaquam infirmorum admonuit robustiores, & quid illis timendum sit docuit, consequẽter arrogantiã sciolorum & temerariorū retundit. Et primo arguit ab inanitate huius rei. Ea est, quod neminẽ Deo cõmẽdat cibus.

Et id argumenti plurimum faciebat ad deijciẽdum illorū fastum. Apparet enim sciolos istos nõ simpliciter libera conscientia de eidolothytis manducasse, sed cū ostẽtatione quadam singularis erga Deū fidei, qua plurimum Deo, ueluti eidolorū uanitatẽ profitẽtes ac declarantes, gratificarẽtur, rursus uero nõ uescẽtes cū suo horrore nonnihil religionis eidolis adscriberẽt, atq; ita unius ac ueri Dei diuinitati detraherẽt. Isti arrogantiæ occurrit, cū dicit. Atqui esca nos nõ cõmendat Deo. Q. d. Quid arrogãtes estis in re nihili, cuius Deo nulla cura est, qua nemo se Deo gratū uel ingratū reddere potest? Sic Rom. 14. dicit. Nõ est regnum Dei esca & potus.

Rom. 14.

Et ut rationẽ sententiæ suæ reddat, subiungit. Neq; enim si edam⁹ aliqđ nobis superest, neq; si nõ edamus quicq̃ nobis deest. Hoc est, nec potiores sumus reliquis Christianis apud Deū, edẽtes, nec inferiores nõ edentes. Græce

B est οὔτε γὰρ περισσεύομεν. i. neq; enim abundamus. οὔτε ὑστερούμεθα. i. neq; minus habemus. Non exprimitur, qua in re non abundent uescentes, nec minus habeant non uescẽtes. Facile tamen intelligitur, ea de re loqui Apostolum, quæ Deo gratos reddat. Ea est uera pietas. In hac certe nihil habemus p̃ cæteris, si uescamur quibuslibet, nec uescẽtibus inferiores sumus, etiamsi non uescamur. Scio Hierony. & Ambr. secus exponere. Verba Hierony. sic habẽt: Cui enim dubiū est, nullū neq; manducando abundare, neq; non mãducãdo egere, cū econtrario illis magis formidãda sit inopia, qui gulã retinere nõ norunt? Ambrosius ad hunc modū exponit. Contempta enim sacrificiorum esca, utiq; non deerit quod edatur. Si autẽ sumpta fuerit, nõ abũdabit, ita ut nihil requiratur, ac per hæc abijciẽda, quia neq; sine illa non uiuitur, & scãdalū fratribus est. Ergo hi duo, non de pietatis uel abũdãtia uel defectu, sed de ipsa terrena alimonia intelligunt Apostoli uerba, q̃ certe, ut Hieron. habet, edẽdo nõ augeat̃, nec nõ edẽdo minuat̃, & secūdū Ambr. sentẽtiã nõ fit auctior uescẽtibus, nec destituat nõ uescẽtes. Quasi dicat Apost. Quid emolumenti capitis ex eo, q, eidolothytis uescimini? An hoc lauti⁹ uiuitis? Quid detrimẽti accedit illis qui nõ uescūtur? An coguntur famẽ ferre? In eã ne redacti estis inopiã rerū q; penuriã, ut esu eidolothytorum carere nequeatis? Absit. Non est uitæ uestræ su

Hierony. Ambr. Tale quid & in Aug. legitur lib. confes. 10. cap. 31. ubi sententiam hãc sic exponit. Hoc est: Nec illa me res copiosum faciet, nec illa ærunosum.

stētatio in hisce escis. Neq; enim abūdamus in uictu, si illis uescamur, neq; uictu destituimur, si non uescamur. Ergo hoc sensu duplex est huius rei uanitas. Prima, quod ex ea nemo Deo cōmendatur. Altera, quod neq; terrenæ quicquam utilitatis adfert. Prior tamen sentētia, quam & Chrysost. sequitur, & imitator illius Theophylactus, mihi magis placet. Apparet enim hęc uerba declarādi gratia præmissæ sententiæ adiecta esse, propter notam causalem γὰρ, quæ, licet ab Erasmo sit omissa, in Gręco tamē habet, & à ueteri interprete reddita est, nec ab ipsis patribus Hieron. & Ambro. neglecta.

Cur autem non dicit: Neq; enim si edamus inferiores apud Deum sumus, neq; si nō edamus, potiores? An nō & hoc uerū est? Certe negari nō potest, Si esca Deo neminē cōmendat, & regnū Dei nō est cibus & potus, tā nō commēdari Deo qui non uescitur q̃ qui uescit, nec minus abundare in pietate, qui edit, q̃ qui non edit. Si edam⁹, inquit, nihil nobis superest. Verum. Sed neq; quicquam nobis superest, si nō edamus. Rursus. Si non edamus, nihil nobis deest. At ne tum quidem aliquid nobis deest, cum edimus. Cum ergo utrunque uerum sit, cur non utrunq; posuit? Ratio est, quod ad propositum non faciebat. Propositum erat sciolorum istorū qui uescendi libertate ad offendiculum infirmorū abutebantur, temeritatem & arrogantiam deijcere. Huc quadrabat admonere, nihilo potiorē esse apud Deū eidolothytis uescentē, nec inferiorē illis abstinētē. Alterum licet æque uerum, quia nō temeritatem insolētium, sed magis superstitionē ignorantiū impugnat, proposito non conueniebat, imo magis obfuisset, & fastum temere uescentium confirmasset, atq; ob eam rationem consulto omissum est. In Ro. propositum erat conciliare disidētes in hac causa & admonere, ne uescentes contemnerent non uescētes, & uicissim ne non uescentes iudicarent uescentes, ideo nō ad unā tantū partē, sed ad utranq; circūspiciens, dicebat: Qui uescit domino uescitur, & gratias agit. Qui non uescitur, & ipse domino non uescitur, & gratias agit. Ista conueniebāt proposito. Hic uero nō hoc agit, sed in eo est, ut morbum arrogantium curet.

Ro.14.

Cautionē autē Apostolicā resipit, quod nō dicit: Atqui esca uos nō cōmendat Deo. Neq; enim si edatis, abundatis, &c, sed: Esca nos nō cōmēdat Deo, &c. ne putetur id singulari cuidam Corinthiorū defectui, & nō ipsius causæ inanitati generaliter ita deputare, ut oēs Christianos cōcernat. Neq; enim Corinthij soli tales sunt, ut escæ priuilegio nihil apud Deū assequātur, sed ea est omniū fideliū cōditio, ut necesse habeant nō escis, sed pietate Deo cōmendari. Nec caret singulari artificio, quod istam uanitatem escarum, in causa pietatis, futuræ repræhensioni præmittit. Habet enim exaggerationem haud mediocrē cōmissæ stultitiæ, & eò tendit, ut omnem illis excusationē adimat. Potest nōnihil excusari, q in eo offendit proximum, è quo emolumenti quicquā sperari potest maxime tale, quod saluti necessarium sit. Abstinentia cultus simulacrorū habet suā utilitatē, eamq; ad salutē necessariā. Hic qui simulacrorum cultores offendit, absq; culpa est. Habet quo excusetur. In hac uero causa nulla potest talis ratio prętexi. Nihil hic est utilitatis uescenti nihil dāni non uescenti. Vbi nec utilitas aliqua sperari potest uescēdo, nec damni quicquā metui nō uescēdo, ibi certe nulla est ratio offendēdi proximum. Plurimū detestamur ea flagitia, unde ad flagitiosos nihil redit emolumēti. Colligimus enim ex illis, singularē quādā eius generis reprobis hominibus inesse maliciā. Ita certe merito detestanda est ista arrogātia, in re quidem inutili ac nihili, infirmis tamē noxia declarata. Subindicatur autem simul, qđ sit carnis in rebus fidei ingeniū. Verā pietatem non amat, & tamen subinde maxime pia uideri cupit. Pietatem autē ostensura, uersatur in rebus ad pietatē non facientibus, in quibus uult religiosa uideri, utpote in escis, dierū obseruationib⁹, indumētorū raritate, & alijs eius generis nugis. Ita isti scioli apud Corinth. apprime se Christianos esse declaraturi, Christianismū esu eidolothytorū metiebantur, inq; eo uehementer insolescebant. Perinde faciunt & hodie, qui non Christi spiritu, sed carnis ingenio ducuntur. Qui de catholica & Apostolica fide gloriantur, maximam religionis partē collocant in ciborum quorundam abstinentiam, plurimū, ut opinantur Deo gratificaturi, si non nisi piscium carnem certis diebus contingant. Qui uero de renouata Euāgelij ueritate Christianaq; reddita libertate sese iactāt, supra modū Euāgelici uideri uolūt, si erronea cōsuetudine abiecta, quibuslibet semp uescātur, surdi utriq; ad istā Apostoli uocē: Esca nos Deo non cōmendat. Quid interea? Quæ curāda erāt, & in quib⁹ uera sita est pietas strenue utrinq; negligūtur, quod Apostolus haud obscure notat cū dicit: Esca nos Deo nō cōmēdat. Quid enim aliud clamat, q̃, Quin ea curatis, quæ Deo placent? Esca uos Deo non poteritis approbare, charitati studēdū erat nō escis quæ nihil prosunt ambulantibus in eis. Sic Ro. 14. ubi dixit: Regnū Dei nō est cibus & potus, subiūxit, sed iusticia & pax & gaudiū in spiritu sancto. Qui in hoc seruit Christo placet Deo, &c. Vnde igitur nunc, inquit hoc loco Erasmus, tot sunt inter Christianos pręcepta de generibus ciborū, unde tanta in his obseruādis superstitio, ut pene nulla ex re magis iudicemur?

Ebr.13.

Sed uidete, ne quo modo facultas illa uestra offendiculo sit ijs, qui infirmi sunt. Etenim si quis conspexerit te, qui habes scientiam, in epulo simulacrorū accūbentem, nonne cōscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ad edēdū ea, quæ sunt simulacris oblata? Et peribit frater qui infirmus est, in tua scientia propter quem Christus

Christus fuit mortuus. Sic aūt peccātes in fratres, & uulnerantes illorū conscientiam infirmā in Christū peccatis. Quapropter si esca offendit fratrē meū, haud quaquam uescar carnibus in æternū, ne fratri meo sim offendiculo.

Posteaquam ad retundendam sciolorū arrogantiā, rei de qua gloriabātur, & in qua plurimum delinquebāt uanitatē illis obiecit dicēs: Atqui esca nos nō cōmendat Deo, iam omniū cōmodisśime subijcit, quid damni ex ea sequatur, quod tāetsi & suprà attigerit, cū dixit: Nōnulli uero cū cōsciētia simulacri usq; hodie tāquam simulacris immolatū edunt, & cōscientia illorum infirma cum sit polluitur, nūc tamē ueluti suo loco fusius tractandum resumit, ut doceat eos, quā sit peruersum, in re nihili & inani, quæ Deo non placeat tantū nocumēti parere fratribus. Et ut appareat, quantū peccent, delictū ipsorū triplici nomine exaggerat. Primū in eo, quod admonet in quē peccetur. Deinde in eo quod ostendit, quantum mali generent. Tertio, per quid hoc faciant.

SED uidete, ne quo modo facultas illas uestra.] Admonitio est, ut caute scientia & potestate quā iactabāt, utanť. Circūspectione opus esse, uerbo uidēdi admonet. Quod cauere debeāt docet, cū dicit, ne quomodo facultas illa uestra, offendiculo sit ijs q infirmi sunt. Nō simpliciter admonet ut circūspecti sint, sed simul indicat quid metuere & cauere debeant.

Videte.

Et ut solicitam illis cautionem incutiat nō dicit, uidete, ne facultas illa uestra offendiculo sit infirmis, sed addit, quomodo. Indicat enim nō simpliciter cauēdum offendiculū, sed ita, ut nullo modo generetur infirmis ruinę occasio. Et merito. Maior enim erat infirmorum habēda ratio, quàm ut ulla ratione in hac causa, qua Deo certe nemo gratificari poterit, offēderenť.

πῶς. Quomodo.

Nec ociosum est, quod nō dicit, facultas uestra, aut, facultas ista, sed facultas illa uestra. Videtur enim nō quidem negare istam fidelium ἐξουσίαν, uerum, quoniam ad offendiculū uergebat infirmorum, ita eā extenuat, ut nihil illi laudis relinquat utut eā iactent scioli isti. Ideo uocat eam, ipsorum potestatem, deinde notādi gratia, illa, inquit, id est, in re ita nihili, in escis, quibus nemo Deo seruire potest. Quasi dicat: Gloriamini multū de potestate hac uestra quidlibet edendi, quæ tamen uos Deo gratos non reddet. At etiam atq; etiam uidete ut non solū Deo uos illa non approbetis, sed infirmis quoq; conscientijs offendiculo sitis, ac grauiter peccetis.

Offendiculo sit infirmis.] Græce est πρόσκομμα γίνηται. Est autem metaphorica dictio ἀπὸ τοῦ προσκόπτειν, quod significat impingere ad lapidem, ut Matth. 4. μή ποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου. Id est, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Est igitur πρόσκομμα proprie impactio, qua quis inter eundum ad terram sternitur, uel certe prope ad ruinam datur, cuius id occasio est, ad qd' fit impactio. Hinc metaphorice ad spiritalē impactionē trāsferť, qua quis in uia domini ad delinquēdū impelliť. Quod enim corpori casus est, id animę est peccatum.

Quàm diligenter autē offendiculū istud cauendū sit, ex eo consyderandū proponit, quod addit, ijs qui infirmi sunt. Graue est quēcunq; ad ruinā impellere, etiā pedibus bene ualentē. Infirmū uero & plano quoq; itinere ægre ingredientem iniecto offendiculo prosternere, quis non uidet esse grauissimum?

ETENIM si quis cōspexerit te.] Periculum quod caueri uult, declarat, quomodo, nisi cauti sint, contingere ualeat, & iuxtà q̄ graue sit, latius ob oculos exponit. Cōuenit autem uelut unumquenq; separatim, cū singulariter & percontatorie loquitur dicens: Etenim, si quis te in epulo simulacrorum accumbentem uiderit, nónne ædificabitur ad edendum ea, quæ simulacris sunt īmolata? Quasi dicat: Teipsum conuenio, qui eidolothytis uesceris inq; ipso tēplo eidolorum unà cū gētibus simulacrorū cultorib⁹ in epulo simulacrorū accūbis, ut respondeas, quid futurū sit, si infirmus frater hoc te facere uiderit? An aliud expectandū est, q̄ ut & ipse, licet dissimili fide, ad edēdū eidolothyta tuo exēplo permoueatur? Quasi dicat: Certe negare non potes, hoc futurum. Hac enim interrogatione fortius & confidentius Apost. id periculi futurum asserit, quàm si simpliciter dixisset: Etenim si quis te cōspexerit in epulo simulacrorum accumbētem, ædificabitur illius conscientia ad edēdum simulacris immolata.

Ergo hactenus malum est eidolothytis uesci, quatenus id fit conspicientibus infirmis, & ruinæ occasionē causať. Quid igitur est, quod August. Epistola 154. ad quæstionem Publicolæ, qua quærebatur si uiator, famis necessitate pressus nihil uspiam cibi inuenerit, nisi in eidolio, ubi tamē nullus mortalium præsens sit, an satius illi sit fame emori q̄ eidolothytū edere, breuiter quidē, sed nō iuxta sentētiā Apost. respōdet: Aut certū est esse, inquiēs, eidolothytū aut certū est nō esse, aut ignorať. Si ergo certū est esse, melius Christiani uirtute respuiť. Si aūt uel nō esse sciť, uel ignorať, sine ullo cōscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumiť. Aposto. plane aliud hic tradit. Nō enim docet esse in se peccatū, uesci eidolothytis, si nemo infirmorū uideat, qui offendi possit. August. uero etiamsi nemo mortalium præsens, & fame pereundū sit, satius esse putat fame emori quàm eidolothyta edere. Eras. opinatur illum & hunc locū retractaturum fuisse si quisquā admonuisset.

August.

QVI habes scientiam.] Non est frustra adiectum. Neque enim à quouis offendiculum est infirmis, sed ab ijs, qui rerum scientia reliquis præstantiores habeantur. Nam ita comparatum est ingenium imperitorum, ut non rerum cognitione, sed authoritate sapientum ducantur. Videmus hodie innumeram multitudinē exemplis doctorum & præstantium seduci.

Putes

Putes ne,ĩquiũt,tot doctos uiros errare posse? Quapropter ut periculosissime delinquũt,qui rerum scientia, uel saltem illius opinione pollent,ita summa illis cautione inter infirmã plebeculam uersandũ est. Sed proh dolor, nemo est in ecclesia, qui licẽtius delinquat, & minus infirmos curet,quàm illi ipsi qui sciẽtiæ nomine suspiciuntur.

IN epulo simulacrorũ accumbentẽ.] Gręce est, ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον. Vetus nõ reddidit Grę cã uocẽ εἰδώλειον.Eras.uertit epulũ simulacrorũ. Significat uero tẽplum eidolorum, tametsi & mensam eidolorũ significare putet Eras. Notũ est Gẽtes in tẽplis Deorum peracto sacro corã simulacris epulatos esse ex his,quę dijs immolabant. Et ad illas epulas absq; dubio amicos uocarunt & uicinos. Ex hac itaq; cõsuetudine eueniebat,ut & Christiani siue dolo, siue simpliciter ex more,ad eidolothyta uocarent. Hic qui de scientia gloriabantur,uocati non quidẽ ad ipsum simulacrorum cultũ,ad conuiuiũ sacrum cõparebant, & unà cũ Gẽtibus in deorũ delubris epulabãtur. Hoc cõmemorat Apost. isto loco,ut doceat,quid inde mali sequatur.

NONNE cõsciẽtia eius,qui infirmus est,ædificabitur ad edẽdũ,&c.] Ædificãdi uerbo hoc loco & Gal.2. abusiue in malo usurpat. Nã reipsa conscientia infirmi per offendiculũ magis destruitur q̃ ædificat. Nihil igitur hic aliud significat, q̃ firmatur ac prouehitur,ut infirmior reddatur, & uelut in ipsa infirmitate stabiliat. Ad quid ædificatur? Ad edẽdũ, inquit, ea quæ sunt simulacris immolata. Quid hoc periculi est? Si ille in se nihil mali facit, qui per scientiã uescitur,quid peccat infirmus, qui illius exemplo inductus & ipse uescitur? Externe quidẽ nihil apparet discriminis in utrisq; uescẽtib⁹, interne uero dissimilitudo est. Nam ille ex fide quidem uescitur cum scientia unius ac ueri Dei,iste uero ex superstitione,atq; ob eam causam in conscientia,ut suprà dixit,polluitur.

Obseruemus hoc gen⁹ offendiculi. Generalis in hoc cap.locus est,cauẽdum esse ne p fortiores offẽdãtur ac perdãtur infirmiores. Verũ cõsyderãdũ est probe,quãdo id fiat quãdõ nõ fiat. Sũt enim hodie,qui & ipsi de sciẽtia ueritatis gloriãtes,quod simulacrũ nihil sit,cũ simulacrorum cultorib⁹,ubi sese offert occasio, nimis libere,cõmiscẽtur, & ubi repræhẽduntur, mox regerunt ad hoc se id facere,ne offendiculo sint infirmis, aut non intelligentes quando infirmis sint offendiculo, aut maliciose id prætexnetes. Nã hoc ipso,q̃ in falso illo cultu Dei præsentes sunt,imperitos ad cultũ simulacrorũ ędificãt. At hoc nõ est cauere,sed magis obijcere infirmis offendiculum. Dicis. Nũquid & Paulus ipse factus est infirmis infirmus? Verũ. Sed in alijs causis,ĩ reb⁹ uidelicet indifferẽtib⁹, ubi non erat periculũ,ne infirmi ad cultũ simulacrorũ ædificarent. Aliud est nõ uesci quibuslibet,idq; ad tempus,cum infirmis,ne offendãtur in re media,uel certe ad hoc moueant,ut & ipsi contra consciẽtiam uescãtur quibuslibet: & aliud in rebus illicitis & falso cultu,proprio exẽplo ædificare infirmos,ut in sua cęcitate cõfirmatiores reddãtur. Hactenus remittendum est de libertate Christiana, quaten⁹ id facit ad ædificandũ nõ in superstitione,sed pietate, eũ qui infirmus est. Vbi uero nostro condescensu in peius ædificatur, ibi certe satius est non infirmitatem,sed firmitatem ueræ pietatis ac fidei ostendere.

ET peribit frater,qui infirmus est,in tua sciẽtia,propter quem Christus fuit mortuus.] Ista ad exaggerãdũ offendiculi huius malũ faciũt, ad quod singulæ structæ sunt particulę. Ostẽdit per declarationem,quomodo infirmis ponatur offendiculum. Iam consequenter explicat,quanto id malo fiat.

1 Primũ,Quod non in cuiusuis mortalis læsionem id cedat, sed fratris,hoc est,Christiani. *Frater.* Leuiculum quidẽ nõ est, cuiq̃ mortalium siue Iudęo siue Gręco,offendiculum dare. Vnde & alibi dicit,Sine offẽsione estote Iudæis & Græcis. Attamẽ multo grauius est fratri fideli occasionem generare ruinę. Quemadmodum iusti hominis esse non potest, quemuis mortalium iniuria afficere,at germanũ fratrẽ lędere,nõ solum iniusti,sed plane improbi hominis fuerit.

2 Deinde,quod nõ simpliciter lędatur frater, sed perdatur etiã. *Perit.* Et peribit,inquit,frater. Ædificari nanq; ad cultum simulacrorũ, quid aliud est q̃ perdi? Suprà dixit, cap.6. Simulacrorum cultores regnum Dei possidere nõ posse. Siue enim talis frater,ad cultum simulacrorũ ædificatus Christi professionẽ retineat, siue hoc facilius ad negandum Christum & Gẽtilismum resumẽdum inducatur salutẽ,obtinere nõ potest. Neque enim saluari potest, qui Christo & templo Dei eidolorum cultum coniungit, de quo in posteriore,cap.6. Quid cõuenit,inquit, templo Dei cum simulacris? neq; aliud quàm perire credi potest, qui per cultum simulacrorum ad negandum Christum inducitur.

3 Tertio,quod is frater perditur,qui infirmus est. *Infirmus.* Hoc certe crudelitatis quoq; notã habet, non solũ fratrem quẽcunq;,sed infirmũ etiam, cuius singularis quædã erat habẽda ratio, donec cõualesceret,tanta temeritate perdere. Habet hoc in se uera charitas,ut infirmorum curã potissimum subeat. Mater omnes quidẽ liberos diligit,sed singulari quodam affectu ad curandum infirmos rapitur,cum interea de sanis non admodum sit solicita. Ita & fraterna charitas,licet in sanis plerunq; nonnihil frigeat,in ægrotis tamen curandis solicita redditur. Videtur enim periturum quod infirmum est. Ne pereat igitur curare conatur anxia charitas. Nam ægre perire sinit quod diligit. Est itaque certissimum argumẽtum nihil esse illis fraternæ dilectionis, qui ne infirmorum quidẽ fratrum cura tenentur. Qui uero perdunt etiam quales illi tandem æstimandi sunt?

4 Quarto. Et hoc singulari auxesi adiectum est, quod dicit, propter quem Christus mortuus est. *Propter quẽ Christus mort.*

Primum

Primum enim nõ is infirmus frater, qui è sano sit factus infirmus, sed qui per Christum ex ipsa morte ereptus, ac uitę restitutus nondum plane cõualuerat quidem, sed in sanitatis iam progressibus erat, perditur.

Deinde qui non quouis modo uitæ restitutus erat, sed per Christi sanguinẽ ac mortem. Quasi dicat: Tu ne perdis eum quem Christus sanguine suo redemptum saluum esse uoluit?

In tua sciẽtia. 5 Quinto & hoc cum emphasi adiectum est, quod addit, in tua sciẽtia. Per ignorãtiam perdere fratrem, excusationis nonnihil habere potest. At rerum scientia hactenus abuti, ut quæ debebat ignorantibus & infirmis cõsulere, cedat ad infirmorum & ignorãtium perniciem, quid quæso excusationis admittere potest? Medicus qui de arte medicãdi gloriaẽ, si infirmũ per sciẽtiã suã occidat, certe maiore culpa hoc facit, quàm si id fiat ab eius artis imperito.

6 Adiunge istis, quod suprà notatum est, nẽpe, q, ista infirmi fratris perditio fit in re prorsus inani nempe in libertate quidlibet edendi in qua tamen nemo Deo probatus redditur. Quomodo quęso excusari potest, qui cibi gratia eũ perdit, quẽ Christus sanguine suo redemit? cuius saluti Christus uitam suam postposuit. Qualis tãdem Christianus est, qui fratris gratia ne cibo quidẽ abstinere potest, cũ Christus pro illo mori quoq; non dubitauerit?

SIC autem peccantes in fratres & conscientiam illorum infirmã uulnerãtes, in Christum peccatis.] Cõsulto eò deducit hoc peccatũ, ut intelligatur iam nõ simpliciter in Christianum infirmũ, sed in Christum ipsum peccari. Sentiebat enim arrogantibus istis parũ uideri, quod in fratres infirmos peccabaẽ, maxime ea in re, qua Christi scientiã & libertatẽ promouere se simulabant. Per inuersionem igitur conuincit eos, tam non gratificari sua ista sciẽtia Christo redemptori, ut magis in illum peccẽt, idq; non aliquo, sed omniũ grauissimo peccato. Quod enim grauius peccatũ in Christũ cõmitti poterit, q̃ eum occidere, pro quo ipse est mortuus. Mater impẽsissime diligit eũ filium, quẽ partu doloris pleno peperit. Hũc si ui occidas, quomodo non grauiter in matrem peccaueris?

Et in hac particula nequit mali exaggerationem remittere. Non enim tantum dicit. Sic autem peccãtes in Christum peccatis: Sed sic peccantes in fratres, & conscientiam illorum infirmam, non dicit, offendentes, sed percutientes, in Christum peccatis.

Ambr. ut & uetus interpres illud εἰς χριστὸν legit, in Christo & putat aliud esse in Christo peccare q̃ in Christum peccare. In Christo peccare idem esse atque sub Christo in eos qui Christi sunt peccare. In Christum uero, esse Christum negare. Verum apertum est, in Gręco esse non in Christo, sed in Christum.

QVAPROPTER, si esca offendit fratrẽ meũ haud quaq̃ uescar carnibus in æternũ, ne fratri meo sim offendiculo.] Suo exẽplo illos admonet, quo loco haberi debeat salus fratrũ. Nẽpe A eo ut licita etiam pro illicitis habeãtur. Habet autem singularem uerborum diligentiã, quod pro eidolothytis escam, & carnes, & pro fratrũ perditione, offensionẽ ponit. Nũquã enim sustinebit propter eidolothyta fratrẽ infirmũ perdere qui quauis etiã carne, ne frater offendatur, abstinere paratus est.

In æternũ. Quod autem addit, in æternũ, contra illorũ querimonias positum est, quibus dicere poterant. Et quousq; tandem ferendi sunt infirmi isti? Ego sane, inquit, in æternũ quoq; paratus sum ita infirmi fratris habere curã, ut nec quãuis carnẽ, si illius esu offendaẽ, cupiã attingere. Et ne propter paucitatẽ cõtemnãtur in ecclesia infirmi, unus & alter, notanter singulari numero utitur dicẽs: Si esca offenderit fratrẽ, &, ne offendiculo sim fratri meo.

CAPVT IX.

Videtur hoc caput quibusdam aliã quandã à priore separatam habere causam, uerũ manifestum est diligenter omnia expẽdentibus, quæ hic aguntur ad ad eundem pertinere tractatum qui capite præcedenti contra temeritatem eidolothytophagorum cœptus est, & , ut ibi memini, ad decimum usq; protenditur. In calce præcedentis capitis suo illos exemplo pudefacere cœpit in se ostendens, quanti fraterna salus fieri debeat ueris Christianis, quàm non sit spectandum quid cuiq; liceat, sed quid infirmis prosit. Ad hoc illos amplificatiõe exẽ B *pli sui toto hoc capite ualidissime inuitat, non cõtentus eo, quod si cibus offendat fratrem, nunquã in sempiternum uelit edere carnes, sed adiungens factum suum quo non simplicem aliquam libertatem, quæ communis sit Christianis omnibus, & talis, ut facile absq; ulla molestia contemni queat, sed ipsum Apostolici muneris ius, quo uictus sibi à fidelibus in Euãgelio Christi laborãti debebatur, ne cui esset offendiculo, negligebat, non spectans quid sibi iure deberetur, & à Corinthijs petere posset, sed quid ipsis, quibus prædicabat, expediret, ut pudefaceret eos qui in re nihili quidem periculosa tamẽ & quæ facile poterat caueri, libertate sua ad perditionem infirmorum abutebantur.*

Non itaq; frustra quidã scripserunt toto hoc capite argumentum à maiori uersari. Quanquam illud intellexerunt de authoritate ac dignitate Apostolatus sumptum, atq; ob eam rationem, amplificari Apostolici muneris dignitatẽ, ut appareat, si Apostolus libertate sua non sit usus multo minus Corinthios Apostoli discipulos sua debuisse uti.

Mihi uero non solum à dignitate Apostoli, sed simul ex ipsa causarum diuersitate argumentum ex maiori structum esse uidetur. Inest enim omnino magna diuersitas inter eã causam in qua Corinthios arguit, & eam in qua ipse iure suo se nõ esse usum exempli uice docet. In causa Corinthiorum, eidolothytis uescentium, libertas eidolothyta edendi propter infirmos fratres erat negligenda. In causa & facto Apostoli nõ simplex quædam

dam libertas, sed ius debitum, non qualiscunq; alimonia, sed necessaria, & laboranti Apostolo debita, ad cauendum offendiculum negligebatur. Quantulum erat, quod exigebat ab illis Apostolus, si cõferas cũ eo, quod ipse faciebat?

Exempli gratia. Finge nos, qui Christum prædicamus, exigere ab auditoribus nostris, ut in gratiam & ædificationẽ infirmorũ, libertatẽ carnes diebus uetitis edendi non usurpẽt, illosq; nostro exemplo Apostolum sequuti, ita ad hoc inuitare, ut nostro iure in ministerio uerbi non utamur, gratis Euangelium prædicantes & uictum labore manuum quærentes. Quantulum esset molestiæ, feria 6. & sabbato non uesci carnibus, si conferas cum eo, si debitum & necessarium subsidium non inde unde iure poterat, sed ex molesto manuum labore peteretur? Perinde omnino non tantum petit Apostolus à Corinthijs, quantum ipse faciebat. Plus enim erat de iure tantopere debito ac necessario remittere, quàm eidolothytis infirmorum gratia abstinere. Sed uideamus textum.



AN non sum Apostolus? An non sum liber? An non Iesum Christum dominũ nostrum uidi? An non opus meum uos estis in domino? Si cæteris nõ sum Apostolus, at sane uobis sum. Siquidem signum Apostolatus mei uos estis in domino. Mea responsio apud eos qui me interrogãt hæc est. An non habemus potestatem edendi ac bibendi? An non habemus potestatem sororem mulierem circumducẽdi, quemadmodum & cæteri Apostoli & fratres domini, & Cephas.

Vis exempli Apostolici in duobus sita est. Primum in eo, quod sumptus prædicationis non sumebat à Corinthijs. Deinde in eo, quod Apostolus cũ esset, Apostolico iure illos à Corinthijs, quorum erat Apostolus, exigere potuisset. De priore non multis agit. Erat enim absq; ulla contradictione manifestum, ut probationibus adductis fidem illius facere necesse non fuerit. Proinde tantum id semel atque iterum obiter commemorat, cum infrà dicit: Atqui non sumus usi ista potestate. Item. Ego tamen nullo horum usus fui. Igitur omnẽ intẽtionem præsentis tractatus ad alteram partem probandam conuertit, quæ est de iure Apostolatus, quod multis argumentis amplificat. Et quoniam fieri potuit, ut ius quidem Apostolici muneris, in hac causa, nõ negauerint pseudapostoli (nã & ipsi, ut in posteriore, cap. 11. apparet, à Corinthijs sumptus accipiebant, licet uideri uellẽt Christi apostoli) negauerint autem ipsum Paulum esse Christi Apostolum ut gloriam illius & existimationem eleuarẽt,

A necesse fuit Apostolo, hanc particulam ante omnia asserere, uidelicet, quod & ipse sit Christi Apostolus, ut & sibi non minus quàm reliquis Apostolis debeantur prędicandi sumptus. Et ea de causa, magna cũ confidentia ad hunc modũ orditur. An nõ sum Apostolus? An nõ sum liber? An non Iesum Christum dominum nostrum uidi? An non opus meũ uos estis in domino? Si cæteris nõ sum Apostolus, at sane uobis sum. Siquidẽ obsignatio Apostolatus mei uos estis in domino.

Apparet autem Apostolũ crebris istis & uehementibus percontationibus ita quidem usum, ut iudicarit, prorsus impudentem esse, si quis neget se esse Apostolum Christi, ac liberum, simul tamen pseudapostolorum glorias notare uoluisse, qui, ut prædicationibus ueritatis omnem existimationem adimerent, seseq; pro magnis uenditarent, Apostolatus dignitatem supra modum iactabant, se esse Christi apostolos, ab illis missos qui ueri sint Christi apostoli, qui Christũ uiderint, & audierint, se esse liberos in omnib9. Vt igitur factũ suum Apostolus Corinthijs exemplum imitandum cõtra seductores pseudapostolos assereret, opponit se illorum gloriationibus dicens: An nõ sum Apostolus? quasi dicat: Gloriantur se esse apostolos Christi, & liberos, & ab illis missos qui Christum uiderũt, & hoc nomine nihil nõ apud uos possunt, animos uestros eò deducentẽs, ut ipsis magistris scientia & libertate uestra contra infirmos fratres abutamini. Qui fit

B qđ non me potius sequimini? An ego nõ sum Apostolus? An non sum liber? An ego Christũ dominum non uidi? An non opus meum uos estis in domino? Cur igitur ad me non respicitis, & conuersationis meæ formam amplectimini? Hoc uidetur agere Apostolus, sed tectius certis rationibus. Nã in posteriore euidentius pseudapostolos insectatur, & Apostolatũ suũ aduersum illos uindicat.

AN nõ sum liber?] Hoc quidem non addit, qua in re se asserat esse liberum. Infrà uero de libertate sua repetens, simulq; admonẽs, quomodo illa non utatur, dicit: Etenim cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quo plures lucrifaciam. De qua libertate ibi dicemus.

AN Iesum Christum dominum nostrum nõ uidi?] Non loquitur de uisione illa corporali qua ante resurrectionem suam Christus nõ solum ab apostolis, uerumetiam ab innumeris Iudæis, & absq; dubio ab ipso quoq;, cum Gamalielis esset discipulus, Ierosolymis uisus est, quæ uisio nihil habebat prerogatiuę, sed de ea quæ post resurrectionẽ suis quos elegerat ad hoc apparuit, ut certissimi testes essent resurrectionis suæ, & omnium eorum quæ per illam confirmata sunt. De prædicatione nanq; uita, & morte Iesu, & ipsi Iudęi increduli testari potuissent. De hac uisione intelligit, non hoc solum loco, sed & infrà cap. 15.

Sed ubi uidit Paulus Christum post resurrectionem

Act.22.

ctionem illius? Actorum 22. ita legimus. Factũ est autem, cum essem reuersus Ierosolymam, & orarem in templo, ut raperer extra me, & uiderem eum dicentem mihi, festina & exi ue lociter Ierosolymis, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quod ego pertrahebam in carcerem, & cædebam in singulis synagogis eos qui credebant in te. Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego quoque assistebã, & assentiebar morti illius, & custodiebam uestimenta interficientium illum. Et dixit ad me, uade, quoniam in nationes longe mittam te, &c. Ergo in mentis raptu & excessu uidit dominum. Vel si quis putat Apostolum non de ista uisione loqui, potest de apparitione ea intelligere, quæ in uia facta est, cum iret Damascum. Quanquam enim ibi nõ legatur sub limatis oculis dominum ipsum uidisse, sed uocem eius audisse, quia tamen Christus ipse dixit, εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι, id est, ad hoc enim uisus sum, uel apparui tibi, & paulo pòst, ipse Paulus ad regem Agrippam subiunxit: Vnde rex Agrippa: Non fui inobediens cœlesti uisioni, &c. Visionem uocans eam apparitionem, utique non alterius cuiusquam, quàm ipsius domini: nihil puto impedire, quo minus de ista apparitione intelligamus, quod hic dicit: An Iesum Christum dominum nostrum nõ uidi? maxime cum in ea uisione Apostolatus munus à domino acceperit, quod Christi uerba testantur.

Act.26.

AN non opus meum uos estis in domino?] Magna sane gloriatio, quod rem tantam, omnes uires humanas superantem, & quæ uni diuinę uirtuti reuera tribui potest, sibi adscribit. Sed magna fuerit necesse est pseudapostolorũ impudentia & improbitas, quæ Apostolum ad hanc gloriandi necessitatem impulit, ut & in posteriore dicit: Vos me coëgistis. Non est autem putandũ, quod plus sibi tribuat, quàm Apostolo conueniat. Loquitur enim ut Christi Apostolus, & spiritus sancti minister. Proinde quod dicit, opus meũ, idem est, atq; opus Apostolat⁹ mei, uos estis in domino. Quasi dicat. Quicquid uos estis in domino, hoc estis p Apostolatum meum. Per me enim Christo credidistis. Theophylactus illud, in domino, arbitratur idem esse, atq; per uirtutem domini, ne putetur opus hoc tam arduum suis asscribere uiribus. Verum prior sensus meo iudicio simplicior est. Quanq̃ posterior nõ est abijciẽdus.

Luctatur Apostolus contra maliciam pseudapostolorum, atq; illius gratia omnium euidentissimo testimonio probat se esse Christi Apostolũ, ut constare possit, se Christiana prudentia & modestia cum sit Apostolus non tamen esse usum iure suo, ne occasionem daret maleuolis. Probat autem ex ipso opere, eoq; non longe posito, sed præsenti, quod negari non poterat, quod ipsi scilicet erant. Quasi dicat. Si quispiam uestrum de Apostolatu meo dubitat, estis uos ipsi testes illius. Vos ipsi pro-

A

batis, quàm non sit inanis aduentus meus ad uos, per quem Christi insiti estis, qui in uobis non est infirmus sed potens. Sic in posteriore, uos ipsos, inquit, tentate, num sitis in fide, uos ipsos probate. An non cognoscitis uosmetipsos quod Iesus Christus in uobis est? Si ergo Christus in uobis est, Quomodo ego non sum Christi Apostolus, per quem in Christum credidistis? Non potest ullum esse euidentius testimonium quàm quod ipso opere datur. Sic Christus dicebat: Opera quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me. Vide igitur in quas angustias aduersarios suos deducat. Eas uidelicet, ut aut negare cogantur, Christianos esse se, aut fateri, quod ipse sit Christi Apostolus. Quicquid enim erant in Christo hoc per ipsum erant.

Cap.ult.

Notandum est autem, quod ius Apostolo debitum, non inani Apostolatus titulo, aut soli muneri commisso adscribit, sed operanti ac laboranti in domino, ne putemus ociosis illis & titulo tantum tenus episcopis episcopatus deberi sumptus. Probaturus sibi tanquã Christi Apostolo deberi prędicationis sumptus, nõ nudam electionem Apostolatus, sed ipsum opus obijcit, quo se uerum esse Christi Apostolum probet. Faciát hoc & episcopi, qui hodie cœlum ac terram miscere conantur, mox atq; illis uel tantillum quid de iurisdictione episcopali aufertur: Dicant & ipsi cum Apostolo, opus nostrũ uos estis in domino, si possunt.

B

SI cæteris non sum Apostolus, at sane uobis sum.] Hoc Hiero. ita exponit, quasi assertiue dicat se non quidem Iudæis, Corinthijs tamen & alijs Gentibus esse Apostolum, respiciens forte ad id quod Gal. 2. dicit, sicut Petro circumcisionis Apostolatum ita sibi præputij concreditum esse. At Apostolus non dicit: Licet nõ sim cæteris Apostolus, sed: Si non sum cęteris Apostolus, at sane uobis sum. Quod nihil est aliud, quàm, Si cæteris non habeor pro Apostolo, qui ministerium & opus meum in domino non agnoscunt, uos tamẽ negare nõ potestis, me uestrum esse Apostolum.

Respicit & Ambrosius ad Iudæos qui Christo legis obseruantiam, conniuentibus Petro, Iacobo & Iohanne, coniungebát, quibus Pauli Apostolatus in Christo non sit agnitus. Verum de Iudæis hoc loco non cogitat Apostolus, sed simpliciter opus suũ apud Corinthios in domino ita extollit, ut etiamsi pręterea nullis esset, ipsis tamẽ omnino sit Apostolus. Neque enim hic inter Iudæos & Gentes discriminat, sed quid Corinthijs sit præ alijs inculcat. Vnde & subdit.

SIQVIDEM sigillũ Apostolatus mei, uos estis in domino.] Sigilli usus est, ut fidem faciat rei, de qua controuerti poterat. Ita de Apostolatu Pauli fidem facientes Corinthij, qui opus illius erant in domino, dicuntur esse Apostolatus ipsius sigillum. Est autem omnino auxesis quædam in his uerbis. Nam cum usq; adeò se Corinthiorum esse Apostolum dicit:

Vt illi contra maleuolos aduersarios pro sigillo sint Apostolatus sui, necesse est aliquid illis inesse propter quod præ alijs mereantur dici sigillũ Apostolatus ipsius. Quid hoc est? quod ad fidem Christi per ipsum uenerũt? Atqui id commune habent cum multis alijs ecclesijs. Mihi uidetur id commendari, quod singulari quadam gratia, studio, labore & patiẽtia illos ad Christum perduxerit, deinde & singulari quoque effectu in illis diuina se per spiritũ sanctum uirtus in omni sciẽtia & gratia, ut signa, & prodigia taceam exeruerit. Sic suprà cap. I. dixit: In omnib⁹ diuites facti estis in Christo, in omni uerbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia. Et in posteriore cap. 12. Tametsi nihil sum, signa tamẽ Apostoli peracta sunt inter uos, cum omni patientia, & signis & prodigijs, & potentibus factis. Hæsit apud illos annum & menses sex, quod de nulla alia ecclesia legitur, nisi quod Romæ integro biennio, sed captiuus, manere coactus est. Deinde accedit singularis quædã corruptio Corinthiorum, ut plus fuerit Apostolo laboris insumendum hic quàm alibi. Et pręterea singulari oraculo diuinitus est iussus in hac urbe fiducialiter & constãter agere, propterea quod multus erat in illa domino populus. Quemadmodum itaque si Afer quisquam Scipionem Africanum neget esse imperatorẽ, ille merito audiat, si alijs non sum imperator, certe uobis Afris sum imperator, nam sigillũ imperij mei uos estis: ita & Apostolus hoc loco, propter recensitas causas, omnium fortissime aduersarijs ad probandum Apostolatum suum, Corinthiorum ecclesiam objicit.

Act. 18.

Faciunt ista non solum ad probandũ quod sit Apostolus, sed huc potissimum quod cum esset præcipue Corinthiorum Apostolus, iure tamen Apostolatus apud eos præcipue nõ sit usus, apud quos præcipue poterat. Atque hoc ad propositum scopum facit, ad quem omnia collimantur, uidelicet, ut admoneantur hoc exemplo & ipsi non quod licet sed quod expedit fratribus spectare & facere.

Videamus quęso de qua ecclesia Apostolus ista scribat, cuius sit prę alijs Apostolus & quę sigillum sit Apostolatus ipsius. An de ea, quæ singulari fide, & pietate reliquas omnes excellat. Nequaquam. Quod si enim quæ hac epistola scribuntur diligenter expendantur, conspicuum erit uix aliam esse, quæ pluribus uicijs laborauerit. Contẽtiones & schismata inter se habebant, carnales erant, alius contra alium inflabatur, scortationẽ inter se habebãt, qualis nec inter Gentes reperiebatur. Illã nec corrigebant nec lugebant, sed inflabantur. Iudiciaria lite inter se contendebant, atq; id coram impijs. Iniuriam inuicem alij alius, fraudando faciebant. Eidolothytis temere ad graue infirmorum offendiculum uescebãtur, qui alijs præstantiores haberi uolebant. Mulieres non uelatæ ecclesiam absq; ulla religione in- A trabant, schismata etiam in ipsa dominica cœna habebant, seipsos non probabant, corpus domini à reliquo cibo non discernebant, alius ebrius erat, alius esuriebat, alius alium nõ expectabat sed quisque suam cœnam præsumebat. Qui singularia spiritus dona habebant cõtemnebant non habentes. Linguis insolescẽtes charitatem negligebãt. Mulieres contra sexus rationem & ministerij decorum in ecclesia docebant. Ordinem prophetandi in ecclesia confundebant. Resurrectionem quidam ex eis negabant. Ignorantiam Dei plerique habebant.

Ecce ista est ecclesia illa non simpliciter apostolica, sed ita præ alijs apostolica, ut Paulo etiam sigillum sit Apostolatus. Cui igitur culpam dabimus tot uiciorum? Certe Apostolo nihil horum potest adscribi, cum singulari studio illa carpat & emendata cupiat. Discamus igitur non mox eleuare ministerium seruorum Christi, ubi corruptas uidemus ecclesias. Deinde non speremus hodie ecclesiarum perfectam emendationem, cum iam insigniter apostolica, uiuente adhuc Apostolo tam fuerit insigniter uiciosa.

MEA responsio apud eos.] Græcè est, ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν αὕτη ἐστί. Hæc Eras. reddidit ad hunc modum: Mea responsio apud eos qui me interrogant, hæc est. Mihi uero plane uidetur istam uersionem uim uerborum Apostoli non assequi.

B Primum enim ἀπολογία non est simplex responsio, qua simplici interrogationi respondeatur, sed qua quis causam suam redditis rationibus aduersus accusationem maleuolorum tuetur ac defendit, unde magis erat uertẽdum, mea defensio, ut & uetus habet, quàm mea responsio.

Deinde, quod reddidit, qui me interrogãt, non est positum per uerbum ἐπερωτᾶν quod simpliciter interrogare significat, sed per uerbum ἀνακρίνειν, quod significat aliquid dijudicare, examinare, & in quęstionem uocare. Sic Actorum uigesimoquinto: Festus pręses ad Agrippam de Paulo dicebat: Quapropter adduxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης σχῶ τι γράψαι, id est, ut examinatione facta, habeam quod scribam.

Tertio, illud, apud eos, Græcè est in datiuo τοῖς, ne quis putet Apostolum coràm interrogatũ ista respondisse. Potest enim ita legi. Mea defensio aduersum eos qui me in quęstionem uocant hæc est. Palam nanque est Apostolum hic de illis loqui, quos habebat aduersarios, de quibus credibile est, quod non in faciem sed seorsum authoritati ipsius detraxerint, aduersum quos se his uerbis defenderit.

HAEC est.] Ambiguum est, an intelligat præcedentia uel sequentia, uel utraque. Chrysostomus tam ad præcedentia quàm ad sequentia applicat. Ambrosius ad sequẽtia, Theophylactus ad præcedentia. Mihi uidetur ad præcedentia respici, ut intelligamus de Apo-

stolatus defensione, cuius sigillum dixit esse Corinthios. Quasi dicat. Ijs qui Apostolatum meum in iudicium uocant & in quæstionem rapiunt quasi non sim Apostolus, uos defensionis loco obijcio, qui estis opus meum in domino & sigillum Apostolatus mei.

Et hactenus, quod primo loco astruendum erat, uidelicet quod & ipse sit Christi Apostolus, contra pseudapostolos & pseudadelphos per asseuerationem, & conuersionem Corinthiorum absoluit.

An non habemus potestatem edendi ac bibendi?

Iam consequenter aggreditur iuris Apostolici amplificationem, ut doceat, quàm iuste potuerit sumptus sibi prædicationis Euangelicę à Corinthijs sumere, quod tamen non fecerit, ut Corinthios suo exemplo admoneat, quàm non debeant contra infirmorum fratrum salutem libertate sua uti, sed magis spectare, quid faciat ad ædificationē quàm quid ipsis liceat.

AN non habemus potestatem edēdi, &c.]

Non loquitur de simplici esu ac potu à quo certe nec apud Corinthios abstinuerat, sed de tali, quo apud illos usus non fuerat. Intelligendum igitur est de sumptibus propter Euangelij prædicationem debitis. Tantum enim dicit: Cum igitur Apostoli Christi sumus, quis prohibet quo minus sumptus à uobis quorū sumus Apostoli, sumamus? Non potestis autem negare, nos uestros esse Apostolos. Habemus igitur potestatem alimoniam à uobis exigendi ac sumendi, tanquam Christi Apostoli.

An non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?

1 Intellige, quæ alatur sumptibus fidelium. Prorsus enim ineptiunt, qui commentum hic adferunt de mulieribus opulentis, quæ apostolos sequutæ prædicationis sumptus administrarint. De Christo quidem tale quid legimus, de apostolis uero nō ita. Comminiscuntur istam euasionem, qui uirginitatem & continentiam ita defendunt, ut ægre audiant apostolos fuisse uxoratos. Verum satis clarum est quod hic ἀδελφὴν γυναῖκα uocet sororem uxorē. sororem uocans, fidelem in Christo. Quod autem γυνὴ & uxorem significet, capite septimo satis patuit. Alioqui, si de muliere tantum fideli, quæ uxor nō esset, loqueretur, quid opus erat adiungere post sororem, mulierem? Quæ enim soror esse potest, quæ non sit mulier? Soror uero esse potest, quæ tamen non sit uxor. Cum ergo postquam sororem dixit, & γυναῖκα adiecit, puto plane stupidum esse si quis nolit animaduertere ob id adiectam esse τὴν γυναῖκα, ut declaret se non de quauis muliere fideli sed de uxore fideli loqui. Quod si quis de muliere infideli dicat: Bona spes est, mulierem hanc Christo accessuram. Venit enim cum fratre uiro in ecclesiam, quæso quis intelligit de alio uiro, quàm eo qui sit illius maritus? Nihil enim alioqui opus erat dictionem uiri adiungere, si de quouis fideli, qui non sit maritus, mentio fieret.

2 Deinde, ipsum Apostoli argumentum ferre non potest, ut de talibus opulentis matronis, quæ Apostolis uictum administrarint, ista uerba intelligamus. Loquit̄ enim de sumptibus, quos Apostoli Christi iure poterant ab illis exigere, quibus Euangelium prædicabāt, & non sibi tantum sed & suorum necessitati impendere, quos secum ducebant. Hoc ostendit reliquos apostolos fecisse, se uero apud Corinthios non fecisse. Iam si intelligas de talibus matronis, unde Apostoli sumptus Euangelij prædicandi acceperint, quæro, an qui istas mulieres circumduxerunt, de fidelibus sumptus acceperint uel non acceperint. Si acceperunt, ad quid ergo mulieres istas circumduxerunt? Si non acceperunt, ergo idem fecerint quod de se hoc capite scribit Apostolus. Iam omnino inter se & reliquos apostolos ita discriminat, ut dicat se iure suo non esse usum, quo utebantur tum reliqui apostoli. Ergo necesse est reliquos apostolos uictum & necessariam sustentationem ab ecclesijs sibi ac suis sumpsisse. Si hoc fecerunt, ut plane hic scribitur, quid aliud restat, quàm non tales mulieres, quæ sumptus prædicandi Euangelij in se transtulerint, sed uxores quæ ab ecclesijs sustentatæ sunt, circumductas esse ab apostolis?

Et si dicas, in hoc diuersum egisse Paulum à reliquis apostolis, quod sumptus labore manuum quæsiuerit, non ab opulentis matronis acceperit, sicut alij fecisse creduntur, adhuc tamen iniuriam facis argumēto Apostoli. Nam non in eo est, ut doceat se non usum esse muliercularum opulentarum subsidio, cum reliquis apostolis, sed iuri suo apud Corinthios cessisse, nec quicquam ab illis alimoniæ sumpsisse. Atque in eo se non fecisse quod cæteri apostoli fecerint. Alioqui quid quæso refert, utrum à mulieribus fidelibus uictum sumpserit, uel reliquas ecclesias grauarit, ut licuerit sine sumptu Corinthijs tradere Christi Euangelium, id quod de se in posteriore his uerbis capite undecimo scribit. Quoniam gratis Euāgelium Dei Euangelizaui uobis. Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium uestrum. Si de eo hoc loco intelligamus, quod non circumduxerit diuites mulieres, à quibus uictum sumpserit, quum id ęque ac reliqui apostoli, in potestate habuerit, quis non uidet omne argumentum Apostoli, & discrimen illud inter ipsum & reliquos apostolos prorsus irritum reddi, siquidem in eodem reperientur & ij apostoli quos commemorat ipsi pares esse, ut qui nec ipsi sumptus ab ecclesijs quibus prædicabant, sed aliunde sumpserint sicuti & Paulus, ipsi à mulieribus opulentis, Paulus ab alijs ecclesijs, ut Corinthijs prædicaret. Ista expendenti arbitror clarum erit Paulum de coniugibus non de opulentis matronis loqui.

2. Cor. 11.

5 Tertio accedit & hoc, quod cum certũ sit apostolos habuisse uxores, inexcusabilis mali species fuisset, si relictis proprijs cõiugib⁹ mulierculas alias circumduxissent. Et maxime, cũ loquatur hic in singulari de una tantum muliere. Quomodo suspicionem adulterij non mouisset Apostolus coniugatus, si relicta domi legitima coniuge, mulierculam quandam aliam circumduxisset? Notanter itaque, cum de uxore, non alijs mulieribus loqueretur, non pluraliter sed in singulari de una, dixit: An non habemus (loquitur autem de sua tantum persona, ut cœpit) potestatem sororem uxorem circumducendi?

Hieron. Argutatur Hiero. in uerbo circumducẽdi. Non dicit, inquit, mulieres ducendi, ne de uxoribus dicere putetur, sed circumducendi per prouincias, quę necessaria de suis facultatibus subministrarent. Verum est, non dicit, ducendi. Non enim loquitur de potestate nubendi hoc loco, de qua egit cap. 7. sed de potestate sumendi necessaria ab ecclesijs, ad sustentationem non Apostoli tantum sed & coniugis, si qua in illius sit tanquam legitimi mariti comitatu. Et hac potestate dicit se non usum, atque adeo nec sibi ipsi sumptus à Corinthijs accepisse, multo minus uxorem fidelem secum habuisse, quæ illorum facultatibus aleretur. Apparet enim ista de uxorum comitatu pertinere ad auxesim iuris apostolici, ut intelligamus non solum personæ Apostoli, sed & coniugi ipsius deberi ab ecclesia uictum, & si qui alij ad ipsum pertineant. Eo uero se iure tam non esse usum, ut nec suæ personæ necessaria ab ipsis acceperit.

4 Addam & hoc. Non dicit simpliciter se nõ circumducere sororem mulierem, sed rogat, an non habeat potestatem circumducendi sororem mulierem. Loquitur autem absq; ulla contradictione de potestate quæ pertineat ad ius Apostoli, cuius usum nemo licite prohibere posit, modo ipse Apostolus hac uti uelit. Indicat potestatem hanc circumducendi sororem mulierem, esse sitam in uoluntate Apostoli. Iam rogo, an ad ius Apostoli pertineat, opulentas mulieres circumducere? An, si uelit Apostolus quasuis diuites mulieres circumducere, illę teneantur relictis sedibus & rebus domesticis circumerrantem, ac terras omnes peragrantem sequi, & in hoc alere, ut ubiuis Euangeliũ Christi prædicet? An fidelibus matronis non sit liberum hoc facere uel detrectare? Certe arbitror neminem hoc asserturum, quod in uoluntate & potestate Apostoli sit, tales mulieres proprijs sedibus auocare, & pro suo iure ubilibet circũducere. Neq; hoc quisquam dicet, quod Christiana mulier, etiam si id Christi minister exigat, teneatur obedire. Quod si id iuris habet in mulieres Christi Apostolus, absque ulla contradictione habet & in uiros opulentos. Cur ergo non uiros diuites secum sumeret, in id officij, cum non minus reperiantur diuites uiri quàm diuites mulieres, nec amplius à mulieribus quàm à uiris subsidium ad Apostolum redire queat? Et hac itaq; ratione omnium manifestissima, liquet nullius ualoris esse commentum de opulẽtis mulieribus, quo uerba Apostoli quidã obscurare uoluerunt.

APOSTOLOS FVISSE *uxoratos.*

Quod autem apostoli coniuges habuerint satis testimonij habemus ex illorum scriptis qui non solum cõtemporanei ipsorum sed & discipuli fuerũt. Ignatius in epistola ad Philadelphienses ad hunc modum scripsit. Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorũ nunc memini. Opto enim Deo dignus ad uestigia eorũ in regno ipsius inueniri, sicut Abraham, Isaac & Iacob, sicut Ioseph, & Esaias, & cęteri prophetę, sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia coniuges habuerunt. Hæc Ignatius. *Ignatius.*

QVOD APOSTOLVS HIC NON *de opulentis mulieribus, sed de coniuge loquatur, testimonium Clementis.*

Assentitur Leo papa cõtra epist. Nicetæ abbatis. Vide dist. 31. ca. Omnino.

Eusebius in Ecclesiastica hist. lib. 3. ca. 30. sic scribit. Clemens, inquit, sane hic cuius uoces annotauimus, scribens aduersum eos, qui nuptias spernunt, inter cætera etiam hæc dicit: An & apostolos improbant? Petrus enim ac Philippus & uxores habuerũt, & filias etiam uiris nuptum dederunt. Sed & Paulum Apostolum non tędet in quadam epistola sua mẽtionem uel salutationem facere comparis suę, quam se ideo negat circumducere, ut ad prædicationẽ Euangelij expeditior fiat. Hæc ille.

Quid igitur? An non æquius est in rebus gestis magis apostolorũ discipulis & eis qui hos è uicino sequuti sunt quàm ijs habere fidem, qui longe post tempora apostolorũ uixerũt? Ignatius secundus post Petrum Antiochenæ ecclesiæ præfuisse scribitur. Clemens ante Origenem floruit. Prior apostolis Petro & Paulo cum reliquis non solum tribuit coniuges, sed & propositum ex coniugibus subrogandi posteritatem. Alter & apostolis coniugium attribuit, & ipsa quoq; Apostoli uerba non solũ ista de quibus loquimur sed & ea quæ in epistola ad Philippenses sunt, de legitima coniuge exponit. Quæso si opulentas matronas & non legitimas coniuges circumduxerunt apostoli, quomodo id ignorarunt apostolorũ discipuli, & cognouerunt tam sero illos subsequuti Hiero: Chrysost. & alij posteri? Si coniuges non habuerunt apostoli nec illas circumduxerunt, quare de illorum uxoribus ista scripserunt ipsorum discipuli? Clemens, citante Eusebio, loco & cap. prædicto, scribit apostolum Petrum cum uideret uxorẽ suam ad mortem duci potest tergum illi inclamasse ac dixisse: O chara coniunx, memento domini. Obsecro, *Euseb. in Eccles. hist. li. 3. ca. 36.*

secro, ubi putabimus hoc factum & quando? An non apparet tum esse factum, quando & ipsi Petro subeundum erat martyrium? uel putabimus nihil periculi fuisse Petro, cum uxorem ad martyrium constanter subeundum aperta inclamatione admoneret? Quis non uel hoc inde colligendum esse uidet, hunc Apostolum uxorem suam ad mortem usq; secum circumduxisse?

Constat itaq; cum ex ipsis apostoli uerbis, tum ex testimonio Ignatij & Clementis, quibus hac in re haud temere credimus, primum apostolos, fratres domini, Petrum & Paulum, fuisse uxoratos, deinde uxores quoq;, dépto Paulo, secum circumduxisse, tertio, id potestatis esse Christi ministro, ut non sibi tãtum, sed & uxori ac suis sumptus necessarios ab ecclesijs quibus Euãgelium administrat, exigat & sumat, in q; ipsius uoluntate situm, an isto iure uti uelit uel nolit.

QVEMADMODVM & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas?] Subintelligendũ est, faciunt, uel circumducunt, aut potestatem habent. Argum. est ab exemplo reliquorum apostolorum. Cum idem sit ius apostolorum, inquit, & ego non minus sim Apostolus q̃ reliqui apostoli fratres dñi, & Cephas, quare nõ liceret mihi facere quod ipsi faciunt? Ideo nõ dicit: Quemadmodum apostoli, sed & cæteri apostoli, ut se reliquis apostolis connumeret.

ET fratres domini.] Theophylactus numerat Iacobum Hierosolymorum episcopũ, Iohannem, Simonẽ & Iudam, uerũ Matth. 13. & Marci 6. ponuntur ipsorũ nomina, Iacobus, Ioseph, Simon & Iudas. Quomodo fuerint fratres domini non est eadem doctorum sententia. Theophy. in prologo ante Euangeliũ Iohannis scribit Iosepho, Mariæ sponso, antea fuisse uxorem ex qua susceperit filios quatuor & filias tres. Hieronymus refutat hoc, tanq̃ apocryphum, & dicit, fratres istos domini fuisse consobrinos Christi, ex sororibus Marię matris. Sed quomodo horum mentionem facit Paulus? Chrysost. arbitratur medios inter apostolos insertos licet apostoli non fuerint. Certe de Iosepho nõ legimus, quod apostolis fuerit annumeratus. Apparet tamẽ ideo istos positos ab Apostolo, quod magnæ æstimationis fuerint, atq; ita Petrum ultimo loco tanquam potiorem reliquis recensitum. Assurgit enim non solũ minoris opinionis apostolis sese, sed & potioribus, fratribus domini, ipsi quoq; Petro, in iure Apostolatus adæquans. Sentiebat siquidem horum se authoritate per pseudapostolos improbe premi.

Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi?

In Græco est τὸ μὴ ἐργάζεσθαι, non operandi, ut intelligas non de uxoribus circumducendis, sed de eo quod liceat Christi ministro absque manuũ labore in ocio agere, & de labore Euãgelij uiuere. Ita & Theophy. exponit. Rogat i-

A gitur, an solis sibi & Barnabę non liceat quod omnibus reliquis Christi apostolis liceat, uidelicet, ut & ipsi absque opere manuario de Euangelio uiuant. Indicat hic & Barnabã eadem molestia propter pseudapostolos coactũ suo ipsius sumptu prædicare Euangeliũ, absq; dubio, quod eodẽ spiritu ac tenore cum Paulo ingrederetur, parum legali propitius obseruantię, licet enim non legamus Barnabam cũ Paulo uenisse Corinthum, fieri tamen potest, ut uel antea cum Pauli comes esset, anteq̃ diuiderentur pari ratione unà cum Apostolo labore manuum uictum quæsierit, uel etiam tum, cum ista scriberentur, eadem alibi forte uixerit & prædicarit.

Obseruandum autem est, candidum Apostoli pectus, quàm tueatur potestatem ac laudẽ Barnabæ, licet, ut in Actis uidere est cap. 15. à se inuicem per contentionem propter Iohãnem cognomine Marcum, discesserint nec postea in unum redijsse legantur.

Sed quæri potest, quare non & reliqui apostoli ad istum modũ neglecto suo iure gratis prædicarint Euangelium. Si enim hoc recte fecerunt Paulus & Barnabas, cur non & reliqui apostoli hac uia ingressi sunt? Primum, Non culpat in apostolis, quod iure suo sint usi. Absit. Imò magis hanc Apostolatus potestatem tuetur ac defendit. Deinde, quod ipse apud Corinthios iure suo non est usus, certa ratione factum est. Hiero. dicit, quod reliqui aposto-

B li fidelioribus prædicauerint, & potissimum Iudæis, quibus non fuerit insolens religionis alere ministros. Hoc uero apud Gentes adhuc rudes sine offendiculo fieri non potuisse, atq; ob eam rationẽ Paulum gratis illis prædicasse Euangelium. Verum hæc ratio mihi non admodum firma uidetur. Primum enim quis dubitat & Gentibus id moris fuisse ut sacrorũ ministros aluerint. Deinde Apostolus nõ ubiq; apud Gentes sicut apud Corinthios gratis Euangelium prædicauit. Imò neq; hic prorsus suo ipsius sumptu sustentatus est, sed ab alijs ecclesijs accepit, unde sustentaretur apud Corinthios. Tertio ipse in posteriore cap. 11. rationẽ instituti sui assignat, causam illius nõ in ruditatem Gentium sed in pseudapostolorum maliciam reijciens, qui tanq̃ subdoli operarij de eo quod ipsi faciebant, ac dissimulabant quæstum sectantes, Apostolo calumniã struere cupiebant. Ne itaq; occasionem haberent prædicationem ipsius suspectam de quęstu reddendi, noluit quicq̃ à Corinthijs sumere, unde uiueret, sed cum labore manuũ tum aliarũ ecclesiarũ Macedonię sumptib⁹ uiuere.

2. Cor. 11.

Quis militat suis stipendis unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

Postquã rogauit, an solus ipse & Barnabas non habeant potestatem non operandi, id est, nõ manuũ labore sed accepto à fidelibus sum-

ptu uiuendi, cum illis Christi administret Euãgelium, consequenter probat Euangelij ministro potestatẽ esse, ut de Euangelio uiuat. Probat autem id, primum ex eo, quod iuxta naturalem æquitatem, & communem omniũ mortaliũ sensum & usum, cibo dignus est, qui operam suam cuiq; collocat. Hoc uero tribus exẽplis ob oculos ponit, primo, de milite, altero, de plantatore uineæ, tertio de pastore. Videtur autem primum hoc argumentum emphasim quandam habere à minori ad maius, atq; ita auxesim eius, quod probare instituit. Tantundem enim est quod dicit: Vel humanã æquitatem & publicum sæculi usum, in rebus multo leuioribus inspicite, atq; inde colligite, quàm æquũ sit, ut Euangelij minister de Euãgelio uiuat. Qui militat non proprio sed alieno stipendio militat, si militet non patriæ sed externo principi. Qui uineã plantat, de uineæ fructu edit, & qui gregem pascit de lacte gregis uiuit. Quanto magis æquum est, ut qui domino militat, qui uineam domini plantat, qui gregem domini pascit, non suis, sed aliorum hoc sumptibus faciat? Si tantum est militare, uineam plãtare, gregem pascere, quanti quęso esse debet, Euangelium salutis administrare?

2 Quod percontatorie instando ista exempla adducit, inde est, quod nõ solum æquum, sed & ubiq; terrarum ita in usu est, ut qui militat non suis stipendijs militet, qui plãtat de fructu plantationis, & qui gregem pascit, de lacte gregis uiuat, ut impudens fuerit, si quis militi stipendium plantatori & pastori sustentationẽ necessariam deneget. Et huc facit particula percontatoria quis toties repetita, cui necesse est, ut respondeatur, nemo. Item quod addit, unq̃, quo extorquet, ius hoc, operario debitum, non solum ubiq; solenne esse & in usu, sed & perpetuum & constans.

Resolue nunc instantiam istam percontatoriam in simplicem asseuerationẽ. Si nemo unq̃ proprijs stipendijs militat, si nemo uineã unq̃ plantat qui de fructu uitis non edat, si nemo unquam gregem pascit, qui de lacte gregis nõ uiuat, ergo, uniuersale est & perpetuũ hoc ius, communi omnium mortaliũ sensu & usu approbatum, ut qui operã suam alicui collocat, non suis id sumptibus faciat, sed eius cui famulatur ac seruit.

3 Pulchre autem ista exempla ad propositũ quadrãt, si requiras cuius sit dare sumptus belli militibus, plantandi plantatoribus, pascẽdi, pastoribus, Euangelizandi Euãgelij ministris, posteaq̃ constat æquissimum esse, ut non suis sumptibus ista faciant.

Quis debet stipendiũ militibus? Princeps, cui militatur, Quis alimoniam uineatori? Dominus uineæ. Quis pastori? Dominus omniũ. Sed unde sumuntur stipendia militibus? Dantur quidem nomine & iussu principis, sed sumuntur à subditis, quorum bono, ut liceat secure agere, bella geruntur. Vnde sumitur alimonia uineatori debita? Vnde pastori? Datur

A illa quidem nomine eius, cuius est uinea, & eius, cuius est grex, sumitur uero ab ipsa uinea & è lacte gregis. Ita & in hac causa. Constituit quidem dominus, ut qui Euangelio seruiunt, de Euangelio quoq;, sicut infrà dicit, uiuant. Ergo sumptus ad prædicandum Euangelium Euangelizãtibus nomine & iussu domini porrigendum est. Sed à quibus? Ab illis uidelicet, quorum bono cœlesti regi militatur, quorum bono uinea domini plantatur, quorum bono grex domini pascitur. Victum plantatori det uinea quæ plãtatur, pastori, grex qui pascitur, militi, populus cui militatur, Euangelistæ, fideles, quibus Euangelium prædicatur.

4 Notandum & hoc est, quàm frugalem uictum ministro Christi deberi probet non solũ exemplis istis militum, uineatorum, & pastorũ, & infrà aratoris, trituratoris, ac bouis, sed & dictionibus ὀψωνίᾳ & edendi. Studiose cauetur, ne militi, uineatori, & pastori, talis sumptus detur, unde materia luxus ac deliciarum peti possit, sed alitur hoc hominũ genus sufficienti quidem sed iuxtà frugali alimonia. Negociatorum exemplo non est usus. Nam horum finis esse solet opulentia. Ita dictio opsonij Græcis tale significat stipẽdium, quod uentris necessitati seruiat. Est enim esculentũ stipendium. Per se ὄψον significat omne esculẽtum, quod extra panem igne coquitur, unde pro delicatiore cibo sumi cœpit. Quidam inde dictum uolũt, quod ueteres uesperi tandẽ
B opsonijs uti consueuerint, ὀψώνιον uero talis cibus tum uocatur quando precio comparatus est. Habet enim compositionem duarum dictionum ὄψον & ὤνιον ut intelligas cibũ emptũ. Ergo stipendium quod militibus datur ob id ὀψώνιον uocatur, quod in hoc datur, ut inde uiuant, ne cuiq; cogantur esse oneri. Et hoc est, quod Iohannes dicebat militibus, cõtenti estote stipendijs uestris. Et uerbum edendi, quo bis hic utitur, non est simpliciter accipiẽdum de esu, quasi uineator nihil debeat aliud edere q̃ uuas, quę magis potus q̃ cibi gratia nascuntur, & pastor nulla re alia uesci q̃ lacte, qđ certe genus uiuendi esset miserrimum, sed de uniuerso uictu qui debeatur uineatori & pastori ex fructibus ac prouentibus laborum ipsorum. Vnde idem hoc uerbum isto loco est, atq; si dixisset, & de fructu eius nõ uiuit? Item & de lacte gregis nõ uiuit? Iam iste uictus, qui ex fructibus uineę, & lacte gregis prouenit & suppeditatur, certe nihil habet luxus sed frugalis est. Ita & Euangelij ministro uictus debetur quidem, uerum ipse uideat ut non nisi necessarium ac frugalem petat.

5 Postremo & hoc notandum est, quod ius alimoniæ non ociosis adscribit sed ijs, qui operam debitam impendunt. Quis militat inquit, Quis plantat uineam, Quis pascit gregẽ? Non dicit: Quis uocatur miles? Quis uocatur uineator? aut pastor sed quis militat? quis plãtat? quis pascit?

Peccatur itaque hac in re in ecclesia Christi tripli-

triplicitet. 1. Primum ab illis, qui officium suum exequuntur quidem, sed sumptibus necessarijs non contenti, diuitias & luxum quęrunt. 2 Deinde ab illis qui ociosi cum sint, nihilominus sumptu laborãtibus debito gaudent. 3 Tertio, ab illis, qui non solũ ociosi sunt, & sumptus laborantibus debitos auferunt, sed ingentes quoq; diuitias colligunt, & sumptuosissime uiuũt. 4 Quartum genus est omnium pessimum: eorum uidelicet, qui tam abest ut militent, ut etiam uastent populum domini, tam abest ut plantẽt uineam domini, ut magis dissipent, & tam non pascunt gregem domini, ut uerius mactent.

Num secundum hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Etenim in Mosis lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti. Num boues curę sunt Deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is qui arat arare: & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat.

Hoc alterum argumentum est ab authoritate diuinæ legis sumptum. Quanq̃ enim omnium ęquissimũ est quod agit, quia tamen nouit q̃ ad repugnandũ uersipelle sit contentiosorum hominũ ingenium, undecunque uenãs quod regerat, ne uictũ ueritati locũ dare cogatur, per occupationẽ occurrit obiectioni, qua quis in speciẽ poterat obijcere. Atqui humanis tantũ exẽplis causam tuã probas. An mox in religione locũ habet, quod habet in rebus humanis? Addit itaq; authoritatem diuinã, ac docet, ista exẽpla licet humana, diuinæ quoq; legi conformia esse, dicens: Num secundũ hominem hæc dico? Hoc est, num humano sensu ducor ubi ista dico? Num humana tantum authoritate & cõsuetudine motus istis utor exẽplis? An non & lex eadem dicit? Non ergo negat se humana dicere, cum omnino ista exempla sint humana, sed humano tamen sensu moueri se ac duci negat. Hoc est, causam hãc adeo esse infirmã, ut humana tantũ authoritate pręter diuinam, nitaẽ, hoc est, quod negat. Proinde subintelligendũ est μόνον, id est, tantũ, ut legamus: Num secundum hominem tantũ hæc dico? Et hoc patet in seqẽti particula, qua dicit: An non & lex eadem dicit? Cum enim non dicit: An non lex ista dicit? sed, An non & lex eadem dicit? satis clarum est, non negari humanum sensum, qui dictat, dignum esse operarium cibo suo, sed adiungi testimonium diuinæ legis, quo idem dicatur quod ista dictant exempla.

OBSER.

Est itaq; documento nobis præsens locus, q̃ non debeant humanarum rerum exempla repudiari in causa religionis, sed quicquid in rebus humanis iustum est & æquum, commo

A dum in tẽpore & loco usurpari, modo propter contentiosos & maleuolos, sacræ scripturæ authoritatẽ adijciamus, qua quod alioqui tanquam humanũ & sæculare uideri potest infirmũ, testimonio uerbi Dei corroboreẽ. Omne uerum uero quidem, ut ille ait, consonat. Verum Christi minister paratus esse debet, sacræ scripturæ locis ostendere, ueri ex rebis humanis desumpti ad cœlestem ueritatẽ consonantiam. Nec putandũ est, quod iste usus humanorum exemplorũ uilis sit ac superuacuus. Præterq̃ enim quod usurpatũ uidemus ab Apostolo & Christo ipso, & prophetis, multũ tamen roboris & magnam lucem cœlesti ueritati adfert, ubi ostenditur hoc quod uerbo Dei traditur, etiam in consuetudine & natura rerum humanarum locum & usum habere. Proinde nõ parum exigitur à ministro uerbi diligentię, ad hoc ut in rebus humanis non sit plane stupidus, sed audiat, uideat, animaduertat & obseruet quicquid iustum, æquum, rectum, uerum & utile quouis modo in sęculo geritur, ut possit inde argumenta cœlestis ueritatis, iustitiæ, æquitatis, & utilitatis docendæ desumere. Ita quippe plerunq; peruersum est mortalium ingenium, ut quod in sæculo bonum agnoscit, & sæpenumero ubi cõmodum est usurpat, in causa Dei nolit agnoscere, nisi certis & irrefragabilibus argumentis conuictum.

ETENIM in Mosis lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti.] Locus hic habetur Deut. 25. Consuetudo eius regionis est,
B ut fruges in area boum pedibus è paleis eruãtur, ad quam rem apud nos agricolæ tribulis utuntur. De isto triturandi more uide Eras. in Chil. pro. Bos lassus fortius figit pedem. Iniquum igitur fuerit boui trituranti os infrenare, ut interea dum fruges circueundo triturat, nihil ex illis decerpere possit, id quod ab illis fieri solet, qui conductitijs bobus utuntur.

NVM boues curæ sunt Deo?] Ne quis dicat, lex nõ de hominibus, sed de bobus loquitur, negat boues Deo curę esse, atq; ideo quod scriptum est, non boum, sed hominum gratia scriptum esse dicit.

Huc tendunt quæ subijcit: Propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat arare qui arat, & qui triturat, spei suæ particeps esse. Quæ uerba bifariam exponuntur.

1 Primum, ut illud propter nos, referatur ad ministros Euangelij, quasi legis edictum parabolice referendũ sit ad ministros Dei, qui per boues triturantes in area domini intelligantẽ. Ita intelligit & Augustinus de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 10. Et eadem sententia dictũ sit, quod connectitur, quod sub spe arare qui arat, & triturare qui triturat, debeat, non de agricolis ac trituratoribus terrenis, sed spiritualibus, Christi uidelicet ministris.

2 Alio modo, ut non ad ministros, sed ad quosuis operarios arantes ac triturantes referatur, quod lex innuat tam iniquum esse laboranti negare sumptus necessarios, ut nec animanti

manti irrationali id fieri debeat, nedum homini. Et hoc sensu, quę subiunguntur, simplicem habent huius legis expositionem, uidelicet, quod homo arator ac triturator particeps esse debeat speratę frugis. Et ista expositio placet, propterea quod legem Mosi eadem dicere scribit, quæ præmissa habent exempla. Nec timẽdum est, ne non satis probet causam suam. Si enim & lex præcipit, aratori ac trituratori terrenarum frugum deberi uictum, quanto magis debetur ministris Euangelij? Et 1. Timo. 5. hanc legem eodem modo citare uidetur, adiuncta Christi sententia, uulgari utique & generali, uidelicet quod dignus sit operarius cibo suo.

1. Tim. 5.

Verba hæc, quod debeat qui arat, in spe arare, &c. in Græco nonnihil perturbatius posita sunt. Leguntur enim ad hũc modum: ὅτι ἐπ' ἐλπίδι ὀφείλει ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος μετέχειν, ἐπ' ἐλπίδι, id est: Quoniam in spe debet qui arat arare, & qui triturat, spei suæ particeps esse, in spe. Illud postremum, in spe causam dedit quibusdam de duplici spe locũ hũc exponendi. Vna præsentis ex labore solatij, ministro uerbi debiti à subditis, altera uitæ futuræ. Erasmus transpositione particularum lectioni consulendum putauit. Vnde de triturante ita legit, & qui triturat sub spe (ἐπ' ἐλπίδι) spei suæ particeps esse debeat. Vetus eam particulam ἐπ' ἐλπίδι non reddidit, nec legitur uel in Hiero. uel Ambrosio.

Sed quærit̃ hoc loco, quomodo dicat, Deo non esse curam de bobus, cum scriptum sit in Psalmo, Homines & iumenta seruas domine? Et in historia Niniue: Etiam animalium misereatur Deus, & in Euangelio: Passer non cadet super terram sine scitu patris nostri? Quomodo igitur boum curam non habet Deus? Communiter ita soluitur hæc quæstio, ut dicatur hactenus boues non curare Deus, ut legẽ non illorum gratia condiderit, sed in ea magis respiciat homines, quàm boues, qui hominum gratia conditi sunt, & finem legis huius esse, ut in animalibus discant homines, quid hominibus laborantibus debeant.

Si nos uobis spiritalia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia messuerimus?

Tertium hoc argumentum est, sumptum à dignitate eorum quæ afferuntur mortalibus per ministerium Euangelij, quibus sumptus isti terreni ad sustentandam Apostoli necessitatem collati, certe parui & imparis depręhenduntur esse momenti. Vtitur collatione, perq; illam declarat, quàm non debeat uideri molestum & sumptuosum, quod ministro Christi impenditur. Bona quæ per Christi ministrum adferuntur, sunt spiritualia in hac uita, spiritũ hominis uiuificantia, & ad ueram felicitatem alentia: in futura uero, & corpori quoque sempiternam felicitatem pollicentia. Sumptus uero qui uicissim illi debẽtur, sunt carnales, hoc est, ad carnem hominis sustentandã pertinentes. Iam quantum carnẽ hominis excellit spiritus, & quantum potior est cœlestis & uera uita, quàm terrena ista & caduca, tantum utiq; terrena & carnalia bona superantur à spiritalibus & æternis. Oportet itaq; singulariter ingratũ esse cœlesti dono, quisquis grauatim terrena suppeditat ei, à quo ipse cœlestia accipit.

Notandum est autem, quod non pronunciatiue dicit, parum est, si carnalia uestra messuerimus, sed percontando, magnúmne est, si carnalia uestra messuerimus? Quasi dicat. Magno putatis constare sustentationem ministri Christi, si is à uobis debeat quę necessaria sunt accipere. Rogo, magnum uobis uidetur, si pro spiritalibus impẽderitis carnalia? Taxatur hic pessima mortaliũ ingratitudo, qui quicquid in sæculi uanitatem insumant, parum, quantumuis uero parum Christi ministris impendant, multum & sumptuosum esse putant. Vnde quæso est ista ingratitudo? Ex eo uidelicet, quod non agnoscunt utilitatem ac precium ministerij Euãgelici. Aloqui tam abest, ut multum putaretur, quod in sustentãdos uerbi ministros insumendum est, ut etiam si omnia essent impendenda, haud grauatim id fieret.

Deinde & hoc obseruandum est, quod nõ simpliciter dicit: Si nos uobis adferimus uel exhibemus spiritalia, sed: Si nos uobis spiritalia seminauimus. Hac metaphora ad id respicit quod paulò ante dixit, quod sub spe debeat is qui arat arare, ubi ministrum Euangelij aratori comparauit. Nec frustra hac sationis metaphora usus est. Spiritalia quippe bona illa, licet nobis per Euangelij prædicationẽ adferantur, ita tamen non adferuntur, ut ea in hac uita re ipsa possideamus, sed spe potius expectemus. Nam spe salui facti sumus. Suo tẽpore prodibit, quod seminatum est, & quod nunc occultum & ab oculis mortalium abscõditum est, olim publicabitur, quodque nunc per patientiam expectamus, ubi messis tempus aduenerit, possidebimus. Recte itaque dixit: Si nos spiritalia uobis seminauimus. Alioqui ratio cogitat, ubi sunt spiritalia illa & cœlestia bona, quæ per fidem in Christum acquiri dicuntur, quum nemo sit Christianis in hac uita miserior & calamitosior?

Si cæteri potestatis uestræ participes sunt, cur non potius nos?

Quarto, adhuc per collationem arguit ab eo quod Corinthij cum alijs hac in re alioqui faciebant. Conferebant enim pseudapostolis necessarios sumptus, & ferebant eos, qui accipiebant ac deuorabant, hoc nomine quod uiderentur Christi apostoli. De illis loquitur, non de apostolis ueris quorum suprà meminit, ut & Chrysostomus annotat, cum dicit: Si alij potestatis uestræ participes sunt, cur non potius nos? Quasi dicat. Et uos ipsi testamini Christi ministro deberi prædicationis Euangelicæ sumptus. Sunt enim participes apud uos

uos huius potestatis quos iam suspicitis tanq̃ præcipuos Christi ministros. Iam si isti partici pes sunt apud uos huius potestatis, cur nõ po tius nos? Non addit, quare potius ad se pertineat ista potestas, quàm ad eos, qui illa utebãtur. Primum enim relinquit hoc ipsorum con scientiæ. Deinde suprà satis ursit, se potisimũ ipsorum esse Apostolum.

Illud, τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν.] Id est, potestatis uestræ participes sunt, non est actiue, sed pasiue intelligendum, de potestate non quã Corinthij habeant, sed quam habeãt inter Co rinthios Christi ministri. Vnde & Erasmus reddidit, potestatis erga uos participes sunt. Chrysostomus exponit dominium & tyrannidem pseudapostolorum in Corinthios, mo tus eo, quod non dixit: Si alij potestatis huius participes sunt, sed: Si alij potestatis uestræ participes sunt, quod ipsi idem uidetur, atq;: si alij uos in potestate sua habent, uos posside nt, uobis dominantur, &c. Verum meo iudicio non loquitur de alia potestate Apostolus etiam hoc loco, quàm de qua cœpit. Neq; enim aliàs adiunxisset, cur non potius nos? Quis nanque credet Apostolum dicturum fu isse: Si alij tyrannidem in uos exercent, cur nõ potius nos? Deinde & statim addit. Atqui nõ sumus usi ista potestate. Quod certe non potest de tyrannide intelligi. Non enim dicit se non usum esse tyrannide erga Corinthios, sed iure suo, quo licite uti potuisset, siquidem uoluisset, non esse usum.

Nos Germani dicimus, Ich hab sein gute macht. Ac si Latine dicas, Habeo tui potestatẽ, non tuam.

Veruntamen non sumus usi potestate ista, sed omnia sufferimus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.

Posteaquam contendit se esse Christi Apostolum, & præcipue Corinthijs. Deinde apostolis esse potestatem, qua & uterentur reliqui apostoli, fratres domini, & Petrus sumendi sumptus pręedicandi Euangelium, à fidelibus, idq; sibi licere non minus quàm ipsis, iam obiter interserit argumentis, quibus hanc potesta tem confirmat, se non esse usum iure suo, ut exemplum suum, quod proponere satagebat Corinthijs paulatim ad propositum accommodet.

VERUNTAMEN, inquit.] Id est, neglectis argumentis istis omnibus, tametsi licite potuissem sumptus à uobis sumere tanquã Christi Apostolus, non tamen isto iure usus sum.

Nec dicit, ueruntamen nihil à uobis accepimus, sed, non sumus usi hac potestate, ut maneat in proposito, uidelicet, quod non simpliciter non acceperit aliquid, sed quod potestate sua non sit usus. Et ideo non dicit: Non sumus aliqua potestate usi in uos, sed hac, id est licita & tot nominibus iusta, non sumus usi. Alioq ea usus est in illos potestate, qua scort. Satanæ dedit, de qua 2. Cor. 10. & 13.

SED omnia sufferimus.] Non dicit abstinuimus ab illa, sed, Omnia sufferimus. Quo

A indicat se non sine magno incõmodo famis, laboris, nuditatis, & aliarum molestiarũ, quibus carere potuisset, si iure suo uti uoluisset hac potestate sua abstinuisse. Ne quis putet rem hanc Apostolo fuisse facilem & nullius molestiæ.

Simul etiam quod nõ dicit, ista sufferimus, sed, omnia sufferimus, auxesim habet & inten tionem propositi Apostoli, quo statuerat ita cauere, ne quod Euangelio Christi daret offen diculum, ut non solum nullos sumeret à Corinthijs sumptus ad prædicandum Euangelium, sed simul omnia incommoda ferret ani mo patienti unius Euangelij gratia, ne qua in re offendiculum illi obijceretur.

Clanculum eos pudefacit, qui ne eidolothy to quidem Euangelij gratia abstinebãt, quod tamen absq; ulla potuissent facere molestia.

NE quod offendiculum demus Euangelio Christi.] Hæc est ratio, propter quam dicit se non usum esse potestate sua, & nihil non tulisse. Igitur profectus Euangelij, ipsa uita & omnibus commodis charior, & defectus omnibus molestijs, omnibus periculis, omnib⁹ incommodis, nuditate, frigore, fame, molestior fuit Apostolo.

Ad hunc scopum quemadmodum ipse col limauit, ita inducere conatur & Corinthios, ut ad eundem & ipsi omnia dirigant.

Sed quomodo offendiculum dedisset Euan gelio Christi si potestate sua fuisset usus, cum id Euangelio non repugnasset?

B Ambrosius intelligit inde diminutam fuisse authoritatem Apostoli, ita ut nequiuisset cõ fidenter corripere delinquentes Corinthios, si quicquam ab illis accepisset. Pseudapostolos blanditos esse Corinthijs ad hoc, ut accipere mererentur, atque ideo illos non repræhendisse. Hoc ne & Apostolo accideret, consilium fuisse, nihil ab illis accipere, ut saluo authorita tis Apostolicæ uigore libere illos argueret.

Veruntamen si hic fuisset finis Apostolo in hac causa, hoc est, si istam authoritatem Apostoli imminuisset usus licitæ potestatis, debuissent idem consilium amplecti & reliqui Apostoli.

Chrysostomus aliam adfert loci huius expositionem, uidelicet, ne ab Euangelio abster reret Corinthios, si quid ab illis acciperet. Verum, ut suprà annotaui, timendum erat Apostolo, ne partim suo exẽplo abuterẽtur pseudapostoli, partim ne suspicionem illi mouerent de quæstu, quasi quæstus gratia prædicaret Euangelium, quod sane plurimam ἐγκοπὴν, id est interruptionem & impactionẽ Euangelij cursui dedisset.

Interea tamen non negauerim id quod Am brosius annotat, in multis uerbi ministris habere locum, ut sint blandiores & in carpendis uicijs eorum, à quibus necessarios sumptus accipiunt, frigidiores, quia uident uitæ suæ sustentationem ab illis pendere. Reperias etiam talia collegia, quæ iureiurãdo ecclesiastas suos ante-

antequam ei muneri admittantur, obnoxios sibi certo præscripto reddant, ne quid contra se in suggestu dicant. Vnde hoc audent? Ex eo uidelicet, quod in sua potestate habent admittendi, deinde rursus abigendi quem uolunt: adhæc & sumptus concionatoribus constituendi, quantos uolunt. Hac licentia abutuntur ad hoc, ut linguam ecclesiastæ captiuam reddant, ne quid in ipsorū scelera posit, aut certe non diu posit.

Imbibendum & nobis omnibus est, quotquot Euangelij ministri sumus, propositum illud Apostoli, quo paratus fuit ad omnia ferenda, utut molesta, ne quod daret offendiculum Euangelio Christi. Si enim dignus est, ut in profundum abijciatur, qui unum tantum ex minimis offendit, quid quæso ille est, qui ipsi Euangelio, unde mortalium salus constat, offendiculum ponit? Caute itaque & circumspecte ambulandum est Christi ministris, ne per ipsos remoras accipiat cursus Euangelij. Offendiculo quidem non caret, si quando delinquunt Euangelij auditores. Verum tantū ab illis offendiculi Euangelio non datur quantū datur, si ipsi Euangelij ministri delinquāt. Maximum autem offendiculum est, si depræhendantur quæstum sectari. Imò etiamsi suspicionem tantū illius moueant ecclesiæ, quod non Christi gloriam, sed quæstum quærant.

An nescitis, quod ij qui in sacris operantur, ex sacrificio edunt? Qui altario assistunt, unà cum altario partem accipiunt? Sic & dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant.

Redit ad propositum, quod probandum susceperat, uidelicet, quod ministro Christi debeatur uictus. Vtitur autem argumēto ad causam hanc uiciniori & accommodatiori, sumpto à cōsuetudine populi legalis, apud quem ius erat diuinitus traditum, licere sacerdotibus, sacris operantibus, uictum sumere ex laboribus suis. Et quoniam illa consuetudo celebris erat & omniū notissima, quæ scilicet ignorari non potuit, cum admiratione dicit: An nescitis quod ij, &c.

QVI in sacris operantur.] Ambrosius, In sacrario legem Gētilium, in altari uero Iudæorum intelligit. Verum in ipsis Apostoli uerbis nihil est, unde posit ista sumi distinctio. Nam utrunque & sacrarium & altare, utrisque tam Gētibus quàm Iudæis in usu fuit. Non inquit quod Deus per Moysem Gentilium consuetudinem imitatus sit, sed quod ipsa naturalis ratio ita habeat, ut quisq; ex labore suo uiuat.

EX sacrificio edunt.] Vide quomodo ista duo coniungat ἐργαζόμενοι & ἐσθίουσιν, inque eandem rem collocet utraque, uidelicet in operationem sacrorum, ut intelligamus in rebus sacris hæc duo ita esse coniuncta, ut iure alterū exigatur ab altero.

Notandum censet hoc loco Chrysostomus & imitator, imò abbreuiator Chrysostomi Theophylactus, quod non dicit Apostolus: Qui in sacris operantur, ex bonis eorū qui offerunt, edunt, sed ex sacrificio edunt. Sicut & mox, non dicit, qui altario assistunt ex oblationibus eorum, qui uictimas adferunt, sustentantur, sed, partem habent unà cum altari. Eò quod quæ offerebantur, oblata iam non erant amplius offerentium bona, sed sacrarij & altaris, hoc est, Deo consecrata. Certe diuino consilio, propter mortalium malignitatem ita ordinatum fuerat, ut uictus sacerdotum esset ex oblationibus Deo factis, exegit sibi Deus certas oblationes. Et merito. Potuisset omnia exigere. Ex illis uoluit alimoniam esse ministris suis, ne locus esset populo tergiuersandi, & uictum sacerdotibus denegandi. Atq; hoc pacto admonebātur sacerdotes, ut cultui Dei fideliter inseruirēt, scirentq; se magis esse Dei quàm populi ministros, ideoque uictum uerius à Deo quotidie sumere, quàm à populo, populus uero omni tergiuersatione priuabatur, quæ cùm ministris tum cultui Dei necessaria erant offerendi.

Per uerbum ἐσθίουσιν, non solum cibus uenit, sed & reliqua omnia uitæ necessaria. Sicut in oratione Dominica, cum dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non de pane tantum intelligimus, sed simul de omnibus ad uitæ huius sustentationem necessarijs. Fit autem cibi ob id mentio præ cęteris, quod in illo potior sit constituta ad sustentandam uitam necessitas.

QVI altario assistunt.] Mihi uidetur id quod de ijs qui sacris operantur, præmissum est, generaliter positum, & istam particulam specificandi, & exēpli gratia esse subiectam. Etenim sacris operari generale est, multa & uaria sacrorum ministeria complectens, ut non mox sit altaris minister, quisquis sacris operatur.

Obserua, quod nō dicit, sacerdotes, sed qui altario assident, ut excludantur illi qui titulotenus tantum sacerdotes sunt, ociosi uentres, nihil commercij cum altaris ministerio habentes. At hodie uix alij sunt, qui plura titulo altaris tollant, & quæ altari debentur, immodestius à populo exigant.

VNA cum altario participant.] Bifariam ista particula exponitur. Quidam intelligunt ea quę ad altare offerebantur, inter sacerdotes & leuitas esse diuisa. Alij uero ita exponunt, ut pars hostiæ cesserit altario, pars sacerdotibus. Et ista sententia posterior uidetur esse uerisimilior. Nam & in lege determinatum est, quid Deo, & quid sacerdoti ex hostia debuerit offerri, & ipsa Apostoli uerba hunc sensum afferunt. Non enim dicit, ἐν τῷ, uel ἐκ τοῦ, sed simpliciter τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται, id est, unà cum altari participant, ut intelligamus partem altari, partem cessisse ministris.

SIC & dominus ordinauit.] Ne quis adhuc dicat, ista legis sunt, ad nos nihil pertinēt, subij-

subijcit etiam authoritatem domini, qui pari ratione constituerit, ut de Euágelio uiuat, qui Euangelium annunciat. Tale quid legimus Matt. 10. Dignus est operarius cibo suo. Et Lucæ decimo: Edentes & bibentes quæ apud eos sunt.

Οὕτως.] Sic. Non quod legem sit imitatus dominus, ut propterea ministris Euágelij debeatur uictus quod in lege altaris ministris id iuris fuerit, uel quod eo modo ex oblationibus & hostijs decimis & primitijs, ut in lege sanctum fuerat, uictus debeatur Euangelij ministro: Sed ideo quod id æquum est & iustum, ut ex labore & ministerio suo quisque uictum ac uitæ necessaria sumat, etiam suis ministris dominus hanc potestatem fecit. Quibus uero modis ministro Euangelij debeat subministrari uictus, non præscripsit quicquam, sed ecclesiæ suæ liberum reliquit, ut non sit necesse id fieri per modos legales. Hactenus igitur ex lege sumenda sunt in his rebus exempla, quatenus æquitatem præferunt, & Euangelico cursui sunt accommoda.

Διέταξε, id est, constituit, ordinauit, præcepit. Ista domini constitutio subditos & auditores constringit, non ipsos uerbi ministros. Verbi minister non peccat, si uictum sibi ex Euangelio quod annunciat, non sumat. Alioqui peccasset hoc loco Paulus, si isti constitutioni dominicæ fuisset obnoxius. Tam abest autem ut peccarit, ut etiam plurimum in eo glorietur, quod hac constitutione domini non sit usus. Auditor uero Euangelij, nisi obediat isti ordinationi, peccat in Dominum, cuius constitutionem contemnit.

VT qui Euangelium annunciant.] Duobus uerbis & materiam & modum ministrandi domino exprimit. In dictione Euágelij materia est ministerij. Non in missis & cantionibus. In uerbo annunciandi modus est quo debeat ministrari domino.

Et obserua quàm apposite Euangelio coniungat annunciationem, nō leges aut mandata. Euangelium est bonum nuncium de salute orbi parta per Christum, & fide in Christū apprehendenda. Hoc uult dominus in toto orbe uulgari & cum ingenti gaudio & tripudio annunciari, sicut solent res lætæ miseris & afflictis cum lætitiæ affectu prædicari. Qua de re uide Rom. 10. Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, &c.

EX Euangelio uiuant.] Id est, ex Euangelij annunciatione, ex labore uel propter laborem suum, quem Euangelio annunciando impendunt, uictum sumant à fidelibus. Alioqui ex Euangelio simpliciter non carnalis est cibus, sed spiritalis, & qui non minus auditorū animas pascat quàm Euangelizantium.

VIVANT, inquit.] Victus necessitas uiuendi uerbo expressa est, ut intelligamus tantum uictus deberi ex Euangelio Christi ministro, quantum ad necessariam uitæ sustentationē sufficere potest, non quantum deliciæ & luxus exigunt. Sic nos Germani quoq; hoc uerbo utimur, cum dicimus, *Der arm man hat nit zu leben.*

Quærendum uidetur hoc loco, quid opus fuerit Apostolo causam hanc omnium æquissimam, uidelicet, quod ex Euangelio uiuere liceat ei qui Euangelium annunciat, tot exemplis agricolæ, militis, pastoris, authoritate & consuetudine legis, collatione semētis & messis asserere, cum tamen tribus quatuor uerbis potuisset dicere, dominus ita præcepit, ut qui Euangelium annunciat, ex Euangelio uiuat. Scilicet hoc unum, quod omnium est æquissimum, quod tantum habet iuris, cùm diuini tū humani, tantū ęquitatis, tantū consuetudinis, uix unquam bene potuit persuaderi mundo. Nam perpetuo in alendis Euangelij ministris tenacissimus est, cū sit ad reliqua uana & inepta profusissimus.

Pulchre tamen hoc loco, isto Apostoli studio consulitur ministrorum uerbi conscientijs, partim ne hæsitent in sumendo uictu pro labore suo, partim ne ægreferant ubi uiderint ociosis uentribus affatim suppeditari ad luxū & delicias omnia, cum ipsi interea uix uitæ necessaria pro labore Euangelij accipiant, si cogitent ita constituisse dominum, ut qui Euangelio seruit, ex Euangelio non delicietur, sed uiuat. Vix puto unquam inuentus est Euangelij pręco, candidus & syncerus, fidelis ac sedulus, cui quicquam ultra ea quę necessaria sunt, ex Euágelij auditoribus cesserit. Luxus & deliciæ non laborantibus, sed ad mactationem destinatis pecoribus competunt. Laborantibus debetur uictus necessarius, atque ita constitutum est à domino. Illo itaq; contenti sint Euangelij ministri.

Ego tamen nullo horum usus sui.

Hactenus Apostolus ministri Euangelij ius, quod ad uictum attinet, exposuit, ac declarauit, quomodo illo nō minus quàm reliqui apostoli uti potuerit, siquidem uoluisset, atque ita propositi sui primam partem absoluit. Iam consequenter ad id, quod paulo antè cœperat, alteram uidelicet partem progreditur, cōmemoraturus, quomodo hac potestate licita nō sit usus, & quare id fecerit, nec facturus etiam sit. Ego tamen, inquit, quanquam ut recensui, multis argumentis & rationibus hac uti potuissem potestate in uestra ecclesia, illorum tamen nullo sum usus, nec quicquam quod ad hoc ius pertineat, usurpaui.

Quanquam non scripsi hęc, ut ita fiat in me.

Duo erant Apostolo propter præmissa, curanda. Vnum, ut ostenderet, quod istam potestatem non sui gratia tam prolixe asseruerit, ac tot argumentis confirmauerit. Alterum, ut ad scopum collimaret, ostendēs cur ista induxerit. Postremum hoc non præstabit apertis uerbis hoc capite, sed sequenti. Prius uersabit ad finem usque capitis præsentis. Est autē illius

illius ratio, ut suspicionem amoueat, ne quis dicat ob id ista tam copiose præmissa, quod licet hactenus iure suo apud Corinthios non sit usus, cupiat tamen uti in posterum, atque ob eam causam tot hac de re usus sit argumentis, ut commodo suo in futurum consulat. Proinde addit rationem cur nec in posterum uti uelit ista potestate.

Nota interea, quod caute nō dicit: Non scripsi hoc, ut ita fieri debeat in apostolis Christi, sed in me, inquit. Non uult alijs ipsorū ius adimere, licet ipse illo nolit uti apud Corinthios.

Nam bonum est mihi mori potius, quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.

His uerbis ostendit tam abesse, ut cupiat temere uti sua potestate, ut malit mori, quàm amittere id, quod hoc proposito quærit. Non dicit, melius est ut moriar, id est, fame pereā, quàm ut hac potestate utar: sed, melius est ut moriar, quàm ut hanc gloriationem meam aliquis inanem reddat, id est, quàm ut aliquis propositum hoc meum, in quo glorior, si utar hac potestate, ex eo sibi occasionē sumat, grauandi me suspicione quæstus, atque ita eneruandi ac irritandi propositum meum, quod est, ut absque ulla suspicione libere ac fideliter uobis prædicem Euangelium Christi, cuius gratia decreui, non uti meo iure apud uos, ut amputem occasionem illis qui quærunt occasionem.

Ista uolui ob id annotare, ne quis cogitet, Deo gratius esse, si moriatur fame Apostolus, quàm si utatur constitutione illa, quam ipse dominus ordinauit, atque inde colligat, satius fuisse futurum, si mortui fuissent reliqui apostoli, q̃ quod potestate sua in ecclesijs Christi usi sunt. Primum non loquitur de reliquis apostolis, sed de se tantum. Deinde non loquitᷓ etiā de alia ecclesia, in qua id fieri necesse fuerit propter pseudapostolos, quàm de ecclesia Corinthiorum. Tertio, non dicit, ut suprà monui, quàm ut potestate mea à domino cōcessa utar: sed, quàm ut aliquis gloriationem hāc meam inanem reddat, id est, quàm ut ego usu potestatis meæ apud uos, occasionem dem pseudapostolis, gloriationem hanc meam, maligna suspicione reddendi inanē. Videᷓ Apostolus respicere ad dictum Christi Matth. 18. Vę qui offenderit unum ex his pusillis, melius esset, si suspēsa in collo eius mola asinaria, proijceretur in profundum maris.

Expendendum hic fuerit, quantum pœnæ maneat eos, qui cum Euangelium Christi nō prædicent, nihilominus in ecclesiæ bonis deliciantur, & uniuersam ecclesiam uitæ turpitudine corrumpunt, si melius fuisset Apostolo fame mori, quàm licita potestate in ecclesia cum offendiculo Euangelij abuti.

QVAM ut gloriationem meam.] Annotat Chrysostomus, quod non dicit, quàm ut pro- A positum meum, aut molestiam hanc meā, sed quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat. Videlicet, ostendit hac dictione, licet propositi huius nomine multū absq; dubio tulerit molestię, famis, frigoris, ac nuditatis, tam abesse tamen, ut moleste ista ferat, ut etiā gaudij & gloriationis loco ducat. Græcè est καύχημα gloriatio. Habet autem omnis gloriatio cō iunctam animi lætitiam & exultationem, unde & plerunque pro gaudio in scripturis sumitur, ut 2. Cor. 1. Gloriatio nostra est, testimoniū conscientiæ nostræ.

1 Quanquam non arbitror firmum esse satis si gloriationem dicamus hoc loco pro gaudio cordis positam esse, nolim tamen, primū, assignari Apostolo eum gloriandi affectū, qui coniunctam habet animi elationem, & φιλαυτίαν, qua qui gloriatur, sibi ipsi placet in eo cuius nomine gloriatur, ac sese uelut singulari laude & admiratione dignum iactat, ut solent hypocritæ iusticiarij in sua propria iusticia, potentes ac robusti in suis uiribus, diuites in sua opulentia, sapientes in sua sapientia, docti in sua eruditione gloriari, exultare, seseq; iactare. Nam licet hæc omnia sint dona Dei, in illis tamen non est gloriandum, sed in Deo. Scriptum est enim: Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et Apostolus certe hoc ipsum, de quo hic loquitur, non ex suis habebat uiribus, sed ex dono Dei. Proinde distinguenda est sanctorum gloriatio à gloriatione impiorum. Illa ha- B bet adiunctam superbiam, ista humilitatem. Illa uires humanas, ista gratiam Dei commendat. Illa admirationem habet suijpsius, & contemptum aliorum, ista uero neminem cōtemnit. Sed ita de gratia Dei lætatur & gloriatur, ut cupiat illam omnibus esse communem. Illa propriam, ista Dei gloriam spectat.

2 Deinde non displicent, qui dicunt hoc loco Apostolum gloriari non in genere coram Deo de sua synceritate erga Euangelium, sed gloriari, magis contra pseudapostolos & illorum assectatores. Nam de Deo ipse suprà dixit: Nihil mihi conscius sum, sed nec in hoc iustificatus sum. At contra pseudapostolos uere potuit gloriari de ministerio suo, quod nō solum irrepræhensibile sit in se, sed & omnium sinistræ suspicionis occasione careat. *Cap. 4.*

Etenim si Euangelizem, nō est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, nisi euangelizē. Nam si uolens hoc faciam, præmium habeo, sin minus, dispensatio mihi concredita est.

Exponit id quod dixit: Bonum est mihi mori potius, &c. Potest enim quisquam dicere: Quid opus est Paule, ut sine sumptu prędices, ut dicas tibi satius esse mori, quàm ut hanc tibi gloriam quisquam inanem reddat? An non satis est prædicare Euangelium, nisi gratis etiā prædi-

prædices? Respondet. Mihi non est satis ut prædicem, ad istam gloriationem, qua opus habeo cõtra pseudapostolos in ista Corinthiorum ecclesia. Necesse quidem est ut prędicem, Nisi enim hoc fecero uæ mihi est. Si uolẽs prędico, habeo mercedem, sin inuitus, dispẽsatio mihi cõcredita est. Hęc sunt generalia omnes ubique Christi ministros concernentia. Mea ratio in hac ecclesia alia est. Mihi hic nõ est ad gloriationem meam contra pseudapostolos satis ut prædicem, nisi sine sumptu collocem Euangelium Christi, ut amputem omnẽ occasionem malignis, sinistri quicquam de me suspicandi & obtẽdendi. Atque hoc sensu puto subiectum illud.

Quod igitur mihi est præmium? ut cum Euangelizem, gratuitum efficiam Euangeliũ Christi, in hoc ne abutar potestate mea in Euangelio.

Non dicit: Quod igitur est ministro Christi præmium? Sed quod mihi est præmium? Et mox, in hoc, inquit, ne abutar potestate mea in Euangelio, nõ dicit, ne utar potestate mea, sed ne abutar.

In loco autem uti ista potestate, nõ est abuti. Vtendi illo nõ erat locus apud Corinthios. Reliquis apostolis in alijs ecclesijs locus erat, ideoq; illi utendo hac potestate nõ sunt abusi, Paulus uero utendo apud Corinthios abusus fuisset, Euangelioque offendiculum dedisset.

Genuinus ergo ac simplex loci huius sensus est, ut discernamus inter ecclesias & ecclesias, non inter apostolos & apostolorum ministeria. In se quod officium erat Pauli erat & reliquorum apostolorum, quod ius erat reliquis erat & Paulo. Ecclesiarũ uero uarietas effecit, ut quod in genere satis fuisset Paulo apud alias ecclesias, apud Corinthios non fuerit satis ad euadendum culpam offendiculi, & obtinẽdam gloriã seduli fidelis ac synceri Apostoli.

Itaque præmissa non omnia sunt plane generalia, nec passim locũ habere in Christi ministris sed specialiter concernebant tum apostolum Paulum, ratione ecclesiæ Corinthiorum, & hodie concernunt eos, quibus par est administrandæ ecclesiæ ratio. Nihil reliquis apostolis præscribit, sed rationem reddit, cur ipse nõ sit usus sua potestate apud Corinthios, nec uti uelit, etiamsi fame moriendum sit. Sed expendamus singula.

ETENIM si Euangelizem, non est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit.] Videmus hoc loco, non esse satis ad gloriam fidelis ac synceri ministri ut faciamus, quæ necessario facienda sunt ex præcepto, nisi ita illa faciamus, ut quantum in nobis est, nullum demus offendiculis occasionẽ. Euãgelizare Christi ministro necesse est, necessitate præcepti, Matth. & Marci ultimo, & cõdemnationis etiam de qua statim subijcit. Proinde non dum hanc gloriam fidelis ministri assequutus est, quisquis hoc tantum curat ut quouis modo

A prædicet, utut Euangelio pariat interea offendicula. Consimilis locus est Lucę 17. Si omnia quæ mandata uobis sunt feceritis, dicite, inutiles serui sumus, q̃ facere debuimus fecimus.

Lucæ 17.

Sed quęri potest hoc loco, an maius aliquid sit non uti potestate concessa, quàm ipsa Euãgelij prædicatio?

1 Respondeo. Nequaquam, in se, & ex ipsius rei natura. Nam alioqui reliqui apostoli, quod maius erat omisissent, & quod minus præstitissent. Vbi tamẽ ipse Euangelij profectus hoc postulat, ut iure suo cedat Christi minister & nihilominus fideliter prædicet Euangelium Dei, hic certe multo est amplius sine sumptu prædicare Euangeliũ, q̃ simpliciter prędicare.

2 Deinde accedit & hoc, quod prædicatio cadit sub præcepto, ἀδάπανος uero prædicatio non ita. Omissio prædicationis minas habet condẽnationis, usus uero potestatis huius nõ ita. Quoniam autem qui facit quod necessario faciẽdum est, & nisi fiat, damnationem adfert omissum, nondum qua sit fide & synceritate erga dominum ostendit, in eo quod quę præcepta sunt facit, qui uero ultra hoc etiã id præstat, quod omissum non damnat, satis luculenter animi fidelis ac synceri affectum declarat, fit, ut maior sit gloria in eo, de quo gloriatur hic Apostolus, quàm in simplici Euangelij prædicatione. Et hoc uidetur uelle Apostolus, cum dicit: Etenim si Euangelizem, non est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, si non Euangelizem.

B Quasi dicat. Quod prędico Euangelium, nihil habet gloriæ Apostolicæ. Nam ipsa me urget necessitas ut faciam, & prohibet cõdemnatio ne omittam. Liber hic non sum sed omnino captiuatus, in eo uero demum gloriatio mea est, quod id pręsto, quod libere poteram omittere, & omitto quod poteram facere, ad quod me nec urget pręceptum aliquod domini, nec inuitum cogit condemnationis metus, sed ducit fidelis & syncerus animi ad promouendũ Euangelium Christi affectus.

Istius Apostolicæ gloriationis imitatio pertinet ad omnes Christianos, si non hac specie, in genere tamen. Videlicet, ut sentiamus Christiani hominis gloriationem non esse in eo, ut quæ præcepta sunt faciamus & quæ uetita omittamus, legis adacti necessitate ac territi cõdẽnationis metu, sed ut quibus libere uti possumus non utamur, & quæ absq; metu pœnę omittere possumus faciamus, si id exigat Euãgelij & regni Christi profectus.

VAE autem mihi est, nisi Euangelizẽ.] Interiectio uæ duplicem usum habet in scripturis. Aliquando notam habet temporariæ tantum calamitatis & miseriæ, ut Matth. 24. Væ prægnantibus & lactantibus in illo die. Hic certe dominus prægnantes & lactantes non aliter miseras & calamitosas atque infœlices dicit, quàm quod in calamitate illa futura impediendæ sint à fuga & liberatione, propter graues uteros, & pueros ab ipsorum uberibus pendentes.

Sic uæ terræ cuius rex puer est.

pendentes. Aliquando notam habet æternæ cōdemnationis. Vt Lucæ 6. Væ uobis diuites, qui habetis hic consolationes uestras, & Matthæi 23. Væ uobis scribæ & pharisæi, &c.

Priore sensu non loquitur hic Apostolus. Nam sic quidem magis dicendum illi fuisset, uæ mihi si Euangelizem, & bene mihi si non Euangelizem. Ita & Ieremias dicebat, uę mihi mater mea. Quare genuisti me uirum rixæ uirum discordiæ in uniuersa terra. Non fœneraui nec fœnerauit mihi quisquam, & tamē omnes maledicunt mihi. Et cap. 20. Omnes subsannant me, quia iam olim loquor uociferans, &c. Et factum est mihi uerbum domini in opprobrium & derisum tota die. Et: Maledicta dies in qua natus sum, &c. Hodie non est illis uę qui non Euangelizant cum id deberent ex officio facere. Vt sunt episcopi. Imò ne sit ipsis uæ, studiose cauent, ne Euangelizēt. Posteriore uero sensu loquitur Apostolus ostendēs æternam illis esse metuendam condemnationē & infelicitatem, qui quod à domino ipsis est iniunctum, pręstare neglexerint. Videmus hic quàm infelices sint nostri episcopi, imò quàm cæci, quod maledictionis huius æternæ nullo metu tenentur.

Cap. 15.

NAM si uolens hoc facio, præmiū habeo.] Ambrosius assignat duas rationes. Vna est, quod dignus sit præmio, qui uolens obtemperat præcepto domini, ob id, quod uoluntati Dei consentiat. Altera, quod is multo melius ac diligentius iniunctum munus obeat. Vnde certe sequitur, quod & plus fructus adferat, quàm si inuitus hoc faciat. Bobus etenim inuitis, ut ille ait, nunquam trahitur bene currus. Ita Apostolus Petrus exigit ab episcopis, ut munus suum in pascendo grege domini non coacte sed spontanee obeant, pollicens illis, ubi princeps pastorum uenerit, immarcessibilem gloriæ coronam. Is autem uolēs facit, qui nec metu uindictæ, nec spe lucri prædicat, malens non prædicare, si nulla urgeret necessitas, sed amore domini & uerbi ipsius iniunctum munus cum gaudio exequitur.

1. Petri 5.

SIN inuitus, dispensatio mihi concredita est.] Hoc est, urget tamen iniunctę diuinitus dispensationis necessitas. Tacet hic de præmio. Indignus etenim mercede est, qui quod facit inuitus, id est, animo repugnāte facit. De Mose legimus, quod munus suum inuitus susceperit. Nā aliquoties tergiuersabatur. Ita & Ieremias. Ah ah domine, inquit, puer sum. Et ca. 20. Nō recordabor eius, inquit, nec loquar amplius in nomine illius. Et Ionas fugiebat etiam à facie domini, & tandem coactus prædicabat.

Quid igitur? Amiserunt isti præmia sua? Videndum est, quid eos mouerit, quare officium detrectauerint, an hoc fecerint animo erga Deum sinistro & immorigero, uel fecerint partim consyderatione uilitatis suæ & magnitudine iniuncti muneris. Moses certe & Ieremias hac ratione detrectabant aliquandiu suscipere mandatum, quod sibi ipsis uiderentur causæ tam grandi impares futuri. Ionas etiam nō hoc animo fugiebat à facie domini, quod ęgre seruiret domino, sed quod metuebat notam subire falsi prophetę. Sciebat Deum esse misericordem, qui ignoturus esset pœnitētibus. Ob eam causam renuebat prædicationem iniunctam suscipere. Ita ipse fugæ suæ causam exponit.

Colligimus ergo, non mox indignos esse præmio, qui munus aliquod inuiti subeunt, sed expendendas esse causas, cur id fiat.

VT sine sumptu.] Gręcè est ἀδάπανον, quod fit sine sumptu. Id autem amphibolum est, annotante Erasmo. Sine sumptu facit, qui nihil impendit. Sine sumptu etiam facit, cui nihil impēditur, quo sensu hic Apostolus loquitur.

Queritur hic Erasmus, quod nunc in ecclesia nihil sit ἀδάπανον, sed omnia uenalia, etiam sepulturæ tellus. Iuste hoc queritur, ego uero & hoc querimoniæ addiderim, quod ut tum usuuenit Apostolo, ita nunc quoque tanti momenti non est ἀδάπανος ueritas, quanti est δάπανον mendacium. Gratis prædicabat Corinthijs Apostolus, & contemnebatur, pseudapostoli accipiebant, deuorabant, in faciem cędebant, & suspiciebant. Ista est perpetua mundi huius peruersitas.

Videmus præterea hoc loco quatuor ministrorum Christi genera.

1 Primum est eorum, qui Euangelium neglecto suo munere non annunciant. Illis uæ minatur Apostolus sub sua persona.

2 Alterum est eorum qui Euangelizant quidem sed animo inuito. Hi adiguntur ex officij necessitate.

3 Tertium est eorum qui uolentes Euangelizant. Horum est præmium.

4 Quartum eorum, qui non solum Euangelizant, idque uolentes, sed & sine sumptu collocant Euangelium Christi. Horum est pręcipua fidelitatis gloria, sicubi id suo loco & tēpore ad Euangelij profectum faciunt.

Etenim cū liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci, quo plures lucrifaciam, & factus sum Iudęis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam, his qui sub lege sunt quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam. His qui sine lege sunt, tanquam sim sine lege cum non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem. Hoc autem facio propter Euangelium, ut particeps illius fiam.

Declaratio est latior, eius quod dixit se cauere, ne potestate sua in Euangelio abutatur.

Gra-

Gratis Euangelizabat Corinthijs, cum posſit ab illis ſumptus exigere prædicationis. Non enim erat illis ita obnoxius iure, ut cogeretur ſeruire gratis. Verum ipſe ſe ultro ac ſponte ſeruum illorũ fecerat, ut aliquot ex illis Christo lucrifaceret. Atque hoc affectu ſe & reliquis omnibus ſeruum faciebat, cum tamen liber ab omnibus, & Chriſti tãtum ſeruus eſſet. Ad hunc charitatis affectum, & libertatis ſpõtaneam reſignationem inuitat ſuo exẽplo Corinthios, ut cœperat.

CVM liber ſim ab omnibus.] Suprà dixit: An non ſum Apoſtolus? An nõ ſum liber? Nec indicauit, qua in re ſe liberum eſſe dicat: Verũ hoc loco ſeipſum nonnihil explicat. Licet enim non ſatis aperte tradat, quam intelligat libertatem, cum ſit ciuica & terrena alia, alia ſpiritalis in Chriſto, ex genere tamen ſeruitutis, qua ſe dicit omnibus factum eſſe ſeruum, ſatis puto conſpicuum eſt, quod de ea libertate loquatur, in quam erat per Chriſtum aſſertus, ut & reliqui fideles omnes, ut nemini eſſet addictus ſeruiliter niſi uni domino, ut ſuprà cap. 7. monuit dicens: Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.

AB omnibus.] Tam ad homines quàm ad res alias referri poteſt. Verum quoniam ſubdit, quod omnium ſe ſeruum fecerit, quod ſane non de rebus ſed de hominibus, aut hominum generibus, Iudæis, Gentibus, infirmis, &c. intelligi poteſt: puto certius eſſe, ut & hãc particulam de iiſdem intelligamus, quod ab omnibus ſe liberum eſſe dicat.

Ergo iure Chriſtianiſmi ac fidei, nemini mortalium erat obnoxius Paulus. Hoc enim eſt, quod dicit: Cum liber eſſem ab omnibus. Eodem certe iure & reliqui Chriſtiani omnes ab omnibus mortalibus liberi ſunt. Quæ eſt itaque tyrannis illa, qua fideles epiſcoporum libidini in cauſa religionis ſubijciuntur?

OMNIBVS meipſum ſeruum feci.] Non dicit, quibuſdam, uel uobis, ſed omnibus. Nec dicit, prodeſſe ſtatui, ſed ſeruum feci. Neque dicit, ſeruus factus ſum, ſed meipſum ſeruum feci. Magna charitas cum erga Chriſtum, tum mortales uniuerſos. Contemptui ſolet eſſe omnis ſeruitus. Verum iſta ſeruitus, qua homo ab omnibus liber omnibus ſeſe ſeruum facit, hoc eſt honorabilior, quo minus habet coactionis, & plus charitatis. Romanus pontifex, ut nuſquam ſit fallax & hypocrita, cum nihil aliud agat quàm ut dominus ſit omniũ, falſo ſeſe uocat ſeruum ſeruorum Dei.

QVO plures lucrifaciam.] Verbum lucrãdi quinquies repetit, ut ardentem affectum lucrandi mortales declaret.

Et hanc rationem reddit, quare ſeipſum cũ liber ſit ab omnibus omnium ſeruum fecerit, uidelicet, quod cupiat ita adminiſtrare Euangelium, & ſe quibuſuis accommodare, ut hoc plures lucrifaciat.

Et hic uerbis haud obſcure innuit, non ſimpliciter prædicandum eſſe fideli Chriſti miniſtro, & uerbi prædicatione lucrandos mortales, ſed ſingulari ſtudio conandum, ut pro auditorum ratione ita ſeſe accommodet & inſinuet, ut quos prædicando ſimpliciter non erat lucraturus, accommodando ſe & attemperando lucrifaciat, non contentus utcunque quoſdam lucrifeciſſe, niſi plures ſolito acquirat. Deſyderium hoc plures lucrifaciendi nunquam debet abeſſe Chriſti miniſtro, quo ita moneatur, ut huius gratia nihil non facere ut pati paratus ſit.

1 Ergo perditi ſunt, quos Chriſto non lucrifacit Euangelij prædicatio. Hoc ſciebat Apoſtolus, atque ob eam rem cum ſummopere affectaret mortalium ſalutem, munus ſuum diligẽtiſsime mortalium captui & rationi accommodauit, quo plures lucrifaceret.

2 Lucrum in eccleſia eſt, non augere terrenas ditiones more Romanorum pontificum, ſed lucrifacere Chriſto mortalium animas, idque per prædicationem Euangelij, qua conſtitutum eſt domino ſaluos facere credentes. Acceſsionibus fidelium animarum non terrenarum ditionum, gaudet Chriſti regnum, quod non de hoc mundo terrenum, ſed in cordibus fidelium eſt cœleſte ac ſpiritale. Huius lucri ſtudium Apoſtoli, alterius uero Antichriſti ſpiritum reſipit.

ET factus ſum Iudæis, quaſi Iudæus.] Iudæos intelligit extra Chriſtum conſtitutos. Illis factus eſt non Iudæus relicto Chriſtianiſmo, ſed quaſi Iudæus, cum eſſet non Iudæus ſed Chriſti Apoſtolus, & tamen Iudæorum ſacramenta ubi opportunum erat celebrabat.

Ita circumcidit Timotheum Lyſtris, propter Iudæos, qui in illis locis erant, quod ſcirent omnes patre illum Gentili natum. Act. 16.

Ita purificatus more Iudaico aſcendit in tẽplum Hieroſolymis. Act. 21.

Ita conſuetudinem ſabbatorum cum Iudęis ſeruauit. Et abſque dubio cibis quoque in lege uetitis abſtinuit, ubi cum Iudæis erat conuerſandum, & ſi quę aliæ ſunt legales obſeruationes, Iudæorum illas gratia ad tempus obſeruauit.

Quæ uero mala habebant Iudæi, utpote, 1 quod propriam iuſticiam ſtatuentes iuſticiæ Dei non ſubijciebantur quod ſacramenta legis 2 adhuc ad ſalutẽ neceſſaria putabant, quod 3 hoſtiliter prædicationi gratiæ aduerſabãtur, hęc Chriſtian⁹ factus reliquerat, nec amplius poſtea cuiuſquam gratia reſumpſit.

Admiranda plane fuit erga Iudæos Apoſtoli patientia, qua ſe acerrimis hoſtibus cum ab illis liber eſſet, ſeruum facere potuit. Infenſiores quippe Iudæis hoſtes non habuit. Nemo enim illi pertinacius ac furioſius reſtitit.

Amicorum gratia, & beneficium agnoſcentium, ſuſtineat forſan aliquis è libero mutari in ſeruum, at propter inimicos tam acerbos & irreconciliabiles lucrandos, ſeruitutem ultro amplecti, quis non uidet, quantæ ſit cha-

ritatis & patientiæ indicium? De isto affectu Apostoli in Iudæos uide Rom. 9.

His qui sub lege sunt, quasi sim sub lege.

Ambrosius intelligit de Samaritanis, quod illi solam legem, id est, quinque libros Mosaicos agnouerint. Ita intelligi posse admonet & Hieronymus. Theophylactus uel de proselytis, uel de Christianis ex Iudæis ad Christum conuersis, & adhuc legis æmulationi obnoxijs intelligit, quæ sententia mihi uidetur uerosimilior.

Tales enim pasim multi erant, & Hierosolymis aliquot millia, uide Act. 21. Horum infirmitati consulebant & reliqui apostoli, Iacobus, Petrus, Iohannes, tolerantes in illis legis æmulationem tantisper dum in Christo Iesu crescerent & corroborarentur.

At dicet quisquam. Si de Christianis Iudæis intelligēdus est hic locus, quid ergo est, quod dicit: Vt eos qui sub lege sunt lucrifaciam? Ergo adhuc erant extra salutem, licet Christiani? Puto huius gratia Hieronymum maluisse de Iudæis exponere hoc pacto, ut hic doceat Apostolus quomodo Iudæis sit, & in qua re factus quasi Iudæus: nempe, quasi & ipse sit sub lege. Et Chrysost. uocat exegesim prioris.

Verum nihil impedit hic scrupus, quo minus de Iudæis Christianis intelligamus. Erat enim illis admodum periculosa legis æmulatio, ne huius gratia uel Christum desererent, uel non satis illum fiduciæ alerent, putantes sine legis operibus non posse salutem in Christo appræhendi, ita ut hac opinione liberati, recte dici potuerint, tum demum uere lucrifacti domino. Ita & infrà dicet, se infirmis quoque factum quasi infirmum, ut infirmos lucrifaceret.

Vide Gal. 3. 4. 5.

HIS qui sine lege sunt.] De Gentibus loquitur. Sine lege erant Gentes, non naturali, nec ciuica, sed Mosaica, scripta illa, cuius æmulatione tenentur Iudæi.

Chrysostomus exponit de ijs qui nec Gentes, nec Iudæi, nec Christiani erant religione, qualis erat Cornelius & consimiles. Veritus opinor admittere, Paulum Gentibus immundis sese accommodasse.

TANQVAM sim sine lege.] Libere cum illis agebat, præputium recipiebat, quibusuis cum illis uescebatur, legis scriptæ nullam habebat rationem, cuius summo odio & cōtemptu Gentes teneri sciebat.

Cum non sim sine lege Deo, sed sim sub lege Christo.

Chrysostomus legit, μὴ ὢν ἄνομος θεοῦ ἀλλ' ἔννομος χριστοῦ. Quia dixit, tanquam sim sine lege, ne colligat quisquam, ergo & ipse Paulus sub lege Mosaica cum Iudæis erat. Non enim dicit se factum sine lege cum ijs qui sine lege sunt, sed tanquam sit sine lege, ideo subijcit declarationem, quomodo reuera non sit sine lege. Hoc est, non utatur suo arbitrio, sed subditus sit imperio Dei, cuius uoluntati morem gerat & obtemperet. Sic dicit, cum non sim sine lege Deo, id est, cum Deo seruiam nō meo, sed ipsius arbitrio. Et ut planius exponat quā legem Dei intelligat, ne de Iudaica dicere uideatur, subdit, sed sim sub lege Christi. Est autem lex Christi, lex dilectionis. Hoc est præceptum meum, inquit, ut diligatis uos inuicem. Chrysostomus legem Christi exponit per legem spiritus & gratiæ. Romanorum octauo: Lex spiritus uitæ. Et tertio meminit legis fidei: uel legem Christi intelligit, obedientiam Euangelij, obedientiam fidei, aut certe demandatum munus euangelizandi. In summa, dicit se nō esse sui iuris, licet sub Mose nō sit, sed esse sub imperio domini.

Dixit, cum non sim sine lege Deo, & cum exponit de qua lege intelligat, adfert legem Christi. Ergo lex Christi, est lex Dei, ut qui Christo obedit, Deo obediat. Sic dicit alibi: Qui me audit, non me audit, sed eum qui misit me.

Videmus hic Christianos non esse ita sub Christo liberos, ut prorsus sine lege sint, & pro sua libidine uiuere posint, sed subditos esse debere imperio Christi.

FACTVS sum infirmis.] Propius accedit ad id quod uolebat. Sic Chrysostomus: τοῦτο λοιπὸν τὸ τούτων λεγομένων, δι' ὃ καὶ πάντα ταῦτα εἴρηται. Nam infirmorum gratia ista tam prolixe scribit, ut admoneat Corinthios, parcendum esse infirmis, ne illi abusu libertatis offendantur & perdantur. Neque enim satis est per Euangelij prædicationem, ex Iudæo uel Græco facere Christianum, nisi ubi factus fuerit, alatur etiam & sensim confirmetur compasione eorum qui robustiores sunt in fide. Vt enim ille inquit, Non minor est uirtus quàm quærere, parta tueri.

OMNIBVS factus sum omnia.] Quod cœperat particulariter dicere, tandem summatim complectitur. Quasi dicat. Quid multis? Nemini me non accommodaui, omnibus factus sum omnia. Nemini non seruio, neminē contemno, omnibus prodesse cupio, quouis id modo fieri liceat. Neque enim ita intelligēdus est Apostolus, quasi ultra regulam liciti & legis Christi, sese quibusuis accommodauerit, id quod non esset Apostoli Christi, sed adulatoris, & non ad lucrandum sed perdendum faceret. Ita oportet istas uniuersales commode pro ratione materiæ de qua agitur, intelligere. Hoc si obseruassent Anabaptistæ, nō ita obstinate errassent in uerbo Christi, ubi dicit, Vos autem nolite iurare omnino.

Quis non dicat Apostolum hominem fuisse omnium inconstantisimum ac uersipellem, ueluti Vertumnum quendam, in omnes sese formas uertentem, nisi scopum illius cōsyderet? Hic erat, nō ut ipse mutaretur à proposito, sed ut alios ad Christi cognitionem à sua sententia & errore mutaret ac lucrifaceret.

ret. Proinde opus est ut cauti simus in iudicandis Christi ministris, nec facile ambidextros uocemus, si quos uiderimus exemplo Pauli omnibus fieri omnia, nisi certo constet, quod non aliorum salutem, sed seipsos quærant.

VT omnino aliquos seruem.] Ergo Apostolus seruator est mortalium. Plane. Sicut est genitor & formator fidelium animarum. Seruat dum Christo seruandos ministerio suo lucrifacit, & è perditione eripit.

ALIQVOS.] Nec suprà nec hic dicit omnes, licet omnibus factus sit omnia. Non quod non cupiat omnes saluare, uerum sciens hoc fieri non posse, uel aliquos lucrifacere conatur, idque tanto studio, ut horum gratia omnibus se seruum constituat, utut non dubitet, multum de suo studio periturum, & debito fructu cariturum.

Chrysostomus: καὶ ὁ σπείρων πανταχοῦ ἔσπειρε καὶ οὐ τὸν πάντα σπόρον ἔσωσεν ἀλλ' ὅμως τὸ ἑαυτοῦ πεποίηκε. Certe non est uerisimile eum qui ita affectus est, neminem prorsus seruare.

Sit hoc non solum exempli, sed & consolationis gratia Christi propositum ministris, ne uelint animum despondere, si uiderint ministerium suum non quosuis adducere Christo. Electos seruare satis sit. Sic 2.Timoth.2. dicit: Omnia suffero propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna.

HOC autem facio propter Euangelium.] Demonstratiua τοῦτο, ad præcedentia respicit, quibus dixit se omnibus omnia fieri, ut omnino aliquos seruet. Iam quoniam illa duas habent particulas: primam, qua dicit se omnibus omnia factum: alteram, qua huius rationem assignat, nempe, ut omnino aliquos seruet, fit ut incertum sit, ad quam referenda sit demonstratiua τοῦτο, priorém ne uel posteriorem particulam.

1 Si ad priorem, ut quod dicit, hoc facio, idem sit atque, omnibus me omnia facio: Videbitur nonnihil habere superflui, cum ei rei iam rationem suam assignarit sexies, nempe, quod cupiat alios lucrifacere, ac seruare, ut præter rationem uideatur, iam demum uelle rationem tradere, ob quam sit omnibus omnia factus. Nisi uelimus uni rei duas causas finales reddere, ut dicamus Apostolum omnibus omnia primum ob id esse factum, ut aliquos seruaret, deinde & ob id, ut ipse Euangelij particeps fieret.

2 Si ad posteriorem referamus, intelligendus erit Apostolus rationem uelle reddere non eius, quod omnibus omnia sit factus, sed eius, quod dixit, ut omnino aliquos seruem, id est, eius studij ac propositi, quod habebat in lucrandis ac seruandis per Euangelium mortalibus. Vt ostendat se non ideo cupere plures lucrifacere, ut terrenum aliquod ex illis emolumentũ capiat, ut solebant pseudapostoli, de quibus in Galatis dicit, circumcidi uos uolunt, ut in carne uestra glorientur, sed ut Euangelij, hoc est, ut Ambrosius exponit, uoluntatis ac finis Euangelij, salutis scilicet mortalium, particeps fiat, uel ut palmæ & coronæ, quæ promissa est fidelibus Euangelij ministris, particeps fiat, de qua alibi scribit: Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi in illo die iustus iudex. Item secundæ Timothei primo: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.

2.Tim.4.

Et certe facile est Apostolo Christi Euangelij gloriam, quæ fidos ministros manet, consideranti, nihil non illius gratia facere ac pati, utut molestum & arduum. Rursus, nisi illa ob oculos sit, arbitror difficillimum fore, ut hoc Apostoli studium imitetur Euangelij minister. Nam aut metu crucis absterrebitur, aut fastidio languescet, aut affectatione terreni cuiusdam emolumenti prorsus auocabitur, uel certe corrumpetur. Opus igitur est, ut nunquam non ad Euangelij gloriam prospiciat, certus olim fore, si syncere ac fideliter Euangelio collaborauerit, ut Euangelij quoque particeps fiat. Quemadmodum si agricola benedictione semẽtis, in qua laborauit sedulo, ubi matura fuerit, potiatur. 2.Timoth.2. Agricolam qui laborauit, oportet primum de fructibus accipere. Hac de re uide Matthæum uigesimoquarto, & uigesimoquinto. 1.Pet.5.

Quod ad hunc modum hanc particulam expono, de gloria futura quæ manet Euangelij præcones, si fideles permanserint, in munere & labore concredito, non hinc est quod præter uerbi ministros neminem putem Euangelij fore participem, id est, consortem eius felicitatis, quæ per Euangelium mortalibus offertur, cum ad hanc felicitatem accessus sit non solum Euangelij prædicatoribus, sed & omnibus illi fidem habentibus, & ex animo obtemperantibus, unde & uirtus Dei uocatur Euangelium, ad salutem non dicit omni prædicanti, sed omni credenti: sed quod singularis sit parata corona Euangelij ministris, ad quam non dabitur aspirare, nisi ei qui in opere domini fidelis fuerit. Alioqui, si infidelis quisquam fuerit, adeoque piger & inutilis, proijcietur in tenebras exteriores, Matthæi uigesimoquinto.

Proinde, quod dicit, ut Euangelij, idem est, atque, ut Euangelici fructus, qui ex illius est prædicatione dum credentes saluantur, olim consors fiam ubi Christi ministris immarcessibilis dabitur gloria.

Quid ergo? mercedem tanquam mercenarius ita affectabat Apostolus, ut huius gratia ista faceret? Atqui alibi ita cupiebat Iudæorum salutem, ut illorum gratia optarit anathema esse à Christo. Quomodo hic dicit, se ideo omnibus omnia factum, quo aliquos

Rom.9.

 seruet,

seruet, ut huius gratia Euangelij particeps fiat, palmam adepturus olim & coronam fidis Christi ministris promissam? Chrysostomus diserte hic negat Apostolum alicuius ista mercedis gratia fecisse, sed ob id ita scripsisse, ut Corinthios alliceret, ut & ipsi cœlesti hac spe inducti omnia fratrum gratia facerent. Alioqui, nisi hoc uoluisset, quid opus erat ista scribere, cum nihil fauoris hoc sensu adferre potuerunt? Ita & Timotheo scribens, coronæ meminit, quam sit olim accepturus à domino, absque dubio hoc illum pacto erigere & animare cupiens, ut & ipse in opere domini fortiter & alacriter pergeret.

Sed adhuc, inquis, manet quæstio. Non enim hoc quæritur an Apostolo tantum liceat spe lucri & præmij quæ ad mortalium salutem & regni Christi profectum utilia sunt facere, sed an Christi ministro cuicunque, id cōpetat. Iam si competit, cur non & ipsi Apostolo? Si Apostolo non licet, nec alijs licet. Quid ergo ista ad illectionem aliorum scribit?

Respondeo. In se quidem sinistri quid habet intuitu præmij seruire Christo. Verum quoniam infirmi sumus, ut homines, & humanis nonnunquam affectibus, in rebus bonis utcunque alimur & sustentamur, præsertim in tentationibus, non est pręter rationem, ubi aduersa imminēt Christi ministro, spe gloriæ futuræ animare imbecillem & tentatum animum. Huius multa sunt exempla non solum in apostolicis literis sed & in Christi uerbis, ut Matthæi quinto: Merces uestra multa est in cœlis. Et capite decimonono. Sedebitis super sedes, &c. Et Lucæ. duodecimo. Noli timere pusille grex, placuit patri meo dare uobis regnū. Hinc tamen non debet colligi, quod repræhensione careat, si quisquam uelit nullo alio respectu seruire domino quàm futuri præmij. Nec ita solent uere sancti, qui etiamsi nihil esset promissum præmij, ex amoris tamen affectu ad seruiendum domino sunt propensissimi.

Et Matth. 24.25.

An nescitis, quod qui in stadio currunt, omnes quidem currant, sed unus accipit præmium. Sic currite, ut comprę hendatis. Omnes autē qui certat, per omnia temperans est, illi quidem igitur, ut perituram coronam accipiāt, nos au tem, ut æternam. Ego itaque sic curro, ut non in incertum, sic pugilem ago, non uelut aërem feriens, uerum subijcio cor/ pus meum, & in seruitutem redigo, ne quomodo fiat, ut cum alijs prædicaue/ rim ipse reprobus efficiar.

Quia dixit se propterea ad lucrandos mortales omnibus factum esse omnia, & cum liber esset ab omnibus, omnibus se constituisse seruum, ut Euangelij particeps fieret, id est, ut coronam Euangelij ministris, si fideles fuerint, repositam, acquireret, instituit adiectis similibus studium hoc suum declarare & illustrare, ut Corinthios suo exemplo ad idem propositum alliceret. Similia autem quibus utitur duo sunt, primum de illis sumptū qui in stadio pro brabio currunt, alterum de pugillari certamine, utrinque non est satis currere, uel pugno cędere, nisi conatus in certum abeat & certantem uoti reddat compotem, ut qui currit, præmium cuius gratia currit rite currendo appræhendat, & qui pugno certat, certando uincat. Ita innuere uult, non esse satis homini Christiano, si qualemcunque conatum ad hoc impendat, ut cœleste brabeion acquirat nisi talem impendat, ut uictor euadat. Sed quomodo ista similia adaptet, in ipsa textus expositione uidebimus.

AN nescitis.] Quod Corinthios alloquitur ad hoc facit, ut intelligant hæc omnia se ipsorum scribere gratia. Alioqui poterat post præmissa dicere, sciens quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, &c. si simpliciter de studio & conatu suo dicere uoluisset. Vt autem ostendat, uel certe moneat, quàm contra communem sensum sit, brabium acquirere eum, qui non currat legitime, id est, Euangelij participem fieri eum qui in cursu Euangelij non rite se gerat, non solum uulgaribus similibus utitur, sed rogat primū, an tam sint stupidi, ut ista non obseruent, cum debuerunt uel ex uulgari consuetudine & æquitate illorum, de quibus scribit, admoneri. Hoc est quod dicit. An nescitis, &c.

QVI in stadio currunt.] Pulchre comparat Christiani nominis professionem non stationi ociosæ, quæ pigrorum est & inutilium hominum, sed stadio, in quo currendi & certandi studium exercetur, qui locus laborum & studiosorum conatuum est, non torporis & negligētiæ. In hoc stadio non est ociose stādum sed relictis posterioribus semper ad anteriora tamdiu & tanta contentione properandum, ut tandem ad propositam metam pertingentes cœleste brabeion appręhendamus, ut recte alicubi dicat Nazanzenus, οὐ βούλεταί σε ὁ λόγος ποτὲ ἐν ταυτῷ μένειν, ἀλλ' ἀεὶ κινητὸν εἶναι. ἂν ἁμαρτάνῃς ἐπιστρέφοντα, εἰ κατορθοῖς, ἐπιτείνοντα. Id est. Non uult te doctrina ista in eodem aliquando consistere, sed semper moueri, ut si peccaueris, reuertare, si uero recte feceris, ad ulteriora progressum intendas. Vt igitur in stadio non plus stando proficitur quàm retro gradiendo, ita & in Christianismo sine fidei & pietatis incrementis & quotidianis progressibus non magis ad præpositam metam peruenitur quàm si quis retrogrediatur & ad priora dilabatur.

Omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeon.

De dictione brabij uide annotationes Erasmi. Conditionem & משפט eorum qui in stadio currunt exprimit, & ad propositum suū adaptat. Ita solet fieri in stadio, ut nō mox brabeion

beion appræhendant, quotquot in stadiũ descendunt, & unà cũ alijs currunt, sed brabeion maneat eum qui currendo legitime uictor euaserit. Hoc est quod dicit: Omnes quidẽ currunt, sed unus accipit brabeion. Id est. Quemadmodum in stadio non est ad consequendum palmam satis simpliciter currere, nisi ita curras ut currendo uincas, ita & in Christianismo non est satis fidei & pietatis cursum aggredi cum reliquis Christianis, nisi hũc ita teneas, disponas, intendasq; ut propositam cœlestis gloriæ palmã uictor appræhendas. Nisi enim hoc fiat, ut nemo putat iniquum esse si palma negetur ei, qui quidem cucurrit cum alijs, ad metam autem legitime non peruenit, & detur ei qui non solum inter currentes fuit, sed & legitime cucurrit, & currendo uicit, ita certe nemo sperare debet cœleste præmium his posse obtingere qui nominetenus tantum Christiani in stadio pietatis legitimũ cursum non ad finem usque tenuerint. Itaque omnes quidem Christiani uocamur, & uideri uolumus qui ad metam cœlestis brabij currendo tendamus, uerum brabeion ipsum non appræhendent omnes. Quare? Quia non omnes legitime ac serio, ut par erat, in hoc stadio currimus.

His uerbis Apostolus torporem excutit pigris ac negligentibus, ut cogitent sicut & alibi dicit: Non coronandos esse, nisi eos, qui legitime certauerint, atq; ita ad futuram palmam cœlestis gloriæ prospicientes ad uerum ac legitimum pietatis Euangelicæ cursum accingantur.

2.Tim.2.

Notandum autem est quàm pulchre simul hæc uerba, si rite expendantur, contra desperationem faciant, & diffidentiam eorum qui ubi audiunt paucos fore saluos, spe obtinendi brabij destituuntur, currendiq; studium remittunt. Isti saltem conatus eorum imitentur qui in stadio currunt. Hi sciunt certo, non omnes fore uictores. Sed uni tantũ, qui reliquos uincat, competere palmam, & tamen omnes currunt. Vt quid hoc faciunt? Quoniam scilicet omnes spe potiundæ uictorię ducunt. Quanto magis in hoc pietatis stadio diligenter currendum est omnibus, ita ut nemo sit qui de brabeio cœlesti appræhendendo desperet?

SIC currite ut compræhendatis.] Non dicit: Sic currite, ut uideamini currere, sed, ut cõpræhendatis. Alioqui nihil proderit currere, si non datur compræhendere. Complectitur autem similitudinis nota οὕτως, sic, hæc omnia. Primum spem obtinendi brabeion, deinde animum ad currendum appositum. Tertio legitimum studium & constantem in perdurando tenorem. Ista si adfuerint, certe mediante gratia Dei poterit appræhendi palma. Mediante, inquam, & gubernante gratia Dei. Nam alioqui scriptum est: Non est currentis nec uolentis, sed miserentis Dei, ne quis uelit nostris conatibus dare, quod non est nisi gratiæ Dei.

A

Caute autem non dicit: Sic currite, ut unus uestrum appræhendat. Sed ut appræhendatis, indicãs hoc discriminis esse inter brabeion terrenum & cœleste, ut in cursu Christianismi non uni tantum liceat palma potiri, sicut in stadio corporalis cursus, sed copia sit & potestas omnibus appræhendendi brabeion, si rite currant. In stadio terreno certamen est inter ipsos currentes, ea conditione, ut nequeat quisquã eorum uincere, nisi reliquis deuictis & à consequutione palmæ reiectis. Deinde ita proponitur brabeion, ut ei tantum competat qui omnium uictor currendo primus ad metã pertigerit. Hic uero in pietatis studio, nec tale est inter currentes certamen, ut nisi deuictis reliquis non liceat potiri uictoria, nec talis est brabij propositi conditio, ut uni tantum qui primus adcurret destinatum sit, sed summus est συντρεχόντων consensus, & licet cuiquam absque aliorum incommodo uincere, imò & reliquos ad uictoriam sine suo detrimento aut impedimento iuuare, ut non cum minore gloria cum multis palma potiri liceat, quàm si solus quisquam uincat. Certamen enim in hoc cursu est non contra συντρέχοντας fratres, qui non uincendi, sed iuuandi sunt: Sed contra malignos spiritus, peccatum, carnem & sanguinem, omnis generis impietatem, & mundum hunc peruersum. Hæc portenta sunt uincenda, non quod & ipsa una pro cœlesti palma appræhendenda nobiscum currant, sed quod nos ab intentione cursus remorari ac perdere conantur.

B

Et ipsum brabeion ita propositum nõ est, ut ad eum tantũ pertineat qui primus ex currentibus ad metam pertingat. Absit. Omnes manet quotquot ab initio mundi ad finem usque in hoc pietatis studio cursum constantem ad propositam fidei metam tenuerint, ita ut posterioribus nihil noceat quod sero adcurrunt, & prioribus nihil sit prærogatiuæ, quod posteriores in hoc cursu præuenerunt. Prioribus nanque ut in epistola ad Ebræos capite undecimo scribitur, expectandum est, donec postremi adueniant, ut non detur illis accipere remissionem, Deo aliquid melius pro nobis prouidente, ne sine nobis consummentur.

Ebr. 11.

Omnis autem qui certat, per omnia temperans est.

Πάντα ἐγκρατεύεται, id est, κατὰ πάντα. In omnibus continens est. Vetus sic, ab omnibus se abstinet. Quæ uidelicet certaturo sint noxia & impedimento futura. Nec abstinet solum à nocituris, sed & quæcunque profutura sunt adaptando & accommodando corpori, utut grauia & molesta, magna patientia perfert. Ista pertinent ad studium ac diligentiam animi, serio se ad certandum adaptantis. Hic multa tolerat molesta, à multis abstinet alioqui licitis & iucundis. Quare? Quia conditionem propositi sui talem scit esse, ut si uelit nihil ferre du-

re duri, sed magis quibuslibet pro libidine uti, frustra sit initurus certamen, corpore adhuc delicato & ad certandum prorsus inepto. Cogitat singulari opus esse studio in disponendo & exercendo corpore, ut reddatur uel ad currendum agile, uel ad certandum impigrum & commodum, ideo studiose curam illius gerit, spe uictoriæ.

Si hoc facit qui perituri brabij gratia certat, quomodo non magis nos, qui pro cœlesti & æterno certamus? Ita argumento à brabiorum cœlestis & terreni discrimine sumpto, pudefacit eos quod in studio certandi superarentur ab illis qui perituræ coronæ gratia certantes, tantam ostendunt continentiam simul & patientiam, tanta possunt ferre incommoda, & à delicatis sese continere, etiam licitis, una uincendi spe inducti cum interea isti ne ab eidolothytis quidem sese cõtinere sustinuerint, Euangelij gratia.

Adimitur nobis istis similibus omnis excusatio, ut non sit ullus locus cõquerendi de impossibilitate perferendi quę dura & continẽdi à delicatioribus & proposito nostro nocituris, cum uideamus tantum patientiæ & continentiæ in filijs huius sęculi, uel pro inani gloria uel ut terrenas opes acquirant aut ut liberius postea uiuere liceat, studiose certantibus. Nam si illi tantum possunt spe rerum pereuntium & fluxarũ, nos si spem haberemus æternorũ bonorũ quomodo non plura possemus?

EGO itaq; sic curro, ut non in incertum.] Redit ad suum exemplum, & in se declarat simul qua spe & quo studio cursui pietatis sese accommodare debeant. Currere in incertum, & aëra pugno uerberare, est omnem currendi & pugnandi operam ludere, ut fit ab illis qui nec de brabio appręhendẽdo persuasi, nec de scopo quem petere debeant instructi, temere currunt & uerberant cum diffidentia, adeoq; remisse & frustra. Dicit itaque se non in incertum currere, aut aëra uerberare, hoc est, non esse incertum de brabio cœlesti, nec ignarum scopi qui sit petendus atque ideo cursum tenere certum constantem & recta ad metam properantem, id quod nihil est aliud, q̃ quod suprà dixit, omnibus se factum omnia ut uel aliquos seruet, idq; propter Euangelium, ut illius particeps fiat. Hic erat rectus ac certus cursus, quem uolebat imitari Corinthios. Cursus uero incertus, & aëris percusio erat, quod ipsi in libertatis ostentationẽ eidolothytis uescebantur, deque scientia, quod eidolum nihil esset & quod unus sit Deus, plurimum gloriabantur, & non tam spectabant quid ad ædificationem faceret infirmorum quàm quod ipsis liceret.

Opus est itaque in hoc cursu, ut adsit certa consequendi brabij spes, deinde, ut metæ propositæ non simus ignari, ad quam tendamus. Pestilens igitur est ea doctrina, quæ docet salutis incertitudinem, hominem scilicet scire nõ posse, an sit in gratia uel nõ sit. Qua certitudine & spe curret qui de gratia Dei dubitat?

2 Rursus & ea doctrina noxia est, qua docetur Deo placere quicquid bono animo fiat. Quasi nõ sit præfixus certus scopus, quem petamus. Currendum est certa uictoriæ spe, sed currendum est nõ extra stadium. Viuendum est non secundum rationis nostræ regulã, sed secundum diuinæ uoluntatis placita si uoluerimus legitime currere.

VERVM subijcio corpus meum & in seruitutem redigo.] Ad certum cursum tenendum opus est ut suprà dixi continuo formandi corporis studio. De hoc loquitur, & quod in simili proposuit, iam in suo exẽplo aperit. Multa est corporum nostrorum corruptio, & ad ea quæ pietatis exercitium concernũt ineptitudo, deinde multũ inest illis etiam inobedientiæ, aduersus moderamen spiritus. Itaq; nisi uelimus periclitari, coërcenda sunt & reprimenda, ut non dominentur per carnis desyderia, cursumque hunc remorentur ac nos perdant sed ut spiritui seruiant instar iumentorum. Hoc fit per continentiam, abstinentiã, & patiẽtiam, labores, uigilias, ieiunia & id genus alia exercitia. Hoc scilicet est quod dicit se subijcere corp⁹ suũ & in seruitutẽ redigere.

Pulchre autem utitur uerbis ὑπωπιάζειν & δουλαγωγεῖν. ὑπωπιάζειν est plagis aliquem in facie liuidum & suggillatum reddere, sicut solet contingere contumacibus & immorigeris qui ad seruiendum plagis adiguntur. Vtitur hoc uerbo sensu metaphorico, pro castigatione corporis, ut & uetus reddidit. Non enim faciem suam uerberãdo liuidam reddidit Apostolus sed diligenti abstinentia & competenti exercitio castigauit & macerauit, ut ad seruiẽdum spiritui redderetur aptum & morigerum. Seruus bene saginatus, ineptior est ad seruiendum, & contumacior quàm qui rite obtemperet iussis heri. Vnde & nos Germani de talibus dicimus, Das fuoter ligt inen zuo nach, causam contumaciæ & petulantiæ asignantes. Idem sentiendum est de corporibus nostris.

Ne quomodo fiat, ut cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.

Ratio est. 1 Ne reprobus fiat. Hoc est, ne inter eos sit, qui non rite currunt, adeoque nec brabio potiuntur.

2 Idque cum singulari pudore ac turpitudine quod alijs cum prædicauerit, quomodo sit currendum & obtinendum brabium, ipse suam ipsius non sit sequutus doctrinam. Turpe enim est doctori cum culpa redarguit ipsum.

CAPVT

CAPVT X.



NOlim autem uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem comederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Biberũt enim de spirituali, quæ sequuta est petra. Petra uero erat Christus. At plures illorum haud approbauit Deus. Etenim prostrati sunt in deserto.

Totum hoc caput ad idem cum præcedentibus duobus propositum facit. Proxime præcedẽti Apostolus suo Corinthios exemplo ad hoc inducere uoluit, ut libertate quã in Christo prætexebant, & qua eidolothytis temere uescendo grauiter abutebantur, non ad offendiculum infirmorum, sed magis ad ædificationem uterentur, nec spectarent quid sibijpsi licere putarent, sed potius quid conduceret infirmis. Hoc uero præsenti capite ferè ad calcẽ usque, alio argumento utitur, admonens eos, ut si charitatis & ædificationis ratione suoq; exemplo permoueri nolint, permoueantur saltem iræ diuinæ & proprij exitij metu. Huc usurpat ueterum Israëlitarum exempla, inq; illis spectandum proponit, quid futurũ sit ipsis si illorum uestigijs ingredi uelint.

NOLIM autem uos ignorare fratres.] Paulò suprà cum de re Gentibus & nota & usitata loqueretur, non dixit: Nolim uos ignorare fratres, sed, An nescitis quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium? Hic uero nõ dicit: An nescitis? sed, nolim uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes per mare transierũt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari, &c. Nam quæ adducturus erat exẽpla Gentilia nõ erant, sed ex sacris priscorũ Israëlitarũ historijs deprõpta, quarũ Corinthij ex Gentibus Christiani nullã dum uel certe modicã ac tenuẽ cognitionẽ habebant. Cum autem essent illis ad doctrinam & admonitionem utiles, admonet eos ut harũ sibi cognitionem parent, in quibus quasi in speculo quodam uideant, quid caueant, quid sequantur. Haud modicæ prudentiç est, ex alienis periculis reddi cautum. Et hoc consilio non dicit: Significo uobis quid patribus nostris acciderit, sed, Nolim uos harum esse rerum ignorantes. Monet eos, ut scripturas sacras inspiciant, scientesque illarum esse curent. Vtinam sic animati sint erga populum Christi, qui se successores apostolorum esse gloriantur, ut & ipsi nolint fideles ignorantes esse sacrarũ scripturarum. Quàm autem diuersum agant, & totis in id uiribus incumbant, quo plebẽ subiectam à lectione scripturarũ arceant, adeoq; non cum Paulo dicant: Nolumus uos ignorãtes esse, sed cũ Antichristo, Nolumus uos scientes esse scripturarum, quis est qui non uideat? Nouit Satan ignorantiam scripturarũ esse matrem omnium errorum. Sic Christus Sadducæis dicebat: Erratis nescientes scripturas. Et Chrysost. Hinc omne malum est, inquit, quod scripturæ ignorantur.

QVOD patres nostri omnes.] Maiores Israëlitarum intelligit, quos Deus ex Ægypto per Mosen eduxit. Hos ecclesiæ ex Gentibus collectæ proponit, quatenus & ipsi populus Dei existentes seueritatem iusti illius iudicij fuerãt experti, eaque in re exemplum cunctis posteris facti, unde admonerentur, non esse irritandum dominum.

Non dicit autem simpliciter, quod patres nostri, sed, quod patres nostri omnes, non q omnes illorum maiores ex Ægypto educti, & sub nube fuerint, perque mare transierint, & de manna cœlesti ederint, &c. sed quod qui tũ in uiuis erant cum educerentur, educti essent omnes, horumque participes facti. Et sic loquendo omnem Israëlis ac populi Dei ecclesiam complectitur, inque illa consyderandum proponit, cuius ecclesiam Noui testamenti ex Gentibus collectam admonendam esse duxit. Id suprà sic proposuit: Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium. Sic currite ut comprehendatis. Idẽ hic monet per exempla maiorũ populi Israëlitici, quibus hoc ipsum usuuenerat, ut omnes quidem currerent, pauci uero præmium apprehenderent.

Et hanc summã diuidit in duas partes, quarum prima uniuersalem gratiæ Dei communicationem, altera abiectionem ac reprobationem plurium habeat. Ad primam pertinet, quod uniuersalem quinquies repetit, dicens: Omnes sub nube fuerunt, omnes per mare transierunt, omnes baptizati fuerunt, omnes ederunt, omnes biberunt, quibus nihil uult aliud quàm quod suprà dixit, omnes quidem currunt. Ad alteram uero, quod subiungit, sed plures illorũ haud approbauit Deus, etenim prostrati sunt in deserto, quod ad id pertinet quod suprà dixit, unus accipit præmiũ. Quasi dicat. Quæ in imagine currentium delineaui, ne putetis nobis qui in stadio Christianæ pietatis currimus haud esse timenda, consyderate exempla maiorum nostrorum, ac uidete, an non illis ea acciderint. Ecquomodo nos poterimus esse securi, ne idem patiamur, si consimili præuaricatione patientiam Dei irritauerimus?

SVB nube fuerunt.] De columna nubis loquitur, in qua Deus ante populum suũ in deserto præcessit. De hac legimus Exod. 13. in fine capitis ad hunc modum: Profectiq; de Sochot, castrametati sunt in Ethan in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat

bat eos ad ostendendam uiam per diem in columna ignis,ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquã defuit columna nubis per dié, neque columna ignis per noctem. Itaque nubes ista ad hoc erat populo Dei data,ut externo hoc inuolucro de præsentia Dei angelico ipsos ministerio ducentis ac simul protegentis admonerentur,imò certi redderentur. Vnde & cap.14.de illa sic legimus: Tollensque se angelus domini, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis,priora post tergum dimittens, stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israëlis. Et erat nubes tenebrosa & illuminans noctem, ita ut ad se inuicem toto noctis tempore accedere non ualerent.

Duplex itaque erat columnæ huius usus. Vnus ducendi populum in itinere Solitudinis,alter protegendi illum cùm ab aduersarijs tum ab ęstu Solis,qui in Solitudinibus regionum illarum solet esse intensissimus. Accedebat & tertius, de quo est Exod.16.19.24.33.34. & 40.quod per nubem,uidelicet, apparere soleret dominus,& loqui cum Mose. Quoniam igitur in uniuersum omnes horum fuerant beneficiorum participes,dicit hic Apostolus: Omnes sub nube fuerunt.

Sub cœlo sumus omnes, & homines & bestiæ. Quid igitur magni est,quod Israëlitæ sub nube fuerunt? An cœlum non est maius, illustrius,ac potius nube? Plane. Verum Apostolus non id intelligit quod uulgari modo simpliciter & sub qualicunque nube fuerint, sed loquitur de communicatione gratiæ,præsentiæ,directionis ac protectionis Dei per nubẽ ministerio angelico administratæ, ut sub nube fuisse, idem sit,quod fuisse sub gratia diuinæ directionis ac protectionis. Hanc gratiæ Dei communicationem, in eo consyderandã proponit,quod uniuersalis fuit omnium. Aliàs poterat dicere: Quod patres nostri omnes in Ægypto fuerunt, Pharaoni seruierunt, desertum pertransierunt,&c. Vel: Quod Mosi loquutus est Deus per nubem.

Quæstio. Sed quærat hic forsan aliquis, quid sibi uoluerit Deus quod per nubem populum suum in deserto duxit ac protexit, cũ inuisibili sua prouidentia & potentia haud minus illi adesse posset, quàm per rem aliquam externam. Deinde,ubi placebat externæ ac uisibilis alicuius rei ministerium,cur nõ lucidius aliquid & illustrius usurpauerit quàm sit nubes, quæ utut lucida fuerit,longe tamen infra eam erat claritatem quæ diuinæ naturæ ac maiestatis posset repræsentare splendorem?

1 Respondeo. Primum propter ruditatem populi rebus spiritualibus & inuisibilibus minus assueti,ne se omni putaret esse numine destitutum, opus erat uisibili aliquo gratiæ huius inuolucro, in quo fide præsentis Dei ductoris ac protectoris aleretur, & in ordine retineretur. Nam ita cõparata est humana infirmitas, ut inuisibilis Dei gratiam ac præsentiã A ægre capiat, nisi sub externo aliquo signo & inuolucro exhibeatur. Nam aliàs sola fide animi exercitatos sensus habẽtis capitur. Et hinc est quod Gentes absque usu imaginũ nec numinis præsentiam, nec uerum cultum Dei agnoscere potuerunt. Vnde ille Iudaicæ religionis irrisor dixit: Nil præter nubes & cœli numen adorant.

2 Deinde quoniam sub re aliqua uisibili erat ei populo cœlestis gratiæ exhibenda præsentia, opus erat tali quæ & cœlestis esset, & simul humanæ imbecillitati tolerabilis. Splendorem nanque diuinæ maiestati competentẽ humanus conspectus ferre non potest. Sic Exod.33.cum dixisset ad dominum Moses: Ostende mihi faciem tuam. Item: Ostende mihi gloriam tuam. Responsum est illi: Non poteris uidere faciem meam. Nõ enim uidebit me homo & uiuet, &c. Imò ne Mosi quidem faciem inspicere potuit populus, & quomodo faciem, id est, gloriam Dei uidere posset humana infirmitas? *Exod.34.*

Pulchre itaque hæc nubes eam dispensationem Dei repræsentabat, qua suam ille nobis præsentiam ita attẽperat, ut nostro sit captui tolerabilis, id quod mille modis facit, donec in hac carne uiuimus. In futura uero uita præsentiam Dei haud obnubilatam, sed facie ad faciem contemplabimur. Sic dicit Apostolus infrà cap.13. Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc uero facie ad faciem. Nimirũ B nunc uiget exercitium fidei, quod posteaquã hinc migrauerimus cessabit, nec opus ullis erit inuolucris & obnubilationibus, ubi coràm omnia quæ nunc credimus & speramus, plena felicitate contemplabimur.

OMNES per mare transierunt.] Hanc historiam legimus Exo.14. Magnum sane ac stupendum erat hoc diuinæ potentiæ opus, quo populus ex Ægypto liberatus, ut prorsus de manibus Ægyptiorum eriperetur, per maris est alueum traductus. Quare cum dicit: Omnes per mare transierũt, idem est ac si diceret: Omnes plenam sunt liberationem ex Ægypto cõsequuti, omnes manum Pharaonis per transitũ maris euaserunt. Sic è discrimine pręsenti cõmuniter erepti fuerũt omnes, quo gratia hęc liberationis ei populo prorsus esset uniuersalis, & omnibus indiscriminatim communis. At introitus terræ promissæ nõ omnibus est illis qui per mare transierũt cõcessus. Qua in re admonemur quantum malum sit nõ constanter adhærere uerbo & promissis Dei. Vbi legimus eos qui per hunc maris transitum reipsa fuerant potentiam Dei experti, per diffidentiam & impatientiam retrocessisse, contraque dominum murmurasse, adeoque post tam luculenta illius beneficia ingressu terræ sanctæ indignos sese reddidisse, cogitemus q̃ sit necessarium, ut summa cura in gratia Dei permanere satagamus.

OMNES in Mosen baptizati sunt, in nube & in mari.] Si totam nubis huius & transitus historiam

historiam uoluas ac reuoluas, ne uerbo quidē baptismi mentionem fieri inuenies. Quomodo ergo & quare dicit: Israëlitarū patres omnes in nube fuisse & in mari baptizatos? Respondeo. Accommodat se proposito. Pleriq; Corinthiorum propter baptismum plurimū insolescebant, quemadmodum statim initio epistolæ huius uidimus, adhæc, sacramento quoque dominicę cœnæ enormiter abutebātur, & interea horum mysteriorum fiducia cū delinquerent in multis salutem sibijpsi pollicebantur. Vt igitur admonerentur, quàm inanis esset hæc fiducia, tribuit Israëlitis quoque eorundem mysteriorum communicationem, idque generaliter omnibus, ne dicerent Corinthij nihil ad se pertinere illorum exempla. Sic dicit: & omnes baptizati sunt, non minus q̃ nos. Et quoniam interrogari poterat, in quem & quomodo baptizati essent, addit, in Mosen, in nube & in mari quibus uerbis exponit, quo modo & in quem fuerint omnes baptizati, simulque aperit, ad quid dixerit: patres omnes fuisse sub nube, perque mare transiuisse. Poterat dicere, & omnes circumcisi fuerunt in Mosen. Verum non respiciens hic ad contentionem quæ de circumcisione à plerisque mouebatur, sed pugnans cum illis qui propter baptismum insolescentes nihilo melius uiuebāt quàm olim Iudæi in deserto, ad hūc modum loqui uoluit: Et omnes in Mosen baptizati sunt, in nube & in mari. Quasi dicat: Ne putetis uos baptismatis & cœnæ dominicæ symbolis tutos esse ab exclusione regni cœlestis. Nisi enim post baptismum iter quod ingresi estis legitima fide, spe, dilectione, & patientia constanter tenueritis, tam non intrabitis in regnum cœlorum, quàm Israëlitæ propter diffidentiam & impatientiam promissam terram non sunt ingresi, quāuis omnes essent in nube & mari baptizati, cœlestisque alimoniæ ac potus participes facti.

Scriptura quidem non uocat nubem & mare baptismum, uerum Apostolus rem ipsam, uel si mauis, mysterium propius inspiciens, idem significat Israëlitis fuisse nubem ac transitum maris, quod nobis in Nouo testamento est baptismus, id quod paucis sic accipe. Populus Veteris testamenti sanguine agni ex Ægypto seruatus fuit, deinde cū eductus esset, per nubem est & transitum maris uelut initiatus in Mosen, hoc est, in pędagogiam illam Mosaicæ legis, quæ postea est in monte Sinah lata. Sic nos sanguine agni immaculati è regno Satanæ liberati in Christum per baptismum initiamur. Deinde nubes separauit eos ab Ægyptijs ac protectioni diuinę inclusit. Sic baptismo seperamur ab infidelibus, & in gratiā cœlestem suscipimur & initiamur. Mare submersit Ægyptios, Israëlitas uero, tanquam populum domini, uelut ex morte uiuos transmisit, & ad iter terrę promissę sanctificauit. Sic baptismus quatenus sacramentum est remissionis peccatorū, peccata nostra submergit, & nos ad iter

A cœlestis patriæ morti æternæ ereptos sanctificat. Nube suscepti & per mare sanctificati, paulo pòst doctrinā cœlestem per Mosen acceperunt, ad cuius præscriptum domino Deo suo bona fide ac religiose adhærerent, omneq; suam uitam dirigerent. Cōsimili modo in Nouo quoque testamento initiatis ac baptizatis proponitur doctrina salutis, quam constanter sequantur. Vnde & Christus cum dixisset: Baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritussancti, adiecit, docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi uobis. Propter consimilem hunc cursum primordiorum utriusq; testamenti, uocat Apostolus nubem ac transitū maris baptismum, hoc est, dicit Israëlitis ea id fuisse quod nobis est baptismus.

Tria sunt in baptismo.

Vbi & illa consyderari possunt. In baptismate sunt tria. Gratia cœlestis, uerbum, aqua. Gratia, in quam initiamur, uerbum geminū, præcedens ac subsequens, præcedens, quo institutum est baptisma, subsequens, quo docemur baptizati. Aqua, qua externe sacramentaliter tingimur, initiamur ac sanctificamur. Hæc sunt perspicua. Deinde, aqua semel initiamur, gratia uero, in quam baptizamur initiamur ac suscipimur, donec sumus in hac uita perpetuo fruimur. Iam refer animū ad baptismum Israëlis. Hic est nubes & uerbū, & aqua maris. Nubes symbolum erat cœlestis gratiæ, in quam populus ille suscipiebatur & initiabatur. Verbum erat mandatum Mosi datum à B domino, de mari diuidendo. De nube non extat uerbum. Quia nihil erat in illa quod humano ministerio perficeretur. Quemadmodum in nostro quoque baptismate non habemus. Verbum nisi instituens ac mandans quod faciat minister Euangelij, cum adiecta promissione, qua credenti ac baptizato salus promittitur. Aqua maris, qua populus transeundo ad iter terræ promissæ sanctificabatur, & initiabatur. Hæc sanctificatio per transitum maris semel est facta, nec unquā repetitam legimus. Hanc uolebant reddere irritam, qui de reditu in Ægyptum cogitabāt. Consimiles illis sunt Anabaptistæ, quicquid prætexant. Nubes uero non semel tantum apparuit, sed præsto fuit indesinēter. Sic Exodi. 13. legimus. Nunquam defuit columna nubis per diem neque columna ignis per noctem coram populo. Innuebatur uidelicet, sacramentum quidē gratiæ Dei semel tantum administrari, ipsam uero cœlestem gratiam esse perpetuam. Hisce cogitationibus existimo intelligi posse, quare & quomodo Israëlitas omnes Apostolus in nube & in mari baptizatos esse dicat.

Vbi consyderet diligens Lector. Primum, quid sit baptizari, deinde non baptizari simpliciter sed in aliquē. Baptismus est initiatio, obsignatio, & sanctificatio. Quæ initiantur, obsignātur, & sanctificantur, omnino in alicuius nomen ac peculium initiantur, obsignantur & sanctificantur. Sic non simpliciter dicit Apostolus: & omnes baptizati sunt, sed ad-

dit,

dit, in Mosen. Dicet aliquis. Ecquid discriminis est inter apostolos & Mosen? In nomẽ Apostoli baptizari non licet, & in nomen Mosis licuit? An nõ suprà cap. 1. dixit Apostolus: Nũquid Paulus crucifixus est pro uobis? Aut, in nomen Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo quod neminem uestrum baptizaui, nisi Crispum & Gaium, ne quis dicat, quod in nomẽ meum baptizauerim. Quid ergo est, quod hic Apostolus Israëlitas in nomen Mosis baptizatos fuisse dicit? Respondeo. Multum discriminis fuit inter Mosen & apostolos. Tam ille quidem quàm isti non dominus sed minister domini fuit, uerum ille mediator fuit Veteris testamenti, cuius respectu Christus melioris testamenti mediator Ebr. 8. dicitur, unde & pro ipsa pædagogia lege ac dispensatione Veteris testamenti plerunque ponitur, id quod hoc loco factum esse constat, quale quid de apostolis dici non potest. Præterea, non dicit: & in nomen Mosis, sed, in Mosen baptizati fuerunt omnes. Aliud est in nomen Mosis, & aliud in Mosen, id est, pædagogiam Mosis initiari. Tertio illud quoq; consyderandum est, quod in mysterio hoc baptismi nubem & transitum maris coniungit. Non dicit simpliciter, baptizati sunt in nube, sed addit, & in mari. Nec dicit: Baptizati sunt in mari, sed pręmittit, in nube, & hæc duo, nubem & mare interposita copulationis uocula coniungit. Ergo ne gratiam cœlestem symbolo externo indiuulse connectit? Nequaquã. Nubem & mare connectit. At utraq; symbola erant non res ipsa. In symbolis gratiæ communicarunt omnes, in gratia ipsa non item. Neq; enim omnes placuerũt Deo. Nemo gratię cœlestis uere particeps Deo displicet. Nemo autem incredulus & immorigerus gratię est particeps cẽsendus. Non est autem insolens, quod nubẽ & mare, res à se inuicem diuisas, in unum sacramẽtum cõiungit. Nam & Christus ipse sub pane & uino rebus diuersis eiusdem nobis mysterij sacramentum proposuit. Neq; excusantur hinc papistæ, qui salem, oleum, sputum, & candelã accensam aquæ coniungunt in baptismo. Illic enim diuina est authoritas, apud ipsos uero humana temeritas.

ET omnes eandem escam spiritualem comederunt & omnes eundem potum spiritualem biberunt.] Vide quomodo se proposito accommodet etiam hoc loco. Non dicit, omnes manna comederunt, & aquã ex petra promanãtem biberunt, cum tamen de manna & aqua illa loquatur, sed quemadmodum in pręcedenti particula nõ simpliciter dixit: omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, sed adiecit, omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari, ita hic quoq; ut mysterio cibi ac potus huius expresso argumento suo sese accommodaret, dixit, omnes eandem escam spiritualem comederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, ne quos exemplo hoc Israëlitarum à uana fiducia externorũ

Exo. 16. 17

A signorum reuocare conabatur, mox regereret, ecquid est quod manna comederũt & aquam biberunt? Nos spiritualem cibum ac potum edimus & bibimus, illi terrenum. Et illi, inquit, spiritualem cibum ac potum comederunt & biberunt, perinde atque nos.

Deinde & illud argumento seruit, quod nõ simpliciter dicit: omnes escam spiritualem cõmederunt & omnes potum spiritualem biberunt, sed utrobiq; addit τὸ αὐτὸ, id est, eandem & eundem. Eandem, inquit, escam comederunt, & eundem potum biberunt omnes, id quod argumento huic duplici sensu accommodari potest.

1 Primo sic in tota illa multitudine eãdem omnes inter se escam ederunt, & eundem potum biberunt. Non aliam escam pij, aliam reprobi sed omnes indiscriminatim eandem comederunt, ac consimili modo non alium atq; alium sed eundem omnes potum biberunt, & tamen non omnes Deo placuerunt, sed plures ex illis perierunt, quare uidete ne idem contingat & uobis.

2 Deinde hoc pacto. Omnes eãdem escam nobiscum comederunt, & eundem potum nobiscum biberunt, hoc est, eorũdem nobiscum mysteriorum participes fuerunt, & tamen nõ sunt propterea saluati omnes, & quomodo nos omnes cibi ac potus huius comunicatio seruaret, quæ illos non seruauit? Et hunc sensum sequutus Augustinus, quomodo eundẽ, quem nos, cibum & potum ederint ac biberint Israëlitæ omnes, sic exponit, tractatu super Iohan. 45. Eundem, inquit, potum spiritualem biberunt, spiritualem eundem, corporalẽ non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant de spirituali sequente petra, petra autem erat Christus. Videte ergo. Fide manẽte signa sunt uariata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi, biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem uisibilem intendas, aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt. Hæc ille. Sane utroq; sensu populus ille eundem spiritualem cibum ac potum cum inter se tum nobiscum comedit & bibit.

B

Quæstio

Sed quæsierit hic quisquã, quomodo Apostolus res corporeas & uisibiles manna uidelicet & aquam ex petra, quibus populi illius corpora alebãtur in deserto, & unde ipsa quoque iumenta bibebant, Num. 20. spiritualem cibum ac potum uocet.

Respondeo. Si quod corporale est, uisibile ac palpabile, nullo modo spirituale uocari potest, non uideo quomodo tueamur Apostolũ hoc loco. Si uero aliquo respectu potest esse spirituale, quod substantia corporali constat, facile intelligimus, nõ respicere illum ad substantiam uel Man uel aquæ, sed uel ad originẽ illorum, uel mysterium aliquod, uel usum.

Ambrosius refert hanc loquutionem ad miraculosam

raculosam utriusq; originem, qua citra cõsuetum naturę cursum illud de cœlo, ista ex petra subministrabantur. Et Chrysostomus quoq; hãc rationem adfert, uerum addit de usu quoque dicens: Εἰ γὰρ καὶ αἰσθητὰ ἦν τὰ γινόμενα ἀλλὰ πνευματικῶς παρέχετο, οὐ κατὰ φύσεως ἀκολουθίαν ἀλλὰ κατὰ δωρεᾶς χάριν, καὶ μετὰ τοῦ σώματος καὶ τὴν ψυχὴν ἔτρεφον εἰς πίστιν ἐνάγοντα.

Sane usus utriusq; huius cibi & potus geminus fuit. Dabantur enim ad alimoniam ac sustentationem corporum, & simul ad eum modum, miraculosum uidelicet, ad alendam edẽtium ac bibentium fidem subministrabantur. Etenim si corpora tantũ pascere uoluisset dominus, poterat hoc cõmuni naturæ cursu absque miraculo facere. Et hic erat potissimus usus cibi huius ac potus, faciens ad cibandum edentis ac bibentis spiritum, unde non immerito spiritualis hic cibus, & spiritualis potus ab Apostolo uocatur. Nec insolitum est denominare res à potiori illarũ parte, uel respectu. Sic recte panes illos ac pisces, quibus in deserto dominus populum se sequẽtem miraculosa uirtute pauit, spiritualem escam uocabis. Licet enim populus & corporaliter illos ederet, & corporaliter quoq; pasceretur, sic tamen uirtute insolita exhibebantur, ut non corpora modo, sed & spiritus illorum, ad fidem, uidelicet inducentes, alere possent.

Et hic sensus satis quidẽ rationis habere uidetur, propter quam cibus ac potus Israëlitarum in deserto spirituales ab Apostolo uocari potuerint, meo tamen iudicio, quoniam non simpliciter dicit, & omnes escam spiritualem, & potum spiritualem, sed, & omnes eandem escam spiritualem comederũt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, quatenus non inter se modo, sed & nobiscũ eodem quo nos cibo ac potu spirituali sunt usi, respiciendum hic magis est ad mysterium, in quo nos cum illis cõmunicamus, & cuius respectu noster quoq; cibus ac potus, quem utrunq; secundum Seruatoris institutionem de mensa illius accipit fidelium ecclesia, spiritualis uocatur. Mysterium autem nostræ cõmunicationis est in Christo, pane uitę, ac potu salutis. Ergo illic quoq; mysteriũ Man & aquæ in Christo fuit. Quare & addit Apostolus, bibebant enim de spirituali quæ sequuta est petra, petra uero illa erat Christus. Igitur propter Christum, cibum nostrum ac potum, cuius mysterium in Man & petra deserti adumbrabatur, Israëlitas Apostolus cibum spiritualem comedisse, ac potum spiritualẽ bibisse dicit. Recte ergo Augustinus fide manẽte signa uariata esse, Israëlitasq; pro magno eiusdem Christi sacramẽto aquam de petra profluentem bibisse dicit.

Quæstio II.

Adhuc quæri poterit, quomodo Israëlitæ in deserto eundem nobiscum spiritualem cibum comedisse dicantur, cum Christus neget ipsis uerum ac cœlestem panem datum esse à Mose, dicens Iohan. 6. Non Moses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim uerus est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Et Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic & panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descẽdi, &c. quibus utiq; uerbis & negat eos uerũ panem comedisse, & inter id quod illi ederunt & se panem uerum quem nos edimus, discriminat. Quomodo ergo eundem nobiscum spiritualem cibum manducarunt?

Respondeo. Manna quod manducarunt patres, nõ sic spiritualis cibus fuit, ut esset uerus panis dans uitam mundo, sed ut esset illius sacramentum. Christus igitur loquẽs Iudæis de hoc manna carnaliter & absq; scientia mysterij illius, ac simul de Mose contra ipsum gloriantibus, ut inanem ipsorum gloriationem refutet, negat Mosen uerum panem dedisse, sed dari hunc à patre affirmat, deinde inter se panem uitæ & manna discriminat, ut illius infirmitatem perstringẽs ad se uerum uitæ panem quosuis inuitet. Hæc autem non eo sunt dicta ut negetur manna aliquo modo spiritualem fuisse cibum, hoc est, ueri cibi sacramentum, & hactenus patres eundem nobiscum cibum comedisse. Christus loquutus est de manna simpliciter, ut de cibo corporis contra carnales Iudæos uentris ac perituri cibi seruos, Paulus uero ut de cibo mystico & sacramentali, contra pseudochristianos sacramẽto cœlestis cibi abutentes, & interim de illo præsumentes. Sic alio atq; alio respectu diuersimode de re eadẽ sunt loquuti.

Quæst. III.

Rursus dicet quisquam. Si manna & aqua de petra, cibus ac potus spiritualis, & sacramẽtũ corporis ac sanguinis domini fuerunt, quare in deserto tantum & non etiam in ipsa terra Canaan perseueranter sunt toto Veteris testamenti decursu ad ipsum usq; Christum exhibita, quẽadmodum nobis toto Noui testamenti tempore ad reditum usq; Christi sacramẽtum corporis ac sanguinis illius subministratur.

Duo sacramentorum genera.

Respondeo. Duo sunt sacramentorum genera. Vnum eorũ quæ mirabili & insolito modo administrabantur. Alterum eorum quæ citra miraculum externum geruntur. In priori non est certa institutio, sed libera diuinæ prouidentiæ dispensatio. In posteriori uero institutio est certo uerbo expressa, ac toto testamẽti tempore durans. Ad prius genus pertinent nubes ac transitus maris, manna item & aqua de petra. Hæc sunt populo rudi modis insolitis, cum miraculo attemperãter, partim semel tantum, utpote transitus maris, partim toto deserti incolatu exhibita, utpote nubes, mãna, & aqua, quo non modo figuris, sed & manifestis miraculis in fide prouidentiæ Dei aleretur. Ad posterius pertinebant Circuncisio & agnus Pascatis, quorũ administratio nihil habebat miraculi, habebat uero certam & expressam institutionẽ toto illo Vet. testamenti tempore durantem. Huc pertinent & nostra sacramenta

menta baptismus & cœna domini quæ & ipsa citra miraculum dispēsantur, & institutionem habent, ad finem usque mundi perseuerantem, & quia per homines fiunt & dispēsantur, suntq; omnibus nota, honorem quidem tanquam religiosa habere possunt, stuporem uero tanquam mira, ut uerbis Augustini utar, non possunt. Habuit igitur populus ille duo sacramentorum genera, etiam in deserto constitutus, quorum unum ad tempus ruditati ipsius seruiebat alterum uero toto Veteris testamenti tempore ad Christum usq; durauit.

De Trin. lib. 3. cap. 10.

BIBERVNT enim de spirituali, quæ sequuta est, petra.] Rationem reddit, quare patres potum spiritualem bibisse dicat, cum aquam terrenam biberint eandem unà cum iumētis. De Manna nihil rationis subiecit, ob quam cibum ipsum spiritualem uocauerit. Etenim illud & substātia sua inusitatū, & modo quoque mirabili cœlitus demissum fuerat, ut facile capi queat, quare illud spiritualem cibum uocet. Biberūt, inquit, de spirituali petra, quæ sequuta est, uel, quæ sequebatur. Ergo aquam illam propterea spiritualem uocat, quod de petra spirituali promanauit. Cum dicit, biberunt de spirituali petra, auocat mentes legentium à petra corporali, ad Christū petram spiritualem, unde & subdit, petra autē erat Christus. Potest & corporea petra spiritualis uocari, propterea quod figura fuit spiritualis petrę. Verum quoniam addit, quæ sequebatur, intelligendum esse puto de ipso Christo. Is enim consequebatur populum in deserto, & aquas illi miraculosa scaturigine subministrabat. Quemadmodum hodie quoq; donec in transitu profectionis nostræ sumus, ecclesiam suam consequitur, illique & panem & aquam uitæ suppeditat, usque dum ad cœlestem patriam uenerimus, ubi Deus erit omnia in omnibus. Sic promisit nobis dicens: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Matthæi ult. Proponitur ergo nobis hoc sensu Christus non modo perpetuus in se durans inde ab initio ad finem usque, ut idem sit heri, & hodie, & in sæcula, sed & cōtinuus populi Dei gubernator mediator ac Seruator.

PETRA autē illa erat Christus.] Sic uisum est legere, quoniam in Græco est ἡ ᾗ πέτρα ἦν ὁ χριστός, quod idem esse uidetur, ac si diceret αὐτὴ ἡ πέτρα præsertim, cum de petra populum illū consequuta loquatur. Quasi dicat. Petra autē illa spiritualis, quæ populum consequebatur, & potum spirituale subministrabat, erat Christus, idem ille qui nos quoque consequitur, ac cibum nobis potumque spiritualem dispēsat. Augustinus intelligit de petra corporea, quā Moses baculo suo percussit, inq; fontem exūdantium aquarum conuertit. Atque ideo exponit, petra erat Christus, id est, significabat Christum. Significabat quidem Christum illa petra corporea & à Mose percussa, ac recte spiritualis uocari potest, uerum quoniam prædicatum hoc consequutionis illi non potest cō-

A modo tribui, existimo Apostolū loqui de Christo spirituali petra, populū consequuta, ideoq; quod dicit: Petra autem illa erat Christus, non esse exponendum, petra illa significabat Christum, sed, quemadmodum uerba sonāt, petra illa, quæ sequebatur eos, erat Christus. Cum nemine tamen hac de re contendero. Si respexerimus ad petram corporalē, illa utiq; Christus non erat, sed Christum figurabat ac significabat, si ad spiritualem, patres illos in deserto consequutā, id est, ad Christum ipsum, non conueniet ut exponamus, petra illa significabat Christum. Neque enim seipsum significabat Christus, sed à petra corporea, à manna, à nube, &c. significabatur.

SED plures illorum nō approbauit Deus, prostrati sunt enim in deserto.] Hactenus uniuersalem gratiæ Dei communicationē absoluit, qua patres omnes baptismatis, spiritualisque cibi ac potus participes fuisse dixit, iam consequenter quod supra ad alteram præsentis causæ partem pertinere diximus, de pluriū reprobatione subijcit, quo comprobet, nō saluari quēquam externorum mysteriorum cōmunicatione, si fides ac ueræ pietatis studium defuerit. Omnes, inquit, baptizati fuerūt, omnes cibum ac potum spiritualem ederūt & biberūt, eundem quem nos edimus ac bibimus, sed non omnes sunt saluati. Nam complures illorum non approbauit Deus. Quare uidete ne quod illis accidit uobis quoq; usuueniat.

B Illud, prostrati sunt enim in deserto, argumentum habet pręcedentis, quo plures illorū à Deo reprobatos esse dixit. Nō dicit, mortui enim sunt, sed, prostrati sunt in deserto. In deserto mortui sunt & Moses & Aarō, & Maria, multique pij senes, priusquam populus ille in terram promissam intraret, de quibus dici nō potest qđ à Deo sint reprobati. Aliud est simpliciter mori, communi lege naturæ, & aliud singulari ultione diuina prosterni, & è medio tolli. Ex posteriori hoc colligit argumentum iræ Dei. Huc pertinent historiæ diuinę ultionis, quas mox subijciet.

Obserua. SED plures illorum inquit.] Ergo non est sequenda multitudo, nec faciendū quod plures in populo faciunt. Neque enim, inquit ille, tam bene cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentū pessimi turba est. Quæramus quid optime factum sit non quid usitatissimum, & quid nos in possessione felicitatis æternæ cōstituat, nō quid uulgo pessimo ueritatis interpreti probatum sit.

NON approbauit Deus, inquit.] Atqui multa illis impendit beneficia, quæ utiq; dilectionis erant indicia. Nemo ergo cum nostri temporis impostoribus securitatem ex eo sibi polliceatur, quod in ecclesiā suam dominus multa beneficia contulit, quasi propterea maior illius multitudo errare ac præuaricari non possit. Christus, inquiunt, diligit ecclesiam suam, quomodo ergo sineret illā tot sæculis errare?

Diligit

Diligit eam, sed plures ex illa nõ approbat, & ab illis ipse non diligitur. Nisi acceptam gratiã bene collocemus placere illi non possumus.

PROSTRATI sunt, inquit, in deserto.] Sic pereundum est in itinere peregrinationis nostræ pluribus, propter diffidẽtiam & incredulitatem. Ergo pauci saluantur. Multi enim uocati, pauci electi.

Hæc autem figuræ nostri fuerunt, ne simus nos concupiscẽtes rerum malarũ, quemadmodũ & illi concupierũt. Neq; simulacrorum sitis cultores, sicut quidã illorum, quemadmodum scriptum est, sedit populus ut ederet ac biberet, & surrexerũt ut luderent. Neq; scortemur sicut quidam illorum scortati sunt, & cõciderunt uno die uigintitria milia. Neq; tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentarunt, & à serpentibus extincti sunt. Neq; murmuretis, sicut & quidã illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis, scripta uero sunt propter admonitionem nostri, in quos termini sæculorum inciderunt. Proinde qui sibi stare uidetur, uideat ne cadat.

Applicat ea quæ de patribus Israëlitarum in medium adduxit, ac declarat quomodo ad propositum faciant, proinde ac si Corinthij fideles dicãt καὶ τί πρὸς ἡμᾶς ταῦτα. Hæc, inquit, nõ sunt ut nuda & obsoleta facta sed ut typi inspicienda, deinde non sunt typi ad nos nihil sed potissimum ac peculiariter pertinẽtes. Ad primum pertinet, quod dicit: Hæc autem fuerunt figuræ. In Græco est τύποι, quam uocẽ posuit pro παραδείγμασιν, id est, exemplis, ut uerti queat: Hæc autem exempla nostri fuerũt. Vnde & Chrysost. inter cætera dicit, ὥστε σωφρονιστέρους γενέσθαι τοῖς παραδείγμασιν ἱκανοῖς. Ad alterũ pertinet, quod non simpliciter dicit: Hæc autem exempla fuerunt, neq;: Hæc autem exempla fuerũt Israëlitarum, sed, hæc autem exempla nostri fuerũt, Christianorum uidelicet. Sic occurrit illis qui poterant ista, tanquam Iudaica & à conditione Christianorũ aliena respuere.

Non est autem hoc obiter sed magna cum ratione dictũ. Quæ Israëlitis tam mala quàm bona euenerunt, exempla fuerunt eorum qui illis in participatione eiusdem ecclesiæ, gratię ac salutis successerũt, nõ illis, qui prorsus omnis cõsortij illorum exortes & ab ecclesia Dei alieni permanserũt. In eadẽ ecclesia duo sunt populi, Israëlitarum & gentium, ex æquo quidem eiusdem fidei ac salutis consortes, uerum hoc ordine, ut Israëlitæ præcesserint, gẽtes uero successerint. Quare ordinis huius lege cõsequitur, ut quæ Israëlitis euenerunt exempla, fuerint fidelium ex gentibus. Ratio exempli est, ut cedat ad cautionem nõ alia uia sed prorsus eadem insequentibus, nec possunt quæ cõ

Ratio exẽpli.

A tingunt prodesse ijs qui præcesserunt, sed ijs tantum qui sequũtur. Ita seruiunt nobis quæ acciderũt Israëlitis & hanc ob causam typi nostri uocãtur ab Apostolo. Ratio potissima est, quod idem nobis cum illis est Deus ac dominus, eademq; ab utrisq; requiritur fidei ac pietatis synceritas, & quod mutatio iudicij & iusticiæ in Deum nõ cadit. Admonemur igitur, quomodo legendę sint nobis sacrę Veteris testamenti scripturæ, haud uidelicet, quasi à nostræ religionis, sortis, ac salutis conditione alienæ sed tanquam exempla nos potissimum concernentia.

NE simus nos concupiscentes rerũ malarũ, quemadmodum & illi concupierunt.] Duo sunt exemplorum genera, fugiẽdarum rerum unum, imitandarum alterũ. Prius absterret ab imitatione, posterius allicit. Ad prius pertinere significans quæ attulit in mediũ Israëlitarũ exempla, dicit: Hæc autem figuræ nostri fuerunt, ne simus concupiscentes rerum malarũ, quemadmodum & illi concupierunt. Sunt autem duæ exempli partes. Factum uidelicet, & euentus uel fructus facti. Factum nec in priori exemplorum genere uim habet absterrendi, nec in posteriori, alliciendi, sed adhibenda est utrobiq; euentuum consyderatio. Exẽpla uiciorum, præcipue si magnis subeant animos authoribus, ut ille canit, magis inuitãt q̃ absterrẽt, uirtutũ uero, q̃uis authoritate maiorum commendentur, prorsus infirma sunt ad

Duo sunt exẽplorũ genera.

Duæ sunt partes exempli.

B alliciendum. Quare proponẽdi sunt ante oculos euentus factorũ, perditio uidelicet reproborum, & felicitas piorum studia cõsequuta. Sic hoc quoq; loco non id tantum in exemplis est Israëlitarũ inspiciendũ, quod mala cõcupiuerunt, sed adiungendum quod pręmisit dicens, uerum plures illorum haud approbauit Deus, sed ꝓstrati sunt in deserto. In eo nãque pars illa exempli est, quæ uim habet à malorum cõcupiscentia absterrendi omnes eos, qui nec displicere Deo nec perire, sed potius placere illi, & ad salutem pertingere cupiunt.

NE simus, inquit, concupiscentes rerũ malarum.] Quid est quod non dicit: ne simus facientes res malas? An nõ peius est facere q̃ cõcupiscere malum? Respondeo. Coram Deo concupiscentia pro facto est. Deinde & radix est facti. Vnusquisq;, inquit Iacobus, tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum cõceperit, parit peccatum, peccatum uero ubi cõsummatum est, generat mortem. Itaq; duplici nomine admonemur, ut fugiamus concupiscentiam rerum malarum: cum quod allicit ad opus peccati, tum quod etiãsi illud non sequatur, ipsa tamẽ corã Deo pro facto reputať, iuxta illud Christi Seruatoris: Qui uiderit mulierẽ ad cõcupiscendũ eã, iã adulteriũ admisit cũ ea in corde suo.

Quæst. I.

Iacobi 1.

QVEMADMODVM, inquit, & illi concupiuerũt.] Chrysost. uisum hoc est generaliter dictum, sic ut quæ sequunť, illius sint species, propterea quod unũquodq; peccatũ ex mala

nascatur concupiscētia. Verū, meo iudicio, habet hæc particula singulare malæ concupiscētiæ exemplum, & referēda est ad historiā quæ Num. 11. legitur. Populus flagrabat desyderio carniū, sedens, flens, ac dicens: Quis dabit nobis ad uescēdum carnes? Recordamur pisciū, quos comedimus in Ægypto gratis, in mentē ueniunt nobis cucumeres & pepones porriq; & cepe & allia. Anima nostra arida est, oculi nostri nihil uident aliud q̄ Man. Hæc erat illorum praua cōcupiscentia. In hanc animaduertit Deus graui ultione. Cum enim adhuc esset caro in ipsorū dentibus, cōcitatus est in eos furor domini, percussiq; sunt plaga magna ualde ac uocatus est locus ille, sepulcra concupiscentiæ. Ibi nanq; sepelierūt populū, qui concupierat carnes. Huius exēpli respectu dehortatur Corinthios Apostolus à consimili praua concupiscentia, dicens: Ne simus concupiscētes rerū malarū quēadmodū & illi cōcupierūt.

Quæst. II.

Sed nascitur hic quęstio, quomodo dicat Apostolus Israëlitas cōcupiuisse res malas, ubi appetebāt carnes, pisces, cepe & allia. Etenim si hæc mala in se erāt, mala comederant in Ægypto, quod tamē nusq; in illis repręhenditur. Deinde, quomodo conueniat hæc admonitio doctrinæ Euangelij, qua hic ipse Apostolus 1. Tim. 4. omnē creaturam Dei bonam esse, nec quicq̄ reijciendum dicit, ubi de interdictu ciborū loquitur, quē spiritus errorum in ecclesiam Christi erant introducturi. Adhæc, si non sunt hæc mala sed bona quomodo repræhensibilis sit concupiscentia rerum non malarum sed bonarū. Respōdeo. Nec mala sunt caro, pisces, porri, cepe & allia, nec male docuit loco citato Apostolus, nec peccarunt Israëlitæ talia comedēdo in Ægypto, nec in deserto talibus uescendo peccassent, nec malum est cibū bonum & necessariū concupiscere, sed ex circūstantijs mala fuit ista Israëlitarū concupiscentia, quibus res in se bonæ malæ redduntur.

Primum ipsi erāt mali, increduli & immundi. Immundis aūt immunda sunt omnia. Deinde fastidiebant cibū cœlestem & panem angelicum. Tertio concupiscebant carnes nō ex fame sed ex libidine uoluptuariæ gulę. Quarto cōcupiscendo murmurabāt contra dominum ac seruū eius Mosen. Huiusmodi ergo cōcupiscentia merito displicebat domino, & recte dicit Apostolus quod res malas cōcupiuerint. Nec est præter rationē, quod Corinthios monet, ne simili concupiscētiæ locū præbeāt. Præterq̄ enim quod domino displicet, plurimum habet efficaciæ ad synceritatē fidei labefactandum, dum proclivis est ad cōmercia ineunda cum infidelibus, & animum reddit delicatum, nulliusque laboris pro seruanda fide subeundi tolerantem.

NEQVE simulacrorum sitis cultores, sicut quidā illorū, quemadmodū scriptū: sedit populus ut ederent & biberent, & surrexerūt ut luderent.] Quoniā periculum erat, ne praua concupiscētia seducti, qui cum infidelibus de

A

eidolothytis manducabant, paulatim ad cultum eidolorum relaberentur, proponit illis aliud populi peccatoris exemplū, unde moniti cultum simulacrorū fugerent. Ne simulacrorum, inquit, sitis cultores. Hoc peccati genus & suprà cap. 5. 6. & 8. perstrinxit. Plurimum enim metuebat, ne recens à cultu simulacrorū per doctrinam Euangelij auocat', denuo ad illum consortio infidelium pellicerentur. Capite quinto recēsuit eidolorum cultorem inter eos quos ab omni consortio fidelium tanquā malos excludere debebant. Postea sexto connumerauit eum illis quibus non est pars in regno Dei. Octauo redarguit culturam simulacrorum à uanitate eidoli, & πολυθέας. In pręsenti absterret ab ea inducto reproborum Israëlitarum exemplo, eoq; admodū ad causam quā agit accommodo. Sicut quidam illorum, inquit, sicut scriptum est, sedit populus ut ederent, &c. Loquitur de historia uituli conflatilis, quem in absentia Mosis erexerunt & coluerunt, qua de re legere est Exodi. 32. Notior aūt est historia sacrę scripturę studiosis, q̄ ut sit hic ad uerbum recensendum. Quàm uero pertinenter eam adducat, ex circumstantijs consyderari potest. Primum, hoc genus simulacrorum populus ille paulo antè adorauerat in Ægypto, à qua impietate recēs erat magnis portentis abstractus. Deinde, cito sunt ad eam q̄ plures relapsi, id quod & dominus ipse in illis repræhendit dicens: Vade descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt cito de uia quā ostendisti eis. Tertio relapsi sunt ad consuetam eidololatriā leui admodum occasione propter absentiā uidelicet Mosis. Hæc ipsa consyderabat in isto exēplo Apostolus, metuebatque ne quoniam in ethnicismo cultibus simulacrorum assueuerāt Corinthij, cito ad illos idq; per occasionē absentiæ suæ, conuiuijs infidelium illecti relaberentur. Quàm autem metus hic illius non fuerit uanus sequentia tempora declarāt, quibus eidolomania mutatis nominibꝰ & speciebus in ecclesijs ethnochristianis denuo obtinuit.

B

Obserua uero q̄ caute hic à uocula uniuersali abstineat. Suprà dixit, omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierunt, omnes in Mosen baptizati sunt, in nube & in mari, omnes eādem escam spiritualem comederūt, &c. hic uero non dicit, ne simus nos omnes cultores eidolorū sicut omnes illi fuerūt, sed, ne simus cultores eidolorum, sicut quidam illorum fuerunt. Dat Israëlitis gratiæ quidem uniuersalē & catholicam communicationē, prçuaricationis uero non item, cuius nō omnes sed quosdam tantū accusat, ne uideatur & totā Israëlis ecclesiam damnare, & eam ad quam scribebat de catholica defectione habere suspectam.

Quemadmodū scriptum est, inquit, sedit populus ut ederent & biberent, & surrexerūt ut luderent. Adijcit hanc particulam specificationis magis q̄ probationis gratia, ad declarādum quam eidololatriā Israëlitarum perstringat.

gat. M..toties enim in eam impietatem præsertim in ipsa terra Canaan constituti inciderunt. Quod si uoluisset testimonio scripturæ probare quod dixit, sicut quidã illorũ, ea magis attulisset in medium, quæ particulam hãc in historia uituli præcedunt, utpote, quod mane surgentes obtulerunt uitulo holocausta & hostias pacificas, uel quod sequitur, fecerunt sibi uitulum conflatilem, & adorauerunt, atq; immolantes illi hostias dixerunt: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, q̃ quod populus ad manducandum & bibendũ consedit, & ad ludendum surrexit. Verũ quidem est, hoc ipsum quod comederunt & biberunt, & ad ludendum surrexerunt, pars erat eidololatriæ, id quod ex circumstantijs patet. Etenim ante uitulum, in honorem uituli, inq; ipsa solennitate uituli, deniq; ex sacrificijs uitulo oblatis comederunt & biberunt, in seipso tamen, comedere bibere ac ludere, non est mox eidololatriam admittere. At quoniã illi quorum gratia scripta sunt hæc ab Apostolo, quamuis ederent & biberẽt cum infidelibus, nolebant tamen eam ob causam eidololatræ uideri, studio sic admonitionem hanc attemperauit, ut innueret esse illos facto Israëlitarũ admodum confines, & eodem cum illis laborare uentris studio, ideoq; timẽdum ipsis esse, ne cum eidololatris ex eidolothytis edentes ac bibentes paulatim ad ipsum eidolorũ cultum pellicerentur. Astutissimus salutis nostrę hostis diabolus, cultus ac dies festos eidolorũ conuiuijs uentri iucundis sic insidiosos carnalibus hominibus reddidit, ut eos leui momẽto ad ipsam eidololatriam hoc quasi condimẽto pertrahat. Tolle uentris illecebras, & uide quàm sis antichristianismi cultus despicabiles ac desertos redditurus.

ET surrexerunt, inquit, ut luderent.] De quo genere ludi loquatur hic scriptura, ipsis quidem uerbis non exprimitur, uerum ex circumstantijs ipsius causæ satis liquet fuisse ludum in honorem eidoli institutum, cuius diẽ festum agebãt. Quare siue choro & cantico siue alio quopiam modo ludum hunc luserint, pertinebat ad cultũ uituli, de cuius sacrificijs comederant & biberant. Quare nonnulli exponunt, & surrexerunt ad ludẽdum, id est, ad eidololatrãdum. Etenim ad eum ludum à cõuiuio eidololatrico, tanq̃ ad laudes eidolo peragendas læti & hilares surgebant. Et quoniã consimilis erat ethnicis consuetudo, ut de mẽsa eidolorum surgentes in honorem deorum suorum luderent atq; ita periculum erat Christianis, ne post epulas quas cum illis in ipsorũ sacrificijs comedebãt, ad ludendũ quoq; cum illis surgerent, omniũ conuenientissime præsenti admonitioni inseruit hæc uerba: Sedit populus ut ederet ac biberet, ac surrexerũt ut luderent. Quasi dicat. Videte ne ubi cum infidelib⁹ editis & bibitis, perinde uobis accidat, atq; accidit Israëlitis qui cum edissent ac bibissent, surrexerũt ad ludendũ coram eidolo.

A Notat efficaciam inductionis quæ est per occasionem mali quam perinde atq; ipsam mali causam uitandam monet.

NEQVE scortemur sicut quidã illorũ scortati sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia.] De scortatione cauẽda suprà quoq; monuit, cap. 5. & 6. idq; fusius aliquãto. Hic de illa uno quidem & altero uerbo repetit, uerũ haud sine singulari ratione. Etenim nõ modo peccatũ illius, sicuti suprà locis iam dictis, sed & illud in ea consyderat, quod plurimum ualet ad inducendum intemperantes ad peccatum eidololatrię, perinde atq; studiũ uentris. Carnalis scortatio nõ solum socia sed & proxena est spiritualis, id est, eidololatriæ. Et quoniam inter eidololatras impune regnabat, periculumq; erat, ne per illam carnaliores Christiani ad eidololatriam seducerentur, dehortatur eos ab exemplo Israëlitarũ, qui & ipsi scortatione carnali ad sacrificia eidolorũ sunt perducti. Neq; scortemur, inquit, sicut quidam illorum scortati sunt, & conciderunt uno die uigintitria millia. Loquitur de historia filiarũ Moab quæ uocauerunt Israëlitas ad sacrificia deorum suorum, illiq; comederunt & adorarunt Baalpeor, cuius mali illectamẽtum erat, quod cum illis scortarẽtur, qua de re Num. 25. sic legimus. Morabatur aũt eo tempore Israël in Shittim, & cœpit populus scortari cum filiabus Moab, & uocauerunt eos ad sacrificia deorum suorum & comedit populus & adorauit deos eorũ, initiatusq; est Israël Baalpeor. B Vides hæc tria in hoc quoq: exemplum concurrisse, studiũ uẽtris, scortationẽ, & eidololatriã.

ET conciderunt, inquit, uno die uigintitria millia.] Terret eos mentione plagę & ultionis, qua perculsi fuerunt scortatores & eidololatræ, qua de sic legitur. Et iratus dominus ait ad Mosen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos cõtra Solem in patibulis, ut auertatur furor meus ab Israële. Dixitq; Moses ad Iudices Israël. Occidat unusquisq; proximos suos, qui initiati sunt Baalpeor, &c. & occisi sunt uigintiquatuor millia. Numerum hũc uoluit exprimere Apostolus, ut admoneret, q̃ cito malũ crescat & obtineat in populo. Breui usq; adeo inualuit ista in Israële præuaricatio, ut numerus peccantium tum ad multitudinem uigintiquatuor millium excreuerit, periculũq; esset, ne si differretur ultio paulopost uniuersam multitudinem corriperet. Ab hoc igitur exemplo metuens Corinthijs, ne inter illos quoq; modicum fermẽti totam massam corrũperet, hac eos plaga admonet, q̃ debeant esse soliciti, ne simul & ipsi exitio perdantur.

Sed nascitur hic quęstio, quomodo Apostolus uigintitria millia hominum occisa esse dicat, cum in ipsa historia uigintiquatuor millia tã in Ebræo, & Chaldæo, q̃ in uersione Septuaginta legãtur. Lyranus sic tuetur Apostolum. Minor numerus, inquit, includitur in maiori, & ideo quod uerum est de maiori, uerum etiã est de minori. Hac ratione defendi posset, etiã si ui-

Quæst. de numero occisorum.

ſi uigintitres homines occiſos fuiſſe dixiſſet.
Quare mihi ſolutio iſta Lyrani non probatur.
Meo iudicio, nõ ſcripſit Apoſtolus aliter q̃ ue
ritas habet hiſtoriæ, quomodocũq; numerus
iſte uigintitriũ pro uigintiquatuor irrepſerit.
Suſpicor per abbreuiationem, ſiue ab ipſo A-
poſtolo ſiue ab antiquario aliquo, ſcriptũ fuiſ-
ſe εἰκοσιτρ̄,pro εἰκοσιτέσσαρες,eamq́; poſtea abbre
uiationem per negligẽtiores mutatam eſſe in
numerum iſtum εἰκοσιτρεῖς ac uerſum à Latino
interprete, uigintitria. Non affirmo, ſed quod
ſuſpicor cum pace aliorũ ſimpliciter annoto.
Quod ſi quis Apoſtolum omnino uigintitria
millia ſcripſiſſe putat, referat hunc numerum
ad eos tantũ, qui gladio ſunt occiſi idq́; forſan
die poſt ſuſpenſionem principum ſequenti,
unde & dicit, conciderunt uno die, reliquũ ue
ro millenarium ad principes in patibulis con
tra Solem ſuſpenſos, quos ueroſimile eſt non
ſolos ſed unà fuiſſe cum miniſtris ſuis ei ſup-
plicio traditos, ſic ut numerus uigintiquatuor
millium, qui in hiſtoria habetur omnes cõple
ctatur tam ſuſpenſos q̃ gladio occiſos.

De hoc numero legitur in Ioſepho ad hũc
modum. Perierunt igitur ex eorum cœtibus
uiri haud pauciores quatuordecim millibus,
ubi decemmillia deſyderantur. Mihi dubium
non eſt ſcriptum fuiſſe à Ioſepho οὐκ ἐλάττους τετρα
κισχιλίων καὶ δισμυρίων, id eſt, haud pauciores ui-
gintiquatuor milibus, poſtea uero ꝓ δισμυρίων,
id eſt, duabus myriadibus, quæ numerum ui-
gintimillium conſtituũt, corrupte eſſe poſitũ
μυρίων, quæ uox decem millia ſignificant, & ex
hoc defectu in hunc uſq; diẽ legi τετρακισχιλίων
καὶ μυρίων, ꝓ τετρακισχιλίων καὶ δισμυρίων. De hac quę-
ſtione uideantur & alij ex recentioribus, quid
adferãt in mediũ. Veteres nãq; Hiero. Ambr.
& Chryſoſt. reliquerunt eam intactam.

CONCIDERVNT, inquit, uigintitria mil-
lia, uno die.] In hiſtoria non eſt temporis po
ſita expreſsio, quo multitudo hęc conciderit.
Poſuit eam Apoſtolus, non ſimpliciter dicẽs
conciderunt uigintitria milia, ſed addens, uno
die. Facit autem hoc ad exaggerandum iram
Dei, quo plus terroris Corinthijs tam grauis
ultionis reſpectu incutiat.

NEQVE tentemus Chriſtum, ſicut & qui
dam illorum tentarunt, & à ſerpentibus extin
cti ſunt.] Hactenus dehortatus eſt eos à ma-
lo prauæ concupiſcentiæ, ab eidololatria, ſtu-
dioq́; uentris & ſcortatione, tanq̃ eidololatrię
appendicibus, iam conſequenter metuẽs illis
à malo diffidentiæ & impatientię, dehortatur
eos à temeritate tentandi dominum, & mur-
murandi cõtra illius miniſtros. Neq; tẽtemus
Chriſtum inquit. Qui tales ſunt ut periculum
ſit ne per comeſſationes & commercia infide-
lium ad eidololatriam & ſcortationem pelli-
ciantur, omnino ſimul ſunt procliues ad ten-
tandum dominũ, ſi quid incidat aduerſi, pro-
pterea quod haud ſynceri ſunt in fide, nec bo-
nitate ac ueritate domini fidunt. Dum itaq;
dicit, neq; tentemus Chriſtũ, ſatis innuit qua-
les eos eſſe uelit in rebus aduerſis, confidẽtes
uidelicet, & bona cum fiducia à Chriſto Serua
tore pendentes. Qui ſic animati ſunt, Chriſtũ
haud facile tentant, quantumuis rebus aduer
ſis exerceantur. Quid ſit autem tentare domi
num alibi diximus, utpote Matt. 4. & Pſal. 95.
Chriſtũ tentare, eſt non fidere illius uerbo, ſed
uel de diuinitate illius uel potentia uel uerita
te, aut prouidentia & uoluntate certum capta
re experimẽtum. Adhuc tentare Chriſtum eſt
patiẽtiam illius irritare, & cõtumaciter in ma
lo pergere, quiduis ille reprobis minetur. Tẽ-
tant etiam Chriſtũ, qui fidelibus illius onera
inferenda imponunt, id quod illi faciebãt, qui
iugum legis ceruicibus diſcipulorum impo-
nere moliebantur, de quibus Act. 15. uidere li-
cet, ut eos taceam qui Rom. tyrannum & ani-
mas, & fortunas & corpora fidelium diuexan
tem eccleſiæ Chriſti loco capitis impoſuerũt.
In ſumma, nullum non tentationis genus ex-
cludit, cum ſimpliciter dicit, neque tentemus
Chriſtum. Quod enim ſubiungit, ſicut & qui-
dam illorum tentarunt, non ad hoc facit, ut ab
eo tãtum genere Corinthios dehortetur, quo
tentarunt illum olim Iſraëlitæ in deſerto, ſed
ut exemplo aliquo declaret, haud laturos im-
pune, ſi Chriſtum tentare uelint, unde & ſubij
cit, & à ſerpentibus extincti ſunt.

Tẽtare dominum.

Loquitur autem de hiſtoria quam Num. 21.
legimus ad hunc modum. Et tędere cœpit po
pulum itineris ac laboris, loquutusq́; contra
dominum & Moſen ait: Cur eduxiſti nos de
Ægypto, ut moriamur in ſolitudine? Deeſt pa
nis, non eſt aqua, anima noſtra iam nauſeat ſu-
per cibo iſto leuiſsimo. Quamobrem miſit do
minus in populũ ignitos ſerpentes, &c. Quo-
niam omnino ad hanc hiſtoriam reſpicit Apo
ſtolus, quærendum eſt primo, quomodo mur
mur hoc Iſraëlitarum uocet tentationem, de-
inde, quomodo dicit eos tentaſſe Chriſtũ. Ete
nim etiamſi nõ legamus, ſicut quidam illum,
ſed, ſicut quidam illorum tentauerunt, ſatis ta
men lectori haud cõtentioſo patet, durius eſ-
ſe, ſi exponamus, ſicut quidam illorum Deum
tentarunt, q̃ ut argumẽto Apoſtoli cõueniat.
Nec impedit quod in hiſtoria legitur, quod po
pulus ſit contra Deũ & Moſen loquutus, quo
minus tẽtatio hæc ad Chriſtum poſsit referri.
Sed uideamus quid ad iſta ſit reſpondẽdum.

Num. 21.

Quod murmur populi, quo cum Moſe iur-
gatus eſt dicẽs: Cur eduxiſti nos de Ægypto,
ut moriamur in ſolitudine? uocat tentationẽ,
non facit hoc præter rationem & exemplum
ſcripturę. Ratio eſt, quod hoc genus murmu
ris & iurgij, contra Moſen facti ex eo prouene
rat, quod de præſentia Dei dubitabãt, num il-
le uere apud ipſos eſſet, & an uere ab illo edu-
cti eſſent ex Ægypto, ideoq́; cũ Moſe expoſtu
labãt, quod eduxiſſet ipſos ex Ægypto. Quaſi
dicat. Si non tu ſed Deus nos eduxit ex Ægy-
pto, nobiſcumq́; eſt in hac ſolitudine, queãd-
modum uis ut tibi credamus, age, cur nõ dat
panem ſuo populo? cur ſinit ut ſiti moriamur
in hac

Quare murmur tentatio uocetur.

in hac solitudine? Sic isto murmure & iurgabantur contra Mosen, & tentabant Deũ. Ergo iurgium hoc respectu Mosis erat murmur, respectu Dei uero, erat tentatio, ut recte dixerit Apostolus, sicut & quidam illorum tentarũt.

Exemplum autem scripturæ cui se Apostolus conformasse uidetur, habemus Exo. 17. ubi sic legimus: Castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus cõtra Mosen ait: Da nobis aquam ut bibamus. Quibus respondit Moses: Quid iurgamini contra me? Quid tentatis dominũ? Itẽ: Et uocauit Moses nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Israël, quo tentauerunt dominum, dicentes: Est ne Deus in nobis an non? Hæc ibi, ubi satis patet, hoc genus murmuris coniunctum esse cum tentatione Dei, ideoq; recte dici de illis, qui sic cõtra Mosen murmurarunt, quod dominum tentarint.

Quomodo Christũ tentarint.

Ad id uero quod illos Christũ tẽtasse dicit, facilis est responsio. Etenim si Christus, spiritualis petra, cõsequutus est eos in deserto, nec simpliciter consequutus est, sed & aquam illis ex petra, & Man de cœlo suppeditauit, utique omne hoc genus tentationis illorum recte ad illũ refert. Ipse nanq; idem utriusq; testamenti Seruator, tam illum populum moderatus est & seruauit, q̃ præsentem hunc, qui Noui testamenti est, ad finem usq; mundi moderatur & seruat. Quare nõ immerito quidam nostrorũ ex hoc loco diuinitatem Christi contra nouos Arrianos astruunt. Etenim quod populus ille iam Elohim, iam Iehouah tentasse memorat, tam nõ impedit hunc sensum, ut illum magis cõuincat Christũ esse uerum Deũ & Iehouah.

De serpentibus illis, per quos extincti sunt tentatores, nolim curiosius inquiri, quales nã fuerint. Scriptura uocat eos שרפים, id est, ardentes, uel comburẽtes, quo nomine spiritus etiam cœlestes stantes ante thronum Dei, Esa. 6. uocantur. Inerat serpentibus illis ardor flatus, quo, si quos momordissent, necabant. Et hoc nomine à nonnullis præsteres, dipsades, & causones uocant. Videmus hac ultione q̃d mereantur, qui propter modicum & tolerabilem tribulationis ardorem per diffidentiã dominum tentant, & contra seruos eius murmurant. Digni uidelicet sunt, quibus modica & momẽtanea molestia uertatur in exitium. Sic nihil efficimus murmurando ac dominũ tentando aliud q̃ quod malum conduplicamus. Populus ille ingratus erga beneficia Dei quibus fruebatur, non cogitabat unde esset, quod illæsus in deserto draconibus ac serpentibus, alijsq; bestijs referto degeret, quare dignus erat, qui præsenti exitio experiret̃, à quanto malo ad id usq; tẽporis fuisset beneficio domini seruatus, & erga quantũ bonũ esset ingratus.

Admonemur hoc exemplo, ut ubi aliquo exercemur incommodo, memores potius simus quàm multis bonis per gratiam domini cumulemur, agamusque illi gratias, quàm ut propter unius aut alterius rei molestiã beneficentiam illius turpissima ingratitudine negemus, & tot bonorum largitorẽ tentando contra nos prouocemus.

NEQVE murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & exterminati sunt ab extinctore.] Vel, ut in Græco est, perierunt ab exterminatore. Quoniam plerunque tentatio Dei & murmur cõtra illius seruos cõcurrunt, postq̃ dehortatus est, ne Christum tentarent, consequenter monet, ne sint murmuratores, propterea quod & talibus periculum sit, ne ultione diuina correpti pereant, cuius rei exemplũ admodũ tremẽdũ in Israëlitis præcesserit.

NEQVE murmuretis, inquit.] Murmurare quid sit, notius est, quàm ut definitionem requirat. Est autem duplex genus murmuris. Vnum inculpabile, alterum culpabile, & admodum uiciosum.

Duplex genus murmuris.

Inculpabile est, quod aliàs mussitationem uocamus, qua sermo de re aliqua in ore uulgi non palàm, sed clanculum uersatur. De hoc genere murmuris Ioan. 7. legimus ad hũc modum: Iudæi ergo quærebant eum in die festo & dicebant, ubi est ille? Et murmur multũ in turbis erat de eo. Quidam enim dicebant, bonus est, alij autem dicebant, non, sed seducit turbam. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Sic mussitare de re aliqua, & non palàm eloqui, quę sentiuntur propter metum potentiorum, infirmi quidem animi notam habet, mali uero nõ ita. De hoc murmure non loquitur Apostolus.

Culpabile murmur est, quo obloquimur et conquerimur, contra homines potentiores ac superiores, quasi inique aut absurde quid dicant uel faciant. Hic multum refert, quis, cui, & qua in re obmurmuret. Si is, qui subditus est & cui benefactum est, si cõtra eum, cui multum debet, quem amare & laudare potius debebat, si in re leui ac tolerabili, nedum in ea ob quam potius essent agendæ gratiæ, murmurauerit, admodum detestabile murmur est. Deinde haud parum refert, unde hoc murmurandi uicium nascatur, an ex mera damni uel incommodi alicuius impatientia, uel ex superbia, contemptu, indignatione, inuidentia. Licet enim in se uiciosum sit murmurare contra superiorem, minus tamen detestabile est, si id fiat propter acceptum aliquod incommodum per solam illius impatientiam, quàm si fiat ex superbia & contemptu, uel ex spiritu inuidentiæ, quale erat murmur Chore, Dathan, & Abiron, contra Mosen & Aaronem, &, ut uerosimile est, pseudapostolorum & sectariorum illorũ qui inter Corinthios Apostolo obmurmurabant & obloquebantur. Murmurarunt & primi Christiani ex Gẽtibus cõtra eos qui erant ex Ebræis, Act. 6. propterea quod uiduæ eorum in ministerio quotidiano negligerent̃, quod murmur concernebat ipsos Apostolos. Murmurarunt illi neq; ex superbia, neq; ex cõtẽptu, neq; ex inuidẽtia, sed ex impatiẽtia incõmodi, qđ uiduis ipsorũ eo neglectu obueniebat.

Act. 6.

bat. Nisi stipites simus, facile inter id murmuris, & murmur quod cum superbia, cōtemptu & inuidentia coniunctum est, quale erat murmur Chore & sectatorū illi⁹, discriminabim⁹.

SICVT & quidam illorū murmurauerunt, inquit, & exterminati sunt ab extinctore.] Sępenumero murmurasse legunť. Vt pote Exodi 15.16. & 17. Num. 11. 14. 16. 20. & 21. Quare incertum uideri posset, ad quam respiciat historiā Apostolus, nisi adiecisset de ultione dicens: & exterminati sunt ab extinctore, quibus uerbis satis admonemur, referenda hęc esse ad exemplum murmuris, quod mox est exterminationis ultio consequuta. In historijs, quæ in Exodo de murmurationibus huius populi legunť, nulla fit exterminationis mentio. Quare ad illas non respexit Apostolus hoc loco. Obiter obserua patientiam Dei, q̃ sit tardus ad irā. Tulit aliquoties populi huius impatientiā & obmurmurationes, tametsi dignus esset quē mox perderet. Num. 11. & 16. memoratur exterminatio murmurantium. Vndecimo sic legitur. Interea ortum est murmur populi dolētis præ labore, contra dominū, quod cum audisset, iratus est, & accensus est in eos ignis domini, deuorauitque extremā castrorum partē. Cumque clamasset populus ad Mosen, orauit Moses ad dominū, & absorptus est ignis, uocauitq; nomen loci illius incensio. Num. 16. murmurarunt Chore, Dathan & Abiron cum uiris 250. cōtra Mosen & Aaronem, & absumpsit ignis 250. uiros, reliquos terra cum omni ipsorum frequentia absorpsit. Sequenti die omnis multitudo filiorū Israël, murmurauit contra Mosen & Aaronē, dicens: Vos interfecistis populum domini. Atq; de his absumpsit ignis domini quatuordecim milia & septingentos.

Num. 20. murmurarunt cōtra Mosen & Aaronē propter aquarum penuriā. Verum nulla illic memoratur plaga sequuta. Num. 21. iterum murmurarunt, quapropter immissi sunt illis serpētes igniti. At eam historiā attigit particula præcedenti. Quare quod hic dicit, ad illam referri nō potest. Refertur à nonnullis ad ea quæ Num. 14. legunť. Verum quoniā nō est illic præsens & subita exterminatio sequuta, existimo restare, ut referamus uel ad ea quæ Num. 11. legunť, uel ad murmur quod cap. 16. memorať. Nam utrobiq; habetur exterminatio murmurantiū facta per ignem cœlitus immissum. Nec impedit hanc expositionē, quod nō dicit, & exterminati sunt ab incendio, sed ab extinctore, uel, ab exterminatore. Nam ultionis eius, quæ facta est per ignē, dubio ꝓcul fuit angelus quispiam domini minister & exequutor, quem Apostolus hic uocat exterminatorē. Eodē nomine uocari potuit angelus per quē cædebanť Corinthij propter abusum cœnæ dominicę, quo de cap. sequēti memorabiť.

Est autē obseruandum, quod particulā hāc, sicut quidam illorum, toties repetit & inculcat. Tantum nō clamat ea quæ male fuerunt à Veteris testamenti populo admissa, grauiq; ultione diuinitus punita, admitti posse & in ecclesia Christianorum. Imò admodum timet, ne admittantur. Quin futurum præuidet, ut admittantur. Et hic timor eius uanus nō fuit, nec uanum fuit mentis ipsius præsagium. Etenim quæ admissa fuerūt ab Israëlitis, uix umbram quandam eorum habuerunt, quæ post Apostolorum ac proxime illos sequentium tēpora palàm admitti cœperunt, & hodie quoq; impudentissime geruntur.

HAEC autem omnia figuræ contigerunt illis.] Siue, quod magis placet, euenerunt illis. Est enim in Græco συνέβαινον. Puto autē, quod dicit: Hæc omnia, non esse restringendum ad ultiones de scortantibus, Christum tentantibus, & murmurantibus sumptas, sed ad ipsas quoq; peccatorum species, quas recensuit, referendum, quod, uidelicet, mala concupiuerunt, eidola coluerunt, scortati sunt, Christum tentarunt, & murmurarunt.

Non est autem ociosum, quod iam secundo ista exemplaria fuisse dicit, iterum cauens, ne nihil ad Christianos pertinere putenť. Nec emphasi caret, quod nō simpliciter dicit: Hæc autē, sed addit, omnia, ut significet, nihil taliū delictorū & ultionū euenisse Israëli, quod nō fuerit exemplar posteris inspiciendum & cauendum. Suspicor quod in Gręco est ταῦτα, positum esse pro τοιαῦτα, ut sit sensus. Talia & quę huiusmodi sunt omnia, figurę euenerunt illis, quo referatur non ad ea modo, quæ recensuit, sed & ad omnia reliqua istis consimilia. Longum enim uisum est cuncta talia, quæ Israëli euenerunt, enumerare.

Priusq̃ hinc transeamus, admonēdus est lector, ut caueat expositionē eorum, qui sic ista figuras Israëli fuisse sentiunt, ut ueritas illorū in Nouo testamento fuerit implenda, quēadmodū serpēs æneus figura fuit & umbra Christi in cruce exaltandi. Multum discriminis est inter eiusmodi figuras, & ista exempla, quę hic cōmemoranť. Eadem ueritas est in ijs quę euenerunt Israëli, & in nobis, qui facta illorū imitamur. Vere concupiuerunt mala, non figurate, uere simulacra coluerūt, uere scortati sunt, uere Christum tentarunt, uere murmurarunt. Adhæc, uere percussi sunt, uere à serpentibus infecti perierunt, uereq; exterminati sunt ab exterminatore. Haud plus est ueritatis in ijs quæ nobis talia eueniunt, quàm fuit in illis. Nisi quod in illis pręmonstratum est, quid expectandum sit ad eum modum contra Deum peccantibus, ob quam causam & typi ab Apostolo uocantur. Voluit enim Deus statim initio ædere exemplaria eiusmodi ad terrorē posteris incutiendum: perinde ac si rex quispiam initio regni sui sic animaduertat in reprobos ac perfidos, ut habeāt posteri exempla quibus terreantur, ne & ipsi consimili perfidia digni fiant, qui exterminentur, ubi ineptum fuerit sic ea quæ populo regni initio euenerunt, uocare typos, ut ueritas illorum tantummodo sit adimplenda in posteris.

SCRI-

SCRIPTA uero sunt propter admonitionẽ nostri.] Accommodat quę attulit ad propositum, sicuti cœpit. Facit autem hoc asignata ratione propter quã in scripturas relata sunt quæ olim Israëli euenerunt. Sensus est. Sic Deus animaduertit in reprobum Israëlis populum, ut essent exempla iusti iudicij, transmittenda ad posteros. Et ea propterea literis mandari uoluit, ut sit unde admoneamur nos quoq;, etiam in quos sæculorum termini inciderunt. Locus hic ualde utilis est, rationẽ nobis & usum sacræ scripturæ ostendens. Cessent igitur phanatici homines, qui Veteris testamenti scripturas, quasi nihil ad nos pertineant, prorsus reijciunt. Quomodo ad nos nõ pertinent, quæ ad hoc sunt scripta, ut animum illis apponamus? Scripta sunt, inquit, πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν. Quæ propter admonitionem nostri scripta sunt, propter nos utique sunt scripta, & quæ propter nos scripta sunt, ad nos utique, imò ad nos potissimum pertinent.

Sed obsecro, quomodo animum ad illa apponet plebs Christi, quæ malo pastorum studio cogitur ignorare? Clamant aduersarij, non esse laicis sacram scripturam legendam. Hæc ipsissimi Satanæ uox est, semel ac breui compendio omnem scientiam Dei ex ecclesia auferens, ut impleatur illud Christi: Erratis, nesciẽtes scripturas. Et illud Chrysostomi: Hinc omnia mala, quod scripturę ignorantur. Quis autem satis perpenderit, quanto bono priuetur homo, qui cum sit ignorans, errans, & peccans, omni admonitione destituitur, qua possit reuocari in uiam?

IN quos termini sæculorum inciderunt.] Quæritur hoc loco, quomodo dicat Apostolus in eos qui tum uiuebant, terminos incidisse sæculorum, cum interea supra quindecim sæcula fluxerint, & nondum appareat sęculorum finis. Respondeo. Complectitur omnes Christianos, non eos tantum qui tum erant in uiuis, sed & eos qui ad finem usq; mundi erant futuri, qui omnes uno corpore comprætendũtur, & eidem extremæ sunt dispensationi gratiæ Dei subiecti, quę ad finem mundi usque durans, extremorum sæculorũ prædicatum sortitur.

Deinde, non dicit, in quos terminus mundi, sed, in quos termini sæculorum inciderũt. Quemadmodum autem principia sæculorum non ea tantum censentur, quibus conditus est mundus, sed quibus priora conditi, recentisq; mundi sæcula ad diluuium usq; decurrerunt, ita recte termini quoque sęculorum non sunt ad id temporis referendi, quo mundus terminabitur, sed ad postrema senescentis mundi sęcula, quæ à nato Christo ad finem usq; mundi durant. Et hoc sensu tempus regni Christi, cõparatione diei, quæ horarum decursu absolui tur, nouissima hora uocatur, qua uidelicet, nouissima diurni temporis momenta absoluuntur, ut quod illic est momentum, hic sit sæculum, perinde ac si dixisset ille, filioli, nouissima sæcula sunt, uel, termini incidũt sæculorũ.

Quod si quis terminos sæculorum omnino accipit pro termino ac fine mundi, cogitet de uerbo κατήντησεν, id est, inciderunt, sic esse illud forsan, more Ebraico ab Apostolo natione Ebræo positum, ut præteritum sit loco futuri, legendumque, in quos termini sęculorum incident, hoc est, qui sumus postremus ille populus Dei, post quem non est ad finem usque mundi expectandus alius. Verum prior expositio certior est ac firmior.

Non est autem hoc sic dictum ab Apostolo, quod quę scripta sunt, non sint propter eos quoque scripta, qui tum cum ea gererentur, sub Mose uiuebant, & post Mosen ad Christũ usque sequuturi erant, sed ut eam scripturam in usus perpetuos eius quoque ecclesiæ, quæ postrema est in mundo, destinatam esse significaret, id quod potissimum inculcare uoluit, tanquam ad id quod agebat, cum primis cognitu necessarium.

PROINDE qui sibi stare uidetur, uideat ne cadat.] Applicat summariam admonitionẽ ex præcedentibus collectam, cum specificatione eorum ad quos illam potissimum pertinere iudicat. Neque enim simpliciter dicit: Proinde uidete ne cadatis, sed: Proinde qui sibi stare uidetur, uideat ne cadat. Ad omnes quidem pertinet hæc cura, ut caueant ne ad exẽpla ueteris populi in quæuis peccata prolapsi, iram in se Dei prouocent. Verum potissimum hoc illis est timendum, qui quoniam se stare putant, securius agunt, eoque & facilius à Satana tentantur, & procliuiores sunt ad ruinam. Tales autem erant inter Corinthios, qui de scientia & fide præ alijs gloriantes, unà cũ ethnicis infidelibus & simulacrorum cultoribus secure de eidolothytis manducabant, & quæuis illorum commercia sectabantur, neq; ruinam timebant, quod se firmius stare putarent, quàm qui cadere possent. Horum securitatem perstringens dicit: Proinde qui sibi stare uidetur, uideat ne cadat. Quasi dicat. Quandoquidem tot exemplis ueterum humana est declarata infirmitas, monstratumq;, leui momento fieri, ut qui participes sunt cœlestis gratiæ facti, ubi incautius agunt, in enormia peccata prolabantur, plane necessarium est illis, qui quoniam se stare putant, incunctanter cõmercia infidelium sectantur, & conuiuijs eidololatricis miscentur, ut sibi timeant, ne dum incautius agunt, de gradu in quo se consistere putant, fœdissime cadant.

Admonemur hoc loco, quàm sit periculosa ac summopere uitanda securitas eorum qui se stare putant. Insidiosum malum est, & duplici nomine cauendum. Primo, quod decipit, & ex non stantibus quasi stantes facit. Deinde, quod securius agentes ad quamuis ruinã expositos reddit. Locus hic præcipue notandus est illis, qui in religione recenti cæteris sunt præmaturiores. Hi sic sunt comparati, ut ubi aliquem ueritatis gustũ propere perceperunt, perin-

perinde animentur ac si iam ad ipsam usque perfectionem ascenderint. Possemus nostro hoc sæculo plurima talium exempla in mediū adferre. Hoc genus hominum ministrum uerbi fundamenta ueræ religionis magno labore pariter & discrimine ponentem plurimū initio exhilarat. Primi ueritatem amplectuntur, pro ueritate seruanda ac propaganda decertant, ministro uerbi arctius iunguntur, & ad quæuis discrimina pro ueritate unà cum illo subeunda paratissimi uidentur. Non dubito illos, quos hic perstringit Apostolus, fuisse tales initio, & paulo post illius discessum in hāc euasisse securitatem, & quæ à securis admitti solent admisisse, ut opus habuerint admonitione hac tam seria ac diligenti.

Deinde obserua, quàm caute & moderate non dicat: Proinde qui uos stare putatis, uidete ne cadatis, ne palàm eos & uelut in faciem perstringendo admonitionē hanc reddat subacerbam, sed: Proinde qui sibi stare uidetur, id est, si quis est inter uos, qui se stare putat, uideat ille ne cadat, id quod aliquanto moderatius est, & tolerabiliorem reddit admonitionem, quam prudentiam Apostoli imitari debent, quorum studium est utiliter & cum fructu emendare delinquentes.

Sed dices hic. Ergo, si audimus Apostolū, non erimus securi in gratia Dei, nec quisquam sibijpse certitudinē salutis pollicebitur, quandoquidem tam serio monet, ut qui se stare existimant, in fide uidelicet, uideant ne cadant. Quid ergo docemus de certitudine gratiæ Dei, contra eos, qui neminem de salute sua & gratia Dei certum esse posse contendunt? Et quid est, quod de seipse scribit Apostolus, dicens: Scio cui credidi, & certus sum, &c.

Respondeo. Sunt in hac causa duplices respectus: unus, quo gratiam Dei fide: alter, quo nos ipsos respicimus. Priori respectu certi sumus de gratia Dei, quę incerta & instabilis esse non potest. Hanc certitudinem salutis, quā fides respectu ueritatis & gratiæ Dei concipit, non impugnat Apostolus, nec de illa loquitur hoc loco. Quomodo enim reprobaret in alijs, quod de seipse tam diserte prædicat? Posteriori uero respectu, quo nos ipsos intuemur, non reddimur securi, sed soliciti ac timētes, ne de gradu gratiæ Dei in quem recepti sumus, tentatione aliqua superati cadamus, propter carnis nostræ corruptionem & imbecillitatem. Et hunc timorem suadet Corinthijs, non dubitationem de gratia Dei. Neq; enim loquitur illis, qui fide indubitata à gratia Dei pendebant, sed perstringit falsam eorum securitatem, qui seipsos infirmioribus comparatos, stare putabāt, & suarum uirium respectu securi erant, quasi cadere non possent, & interea ea admittebant, quæ securos facillime de gradu fidei præcipites dare poterant. Quare non dicit: Qui stat in gratia Dei, uel qui bene credit, beneque de gratiæ Dei certitudine sperat, sed, qui se stare putat, uideat ne cadat.

A Ad quem modū eos admonere solemus, qui uiribus & capitis & pedum suorum freti super glaciem securius incedunt, uel excelsa periculosius scandunt, ut uideant ne cadant, non autem eos, qui nihil de firmitudine terræ à domino fundatæ dubitantes, prout requirit necessitas, super illam ingrediuntur, nec incedūt locis uel modis cum periculo coniunctis, quibus nemo facile dicit: Videte ne cadatis, nec quisquam uicio uertit, quod nihil addubitāt, terram super quam ingrediuntur, satis esse ad sustinendum ipsos stabilem & firmam. Et hac puto distinctione satis fieri manifestum haudquaquā patrocinari Apostolum pestilenti eorum doctrinæ qui Christianos magno studio de gratia Dei & propria salute reddunt incertos ac dubios.

Tentatio uos non cepit, nisi humana, fidelis autem est Deus, qui non sinet uos tentari, supra id quod potestis, sed faciet unà cum tentatione exitum quoq;, quo abunde sufferre possitis.

Occupatio est. Poterāt ad ea quæ dixit obijcere, magnam esse uim tentationum, perque illam fieri, ut qui stant, nolint uelint, uicti cadant. Occurrit igitur dicens: Tentatio uos nulla dum cepit, quæ non sit humana. Quasi dicat. Non est ut dicatis uos tentationum mole uinci. Nihil dum accidit uobis propter fidem
B in Christum, quod non accidat & alijs hominibus. Paupertas, morbi, pestis, & alia huiusmodi incommoda, non sunt noua, nō sunt insolentia, non sunt humanæ miseriæ sortē excedentia. Sic intelligo per tentationes hoc loco tribulationes & afflictiones, & per humanam tentationem eam tribulationem quæ ad communem mortalium miseriam pertineat, & accidat communiter omnibus. Significat nō esse illis causam, propter quam infidelibus usqueadeo misceantur, ut & de eidolothytis illorum magno cum offendiculo & syncerę pietatis periculo unà cum illis in eidolo uescant.

Loquitur hic non omnibus fidelibus, qui tum erant in ecclesia Corinthiorum, sed illis tantum, qui cum nihil dum passi essent propter Christum, ad consortia infidelium sponte sua inclinabant. Dubio procul erant quidam, qui grauiter propter Christum afflictati, in statione fidei firmiter persistebant. Ad hos non pertinebat quod dicit: Tentatio uos non cepit nisi humana.

Chrysostomus sic exponit: ἵνα μὴ λέγωσι· τί φοβεῖ ἡμᾶς; οὐκ ἐσμὲν τούτων ἀμελέτητοι τῶν κακῶν· καὶ γὰρ ἠλάθημεν καὶ ἐδιώχθημεν καὶ πολλοὺς καὶ συνεχεῖς ὑπεμείναμεν κινδύνους, καταστέλλων αὐτῶν πάλιν τὸ φύσημα φησί, πειρασμὸς ὑμᾶς, &c. Deinde illud, nisi humana, exponit. μικρός, βραχύς, σύμμετρος. Sentit ergo, uoluisse Apostolum superbiam spiritus illorum restringere, qua se sic in fide firmos esse gloriati sint, ut nulla esset ratio admonendi ipsos, ut qui se stare putarent, uiderent ne caderēt. Sic sensus esset:

esset: At sic estis securi, propter nescio quas tentationes quas uestro iudicio egregie sustinueritis, ut timendum uobis non esse iudicetis, ne cadatis unquam. Verum nondum estis grauiorem aliquam tentationem experti. Quæ acciderũt uobis, humana sunt, id est modica & momentanea. Nondum ad sanguinem usq; certastis. Quare uidete, ne dum uos stare putatis, cadatis. Recentiores aliud atq; aliud adferunt. Iudicet lector. Nos admonemur, minus excusationis esse illis, qui nondum graui aliqua tribulatione tentati, cum infidelibus miscentur, ne quid acerbius experiri cogantur, quàm qui post graues afflictiones stationem suam paulisper deserũt, tametsi nec illi habent unde excusentur. Discernat pius homo inter afflictiones communes, & humanas, & eas, quæ instigante Satana, peculiari odio & crudelitate fidelibus propter Christum ac uerbum eius ab hoc impio mundo inferunt̃, ac cogitet in corde suo. Vel humana sunt quæ pateris, & ferenda sunt cum reliquis mortalibus cõmunia, uel cõmunem mortalium sortẽ excedunt. Si humana sunt, nõ est ut moleste feras. Si supra humana, magis est ut glorieris, Rom. 5. q̃ ut animum despondeas. Leuiter ferenda sunt, quæ humana sunt, quod tribulationes attinet, secus uero sentiendum est de erroribus & peccatis, quæ ex communi mortalium corruptione proueniunt. Hæc nõ sunt extenuanda hoc prætextu quod sint humana, sed magis deflẽda, uulgo dicitur, humanum est errare. Nimis quidẽ humanũ est, uerũ nihilo debet hoc malũ propterea leuioris duci, quod humanũ est, sed quãto est humanius, hoc amplius deplorari.

FIDELIS autem est Deus, inquit, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, &c.] Inhæret cœptæ occupationi. Poterant dicere. Hactenus quidem nulla nos nisi humana tentatio cepit, uerũ quis nos certos reddet de futuro, si uitanda in uniuersum sint infidelium consortia, & odia illorum exasperanda? Deinde, quod hactenus nulla graui sumus afflictione tentati, ex hoc ipso est quod tu prohibes, ex consortio uidelicet, quo illis, citra eidololatriam tamen, coniungimur. Nam hoc medio iram & odia illorũ infringimus. Occurrit isti obiectioni dicens. Neq; uestro hoc cõsilio acceptũ ferre debetis, quod hactenus non estis tentationẽ nõ humanã experti, neq; est, ut anxij sitis de futuro, sed fide uobis pendendũ potius est à fideli Deo, q̃ infirma uestra nec ignorat nec negligit, sed pro bonitate ac fide sua cauebit, ne grauius tẽtemini, q̃ sitis ferendo, cui etiã hoc ipsum debetis, quod hactenus leuius estis tẽtati. Quare nulla uobis excusatio relinquit̃, nec ulla causa est, propter quã infidelib[9] coniungi, & conuiuijs illorũ misceri debeatis.

FIDELIS autem est Deus, inquit.] Non simpliciter dicit: Non sinet uos tentari Deus, sed pręmittit: fidelis autem est Deus. Prędicat de Deo, esse eum fidelem, quo & promissioni suæ fidem faciat, & omnẽ diffidentiæ solicitudinẽ tollat. Significat hinc potissimũ esse causam præposteri metus, quod Deo nõ satis fidimus, & simul monet, nullas esse nobis diffidẽdi illi causas, cum sit supreme fidelis. Vtinam autem tam credamus fidelem esse Deũ, quàm quid sit esse fidelem nõ ignoramus. Cum Deũ fidelem esse dicit, non simpliciter de eo prædicat, quod sit fidelis, sicut de homine bono ac ueraci dici potest, quod sit homo fidelis, sed quod sit fidelis Deus. Deum esse fidelem, est fidelem esse creatorem, ac conseruatorem seruandis nobis fideliter intentum, perinde ac si de rege prædices, quod sit fidelis rex, hoc est, quod officiũ regis erga subditos fideliter obeat, & de pastore, quod sit fidelis pastor, gregẽ suum fideliter pascens & custodiens.

QVI non sinet uos tentari, inquit, supra id quod potestis.] Aperit, quid sibi de fideli Deo polliceri debeant. Timetis, inquit, grauiores uobis euenturas esse tribulationes, quàm ut ferendo futuri sitis. Hæc est uestra diffidentia, uerum fidelior erga uos Deus est, q̃ ut hoc fieri sinat. Esto adoriatur uos mundus, & prorsus subuertere nitatur, nihil tamen in uos ipso non permittente poterit, & ipse non sinet ut possit. Nouit enim quàm adhuc sitis infirmi. Et huius infirmitatis uestræ rationem habens non permisit hactenus, ut supra humana uos tentatio capiat, nec permittet in posterum.

Est hic locus insignis, & omnib[9] fidelibus, præsertim persequutionis tempore, memori mente ac fide firma fiducialiter usurpãdus. Primũ, monet nos, nullã esse tentationẽ, nullũq; tentatorẽ, siue diabolũ siue mũdũ, cui aliquid sit in nos potestatis, nisi ipsius fidelis Dei nostri permissu. Nõ sinet uos tentari, inquit. Deo nõ permittẽte quis tentabit electos Dei? Deinde nõ simpliciter dicit: non sinet uos tentari. Non faceret hoc ad fidei nostræ exercitium & salutis profectum, si nunq̃ tentari nos sineret. Quare addit, supra id quod potestis. Immoderatã tentationẽ, qua tẽtati sterneremur, & in exitium deijceremur, haudquaq̃ admittit, moderatã uero fideliter ac prudẽter dispensat. In periculis itaq; & tribulationibus constituti, cogitemus nos tentari ac probari, idque permissu Dei, nec ultra q̃ ferre queamus progressuram esse tentationem. Nec est ut ipsi uires nostras metiamur, quæ ab ipso domino & conferuntur, & pro ipsius prudentia in ipsa lucta augentur, ut possimus multa, qui nos statim defecturos existimabamus.

SED faciet, inquit, unà cum tentatione exitum quoq; quo abũde sufferre possitis.] Duo sunt, quibus tentatio, id est tribulatio & afflictio, grauatur & latu difficilior redditur. Magnitudo uidelicet, qua ueluti mole quadã grauat̃, & diuturna prolixitas, qua sine fine duratura uidetur. Contra prioris molestiam facit quod dicit: Nõ sinet uos tẽtari supra id quod potestis, contra posterioris uero, quod subiungit, sed faciet unà cum tentatione exitũ quoque. Recte sic leges: Quin exitum quoq; unà cum

cum tentatione faciet. Non simpliciter dicit, sed faciet exitum, sed, ut significet curare dominum, non modo ne grauior sit tentatio, sed & ne sit prolixior & uelut infinita, quin, inquit, & exitum faciet. Vnà cum tentatione inquit, hoc est: Dum destinat uobis tẽtationem aliquam, simul hoc curat, ut breui terminetur, sitq; illius modus aliquis & exitus, atq; ita tentationes attemperat, ut sint leues & momentaneę, quo sufferre possitis. Sic 2. Cor. 4. tribulationibus præsentis uitæ & leuitatem & momentaneam breuitatẽ tribuit, dicens: Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, &c.

Nec illud ociosum est, quod non simpliciter dicit: τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ἐνεγκεῖν, id est, quo possitis ferre, sed, τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπερενεγκεῖν, id est, quo possitis esse ferendo supra & ultra quàm sit tentationis modus. Quare uisum est uertere, quo abunde sufferre possitis. Metaphora est ab illis sumpta, quibus onera portanda imponuntur, ubi non est satis aliquousque quod impositum est ferre, nisi ad terminum usque feratur, quo est destinatum. Et qui robustis sunt lateribus, sic ualent ferendo, ut si ita requiratur etiam ultra præscriptum terminum impositum onus ferre queant. Qui sic ferunt, dicuntur ὑπερενεγκεῖν. Illis non est molestum onus, quod etiam ultra terminum destinatum ferre possunt. Sic uisum est Apostolo animare fideles contra metum tentationum, quo fiebat, ut se mundo magis quàm Christo accommodantes cum infidelibus in conuiuijs immolaticijs accumberent, unde eos auocare uolebat, ne sic illecti ad cultum eidolorum relaberentur. Vnde & subdit.

Quapropter dilecti mei fugite à simulacrorum cultu.

Satis declarat hac particula, quorsum hæc omnia dixerit, dum nõ uelut ad alia transiens simpliciter dicit: Dilecti mei fugite à simulacrorum cultu, sed tanquam ex præmissis colligens & cõcludens: Quapropter dilecti mei. Quasi dicat. Cum igitur periculum sit ne cadatis à fide, dum eidolothyta cum infidelibus manducatis, nec sit ulla uobis causa, ob quam metu tentationum gratificemini eidololatris, quæso dilecti mei, fugite à cultu simulacrorum. Non dicit: ne colatis eidola, sed, fugite à cultu eidolorum. Non enim scribit eidola colentibus, sed ijs fidelibus, qui in eidolio cum eidololatris manducabant & bibebant, quod non fecissent, si à communicatione eidololatrarum abhorruissent, quem horrorem requirens dicit: Fugite à simulacrorum cultu. Poterat dicere, abstinete, uerum quo significaret, quanto cum horrore communicationem eidolothytorum cauere deberet, fugite, inquit, à simulacrorum cultu. Pondus etiam habet, quod communicationem eidolothytorũ, uocat cultum simulacrorum. Plus urget, q̃ si diceret, fugite ab immolaticijs, uel, fugite à mensis eidololatrarum. Et illud admodum est urgẽs, quod uocat eos dilectos suos, quo affectu uix est efficacius ad persuadendum aliquid.

Nos admonemur hoc loco, non esse satis si non colamus eidola, nisi etiam à cultu illorũ abhorreamus, & abhorrentes fugiamus. Hic horror ferre non potest, ut cultibus simulacrorũ cum Papistis adstet homo uere pius. Quare uiderint qui missis Papistarũ adsunt, cũ sciant illas ipsissimam esse eidololatriã, & inferendã abominationẽ. Accõmodant se mundo, ne incidant in afflictiones ueritatis gratia sufferendas, quasi non sit Deus tam fidelis ut uelit, & tam potens ut possit, quicquid accidat tribulationum, sic moderari & attemperare, ut ferẽdo esse possint. Istis tandem eueniet, ut sua ipsorum conscientia condemnati uermem nõ morientem, & ignem inextinguibilem omnium infelicissimi experiantur.

Vt prudentibus loquor, iudicate uos quod dico. Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frãgimus nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis unum corpus multi sumus. Nam omnes ex uno pane participamus. Videte Israelẽ iuxta carnem. Nonne qui edunt uictimas, consortes sunt altaris? Quid ergo dico? Quod simulacrum aliquid sit? Aut quod simulacris immolatum aliquid sit? Non, sed illud dico, quod quę immolãt gentes, dæmonijs immolant & non Deo. Nolim autem uos consortes dęmoniorũ fieri. Non potestis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. An prouocamus dominum? Num fortiores illo sumus?

Cohærent hæc omnia, quare nolui lectionem eorum diuellere. Nam sensus priorum à posterioribus depẽdet, qui in summa talis est. Participes estis mensæ domini, quare nõ conuenit ut participes sitis mensæ eidolorũ. Non debetis igitur comedere de mensa illorum, ne participes illius sitis, aliàs irã Dei in uos prouocabitis. Summam hãc sic ordina. Particeps mensæ domini non potest esse particeps mensæ eidolorum. Vos participes estis mensæ domini. Ergo non potestis participes esse mensę eidolorum. Maiorem non probat, tanquam per se notam. Minorem probat. Conclusionẽ simpliciter ponit, ex præcedentibus palàm resultantem.

VT prudẽtibus loquor, iudicate uos quod dico.] Priusq̃ certa argumentatione cõuincat, absurdũ esse & cõtra Christi sacramentum q̃d faciebant, præfatiuncula hac reddit eos paulò attentiores, qua primum illis hoc tribuit, quod

quod sint φρόνιμοι, id est, uiri mente & intelligẽtia sic prædíti, ut facile de ijs quæ dicuntur iudicare queant. Deinde permittit ipsis ut iudices sint eorum de quibus est dicturus. Quasi dicat. Scio me loqui non pueris, sed uiris prudẽtibus, quare quæ dicturus sum uestro ipsorum iudicio subijcere nõ uereor. Sic enim sunt manifesta & indubitata, ut, modo quæ uera sunt probare uelitis, haudquaquam ea in quæstionem trahere possitis.

Sed quæret hic quisquam, quomodo eos hic uiros prudẽtes uocet, cum suprà cap.3. uocarit carnales ac paruulos in Christo, quibus nondum queat solidum cibum sed lac subministrare cogatur. Respondeo. Discernendũ est primum inter fideles ecclesiæ Corinthiorum, deinde inter ipsas causas de quibus ad eos scribit. Puerile admodum erat, contendere de ministris, & secundum diuersam illorum qualitatem scindere ecclesiam in sectas. Huius mali causa erat rudis rudiũ zelus. Quare eos qui illo laborabant carnales ac paruulos uocat. In præsenti uero causa à priori admodum diuersa, negocium illi erat cum prudentioribus, qui cæteris erant in causa fidei instructiores quidẽ sed non meliores. Plurimum iactabant scientiam & fidei nescio quam pręstantiam. Deinde & iuxta sæculum erant reliquis prudentiores. Hi se accommodabant sæculo quo crucis molestias effugerẽt, ideoque cum infidelibus in conuiuijs immolaticijs miscebãtur. Ipsa autem causa sic erat comparata, ut etiam iuxta sęculum prudentibus facilis esset cognitu & iudicatu. Quid enim manifestius est & irrefragabilius, quàm nihil esse debere communicationis Deo & dæmonibus, & eos qui participes sunt mensę Christi, non debere, imò nec posse participes esse mensæ dæmoniorum? Hactenus uocat eos prudẽtes, & constituit in causa tam manifesta argumenti huius iudices. Quæ uero suprà cap.3. scribit, ad eos pertinent, qui in causa rudiori ipsi quoque rudiores corrigẽdi erant. Quare nihil hic est contradictionis. Contradictio nanque non est nisi in ijsdẽ. Pro sua prudentia Apostolus accõmodat se & causæ de qua, & personis, cum quibus agit. Durũ uidebatur, quod dixerat: Qua propter dilecti mei fugite à simulacrorum cultu, quibus uerbis accusationem exaggerauerat. Nihil enim illi minus quàm cultores simulacrorum uideri uolebant, nec ferre poterant, ut quod cum infidelibus de immolaticijs edebant, tanquã confine cum cultu simulacrorum repræhenderetur. Vt hãc duriciem emolliat, & dicti sui æquitatem declaret, iudicium causæ quam agit defert ipsis, tanquam cęteris prudentioribus. At hi ipsi erant, quos redarguebat & accusabat. Sic igitur ut confidentiam suam in hac causa declaret, ipsos reos repræhensionis huius iudices constituit.

Admonemur igitur hoc loco, non esse insolitum ac nouum, si uiris prudentibus accidat, ut ea faciant, quæ ipsorum iudicio, si rite admoneantur, defendi nequeant. Hoc enim genus hominum non peccat zelo rudi & inerti, sed quod habet prudentiæ accõmodat ad declinandum odium mundi, & ad comminiscẽdas excusationes eorum quæ astute faciunt.

Deinde uidemus hic quãta sit esseq; debeat uis ueritatis in ecclesia Dei, in eo quod dicit: iudicate uos quod dico. Tanta uidelicet, ut etiam ab illis, qui repræhenduntur & accusantur, ad ipsorum condemnationem agnoscatur & approbetur. Prorsus impij sunt, qui contra suam ipsorum conscientiam quod falsum esse sciunt admoniti defendunt, & quod uerũ esse norunt impugnant & negant, quibus minister uerbi Dei imprudenter dicturus est: Vt prudentibus loquor, iudicate uos quod dico. Nolim hoc patribus concilij papistici dicere, quia non sunt iudices constituendi eorum de quibus accusantur.

Poculum benedictionis cui benedicimus, nõne cõmunicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne cõmunicatio corporis Christi est?

Pertinẽt ista ad probationem minoris, usq; ad illud: Quid ergo dico? Quod simulacrum aliquid sit? Minor aũt est in hac argumentatione: Vos estis participes, corporis ac sanguinis domini. Probat hanc per expositionẽ ritus ecclesiæ Christi, quo communiter quidem omnes panem domini de mensa illius edebãt, & poculum bibebant, uerum non ita communiter omnes mysterio illius sese accõmodabãt, alioqui nemo ex illis de mensa eidolorum cõmunicasset. Ad ritum sacrũ pertinet, quod dicit: Poculũ benedictionis, cui benedicimus. Item, panis quem frangimus, ad expositionem uero illius, quod addit: nonne communicatio sanguinis Christi est? Et: nõne communicatio corporis Christi est? Quasi dicat. Estis ergo uos participes corporis ac sanguinis domini, quotquot de poculo hoc bibitis, & de pane domini editis.

Poculum, inquit, benedictionis, cui benedicimus. Loquitur omnino de poculo & pane cœnę dominicę. Vocem ποτήριον, id est, poculũ, ponit pro uino quod est in poculo, continens pro contento. Nisi ex uerbis Christi, quibus se non amplius de germine uitis bibiturũ dixit, cum poculum hoc mysticum discipulis in ultima cœna porrigeret, expressa esset potus species, ut uinum eos in cœna bibisse constet, ex hac uoce ποτήριον nemo [illegible]to colligeret, quonam genere potus usus esset Christus, nosq; uti uoluisset. Sunt enim multa ac uaria genera liquidorum, quę iuxta cuiusq; regionis ac gẽtis conditionem communiter bibuntur. Alij bibunt uinum, alij ceruisiam, alij melicraton, alij aquam tantũ. Et tamen cõmuniter, quicquid bibatur id unde bibitur ποτήριον uocatur, etiam si aqua bibatur, quemadmodũ & Christus Matth.19. loc[illegible]tus est dicens: Quicunq; dederit ad bibendu[illegible] uni ex pusillis istis poculũ

aquæ frigidæ,&c.Hac consyderatione defendi possent aquarij, qui aqua tantum usi sunt in cœna mystica, & alij, qui pro regionũ suarum conditione ac more alio,quàm uini potu utũtur,idq; nulla alia ratione faciunt,quàm quod uino destituuntur.Sic sentiẽs,eos excipio, qui superstitionis gratia ab eo deflectunt,quo dominum usum esse constat.

Quod materialem poculi qualitatẽ attinet, nusquam expressum est,aureum ne,uel argenteum,uel uitreum,uel stanneũ aut plumbeum uel ligneum fuerit, quo usus est Dominus. Nec uspiam de eo constituerunt Apostoli.Sciebant illi quæ fuerit simplicitas & frugalitas mensæ Dominicæ, & quàm Sacramenta aurũ non quærant, nec auro commendentur, quæ auro non emuntur.Quondam,inquit Bonifacius martyr & episcopus,nõ aureis,sed ligneis calicibus utebantur sacerdotes. Postea Vrbanus papa omnia fecit argentea.Concilium Triburiense decus ecclesiarum cẽsuit esse in auro uel argento, ideoq; cõstituit,ut post simplicitatem & frugalitatẽ prioris ecclesię nullus sacerdos in ligneis uasculis mysteria sacra conficere præsumat,ne unde placari debet inde irritetur Deus.Qua in re uidemus quomodo paulatim põtifices & episcopi à uero sensu mysteriorũ & à simplicitate prioris ecclesiæ ad splẽdorem sęculi defecerint. Sic factũ est,ut ecclesia,quæ olim lignea pocula & ministros aureos habuit, nunc habeat aurea pocula & ministros ligneos.

POCVLVM,inquit,benedictiõis,cui benedicimus.] Non simpliciter dicit:Poculũ quod bibimus,& panis quẽ edimus, sed poculũ benedictionis,cui benedicimus,& panis quẽ frãgimus,quo se non de ꝓphana, sed mystica dñi mensa loqui significet, uocat autẽ poculũ cœnæ dominicæ,poculũ τῆς ἐυλογίας, quod uertũt, calicẽ uel poculũ benedictionis. Saluo sano aliorũ iudicio,uerti poterat:poculũ collectę,uel collationis,uel ut hanc uocẽ Erasmus,2.Cor.9. uertit, bonæ collationis ubi de collectione agitur, qua contributio fideliũ in usus pauperũ colligebatur,quã Apostolus illic omnino ἐυλογίαν uocat dicẽs, ut præparent ante promissam ἐυλογίαν uestram. Quoniã autẽ constat primos Christianos in Synaxi sua,qua cœnam domini celebrabãt,nõ modo comedisse unà, sed& attulisse secũ,quæ in usus pauperũ distribuerent, eamq; contributionem uocatam esse collectã, quę uox adhuc in usu est papistice missantibꝰ, ut uocant, cum rem ipsam prorsus ignorent, existimo Apostolum hoc loco, mẽsam dominicam uocare ἐυλογίαν, (quam postea uocarunt agapen,id est,dilectionẽ) præsertim cũ ea uox nota esset inter Corinthios,ex frequenti collectionis huius usu.Hoc itaq; sensu poculũ mẽsę dominicæ uocat poculũ Eulogię.Q.d.Poculum illud quod in cœtu sacro, dum eulogiã facimus, cũ benedictione & gratiarũ actione sumimus,&c.Verũ quemadmodũ dixi,sint hæc saluo aliorum iudicio annotata ne quis hic mihi litem moueat. Chrysostomus ἐυλογίαν retulit ad Deum,accepitq; pro ἐυεργεσία.i. beneficẽtia Dei.Sic enim exposuit. Ευλογίαν γὰρ ὅταν εἴπω, πάντα ἀναπτύσσω τὸν τῆς Ευεργεσίας τοῦ θεοῦ θησαυρὸν, καὶ τῶν μεγάλων ἐκείνων ἀναμιμνήσκω δωρεῶν. Alij uel consecrationem per ἐυλογίαν, uel gratiarũ actionẽ intelligunt,ut quod sequit̃ ὃ ἐυλογοῦμεν,id est,quod benedicimus,præcedentis τῆς ἐυλογίας sit expositio, sitq; poculum eulogiæ nihil aliud quàm poculum consecrationis, uel poculum gratiarum actionis.

CVI benedicimus inquit.) Græce est, ὃ ἐυλογοῦμεν,id est,quod benedicimus. Vertit Eras.cui benedicimus quasi sit ὃ positum pro ᾧ.Chrysostomus sic exponit.Nos enim postquam ineffabilia beneficia Dei, & quibuscunq; potiti sumus,super hoc poculo recensuimus,tum accedimus & cõmunicamus, gratias agẽtes, quod ab errore genus humanum liberauit,quod lõge remotos reddidit propinquos, quod spe destitutos & sine Deo existentes in mũdo fratres suos & cohæredes constituit, ubi pro his & talibus uniuersis gratias egimus,accedimꝰ. Hæc ille,cui ὃ ἐυλογοῦμεν idem est quod ἐπὶ ᾧ ἐυχαριστοῦμεν, id est, super quo gratias agimus.Et hũc sensum puto esse retinendum potius quàm ea quæ nonnulli hic de consecratione calicis cõminiscuntur,quod Lyranus facit dicẽs, cui benedicimus nos sacerdotes,quia licet consecratio ista fiat sola diuina uirtute, tamen sacerdotes proferunt consecrationis uerba & pro tãto benedicere dicuntur,seu consecrare.

Illud,quod poculi huius mentionẽ pręmittit,cũ secundũ ordinẽ institutionis dominicæ fractioni panis subijciẽda uideatur, puto non esse certa aliqua ratione factũ,propter quã cõmunicatio poculi huius fractionẽ panis præcedere debeat.Simpliciter loquutus est Apostolus,absq; solicita ratione seruãdi ordinis, propterea quod nõ in eo erat,ut de celebrãda cœna domini,uel de institutione dominica præscriberet, id quod facturus est capite sequenti, ubi ordinẽ institutionis seruabit, sed ut ex mystica corporis ac sanguinis domini communicatione argumentum sumeret, proposito suo accõmodum,ubi nõ referebat,utrius mẽtionẽ panis uel poculi primo loco faceret. Alius aliud cõminiscitur, uerũ hoc pacto simplicius ad hanc quæstionẽ respõderi posse puto. Hieronymus dicit: Ideo primũ calicẽ nominauit, ut posset de pane latius disputare. Verũ in sequentibus non erat de pane tantum, sed & de poculo mentionem argumentando facturus. Quare infirmior est hęc ratio,quàm ut aliquid habeat momenti. Sunt qui dicant sanguinis hoc esse dignitati datum ab Apostolo,ut prior illius fieret mentio,ꝓpterea quod sit loco animæ,quæ potior est corpore. Verum qui sic sentiunt,non uident Christum incogitantiæ damnari, quod non & ipse habita dignitatis huius ratione de poculo prius,deinde de pane cõstituerit.Nonnulli respiciunt ad morem Ebræorum, quibus exordia cœnæ à potu sumuntur.

Et huc facere putant, quod in Luca cap. 22. prius de poculo memoratur, quàm de pane. Verum nec mos Ebræorum exemplo nobis in cœna domini esse debet, nec poculum illud Iudaici Pascatis, cuius prior fit mentio, ad mysterium pertinebat, quod erat post illud separatim instituendum à domino, sed ad ritum ueteris Pascatis. In testamēti Noui institutione non poculum, sed fractio panis præcessit. Quare neque hæc ratio talis est, ut sit hoc loco in medium adferenda, & Apostolo tribuenda. Puto itaq; satius esse, ut nullam rationem adferamus eius rei, quam ab Apostolo nulla certa ratione factam esse apparet.

NONNE communicatio sanguinis Christi est inquit?) Expositio est sacri ritus, quo de poculo domini participat ecclesia Christi. Est ea communicatio non prophana, sed mystica. Prophana non eget expositione. Est enim uini tantum, non spiritualis, sed corporalis, & omnibus manifesta, mystica uero quoniam aliud habet intellectu, & aliud externo aspectu, adeoq; non secūdum id quod foris geritur, sed secundum id quod ab ipso authore sancitum & institutum est intelligendum uenit, expositionem requirit, qua secretum ipsius exprimatur. Exponens igitur quid sit poculū illud Eulogiæ, in quo communicat ecclesia, dicit esse communicationem, nō uini tantum, sed cum primis sanguinis Christi. Et de uino participamus, uerum quoniam communicatio ista non est propter uinum, sed propter mysterium sanguinis Christi redemptionisq; nostræ beneficium rememorandū ac fideli mente ueluti ruminandum institutum à domino, conueniens est, ut expositio illius per prædicatum potioris fiat, propter quod significandum externa illa uini cōmunicatio usurpata est, quàm eius quod non propter se, sed illius gratia usurpatur. In uino signum est, in sanguine uero signatum. Signum propter signatum est, non signatum propter signum. Quare in expositione signi non conuenit, ut dicamus: Poculum eulogiæ communicatio uini est, sed dicendum est: Poculum eulogiæ cōmunicatio sanguinis, & panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est. Et quoniā hæc sacramenti conditio nota erat fidelibus, non simpliciter dicit: Poculum eulogiæ communicatio sanguinis Christi est, sed, Poculum eulogiæ nónne communicatio sanguinis Christi est? &, Panis quē frangimus, nónne cōmunicatio corporis Christi est? Dixerat enim: Vt prudentibus loquor. Iudicate uos quod dico. Quoniam ipsos cōstituerat causæ huius iudices, ut illam ipsorū iudicio censendā permitteret, dixit: nónne communicatio sanguinis Christi est? quasi dicat: De poculo eulogiæ pronunciate uos ipsi, an non sit illud communicatio sanguinis Christi. Vis argumenti erat in hoc articulo. Ideo ut indubitatam illius certitudinem contra ipsos exprimeret, hoc pacto loqui uoluit.

Nec ociosum est, quod non dicit: Poculum eulogię quod benedicimus, nónne sanguis & panis quem frangimus, nónne corpus domini est? sed, Poculum eulogiæ quod benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? &, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Poterat de symbolis istis pronunciare secundum Seruatoris ipsius uerba ac dicere, Poculum est sanguis & panis est corpus Domini, uerum quoniam ad propositum ipsius faciebat, ut contra communicationem mensæ dæmoniorum communicationem mensę Christi obijceret, noluit simpliciter hæc in se mysteria consyderanda proponere, sed magis argumenti sui uim ex eo nectere, quod illa sunt sacramentaliter communicantibus. Sic argumentatur non ex rebus ipsis sed ex illarum cōmunicatione, inq; illa consyderādum proponit, quàm absurdum sit eos participes esse mensæ dæmoniorū, qui solenni sacramento de corpore ac sanguine Domini participant.

PANIS quem frangimus inquit.] Non est animus singula quæ ad materiam hanc pertinent accuratius persequi. Nam de illis uolente domino, uidebimus in locis communibus ubi de cœna domini dicēdum erit. Obiter hic admonēdus est lector: ut obseruet quomodo Apost. loquat: Panis, inquit, quē frāgimus. Nō dicit, species uel accidens panis, sed panis quē frāgimus. Nec dicit panis quē consecramus & transubstantiamus, sed, quem frangimus. Agnoscamus simplicitatem Apostolicam, ignaram commenticiæ transsubstantiationis. Panem uocat, idq; in ipsa sacra fractione, id est, distributione, quem Papistæ panem esse negant. Idem & de poculo sentiamus. Nam eadem est utriusque & panis & uini ratio. Quare si quod frangitur in cœna domini, panis est, utiq; uinū est, quod è poculo bibitur.

COMMVNICATIO, inquit, est corporis domini.] Non dicit, fractio est corporis domini, sed cōmunicatio. Panis frangit̄, nō corpus domini. Nulla rei fit scissura, signi tantū fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur. Fracturā signi cōmunicatio sacramentalis requirit. Non enim potest fieri, ut de pane nō fracto cōmunicent edentes, quē ut distribuatur necesse est frāgi. Dominici uero corporis ea est cōditio, ut integrū possit cōmunicari fidelib⁹. Non diuiditur Christus, sed integer totus manet in cœlo, & in cordibus fideliū, cuius cōmunicatio sacramētalis p fractionē panis fit in sacramēto. Nimis pueriliter sentiūt, qui corpus & sanguinē Christi, nisi per diuisionē cōmunicari nō posse putant, quasi rerum integrarum nulla possit esse communicatio. Sol integer in cœlo manens communis omnibus lux est, & Christus integer in cœlo nō posset cōmunicabilis esse fidelib⁹, nisi diuidatur? Num diuisus est Christus? inquit Apostolus, supra cap. 1.

De cōsecr. distin. 2. c. Inuitat.

Sed dicet rudis adhuc in fide. Cum in sacramento separatim sit corporis illius in pane, & sanguinis in uino instituta cōmunicatio, quēadmo-

admodũ hic Apostolus diserte dicit: Poculum eulogię quod benedicimus, nónne cõmunicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frãgimus, nónne cõmunicatio corporis Christi est? quomodo nõ est diuisus Christus? & quomodo de integro & non diuiso participamus? An nõ ipsa corporis ac sanguinis eius cõmunicatio manifestam habet diuisionem? Respõdeo.

Quo rudiores huiusmodi instruantur, explicãdũ est, quotuplex sit corporis ac sanguinis Christi cõmunicatio. Hanc inuenio quadruplicem, naturalẽ uidelicet, sacramentalẽ, spiritualẽ, ac cœlestẽ. 1 Naturalis est, qua eiusdẽ cũ illo sumus naturæ, eiusdẽ carnis, & eiusdẽ sanguinis, quatenus uerus homo est, & filius Adę, per omnia nobis similis & ὁμοούσιος dẽpto peccato. Et de hac cõmuniõe plurimũ gloriãtur fidelis. Licet enim sit uniuersalis, omnes homines cõplectens, illis tamen potissimũ est, & bono & honori, qui incarnationis illius fructũ fide percipiunt, quos etiam ipse fratres suos uocare dignatur, & quorũ potissimũ gratia homo fieri uoluit, iuxta illud Ebr. 2. Quoniã pueri cõmunicauerunt in carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorũdem, ut per mortẽ aboleret eũ, qui mortis habebat imperiũ, hoc est, diabolũ, &c. Et hinc est quod carnẽ nos de carne, & os de ossibus eius esse non more Iudæorum, qui de carne tantum pręsumunt, sed fide ad mysterium incarnationis respicientes gloriamur.

2 Sacramẽtalis est, qua secundũ institutionẽ dominicã, de sacramẽtalibus corporis ac sanguinis illius symbolis, pane ac uino, in ecclesia cõmuniter participamus. De hoc loquit᷑ Apostolus hoc loco, uocãs eam cõmunicationem corporis ac sanguinis Christi, respiciens nõ ad externa symbola panis ac uini, sed ad mẽtem institutionis dominicæ, & rationẽ sacramẽtalium signorũ, qua signo nomen signati tribuitur, qua de & suprà paucis admonuimus.

3 Spiritualis est, qua spiritu de fructu carnis ac sanguinis Christi, ꝓ peccatis nostris crucifixi, per fidẽ participamus, eiusdemq; gratiæ & redemptionis cõsortes sumus. Qui sic spiritualiter cõmunicãt, hi nõ in sacramẽto, ut cũ Augustino loquar. i. sacramẽtaliter tãtũ, sed & uere carnẽ Christi manducãt, & sanguinẽ bibũt, hoc est, uere de merito & fructu mortis illius uiuunt. In istis uere impletur, quod per sacramentalia signa, sacramẽtaliter in ecclesia externa cõmunicatione geritur. Et hæc spiritualis cõmunicatio non est sic alligata sacramentali, ut nec extra illam locũ habere, nec à quoquã sacramentaliter communicante abesse possit. Notum est quod ex Augustino, de cõsecratione, dist. 2. Can. Quia passus, legitur ad hunc modum. Nulli est aliquatenus dubitandũ unumquenq; fideliũ corporis ac sanguinis dominici tunc esse participẽ, quãdo in baptismate membrũ efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisq; cõsortio, etiamsi anteq̃ panẽ illũ comedat, calicemq; bibat de hoc sæculo migra-

A uerit, in unitate corporis Christi constitutus. Sacramẽti quippe illius participatione ac beneficio nõ priuatur, quãdo in ipso hoc quod sacramentũ significat inuenitur. Hæc ibi: Ergo quod sacramentum significat in homine fideli tanquã membro corporis Christi, etiam extra sacramentũ inuenit᷑. Deinde nimis freque͂ter accidit, ut externe de sacramentali corporis ac sanguinis Christi cõmunicatione participet, qui tamẽ ueræ ac spiritualis cõmunionis prorsus est expers. Sic de cõsecr. dist. 2. legitur: Qui discordat à Christo nõ mãducat carnẽ eius, nec bibit sanguinẽ eius, licet tantæ rei sacramentũ ad iudiciũ suæ perditionis accipiat. Ergo fieri potest, ut sacramentum corporis ac sanguinis Christi accipiat, q tamẽ nec mãducet eius carnem, nec sanguinẽ bibat. Est itaq; sacramẽtalis cõmunicatio, cõmunis omnium Christianorum, spiritualis uero fidelium tantum.

4 Cœlestis est cõmunicatio, qua corpora nostra in futuro sęculo corporis Christi glorificati cõsortium & cõfigurationẽ acquirent, cuius mentionẽ facit Apost. Phil. 3. dicẽs: Nostra cõuersatio in cœlo est, ex quo & Seruatorẽ expectamus dominũ Iesum Christũ, qui trãsfigurabit corpus nostrũ humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundũ efficaciã, qua potest etiam subijcere sibi omnia. Quadruplicem hãc corporis Christi cõmunicationẽ in scripturis inuenio. Prima est mortalium omniũ, secũda Christianorũ promiscue, tertia & quarta electorũ ac fidelium tantũ. Priores duę sine tertia nõ saluant, per quartã salus & felicitas nostra absoluetur. Iã quod pręsentẽ quæstionẽ attinet, nec prima corporis ac sanguinis Christi cõmunicatio, nec tertia, nec quarta requirit, ut de diuiso Christo participemus. Sumus enim ut ueri ita & integri hominis Christi ὁμοούσιοι. Deinde & totus nobis & integer simul est & cibus & cõuiuator. Quare cõmunicatio spiritualis nullã illius diuisionẽ requirit. Nec postremę cõmunicationis ea est cõditio, ut diuisum Christũ poscat. Restat secũda quæ sacramẽtalis est. In hac ꝓponit᷑ nobis diuisio & fractura, quia sub imagine externi cibi ac pot⁹ spiritualis communicatio sacramentaliter ꝓponitur. Quod corporis alimoniã attinet, aliud est edere, & aliud bibere, aliud cibus & aliud potus, aliud panis, & aliud uinũ. In gratia uero & spirituali alimonia nõ habet locũ huiusmodi discrimen. Hic idem est edere ac bibere, cibus & potus. Sic Christũ edimus ac bibimus, hoc est, per carnẽ ac sanguinẽ eius credẽdo uelut edẽdo ac bibẽdo ad uitã æternã reficimur. Huius refectionis symbola, quoniam externa sunt, & ad terrenũ cibãdi ac potandi modum attẽperata, diuisionẽ habent, propter naturæ suæ imbecillitatẽ. Panis enim terrenus sic pascit esuriẽtẽ, ut nequeat simul potare sitientẽ. Et uinũ sic potat sitientẽ, ut nequeat simul pascere esuriẽtẽ. Constat autẽ plena corporis nostri alimonia, haud cibo tãtũ, sed & potu, quia non esurie duntaxat, sed & siti labefactatur &

perdi-

perdiť. Vt admoneamur igiť plenā nobis & pfectā in Christo paratā esse refectionē, gratia illiꝰ utriusq; & cibi & potꝰ symbolis natura sua distinctis ac diuisis sacramentaliter ꝓponiť, cū tamē ipsa nos, absq; diuisione integra & plena sic reficiat, ut ad ueram sempiternamq; uitam tam conseruandam quàm cōferendā sufficiat. Quare diuisionem hanc sacramenti non debemus transferre ad ipsum Christū, quasi in partes diuisum, quarū aliā edamus, & aliā bibamus. Diuisio ista, quæ in sacramento est, sacramentali est communicationi relinquenda, & non ad spiritualem trāsferēda. Simul cauendū est, ne qua pars sacramenti auferatur, ne ex plenæ refectionis mysterio mutilum & imperfectū reddamus. Est enim integritas sacramenti huius, nō cibi tantū, sed & potus symbolo cōpræhensa, quia non dimidiatæ, sed plenę refectionis gratiam fidelibus proponit. Quare sacrilegium admittunt, qui partem aliquam de illo auferunt, id quod in Papatu contentiosissime fieri uidemus.

Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim de uno pane participamus.

Habent ista ætiologiā, ad declarationē prçcedentiū subiectā, quā aliter atq; aliter exponi uideo. Dicā cum pace aliorū quid mihi uideatur. Dixit panē quē in ecclesia frangimus, esse κοινωνίαν, id est, cōmunionē uel cōmunicationē corporis Christi, in cruce uidelicet ꝑ nobis traditi, quod ad hoc dixit, ut minorem argumēti sui probaret, esse scilicet eos cōsortes corporis & sanguinis Christi. Sunt aūt dictæ iā sententię duę partes. Vna subiecti, altera prædicati, quo de pane fracto prędicat, quod sit cōmunicatio corporis Christi. Quod panis iste sacramētum sit & mysteriū corporis Christi, ex ipsius Christi uerbis patet, quibus dixit. Hoc est corpus meū, quod pro uobis traditur. Quod uero fractio ac distributio illius nō modo participatio sed & cōmunicatio sit corporis dñi, quoniā à Corinthijs nō satis obseruabať, consequenter erat admonendū & exponendū. In cōmunione est unitas duplex. Cōmunicati uidelicet, & cōmunicantiū. Cōmunicantes uniuntur inter se, uirtute cōmunicationis rei eiusdē, per quā redduntur cōmunio. Sic incolas eiusdē ciuitatis, uocamus cōmunionē, *ein gemeind*. Deinde uniuntur etiā cum re cōmunicata, cum illa in cōmunem usum conuertitur, præsertim si uel corpore uel spiritu, communiter usurpetur. In cœna domini sunt cōmunicantes, & res cōmunicata. Communicantes uirtute cōmunicationis rei eiusdem, de qua participant omnes, cōmunio reddūtur, atq; ita inter se coadunātur, ut recte unū corpus uocenť. Res ipsa quoque quæ in cōmunicationē omniū uenit, & in qua coadunantur, quotquot de illa participāt, cum cōmunicantibus coadunatur. Est aūt hęc corpus & sanguis Christi, cuius communicationem supra sacramentalem & spiritalē esse

A diximus. Qui spiritu nō in sacramento tātum communicant, uere cum eo uniuntur, de cuius corpore ac sanguine participant. Quoniā uero argumētū suū Apost. à sacramētali cōmunicatione quæ in panis est fractiōe, & poculi distributione, ducere cœpit, quod illa, tāquā cōmunis omnium ad quos scribebat, ꝓposito ipsius esset aptissima, panis uocabulū retinet, & huiꝰ unitatem simul & generalem omniū communicationē urget, dicens: Quoniam unus panis, intellige, est, de quo uidelicet cōmunicamus, & nos multi, unū corpus sumus. Vides urgeri unitatē utranq; cū rei cōmunicatę, tū ipsorum cōmunicātium? Deinde uide quomodo probet quod dixit: Vnū corpus multi sumus. Omnes enim, inquit, de uno pane participamus. Non alius de alio, sed omnes de uno. Quasi dicat: Quāuis multi simus, unū tamen corpus sumus quod patet per unitatē panis, de qua participamus omnes. Panis aūt ille unus, de quo cuncti participamus, sacramentū est, & fractio illius, per quam ille nobis omnibus communicatur, cōmunicatio est corporis Christi. Sumus igitur omnes consortes ac participes corporis Christi, quotquot de pane hoc eulogiæ participamꝰ. Et uos hoc cōmuniter facitis. Ergo consortes & participes estis corporis Christi. Non poteritis igiť cōsortes esse dæmoniorū, id quod paulo pòst est illaturus. Et hāc prçsentis loci expositionē puto germanam esse & facilē, quam obscurat uetus uersio, quæ habet,

B quoniā unus panis & unū corpus multi sumꝰ, quasi dictio panis methaphorice posita sit, & ad ecclesiā fidelium referri debeat. Videtur ex eo quoq; obscurari hic sensus, quod uerbum substātiuū, est, nō est expresse adiectū, ut legať. Quoniā unus est panis. Verū nō debet hoc insolēs uideri in homine Ebræo, si etiam Græce scribēdo subinde Ebraismis utať. Solēt Ebræi sic loqui. יהוה אחד. i. Dominꝰ unꝰ, אלהים אחד id est, Deus unus, pro, dominus unus est, Deus unus est. Sic ipse quoq; Apost. loquiť, Eph. 4. unus dñs, una fides, unū baptisma, unus Deus & pater omniū, &c. Et. 1. Tim. 2. Vnus Deꝰ, unꝰ & meditator Dei & hominū, &c. ubi sane uerbū hoc, est, nobis subaudiendū uenit, ne quod aliud prædicatū desyderet, quod de uno Deo, uno domino, &c. prædicetur. Consimiliter & hoc loco, cū dicit: כי לחם אחד. i. Quoniā panis unus, recte subintelligimus uerbū, est, & referimus ad panē eulogiæ, de quo argumētari cœpit. Hanc sentētiā citra contentionē in mediū adfero, interim haud quaquam aliter exponētibus præiudicare uolēs. Nec est ut dicat imperitꝰ: Quō numerosa ecclesia in qua aliquot milia communicant, de uno pane participare poterit? Vnitas panis huius non est ad unitatē unius orbiculati panis, sed magis ad unitatem institutionis, sacramenti, & communicationis referenda. Quemadmodum unius domus familia recte unū & eundem panē māducare dicitur, etiā si plures orbes uno prādio absumat, sic in mensa Christi recte omnes cōmunicātes

de uno & eodem pane participare dicuntur, licet propter cōmunicātium multitudinē unus orbis nō sufficiat. Illud. Oēs enim de uno pane participamus, in uulgata uersione absq; nota causali sic legitur, omnes q de uno pane & de uno calice participam⁹. Annotat Erasmus esse qui legāt: omnesq; de uno pane participam⁹. Quod si uocula, γὰρ, abijci posset, meo iudicio rectè sic legeretur: unum corpus multi sumus, qui omnes de uno pane participamus. Cæterum de metaphora & unitate corporis ecclesiastici dicemus infrà cap. 12. ubi de illa maior erit dicendi occasio.

Videte Israelem iuxta carnem. Nōne qui edunt uictimas cōsortes sunt altaris?

Erasmus uertit, sacrarij. Sed cū in Græco sit θυσιαστηρίου, melius est, altaris, quēadmodū & uulgata uersio habet. In eo est Apost. ut ostendat Corinthijs, esse ipsos consortes Christi. Et huc usus est argumento à cōmunicatione mystici panis & poculi sumpto, cui⁹ uis in eo est, quod cōmunicatio signorum ad ipsa signata extenditur. Est enim hæc signorū cōditio, ut omnis illorū usus signatis seruiat, & ad illa referatur, perinde atq; uerba ad sensum ac mentē loquētis. Et quoniam rationē hanc & משפט signorum non satis obseruabant, ne recens & singulariter in causa cœnę dominicæ excogitatā putarent, ostendit eam esse generalem sacrorum omnium, nō modo recentiū, sed & priscorum, non Christianorum tātum, sed & Israëlitarum imò & Gētium. Sic dicit: Videte Israëlē iuxta carnem, quasi dicat: Nihil noui adfero. Quod dico non inter nostræ tantū fidei cōsortes, qui Christiani uocamur, in causa cœnę dominicæ, sed & in alijs aliorum populorum sacris locū habet. Exēpli gratia inspicite Israëlē illiusq; sacra. Habent illi adhuc suum altare & sua sacra oblationes & uictimas, de quibus qui comedūt, nónne cōsortes sunt ipsius altaris, adeoq; & totius religionis illorum? Si quis Christianus comedat uictimas Iudæorū, ac sacris illorum misceatur, nónne & religionis illorū particeps esse cēset? Quare qui Iudæus haberi nō uult, à sacris illorū abstineat necesse est. Sic hic quoq; cōparatū est, ut qui edunt panē eulogię consortes sint corporis Christi. Quod autē nō simpliciter dicit: Videte Israëlē, sed addit, iuxta carnē, facit ad discrimen uerorū ac spiritualiū Israëlitarum, qui post Euangelicæ lucis reuelationē umbris legalibus renunciabāt, & Christo adhærebāt, à quibus eos discernit, qui Israëlitæ non erant, nisi secundum carnis propagationē. Sic specificationis huius notā, qua dicit, secundum carnē, referendā esse puto nō ad discrimen sacrorū, Iudæorū & Christianorum, sed ad propagationē carnis, qua sola carnales illi & increduli Iudei ad posteritatē Israëlis pertinebant. Hiero. refert ad sacra Iudęorū, quod illa sint iuxta carnem, Christianorū uero iuxta spiritū. At meo iudicio, si non accedat fides nostris sacris, baptismati uidelicet & cœnę dominicę, nihilominus carnalia sunt q̄ Iudęorum, & rursus, ubi fides Israëlis accessit, perinde spiritualia fuerunt atq; nostra. Sacrorū censura nō qualitate rerū externarum, sed fide ac spiritu constat. Quod uero uberior fides ac spiritus Noui testamenti sacris initio regni Christi accessit, singulari hoc dispensationi diuinæ prouidentiæ non qualitati sacrorum debetur. Qualia illa iam sint, sine dolore meminisse nō potero. Vtinam carnalia tantum sint, & nō superstitiosa, simoniaca & prophana.

Cōditio signorum.

VIDETE Israëlē, inquit, iuxta carnē.] Israël iuxta carnē, carnalis est Israël, nō spiritualis. Et huic carnali Israëli dat uictimas, sacrificia, altare, & altaris consortiū, hoc est & sacerdotiū & religionē, & cultus. Ergo externa hæc sacra, sacrorumq; cōmunicatio nō faciebāt ex carnali Israële spiritualē. Obsecro, an nō ęqua ratione dixeris, uidete Christianos, presbyteros & episcopos secūdū carnē? Hoc est, carnales & nihil minus q̄ spirituales. Quoniā enim alieni sunt à spiritu Christi, & externa sacra sine fide administrāt, à quib⁹ spirituales fieri nō possunt, q̄d restat q̄ ut sint carnales? Mille missæ ne unum quidem sacrificum ex carnali spiritualem faciunt. Et si singulis diebus millies ungātur, & toto corpore tondeātur, sumantq; sibi quāuis splendidos titulos, & carnales tamen sunt, & carnales esse nimis palam depræhenduntur.

NONNE qui edunt uictimas, cōsortes sunt altaris?] Potest referri ad Sacerdotes & Leuitas, hoc sensu. Nónne in lege esus uictimarum ad eos tantū ꝑtinet, q cōsortes sunt altaris. i. sacerdotij, ut q altari seruit, de altari uiuat? Quare qui uictimas edūt, ꝑpterea edūt, quod consortes sunt altaris? Perinde est ac si dicas, nōne qui sedent in curia, cōsortes sunt Magistratus? Sedere in curia, nō mox reddit Magistratū, nisi primū sis de ordine Magistratus. Verū non est hoc, nisi eorū, qui sunt de Magistratu. Sic edere uictimas nō est nisi cōsortiū altaris. Quare ad eam cōmunionē nō admittunt, nisi ad consortium altaris ꝑtinētes. Hoc sensu potest inferri. Cōsimili modo, nōne qui edūt uictimas eidolorū, cōsortes sunt eidolorū? Hoc est, nōne qui cōsortes sunt eidolorū, edunt uictimas eidolorum? Vos aūt nō estis neq; esse uultis cōsortes eidolorū. Nō cōuenit igitur ut eidolis immolata comedatis. Vtrolibet sensu accipias, satis fortiter arguit illicitū esse quod repræhēdit in Corinthijs. Prior expositio nitit uirtute & usu signorū externorumq; sacrorū. Posterior uero iure ordinis & sacri cōsortij, in quo nō conuenit locū esse exteris. Nónne qui edunt uictimas, inquit, cōsortes sunt altaris? Hic quoq; in Græco est uox κοινωνοί, cōmunicationis significationem habēs. Quæsierim igitur, quomodo hæc particula ad pręcedētia faciat, quibus panem in cœna domini fractum, cōmunicationē corporis, & poculū cōmunicationē sanguinis Christi esse dixit. Qui corpus & sanguinē dn̄i in cōmunicationē fideliū, nisi corporaliter ac realiter in pane & uino constituta, uel nisi per transsub-

transsubstantiationem panis & uini, uenire nō posse docēt, respondeāt quomodo altare lapideum in cōmunicationē edentiū uictimas uenire possit. An dicturi sunt esse illud ĩ unaquaque portione uictimarū corporaliter ac realiter? uel, uictimas trāssubstātiari in altare lapideum? Sunt hæc absurda. Sunt sane. Sed rogo quo sensu accipiēdū est, quod Apost. dicit: Nōne qui edūt uictimas, cōsortes sunt altaris? ne uel absurdū quid, uel alienū ab argumēto illi⁹ statuamus? An alio sensu accipiēdum est, q̄ qui præcedētibus cōueniat? Sed quomodo stabit Apostoli argumentū? Si dicas: Qui edunt panē cœnæ mysticæ, cōsortes sunt corporis Christi, & qui bibunt poculū illius, cōsortes sunt sanguinis Christi, an nequit hoc alia esse ratiōe uerum, q̄ tali, quæ in hac præsenti particula constare nō poterit? Absit hoc ab Apostolo, ut instar ebrij argumentādo adferat nō cohærētia. Viderint igitur qui cœlū terra miscētes uociferantur, auferri cōmunicationē corporis dn̄i ex ecclesia, nisi illud esse in pane corporaliter ac realiter, uel panē in illud transsubstantiari credamus, dicamus, & contendamus.

Quid ergo dico? Quod simulacrū aliquid sit? Aut quod simulacris immolatū aliquid sit? Non. Sed illud dico, &c.

In Græco est: Quid ergo dico? Quod simulacrū sit aliquid? uel quod simulacris immolatum sit aliquid? Sed quod q̄ Gētes immolant, dæmonijs immolāt, & non Deo. Vbi omnino negatiua subintelligēda est, & uel cū Chrysost. legēdum: Quid ergo dico? οὐχ' ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν. i. Non quod simulacrū aliquid sit. Vel cū Eras. Nō, sed quod quę immolāt Gētes, &c. Minori iā explicatæ subijciēda erat cōclusio: ergo non potestis participes esse mensæ eidolorū. Verū quoniā uidebatur idē de sacris eidolorū sentire, qđ de sacris Iudęorū & Christianorū, illisq; tribuere altare sacrificiorū & mensam mysticā & religiosam, ꝑpterea quod primū de pane & poculo cœnæ dn̄icæ, deinde de altari ac uictimis Iudęorū argumētū cōmunicationis inducebat, quo ꝓbaret, comedentes de externo sacro participes esse eius cui sacrificaṫ & immolatur, quasi tale qđ sit eidolū cui possit immolari, & cuius participes esse queant, qui immolata ipsi comedūt, eiusmodi cogitationi occurrit priusquā cōclusionem subijciat. Quid ergo dico, inquit? Quod simulacrū aliquid sit? Quasi dicat: Ergo hæc dicens uideor simulacris & sacrificijs illorū aliquid tribuere, cū supra nihil esse simulacrum in mūdo dixerim. Verū nihil illis tribuo. Scio & ipse, esse ea uana & inania figmenta, quæ per se nec prodesse nec obesse queant, sed hoc specto, quod quæ illis immolanṫ, nō Deo immolanṫ sed dæmonijs, atq; ita cōmunicatio eidolothytorū, cōmunicatio est dæmonū, nolim uero uos cōsortes fieri dæmoniorū. Sic cauet, ne simulacris numinis aliqđ tribuere, & sibijpsi parū cōstare uideatur, & simul conclusioni, quā subiecturus est, plurimū

Cap. 8.

auxesis parat, quo non simpliciter concludat: Ergo nō potestis mensæ eidolorum, sed: Ergo non potestis mēsæ dæmoniorū participes esse & mensę domini. Huc faciunt quod dicit: quę Gentes immolant, dęmonijs immolant, & nō Deo. Nolim autem uos consortes fieri dæmoniorum. His dictis, concludit dicens: Non potestis poculum domini bibere, & poculū dæmoniorum. Nō potestis mēsę domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Sed uideamus ista singulatim.

Quid ergo dico, inquit? Videmus hic q̄ circūspectio competat ministro Christi in causa quantūuis bona argumentanti. Curādum illi est, ut caute & circūspecte obseruet ne ꝓgressu argumentationis abreptus sibijpsi excidat, & præcedentibus contraria dicat, & si quid tale, uel aliàs sinistrum, ex dictis in speciem saltem colligi possit, ut mox occurrat, priusquā ad sequentia progrediatur. Nihil horū præstare possumus, ubi calore disputationis & contentionis præcipites ferimur, id quod in multis nostrorum tēporum scriptis uidere licet. Parum fideliter, uel certe parum prudenter docēt, qui satis esse putant, si quæ uera sunt dicant, & nō simul obseruant, quid auditor ex dictis colligere possit, cum fructus & finis sermonis pertineat ad audiētem, & inanis sit omnis sermo nisi rite, imo noxius, si male intelligatur, quātumuis ueraciter dicatur.

QVOD simulacrum aliquid sit? Aut quod simulacris immolatum aliquid sit? Nō.] In eo quod negat aliquid esse tam simulacrum q̄ simulacris immolatum admonemur quomodo sit de rebus sacris iudicandum, haud uidelicet secundum externam illarum faciem, & corporalis substantiæ materiā, sed secundū id cuius gratia pro sacris habentur, & religiose coluntur. Secundum hanc ipsorum qualitatem, aut aliquid sunt, aut nihil. Aliquid, si uere diuinarum rerum sunt signa. Nihil, si falsarū, in quib⁹ nihil est eorum quæ putantur. Sic simulacrum nihil est, quia species est sine ueritate eius rei, cuius gratia ponitur. Simulacrum Dei duplici nomine nihil est. Primum, quia figuram & effigiem Deus non habet, & prorsus est ineffigiabilis. Deinde quia falsa est opinio, qua cæci Deum in simulacro coli putāt, cum in illo magis dehonestetur, propterea quod incorruptibilis Dei gloria, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, &c mutatur. Roman. 1. Sic de simulacris tanquam simulacris iudicādum est. Aliud est esse aurum, argētum, æs, lignum, ferrum, lapidem, &c. & aliud, esse imaginem, uel haberi pro imagine alicuius rei. Secūdum priorem essentiam, de simulacris canit Dauid: simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, &c. Secundum posteriorem dicit Apostolus, nihil esse simulacrum. Sic de eo quoque dicendum est, quod subiungitur: Aut quod simulacris immolatum aliquid sit. Sacrificium pariformiter, aut aliquid est, aut nihil.

Aliquid, si uero Deo legitime. Nihil, si uel falso Deo, quocũq; modo, uel uero illegitime fiat sacrificium falsum & illegitimum nihil est, quia non est quod putatur. Nihil est opinione, nihil effectu. Tale est sacrificiũ illud Missæ papisticæ, quo se Christum Deo patri pro peccatis uiuorũ & mortuorũ offerre fingũt, & quod fingunt mundo seducto turpissime uendunt.

SED, inquit, quod quæ Gentes immolant, dæmonijs immolãt, & nõ Deo.] Atqui tã non erãt scienter impij ut dæmonijs, hoc est, malis spiritibus, immolare uellẽt, & non Deo uero. Quid est ergo quod dicit: quę Gẽtes immolãt, immolãt non Deo, sed dęmonijs? In sacrificijs Gentiũ sunt ista. Eidolũ, sacrificiũ, intentio sacrificantiũ, & mysterium impietatis. Sacrificãtes dũ immolãt eidolo, destinant sacrificiũ suũ nec ligno & lapidi, auro & argento, sed Deo, quẽ esse, & cuius numen in eidolo coli putãt. Quare quod sacrificantiũ intẽtionẽ attinet, immolant, nec simulacro, nec dęmonijs, sed Deo, ad quẽ sacrificia sua destinant. Quod uero mysterium ab oculis illorũ absconditũ attinet, immolant non Deo, sed dæmonijs, qui eiusmodi falsorũ cultuũ sunt authores, & in simulacris latitantes falsis miraculis & portẽtis seductas hominũ mentes ad se pelliciunt, & hoc genere cultuũ diuinitatis honorẽ ambiũt, Deoq; uero illudunt, cui p omnia aduersari student. Ergo non est de cultibus sacris secundũ intentiones nostras, sed secundũ ueritatẽ ipsorũ iudicãdũ, quam, quoniã abscõdita est à iudicio rationis humanæ, mysterium uoco, ex solo uerbo Dei, tanquã diuinæ uoluntatis indicio cognoscendum. Loquitur igitur Apost. non secundũ intẽtionẽ immolantiũ ethnicorũ, cũ dicit, quę Gẽtes immolãt, immolãt, nõ Deo, sed dęmonijs, sed respectu mysterij huius, quo cultus simulacrorum, non ad Deum, sed ad dæmones tẽdebat. Et hoc respectu Deut, 32. dicitur: Sacrificarunt לשדים .i. dæmonijs, & nõ Deo, & Leuit. 17. Et non sacrificabunt ultra sacrificia sua לשעירים .i. dæmonijs, post quos scortantur. Secũdũ hanc regulã puto satis esse manifestũ, quid de oĩbus illis sacrificijs & cultibus sentiri debeat, quib⁹ simulacra colunt̃, quantũuis bonã prætexant intentionẽ, & uel ad Deum uel sanctos sacrificia sua destinẽt omnes illi, quorum mẽtes doctrinis ethelothrescię sunt fascinatę.

NOLIM aũt uos consortes fieri dæmoniorum.] Si sola immolatio qua dæmonijs sacrificatur, & non etiã communicatio rerum immolatarũ consortes redderet dæmoniorũ, dicendum fuisset: Quæ Gentes immolãt, non Deo immolãt, sed dęmonijs, ideoq; consortes sunt dæmoniorũ, & hoc nomine à uobis fugiẽdæ, uerũ quoniã ipsa quoq; immolaticiorũ ciborum cõmunicatio, perinde est dæmoniorum, q̃ panis & poculũ domini, corporis ac sanguinis illius est communicatio, recte dixit: Nolim uos consortes fieri dæmoniorum. Ne diceret, uidelicet: Esto, immolent Gẽtes non Deo, sed dæmonijs, quid ad nos? Nõ immolamus cum eis, sed ad mẽsam uocati accedimus, deq; immolaticijs, non ut immolaticijs, sed ut cibo ac potu, bonis Dei creaturis, comedimus ac bibimus. Et hoc facientes, nõ cõmunicamus cum dæmonijs, q̃ nec colimus nec adoramus. Hoc illis effugiũ eripiens, cõtendit externã illã immolaticiæ mensæ cõmunicationem, cõmunicationem esse dæmoniorũ. Et quoniã horrendum est consortẽ esse dæmoniorũ, id est, malorum & abominabilium spirituũ, uide q̃ prudenter & moderate nõ dicat: Quæ Gẽtes immolãt, immolãt, nõ Deo, sed dæmonijs, quare uos consortes estis dæmonum, immolaticijs illorum uescẽtes, id quod admodũ fuisset durum & acerbum, sed: Nolim uos fieri cõsortes dæmonum, quibus uerbis & affectum salutis ipsorum cupidũ exprimit, & quod seuere per asseuerationem ac reprẽhensionẽ pronunciare poterat, mitius exprimit, q̃ ut offendi possent.

De consortio autem dæmoniorum sic sentiendum esse puto. Naturali consortio nõ possumus illis coniungi. Quare omne illorũ consortium est, uel sacramentale, uel spirituale, uel pœnale. Sacramẽtale uoco, quod externorum cultuum ac sacrorum communicatione constat. Huc pertinẽt omnia sacra, quibus eidola coluntur, templa, delubra, sacella, aræ, simulacra, dies festi, sacrificia, mystica mensa, cum omnibus ritibus, & cultibus. Qui in hisce communicant, consortes sunt dæmoniorum, etiãsi non in omnibus, sed quibusdam tãtum communicent. De hoc consortij genere loquitur hic Apostolus. Spirituale est, quo spiritus hominis primum erroribus tenebrarum, quod superstitiones & impietatem attinet, deinde & malicia cordis, cum malis spiritibus cõmunicat, ut non solum mancipium, sed & filius diaboli recte uocari possit. Sic consortes dæmonum sunt omnes impij, superstitiosi, cæci, superbi, inuidi, blasphemi, homicidæ, perfidi, flagitiosi, hypocritæ, contemptores Dei, &c. Participant enim de spiritu diabolicæ malicię & nequiciæ. Tales autem consortes dæmonũ in ecclesia seductorum hodie regnant.

Consortiũ dæmoniorũ triplex.

Pœnale consortium est, consortium æternę condemnationis quod manet omnes eos, qui in hac uita uel sacramentaliter, uel spiritualiter absque resipiscentia consortes sunt dæmonum. De hoc consortio loquitur Christus Matthæi 25. dicens: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ergo impij in igne æterno cum dæmonijs in sempiternum communicabunt, ut quorum maliciæ & impietatis fuere consortes, horum etiam condemnationis consortes efficiantur.

Non potestis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non potestis mẽsæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

Hæc est conclusio, quẽadmodũ suprà diximus.

mus. Hăc simpliciter quidē, & ex præcedētib⁹ natā, uerū cū auxesi ponit, quo pl⁹ inferat terroris. Nō dicit: Nō potestis poculū domini bibere, & immolare dęmonijs, sed quo argumēto de cōmunicatione mēsę dominicæ sumpto inhęreat, nō potestis, inquit, poculū domini bibere, & poculū dæmoniorū. Nō potestis mēsę domini participes esse, & mensę dæmoniorū. Neq; enim immolabāt dæmonijs, sed interim de ijs quæ dæmonijs immolata erāt, edebant & bibebant, & hoc se inculpate facere iudicabāt. Neq; dicit: Nō potestis participes esse domini & dæmoniorū, sed: Nō potestis mēsæ domini participes esse, & mēsæ dæmoniorū, quo externā illā cōmunicationē mensę eidolorum sic execrabilē esse admoneat, ut uerā mēsæ dominicæ cōmunionē prorsus excludat, & contrà, hāc sic esse cōparatam, ut illā iuxta se ferre nequeat. Quemadmodum enim summa est discrepantia inter Christū & Belial, ita nulla potest esse communicatio mēsę Christi, & mensę Belial. Sed dices: Quomodo nō potuerūt Corinthij facere, quod tamē fecisse cōuincuntur? Comederūt ac biberūt de utraq; mēsa domini & dæmoniorū, atq; ita participes fuerūt utriusq;, quantūuis inter se contrariæ, quomodo ergo dicit: Non potestis poculum dñi bibere & poculū dæmoniorū. Nō potestis mensę dñi participes esse, & mensæ dæmoniorū? Si diceret: Nō debetis poculū dæmoniorū bibere, qa poculū dñi bibitis, nō debetis mēsæ dęmoniorum participes esse, quia participes estis mēsæ dñi, nulla esset quæstio, uerū cū dicit: Nō potestis, quęrendū uidetur quomodo sit intelligēdum, ne quod nō modo facere poterāt, sed & faciebant, falso eos facere non posse dicat.

Respondeo. Poterāt quidē facere quod faciebāt, & facere nō debebāt, uerū mēsę domini simul & mensæ dæmoniorū ueraciter participes esse nō poterāt. Sic poterāt & nō poterāt. Poterāt externa cōmunicatione de utraq; mēsā dñi & dęmoniorū edere ac bibere. Et hoc facientes repræhendebātur. Veraciter uero participare de mensa dñi, & simul participare de mensa dęmoniorū nō poterāt. Veraciter enim de mensa dñi participant, qui nō externe tantum de pane & uino edūt & bibūt, sed & fide ac spiritu de corpore & sanguine dñi cōmunicant, quæ cōmunicatio eā quæ dæmoniorum est ferre nequit. Sic qui Mămonæ seruit, Deo seruire non potest, intellige ueraciter, fideliter, & legitime. Aliàs innumeri sunt, qui simul & Deo & Mămonæ in speciem seruiāt. Si hæc uera sunt, quomodo cōtendim⁹ hodie fieri posse, ut impij, & ipsissimi mystæ dęmoniorū, participes sint, nō modo sacramentalis signi, sed & ipsius signati quoties externe cū fidelibus cōmunicant. Deinde, hāc quoq; ob causam nō poterant simul mēsæ dñi, & mēsæ dęmoniorū esse participes, quod eiusmodi Christianos nō esset dominus diutius toleraturus. Si dicas militi, nō solū à principe suo, sed & ab illius hoste stipendia accipiēti: Nō poteris miles esse principis tui, & stipēdia accipere ab hoste, satis illi significas, fieri nō posse, ut in utraq; partē claudicās, in militia principis sui perduret, quod is talē militē in castris suis nō sit laturus. Consimili modo habet & conditio militię Christianæ. Christianus esse nō poterit, qui simul uult cōsors esse dæmoniorum. Quare aut deserēda est cōmunicatio mensæ dæmoniorū, & mēsæ domini adhęrendū, aut relinquenda mēsa domini, & adhærēdū mēsæ dęmoniorū. Vtriusq; cōmunicatio retineri nō poterit. Hoc sensu dicebat Iehosuah ad Israēlē: Nō poteritis seruire dño. Deus enim sanctus & ęmulator est. Quare nō poterāt seruire domino? Quia simul dijs solebāt seruire alienis, quā claudicationē dominus, tanquā Deus ęmulator, nō potest ferre in suo populo. Perinde ac si dicat marit⁹ uxori: Non poteris consors esse mei thori, ac thori adulteri. Nō poteris particeps esse mēsæ meæ ac mensæ adulteri. Sic dicebat ad Israēlē propheta Elias, 1. Reg. cap. 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si domin⁹ est Deus, sequimini eum. Si Baal uero, sequimini illū. Poterat subiungere. Nō poteritis popul⁹ esse domini, & colere deos alienos. Alterutrum eligite, utrunq; esse & facere non poteritis. Hi duo pręsentis loci sensus nihil habent diuersi: quare utriq; tanquam ueri retineri possunt. Habent hic quod obseruēt proscæri illi, qui quāuis ueritatē Dei cognoscant, illiq; nomē dederint, sic tamen sæculo se accōmodāt, ut & cum aduersarijs poculum Babylonicę meretricis, & cum fidelibus poculū domini bibant. Dicimus illis cum Apostolo: Non potestis bibere poculū domini, & poculum purpuratæ meretricis. Non potestis participes esse sacrorum Christi & sacrorū Antichristi. Sed hac de re uideatur Proscærus noster, quē anno millesimo quinquagesimo quadragesimo nono, sub nomine Eutychij Myonis uulgauimus.

Iosue 24.

An prouocatis dominum? Num fortiores illo sumus?

Qualitatē & enormitatē delicti, deinde & insaniā delinquētiū consyderans uelut exclamat, & in hęc uerba prorupit, quę sane ut modica sunt, ita nō sine singulari sunt ardore spiritus eiaculata. Nō dicit: An peccamus in dñm? sed: An prouocamus dñm? Aliud est, peccare in dñm, quod multis modis, etiā à pijs, fieri potest, & aliud, prouocare dñm. Prouocant dominū, qui in re illū omniū minime ferēda contumaciter irritant, nec cœpto auocari sustinēt. Graue est aūt prouocare & irritare dñm, quomodocunq; fiat. Grauius uero est, si ꝓuocetur ad zelum & ęmulationem per cultum falsorū deorum ab illis, quos in gratiam suam assumpsit, & in populum peculiarē, ac filios adoptauit. Potest à coniuge maritus uarijs modis irritari, ea uero irritatio quæ fit scortādo & adulterādo, qua ad furorem maritalis zeli prouocat, cęteris multo est grauior, qua de Salomon Prou. 6. dicit: Zelus & furor uiri non parcit.

Ad hoc

Ad hoc genus prouocationis respiciés Apostolus non simpliciter dicit, ἢ παροργίζομεν, id est, an irritamus uel ad irā prouocamus, sed, ἢ παραζηλοῦμεν, id est, an ad zelū & æmulationē prouocamus dominum? Atq; ita admodū est hoc uerbo pertinenter & in loco usus. Quod enim Corinthij simul poculū domini cum fidelibus de mensa domini & poculum dæmoniorū cū eidololatris de mensa & sacrificijs dęmoniorū bibentes faciebāt, quid aliud uideri poterat q̃ scortatio spiritualis, qua dominū ad zelum & ultionē cōtra se prouocabāt? In causa cōsimili usus est hoc uerbo, & Moses Deut. 32. ubi sic legamus יקניאהו, id est, ad zelum prouocauerunt eum in dijs alienis, & abominationibus suis irritarunt eum. Immolauerunt dæmonijs & nō deo. Et paulo pòst. Ascondam faciē meā ab eis, & cōsyderabo nouissima eorū. Generatio enim puersa est, & infideles filij, הם קנאוני quod Septuaginta uerterunt, αὐτοὶ παρεζήλωσάν με, id est, ipsi ad zelum me prouocauerūt in eo qui non est Deus &c. Quare Erasmus nō satis uim uocis huius expressit, cum uertit: An prouocamus dominum? Nec uulgata uersio satisfacit, quamuis æmulationis sensum exprimere conatus est ille, quisquis fuit, interpres. Sic enim habet: An ęmulamur dominum? Sumitur quidē aliquādo uerbum æmulādi sensu odij & inuidiæ, uerum sæpius pro bono zelo reperitur in scripturis, quare mētem Apostoli hæc lectio non satis constanter exprimit.

Nos hic obseruemus quā graue & enorme peccatum sit, si qui in populum, gratiam, & nomen Dei obsignati, & sacramento fidei despōsati sunt, cum eidolis scortantur, quāq; graui se ultioni Dei reddant obnoxios. Longe illi enormius peccant, q̃ eidololatræ ethnici, à nomine Dei alieni, magisq; Deum exacerbant. De ethnicis dici nō potest, quod dominum ad zelum & ęmulationem cultu eidolorum prouocant, quandoquidem à nomine illius & fide sunt alieni, recte uero hoc illis tribuitur, qui ad populum illius pertinent. Maritū non prouocat ad zelum cuiusuis mulierculę scortatio, prouocat uero, si quę illi uxor est corpus suum communicet alienis. Quare quemadmodum olim Israēlitarum, ita nunc & Christianorum eidololatria multo est in cōspectu domini grauior & enormior, quàm unquam fuerit Gentium. Nemo cordatus mirabitur, unde sit tam misera ecclesiarum Christi uastatio ac desolatio, si uel de sola eidololatria cogitet, quæ iam aliquot sæculis in illis obtinuit, & hodie quoque dominum ad zelum & ultionem prouocare non cessat.

Et hanc peccati istius enormitatem Apostolus nō solum uerbo παραζηλοῦν, sed & figura hac orationis expressit, qua nō simpliciter dehortando dixit: Ne prouocemus dominū, sed admirando & obstupescendo. An prouocamus dominum? Quasi dicat: Quid hoc uæsaniæ est? An adeo facti sumus deplorate insani, ut nō uereamur communicatione dęmoniorum zelum domini in nostrum exitiū prouocare?

Vide tamen quomodo uehementiam hanc sermonis Apostolica prudentia mitiget, nō dicens: An prouocatis dominum? Num fortiores illo estis? sed: An prouocamus dominum? Num fortiores illo sumus? Sic loquendo, delicti quidem grauitatē exaggerat, uerum exaggerationem hanc simul mitigat, dum quod à quibusdam specialiter fiebat, in genere ad omnes transfert, ac se quoq; coniungit. Sapientis medici est, oleo miscere acetum, cuius etiā in parabola Euangelica admonemur. Habent hic quod imitentur uerbi ministri. Horum potissimum est inter corripiendum delinquētes, nec oleum sine aceto, nec acetum sine oleo curandis uulneribus, sed utrunq; coniunctim ac prudenter iuxta delinquētium qualitatem attemperatum infundere.

NVM fortiores illo sumus? inquit.] Prouocationis huius insaniam ab impossibili exprimit. Insanum est, si homo pusillus & infirmus ad pugnam prouocet gigantem & bellicosum uirum. Quanto insanius est, si homo prouocet Deum? Nemo sanus fortiorem se prouocat, nisi data opera exitium sibijpse uelit accersere. Cum ergo dixisset: An prouocamus dominum? quo insaniam hanc exprimat, mox eadē sermonis figura subiungit: Num fortiores illo sumus? quasi dicat: Qua nam fiducia prouocamus dominū? Qui se fortiores esse confidunt, prouocare solent impotentiores. Nos prouocamus dominū. Ergóne illo nos fortiores esse confidimus? Sin minus, quid aliud facimus q̃ quod more insanorū exitium nobisipsi accersimus? Etenim impossibile est, ut iræ illius resistamus, ubi illam in nos prouocauerimus.

Vtinam consimilis insaniæ nequeant argui, qui hodie incredibili pertinacia pariter & contumacia palam contra se prouocāt dominum, cuius uerbum blasphemant, pedibus conculcant, hæreseos condemnant, probris & contumelia proscindunt, Antichristum supra Christū extollunt, oues dominicas mactant, ecclesias opprimunt, in cōspectu fidelium impudētissime luxuriantur, scortantur, adulterantur, ut grauiora taceam, quæ hac nostra ætate publicis etiam scriptis defendere nō erubescūt, & tantum nō clamant: Linguam nostram magnificamus, labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est? Psal. 12.

Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quęrat, sed quisq; quod alterius.

Hactenus conatus est Corinthios cum infidelibus de mēsa eidolorū edentes ac bibentes metu iræ Dei ab ea cōmunicatione auocare, iā cōsequenter redit ad argumētū charitatis fraternæ, quod duobus præcedentibus capitibus 8. & 9. tractauit, ac rursus inculcat, peccare eos

eos in fratres infirmos & abuti libertate quidlibet edendi, contra charitatem, quæ non tam quid liceat quàm qd cõducat spectare soleat.

Omnia mihi licet, inquit. Erat hoc illis in ore frequens. Vt dicerent, licere sibi quibuslibet uesci. Huc scilicet rapiebant doctrinam libertatis per Christum partæ, quam ipse prædicabat Apostolus cõtra pseudapostolos, qui cõscientias fidelium obseruãtia legaliũ escarum obstringere, & in seruitutẽ Mosaicæ literæ nõ modo ex Israële, sed & ex Gẽtibus in Christũ credẽtes abducere moliebant. Sic illi non solũ escis in lege uetitis, sed & ijs uescebantur, quę dęmonijs erãt ab eidololatris immolatæ, atq; ita fratres infirmos præpostera hac libertate non ædificabant, sed destruebant. Vt hunc illorum prętextum corrigat, ipsum uerbũ quod in ore habebant singuli, in medium adfert dicens: Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. Sic quisque illorum dicebat: Licent mihi omnia, liber sum, non pecco, usurpando quælibet. Est itaq; sensus.

Sed hæc omnia eludis frater, dicẽs: Omnia mihi licent, omnia mihi sunt libera, quasi sic liceant tibi omnia, ut simul de mensa domini & de mensa dæmoniorum communicãdo, nihil pecces. Sed audi: Licent quidem omnia, at tu hac libertate temere abuteris, teque ipsum & proximũ perdis. Neq; enim omnia tibi conducũt, sed pleraq; noxia sunt quę facis, neq; omnia ædificãt fratres infirmos, sed quędã magis destruunt. Quæ uero noxia sunt & facienti & spectanti, quomodo licere poterant?

Ad hunc modum puto Apostolum nõ de se loqui, cum dicit: Omnia mihi licent, sed Corinthiorũ uerbum proferre & corrigere quod crebro in ore habebant. Quod autem secundo dicit: omnia mihi licent, propterea, puto, facit, quod ipsi uerbum hoc subinde repetebãt. Vel certe, ut geminum damnum, quod ex abusu libertatis huius nascebatur, hac repetitiõe perstringat. Primum enim, dominũ cõtra se prouocabant, communicando de mensa dæmoniorum, id quod ipsis haud quaquam conducebat. Deinde conscientias infirmorum fratrũ destruebãt, & infideles in eidololatria sua confirmabant. Et hic sensus placuit Chrysostomo. Si quis tamen aliter exponens, utranq; particulam ad proximum referendam esse putauerit, per me licet hoc faciat.

Dicet hic imperitus aliquis: quomodo concedit Apostolus licere omnia, cum innumera sint, quæ prorsus sunt illicita & uetita? Etenim licet correctionem adiecerit dicens, at non omnia conducunt, ea tamen non negat licere omnia, sed abusum libertatis corrigens monet non conducere omnia quæ licent, id quod omnino est licere omnia concedentis. Respõdeo. Communis regula est, uniuersales uoces non esse ultra terminos causæ de qua agitur extendendas. Sic hoc loco, quod dicit: omnia mihi licent, non est intelligẽdum nisi de escis, de quibus loquitur.

A Consimilia dixit & suprà cap. 6. Omnia mihi licent, sed non omnia cõducunt. Omnia mihi licent, at ego non redigar sub ullius potestatem, quæ uerba causæ accommodauit, qua de illic egit. Vbi etiã annotauimus, quæ hic quoque consyderari possunt.

Nemo quod suũ est quęrat, inquit, sed quisque quod alterius. Ne dicerent: Quid ad nos quod alij nostra libertate nõ ędificatur? Quod immolaticijs uescimur nostro commodo facimus. Faciat quisq; quod sibi conducere putat. Nõ est ut aliorũ simus serui, &c. occurrit eiusmodi cogitationi dicens: Nemo quod suum est quærat, sed quisq; quod alterius. Quærere quod nostrum est, hoc loco, est nostris cõmoditatibus tantum esse addictos, quicquid accidat alijs. Quærere quod aliorum est non est proprijs, sed aliorum commodis inseruire. Extra hunc sensum, sunt q nimio studio quærant quod alterius est, quo id ad se trahant, sicuti faciunt prælati Romani, rursus sunt, qui recte res suas curantes ab alienis abstinent. In proposito, quærere quod suum est, & negligere quod est aliorum, hominis est prorsus carnalis, quãtumuis in cognitione ueritatis probe instituti. Contrà, quærere quod est aliorum magis, quàm quod est proprium, hominis est spiritu Christi, & ueræ charitatis imbuti. Christus non quod suum, sed quod nostrum erat, quæsiuit, ac semetipsum pro nobis tradidit, factus pauper, quo nos diuites redderet, & in
B sempiternum felices. Ad huius exemplum Corinthios componere studens dicit: Nemo nostrum quærat quod suum est, sed quisque quod alterius.

Cauendum autem est, ne admonitionem hanc extra normam ueræ ac legitimæ charitatis trahamus, quæ non sic est comparata, ut reddat nos nostræ ipsorum salutis negligentes, sed ad hoc tendit, ut diuinæ dilectioni conformemur & coadunemur, id quod nos ueræ reddit felicitatis participes. Dilectio proximi non excludit, sed requirit cum primis dilectionem Dei. Dilectio Dei reddit nos studiosos diuinæ uoluntatis. Et hoc ante omnia nostrum debet esse studium, ut illi gratificemur in omnibus. Ergo quod suum est, id est, quod ad se pertinet, quærit quisquis diuinæ uoluntati studet. Deinde non ueræ, sed corruptæ & præposteræ dilectionis est, absque discrimine quærere quod est alterius, sic ut affectibus illius magis, quàm saluti seruiamus. Sic insanit scortator, ut suorum oblitus ea tantum quærat quę sunt scorti. Est itaque sic comparata præsens adhortatio, ut quemadmodum non uetat, ne nostram ipsorum salutem operemur, ita non requirat, ut proximorum non saluti, sed affectibus studeamus. In rebus liberis & indifferentibus ius ac libertatem nostram propter salutem proximi negligere debemus, ne hãc nostra licentia perdamus. Hoc facientes recte non quod nostrum, sed quod alterius est, quærimus.

Cogitet

Cogitet hic minister Christi, quid sibi competat, & quid debeat ecclesiæ Dei. Si nullius Christiani est, quærere quæ sua sunt, sed ab omnibus requiritur, ut quæ aliorum sunt quęrant, plane hoc duplici nomine competit illis qui in ecclesia Christi sunt, non modo fratres tanquam fideles, sed & patres tãquam doctores ac pastores, cuius rei exemplum in seipso proposuit Apostolus capite præcedenti.

Omne quod in macello uẽditur, edite, nihil interrogantes propter cõsciẽtiam. Domini siquidẽ est terra & plenitudo eius. Quod si quis uocat uos infidelium, & uultis ire, quicquid apponitur uobis edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Quod si quis uobis dixerit, hoc simulacris immolatum est, ne edatis propter illum qui indicauit, & propter cõscientiam. Domini siquidem est terra & plenitudo eius. Porro conscientiã dico non tuam, sed eam quæ est alterius. Cur enim libertas mea iudicatur ab alia consciẽtia? Quod si ego cum gratia participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago?

Sunt hæc instructionis gratia subiecta. Poterat uideri scrupulosius exigere à fidelibus, ut ab eidolothytis, partim metu iræ Dei, partim studio charitatis in uniuersum abstinerẽt, quasi illicitum sit illis quouis modo uesci. Instruit ergo eos luculento discrimine, docens, quando immolaticia comedere licite possint, & quando non possint. Omne, inquit, quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Separat prophanas & uulgares occasiones edendi immolaticia à mẽsa sacrificiorũ, qua in ipso eidolio eidololatræ immolaticia edebant & bibebant, quam communicationem hactenus repræhendit, & suprà circa calcem cap. octaui nominatim perstrinxit. Aliud est commisceri mensis eidolorum, & aliud extra eidolium per occasionem uesci eidolothytis. Extra sacra est macellum, & quicquid in macello uenditur. Extra sacra sunt domestica conuiuia, quibus uel cognati uel amici uel uicini, humanitatis studio accipiuntur. Et tamen usuueniebat, ut in macello promiscue uenderentur carnes prophanæ & immolaticiæ. In domesticis quoq; infidelium conuiuijs nonnunquã prophanis escis immolaticię miscebantur. Docet igitur fideles quomodo se gerant utrobiq;. Primũ, inquit, quicquid uẽditur in macello, secure comedite. Macellum enim non est eidolũ, non est cultus, sed necessitatis gratia, ad alendam uitam nostram institutum. Et quoniam interrogari poterat: Quid si immolaticia uendantur in macello, & incidat Christianus in illa, siue prudenter siue ignoranter? addit, μηδὲν ἀνακρίνοντες, id est, nihil inquirentes aut interrogantes, hoc est, absque omni scrupulositate comedite ex oĩbus quæ in macello uenduntur, nihil hæsitãtes, etiamsi sint immolaticia, nec percontantes, immolaticia ne sint, uel secus. Et subijcit causam, quare inquirere & interrogare non debeat. Propter conscientiam inquit. Hanc autem particulam bifariam exponere possumus. Primo, ut intelligamus de cõscientia ementis Christiani, hoc sensu. Omne quod in macello uenditur, edite, nec conscientiæ uestræ gratia perquirite, immolaticia ne sint quæ emitis, uel secus, quasi consciẽtias uestras referat scire qualia sint quę in macello emitis. Non possunt illæ pollui per ea quæ in macello uenduntur, etiamsi sciatis ea esse eidolothyta. Deinde, ut referamus ad conscientiam non ementis, sed magis uendentis, cuius rationem haberi uolebat Apostolus. Consimili sensu infrà particulam hãc repetit. Chrysostomus sic exponit. Omne quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam, hoc est, ne conscij reddamini, eidolothyton esse quod editis, sed per ignorantiam excusemini. Etenim si ignorantes comederitis, impune uobis erit. Verũ hæc sententia, meo iudicio, non satisfacit menti Apostoli. Aliàs infrà, non debebat dicere: Quod si quis uobis dixerit, hoc simulacris immolatum est, ne edatis, propter illum qui indicauit. Sed simpliciter, propter consciẽtiam uestram, ne scienter immolaticia edatis. Neque hoc sensu bene consuluisset eorum scrupulositati, qui se peccati reos esse iudicabant, si quouis modo immolaticia gustassent.

DOMINI siquidẽ est terra & plenitudo eius.] Ex sacris scripturis, psalmo uidelicet 24. confirmat suam doctrinã, qua dixit: Omne quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter consciẽtiam, quibus uerbis significat nullo ciborum genere pollui cõscientias fidelium, nec par esse, ut ullas nobis escas, per se, illicitas esse iudicemus. Quare? Quia domini est terra, inquit, & plenitudo eius. Mira uidetur esse conscientia. Domini est terra & plenitudo eius, ergo licet uesci quibuslibet. Videamus igitur quale sit hoc argumentum. Eget enim explicatione propter rudiores. Quæ domini sunt, munda sunt in se omnia, præsertim cum ab illo sint condita. Nihil enim fecit, quod sit immundum. Vidit cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona, Gen. 1. Domini autem est non modo terra hęc, sed & plenitudo eius, id est, omnis illa rerum omnium, frugum, fructuum & animalium copia, qua passim impleta est terra, unde sumuntur à Gentibus, quæ eidolis immolantur. Ergo mundæ sunt escæ omnes, adeoq; per se haud quaquam illicitæ. Quare non est, ut propter cõscientiam abstineatis ab ulla esca, quasi sit impura, nec opus est ut interrogetis, immolaticia ne sit uel secus. Quòd enim eidolis immolata est à Gentibus, puritatem creationis non abstulit, quemadmodum nec essentiam illius, nec naturę uires ademit, quo minus sit qđ creata est à Deo, & uires

& uires pascēdi corporis à Deo acceptas perinde habeat, ac si nulli sit eidolo immolata. Quod autem mundum est, per se non polluit edentem. Munda est omnis creatura Dei. Ergo nulla creatura Dei polluit edentem. Sic 1. Timo. 4. Omnis creatura Dei bona est inquit, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione sumit̃. Si qua creatura Dei impura est, nō est impura nisi impuris & infidelibus quorū inquinata est & mens & conscientia, mūdis uero nihil est immūdū, sed mūda omnia. Tit. 1.

Deinde potest & hic esse præsentis argumenti sensus. Quæ domini sunt licite comeduntur à populo domini, qui estis uos, domini sunt autem quæ in terra sunt omnia, etiam quæ dæmonijs immolantur à gentibus. Neq; enim immolando in ius dęmoniorū transeūt, sed in potestate & iure Dei permanent, unde nec à gentibus nec à dęmonijs eximi possunt. Ergo licita sunt uobis ad cibum omnia, etiam immolaticia. Quare nō est, ut hæsitetis aut interrogetis, &c. Vtroque sensu firmum est hoc argumentum. Domini est terra & plenitudo eius, ergo quicquid in macello uēditur, edite. Sunt enim uobis munda & licita quæ domini sunt omnia.

Sed dicit quisquā. An non sub Mose quoq;, domini erat terra & plenitudo eius? An nō tēpore legis dictum hoc est à Dauide? An non erant Iudæi populus domini? Vtiq;. Ergo tum quoq; erant munda omnia, & ad uescendum licita? Quid igitur impediuit, quo minus Iudęis licuerit uesci suilla, & nōnullis alijs escis? à quibus tanquam immundis hodie quoque abstinent. Respondeo. Tum quoq; nihil immūdum erat per se, quod creatum esset à Deo, & erant Iudæi populus domini, uerū quo minus licerent illis omnia, in causa erat non creaturæ impuritas, quæ nulla est, sed authoritas Dei quædam pædagogiæ gratia ei populo ad tempus uetantis, quæ inhibitio ad Christum usque & non ultra durare debebat. Propter hanc inhibitionem Dei fiebat, ut non essent Iudęis licita omnia. Quod autem consimilem authoritatem & potestatem uetandi cibos in ecclesia Dei uendicauit sibi Romanæ sedis temeritas, ex dæmonibus est & spiritibus errorum unde non potest infringi quod hic Apostolus dicit: Omne quod in macello uenditur edite, &c. Quàm facile dicūt satellites filij perditionis: Domini quidem est terra & plenitudo eius, uerum Rom. pontifex plenitudinem potestatis in omnia, tāquam uicarius Christi, habens, authoritate sua quædam potest reddere illicita, quæ in se non sunt immunda, ut non mox liceat iam edere quicquid in macello uenditur, nisi ex ipsius indultu, imò non liceat quiduis in macello uendere, &c. quàm facile inquam hæc dicunt, tam facile nobis est agnoscere doctrinam dæmoniorum, eamque uirtute uerbi Dei refellere & contemnere.

1. Tim. 4.

QVOD si quis uocat uos infidelium, & uultis ire, &c.] Loquitur de conuiuijs nō sacris

A & publicis quæ in templis & delubris eidolorum fiebant, sed priuatis & prophanis. Quoniam subinde accidebat, ut Christiani ad eiusmodi infidelium conuiuia uocarentur, consequenter docet, quomodo se in hac causa gerere debeant. Alij iudicabant ne eundum quidē esse ad infidelium conuiuia, & euntes damnabant. Alij euntes curiosius ac superstitiosius immolaticia uitabant, alij illa edebant, etiam moniti, quod essent immolaticia, nullā habentes rationem unà comedentium, infidelium, Iudæorum, & fidelium. Docet igitur uniuersos quomodo se hic gerant.

Quod si quis infidelium uos uocat inquit. Verbo uocandi separat eos qui ultro sese infidelium conuiuijs uel mensarię uoluptatis, uel celandæ fidei suæ gratia insinuabant, quibus correptio magis quàm instructionis doctrina competebat.

Et uultis ire, inquit. Neq; dicit, ite, neq;, nē eatis, sed liberū permittit, ut eant, uel ne eant. Pro uarietate circumstantiarum fieri poterat, ut irent cum fructu, rursus, ut satius esset non ire. Nihil igitur certi pręscribit, sed quicquid hoc est totum uniuscuiusq; permittit iudicio & arbitrio. Debebat autem præscribere, si nō liceret Christiano conuiuari cum infidelibus & eidololatris. Hoc itaq; pacto tollit eam scrupulositatem, qua nonnulli sentiebāt nihil esse commercij ineūdum cum infidelibus, ne in prophanis quidem & ciuilibus negocijs.

B QVICQVID apponit̃ uobis edite inquit.] Non simpliciter dicit: ite & edite cum illo, sed ut omnem hæsitationem & scrupulositatem eorum auferat, qui propter infirmitatem fidei hæsitanter appositis uescebantur, metuentes ne escis infidelium inquinarentur, uniuersaliter loquitur dicens: Quicquid apponitur uobis edite. Quasi dicat. Indubitato credite nihil per se esse immundū, quale quale sit quicquid uobis apponitur, etiamsi sit immolatum eidolis, atq; ita secura cōscientia edite ex omnib⁹. Si hæc doctrina mansisset in ecclesia, non uideremus hodie in eadē mensa alios poscere carnes, alios pisces, idq; religionis uel potius superstitionis gratia. Apostolus dicit: Si quis infidelium uos uocat quicquid apponitur uobis edite. Qui successores apostolorum uideri uolunt, in id seruitutis & superstitionis ecclesiā coniecerunt, ut in mensa Christiani non liceat Christiano uesci quibuslibet appositis. Recentes, teneros, ac rudes adhuc Christianos sic omnibus indiscriminatim uesci uoluit Apostolus, ut ne ab ijs quidem propter conscientiam abstinerent, quæ dæmonijs essent ab infidelibus immolata, & ecclesia iam post aliquot sęcula satis adulta, sic est incantationibus & mādatis pseudapostolorum dementata, ut putet sibi nō licere etiam ea quæ nulla sunt eidololatria contaminata, existimetq; Deo se apprime gratificari, si certis diebus secūdum doctrinam erroris & dæmoniorum à quauis carne, caseo, ouis, & butyro abstineat.

Illud: nihil interrogantes propter conscientiam, plane eodem sensu positum est quo particula præcedenti de ijs quæ in macello uenduntur. Quemadmodum illic ita hic quoque docet, absq; ulla conscientia peccati libere & secure quibuslibet esse appositis in ethnicorũ quoq; conuiuijs uescendum, perinde atq; illis quæ in macello uenduntur. Quicquid apponitur uobis edite, inquit, absq; ulla peccati cõscientia, nec cõscientiæ uestræ gratia quale sit, immolaticiũ ne uel secus inquirite. Non prohibet quauis de causa interrogare de escis, prohibet uero ne propter conscientias suas interrogent, quasi peccaturi sint, & conscientias suas maculaturi si imprudenter de immolaticijs edant.

Sed dices. Ergo ne nulla fideli homini habenda est conscientiæ ratio? Quid si quis adeo sit fide infirmus, ut citra conscientiam peccati nequeat uesci quibuslibet? Conuenit ne, ut propter dictum hoc Apostoli, quicquid apponitur uobis edite, contra conscientiam suam edat, quod illicitum esse sibi putat? Respõdeo. Non hoc requirit Apostolus, ut cõtra consciẽtiam suam quisquam edat quod edẽdum esse non putat, sed docet, nihil esse immũdum ex omnibus escis, ideoq; libere citra peccati conscientiam uescendum esse quibuslibet. Interea non urget infirmos, ut in conscientias suas peccent, donec sunt infirmi, sed proponit illis sanam doctrinam ut intelligant se frustra peccati conscientia teneri, ubi nihil est peccati, atque ita ex infirmis firmi reddantur. Rom. 14. dicit. Scio & persuasum habeo per dominum Iesum nihil esse commune, id est, immũdum, per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Si taliter animato immundum est, quod putat esse immundum, ergo non conuenit ut consciẽtiam suam immũda edendo polluat. Quare non sunt eiusmodi infirmi & scrupulosi homines urgendi nec fallendi etiam ut edant quod edendum non esse putant, sed uerbo domini, præsertim à pastoribus, sanandi, & ab ea scrupulositate liberandi, qua de re Timotheum suum monet Apostolus. 1. Timo. 4.

QVOD si quis uobis dixerit, hoc simulacris immolatum est.] Poterant dicere, mones ut edamus de omni quod uel in macello uenditur, uel in conuiuijs infidelium apponitur, nec quicquam interrogemus, quid si etiam nõ interrogantibus ultro dicat aliquis, immolaticium esse quod uenditur aut apponitur? An tũ quoq; edemus? Respõdet igitur & docet quid hic sit faciendum. Quod si quis uobis dixerit, inquit, hoc simulacris immolatum est, ne edatis. Timendum erat ne ex præmissis colligerẽt: Si propterea quod domini est terra & plenitudo eius, uescendum est quibuslibet, etiã immolaticijs, nec quicquam interrogandum, ergo etiamsi moneat quisquam, immolatum esse simulacris quod proponitur, edẽdum est. Etenim si ipsa immolatio non reddit escam impuram, multo minus ille qui indicat eam esse immolaticiam. Cum autem non sit impura, quid impedit, quo minus licite edatur? Et reuera sic habet. Per se non est illicitum etiam scienter uesci immolaticijs, uerum aliũde redditur illicitum, quia noxium. Sic dicit ne edatis, & addit rationem.

Propter illum, inquit, qui indicauit, & propter consciẽtiam. Non dicit, ne polluaris, quia immundum est, propter immũdiciam immolationis, sed, propter illum qui indicauit, hoc est, ne uel offendas eum qui indicauit si sit frater infirmus, uel in errore exemplo tuo confirmes si sit infidelis. Etenim frater qui dicit, hoc simulacris immolatum est, cautionis hoc gratia dicit, ne de immolaticio edatur, putans id sine peccato fieri nõ posse, quare & scienter edentem iudicat & condemnat. Sic autem offendere fratrem infirmum, cum lege charitatis pugnat. Infidelis si dicit: simulacris hoc immolatum est, uel tentat fidelem quid sit facturus, uel allicit, ut religiosius edat ex eo quod sacrum esse intelligit. Hic si ederit Christianus quid aliud facit, quàm quod errantem in errore confirmat, à quo illum potius exemplo suo auocare, uel saltem hæsitabundum ac dubiũ reddere debebat?

Illud, & propter conscientiam, non est referendum ad edentis sed ad indicantis conscientiam, sicut mox patebit. Apparet autẽ sic esse particulam hãc adiectam, ut exponatur quod dixit: ne edatis propter illum qui indicauit, sitq; sensus, ne edatis propter illum qui indicauit, ne uidelicet conscientia illius uel obfirmetur in errore, uel sine causa offendatur.

DOMINI siquidem est terra, inquit, & plenitudo eius.] De sẽtẽtiæ huius repetitione aliter atq; aliter sentitur. Existimant eam alij aliunde esse assutam, alij, non suo loco positã, alij nec aliunde assutã, nec loco alieno sed suo positam. De repetitione illius nolim contendere, quãuis in uulgata uersione non repetatur, neq; ab Ambrosio, si nõ fallit illius æditio, anno 1516. Basileę facta. Repetit eam, idq; hoc loco, Chrysost. & imitator illius Theophylactus. Apparet tamen eos non falli, qui existimant positam esse non suo loco. Meo iudicio sic est hic contextus legẽdus. Quod si quis infidelium uos uocat, & uultis ire, quicquid apponitur uobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini siquidem est terra & plenitudo eius. Quod si quis uobis dixerit, hoc simulacris immolatum est, ne edatis propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, nõ tuam, sed eam quæ est alterius. Sic legentes, non laborabimus quomodo eandem scientiam diuersimode positam competẽter & sic exponamus, ut suprà confirmet affirmatiuam, edite, & hic negatiuam, ne edatis. Suspicor autem particulam illam, propter cõscientiam, quæ tertio repetitur, causam dedisse lapsui, non Apostolo sed antiquarijs. Existimo illum eadẽ hac sententia

tentia utrunq; probare uoluisse, cũ quod quicquid in macello uẽditur, tum quod quicquid in conuiuijs infidelium apponitur, secura conscientia edendum esse dixit. Qui referunt hãc sententiam ad id quod Apostolus dixit, ne edatis propter illum qui indicauit & propter conscientiam, quasi hoc propterea fieri uoluerit, quod domini sit terra & plenitudo eius, exponendo laborãt. Alius sic. Quemadmodum domini sunt escæ quæ eduntur, ita illius sunt etiam homines, ideoq; cauẽdum est, ne quisq̃ ex illis nostra libertate perdatur. Alius ad hũc modum. Ne edatis. Quare? quia domini est terra & plenitudo eius qui uos abunde potest alere, etiamsi ab immolaticijs abstinentes spreti ab infidelibus & eiecti fueritis. Verum sentiat quisq; quod probabilius esse putauerit.

CONSCIENTIAM autem dico non tuam, sed eam quæ est alterius.] Particulã hanc declarationis gratia adiecit. Quia dixit: ne edatis, propter eum qui indicauit, & propter conscientiam, ne id de conscientia Christiani, de omnib⁹ appositis indiscriminatim edẽtis intelligeretur, quasi propter suam ipsius ille cõsciẽtiam ab immolatis abstinere deberet, ubi quod simulacris immolata essent audisset, qui sensus cum præcedentibus haud conueniret, declarationem hanc subijcit dicens: Consciẽtiam autem dico non tuam, sed eam quæ est alterius. Quasi dicat. Quod ueto ne edas ex eo quod immolaticiũ esse indicatur, propter eũ qui indicauit & propter conscientiam, non ideo ueto, quod tuam ex eo conscientiã pollui sentiam, sed quod parcendum sit conscientiæ eius qui quod immolaticium sit indicauit, ne uel offendatur tua libertate, si sit fratrer infirmus aut Iudęus, uel in errore eidololatrię obfirmetur, si sit ethnicus infidelis.

Nos cogitemus hic, quã conueniat nos habere curam & rationem conscientiarum in ecclesia fidelium, primum suæipsius quisq;, ne illam polluat, deinde & fratrum præsertim infirmorum, ne illos scandali obiectu uel offendat, uel ad ruinam solicitet, cum Apostolus tã diligẽter moneat, ne Christianus libertate sua hominis ethnici & infidelis consciẽtiam quãtum in ipso est, perdat.

CVR enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Quod si ego cũ gratia participo, &c.] Et ista aliter atque aliter exponuntur.

1 Existimant nonnulli obiectionem esse Corinthiorũ, temere & passim immolaticijs uescentium, qua factum suum prætextu libertatis contra doctrinam hãc Apostoli fuerint defensuri, dicturiq;: Cur mea libertas iudicio alienæ conscientiæ subijcitur? Æquum ne est, ut de eo quod ego pro mea libertate & secura conscientia facio iudicet aliena conscientia? Ego cũ gratia participo de mẽsa eius qui me uocauit, proq; hac illius beneficentia gratias ago, æquum ne est, ut ob id mihi maledicatur, siue ab eo qui indicauit, siue ab ipso conuiuatore? Et huic sententiæ putant conuenire sequẽtia tanq̃ respõsionis loco subiecta, ad hũc modum. Siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Tales estote, ut nullum præbeatis offendiculũ, &c. Quasi dicat. Non est ut omnia ad uestram libertatẽ metiamini. Habẽda uobis est ratio glorię Dei. Hoc facientes, nemini scienter uoletis esse offendiculo, neq; Iudæo, neq; ethnico, neq; ecclesiæ Dei. Posset hic sensus probari, si sic legeref. Cur libertas mea iudicatur ab alia consciẽtia, &c. Itẽ, siue editis, siue bibitis, &c. Iam cũ dicat: Cur enim libertas mea. Et. Siue igitur editis, &c. Impeditur hæc expositio duabus istis uoculis, ENIM, & IGITVR, nisi dicturi sumus esse illas ociose adiectas.

2 Sunt qui referãt ista ad ea quibus suprà dixit: quicquid apponitur uobis edite, nihil interrogantes propter consciẽtiam, quasi dicat quisq̃, at hoc faciẽs fidelis, iudicabitur ab alijs, quantumuis ipse secura conscientia comedat, & respõdeat Apostolus. Cur libertas mea, qua libere & cum gratiarum actione quicquid appositum fuerit comedo, ab alia conscientia iudicatur? Quid ad me, quod alij ob id mihi maledicunt, pro quo ego gratias ago?

3 Alij referunt ad proxime præcedens, tanq̃ illi rationis uice subiecta ad hunc modum. Ne edatis propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam sed eam quæ est alterius. Etenim quorsum attinet libertatem nostrã alienæ consciẽtiæ iudicio reddere obnoxiam, & causam prębere, ut maledicatur nobis propter escam, pro qua nos gratias agimus? Et hæc mihi expositio magis probatur. Loquitur autem in sua ipsius persona. Quasi dicat. Etenim non uideo quare sic uti conueniat mea libertate, ut aliorum conscientiam offendam, efficiamq; ut iudicer, & blasphemijs impetar propter id, de quo cum gratia participo, & pro quo gratias ago. Transfert hæc in se, ut acceptabiliorẽ & probabiliorem reddat dicti sui rationem. Significat se non sic esse animatum, ut propter escam cuiuspiam uelit conscientiam sua libertate offendere, & admittere, ut eã ob causam iudicetur, & maledictis exponatur. Qui temere immolaticijs uescebantur, & aliorum cõtra se iudicia & maledicta prouocabant, libertatẽ suam ubiq; iactabant, parum curantes, ædificarent ne uel destruerent aliorum conscientias, bene uel male audirent. Vt hos perstringeret, dicendum erat: Conscientiam dico non tuam, sed eius quæ est alterius, cuius habenda est ratio, ne lędatur. Cur enim admittis unde libertas illa tua, qua abuteris, ab eius conscientia, quam offendis iudicetur & damnetur, & non magis unde ædificetur? Participas de libertatis acceptæ gratia, & comedis cum gratiarum actione, cur hoc sic facis, ut pro eo tibi maledicatur, pro quo tu gratias agis? Iactas libertatẽ quidlibet edendi. At eo constat tibi ex gratia Dei, gratias agis Deo ubi comedis, atq; ita testaris, ex beneficio Dei esse, quę comedis. Cur

ergo gratiam hanc & libertatem aliorum red A dis iudicijs & blasphemijs citra necessitatem obnoxiam. Sic inq̃ dicendum erat, uerũ, ut dixi, mitigat hanc repræhensionem, quo sit acceptabilior, per id, quod hæc uerba transfert in suam ipsius personam. Qua in re minister uerbi rursus prudentiam obseruet Apostoli. Hac & supra cap. 6. usus est, ubi cum dicendũ esset. Quare membra Christi facitis membra scorti? mutata sermonis figura dixit: Num tollẽs mẽbra Christi faciam membra scorti?

Admonet hic locus q̃ cauere debeat Christianus, ne quę facit aliorum reddat probris & blasphemijs obnoxia, quantum in ipso est, sed magis sic se gerat, ut occasionem laudis ac beneplaciti offerat alijs, intellige, in reb⁹ liberis, ubi non quid liceat sed quid conducat spectari debet. Si propter fidem nostram odio habemur & probris proscindimur, ferẽdum est, & domino committendum, non cedendum & impijs gratificandum, secus uero, ubi rebus liberis & indifferentibus pro utilitate aliorũ ex spiritu ueræ charitatis laudabiliter uti poterimus. Non dicit hic Apostolus: Cur fides & religio mea, sed, cur libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Magnum discrimen est inter fidem qua Deo obstringimur, & libertatem rerum indifferentium qua per gratiam illius in hoc mundo inter homines uersamur. Illic in nullius hominis gratiã à uerbo Dei cedẽdum est, hic uero per charitatẽ seruiẽdũ est omnib⁹.

Deinde obserua q̃ religiose & absq; omni B temeritate uti debeam⁹ beneficijs Dei, de quibus per gratiã illius participamus, & pro quibus illi gratias agimus. Non simpliciter dicit: Cur ob id mihi maledicit, quod de creaturis Dei participo & comedo? sed: Si uero ego cũ gratia participo, cur sic participabo, ut ob id mihi maledicat pro quo ego gratias ago? Sic notat eorum temeritatem, qui beneficijs Dei temere & irreligiose atq; ita utunt, ut noceant alijs, efficiantq; ut iudicentur ac uituperentur ab alijs, à quibus si prudẽter & utiliter agerẽt laudari poterant, quæ res in probrum magis q̃ in decorem nominis Dei uergit illiq; uehementer displicet. Quomodo enim probaret eum, qui sibi quidem gratias agit, at proximũ interea temerario donorum suorum usu perdit, ac nomini suo infamiam adurit? Hoc spectans Apostolus subiungit dicens.

SIVE igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Hanc generalem regulam, quasi summam quandam, præcedentia complectentem, præscribit fidelibus omnibus. Neq; enim fieri poterat, ut omnes circumstantias & species eorum explicaret, quę in hac causa contingere poterãt. Quare quasi quendam generalem scopum præfigens, ad quem collimarent in omnibus dicit: Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis omnia in gloriam Dei facite. Quasi dicat. Innumera sunt quę uobis accident, in medio infidelium tam Iudęorum q̃ Gręcorum uersantibus, de quibus singulatim præcipi non potest. Quare hoc sitis animo præditi, ut omnia in gloriam Dei & faciatis quæ facienda, & feratis quæ sunt ferenda. Sic animatis non deerit spiritus domini, qui omnia uestra ad gloriã Dei dirigat. Hoc autem gloriæ Dei studium duplici nomine fidelibus competit. Primum generaliter cum mortalibus omnibus, propterea quod sunt opus Dei, ab illo creati & facti. Operis est, ut faciat ad gloriã opificis sui. Deinde specialiter, propter gratiam adoptionis, qua sunt in Christo Iesu in numerum filiorum Dei electi & assumpti. Filiorũ est studere gloriæ patris. Huc spectat Christus dicens: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificẽt patrem uestrũ qui est in cœlis. Matth. 5. Quemadmodum igitur omnis nostra uita tam creationis q̃ regenerationis beneficio à Deo est, ita par est, ut uicissim gloriæ Dei seruiat.

SIVE igitur editis, inquit, siue bibitis, siue quid facitis.] Vulgata uersio habet, uel aliud quid facitis. At uocula, aliud, in Gręco non habet, sed simpliciter, εἴτι ποιεῖτε, id est, siue quid facitis. Edere & bibere non est aliquid operis facere, sed uitam & uires ad faciendum alere. Hactenus recte distincta sunt hæc ab Apostolo. Sic possumus distinguere inter ea quæ ad alimoniã noui hominis, & ea quæ ad illius uitam & opera pertinent. Ingredi eccesiam, audire uerbum domini, & communicare de mẽsa domini, non est facere & operari, sed fidem alere, & ad operandum confirmare. Arbor facere dicitur, dum fructificat, non ita dum alimoniam & incrementa è terra accipit. Vtinã sic animati simus, ut quod edimns ac bibim⁹ non habeamus operis, sed alimoniæ loco, qua ad uiuendum & operandum corroboremur. Ociosis hominibus qui non edunt ut uiuant, sed uiuunt ut edant & bibant, omne quod faciunt edendo & bibendo absoluitur. Pręterea nanq; nihil operis faciunt. Tales sunt Christiani illi, qui præterq̃ quod ad ecclesiam ueniũt, unaq; cum alijs uerbum domini audiũt & cõmunicãt, nihil Christianorum operum faciũt. Illis opus est, quod uires operandi sufficere debebat. Hi similes sunt infrugiferis arboribus, quarum nullum aliud est opus, q̃ quod terrã occupant, & incremẽtum ex illa cum alijs frustra accipiunt.

SIVE editis, inquit, siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite.] Ergo non solũ faciendo sed & edendo ac bibendo gloriæ Dei studere possumus. Quomodo? Cauendo primũ, ne nomen Dei edendo ac bibendo dehonestemus, sicuti faciebant Corinthij, edentes & bibẽtes in eidolio cum infidelibus, perinde ac si sacrificiorum illorum ac mensæ dæmoniorum participes esse uellent, & in priuatis infideliũ conuiuijs de immolaticijs etiam præmoniti absq; ulla uitandi scandali cura manducãtes, quod utrunque ad ignominiam nominis Dei uergebat. Quæso dum hodie Christianus uel simulacris

lacris sanctorum oblata, uel superstitione aliqua polluta comedit, uel edendo & bibendo Antichristi mandatis seruit, uel intemperáter edendo ac bibẽdo suum ipsius corpus perdit, quid aliud facit, quàm quod nomen Dei cui accensetur dehonestat? Sit ergo prima hæc fidelis hominis cura ne quo pacto nomen Dei edendo ac bibendo dehonestet. Deinde eousque in hoc studio crescat, ut etiam ad gloriam Dei edat ac bibat. Hoc faciet, si cum gratiarũ actione, si temperanter, si ad ædificationẽ unà comedentium adhibitis sermonibus pietatis edat & bibat, & membra Christi egena & esurientia mensæ suæ adhibeat. Sic enim edendo etiam infidelibus causam, quãtum in ipso est, glorificandi nominis Dei obijcit.

TALES estote ut nullum præbeatis offendiculum neque Iudæis, neque Græcis, neque ecclesiæ Dei. In Græco est ἀπρόσκοποι γίνεσθε, id est, absq; offendiculo fiatis. Hortatur ut quod non erãt fiant. Significat autem ἀπρόσκοπος eum qui sic se gerit, ut neminem offendat, uel certe nemini causam offendiculi præbeat. Dixit in summa. Siue editis siue bibitis siue quid facitis omnia ad gloriam Dei facite. Quoniã autem hoc non faciebant, qui temere quosuis offendebant, ut intelligerent eam temeritatẽ non facere ad gloriam Dei, subijcit ista specificationis gratia, seruiens causæ quam agit. Tales, inquit, estote, ut nullum præbeatis offendiculum, neq; Iudæis, neq; Grȩcis, neq; ecclesiæ Dei. Quoniam Iudæi in orbem terrarum sparsi, ut inter alias gentes ita etiam inter Corinthios exulabant, metuebat ne temeritate eorum Christianorum, qui immolaticia cum infidelibus in templis illorum edebant, offenderentur, & à religione Christiana auerterentur, monet fideles, ut cum primis caueant, ne quid offendiculi illis obijciant. Etenim simulacra & cultum simulacrorum unà cum illorũ cultoribus summopere execrabantur, iuxta illud Rom. 1. Abominaris simulacra, &c. Longe aliter animati sunt prælati ecclesiarum erga Iudȩos, pro quorum salute ne minimum quidem simulacrum è templis auferrent.

NEQVE Græcis inquit.] Græcos uocat non solum Corinthios, sed & omnes eos qui neque erant Iudæi neque Christiani, quosuis uidelicet ethnicos. Facit autem hoc, meo iudicio, hac primum ratione, quod Corinthij quibus scribebat, Græci erant & inter Græcos uiuebant. Deinde, propterea quod Græci & nominatiores erant cæteris gentibus, & ex illis primitiæ gentium ad Christum uenerant. Propter hanc etiam prærogatiuam Græcos proxime Iudæis subijcere solet, sicuti uidere est in Romanis cap. 2. 3. & 10. Et Lucas in Actis cap. 6. Græcos Ebręis coniungit, ex quibus prima Christi ecclesia Hierosolymis cõstabat. Quare si cui genti post Ebręos aliquis primatus in ecclesia gentium deberetur, competeret ille, non Latinis sed Græcis. Si Euangelistæ & Apostoli Latinè primũ non Græcè scripsissent,

A obsecro quas non inde glorias efflarẽt Rom. pont. Quoniam ex Iudæis & gentibus congreganda erat ecclesia Christi, res ipsa postulabat, ut Christiani summo studio cauerent, ne uel Iudæum aliquem uel ethnicum in rebus liberis & indifferentibus offenderent, & à fide Christi arcerent. Ea uidelicet erat Apostolo solicitudo & cura propagãdi regni Christi, quam & à reliquis fidelibus requirit.

ET ecclesiæ Dei inquit.] Per ecclesiã Dei intelligit fideles Christi, nõ modo coniũctim omnes sed & singulos. Hãc offendit, quisquis unum ex illis offendit, perinde atque corpus uulnerat quisquis unum duntaxat illius membrum uulnerat. Erant tum quoque, quemadmodum perpetuo, multi in ecclesia infirmi, quorum conscientiæ leui offendiculo offendebantur. Illis timẽs addit hic, & ecclesię Dei. Sciebat haud minoris esse uirtutis quàm quęrere parta tueri. Quare. Vt inhiabat lucrifaciendis adhuc infidelibus tam Græcis quàm Iudæis, ita quos domino lucrifecerat seruare satagebat. Corpus, communionem, & populũ fidelium uocat ecclesiam Dei, propterea quod fideles sunt à Deo ad gratiam & regnũ ipsius uocati. Et hinc disce quid sit ecclesia. Corpus uidelicet, communio, & populus τῶν ἐκκεκλημένων καὶ ἐκκλητικῶν, id est, uocatorum fidelium Dei. Sonat ipsa uox ecclesia, euocationem, & pro euocatis plerũque accipitur, sicuti ciuitas pro ciuibus, communio pro communicantibus & societas pro socijs.

B Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: & Iudæis & Grȩcis, & fidelib⁹, sed, & ecclesiæ Dei. Plus enim ponderis habet elogium hoc fidelium, quo illos ecclesiã Dei uocat, quàm si simpliciter fideles uocaret. Proponit enim in illo consyderandas duas res magni admodum momenti, quibus permoueri debeamus, ne quem fideliũ offendamus. Gratiam uidelicet cœlestis uocationis & authoritatem Dei. Quos Deus per gratiam suam in peculium suum è mundo euocauit, nemo sine grandi illius offensa offendere ac perdere poterit. Qui offenderit unum de pusillis istis, inquit Christus Matth. 18. qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collũ eius ac demergatur in profundum maris. Obsecro quid expedit illis, qui non modo offendunt sed & palam seducunt, non unum pusillum sed integras ecclesias, nec seducunt tantũ imperitos, sed & omnes eos, qui seduci ab ipsis non sustinent, horribiliter condemnant, & huius sæculi principibus mactandos & perdendos obtrudunt?

Quemadmodum ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorũ ut salui fiãt. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Causam hanc terminaturus repetit uno & altero uerbo exemplum suum, quod ipsis toto præcedẽti capite imitandum proposuerat.

Sciebat plus efficaciæ esse in factis quàm in uerbis doctorum. Parum efficaciter docet qui ipse diuersum ab eo facit quod docet. Qui ipse turpitudine uitæ suæ ac morum deprauatione quosuis offendit, etiamsi centies dicat alijs: Tales estote, ut nullum cuiquam præbeatis offendiculum, puto illum haud multis persuasurum, quod sibijpsi nondum persuasit. Sunt quidem audiendi etiam tales, & faciendum est quod recte docent licet quod docét ipsi non faciant, uerum quoniam auditores magis obseruant quid uiuat & faciat, quàm quid doceat ipsorum doctor, fit ut parum efficiat docendo, quisquis aliud loquitur & aliud uiuit, alios docet, seipsum non docet. Vbi uero facta respondent uerbis, ut non habet auditor, quod prætexat, quominus obediat docenti ita cum maiori efficacia docetur & pluribus persuadetur. Sciens hoc Apostolus, non modo irrepræhensibiliter se gessit, sed & exéplum suum doctrinæ coniunctum fidelibus proposuit. Sic dicit.

Matth. 23.

Estote absque offensione & Iudæis & Græcis, & ecclesiæ Dei, quemadmodum ego per omnia omnibus placeo. Corinthijs præscribit, ut neminem offendant, & subijciens, quémadmodum ego, pro eo quod dicendum erat, neminem offendo, dicit, per omnia omnibus placeo. Ergo neminē offendere, est omnibus per omnia placere. Per omnes autem intelligit Iudęos, Græcos & fideles. Sed nascitur hic gemina quæstio. Prima, quomodo se omnibus placere dicat, cum certo constet displicuisse ipsum Iudæis supra modum, nec dubium sit, innumeros fuisse Gręcos, qui ipsum alij cō tempserint, ut Atheniēses philosophi, alij summo odio prosequuti sint, ut Alexāder ærarius, & eius farinæ alij. Altera, quomodo per omnia quibusuis placuerit, cum id fieri neque liceat neque possit. Vtrique huic quæstioni parata est solutio ex capite præcedenti, ubi sic dixit. Etenim cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quo plures lucrifaciam, & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam, ijs qui sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifaciam, his qui sine lege sunt, quasi sim sine lege, cum non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christi, ut lucrifaciam eos qui sunt sine lege. Factus sum infirmis, quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam.

OMNIBVS factus sum omnia, ut omnino aliquos seruem, &c.] Ergo quod hic se omnibus placere dicit, intelligendum est de studio placēdi omnibus. Placebat omnibus, hoc est, omnibus placere studebat, etiamsi interea quàm plurimis displiceret. Sic Christiano satis est, si neminem scienter offendere, sed omnibus placere studeat, etiamsi placeat paucis, & offendat contra animi sui sententiam multos. Deinde quod dicit, per omnia intelligendum est de rebus liberis, in quibus neglecta libertate sua seruum se fecit omnibus.

A Illud, non quærens meam utilitatem, sed multorum ut salui fiant, studium hoc placendi omnibus, & modum quoque exprimit. Studium in uerbo quærendi exprimitur. Modus in eo cohæret, quod se non suam sed multorū utilitatem quæsisse dicit. Quemadmodum enim qui quæ sua ipsius sunt quærit & quæ aliorum negligit, eiusmodi studio placet nemini offendit multos, faciens ea, quæ natura sua sic sunt comparata, ut multos offendant, ita, qui se omnium seruum facit, & omnibus gratificatur in rebus liberis, quoad eius salua conscíētia poterit, placet multis, offendit paucos, faciens ea quæ multis placent, illorumq; beneuolentiam conciliant. Etenim obsequium natura sua mortalium animos reddit amicos.

Dicit quisq̃. Quid si meam utilitatem pariter & aliorum quæsiero? An hoc non licet? Licet sane, si sic fieri poterit. Quod si salus tua cū salute est aliorū coniuncta, ut utraq; simul quęri possit, nihil est quod prohibeat. Exēpli gratia. Communis omnium utilitas est, ut per Christum saluemur. Eam potest minister quęrere cum pro se tum pro alijs. Sic fecit hic Apostolus, id quod declarat cum cap. præcedenti dicit: Hoc autem facio propter Euangelium, ut particeps illius fiam. Quid est participem fieri Euangelij aliud quàm participem fieri ueræ & æternæ salutis? Quid igitur est quod hic dicit: non quærens meam utilitatem, sed multorum ut salui fiant? Loquitur de utilitate diuersa, terrena uidelicet & spirituali. Terrenam

B suam non quærebat, quo spirituali aliorū seruiret. Vocat autem utilitatem suam, libertatē quam habebat in rebus indifferētibus, quam Corinthiorum quidam usq; adeo sectabatur, ut citius aliorum salutem perderent, q̃ de illa quicq̃ amittere uellet. Illud Rom. 9. Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. singulariorem & excellētiorem affectum habet, q̃ ut omnibus sit pręscribendū.

IMITATORES mei estote, inquit, sicut & ego Christi.] Vulgata uersio particulam hāc in principio habet capitis sequentis, quā Gręcus textus habet in calce præsentis, quemadmodum & Chrysost. Et res ipsa declarat, pertinere eam non ad sequentia sed ad præcedentia. Quoniam suū illis exemplū proposuit dicens: quemadmodum ego omnibus per omnia placeo, ne simpliciter hoc quærere uideat̃, ut se sequantur in omnibus, quemadmodum hoc quærere solent pseudapostoli & magistri sectarum, discipulos post se trahentes, exéplo suo Christi coniungit, imò præfigit exemplū, quo & authoritatem illi conciliet, & simul caueat, ne ecclesiam quibusuis doctorum factis imitandis subijciat, qui fideles hactenus sibi uolunt esse obnoxios, ut quibusuis suis præceptis obediant, & quæuis sua studia imitent̃. Itaq; nō simpliciter dicit: Imitatores mei estote, sed addit sicut & ego Christi. Sit hæc limitatio, quatenus auditores imitari debeant suos doctores. Quatenus uidelicet illi imitatores

sunt

sunt Christi. Sed dices: Ergo recte faciunt, qui Christum imitantes abstinent à cõiugio, quandoquidem ipse fuit ἄγαμος, & eam continentiã alijs quoq; imitandã proponunt. Deinde & xl. dies ieiunant, idq; ieiunij alijs præscribunt, propterea quod Christus totidẽ dies ieiunasse scribit. Respondeo. Quod abstinentiã à coniugio attinet, si ea ad imitationẽ Christi pertinet, nõ fuerũt apostoli imitatores Christi. Habuerunt enim cõiuges, sicuti suprà cap. 7. ostẽdimus. Quod ieiuniũ quadragesimale attinet, non est illud referendum ad exempla Christi fidelibus imitanda, id quod & Chrysost. annotauit, quemadmodũ in Comment. nostris super Matth. cap. 4. uidere licet. Id potius imitandum est, quod Christus & docuit & fecit. Docuit ea quæ charitatis sunt, & opere quoque præstitit, dum semetipsum exinaniuit, accepta serui forma, & pro nobis in mortem tradidit, quærens & saluum faciẽs quod perierat. Hac in re sita est uera Christi imitatio. Et hãc Chrysost. recte perfectissimi dixit esse Christianismi canonem, ad quem si compares, prorsus nihil est omnis omnium monachorum disciplina, abstinentia, castigatio, &c. κἂν νηστεύσῃς, inquit Chrysost. κἂν χαμευνήσῃς, κἂν ἀπαγχονήσῃς σαυτὸν τοῦ δὲ πλησίον μὴ προνοῇς οὐδὲν μέγα εἰργάσω.

Nos admonemur hoc loco, quàm non sit omnium doctorũ dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Non recte poscit ut se imitemur, qui in uia Dei non præcedit. Aliud est audire docentem, & aliud imitari præeuntẽ. Vt multi sunt doctores, præeũtes pauci, ita multi sunt auditores, imitatores uero pauci.

CAPVT XI.



Ollaudo autem uos fratres, quod omnia mea memoria tenetis, & quemadmodum tradidi uobis instituta, tenetis.

Apparet ecclesiam Corinthiorum improbitate quorundam non uno tantum, sed uarijs modis à synceritate apostolica abduci ac deprauari in absentia Apostoli cœpisse. Quare cum ea de re per fideliores esset admonitus diligenti cura ingruẽti corruptioni occurrit. Hactenus communicationem gentilium sacrorũ tribus capitibus 8. 9. & 10. repræhendit, iam transit ad eos abusus corrigendos, qui in ecclesiasticum illorum cœtum irrepserant, id quod quatuor sequentibus capitibus, 11. 12. 13. & 14. facit. Dum hæc lego, mirari desino, qui factum sit, quod tam multis ac fœdis corruptelis post apostolorum tẽpora deformatæ sunt ecclesiæ. Etenim si tam modico tempore Apostolo absente quidem, uerum adhuc in uiuis agente, tot modis ecclesia Corinthiorũ defœdari potuit, quid mirum si tam prolixo tot seculorum decursu partim superstitione, partim incuria, partim hypocrisi, partim dominatu

A pseudepiscoporum horrendis modis corrupta sunt in ecclesijs ferè omnia, maxime cum perpetuo pro hæreticis & schismaticis habiti sint, quicunq; publicæ corruptioni reclamandum esse censuerunt? quam ψευδεκκλησιαστικῶν insaniam hodie quoque experimur, qui adeo facti sunt impudentes, ut ausint contendere, non posse errare ecclesiam. Si ueri pastores essent, in id magis incumberent, ut ad exemplũ Apostoli quicquid adulterinum obtinuit, in ecclesia diligenti cura corrigerent.

COLLAVDO autem uos fratres, inquit.] Orditur à laude eorum, qui cæteris saniores erant. Neque enim probandum est, quod Lyranus hæc per ironiam dicta esse putat, ut, collaudo uos idem sit quod uitupero uos. Poterat ordiri à correptione reproborum, uerum quoniam multum refert, quali exordio ad emendandum delinquẽtes utamur, præsertim ubi delictum non est catholicum, sed quorundam tantum, ne qui inculpabiles sunt, se quoque perstringi putent, adeoque frustra contristentur, consultius & circumspectius erat, ut mox initio laudaret saniores, eosque merita laude à delinquentibus segregaret. Exemplũ hoc Apostolicæ prudentiæ imitentur pastores & doctores ecclesiæ. Neq; enim tum tantum, sed hodie quoq; sic comparatæ sunt ecclesiæ, ut eiusmodi prudentiam requirant....

Sic autem consilium Apostoli consyderantes, liberamus eum à suspicione adulationis, à

B qua omnium fuit alienissimus. Quare non est ut hoc illius exemplum patrocinio sibi esse existiment adulatores ecclesiastici, qui nec cũ debito discrimine, nec sanctæ prudentiæ proposito, nec ea tantum quæ iustæ sunt laudis capacia, laudant in ecclesia, sed quo res suas agant magis quàm Christi laudant uituperanda, & abblandiuntur illis, quos magis corripere conueniebat. Aliàs non est inutile, nec alienum, ut uidemus, à sanctis laudare fratres recte agentes.

Potest autem hoc fieri bifariam. Primum coram alijs recte illorum facta prædicando & laudando. Sic infrà capite ultimo laudat Stephanam, Fortunatum, & Achaicum coram ecclesia Corinthiorum, prædicans de illis quod seipsos in ministerium sanctorum ordinarint, ac spiritum suum refocillarint. Et hoc plerunque in salutationibus, quas epistolis suis subiecit, facere consueuit. Hoc autem laudandi genus & plus habet candoris, & minus est suspectum. Deinde, in faciem aliquem, uel præsentem uerbis uel absentẽ literis laudando, quod hic facit, dicens: Collaudo autem uos fratres, quemadmodum & Philippẽses & Thessalonicenses laudat. Vtroq; laudandi genere incitat fideles ad studium pietatis, siue ut eos quos laudat, imitentur, siue ut in quo laudantur, constanter pergant.

QVOD omnia mea memoria tenetis, inquit, & quemadmodũ tradidi uobis instituta, tenetis.] In Græco est, ὅτι πάντα μου μέμνησθε, quod bifa-

bifariã uerti poteſt. Primo ſic: Quod p omnia mei memores eſtis, quẽadmodũ habet uerſio uulgata. Sic πάντα idem eſſet quod κατὰ πάντα, id eſt, per omnia. Deinde ſicut uertit Eraſmus, quod omnia mea memoria tenetis. Vtrouis modo legamus, exprimit hiſce uerbis, quã ob cauſam laudet Corinthios. Inſtituerat eos, nõ ſolum quid credere, & quomodo uiuere, ſed & quo ordine ac decoro ſingula in cœtu eccleſiaſtico obire deberent. Horum omnium memores illi quæ acceperant, ſedulo retinebant. Hanc in illis diligentiam laudat.

1 Vide autem quomodo primum tribuat illis memoriam acceptarum traditionum, deinde & cuſtodiam. Memoria accepti mandati ſeruit illius cuſtodiæ, obliuio uero uiam parat ad tranſgreſsionem.

2 Deinde obſerua quomodo nõ ſimpliciter dicat, quod mea, ſed, quod omnia mea memoria tenetis. Argumentum religioſæ mentis eſt non unius & alterius, ſed ſimul omnium inſtitutorum meminiſſe.

3 Tertio, nec illud ocioſum eſt, quod nõ ſimpliciter dicit, & quę tradidi uobis, ſed, & quẽadmodum tradidi uobis inſtituta, uel traditiones, παραδόσεις, tenetis.

Citant hæc uerba ad confirmandum authoritatem traditionum ac rituum eccleſiaſticorum, quos tanq̃ uerbo Dei cõtrarios hodie reijcimus. Ecce, inquiunt, non ea tantũ quæ ſcripta, ſed & quæ uiuo ſunt ſermone tradita, laudabiliter ſeruant fideles, quod ab Apoſtolis ſunt accepta. Primum probandũ erat, omnes eos ritus quos improbamus, traditos eſſe ab apoſtolis, id quod nunquam probabitur. Deinde, haud eſſe eos contrarios uerbo Dei. Tertio, quemadmodum traditi ſint ab apoſtolis, ita in hunc uſq; diẽ eſſe ſeruatos. Niſi iſta probentur, quorſum attinet patrociniũ tot ac tam manifeſtorum abuſuũ ex hiſce uerbis Apoſtoli, quibus dicit: Et quemadmodum tradidi uobis inſtituta, tenetis, fruſtra petere. Ipſa eucharistia ſatis euincit, non eſſe ſeruata dominica & apoſtolica inſtituta, quemadmodum ſunt tradita, ſed additionibus, diminutionibus & alterationibus uehementer adulterata. Quis adeo demens eſſe uolet, ut credat eos ritus, de quibus nulla extat in ſacris ſcripturis authoritas, ab apoſtolis eſſe inſtitutos, & ſecundũ primęuam inſtitutionẽ incorrupte ſeruatos, cum ne ea quidẽ illibata ſeruata ſint, quę manifeſto uerbo ſunt circumſcripta? Quare locũ hic habet illud Tertulliani, de præſcriptionibus hæreticorũ, quo ſic dicit: Ipſa doctrina eorũ cum apoſtolica cõparata ex diuerſitate & cõtrarietate ſua pronũciabit, neq; apoſtoli alicuius authoris eſſe, neq; apoſtolici. Quia ſicut apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & apoſtolici nõ cõtraria apoſtolis ædidiſſent, niſi illi qui ab apoſtolis deſciuerunt, & aliter prædicauerunt. Hæc ille. Conſimili modo dicimus nos de ritibus & traditionibus, qui diuerſitate ſua conuincunt, quod nihil minus ſint q̃ uel apo-

A ſtolorum uel apoſtolicorũ uirorũ. Conferant ij quos habemus in Occidente ſub eccleſia Romana, cum illis quos habent Orientales eccleſiæ ab apoſtolis fundatę. Si dixerint Romanã eccleſiã ritus apoſtolicos incorruptos ſeruaſſe, Oriẽtales uero ab illis degeneraſſe, tã facile hoc cõtemnimus, q̃ illi facile dicũt. Imò cũ Auguſtino dicimus, Occidẽtis eccleſias aliquas, in quibus Roma eſt, non ſeruaſſe quod apoſtoli tradiderunt, Orientis uero terras, unde cœpit ipſum Euangelium prædicari, in eo quod ab omnibus cum ipſo Petro apoſtolis traditũ eſt, ſine aliqua uarietate manſiſſe.

Epiſt. 86.

SED uolo uos ſcire, quod omnis uiri caput Chriſtus eſt, caput aũt mulieris uir, caput uero Chriſti Deus.] Apparet ex ſtatu argumẽtationis ac correctionis huius, cui ferè ad dimidiũ uſq; capitis immoratur Apoſtolus, cœpiſſe mulieres in cœtus eccleſiaſticos cõtra muliebris pudoris decorũ capitibus apertis, ac uiros cõtrà tectis ingredi, illicq; ſic diſpoſitos & orare & prophetare. Notum eſt ex hiſtorijs, quæ fuerit in Græcia, præſertim inter Corinthios, uirorũ mollicies & mulierũ impudentia. Et quoniã utraq; catholica facta pro patrio more habebat, neutra aliquid habere uicij putabatur. Quare qui Chriſto acceſſerant, haud ſtatim initio intelligebant, q̃ eſſet indecorũ, quod cõmuniter ab omnibus patrio more fiebat, atq; ita quemadmodũ antea ſe geſſerant in tẽplis & ſacris deorũ gentiliũ, ſic ſe in cœtu fideliũ quoque gerebant. B Vt hoc in illis corrigat, inſtruit eos traditione hac ſcripta, ſeruandũ eſſe in eccleſia utriuſq; ſexus decorũ ac conuenientem diſcretionem, qua uir oret ac prophetet capite aperto, mulier uero tecto & obuelato. Et hoc tradit nõ ſimpliciter nudo mandato, ſed annexis rationibus, quarũ primariã præmittit, reliquas ſubijcit, ſicut ex ordine uidebimus.

SED uolo uos ſcire, inquit.] Diximus pręmiſſam laudem pertinere ad ſaniores in eccleſia Corinthiorũ qui memores apoſtolicorũ inſtitutorũ ſeruabant omnia. Iam cum illis ſcribens, mox poſt præmiſſam laudẽ ſubijcit, ſed uolo uos ſcire, quod omnis uiri caput Chriſtus eſt, &c. apparet ipſum ſaluo aliorum iudicio, nihil illis hac de re tradidiſſe, cum præſens apud eos ageret, quod ſerioribus eſſet admodum occupatus. Neq; enim omnia quæ ad ritus & mores pertinẽt, ſtatim initio tradi poſſunt ab illis, qui fundamenta fidei iaciunt. Et infrà in calce capitis huius, ubi dicit: Cætera uero cum uenero diſponam, ſatis, opinor, patet nondum diſpoſuiſſe ipſum omnia in eccleſia Corinthiorũ, quæ ipſius erant authoritate ac prudentia diſponenda. Saniores igitur illi ſeruabant omnia illius inſtituta, intellige quæ ipſis præſens cõmendauerat. Verum interea & ipſi cum alijs minus ſeſe decẽter inter orandum & prophetandũ gerebãt. Id correcturus dicit: Laudo quidẽ uos, quod omnia inſtituta mea, quę uobis cũ apud uos eſſem tradidi, memori mẽte ſeruatis: uerũ iuxtà ſcire uos uolo, quàm

quàm sit inconueniens, quod uiri tecto, mulieres aperto capite in ecclesia oratis & prophetatis. Et sic Hieronymus intellexit, ad hunc modum exponens: Etiam in hoc uolo uos instruere, ut illud similiter teneatis, &c. Quod si quis existimat Apostolum iam antea hac de re præcepisse, & in præsenti nihil facere aliud q̃ ut traditam antea disciplinam rationibus confirmet, contra eos qui illam contentionibus suis diuexabant, nolim admodum reluctari.

Si nihil hac de re tradiderat antea, uidemus fieri potuisse, ut qui omnia apostolica instituta tenebant, nondum scirent caput mulieris esse uirum, uiri Christum, Christi Deum, nedũ quid ex ea esset scientia colligendum. Si uero iam antea tradiderat, admonemur, requiri sciẽtiam ab illis, qui traditam disciplinam seruãt, quod non sit satis externo facto quod traditũ est seruare, nisi id iusta cum intelligentia fiat, quemadmodum decet populum non seruiliter, sed liberaliter & ad spontaneam disciplinam institutum. Laudanda igitur sic est iustæ obedientiæ diligentia, & traditæ disciplinæ custodia, ut simul etiam eorum quæ seruanda sunt, intelligentia tradatur & requiratur. Etenim sine hac externum quidem corpus disciplina non intellecta exercetur, mens uero omni illius fructu destituitur, id quod à fidelibus omnium debebat esse alienissimum. Sic multa seruantur in ecclesijs Romanæ dominationi subiectis, præsertim in monasterijs, de quibus si roges, nulla potest reddi certa ac prægnans ratio, quam in ecclesia fidelium alicuius conueniat esse momenti. Nihil debet tradi in ecclesia, quod non uel scripturis canonicis, uel iustis rationibus fidelibus commendetur. Sic uidemus hic Apostolum non simpliciter statuere quid faciendum sit, quid non sit, sed traditionẽ suam rationibus & præmissis & subiectis communire. Seruilem subiectionẽ quęrunt in ecclesia Pontifices, qui solam personæ, quã gerere uideri uolũt, dignitatem & authoritatem fidelibus obijciunt, dum quælibet illis proprio arbitratu imponunt. Hoc, quæso, quid aliud est, quàm in oues Christi exercere dominatum, ac dicere: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas? Et illud Pelagij, ubi est maioritas, ibi est mandandi potestas, cæteros manet obediendi necessitas.

Quam autem traditionis huius primariam rationem præmittit?

Sed scire uos uolo, inquit, quod omnis uiri caput Christus est, caput autem mulieris uir, caput uero Christi Deus.

Sententiam hanc accommodat ipse ad causam de qua agit, ubi uidebimus, quomodo ex illa quod instituit, colligi uelit. In pręsenti ipsa hæc est sententia inspicienda. Quadripartitũ ordinem ponit, quo & distinctio pariter & cõiunctio primum Dei & Christi, deinde Christi & uiri, tertio uiri & mulieris explicatur. Maxima quidem est cõiunctio, nimirum qualis est corporis & capitis, inter mulierem & uirum, uirum & Christum, Christum & Deum: uerũ ea coniunctio non tollit distinctionem cõiunctorum, nec infringit potiorum prærogatiuã.

Ad coniunctionem arctissimam pertinet, quod non dicit: Quod omnis uiri dominus Christus est, dominus antem mulieris uir, dominus uero Christi Deus, sed: Quod omnis uiri caput Christus est, caput autẽ mulieris uir, caput uero Christi Deus. Coniunguntur & dominus & seruus, uerum ea coniunctio procul abest ab unitate capitis & corporis. Est quidẽ & Christus uiri, & uir mulieris dominus: uerum non ita quemadmodum sunt domini seruorum & mancipiorum, sed quemadmodum caput est sui corporis. Quare ad exprimẽdam unitissimam coniunctionem uocabulum posuit non domini, sed capitis.

Ad distinctionem uero coniunctorũ & pręrogatiuam potiorum pertinet, quod non dicit: Omnis uiri compar est Christus, compar autẽ mulieris uir, compar uero Christi Deus, sed, omnis uiri caput est Christus, caput autẽ mulieris uir, caput uero Christi Deus. In capite est excellentia moderationis & authoritatis, in corpore est subiectio & iustæ obedientiæ accommodatio. Pręest corpori caput, subest capiti corpus. Regit caput, regitur corpus. Ad hanc capitis & corporis metaphoram referendum est quod uirum mulieris, Christum uiri, Deum Christi caput esse dicit. Supereminet mulieri uir, Christus uiro, Deus Christo. Sic omnis & summa supereminẽtia tribuitur Deo patri, quemadmodum etiam illius omnis est paternitas. Ex Deo patre per Christum sunt omnia. Ex illo est quod Christus caput est uiri, uir caput mulieris. Sic suprà in calce capitis tertij retulit ad Deum patrem per Christũ omnia, consimili gradatione dicens: Omnia uestra sunt, uos autem Christi, Christus uero Dei. Hæc puto esse perspicua. Verum uideamus singula.

SED scire uos uolo, inquit, quod omnis uiri caput Christus est.] Potest hic quæri, an in uniuersum omnis uiri, etiam increduli & gentilis, uel fidelis tantum & Christiani caput sit Christus. Chrysostomus negat Christum esse caput infidelium uirorum, sed fidelium tantũ. Et addit hanc rationem. Nam si corpus Christi sumus & membra, & eius pars, & idcirco ipse nostrum caput, eorum qui in corpore non sunt, neque membra perficiunt, non utique erit caput. Itaq; hæc particula, omnis, de unoquoque fideli intelligenda est. Et hunc recentiores aliqui sequuntur. Verum si hũc sensum acceperimus, non uideo quomodo Christus uirorum fidelium magis quàm mulierum caput dici debeat, præsertim cum ecclesiæ suę caput existat, in qua tam mulieres sunt quàm uiri, & Gal. 3. diserte legamus, in Christo Iesu in quem baptizamur, nec uirum esse nec mulierem, hoc est, nihil esse discriminis inter uirum

&mulierem, quemadmodum nec inter Iudęū & Græcum, nec inter seruum & liberum. Et hoc Ambrosium mouisse puto, ut sic exponeret: Christus autem ideo caput uiri est, quia per ipsum cum non esset, formatus est. At hæc ratio ad creationem masculini sexus pertinet, quæ non est ad fideles tantum, sed in uniuersum ad omnes uiros referenda. Sic esset Christus omnis uiri caput, propterea quod per illum est Adam è limo terræ formatus.

Nec insolēs uideri debet, uerbum illud per quod facta sunt omnia, quod postremis temporibus humani generis gratia incarnatū est, uocari Christum.

Cogitandum tamen & illud est. Vir est ad imaginem Dei factus, cuius infrà quoq; mentio fiet. At in hac prærogatiua imaginis & gloriæ Dei inter uiros omnes supereminet Christus, ut etiam hoc nomine recte caput uirilis sexus uocetur. Et hic sensus conueniens uidetur tam coniunctioni quàm distinctioni capitis & corporis, & prærogatiuæ quoque, qua caput membra sua singulari supereminentia excellit. Nec est ut hoc uel ad diuinam uel ad humanam naturam tantum referamus, sed ad totum Christum. Hic est caput omnis uiri, nō uxorati tantum, sed & uidui, adolescentis & iuuenis, hoc est totius masculini sexus, in quo perinde atque caput in corpore principatum tenens excellit. Hanc meam cogitationem nō temere affirmo, sed alijs iudicandā propono.

CAPVT autem mulieris uir, inquit.] Per uirum & mulierem totum genus humanum in duos sexus includit. Quemadmodū enim per uirum masculinum, ita per mulierem muliebrem sexum, uirgines, maritatas & uiduas intelligit. Duorum istorum sexuum primus & potior est masculinus, ad imaginem Dei cō ditus, & muliebri præpositus, quem triplici præstantia excellit, ordine uidelicet creationis, dignitate imaginis Dei, & uirib⁹ cùm mentis tum corporis, ut non frustra uir ab ipso cō ditore principatum super mulierē acceperit.

Duorum istorum sexuū unitissima est carnis & naturæ coniunctio, & simul ordinis dispositio, qua qui superior est capitis, qui inferior corporis uicem obtinet: unde non tollitur eiusdem carnis & naturæ unitas, sed magis impletur & conseruatur. Quemadmodum enim in corpore humano nō destruitur ex eo eiusdem naturæ & carnis unitas, quod diuisum est in caput & membra, & caput præstantius est & excellentius reliquis membris, illaque gubernat & moderatur, ita inter uirum quoque & mulierem non soluitur generis, naturæ & carnis unitas hac conditionis diuersitate, qua uir primatum tenet, mulier uero primatui illius subiacet.

Nec hinc aliquid est detrimenti muliebri sexui, quod uirilis illi præfertur. Quicquid enim in uiro est præstantiæ, mulieris est commodis destinatum, perinde atque reliquo corpori seruiunt omnes illæ dotes, quæ capiti di

A uinitus sunt concessæ. Hinc multa cogitari diciq; possunt, quę quoniam parerga sunt hoc loco, consulto transimus. Possunt illa bipartiri, sicut alia naturalem ordinem, coniunctionem, conuictum, & mispat utriusque generis humani sexus, quo alter est alteri obstrictus, & quæ hisce sunt annexa, alia mysterium Christi & ecclesiæ concernant, quo nobis ille uice capitis, ista uero corporis proponitur, utpote Coloss. 1. ubi Apostolus dicit: Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnē plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia, &c. Et Ephes. 5. Mulieres uiris suis subditæ sint, sicut domino. Quoniā uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse Saluator corporis ipsius, & quæ ibi plura sequuntur. Ex duobus illis locis uidemus, quomodo metaphora capitis & corporis Christo competat & ecclesiæ, Christo inquam soli, & corpori ipsius, ecclesię uidelicet electorum & fidelium.

Quomodo Rom. pontifex caput sit ecclesiæ.

Contendunt hodie Romanum pontificem esse caput ecclesiæ. Quod me attinet, concedo hoc facile. Videmus illi ecclesiam esse subiectam, cui dominatur per omnia. Ecclesia autē est corpus quoddam multitudine credentiū, & unitate religionis constans & compositū, quo sensu & Iudæi & Turci quoque suam habent ecclesiam. Deinde unumquodque caput sui corporis caput est, nō alieni. Si caput est ecclesiæ Romanus pontifex, omnino suæ est caput, non alienæ. Igitur eius quæ Christi est caput esse non potest, nisi facturi sumus ex ecclesia monstrum biceps. Imò quod adhuc absurdius est, nisi daturi sumus ecclesiæ electorum non simpliciter duo capita, quæ sint æqualia & forma & conditione, & dignitate, & sensu, & spiritu, & facultate ἡγεμονικῇ, sed in his omnibus omnium à seinuicem diuersissima, unum terrenum, alterum cœleste, unum mortale, alterum immortale, unum in peccatis conceptū & natum, alterum à peccato alienissimum, unum inconstans, & post mortem prioris alterius successione alterabile, alterū idem & perpetuum, unum in cuius pectoris scrinio inhabitet, indeque promanet omnis plenitudo nō potestatis, non pietatis, non iusticiæ, non sanctæ intelligentiæ, sed fraudis, doli, maliciæ & nequitiæ, superbiæ, mendacij, auariciæ, simoniæ, & omnis generis pessimarum cupiditatum ac libidinum, alterum in quo habitet omnis plenitudo diuinitatis, gratiæ, sapientiæ, iusticiæ, & spiritualium charismatum, quæ corpori suo largiter communicat, unum quod sit pestis & perditio, alterum quod sit salus & uita, unum quod disturbet & confundat omnia cœlestia & terrestria, diuina & humana, alterū quod conciliet omnia tam terrena quàm cœlestia. Tam diuersis capitib⁹, obsecro, quomodo unum & idem ecclesiæ corpus subijci poterit? Quid quod Romanum hoc caput nec ab Indiæ,

Indiæ, nec Persiæ, nec Syriæ, nec Asiæ, nec Aphricæ, sed à paucis quibusdam, aliarum respectu, Europæ ecclesijs agnoscitur? An arctabimus ecclesiam Christi in solam Europã? Absit. Ergo nascetur nobis aliud monstrum ecclesiæ, non modo bicipitis, sed & bicorporis, cuius unum corpus sit biceps, alterum acephalon. Neque enim eius ecclesię quę Romanum caput non agnoscit, Christum esse caput concedunt, neque in ea quæ Romano capiti subiecta est, Christum unà cum suo pontifice, capitis tenere eminentiam affirmare ueretur. Absint hæc portẽta à uera Christi ecclesia, de adulterina uiderint qui illam pro uera amplectuntur. Sed pergamus.

CAPVT uero Christi Deus, inquit.] Diximus per hanc capitis & corporis metaphorã summam eiusdem naturæ & essentiæ unitatem, & simul competentis discretionis ordinem exprimi. Vnitas inter Deum & Christũ omnium est unitissima, quod naturam & essentiam diuinitatis concernit. Quare non est hic locus Arrianis. Licet enim caput Christi sit Deus, id tamen usqueadeò non tollit diuinitatis à Christo naturam, ut eam magis requirat & confirmet. Etenim nisi eadem utrobiq; sit natura, metaphora hæc capitis & corporis locum habere non poterit. Quod autem caput superius est corpore, non est hoc ad diuinam naturam qua filius æqualis est patri, sed ad humanam referendum, cuius ipse respectu dixit: Pater maior me est. Et, Vado ad Deum meũ & Deũ uestrũ, & q̃ alia sunt huiusmodi.

Nos hic admonemur, primum, ex Deo esse omnia, tanquam ex fonte omnium. Deinde per Christum illi genus humanum coniungi, idque mediatione non uulgari, sed tali quę unitate eiusdem illi cum patre, & nobis cum illo naturæ cõstet. Tertio in ipso genere nostro positam esse coniunctionis huius imaginem, copulatione maris & fœminæ, quæ tum esset perfectior ac felicior, si ad unitatẽ Dei & Christi propius accedens, non modo carne & natura eadem, sed eodem quoque cœlesti spiritu constaret. Verum hunc defectum philanthropia Dei in Christo capite nostro sarcire dignata est, in quo perfecta est non solum naturę & essentiæ diuinæ cum humana, sed & eiusdem spiritus coniunctio. Quare quod hic dicit: Caput uero Christi Deus, non sic est accipiendũ à nobis, ut Christum separatim inspiciamus, sed ut nos in illo, tanquam capite compræhensos, supremo capiti Deo subiungi, atque ita illum hac intermediatione, omnia esse in omnibus sentiamus, donec ea plenitudo accepto à Christo regno in fine mundi consummatissima reddatur.

Hactenus sententiã hanc Apostoli utcunque & separatim inspeximus, qua omnis uiri caput Christum, mulieris uirum, Christi Deũ esse dicit, iam uidendum est quorsum eam in præsenti causa induxerit, quidq; & quomodo ex illa colligat.

A Omnis uir orans aut prophetãs quicquam habens in capite, probro afficit caput suum. Omnis uero mulier orans aut prophetans non uelato capite, dehonestat caput suum.

Hoc est quod ex præmisso axiomate inferre uoluit. Poterat dicere. Ergo omnis uir orãs & prophetans aperto, & omnis mulier orans, &c. tecto sit capite, uerum ut sententiam hanc præmisso axiomati accommodet, & simul id quod in illorum ecclesia fiebat, redarguat, dicit: Omnis uir orans aut prophetans quicquã habens in capite, probro afficit caput suum. Omnis uero mulier orans aut prophetans nõ uelato capite, dehonestat caput suum.

Nihil hic est obscuri in sensu. Verum de illo disputari potest, quomodo consequatur hoc ex præcedenti axiomate: Deus est caput Christi, Christus uiri, uir mulieris, ergo caput suum dehonestat uir, si tecto, & mulier, si aperto capite oret aut prophetet.

Primum, si uelamen capitis dedecorosum est in uiro, quur non & in muliere? Rursus, si nuditas capitis inhonesta est in muliere, quomodo non & in uiro, cum in Christo Iesu nihil sit discriminis inter uirum & mulierem? Deinde quid iniuriæ accidit hinc uel Deo uel Christo, uel ipsis uiris & mulieribus?

Respondeo paucis. Quod gratiam regni Christi attinet, qua per fidem in sanguinem illius saluamur, nihil discriminis est inter uirum B & mulierem. Hic nulla est uiro prærogatiua, nullum mulieri detrimentum. Verum in externa politia non modo mundana, sed & ecclesiastica discriminis multum est inter duos sexus uirilem & muliebrem, sic ut uiro liceat, quod mulieri sit illicitum, & contrà, mulierẽ deceat quod uiro sit incõueniens. Habet quisque sexus suum decorũ, cuius in sæculo quoque publicæ honestatis gratia magna habetur ratio, tanto in ecclesia maior habenda, quanto illi plus est sapientiæ ac gratiæ diuinitus concessum, unde illud est Apostoli: Quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, &c. hæc cogitate. Ratio autem decori primaria & huc pertinens, in utroque uirili ac muliebri sexu ab ordine dependet, quo quæcunque infra Deum sunt, suis sunt capitibus subordinata, quibus etiam singulis hoc primarium πρέπον est, ut suo unumquodque capiti competenter respondeat, illique sese in omnibus accõmodet. Mulieri caput uir est, uiro Christus, Christo Deus. Habet ergo mulier suum mispat, quo subest uiro tanquam suo capiti, uir suum, quo præest mulieri tanquã corpori, & subest Christo tanquam capiti suo. Competit ergo mulieri subiectionis humilitas & pudor, uiro præeminentia prærogatiua. Et secundum hanc diuersitatem diuersum etiam est illorum prepon in habitu externo. Ita ut non est eadẽ illis uestiendi cor-

Philip. ult.

&mulierem, quemadmodum nec inter Iudęũ & Græcum, nec inter seruum & liberum. Et hoc Ambrosium mouisse puto, ut sic exponeret: Christus autem ideo caput uiri est, quia per ipsum cum non esset, formatus est. At hæc ratio ad creationem masculini sexus pertinet, quæ non est ad fideles tantum, sed in uniuersum ad omnes uiros referenda. Sic esset Christus omnis uiri caput, propterea quod per illum est Adam è limo terræ formatus.

Nec insolẽs uideri debet, uerbum illud per quod facta sunt omnia, quod postremis temporibus humani generis gratia incarnatũ est, uocari Christum.

Cogitandum tamen & illud est. Vir est ad imaginem Dei factus, cuius infrà quoq; mentio fiet. At in hac prærogatiua imaginis & gloriæ Dei inter uiros omnes supereminet Christus, ut etiam hoc nomine recte caput uirilis sexus uocetur. Et hic sensus conueniens uidetur tam coniunctioni quàm distinctioni capitis & corporis, & prærogatiuæ quoque, qua caput membra sua singulari supereminentia excellit. Nec est ut hoc uel ad diuinam uel ad humanam naturam tantum referamus, sed ad totum Christum. Hic est caput omnis uiri, nõ uxorati tantum, sed & uidui, adolescentis & iuuenis, hoc est totius masculini sexus, in quo perinde atque caput in corpore principatum tenens excellit. Hanc meam cogitationem nõ temere affirmo, sed alijs iudicandã propono.

CAPVT autem mulieris uir, inquit.] Per uirum & mulierem totum genus humanum in duos sexus includit. Quemadmodũ enim per uirum masculinum, ita per mulierem muliebrem sexum, uirgines, maritatas & uiduas intelligit. Duorum istorum sexuum primus & potior est masculinus, ad imaginem Dei cõditus, & muliebri præpositus, quem triplici præstantia excellit, ordine uidelicet creationis, dignitate imaginis Dei, & uirib⁹ cùm mentis tum corporis, ut non frustra uir ab ipso cõditore principatum super mulierẽ acceperit.

Duorum istorum sexuũ unitissima est carnis & naturæ coniunctio, & simul ordinis dispositio, qua qui superior est capitis, qui inferior corporis uicem obtinet: unde non tollitur eiusdem carnis & naturæ unitas, sed magis impletur & conseruatur. Quemadmodum enim in corpore humano nõ destruitur ex eo eiusdem naturæ & carnis unitas, quod diuisum est in caput & membra, & caput præstantius est & excellentius reliquis membris, illaque gubernat & moderatur, ita inter uirum quoque & mulierem non soluitur generis, naturæ & carnis unitas hac conditionis diuersitate, qua uir primatum tenet, mulier uero primatui illius subiacet.

Nec hinc aliquid est detrimenti muliebri sexui, quod uirilis illi præfertur. Quicquid enim in uiro est præstantiæ, mulieris est commodis destinatum, perinde atque reliquo corpori seruiunt omnes illæ dotes, quæ capiti di

A uinitus sunt concessæ. Hinc multa cogitari diciq; possunt, quę quoniam parerga sunt hoc loco, consulto transimus. Possunt illa bipartiri, sicut alia naturalem ordinem, coniunctionem, conuictum, & mispat utriusque generis humani sexus, quo alter est alteri obstrictus, & quæ hisce sunt annexa, alia mysterium Christi & ecclesiæ concernant, quo nobis ille uice capitis, ista uero corporis proponitur, utpote Coloss. 1. ubi Apostolus dicit: Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnẽ plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia, &c. Et Ephes. 5. Mulieres uiris suis subditæ sint, sicut domino. Quoniã uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse Saluator corporis ipsius, & quæ ibi plura sequuntur. Ex duobus illis locis uidemus, quomodo metaphora capitis & corporis Christo competat & ecclesiæ, Christo inquam soli, & corpori ipsius, ecclesię uidelicet electorum & fidelium.

Quomodo Rom. pontifex caput sit ecclesiæ.

Contendunt hodie Romanum pontificem esse caput ecclesiæ. Quod me attinet, concedo hoc facile. Videmus illi ecclesiam esse subiectam, cui dominatur per omnia. Ecclesia autẽ est corpus quoddam multitudine credentiũ, & unitate religionis constans & compositũ, quo sensu & Iudæi & Turci quoque suam habent ecclesiam. Deinde unumquodque caput

B sui corporis caput est, nõ alieni. Si caput est ecclesiæ Romanus pontifex, omnino suæ est caput, non alienæ. Igitur eius quæ Christi est caput esse non potest, nisi facturi sumus ex ecclesia monstrum biceps. Imò quod adhuc absurdius est, nisi daturi sumus ecclesiæ electorum non simpliciter duo capita, quæ sint æqualia & forma & conditione, & dignitate, & sensu, & spiritu, & facultate ἡγεμονικῇ, sed in his omnibus omnium à seinuicem diuersissima, unum terrenum, alterum cœleste, unum mortale, alterum immortale, unum in peccatis conceptũ & natum, alterum à peccato alienissimum, unum inconstans, & post mortem prioris alterius successione alterabile, alterũ idem & perpetuum, unum in cuius pectoris scrinio inhabitet, indeque promanet omnis plenitudo nõ potestatis, non pietatis, non iusticiæ, non sanctæ intelligentiæ, sed fraudis, doli, maliciæ & nequitiæ, superbiæ, mendacij, auariciæ, simoniæ, & omnis generis pessimarum cupiditatum ac libidinum, alterum in quo habitet omnis plenitudo diuinitatis, gratiæ, sapientiæ, iusticiæ, & spiritualium charismatum, quæ corpori suo largiter communicat, unum quod sit pestis & perditio, alterum quod sit salus & uita, unum quod disturbet & confundat omnia cœlestia & terrestria, diuina & humana, alterũ quod conciliet omnia tam terrena quàm cœlestia. Tam diuersis capitib⁹, obsecro, quomodo unum & idem ecclesiæ corpus subijci poterit? Quid quod Romanum hoc caput nec ab

Indiæ, nec Persiæ, nec Syriæ, nec Asiæ, nec Aphricæ, sed à paucis quibusdam, aliarum respectu, Europæ ecclesijs agnoscitur? An arctabimus ecclesiam Christi in solam Europã? Absit. Ergo nascetur nobis aliud monstrum ecclesiæ, non modo bicipitis, sed & bicorporis, cuius unum corpus sit biceps, alterum acephalon. Neque enim eius ecclesię quę Romanum caput non agnoscit, Christum esse caput concedunt, neque in ea quæ Romano capiti subiecta est, Christum unà cum suo pontifice, capitis tenere eminentiam affirmare ueretur. Absint hæc portẽta à uera Christi ecclesia, de adulterina uiderint qui illam pro uera amplectuntur. Sed pergamus.

CAPVT uero Christi Deus, inquit.] Diximus per hanc capitis & corporis metaphorã summam eiusdem naturæ & essentiæ unitatem, & simul competentis discretionis ordinem exprimi. Vnitas inter Deum & Christũ omnium est unitissima, quod naturam & essentiam diuinitatis concernit. Quare non est hic locus Arrianis. Licet enim caput Christi sit Deus, id tamen usqueadeò non tollit diuinitatis à Christo naturam, ut eam magis requirat & confirmet. Etenim nisi eadem utrobiq; sit natura, metaphora hæc capitis & corporis locum habere non poterit. Quod autem caput superius est corpore, non est hoc ad diuinam naturam qua filius æqualis est patri, sed ad humanam referendum, cuius ipse respectu dixit: Pater maior me est. Et, Vado ad Deum meũ & Deũ uestrũ, & q̃ alia sunt huiusmodi.

Nos hic admonemur, primum, ex Deo esse omnia, tanquam ex fonte omnium. Deinde per Christum illi genus humanum coniungi, idque mediatione non uulgari, sed tali quę unitate eiusdem illi cum patre, & nobis cum illo naturæ cõstet. Tertio in ipso genere nostro positam esse coniunctionis huius imaginem, copulatione maris & fœminæ, quæ tum esset perfectior ac felicior, si ad unitatẽ Dei & Christi propius accedens, non modo carne & natura eadem, sed eodem quoque cœlesti spiritu constaret. Verum hunc defectum philanthropia Dei in Christo capite nostro sarcire dignata est, in quo perfecta est non solum naturę & essentiæ diuinæ cum humana, sed & eiusdem spiritus coniunctio. Quare quod hic dicit: Caput uero Christi Deus, non sic est accipiendũ à nobis, ut Christum separatim inspiciamus, sed ut nos in illo, tanquam capite comprænhensos, supremo capiti Deo subiungi, atque ita illum hac intermediatione, omnia esse in omnibus sentiamus, donec ea plenitudo accepto à Christo regno in fine mundi consummatissima reddatur.

Hactenus sententiã hanc Apostoli utcunque & separatim inspeximus, qua omnis uiri caput Christum, mulieris uirum, Christi Deũ esse dicit, iam uidendum est quorsum eam in præsenti causa induxerit, quidq; & quomodo ex illa colligat.

A Omnis uir orans aut prophetãs quicquam habens in capite, probro afficit caput suum. Omnis uero mulier orans aut prophetans non uelato capite, dehonestat caput suum.

Hoc est quod ex præmisso axiomate inferre uoluit. Poterat dicere. Ergo omnis uir orãs & prophetans aperto, & omnis mulier orans, &c. tecto sit capite, uerum ut sententiam hanc præmisso axiomati accommodet, & simul id quod in illorum ecclesia fiebat, redarguat, dicit: Omnis uir orans aut prophetans quicquã habens in capite, probro afficit caput suum. Omnis uero mulier orans aut prophetans nõ uelato capite, dehonestat caput suum.

Nihil hic est obscuri in sensu. Verum de illo disputari potest, quomodo consequatur hoc ex præcedenti axiomate: Deus est caput Christi, Christus uiri, uir mulieris, ergo caput suum dehonestat uir, si tecto, & mulier, si aperto capite oret aut prophetet.

Primum, si uelamẽ capitis dedecorosum est in uiro, quur non & in muliere? Rursus, si nuditas capitis inhonesta est in muliere, quomodo non & in uiro, cum in Christo Iesu nihil sit discriminis inter uirum & mulierem? Deinde quid iniuriæ accidit hinc uel Deo uel Christo, uel ipsis uiris & mulieribus?

Respondeo paucis. Quod gratiam regni Christi attinet, qua per fidem in sanguinem il-B lius saluamur, nihil discriminis est inter uirum & mulierem. Hic nulla est uiro prærogatiua, nullum mulieri detrimentum. Verum in externa politia non modo mundana, sed & ecclesiastica discriminis multum est inter duos sexus uirilem & muliebrem, sic ut uiro liceat, quod mulieri sit illicitum, & contrà, mulierẽ deceat quod uiro sit incõueniens. Habet quisque sexus suum decorũ, cuius in sæculo quoque publicæ honestatis gratia magna habetur ratio, tanto in ecclesia maior habenda, quanto illi plus est sapientiæ ac gratiæ diuinitus concessum, unde illud est Apostoli: Quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, &c. hæc cogitate. Ratio autem decori primaria & huc pertinens, in utroque uirili ac muliebri sexu ab ordine dependet, quo quæcunque infra Deum sunt, suis sunt capitibus subordinata, quibus etiam singulis hoc primarium πρέπον est, ut suo unumquodque capiti competenter respondeat, illique sese in omnibus accõmodet. Mulieri caput uir est, uiro Christus, Christo Deus. Habet ergo mulier suum mispat, quo subest uiro tanquam suo capiti, uir suum, quo præest mulieri tanquã corpori, & subest Christo tanquam capiti suo. Competit ergo mulieri subiectionis humilitas & pudor, uiro præeminentia prærogatiua. Et secundum hanc diuersitatem diuersum etiam est illorum prepon in habitu externo. Ita ut non est eadẽ illis uestiendi cor-

Philip. ult.

corporis, ita non est eadem tegendi capitis ratio. De capite meminit Apostolus, quia quod in eo membro peccabat, corrigere statuit. Capiti muliebri competit uelamen, symbolum subiectionis, uirili uero aperta nuditas, symbolum præeminentię. Mulier ergo, dum tecto capite apparet, & orat in ecclesia, seruat suũ decorum, & cohonestat suum caput, uirum uidelicet, cui se manifesto subiectionis symbolo subiectam esse profitetur. Vir contrà, dum libero & aperto capite in ecclesia Dei orat & prophetat, suum & ipse decorum retinet, & suum caput Christum cohonestat, à quo uirilis excellentiæ gloriam accepit.

Hoc igitur sensu ex præmisso axiomate colligit Apostolus, quoniam uir caput est mulieris, uiri uero Christus, consequi, ut mulier dehonestet caput suum, si nudo, uir uero suum, si tecto capite oret aut prophetet, propterea q, hac inuersione decorum suum abijciant, & ordinis diuinitus instituti leges transgrediant. Hæc de uiro & muliere infert ex ordine subordinatorum, quẽ præcedenti axiomate posuit, unde de Deo quoque & Christo multo poterat præstantiora inferre. Verum quia illa non faciebant ad propositum, ea tantũ intulit, quę ad causam quam agebat, pertinere uidebant. Videamus nunc ipsa uerba.

OMNIS uir orans, inquit, aut prophetans.] Quemadmodum suprà diximus, non loquitur Apostolus de uxoratis tantum, sed & adolescentibus, iuuenibus, senibus, agamis & uiduis, hoc est, de toto uirili sexu. Consimili modo cum dicit: & omnis mulier, mulieris uocabulo uirgines quoque & uiduas, non maritatas tantum, complectitur, sic ut hac sententia etiam filias Philippi diaconi uirgines, orantes ac prophetantes constringat.

ORANS, inquit, & prophetans.] Orabant, gratias agebant, psallebant, & prophetabant in cœtu fidelium libere & palàm qui uolebãt, pro abundantia spiritus, qui initio nascentis ecclesiæ iuxta uaticinium Ioëlis in corda fidelium cœlitus infundebatur. Orationis uocabulo Psalmos quoque & gratiarum actionem comprehendit. Prophetia tum erat in ecclesia duplex. Vna, qua docendo prædicabant, altera, qua futura uaticinando prædicebant. Nihil uetat, quo minus Apostolum hic de utraq; loqui sentiamus, quandoquidem utranq; in usu fuisse constat. Quanquam nõ repugno, si quis uel de priori, uel de posteriori tantum intellexerit.

QVICQVAM habens in capite, inquit.] In Græco est, κατὰ κεφαλῆς ἔχων, id est, in capite habens. Et exponunt nonnulli non solum de ueste qua caput inuoluere, uel pileo, quo illud obtegere solebant, sed & de coma & capillo, quasi etiam qui comam habet, recte aliquid in capite habere dicatur, qui sane loquendi modus eum apud nos sensum non habet.

PROBRO, inquit, afficit caput suum.] Exposuimus nõ de capite naturali, sed metaphorico, secundum præmissum axioma, quo Christus caput uiri, & uir mulieris esse dicitur. Verum nolim admodum reluctari si quis exponat non de Christo, metaphorico uiri capite, sed de eo quod inter orandum & prophetandum contra sexus sui decorum aliquo tegumento operit, & consimiliter de capite mulieris, quod illa denudat in cœtu sacro. Etenim non solum Christum uir, & uirum mulier, sed & sua ipsorum capita dehonestant, dum illa citra decorum sexus sui uel tegendo uel aperiẽdo in ecclesia fidelium, non ornant, ut putant, sed deformant.

Obseruandum autem est, quod hac sententia non damnat uirum, si extra cœtum sacrum utatur pileo, pro suo commodo, aut mulierẽ, si domi suæ capite sit aperto. Neque enim simpliciter dicit: Omnis uir quicquam habens in capite, neque: Omnis mulier capite existens non uelato, deturpat caput suum, sed cũ specificatione: Omnis uir orans aut prophetans, quicquam habens in capite, &, Omnis mulier orans & prophetans non uelato capite, dehonestat caput suum.

Illud quoque admonuerunt nonnulli, nõ constringi hac sententia ministrum uerbi, publicè in ecclesia docentem, quo minus si frigus sit, pileolo inter docendum utatur, modo initio sermonis capite sit libero ac nudo, cui moderationi facile assensero, præsertim in senibus. Eos tamen excusare non possum, qui & ætate iuniores, & tempore ęstiuo, pileati dicunt ad ecclesiam, haud secus, quàm si sententia hæc Apostoli ad ipsos nequaquam pertineat. Horum nonnulli caput suũ dehonestant pileo, & digitos ornant auro.

OMNIS uero mulier orans aut prophetãs.] Quærunt hic, quomodo mulierem caput suum dehonestare dicat, si prophetet capite aperto, cum infrà circa calcem cap. 14. pręcipiat illis ut in ecclesia taceãt, eò quod turpe sit mulieri in ecclesia loqui. Et 1. Tim. 2. dicat: Cęterũ mulieri docere non permitto. Quid opus est, inquiunt, præcipere ne capite aperto prophetet mulier, cum hoc illi nec tecto quidem facere liceat? Respondeo. Muliebrem temeritatem coërcet, ne ut sunt plerunque loquaculæ, ad docendum ac prophetandum sexus sui oblitæ prosiliant, ubi uetat eas prorsus in ecclesia loqui. Verum interea non extinguit spiritum, quo nonnullæ inflatæ futura prædicendo prophetabant, quales fuerunt filiæ Philippi diaconi, & aliæ multæ, quæ prophetarunt, secundum uaticinium Ioëlis cap. 2. ubi sic legimus: Et erit post ista, effundam spiritum meũ super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Propter tales pronũciat, quod caput suum dehonestent, si nudo capite orent aut prophetent, de cęteris aliam laturus sententiam, si ad munus docendi etiam tectis capitibus prorupissent.

Alij aliter ad hanc quæstionem respondẽt, Apostolum uidelicet unum improbando non probare

probare alterum, sed improbationẽ illius differre in locum alium. Sane ita habet. Nõ mox actum probat, qui modũ illius speciali de causa improbat. Lyranus sic. Dicendum quod Apostolus intelligit ibi, 1. Timo. 2. de sermocinationibus & doctrinationibus publicis, hic uero de orationibus & informationibus quas mulieres religiosæ in suis collegijs faciũt, quę fierent indecenter capite non uelato. Hęc ille, defendens muliebrem & anilem Nonnarũ temeritatem, qua sibi praeminentiam & magisterium in alias fœminas eiusdem superstitionis consortes sumũt, inq; illorum collegijs sedendo pręcipiunt ac statuunt, quasi Apostolo quicquam de illis uenerit in mentem.

Vnum enim est & idem cum ea quæ rasa est. Quod si non uelatur mulier, tondeatur etiam. Si uero turpe mulieri est tonderi aut radi, obueletur.

Apparet id quod in præcedenti dixit: dehonestat caput suũ, de nudo mulieris capite, nõ de uiro, esse intelligendum. Reddit enim hic illius rationem, eamq; talem, quæ nequeat ad uirum referri, quem mulieris caput esse dixit. Omnis uero mulier, inquit, orans aut prophetans non uelato capite dehonestat caput suũ. Quomodo? Vnum enim est & idem, inquit, cum ea quæ rasa est. Hoc est. Quia sic in cœtu sacro nudo capite comparens nihil differt à rasa ac tonsa, sed perinde est ac si sit rasa. In Gręco est, ἓν γὰρ καὶ τὸ αὐτό ἐστι τῇ ἐξυρημένῃ, quod legi potest etiam hoc pacto, unũ enim est & idem cum eo quod rasum est, ut referatur ad nudũ mulieris caput, & subintelligatur post illud τῇ ἐξυρημένῃ, τῇ κεφαλῇ, id est, unum enim & idem est cum raso capite. Nihil tamen refert utram lectionem teneamus. Sensus enim idẽ manet.

Reddit igitur sententiæ suæ rationem sumptam à turpitudine rasæ uel tonsæ mulieris. Sane ita habet. Communi sensu perturpe est fœmina rasa. Nec quicquam est, à quo mulier magis abhorreat quàm à turpitudine. Sic enim natura comparata est, ut cupiat placere uiris. Et hoc studio multa est in ornando suo corpore, capite præserrim, cuius capillos studiosissime nutrit ac componit. Argumentatur igitur in hunc modum. Cum sexus hic muliebris natura à corporis sui, maxime capitis, turpitudine abhorreat, quomodo sic desipit mulier, ut in cœtu sacro caput suum dehonestet? Dehonestat autem illud, dum inter orandum aut prophetandum apertum ac nudum ostentat. Quare? Quia nuditas illa muliebris capitis nihil differt à tonsura. Norunt autem omnes quàm turpe sit mulier tonsa ac rasa. Consequens igitur est, ut ueletur, si non uult turpis haberi.

Sunt hæc satis perspicua. Verum dicit hic quisquã. Atqui mulier ob id ipsum caput suũ denudat, & capillos uel demissos uel studiose compositos ostẽtat, quod se putat hoc pacto posse placere uiris, tam abest, ut nuditate hac caput suũ deturpari existimet. Et Apostolus ipse paulo infrà comam mulieri gloriæ esse fatetur. Quomodo ergo nudũ illius caput, hoc est, à uelo liberum, perinde est turpe ac si sit rasum? Rasum quidẽ, communi sensu turpe est, apertum uero ad capillos usq;, præsertim si illi sint insigniores, non turpe sed spectabile habetur. Quare ratio hæc Apostoli cõmuni sensu in eo cõstare non potest quod dicit: Vnum enim & idem est cum ea quæ est rasa.

Respondeo. Habet hęc ratio interpretationem, cuius ueritas non ex communi sensu, sed ab eo dependet, quod illos initio causæ huius scire uolẽs dixit: Sed uolo uos scire, quod omnis uiri caput Christus est, caput autem mulieris uir, & caput Christi Deus. Hęc scientia nec tum erat neq; nunc est communis omniũ, sed pendet à cognitione ordinis à Deo dispositi. Quemadmodum igitur ex hoc ordine subordinatorum capitum consequitur turpe esse uiro, si tecto, & mulieri si aperto ac nudo capite oret, eaq; turpitudine dehonestari ipsorum capita, ita & illud consequitur, quod hic unum & idem esse dicit, si nudo capite oret mulier, ac si sit rasa uel tonsa. In oculis uidelicet Dei, & secundum iudicium ordinis à Deo constituti, secũdum quem uiri decorum est nudo orare ac prophetare capite. Hoc cum facit mulier, decorum suũ abijcit, & quod uiri est usurpat. Abiecto autem decoro ordinis Dei, non honestatur capillis sed magis deturpatur, ut nihil iam in conspectu Dei differat à tonsa uel rasa. Sic quod naturæ ornamentum est uertitur in turpitudinem coram Deo, si decorum sexus diuinitus cõstitutum abijciatur. Tonsum esse uiri est non mulieris. Mulier nudo capite orãs, quatenus decorum suum abijcit, hactenus ad id quod uiri est aspirat. Quare nihil differt ab eo quod omnino uiri est, à tonsura uidelicet uel rasura capitis, quandoquidem sexus sui πρέπον abiecit.

Consimili modo poterat & de uiro dicere. Omnis uir orans aut prophetans tecto capite dehonestat caput suum. Vnum enim & idem est ac si sit peplo muliebri obuolutus. Quod si non orat capite nudo, obueletur etiam peplo. Si uero turpe est uiro, uelari & obuolui peplo, denudetur. Quasi dicat. Quoniam abiecto uirilis sexus decoro ea quæ mulierum sunt affectat, dignus est, qui instar mulierũ peplo obuoluatur. Nam nihil differt ab eo quod est mulierum. Sic cogitabat, puto, abbatissa quædã, quæ anno millesimo quingẽtesimo uicesimo quinto oppressa rusticorum seditione suos rusticos in pœnam seditionis sic mulctauit, ut quotquot erãt à cęde superstites peplum muliebre non domi modo, sed & foris in agro, in foro, & in ecclesia gestare cogeret. Hac ignominia muliebres illorum animos dignos esse cẽsuit. Verum Apostolus de uiris hic tacet, sed mulieres uehementius, quemadmodum & in sequentibus, urget, propterea quod maiore licentia hac in re peccabant.

r QVOD

QVOD si non uelatur mulier, inquit, tõdeatur.] In Græco est, εἰ γὰρ οὐ κατακαλύπτεται γυνή, id est, si enim non obuelatur mulier. Rationalē uoculam hoc loco tanquam ociosam omittimus, ne sit incommoda sensui. Et hanc ob causam in nonnullis Latinis exemplaribus non legitur. Conuenientius esset legere, εἰ οὖν, id est, si igitur, ut sit illatio ex præcedenti.

SI uero turpe est mulieri tonderi aut radi, obueletur.] Turpe hoc esse notum est omnibus illis nationibus, quæ aliquo adhuc naturæ sensu tenentur. Secus uero apud illas, quarum mulieres uulgo, ut audio, tondentur, uiri uero comati incedunt. Debebant hinc nonnæ & moniales admoneri, quàm sit alienum à decoro naturæ, quod tondentur. Obuelãtur quidem in publico, idq; non uulgari tantum modo sed & singulari ac tincto panniculo, religionis indice, intus tamen sunt tonsæ. Quorsum tondentur, cum sint uelatæ? Tonsuram Apostolus tam non requirit in Christiana fœmina, ut palam etiam turpem esse dicat. Illæ uero sic dementantur, ut nisi tondeãtur religiosas esse se non posse putent quasi Christiana religio rē absurdam & naturæ contrariam poscat. Hoc uidelicet spectabat concilium Gangrēse, cum Can. 17. sic statueret: Quæcunq; mulier religioni iudicans conuenire, comam sibi amputauerit, quam Deus ad uelamen eius & ad memoriam subiectionis illi dedit, tanquam resoluēs ius subiectionis, anathema sit. Hæc ibi. Et dementatio ista eousq; creuit, ut cõiugatę quoq; tonsuram monasticam religionis gratia accipiant, quas hodie Tertianas uocãt. Sub peplo gestant tõsuram, qua se partim monachis partim maritis suis obstrictas esse profitētur. Detestandum plane maritorum genus, qui uxores suas cum monachis non modo occulta societate sed & manifesta professione scienter communicant.

Vir quidem non debet obuelare caput, cum sit imago & gloria Dei, at mulier gloria uiri est. Non enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro. Neq; enim conditus est uir propter mulierē, sed mulier propter uirum. Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite, uel propter angelos. Alioqui neq; uir absq; muliere, neq; mulier absq; uiro in domino. Nam quemadmodum mulier ex uiro est ita & uir per mulierem, omnia uero ex Deo.

Postquam primariam sententiæ suæ rationem ad exprimendam denudati inter orandũ muliebris capitis turpitudinem explicuit, redit ad discriminandum inter uiri excellentiã & mulieris humilitatem ac subiectionē, quo alijs adhuc argumentis confirmet, orandum esse mulieri capite obuelato, uiro uero nudo & aperto. Vir quidem, inquit, non debet obuelare caput, debet uero mulier. Quare? Quia uir

A est, inquit, imago & gloria Dei, mulier uero gloria uiri. Argumentatus est initio, ex eo qđ uir caput est mulieris, Christus uero caput uiri, & Deus caput Christi. In præsenti adducit argumētum ex prærogatiua uiri, quam habet ex cõditione creationis qua factus est ad imaginem Dei, teste scriptura Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostrã, & præsit piscibus maris, &c. Propter hãc quoque prærogatiuam competit uiro, ut capite sit libero & aperto, quandoquidem obuelatio capitis symbolum habet subiectionis. Quomodo autē imago Dei sit uir, in Genesi diximus. Propter principatũ uidelicet totius orbis, in quem est ab initio conditus. Et quoniam dotibus suis ad eam est maiestatem à Deo instructus, ut cum gloria principatum suum gerere possit, dicit eum non imaginem modo sed & gloriã, hoc est, decus & ornamentũ esse Dei, à quo hæc omnia accepit, quemadmodũ principes regni gloria sunt regis.

AT mulier, inquit, gloria uiri est.] Id est, decus & ornamentum uiri. Non quod ab illo sit condita, aut quæ habet ab illo acceperit, sed quod ad illum pertinet, & ex illo ac propter illum est facta. Debet igitur illa uelare caput, ut eo symbolo subiectionem, in quam est posita profiteatur.

Sed dicit quisquam. Atqui ad imaginē hãc & gloriam Dei non uir tantum sed & mulier pertinere uidetur. Sic enim loco paulo antè citato dicit scriptura. Et creauit Deus hominē

B ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illũ, masculum & fœminã creauit eos, benedixitq; illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terrã & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c. Non dicit: masculum creauit eum, sed masculum & fœminã creauit eos. Nec dicit: benedixit illi Deus & ait: Cresce & multiplicare, & reple terram & subijce eam, & dominare, &c. sed in plurali ad utrunq; tam fœminam quàm uirum, crescite, multiplicamini, replete terrã, & subijcite eam, & dominamini, &c. Quemadmodum igitur benedictio hæc Dei, crescēdi, multiplicandi ac terram implendi non ad uirum tãtum sed & ad mulierem pertinet ita & dominatus terræ, in quo est imago Dei, nõ uiro tãtum sed unà cum illo & mulieri est deputatus. Quomodo igit̃ mulier ab hac dignitate separatur ab Apostolo, quasi uir solus imago sit & gloria Dei?

Respondeo. Quatenus masculus & fœmina coniuncti unum hominem & carnem unã constituunt, hactenus non uir tãtum, quia nõ solus, sed unà cum muliere imago est & gloria Dei. Quod uero ordinē concernit, quo discreti sunt inter se, sic ut uir sit caput mulieris, illique præsit, item quod attinet dotes uiro principatus gratia diuinitus traditas & administratione principatus, hactenus uir solus imago est & gloria Dei. Hominem definimus animal esse rationale. Prædicatũ hoc carni quoq; compe-

competit, quatenus illa ad plenitudinem hominis pertinet, quamuis dotes rationis nõ insint illi sed menti, & rursus non competit, quatenus facultas rationis non illi sed menti est concessa, q̃ proprie rationalis uocari potest. Et Christus imago est & gloria Dei, solus, quod attinet prærogatiuam unigeniti Dei, non solus, quod attinet coniunctionem carnis & spiritus, qua ecclesiæ suæ coniungi uoluit, propter quam coniunctionem & nos in illo & cũ illo regnamus. Hoc pacto sentiri posse puto & in hac causa. Imaginis & gloriæ Dei particeps est & mulier, quatenus caro uiri est & ad plenitudinem illius pertinet, nõ est particeps si separatim consyderetur, quatenus uiro est, tanquam capiti suo subiecta. Ad priorem sensum pertinent, quæ in Genesi leguntur, ad posteriorem uero, quæ hic ab Apostolo præsenti causæ conuenientia dicuntur.

Non est autem præter rationem, quod cũ de uiro dixerit, quod imago sit & gloria Dei, de muliere non subijcit, at mulier imago & gloria uiri, sed, at mulier gloria uiri est. Mulier enim sic est gloria, id est, decus & ornamẽtum uiri, ut tamẽ non sit illius imago, sicut ipse est imago Dei. Neq; enim instar uiri est, sicut uir instar est Dei, ad cuius est imaginem constitutus. Potest tamen aliquo pacto imago uiri dici. Hactenus uidelicet, ut quemadmodum Luna imago Solis ob id recte uocari potest, quod noctu absentis illius uices sustinet, ita mulier absentis uiri uicem gerẽs imago uiri dicatur. Sic uidemus matresfamilias in absentia maritorum suorum gubernationem sustinere domus, quemadmodũ imago rem ipsam cuius est imago, repræsentat.

Habent hic utriq; & uir & mulier unde admoneantur officij sui. Si uir est imago & gloria Dei, competit illi ne dignitatis huius prærogatiuam in probrum nominis Dei peruertat, summo studio conniti, ut quod est ex diuina dignatione, id pietate & iusticia ꝓ uiribus exprimat. Deinde, quatenus gloria ipsius est mulier, hactenus illam honorifice non ut seruam sed ut sociam tractet. Mulier, quoniã gloria uiri est, cogitabit cauendum sibi esse, ne in probrum uiri degeneret, hoc est, ne sic se gerat uel uerbis uel moribus, uel habitu indecenti, ut uiro sit ignominia magis quàm gloria.

NON enim est uir ex muliere, inquit, sed mulier ex uiro.] Rationẽ reddit eius quod mulierem gloriam uiri esse dixit. Hanc adfert duplicem. Vna est, quod ex uiro desumpta est mulier. Altera, quod propter uirum est condita. Emhpasim habet, quod non simpliciter dicit. Est enim mulier ex uiro, & propter uirum condita, sed. Non enim est uir ex muliere, neq; propter mulierem, sed mulier ex uiro, & propter uirum. Sic iterum luculenta discretione discernit inter uirum & mulierem, & huic prę rogatiuam suam uindicat, illam uero præeminentię ipsius subijcit. Etenim potius est id, unde & propter quod aliud, quàm quod ex illo

A & propter illud deducitur. Debetur enim illi gloria & originis & causę. Virum dixit nõ debere obuelare caput suum, eo quod sit imago & gloria Dei. Hic illud etiam ex eo probat, ꝗ uir neq; ex muliere est neq; propter mulierem conditus. Mulierem caput suum obuelare debere dixit, eo quod sit gloria uiri. Hoc probat dicens: sed mulier est ex uiro, item, sed mulier est propter uirum. Contrarium utriusq; præseferebant Corinthij, in eo quod mulier nudo & uir tecto capite orabant, quasi uir ex muliere & propter mulierem sit conditus. Quare cõstanter hoc negans dicit: Non enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro, neq; conditus est uir propter mulierẽ sed mulier propter uirũ.

Rationem autem hanc utranq; ex historia creationis usurpat, quæ Gen. 2. legitur. Quod mulier sit ex uiro, sic memoratur illic. Immisit dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormiuisset tulit unam de costis eius, & repleuit carnẽ pro ea. Et ædificauit dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam. Hoc tandem os est ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hęc uocabitur אשה, id est Vira, si sic loqui liceret, quoniã de uiro sumpta est. Quod uero condita sit mulier non solum ex uiro sed & propter uirum, ibidem sic legitur. Dixitque dominus Deus: Non est bonum hominẽ esse solum, faciamus ei adiutoriũ simile ipsi. Item: Adæ uero non inueniebatur adiutor similis B ipsi. Immisitq; dominus Deus soporem in Adam, &c. Hæc ibi. Ergo mulier facta est & propter uirum & ex uiro, ut sit illi adiutoriũ eiusdem cum illo consors & carnis & naturæ, qua de re pleraq; notari possunt, de quibus in Genesi nostra nonnulla attigimus.

Sed nascitur hic quæstio ex præsenti argumento Apostoli quo mulierem subijcit uiro, tãquam ob id potiori quod ex illo & propter illum est condita. Dixerit enim quisquam. Si potior est uir muliere propterea quod ex illo est & propter illũ condita, consequitur & nos potiores esse Christo, eandẽ ob causam, quod ille ex carne nostra & propter nos homo est factus, atq; ita uel falsum erit Apostoli argumentum, quo illum nobis loco capitis pręponit, & nos illi loco sponsæ & corporis subijcit Eph. 5. & Coloss. 1. uel non firmum est quod hic argumentatur, inferiorem esse mulierem uiro, propterea ꝗ ex illo & propter illũ est condita.

Respondeo. Inspiciantur hic & distinguantur circumstãtiæ Christi & mulieris. Aliter est ex uiro & propter uirum mulier, & aliter est ex carne nostra & propter nos Christus. Mulier priusquam ex costa Adæ formaretur non erat in rerũ natura. De Christo hoc dicere non possumus quod non fuerit priusquam ex uirgine nasceretur. Antequã Abraham esset ego eram inquit Iohan. 8. nedum, antequam esset Maria. Quare nõ debet nobis originem suam, sicut mulier debet uiro. Deinde, mulier haud suopte consilio scienter ac prudenter originẽ

 suam

suam ex uiro desumpsit, sed ignara eorũ quæ diuinitus agebantur ex costa illius est formata. At Christus non inscius sed scienter & suapte spõte ex nobis dignatus est incarnari. Tertio, mulier nõ sic est ex uiro & propter uirum condita, ut illum periclitantẽ seruet & ne pereat in omnibus moderetur & gubernet. Sed ut adiumento quidem sit in propagatione generis, uerum cætera ab illo tãquam capite suo regatur & alatur. Christus uero sic est ex nobis & propter nos natus, non ut à nobis regatur, alatur ac seruetur, sed ut noster ipse sit Seruator & gubernator. Quare non ob id est nobis inferior, quod ex nobis & propter nos est homo spõtanea & gratuita dignatione fact9, inferior uero mulier est ob id uiro, quod ex illo est ac propter illum priusquam esset condita, atque ita manet argumentum Apostoli ratum ac firmum.

PROPTER hoc, inquit, debet mulier potestatem habere in capite.] Colligit. Quoniam mulier est ex uiro & propter uirum, conuenit illi tanq̃ subditę caput non apertum sed obuelatum. Quod uulgata uersio habet, debet mulier uelamen habere, in Græco est, ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν, id est, debet mulier potestatem habere. Vtitur uoce hic nõ propria sed figurata. Velamen capitis muliebris uocat potestatem, propterea quod signum est eius potestatis, uirilis uidelicet, cui se hoc gestamine subiectam profitetur. Consimili ratione posset uocari subiectio, tanq̃ subiectionis symbolũ. Non est autem præter rationem, quod figurata hac est loquutione usus in re, quam Corinthij non satis intelligebant, quo illos admoneret, quæ sit ratio muliebris pepli, q̃ non simpliciter ad hoc faciat, ut caput contra frigus tegat, & honestati quoq; seruiat, sed & ut symbolum sit potestatis ac iuris uirilis, cui se mulier gestamine hoc pepli subiectã esse fateri debet. In capite regimen est ac potestas in corpus subiectum. Et quoniam potestas hæc uiro data est à Deo non mulieri, cõuenit, ut caput mulieris sit obuolutum ac tectum potestate uiri, non liberũ & apertum, quasi propriæ sit potestatis ac nulli subiectum. Insertum esse debet potestati uiri, ac circumscriptum, ne quid faciat suopte arbitratu, sed totum seruiat uoluntati uiri. Habet muliebre caput suas quoq; dotes, tam intelligentiæ q̃ naturalium sensuum, uerum habet eas nõ liberas sed potestati uiri subiectas. Quapropter ne duo sint unius corporis principalia ac libera capita, ipsa & ordinis & corporis & unitatis necessitas hoc requirit, ut potestas cedat uni, & subiectio alteri atq; ita liberum & apertum sit quod est superius, obuelatum uero & obstrictum quod est inferius. Vbi hic ordo diuinitus datus inuertitur, sic ut muliebre caput regat, & uirile regatur, frustra est externa illa mulierum obuelatio. Nam signũ est sine signato, externa subiectionis professio sine subiectione. Interea tamen ipso gestamine pepli peruersionis huius arguitur mulier, si

A dominationis perfidiæ, si alterius uiri sit appetẽs. Quicquid enim sub peplo illius uel ut Apostolus loquitur, sub potestate est, quam in capite gestat, id omne ac totum sub uiri est iure ac potestate.

PROPTER hoc, inquit, debet mulier potestatem habere in capite, propter angelos.] De syderatũ uocula, uel, ut legatur, uel propter angelos. Sensus enim est. Etsi non est pudor mulieri inter eiusdem moris homines nudo comparere capite, nec rationẽ habere sexus & decori sui, pudor sit saltẽ propter angelos, quos habet in ecclesia spectatores. Hic non est omnibus eadem sententia, de quibus angelis loquatur Apostolus, propterea quod uox hæc, ἄγγελος, uarie usurpatur. Sonat nuncium & legatum. Et hic dubio procul loquitur de nũcijs Dei, quos ille quo uult mittit. Nuncius Dei est sacerdos in lege, sicuti uidemus Malachiæ. 2. ubi sic legimus. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiã & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Nũcius Dei est Apostolus. Sic apostoli, quos ante se Christus misisse legitur Lucæ 9. angeli uocantur. Et discipuli Iohannis quoq; Lucę 7. Et cœlestes spiritus communiter angeli propterea uocantur, quod à Deo ad obeunda ministeria sua mittuntur. Quod itaq; pręsentẽ locum attinet, alius exponit de ministris uerbi, alius de bonis, alius de malis spiritibus. Mihi arridet illorum expositio qui de bonis spiritibus intelligunt à Deo ecclesię deputatis, idq; non in cõmune tantũ sed & singulis fidelibus. Hoc sensu poscit Apostolus, ut in ecclesia imò & aliàs, ubi conscientiã mortalium nõ ueremur, angelorum saltem aspectum reueriti abstineamus ab omni eo quod uel tantillũ habet indecori. Quãto quæso satius esset, si populus fidelium ad id fuisset institutus, ut haud dubitaret se agere in conspectu angelorũ iussu Dei præsentium, & omnia nostra spectantiũ, q̃ quod à surdis ac mutis simulacris impie pendet?

B

ALIOQVI neq; uir, inq̃t, absq; muliere, neque mulier absq; uiro, in domino.] In Græco est uocula, πλὴν, quã hic rectius uertes, attamẽ, q̃ alioqui. Quoniam quod dixit, non esse uirũ ex muliere, sed mulierem ex uiro, contra communem propagandi generis nostri modũ dictum esse uideri poterat, quo secundum institutionem domini tam necessaria est uiro mulier q̃ uir mulieri, particulã hanc correctionis gratia adiecit. Quasi dicat. Quod uirum nõ ex muliere sed mulierem ex uiro esse dico, ad primam illius originem pertinet, qua ex uiro est facta, nõ ad modum propagationis, ad quem nec uir solus absq; muliere, nec mulier absque uiro quicquam præstare potest.

Illud, in domino, nonnulli ad religionẽ trahunt, uerum simplicius ac rectius exponunt, qui referunt ad institutionẽ domini, secũdum quam ad generis nostri propagationẽ necessaria est amborũ, uiri & mulieris, coniunctio. In Satana uir uiro, mulier mulieri miscetur (uæ turpissi-

turpissimo cœlibatui) at in domino, neq; uir absq; muliere, neq; mulier absq; uiro. Excluditur hic omnis nefaria libido, & utriusq; sexus cõiunctio, quæ nõ est in domino, ne scortationes, & adulteria, & incestus probari uideatur.

Potest & sic exponi. Attamen secundũ institutionẽ dñi, neq; uir nascit͛ citra operã mulieris, neq; mulier citra operam uiri. Et sic sequit͛.

NAM quemadmodũ mulier ex uiro est, ita & uir per mulierem.] Hoc est. Quemadmodũ initio ex uiro condita est mulier, sic postea uir per mulierẽ prouenit. Sic neq; infringit argumentũ uirilis prærogatiuæ, quo ad propositum suũ est usus, neq; mulierem abijcit infra pedes uiri, sed in consortio, & si nõ regiminis, propagationis tamen retinet, atq; ita principatũ uiri separat à tyrannide, & mitigat quod mulieri durum esse uidebatur, dum suum illi honorem saluum relinquit, dicens eam perinde esse necessariã uiro atq; uirũ mulieri & per illam iam esse uirũ, sicut initio condita est illa ex uiro. Admodum in eo se solantur mulierculæ, quod uident se necessarias esse uiris, nec cõtemni & abijci posse quasi inutiles. Deinde in eo quoq;, quod non sunt seruæ sed sociæ, item quod uiri per mulieres sunt æque ac olim mulier per uirum. Hæc solatia non adimit illis Apostolus, sed testimonio suo confirmat modo præeminentiam regiminis uiro saluam relinquant, illique sese subiectas ipso habitu haud grauatim profiteantur.

Adijcit: OMNIA uero ex Deo.] Hoc est, qđ uir initio conditus, quod ad imaginem & gloriam Dei factus, quod in caput mulieris positus, quod mulier primũ ex uiro, quod gloria uiri, illiq; subiecta, quod postea uir per mulierem, quod neq; uir absq; muliere neq; mulier absq; uiro, omnia hæc non sunt ex humana cõstitutione, neq; uiri alicuius neq; mulieris, sed ex Deo, qui ut masculum & fœminã cõdidit, ita inter illos ordinem hunc constituit. Quare nec uir habet, unde contra mulierẽ insolescat & ferociat, nec mulier unde uiro tanq̃ capiti suo subiungi, eamq; submissionem capite obuelato profiteri grauet͛. Est hęc particula diligenter obseruanda omnibus quibuscũq; statibus, & cuiusuis ordinis hominibus, quod ex Deo sunt quęcunq; sunt ordinata, dispositione siue naturali, siue aliàs ad uitæ huius sustentationẽ, generis nostri propagationẽ, pacis ac trãquillitatis conseruationẽ, & cum primis ueræ pietatis religionẽ necessaria. Vbi cõstat de ordine Dei sicuti cõstat in coniugio legitimo, in magistratu, in ministerio uerbi, & consimilibus alijs, ibi per conscientiam pij homines diuinæ se constitutioni ex animo accommodabunt. Discretione tamen opus est, ne in hanc ordinationum Dei classem recipiamus quicquid humanitus est constitutũ, & incidamus in illud Christi, frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.

Inter uos ipsos iudicate num decorũ est mulierem nõ uelatam Deum orare? A An ne ipsa quidẽ natura hoc uos docet, quod uiro quidem si comatus fuerit probro sit? mulieri uero si comata fuerit glorię sit, eo q̃d coma pro uelamine data sit?

Arguit eos summæ incogitantiæ, qua ne ipsius quidem naturę documentũ obseruabãt, unde intelligere poterãt, quod nam sit mulieris hac in re decorum. Inter uosipsos, inquit, iudicate. Fiducia causæ prouocat ad ipsorũ iudicium. Res est, inquit, manifesta, & uestris ipsorum consciẽtijs nota, modo illas ad iudicium adhibere uolueritis. Quare depono illã ad uestrũ ipsorũ iudiciũ. Vosipsos cõstituo iudices.

NVM decorũ est mulierẽ nõ uelatam orare, inquit?] Exprimit qua de re iudicare debeãt. Non dicit, num usitatum est? num uenustũ est? Erat plus ęquo usitatum, & habebatur pro uenusto. Placebat carni. Sed, num decorũ est inquit? Quasi dicat num ita fieri conuenit? num decet? num honestũ est? Monet sensum decori & honesti, & præferendum esse tam publico usui, q̃ uenustati carnis, & sic inditum esse mẽtibus nostris, ut haud facile pronunciaturi simus decorũ esse quicquid usitatum est & carni adlubescit. Sic tñ corrupti sumus, ut oculis magis q̃ recto mẽtis nostrę iudicio seruiamus.

NVM decorũ est, inquit, mulierẽ non uelatã orare Deum?] Poterat æque dicere: num decorum est uirum obuelatum orare? Verũ magis urget fœminas, quia malum hoc in illis & B magis inualescebat, & plus habebat offendiculi. Hic enim non solum ordo & decorũ sexus inuertebatur, sed & concupiscentiæ carnis seruiebatur, oculi uirorũ solicitabantur, & seminaria prauæ libidinis iaciebãtur, atq; ita opus domini in cœtu sacro labefactabatur.

Non est autem ociosum quod dicit: Deum orare. Quasi dicat. Audet ne mulier apparere in conspectu Dei, illumq; orare tanta leuitate & irreuerentia, ut capite nudo, cõtra sexus sui decorũ, uerba ad illum facere non dubitet? Si quis hoc ante regem constitutus faciat, an nõ merito graues cõtemptus pœnas exigeretur? Magni momenti censetur, uerba facere ad maiestatem regiam. Et certa hic reuerẽtia, certiq; submissionis gestus requiruntur. Quãto quęso plus reuerentię competit maiestati diuinę? Quomodo non hic amplius de seruando conditionis nostræ decoro cogitamus? Componamus itaq; oraturi ad Deum, non modo interni hominis sensus, quo se humilient in conspectu Dei, & ad maiestatẽ illius expauescant, sed & externi habitũ & gestus, ne quid in illis sit quod & nos dedeceat & contemptũ numinis spiret. Non moratur Deus externa, at interim non amat leuitatem neglecti decori.

AN ne ipsa quidem natura, inquit, hoc uos docet, &c.] Quasi dicat. Vsq; adeo ne stupidi estis & incogitantes, ut ne naturæ quidem ductum obseruetis? Etiamsi Christiani non essetis, an non uel ex ipso naturæ documento intelligeretis, q̃ sit indecorũ uiro, si tecto, & mulieri

lieri si nudo capite oret? Vocat autem naturā, omnium eorum quæ sunt naturalem, constantem, perpetuam, ultroneā ac nullo artificio acquisitam seriem, uim, & operationem, quę nō potest nisi opifici & conditori omnium adscribi, quem nonnulli philosophi naturam uocāt efficientem, gubernantem ac δημιουργόν. Natura hac sic est inter uirum & mulierem discretum, ut uiro probrosum sit, si comā nutriat, mulieri uero decori deputetur, si sit comata. Et hinc est quod muliebris censeatur esse mollicies si comatus sit uir, ut non immerito dixerit ille: Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina cōpti. Ipsa natura quod mulieri ornatus gratia largiter subministrat, uiro grauatim & utcunque, utut comam nutrienti, permittit, ut palam negare uideat. Quod ueteres alij acrocomæ, alij opisthocomæ, alij simpliciter intonsi fuerunt, nihil incommodat argumento Apostoli, quēadmodum nec id quod aliquot regionū mulierculæ uulgo tondētur, & in nōnullis Orientis populis uiri capitibus plusquam muliebriter sunt obuelatis. Antiquum est in hoc mundo & nimis usitatum, multā ab hominibus usurpari ac geri aliter quàm naturæ ductus requirat. Et tamen quæ naturaliter fiunt omnibus sunt in propatulo, nec incognitum est à conscientijs nostris quodnam sit naturæ decorū. Quare quod hic dicit Apostolus: An ne ipsa quidem natura hoc uos docet, quod uiro si comatus fuerit probro sit? nō dicit secundū iudicium carnis affectibus corruptum, quo coma uiro haudquaquā turpis esse iudicabatur, sed secundum ipsius naturæ documentū, quo etiam non obseruātibus coma uiro probrosa esse monstratur. Docet hoc natura, etiāsi pauci obseruent aut alicuius faciant.

MVLIERI uero, inquit, si comata fuerit gloriæ sit.] Dicit hic quisquam. Quid ergo opus est mulieri, ut artificiosa pepli obuolutione tegatur in cœtu sacro, si naturali tegumento capillorū cum gloria tegitur? Si coma illi est gloriæ, ergo recte faciūt, quę capillis demissis uel obtortis sine peplo in cœtum sacrum ueniūt.

Respondeo. Opus naturæ commemorat, quo uiri ac mulieris capita sic discernuntur, ut huius sit aptissimum ad nutriendum comam, illius uero prorsus ineptum, huic coma sit gloriæ, illi dedecori. In hoc autē non subsistit, sed monet quid ex eo sit colligendū, hoc est, quid natura hoc opere suo doceat. Non est hinc colligēdum, nihil referre, si mulier comata absq; peplo cœtum sacrū ingrediatur, sed id potius, non decere mulierem, si se inter orandum gerat in morem uiri, capite apparens nudo & aperto, quasi nihil inter ipsam & illum sit discriminis in hac causa cum ipsa quoq; natura mōstrante sit permultum. Aliud est opus naturæ, & aliud documentum quod ex illo colligit Apostolus. Opus est, quod mulierem reddit comatam, uirum non ita. Documētum hinc est, aliter mulieri comparēdum esse in cœtu sacro, & aliter uiro, illi capite tecto, isti aperto. Sic illud quod adijcit, eo quod coma pro uelamine data sit, hūc sensum habet. Coma mulieri glorię est, propterea quod donum est naturę. Est enim illi non humanitus ascita sed diuinitus data. Data autem est pro uelamine, ut innuat ipsa natura, obuelandum esse non aperiendū mulieris caput. Quod hæc monstrat, ipsa obuelandi se studio sequatur.

Diligenter est hic locus obseruandus, quod attinet naturæ documenta, ex quorum obseruatione multa possunt colligi ad usus humanos, honestatem, commoditatem uitæ, bonos mores, & pietatem quoq; facientia. Est enim natura, quatenus incorrupta est, sapiētissima diuinæ prouidētiæ dispositio, plena operibus & exemplis admirandis. Horum alia sunt abstrusa, alia in propatulo. Abstrusa uocant secreta naturæ, & physicos appellant eos qui toti scrutādis illis sunt dediti. Meo iudicio utilius fuerit, ea diligenter obseruare quæ sunt manifesta, obuia, & exposita omnibus, sic ut recte documenta & indicia uocari queant, ad quorum classem pertinet, quod hic Apostolus adducit. Talia possunt in nobis ipsis permulta obseruari. Vt exempli gratia. Natura sic est corpus nostrum dispositum, ut sit cœlum uersus erectum. An non admonet, quærenda nobis esse cœlestia magis quàm terrena? Caput in illo supremum locum habet. Monstrat natura, quo loco habendi sint, qui alijs præsunt. Inest illi facultas rationis & iudicij. Videt, audit, & iudicat. Tales conuenit esse eos qui sunt capita populorū. Vnicum est in corpore uno. Sic unus est Deus in toto hoc cœli ac terrę uniuerso. Significatur pluralitatem esse malam. Si singulæ corporis nostri partes consyderētur, nulla est, quæ non aliquid habeat documenti, unde instruamur, in quib⁹ multo nos utilius exercebimus, quàm si in cognoscendis causis illorum quæ fieri uidemus per curiositatem occupemur.

Simul tamen obseruandum est, quod non simpliciter dicit: An non natura, sed, an ne natura quidem uos docet? Christiani erāt, & habebāt doctrinam uerbi Dei unde satis instrui poterant. Ea est primaria, & peculiariter data electis. Documenta uero naturæ secundū locum habent, & seruiunt rudioribus. Quare in causa pietatis non debent habere primas, nec conuenit ut sine uerbo ualeant. Sic uidemus hic Apostolum haud primo loco argumētum inducere à natura sed postremo, idq; ex abundanti, ad perstringendū Corinthiorū stupiditatē, qua ne naturæ quidē ductū obseruabāt.

Si quis uero contētiosus esse uidetur, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque ecclesiæ Dei.

Præuidebat futurum, ut nonnulli in ecclesia nondum liberi à fastu sæcularis literaturæ, sed adhuc contendendi studio laborātes, adducta iam argumenta minoris censerent esse momenti, quàm quibus cōtenti esse deberēt, non

non quod essent ad præsentem causam insufficientia, sed quod illi morbo φιλονεικίας laborarent. Hoc ut reprimeret, particulã hanc in calce adiecit, dicens: Si quis uero contentiosus esse uidetur, nos eiusmodi consuetudinem nõ habemus, neq; ecclesiæ Dei. Quod Latine legimus: Si quis contentiosus, in Græco est, εἰ δέ τις φιλόνεικος. Sonat autem φιλόνεικος non simpliciter contentiosum, sed amantẽ ac studiosum uictoriæ. Qui autem sic est animatus, ut nõ ueritatem sed uictoriam quærat, is etiam nõ modice & quãtum satis est ueritatis studioso, sed immoderate & absq; fine pro uictoria contendẽs altercatur, nec ullum argumentum sic recipit, ut ueritati cedat, sed in omnes sese formas mutat, quo saltẽ caueat, ne uictus uideatur, si certo uincere non poterit. Contendere pro re aliqua, per se nihil habet illicitum, imò si pro ueritate fiat, laudem etiam meretur. Verum si fiat pro re inhonesta & mala, uel studio inanis glorię, merito ethnicis quoque uicium censetur esse manifestæ superbię. Aliud est esse φιλόνεικον, & aliud φιλάληθον. Hoc est, aliud est cõtendere ut uel uincas tu, uel uicisse cum gloria, aut saltem non uictus uidearis, & aliud est contendere pro ueritate, ut illa uincat, nec morari, utrum per te hoc fiat aut per alios, quemadmodum animati sunt homines non sui, sed ueritatis unicæ amantes. Qui sunt φιλόνεικοι, ubi ueritati semel repugnare cœperunt, nullis posśint argumentis persuaderi ut cedant. Iudicant enim turpisśimum esse, si uideantur errasse. Non est, proh dolor, opus exemplis, quę aliàs nimis multa & indesinentia nostro sæculo uisuntur. Nisi esset hic φιλονεικίας morbus tã ualidus in ecclesia, facili negocio componerẽtur præsentium temporum disśidia.

Obserua uero, quod non dicit: Si quis uero contentiosus est, sed, si quis uero contentiosus esse uidetur. Hoc est. Si quis est inter uos, qui nimio altercandi studio manifestum de se facit, quod sit homo cõtentiosus ac uictoriæ cupidus. Non hoc agit, ut pro cõtentioso habeatur, quisquis solida ueritatis argumenta quærit, sed is potius, qui sic temere contendit, ut palàm sit, quod morbo contendendi laboret. Quales sunt, qui uel de re nihili lites mouent, uel in causa manifesta in contrarium tendunt, aut ob id tantum contendunt, ut cæteris contradicãt, iuxta illud, Aiunt? nego. Negant? aio, quibus oppositi sunt assentatores, quorũ uox est, aiunt? aio, negant? nego, aut absque ullo fine contendunt. Hisce notis proditur morbus φιλονεικίας. Talibus hominibus nemo satisfecerit. Quare relinquendos esse monens dicit: Si quis uero contentiosus esse uidetur, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, &c.

Potest autem, quod dicit: nos eiusmodi cõsuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei, bifariam exponi, propterea quod minus expressum est, quam consuetudinem nec se nec ecclesias Dei habere dicat. Primo, ut intelligat de consuetudine, qua uiri obuelatis, mulieres uero tectis capitibus in ecclesiasticum cœtum ingrediebantur. Deinde, ut referatur ad consuetudinem cõtendendi. Prior sensus sic habet: Si quis contentiosus esse uidetur, sic ut argumentis nostris cedere nolit, sciat is in summa, quantumuis cõtendat, alienos esse & nos & ecclesias Dei ab hac consuetudine, qua ethnicorum mulieres nudis, uiri uero tectis capitibus orant. Si nobis iungi uoluerit, sequatur consuetudinem & nostram & ecclesiarũ Dei, nec adferat in nostrum cœtum consuetudinẽ ethnicam. Sensum hũc sequutus est Lyranus. Et Ambrosio quoque ad hunc modum exponere placuit. Post rationem redditam ut contentiosos uincat, authoritatẽ interponit, quia neq; Iudaismus hoc habuit. Vnde dicit: Neq; nos neq; ecclesia Dei, ut neq; Moses neq; Saluator sic tradiderit. Posterior uero sensus talis est. Si quis contentiosus esse uidetur, sit hoc sine nobis. Alienũ à nobis & ecclesijs Dei est muliebri more uerbis contendere. Sic exponit Chrysostomus: Nos consuetudinẽ hanc non habemus, ut contendamus, litigemus, ac certemus. Et hunc sensum recentiores ferè sequuntur. Hieronymus utrunq; ponit, dicens: Nos talem consuetudinem non habemus, siue contendendi, siue talia faciendi. Meo iudicio potest sic exponi, ut utriq; sensus coniungantur. Omnino ab utraque consuetudine alienæ erant ecclesiæ Dei. Nec mulieres ipsarũ nudis, nec uiri tectis capitibus orabant, neque apostoli neq; ecclesiæ Dei spiritu contentionis laborabant. Quare non incommode exposuerimus ad hunc modum. Si quis eorum, qui ista faciunt, non corrigi, sed in contrarium contendere uoluerit, sciat nec nos nec ecclesias Dei hoc habere in more, ut cum ipsis decorũ sexuum peruertamus, & quod malefacimus, contentiose defendamus. Nihil refert aũt, an uoculã, nos, referamus uel ad ipsam Apostoli personã, uel ad cæteros quoq; apostolos. Ambros. per illã intelligit Iudæos, ex quibus erat Paulus. Qui priorẽ sensum amplectũtur ex scholasticis, colligũt ex eo sequendã esse consuetudinẽ prælatorũ & ecclesiarũ, nec ferendũ ut quisq̃ illi cõtradicat. Vno uerbo. Consentimus, ubi cõsuetudo nulla in re præiudicat ueritati. Aliàs consuetudo sine ueritate, uetustas erroris est, nõ sequenda, sed uitanda. Non placet libido nouãdi recepta, in quibus nihil peccatũ contra scripturas sacras. Rursus nõ probamus eos, qui ubi ueritatis calculis destituunt, cõfessos abusus uetustate catholicę cõsuetudinis tueri se posse confidunt. Non est quod ex præsenti loco patrocinium quærant. Placet & nobis consuetudo talis, quæ fuerit & apostolorum & ecclesiarum Dei.

In posteriori sensu doctrinam habemus potisśimum nostro hoc sæculo necessariam, qua contra insaniam illam contendendi tranquillitatem cõscientiarum nostrarum seruemus. Nihil intentatum relinquitur, quod non in contentionem rapiatur. Deinde quantumuis perspi-

perspicue & diserte sententiam nostram expli cuerimus, nihil efficimus aliud, quàm quod oleum camino ardenti infundimus. Sciamus igitur hoc & dicamus nos quoque cum Apostolo: Si qui uidentur esse contentiosi, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei. Ministrorum Christi non est cõtendere, sed simpliciter & fideliter docere. Ecclesiæ quoque non est contendere, sed credere & obedire. Noli contendere uerbis, inquit Apostolus 2. Timoth. 2. Ad nihil enim est utile, nisi ad subuersioné audientium. Hanc quærens Satan seminat in ecclesia contentiones & rixas. Et habet organa sua, quibus quod quærit, consequatur.

Illud autem præcipiens non laudo, quod non in melius, sed in deterius con uenitis.

Hactenus primum capitis huius membrũ absoluit, quo dissolutionem uirilis pariter ac mulebris decori correxit, quam inuehere in ecclesiam cœperant, qui ethnico & patrio more in cœtu sacro comparentes, uiri tectis, mulieres nudis capitibus orabant. Iam transit ad alia corrigenda. Et in præsenti eos abusus emendare aggreditur, qui circa cœnam dominicam admittebantur. Et priusquam de illis dicat, transitione utitur tali, qua statim initio animos Corinthiorum tanquam ad alterius & aliquanto grauioris mali correctionem excitet. Sic dicit: Illud tamen præcipiens nõ laudo. Ita uertit Erasmus. Vulgata habet: Hoc autem præcipio non laudans. In Græco est, τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ. Id est: Hoc autem denuncians, uel admonens, non laudo. Et Chrysostomus sic legit, quãuis interpres illius uulgatam uersionem posuerit. Erasmus & nonnulli alij Chrysostomum sequuti, exponunt ad hunc modum. Non laudo, quod hoc præcipere cogor, ut quod dicit, τοῦτο δὲ παραγγέλλων, id est, hoc autem denuncians, idem sit quod, τοῦτο δὲ παραγγέλλειν, id est: Hoc autem denunciare, participio pro infinito accepto. Sunt qui sic: Hoc autem quod iam denunciaturus, uel dicturus sum, non laudo, nempe quod non in melius, &c.

Addam & meam cogitationem. Apparet particulam hanc, οὐκ ἐπαινῶ, referendam esse nõ ad præcedens, sed ad id quod sequitur, deinde illud, τοῦτο δὲ παραγγέλλων, idem esse quod περὶ τούτου δὲ παραγγέλλων, id est, de hoc autem denuncians & admonens, referendumq; ad præcedentem correctionem, ac legendũ: Vbi de hoc autem denunciaui & admonui, iam non laudo quod non in melius, sed in deterius conuenitis. Notum est omnibus qui uel modice uersati sunt in Græcis usitatissimum esse in hac lingua, ut participia pro præteritis ponantur, præsertim in narrationibus, ut exempli gratia, Gal. 2. cum uellet Apostolus dicere, & tradidit semetipsum pro me, dixit, καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, quod si uertas in præsenti, & tra

A dentis seipsum pro me, non exprimis sensum Apostoli. Posuit enim participium παραδόντος, non pro tradente, sed pro eo qui tradidit. Talia innumera occurrunt in scripturis. Sic cum hic per transitioné dicere uellet: Vbi autem de hoc denunciaui & admonui, iam consequenter non laudo quod non in melius, sed in deterius conuenitis, dixit, τοῦτο δὲ παραγγέλλων, οὐκ ἐπαινῶ ὅτι οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, &c. Vulgatæ uersionis author non incommode, illud, non laudo, ad sequentia retulit. Sic enim habet: Hoc aũt præcipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius conuenitis. Quod si quis illud: Hoc auté, non ad præcedentia, sed ad causam de qua dicturus est, referendũ esse putat, poterit exponere ad hunc modum: Laudaui uos, quod omnia mea memoria tenetis, quod uero iam sum denunciaturus, non habet laudem, sed graué repræhensionem uestri. Non enim laudo uos, quod non in melius, &c. Non est auté ociosum, quod uerbo denũciandi utitur, si referas ad præsenté causam, de qua est dicturus, quod alios facere uideo. Sic enim ea de quib[9] dicturus est, plus habere ponderis indicat q̃ præcedentia, seq; de illis nõ simpliciter ecclesiæ con suetudiné & sexuũ decorũ proponere, sed denũciare ac præcipere, propter authoritaté dñi uidelicet, cuius infrà mentioné faciet, dicés: Ego enim accepi à dño, qd[] et tradidi uobis, &c.

QVOD non in melius, sed in deterius conuenitis, inquit.] In genere exprimit, quid nõ

B laudet in ipsis. Verbo conueniendi, συνέρχεσθαι, significat se dicturum de ipsorum cõuentibus, quod in illis inueniat quæ probare nõ posit, unde fiat, ut non in melius, sed in deterius con ueniant. Non dicit, quod non conuenitis, aut, quod rarius ac tardius conuenitis, sed, quod non in melius conuenitis, sed potius in deterius. Conueniebant quidem in cœtum sacrũ, ut erant instituti, uerum non ad ædificationé conscientiarum, sed magis ad destructionem. Hanc ob causam frequentiã conuentuũ ipsorũ nõ laudat. Quomodo enim laudaret, quod in destructioné corporis Christi cedebat? Multo enim satius est non conuenire in cœtum, q̃ ad deterius conuenire, quemadmodum melius est puero non ingredi ludum, q̃ sic ingredi ut quotidie redeat indoctior, & ægroto, abstinere à medico, q̃ uti tali, per qué subinde morb[9] incrudescat magis q̃ curet. Est enim cœtus sacer ex numero eorũ quæ non propter se, sed propter finis alicuius consequutioné fiũt, tum bona tantum, quando ad destinatum finé tendunt, in quibus non est satis, si opere utcunq; fiant, sed multum refert quomodo gerantur.

Sic de conuentibus ecclesiasticis sentire admonemur pręsenti loco. Bonũ est colligere in unũ populum fidelium, & institutũ hoc plane est ex consilio Dei, uerũ si conueniatur ad destructionem magis quàm ad ædificationem, atque ita quod bonum esse poterat, si recte usurparetur, incipit esse malum, omnino satius est homini pio abstinere ab eiusmodi cœtu,

tu, quàm comparere in illo ad conscientiæ suæ destructionem. Et hanc ob causam deserendi sunt hodie conuentus illi, in quibus ad ueram fidem ædificatur nemo, ad superstitiones uero, & cultus eidololatricos seducuntur omnes, ut inquinatissimā illam scortatorū & simoniacorum communicationem taceam.

Obserua hic, quod non simpliciter dicit, q, non in bonū, sed, quod non in melius conuenitis. Ergo scopus ecclesiastici conuentus est, nō ut qualitercunq; boni simus, sed ut quotidie meliores euadamus. Et hic profectus petendus nobis est, donec sumus in hac carne. Nemo enim sic bonus est hodie, ut cras melior fieri non possit. Quare in hunc finem frequentandi nobis sunt sacri conuentus donec in hac uita sumus, ut meliores fide, spe, & dilectione reddamur, & in cognitione Christi crescamus.

SED in deterius, inquit, conuenitis.] In hoc erat mali huius auxesis. Satis culpabile est conuenire non in melius, quanto magis, si in deterius etiam conueniatur? Cogita hic triplices esse cōuentus fidelium. Primum, qui sic sit institutus, ut in illo meliores per gratiā domini fieri possimus. Secūdus, in quo nec sit, unde meliores, nec unde deteriores reddamur.

Triplices fideliū conuentus.

Tertius, in quo nō in melius, sed in deterius quoq; conueniat. Quemadmodum triplices sunt scholæ. Prima, in qua puer, etiamsi aliquousq; profecit, doctior tamē fieri potest, & quotidie discere, quod antea nesciebat. Secunda, in qua nequeat ultra prima rudiméta ascendere, quod præter illa nihil in ea audiat, unde doctior fiat. Tertia, in qua etiā dediscat ea quę antea sciebat, atq; ita indoctior euadat.

1 Primum ecclesiæ cōuentum, in quo meliores reddi possimus, eum esse existimo, in quo pastores sunt docti ac fideles, uerbum domini recte secantes, & sacramenta à Christo Seruatore accepta rite administrantes, in quo feruet oratio fidelium, leguntur palàm sacrę scripturæ, & spiritus fidelium spiritualibus hymnis excitantur ac refocillant, ac præterea subsidia Christianæ dilectionis in usus pauperū contribuuntur, quo fideles frugiferi esse discant.

2 Secundū, eum esse sentio, in quo nihil falsi quidem nec in doctrina nec in ritibus geritᷣ, interea tamen doctores sic sunt uel negligentes, uel spiritualium rerum imperiti, ut uerbū domini non satis dextre ac pertinéter secent, & præterea quæ geruntᷣ, sic geruntur frigide ac perfunctorie, ut parum ad ædificationem facere possint.

3 Tertius indubitato est, in quo & falsa dogmata uerbo Dei contraria traduntur, & falsi cultus exercentur, & quæ à Christo sunt tradita, humano magisterio corrumpuntur, ac conscientiæ adulterina cōmunicatione polluuntur. Hic non in melius sed omnino in deterius conueniᷣ. Quare huiusmodi conuentus, quocunque nomine siue catholicæ siue Romanæ ecclesiæ uocentur, non minus fugiendi sunt quàm ipsa gehenna.

A Nam primum quidem, dum conuenitis in ecclesia, audio schismata inter uos esse, & aliqua ex parte credo. Oportet enim & hæreses inter uos esse, quo qui probi sunt, manifesti fiant inter uos.

Quod in genere dixit, non laudare se, quod non in melius, sed in deterius conuenirent, id iam per specificationem declarat. Sic solét qui non ex affectu sinistro, sed cum iudicio aliquid improbant. Non est satis ad emendationem, si millies dicas, conuentus uestri fugiendi sunt, nisi declares quid insit illis mali. Quemadmodum doctrina sana opus habet declaratione, qua rite intelligatur, ita & correctio errantiū ac delinquentium adiecta est specificatione declaranda, quo quæ male geruntur, agnosci emendariq; possint.

NAM primum quidem, inquit.] Non uno abusuum genere delinquebant in cœtu sacro, sed uario, quemadmodum in sequentibus patebit. Quare quod iam est in causa cœnæ dominicæ repræhensurus, primum uocat, dicés: Nam primum quidem, dum conuenitis in ecclesia, audio schismata inter uos esse. Vulgata uersio habet, audio scissuras esse inter uos. Erasmus, audio dissidia in uobis esse. Græcus habet σχίσματα, quam uocem retinui, tanquam usitatam in ecclesia, quemadmodum & eam quæ sequitur, oportet enim & hæreses inter uos esse, ubi Erasmus uertit sectas. Sunt autē
B tres partes eorum quæ hoc loco de cœna dominica scribit. Prima grauem habet abusus illius repræhensionem. Secunda, ueri usus expositionem. Tertia, seueram contra abutentes comminationem. Ad primam pertinet quod dicit:

DVM conuenitis in ecclesia.] Significat se loqui specialiter de ijs quæ in cœtu sacro delinquebant, quem hic uocat ecclesiam, quæ dictio, si interpreteris, euocationem sonat. Non omnis cōuentus statim est ecclesia uocandus, sed is tantum, in quo communiter uel à ciuibus, in causis ciuilibus, uel à fidelibus, religionis gratia conuenitur. Synodum ciuium ἐκκλησίαν Græci conuentum populi ex agro διάκλησιν, consulum uero σύγκλησιν uocarunt. Non loquitur ergo Apostolus de priuatis paucorum coitionibus, sed de ecclesiasticis conuentibus, in quibus multitudo fidelium conuenit.

AVDIO, inquit, schismata inter uos esse.] Σχίσμα Græca uox est, & significat eorum quæ integra sunt dissecationem ac scissuram. Sic solet ecclesiasticę unitatis dissecatio uocari schisma, quando corpus fidelium, quod unitissimum esse conueniebat, in partes à se inuicem dissidentes scinditur. Ergo erat ecclesia Corinthiorum scissa in studia & partes, eamque ob causam fiebat, ut nō in melius, sed in deterius in ecclesiam conuenirent.

Quæ aūt fuerint illorū schismata, nō exprimit hoc loco. Nā statim initio epistolę post salutationé de illis meminit, dicés: Obsecro aūt

uos fratres per nomen dñi nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter uos schismata, sed sitis integrũ corpus, eádem mente & eádem sententia. Significatum est enim mihi fratres mei de uobis, à familiaribus Chloæ, quod contentiones sint inter uos. Dico autem illud, quod unusquisq; uestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi, &c. quibus uerbis & schismata illorum expresit, & unde de illis audierit, significauit. Quare hic simpliciter dicit: Nam primum dum cõuenitis in ecclesiam, audio schismata inter uos esse.

Qua uero de causa nequeant in melius, sed magis in deterius conuenire, qui à se inuicem factionib⁹ sunt dirępti, facile cogitari potest.

Primum enim studia factionũ in ipsos conuentus sacros inferuntur. Non conuenitur eodem, sed diuerso studio, & suam quiq; sectam palàm profitentur.

Deinde, animi magis ac magis à se inuicem abalienantur.

Tertio, ipsæ factiones publica professione corroborantur.

Quarto, omnes conciliandi rationes difficiliores redduntur.

Quinto, ab eiusmodi conuentibus, ubi non corporis Christi ædificatio, sed sectarum amplificatio quærit͂, operatio diuinæ gratiæ excluditur. Non est enim Deus confusionis ac dissensionis, sed pacis & unitatis. Quare mirũ non est, quod in talibus conuentibus malum non curatur, sed subinde peius ac peius redditur. Cuius rei in synodis episcoporum euidentissima habemus experimenta, de quibus uide Nazanzenum in epistola ad Procopiũ, ubi propterea ad concilium episcoporum proficisci recusauit, quod nullo unq̃ cõcilio mala corrigi, sed magis corroborari uidisset, idq; propter episcoporum dissidia & contentiones.

Hinc tamen nemo colligat: ergo ubi nulla sunt schismata, ibi non in deterius, sed in melius conuenitur. Potest enim fieri, ut in falsa religione, eidololatria, & adulterinis cultibus sit & episcoporum, & populi concordia, ingrediunturq; cœtum sacrum unanimes & concordes, ubi tamen dici non potest, quod non in deterius, sed in melius qui eiusmodi sunt, conueniant. Sic cõueniunt & Turci & reliqui infideles, inter quos nulla sunt schismata. Et si demus Papistis, quod alieni sint à schismatibus ac dissidijs, quod tamen uere illis dari nõ potest, alieni tamen non sunt ipsorum cõuentus à falsis dogmatibus & cultibus, ab impura cõmunione, & à symonia omnium turpissima.

ET aliqua, inquit, ex parte credo.] Moderationis est, quod non simpliciter dicit, & sic esse credo, sed, & aliqua ex parte credo. In Grę co est, καὶ μέρος τί πιστεύω, id est, & partem aliquã credo, pro κατὰ μέρος τι. Ergo non credidit per omnia uerum esse, quod audierat à familiaribus Chloës, sed ex parte tantum. Confidebat enim non omnes hoc esse schismatis morbo correptos, sed aliquam tantũ illorum partem. Et hoc propterea memorat, quo sanioribus parcat, eosq; in ordine retineat, ubi rursus Apostolicæ habemus prudentiæ exemplum.

Potest tamen hęc particula sic quoq; exponi, ut nõ referatur ad partẽ Corinthiorum, qui schismata induxerant in ecclesiã, sed ad ipsum assensum Apostoli, quo ijs quæ de schismate illorum audiebat, haud plene & omnino, sed aliqua tantũ ex parte credebat, quẽmadmodũ fieri solet, ubi per charitatem meliora semper sperantem ægre credimus, quæ de fratribus mala narrantur, & tamen uel fide narrantium uel circumstantijs quibusdam & coniecturis inducimur, ut haud possimus omnia quæ audimus, quasi uana in uentos abijcere. Sic quidem cõparata est fama, ut plerunq; plura spargat, q̃ habeat ueritas. Rursus tamen raro accidit, ut omnia uana sint, quæ narrant͂. Quæ aũt narrantur, aut certo scimus esse uera, aut credimus narrantibus, aut non plene, sed ex parte credimus, aut de omnib⁹ dubitamus, uel prorsus nihil illorum uerum esse credimus. Charitatis quidem est haud facile fidem accommodare illis, quæ mala de fratribus referunt͂. Verum, ubi sic illa sunt cõparata, ut uel ex parte aliqua credere uel dubitare cogamur, prudentiæ, imò charitatis Christianæ fuerit, & quæ præsertim pastoribus & doctoribus cõpetat, ut ad exemplũ hoc Apostoli malo quãtumuis nondum explorato, in tempore occurrere conemur, nedum ubi per omnia credimus, aut quod adhuc amplius est, certo scimus.

OPORTET enim, inqt, & hęreses inter uos esse, quo q probi sunt, manifesti fiant.] Ætiologia est. Dixit: Dum conuenitis in ecclesiã, audio schismata inter uos esse, & aliqua ex parte credo, hoc, uidelicet, quod audio esse uerum. Iam rationem reddit, quare hoc non prorsus falsum, sed aliqua ex parte credat esse uerum. Quia, inquit, oportet & hęreses esse inter uos. Non est necesse, ut hic uoculã hæreses alio sensu accipiamus, q̃ quo accipimus schismata. Significat hæresis sectã, & in scripturis tribuitur Pharisæis, Nazaræis, Sadducęis, & Christianis quoq;, sicut in Act. cap. 24. uidere licet. Quare perinde est, ac si diceret: Oportet enim & schismata inter uos esse. Theologi discernũt inter schisma & hæresim, sic ut schisma sit, quando uel dogmatis alicuius gratia, uel aliam ob causam scinditur ecclesia, hęresis uero, quando falsa dogmata contra cõmunem ecclesię sensum pertinaciter asseruntur ac retinent͂, etiamsi id fiat sine schismate. Significat quidem αἵρεσις, electionẽ quoq;, qua sibi quisquã singulare quiddã eligit, unde uox hæc ad hũc sensum à Theologis usurpat͂, uerũ in p̃senti posita est ab Apostolo p̃ secta & schismate. Aliàs infirma esset ipsi⁹ ętiologia, per quã rationẽ reddere uoluit, quare credat ex parte, esse inter Corinthios schismata. Etenim nõ mox schisma est, ubi est hæresis, sensu Theologorum. Potest nanque esse, ut sine schismate sint in una ecclesia multæ hæ-

tæ hæreses, hoc est, singulares opiniones, ac rursus, ut schisma fiat, quamuis nulla sint in doctrina ac fide dissidia. Hęresis est in animis, qua aliud atque aliud sentitur, & mordicus retinetur, etiamsi externa ecclesiasticæ communicationis societas haudquaquam discindit. Schisma uero est, quando communicatio ecclesiæ in sectas dissecatur. Et hac dissecatione demum manifestatur qui probi sint, qui reprobi. Quare nisi hæresis hic accipiatur pro schismate, non modo infirma est ætiologia hæc Apostoli, sed nec illud stabit, quod subijcit, quo qui probi sunt, manifesti fiant. Donec manent in ecclesia, qui non sunt uera illius membra, haud cognoscuntur ab omnibus, hoc est, non sunt manifesti. Verum ubi per schisma sese auellunt à reliquo corpore & exeunt, tum demum manifestum redditur, quod non sint ex probis, sed ex reprobis, nec pertineant ad ecclesiæ corpus. Sic 1. Iohan. 2. legimus. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti fierent, quod nō sint omnes ex nobis, &c. Si dicas hodie: Audio multa esse inter uos coniugum diuortia, & ex parte credo. Oportet enim & adulteria esse inter uos, quo qui probi sunt coniuges, manifesti fiant, nō stabit hæc ratio. Neque enim mox sunt diuortia, ubicunque sunt adulteria, quod nimis est manifestum. Deinde, neq; mox manifesti fiunt probi coniuges, ubi sunt adulteria, sed diuulsione ac diuortijs exorit̃ ista manifestatio. Quare sic potius dicendum est: Audio esse inter uos diuortia, & ex parte credo. Nam oportet esse diuulsiones coniugum inter uos, quo qui probi sunt, manifesti fiāt. Consimili modo & hoc loco accipiēdum est quod Apostolus dicit: Audio esse inter uos schismata, & aliqua ex parte credo. Oportet enim & hæreses, id est, sectas & schismata esse inter uos, quo qui probi sunt, manifesti fiant. Hæc de sensu uerborum istorum sic annoto, ut tamen interea nemini secus sentiēti præiudicē.

OPORTET enim & hæreses, inquit, esse inter uos.] Non simpliciter dicit: Possibile enim est, sed, oportet enim, neq;, oportet enim hæreses esse, sed, oportet enim & hæreses esse, neque hic quiescit, sed addit, inter uos: neque ista simpliciter pronūciat, sed subijcit causam, dicens, quo qui probi sunt, manifesti fiant. Sūt hæc diligenter inspicienda.

Principio, quod non dicit: possibile nanq; est, sed, oportet enim hæreses esse inter uos, admonet nos, non esse mox credenda quæ de fratribus narrantur mala, etiam si possibile sit, esse ea ab illis designata. Neque enim mox fiūt quæ sic sunt comparata, ut fieri possint. Quare non conuenit ut dicas: audio in ciuitate esse factiones. Et aliqua ex parte credo. Possibile enim est, ut sint in illa factiones. Nimis procliuis est ad credendum, qui non alia ratione credit, quàm quod possibilia sunt quæ credit. Longe grauiorem ac magis urgentem rationē adducit Apostolus, quare ex parte credat esse uerum, quod in ecclesia Corinthiorū schismata esse audiebat. Ea est non probabilitatis, sed necessitatis. Oportet enim, inquit, & hæreses esse inter uos, quare ex parte credo, quod sint, ut audio, inter uos hęreses & schismata. Quod enim esse oportet, non modo facile, sed & necesse est ut fiat.

Sed nascitur hic quęstio, quæ fuerit illa necessitas, propter quam schismata & sectas inter Corinthios esse oportuerit. Breuiter. Gemina erat eius rei necessitas. Vna, ex iudicio Dei prorsus immutabili. Altera, ex qualitate eorum, qui in illam ecclesiam conueniebant. Iudicium Dei ecclesiam suam disponentis erat, ut suo tēpore qui in illa erant probi, separatione reproborum manifestarentur. Sic erat diuinitus constitutum, ideoque, ut aliquando fieret, necessarium. Deinde qualitas eorū qui in ea erant ecclesia coniuncti, sic erat comparata, ut in unitate diu consistere non possent. Erant enim coniuncti reprobi cum probis, inter se longè diuersissimi. Coniunctio uero dissimilium ac diuersorum stabilis esse nō potest. Redeunt enim ad ingenium reprobi, & quales sint produnt, nec in unitate cū probis perseuerare possunt, quia & spiritu ab illis διὰ διαπασῶν distant. Quare ad primam quamuis occasionem ab illis discedunt. Sciebat autem Apostolus haud omnes esse in ea ecclesia probos, sed probis immixtos reprobos, nec ignorabat, fieri non posse, ut diutius in unitate ecclesiastica tam diuersa ingenia cohærerent, ac simul de iudicio Dei cogitabat, electos suos haud perpetuo coniunctione reproborū obscurari sinentis. Horum itaque consyderatione, cum audiret in ecclesia tali esse schismata, permouebatur, ut id aliqua ex parte crederet esse uerum, eamque rationem hisce uerbis expressit. Oportet enim hæreses esse, ut qui probi sunt, manifesti fiant. Tale est & illud Christi: Væ mundo ab offendiculis. Necesse nanq; est ut ueniant offendicula, uel ut Lucas habet, ἀνένδεκτόν ἐστι, id est, nō capit, fieri non potest, impossibile est, ut non ueniant offendicula. Hæ duæ necessitates sic sunt comparatæ, ut nō sit necesse dū unā statuimus ut alterā reijciamus. Possunt enim ambæ in hac causa concurrere.

Sic puto nihil hic loci esse disputationibus de necessitate fati, neque quærendum, quomodo malo tribuatur necessitas. Non enim loquitur Apostolus de necessitate malorum, sed potius de necessaria separatione malorum & bonorum, quæ fit per schismata. Non dicit, oportet enim reprobos esse, uel, oportet enim hæreticos esse, sed, oportet enim hęreses, id est sectas & schismata esse. Alia quæstio est, quare sint reprobi in ecclesia, & alia, quare sint in ecclesia schismata. Sed pergamus.

OPORTET enim & hæreses esse, inquit.] Quoniam non simpliciter dicit: oportet hæreses esse, sed, oportet & hæreses esse, existimant nonnulli per id significari & aliud, & amplius quid-

quiddã esse hæresim quàm schisma, quasi per intensionem dicat, oportet enim inter uos esse non modo schismata, sed etiam hæreses. Illi schisma accipiũt pro dissidio animorũ & obscura adhuc simultate, hæresim uero pro manifesto discessu ab ecclesia. Verum cum bona illorum pace, non est necesse ut exponamus ad hunc modum, oportet esse inter uos non solũ schismata, sed & hæreses, cum possit sic exponi. Audio inter uos esse schismata, & ex parte credo. Oportet enim esse inter uos etiã schismata, quandoquidem sunt inter uos reprobi & contentiosi. Perinde ac si de domo in qua mulier est morosa & rixosa, dicas, audio esse in illa quotidiana iurgia, & ex parte credo. Oportet enim esse in illa & rixas & iurgia, quandoquidẽ mulier in illa est tã morosa & rixosa.

Nec ociosum est, quod non simpliciter dicit, oportet enim & hæreses esse, sed addit, inter uos. Quasi dicat. Postquam inter uos tot contentiosi existunt, fieri non potest, quin unà cum reliquis malis etiam schismata inter uos oriantur. Admonemur huius particulæ adiectione, non esse hanc sententiam pro generali accipiendam, & cuiuis ecclesiæ accommodandam. Loquitur enim de ecclesia Corinthiorũ specialiter, non in genere de omnibus. In talibus, qualis erat illa, necesse est ut oriãtur schismata. Sunt autem tales admodum multæ, prę sertim quæ hominibus iuxta sæculum doctis, sapientibus, & opulentis abundant.

Vt

QVO qui probi sunt, manifesti fiant inter uos, inquit.] Si diceret, unde qui probi sunt, manifesti fiunt inter uos, exprimeret effectum schismatis. Verum cum dicit, ἵνα, id est, ut qui probi sunt, manifesti fiant inter uos, causam eius exprimit, quod dixit: oportet & hæreses esse inter uos. Pertinet autem illa ad diuinam prouidentiam, omnia ecclesiæ suæ, etiam mala & incommoda, ad bonum finem dirigentẽ & disponentem. Scio Chrysostomum particulam hanc accipere non pro causa schismatum, sed pro euentu. Verum is sensus non satisfacit præcedenti necessitati, quam posuit Apostolus dicẽs: Oportet enim & hæreses esse inter uos. Non enim uoluit simpliciter dicere, quid ex schismate sequatur & eueniat in ecclesia, sed ad quem finem oporteat esse in tali ecclesia hæreses & schismata. Ideo causam hanc finalẽ expressurus dicit: ut qui probi sunt manifesti fiant inter uos.

Qui probi sunt,

QVO qui probi sunt, inquit.] Sciebat nõ omnes esse reprobos, sed aliquos etiam probos in turba latitare malorum, & intelligebat illorũ bono disponi schismata à reprobis excitata. Istis nec multitudinem nec paucitatem tribuit, quamuis credibile est pauciores fuisse reprobis. Simpliciter dicit: quo q probi sunt, manifesti fiant. Vocat autem probos non eos qui sint absq; peccato, sed qui ueri sint, non reprobi ac falsi Christiani. Oppositũ probi est, insyncerum, falsum, & adulterinum. Quod discriminis est inter argentũ & scoriam, inter frumentum & paleas, inter oues & hœdos, id est inter probos & reprobos Christianos.

Manifesti fiant.

MANIFESTI fiant inter uos, inquit.] Non dicit: probi permaneant, uel, à reprobis liberẽtur. Probi enim, etiamsi non discedant reprobi, in probitate sua perdurant, quemadmodũ argentum etiam dum adhuc scoriã habet adiunctam, probum argentum permanet, & frumentum etiam in medijs paleis, & oues in medio hœdorum, in eo quod sunt, perdurãt. Neque sic liberantur probi discessu reproborum, ut nihil ab illis incommodi patiãtur amplius, postquam communionem ecclesiasticam soluerunt. Tum enim manifestis demum illorũ odijs, probris, insidijs & insectationibus reddunt̃ obnoxij, sic ut iam nõ exteros tantũ, sed & ipsos falsos fratres hostes habere incipiant. Quomodo ergo? Quo, inquit, qui probi sunt, manifesti fiant. Manifestum fieri probum, est fieri probatum. Quare non est quærendum, cũ non probi modò, sed & reprobi per schismata manifesti fiant, quare non dicat, quo reprobi, sed, quo probi manifesti fiant. Non agitur causa reproborum per schismata, sed proborum, quemadmodum non propter scoriam, sed ꝓpter argentum probandum separatio fit per ignem. Quare rectè nõ dixit, quo reprobi, sed, quo probi manifesti, id est, probati fiant. Multa quidem sunt tentationum genera, quibus qui probi sunt in ecclesia, exercentur & probantur. Verum inter illa haud minimum est, quod fidelibus per hæreses & schismata obijcitur, ut merito manifestum fiat, probos eos esse, qui reprobis ab ecclesia discedẽtibus, ipsi constantes in illa perseuerant.

Obijciunt hic nobis aduersarij. Ecce, inquiunt, iam apparet qui sint probi, & qui reprobi, qui paleæ & qui frumentum, qui oues & qui hœdi, qui argentum & qui scoria. Discessio uestra & schisma quod excitastis, manifestat nos esse probos, qui manemus in ecclesia. Concedimus argumentum si ipsi in uera sunt ecclesia ueri ac ꝓbi Christiani. Sed hic est quęstio, num sint in uera ecclesia, ueri ac probi, & non magis in falsa non probi, sed pseudochristiani. Aliàs discessus ex falsa ecclesia & à falsis Christianis nõ eos à quibus disceditur, sed eos potius probatos reddit, qui iussu spiritussancti è medio Babylonis exeunt, & communicationem reproborum, eidololatrarum, superstitiosorum, symoniacorum, scortatorum, adulterorum, ac manus sanguine plenas habentium fugiunt.

Potest hic quæri, unde sint in ecclesia reprobi, & quare oporteat probos discessu illorum manifestari. Item, quare non magis iusserit Apostolus, ut probi à reprobis discederent, uel ipsi illos excluderẽt, & quomodo pręsens locus conueniat cum eo, quod Matth. 13. legit̃: Sinite utraq; crescere, usq; ad diem messis.

Ad primum facilis est ex uerbis domini responsio, quæ Matth. 13. leguntur ad hunc modũ: Domine, nónne bonũ semẽ seminaras in agro

agro tuo? Vnde igitur habet zizania? Ille uero dicit: Inimicus homo hoc fecit. Et in expositione parabolæ. Zizania sunt filij illius mali. Inimicus autem qui seminat ea, est diabolus. Ergo ex diabolo est, quod reprobi in ecclesia probis miscentur.

Ad secundũ respondeo, quo separetur plãtatio Dei, à plantatione Satanæ, & fides electorum probata reddatur, sic esse consiliũ Dei, ut discessu reproborum, probi manifestentur. Nemo quærit, quare agricola paleas separet à tritico, & aurifaber scoriam ab argento. Sic nõ erat hic quærendũ, quare oporteat per discessum reproborum manifestari probos.

Ad tertium respondeo. Nulli adhuc erant in ecclesia Corinthiorũ falsi cultus, propter quos per conscientiam discedendum esset probis à reprobis, neq; opus erat exclusione illorum, cũ ipsi sese ultro separarent. Vbi schismata fiũt, ibi locum non habet excommunicatio.

Ad locum Matth. 13. Sinite utraque crescere ad diem messis, respondeo, nihil ibi præscribi consilio Dei quo ille suo tempore probos manifestare constituit, sed uetari, ne ministri uerbi temere zizania ex agro domini euellere conentur, ne simul euellant & triticum. Interea nihil est incommodi probis, si reprobi sponte sua schisma faciant & discedant, quemadmodum nihil detrimenti accideret tritico, si zizania ultro discederent ex agro.

Igitur cum conuenitis in eundem locum, non est dominicam cœnam mãducare. Nam unusquisq; propriam cœnam edendo præsumit. Et hic quidem esurit, ille uero ebrius est. An domos non habetis ad edendum & bibẽdum? Aut, ecclesiam Dei cõtemnitis, & pudefacitis eos qui non habẽt? Quid uobis dicam? Laudabo uos? In hoc non laudo.

Exponit quid mali ex schismate illorum in causa cœnæ dominicæ eueniat. Sic intelligo, quod non simpliciter dicit: Dum conuenitis, sed: Igitur cum conuenitis. Illud, in eũdem locum, in Græco est, ἐπὶ τὸ αὐτό, id est, in idẽ, quare interpres uoculam, locum, de suo adiecit. Vulgata uersio habet, in unũ. Potest uerti. Perinde, in eundem cœtum, atq; in eundem locum. Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: Dum cõuenitis, sed addit, ἐπὶ τὸ αὐτό. Submonet enim hac particula, quàm non conueniant schismata illis, quorum est in eũdem cõuenire cœtum, imò quàm ab eiusmodi cõuentu procul abesse debeãt schismata, in quo eiusdem fidei consortes, pro more ecclesiæ conueniunt. Ipsa unius cœtus in eundem locum congregatio à studio schismatum singulos auocare debebat.

IGITVR cum cõuenitis in eundem locum, inquit, nõ est dominicam cœnã manducare.] Non est obscurũ, uel ex Tertulliano, hũc fuisse morem Apostolicarum ecclesiarũ, ut in unũ A cõgregati fideles nõ modo orationibꝰ, doctrinæ, castigationi fraternæ & Psalmis operã dederint, sed & secundum exemplum pariter & institutum Christi Seruatoris in ipso sacrę Synaxeos loco unà comederint ac biberint, inq; ea mẽsæ communicatione Eucharistiã & memoriam dominicę mortis per fractionem panis ac distributionẽ calicis celebrarint, eamq; potissimum ob causam cœnam eam dominicam uocarint. Poterant hoc sacræ mensæ elogio admoneri, non esse illã priuato ac proprio cuiusq; usui, sed catholicæ ac publicę fidelium communicationi destinatam. Quod enim dominicum est, & à domino ecclesię traditur, nõ debet à quoquã priuato usu præsumi, & in studia partium peruerti. Quoniam igitur Corinthij in schismata à se inuicem diuisi hoc facere cœperant, diserte dominicam eos cœnam edere negat, dicens: Igitur cum conuenitis in eũdem locum, nõ est dominicam cœnam edere, id est, qđ editis & bibitis, nõ potest haberi pro cœna dominica. Quare? Quia unusquisq;, inquit, propriam cœnã edendo præsumit. Et hic quidẽ esurit, ille uere ebrius est. Sectarij, & diuites non expectabant, donec multitudo fidelium conueniret, quo communi mensa ederẽt ac biberent omnes, sed partim studio quique sectæ suæ, partim contemptu ecclesiæ edebãt ac bibebãt priuatim, priusquam collecta esset ecclesia. Et hoc perstringens nõ simpliciter dicit. Nam unusquisq; propriam cœnam edendo sumit, sed προλαμβάνει, id est, p̃sumit. Et hinc B est, quod in cõclusione dicit: Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad comedendum, alius alium expectate.

Et Hieron. dicit: Cœna dominica omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis qui aderãt æqualiter tradidit sacramenta.

Et hæc Apostolica sententia diligenter notanda, qua diserte cœnam negat esse dominicam, ubi catholica ecclesiæ communicatio nõ integra seruatur, sed priuata præsumptione scinditur. Colligimus ergo fortiter, quocunq; nomine Papistæ Missam suam uocent, nõ esse illam cœnam dominicam. Si cœna dominica non est, uiderint ipsi quid respondeant domino, cuius institutionem peruertunt. Quod me attinet, mihi parum refert unam ne Missam solenniter, ut uocant, aut priuatas mille singulis diebus celebrent, quãdoquidem dominicum non est quod absq; iusta communicatione fidelium in ecclesia faciũt, sed humana præsumptio, ne quid durius dicam, reiecta dominica institutione, & Apostolica traditione in ecclesias Christi introducta. Ex ipso ordine, inquit Tertullianus, manifestatur id esse dominicum & uerum, quod prius est traditum, id autem extraneũ & falsum, quod posterius est immissum. Omnino quod ipsi faciunt non est institutum à domino, sed posterius immissum. Ergo non est dominicum & uerum, sed extraneum & falsum, tanto magis ad iniuriam dominicæ institutionis faciens, quanto magis est catholicum.

De præscript. hæreticorum.

NAM unusquisq; propriam cœnam edendo præsumit.] Non est uocula, unusquisq;, referenda

renda ad omnes qui erant in ecclesia Corinthiorum, sed ad eos tãtum, qui schismatici existentes, communicationem ecclesiæ scindebant. Nam reliqua multitudo, quæ ab istis cõtemnebatur hac repræhensione non perstringitur. Cogitet hic lector, quàm sint illi ab Apostolica hac ratione diuersi, qui sacrũ Missaticũ putant esse sibi in conspectu domini efficacius & utilius, si proprium sibi ac priuatum data pecunia comparauerint, quàm si publici tantum sint participes, cum omne bonum tanto sit diuinius quãto est communius. At stultam hãc opinionem plebs seducta sacerdotali debet nundinationi ac quæstui. Excogitatio Papistici sacerdotij omnis generis corruptelas in ecclesias inuexit, è quibus est & ista, qua sacrificulus sacerdotij sui op⁹ cuilibet emptori pro certa pecuniæ summa priuatim uendit & applicat, miseroque persuadet incomparabile bonum esse, quod propriam sibi Missam celebrari facit, cum hac dominicæ cœnæ prophanatione diuinæ Maiestatis magis exacerbetur, quàm placetur.

ET hic quidem esurit, inquit, ille uero ebrius est.] Poterat multo grauiora obijcere, quibus per dominicæ cœnæ prophanationem in Deum peccabant, uerum in præsenti contentus est exprobratiõe inæqualitatis, qua fiebat, ut esurientibus egenis schismatici & opulenti inebriarentur.

Hieronymus sic annotat: Quicunq; nõ obtulisset, non communicabat, quia omnia soli qui obtulerant, insumebant. Hæc autem inæqualitas bonorum omnium iudicio uehementer est detestabilis, etiamsi in prophanis conuiuijs, nedũ in ipsa cœna dominica admittatur. Poterat dicere: Et hic quidem minus, ille uero plus edit & bibit, uerum ut iniquitatem schismaticorũ grauius exprimat, maluit pleno ore dicere. Et hic quidẽ esurit, ille uero ebrius est. Magna omnino peruersitas. Cœna Christianorum nõ ingurgitationis & inebriationis erat, sed disciplinæ Christianæ, non propter opulentos inebriandos, sed propter inopes refocillandos instituta, unde & Tertullianus de illa scribens dicit: Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit. Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio est penes Græcos. Quantiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosq; refrigerio isto iuuamus. Hæc ille. Quod indecorũ ac deforme erat in cœna dominica apud Corinthios, id hodie quoq; in ecclesijs obtinet, in quibus Missa, quam uocant, inebriat sacrificulos, & interim inopes nullo refrigerio reficit, sed ut esurientes ueniunt, ita & esurientes dimittit. Præterquam enim quod in sacro oblata ad se rapiunt sacrificuli, peracto etiam sacro laute accipiuntur, & non sine graui sumptu saginantur, sicuti cernere est in exequijs funeralibus, septimis, tricesimis, & anniuersarijs, pauperum uero nulla interea habetur ratio. Quare quod in Corinthijs reprehendit Apostolus dicens: Et hic quidem esurit, ille uero ebrius est, hic quoque locum habet. Et utinam nihil tale de nostris possit ecclesijs dici, in quibus, etsi non in templis, extra tamen qui opulenti sunt, inebriantur, & in delitijs sumptuosissime uolutãtur, pauperes uero esuriũt, imò Christus ipse in illis & alget, & esurit, & exulat, &c.

AN domos, inquit, non habetis ad edẽdum & bibendũ?] Quasi dicat: Si nihil aliud quæritis in cœna dominica, quàm ut edatis & bibatis, potestis hoc domi uestræ facere priusquam in cœtum sacrum ueniatis, sicut & infrà dicit: Si quis esurit, domi edat. Non damnat morem ecclesiæ, quo unà in Synaxi sacra edebant & bibebant communiter omnes, qua de re iam ex Tertulliano paucula citauimus, sed eos repræhendit, qui proprias cœnas in cœtu sacro præsumebant, & esurientibus egenis ipsi inebriabantur.

Discernit quidem inter cœnas domesticas & eam quæ dominica uocatur, interque domos priuatas & conuentum ecclesiasticum, & uindicat cœnæ dominicę & cœtui sacro suum decorum, uerum iuxtà non tollit morem communis mensæ, qua simul edebant ac bibebant omnes. Quare quod dicit: An domos non habetis ad edendum & bibendum? non est aliò rapiendum, quàm contra carnales illos qui nihil aliud quærebant in cœna dominica, quàm ut uentri edendo & bibẽdo consulerẽt, quod non erat dicturus, si ad erigẽdam fidem suam, & alendam charitatem mutuam, inopesque reficiendos unà comedissent ac bibissent omnes. Morem ethnicum inducebant in ecclesiam, quo perinde atque antea in sacrificijs eidolorum priuatis cœnis sese ingurgitauerãt, ita & in cœna dominica faciebant. Eũ abusum damnat & reijcit ex ecclesia.

Aut ecclesiam Dei contemnitis, inquit, & pudefacitis eos qui non habent? Ecclesiam uocat conuentum fidelium. Ad hunc pertinent non modo diuites, sed & pauperes. Quoniam pudefaciebant eos qui nihil habebant quod adferrent in ecclesiam, dicit eos ecclesiam Dei contemnere, in quam pauperum contemptus redundabat. Sic utitur interpretatione satis in loco, dum contemptum egenorum interpretatur contemptum ecclesiæ. Nec ociosum est, quod non simpliciter dicit: Ecclesiam Dei cõtemnitis, & pudefacitis eos qui non habent, sed percontãdo & instando: An ecclesiam Dei contemnitis? & pudefacitis eos qui non habent? Quasi dicat: Estisne adeo carnales & irreligiosi, ut ne ecclesiæ quidẽ Dei reuerentia cohibeamini? Estisne adeo inhumani, ut fratres egenos à cibo ac potu exclusos pudefacere possitis? Sic exaggerat irreligiosam illorum superbiam & impudentem ingluuiem.

An ecclesiam Dei contemnitis, inquit? Sane quod non expectabant alios, sed proprias cœnas pręcipiebant, certam habebat contemptus ecclesiæ notam. Neq; enim hoc fecissent, nisi

nisi multitudinem tenuiorum in ecclesia contempsissent. Vnde colligitur repræhendi hic non inferiores, sed eos qui quod potiores esse uidebantur cæteros prę se fastidiebant. Est ergo malum hoc antiquum, quod à potioribus ecclesia contemnitur in inferioribus, à doctis in idiotis & indoctis, à diuitibus in pauperibus, à ualentioribus in infirmis, hoc est, in illis ipsis, quorum rationem potissimam habet dominus. Atq; ita fit, ut tubera in corpore ecclesiæ uera illius membra contemnant.

ET pudefacitis eos, inquit, qui nõ habent.] Obserua. Nõ dicit, Et esurire sinitis, sed: Et pudefacitis eos qui non habent. Plus est pudefieri, quàm esuriem pati. Sperabat pauper, ingressurum se conuentum fratrum, in quo nihil sit discriminis inter diuitem & pauperem, inter adferentem cibaria, & non adferẽtem, sed fraterna omnium communicatio. Verum ubi uidebat excludi se à communicatione mensę, ac contemni, propterea quod nihil attulisset, pudore suffundebatur. An non hodie quoque in ecclesia pudefiunt pauperes, dum se cõtemni, diuites uero in precio haberi cernunt?

Notus est locus Iacobi cap. 2. Si introierit, inquit, in conuentum uestrum, uir aureum habens anulum, & uestem candidam, introierit autem & pauper in sordido uestitu, & intẽdatis in eum, qui indutus est ueste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene, pauperi autẽ dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, &c. paulo pòst. Nónne Deus elegit pauperes in mundo, diuites in fide, & hęredes regni? uos uero dehonestastis pauperem.

Et hoc quoque obserua, quod non dicit: Et pudefacitis eos qui nihil adferunt, sed, Et pudefacitis eos qui non habent. Aliud est nihil adferre in refrigerium egenorum, cum habeas, & aliud non habere quod adferas. Prius dignum est pudore, posterius uero non pudore, sed misericordia. At Romæ pudor est grandis habere nihil.

QVID uobis dicã? inquit. Laudabo uos? In hoc non laudo.] Postquam abusus illorum repræhendit, subiungit dicẽs: Quid uobis dicã? Quasi dicat: Iam uosipsi iudicate, quid ad hæc mihi sit dicẽdum. Súntne hæc in uobis laudãda? Licet, laudem uos in eo quod statuta mea tenetis, in hoc tamen nõ laudo, quod ecclesiã Dei scinditis & contemnitis, proprias cœnas pręsumitis, ac pauperes qui sunt inter uos pudefacitis. Obserua discretionem Apostolo dignam, quam utinam seruarẽt hodie, qui mox in uniuersum damnãt, si uno tantũ apiculo ab ipsis dissentias. Non laudat Apost. quę nõ laudanda sunt, sed repræhẽdenda. Rursus nõ dãnat in uniuersum omnia eorũ, qui in nõnullis delinquebant, sed quæ bona in illis depræhẽdebat, candide laudat. Sic non dicit hic simpliciter, non laudo uos, sed cum specificatione, in hoc, inquit, non laudo. Candidi ac iusti hominis est, laudare laudanda, & repræhendere repræhendenda. Nimis morbidi sunt, qui tantum permittũt affectibus suis, ut si in opinione pro qua pugnant consentias, ad omnia reliqua sunt cæci, contrà, si dissentias, omnia simul damnant, etiã ea, quæ repræhendere non possuut. Et hunc morbum regnare necesse est, ubi obtinent in ecclesia studia & schismata.

Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis, quod dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & cum gratias egisset, fregit ac dixit, accipite, edite, hoc meũ est corpus quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei rememorationem. Ad eũdem modum & poculum, peracta cœna dicens: hoc poculum Nouum testamentũ est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque biberitis in mei rememorationẽ. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortẽ domini annunciatis donec uenerit.

Repręhẽdit hactenus in Corinthijs schismaticis, quod dum conuenirent in eundem cœtũ ecclesiam scindebãt, priuatas suas ac proprias cœnas, nõ expectata fideliũ multitudine præsumebant, ecclesiam Dei contẽnebant, & pauperes qui in illa erant, pudefaciebant, & hisce de causis dixit eos non edere cœnam domini, nec laudare se talia facientes, iam ut ostendat, quàm sint hæc aliena ab instituto cœnæ dominicæ, & remota ab eo quod ipse illis tradiderat, recitat ipsam dominicã institutionem. Ego enim, inquit, accepi à domino, quod & tradidi uobis. Quasi dicat: Ego uobis non tradidi, quod facitis, neq; quicquam à me excogitatum, sed ab ipso domino traditum per me accepistis, à quo procul absunt quæ uos in cõuẽtibus uestris facitis. Non instituit dominus in ecclesia sua schismata, nõ tradidit nobis cœnas priuatas, non discreuit inter suos discipulos, sed communem omnibus cœnam, ab omnibus ex æquo & concorditer celebrandã instituit ac tradidit. Et ego nihil uobis aliud tradidi, quàm quod ab illo accepi, à quo uos iam deficere cœpistis. Hoc sensu dictũ puto, quod de dominica traditione memorat dicens: Ego enim accepi à domino, qd & tradidi uobis, ut non minus neget eos à se accepisse, & institutioni dominicæ conforme esse quod faciebãt, quàm quid ipsis à domino acceptum tradiderit commemoret.

Est hoc loco diligenter obseruãdum, ad quã sint regulam corrigendi sacramentorum abusus. Nihil recte nisi ad certam regulam corrigitur. Certa autẽ regula est nõ humani Magisterij, quantumuis annosa & inueterata pręsumptio, sed dominica institutio. Ad hanc reuocat Corinthios Apostolus, & præuaricationem illorum, qua usum cœnæ dominicæ corruperãt corrigit. Nõ dicit: Ego enim uester Apostolus

Apostolica uobis authoritate sic tradidi, sed: Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis. Ad eandem & nobis respiciendum est hodie, uidendumq; ne à norma illius quolibet declinemus. Non sunt audiendi qui prætexũt patres, concilia, Magisterium spiritus, potestatem ecclesiæ, catholicam consuetudinem, &c. Omnia hæc posterius sunt inducta. Nobis regula ueritatis esse debet, quæ ueniat à Christo, per illius Apostolos transmissa. Et ut cum Tertulliano dicam, non licet nobis nostro hic indulgere arbitrio, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxit. Apostolos domini habemus, qui nec ipsi de suo quicquã quod inducerent elegerunt, sed acceptã à Christo disciplinam, nationibus fideliter assignauerunt, &c.

Deinde proponitur hic fidelis ministri exẽplum. Huius est tradere quidem ecclesiæ, quæ sint credenda & facienda, uerũ non alia quàm accepta à domino, ut sit uox illius: Ego accepi à domino, quod & tradidi uobis. Disputant de potestate ministrorum in ecclesia. Potestatem habent docendi & præscribẽdi quæ tradita sunt à domino. Si illa rite utãtur, abunde satis habẽt quod agant. Perfidi sunt, qui nõ tradita à domino præscribunt ecclesijs, & tradita ab illo interuertunt, atq; interim authoritatem ac potestatem suam iactant. Magistri synagogę dicebant: Lex est in terra, nõ est in cœlo, significantes esse illam suæ potestati subiectam. Sic isti. Sacramenta, inquiunt, & ecclesiæ & scripturę sunt in terra, non sunt in cœlo. Licet hoc uerbis non dicant, reipsa tamen eodem in istis Magisterio quod uolunt statuunt, quo Rabini Iudæorum usi sunt in legalibus statutis.

QVOD domin⁹ Iesus nocte qua tradebatur accepit panem, &c.] Pertinent ista ad secundã partem, qua uerus usus dominicæ cœnæ ex ipsius institutione proponitur. Cũ dicit: Quod dominus Iesus, exprimit ipsum authorẽ huius sacri. Vocat eum dominum, ut admoneat domesticos de illius authoritate, quo de exhibẽda illi cõuenięti, ac debita obseruãtia cogitet.

NOCTE, inquit, qua tradebať.] Meminit tẽporis quo sacrorum hoc à domino est institutũ. Sic specificat ultimã cœnã domini. Et ipse dominus signanter eam notauit, cum diceret: Dico enim uobis, quod nõ sum ex hoc manducaturus, &c. Itẽ, quod nõ sum bibiturus de generatione uitis, donec regnũ Dei ueniat. Admonet hac temporis cõnotatione supremam esse dispositionem morituri domini in mystica illius cœna propositam, quo plus illa afficiamur, & simul auocat carnales Corinthios à studio perituri cibi ad contemplationẽ testamenti, quod à domino nobis est ex hoc sęculo iam iam migraturo relictum.

Non est autem præter rationem, quod noctu sunt hęc à domino gesta. Sic erat lege constitutum, ut agnus ille paschalis noctu ederetur, propter rememorationem transitus angelici, quo cunctis Ægyptiorum primogenitis

A cæsis liberati sunt ex Ægypto filij Israël. Sic Exod. 12. legimus. Et edent carnes nocte illa assas igni. Item, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum. Et. Nox ista erit obseruabilis domino, quando eduxit eos de terra Ægypti. Hanc obseruare debẽt omnes filij Israël in generationib⁹ suis. Huic constitutioni legali confirmauit se dominus, non modo edẽdo pascha uetus cum suis discipulis nocte, & sacramentũ Noui testamẽti instituendo, sed & opus redẽptionis nostræ ea nocte inchoando, quatenus principiũ illius erat traditio, qua per Iudã sacerdotibus ac pharisæis nocte illa prodebatur. Nocte igitur ea ut cœperat, terminabatur Veteris testamenti pascha, & Noui instituitur sacramentum.

Nec est, ut dicat quisquam. Ergo & nobis edenda est cœna dominica, nõ interdiu, sed noctu, quo temporis quoq; institutionis illius rationẽ habeamus. Licet enim damnare nolim si citra superstitionem temporibus persequutionum noctu conueniant fideles, cũ interdiu non liceat, & unanimi spiritu memoriam dominicæ mortis celebrent, concedendũ tamen non est, requiri hoc à nobis, ut nõnisi noctu secũdum exemplum Christi, ad communicationem mysticæ mensæ conueniamus. Etenim quod noctu fecit domin⁹, legi dabatur. Quod uero fidelibus suis instituit, nullis nec noctis, nec diei articulis alligauit, sed liberum uniuscuiusq; ecclesiæ commoditati reliquit. Nõ di-

B xit discipulis: Erit uobis nox ista obseruabilis, per cunctas uestras generationes, sed, quotiescũq; ederitis ac biberitis, hoc facite in mei rememorationem. Deinde licet institutum sit hoc memoriale ipsius noctu, nõ est tamen noctu, sed clara luce corpus ipsius in mortem pro nobis datum, & sanguis effusus in cruce, cuius sacrificij memoriam per mysticam mẽsam celebramus. Sit ergo liberum ecclesiæ, uel noctu, uel interdiu cõuenire ad cœnam dominicam peragendam. Qui noctu conueniunt, noctem habent, in qua traditus est dominus, & Noui Paschatis sacramentum institutum, de qua utiliter cogitare possunt. Qui panem domini interdiu edunt, ac calicem bibunt, diem habẽt, in qua immolatus est in cruce agnus, & sanguis Noui testamenti, pro peccatis nostris effusus, ad quam respiciant. Seruiat hæc libertas cõmoditatibus ecclesię, non faciat ad contẽtiones & odia, quibus opus domini destruitur. Dum hæc dicimus, non moramur canonem, qui de consecr. distinct. 1. uetat noctu fieri Missas, dempta nocte Natalis domini. Antiquum hoc est Romanis Pontificibus, ut libertatem ecclesiæ Magisterio suo opprimant. Sed pergamus.

ACCEPIT panem, inquit,] Recitat institutionem dominicã, cuius duæ sunt partes, una quid fecerit dominus, altera, quid nos facere iusserit. Quid fecerit, exprimit dicens: Accepit panem, egit gratias, Deo scilicet patri, fregit ac dixit, &c. Consimiliter & poculum peracta cœna, &c.

na, &c. Et huius facti externi mens ac sensus exprimitur istis uerbis. Hoc est corpus meum quod pro uobis frangitur. Et. Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine, ne se discipuli uulgari modo, uel etiam iuxta religionem ueteris Pascatis, panem manducare, ac uinum bibere putarent, præsertim cum gererent ista in ipsa cœna ueteris Pascatis, in qua cōsederāt secundū Mosaicæ legis præscriptū.

ACCEPIT panem, inquit.] Intellige, postquā esum agni Paschalis absoluerat, id quod uidere est in Luca. Panem ac uinum usurpauit res usitatas, parabiles, naturæ nostræ amicas, & ad confortandum nos exhilarandumque diuinitus datas.

GRATIAS egit, inquit.] Hoc habebat in more, sicuti patet Ioā.6. Matth.14. & in poculo Pascatis; Luc.22. Quomodo autē Seruatori unigenito Dei conuenerit, ut gratias ageret Deo patri, Ioan.6. annotauimus. Euangelistæ uerbis εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν, eodem sensu pro gratiarum actione utūtur, ne quis hic locum esse putet Papisticæ consecrationi, quasi benedicere idem sit quod cōsecrare. Matthæus, Lucas, & Paulus dicunt Christum in cœna accepto pane, ac poculo, gratias egisse, Deo patri uidelicet, Marcus uero solus dicit eum benedixisse, accepto pane, qui tamen & ipse, ubi de poculo loquitur, gratias illum egisse dicit. Quare manifestum est, idem esse benedicere, quod gratias agere, quod & infrà cap.14. manifeste uidere licet, ubi dicit Apostolus: Alioqui ἐὰν εὐλογήσῃς, id est, si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est, Amen, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, id est, ad tuam gratiarū actionem. Accepto itaq; pane Christus, gratias egit Deo patri, de consecratione uero, qua panem hisce uerbis mutauerit in suum corpus, non legimus quicquam.

Optandū sane esset, ut quibus uerbis Christus Deo patri gratias egerit, Euangelistæ expressissent. Verum cum illud factum non sit, consyderandum nobis est, qua in re gratias egerit. Habebat hoc quidē in more, ut ad quēlibet cibum ageret Deo patri gratias, quā consuetudinem pijs hominibus, præsertim patribus familias, in eo populo fuisse traditur, uerum dubio procul in hac causa singularibus & præcipuis uerbis usus est, quibus discipulorū suorum animos ad intellectum eorum quæ agebat induceret, quemadmodum in oratione quoq; fecit, quam Ioan. cap.17. commemorat. Primū in re non magis ipsum, quàm nos concernente, gratias egit. Cogitemus ergo quid nos facere deceat in hac causa, quorum gratia filius Dei patri gratias egit. Deinde nō solum in re aliena, sed & tali gratias egit, quæ mortē ipsius poscebat, ut impleretur & confirmaretur. Quis nō uidet igitur, quàm ad moriēdum pro nobis animo fuerit propenso? Hinc illud: Desyderio desyderaui, hoc pascha manducare uobiscū, antequā patiar. Seruit ergo nobis hic locus, non modo ad exemplum, sed & ad documentum, unde cognoscamus, quàm parato & prōpto animo mortē ꝓ nobis obierit dn̄s.

FREGIT, inquit.] Panis erat tostus, placēta azyma, quā Germanicè uocamus kuochen, ut posset frangi. Eiusmodi nanq; placētis utebantur in festo Paschatis, iuxta legem usus est illis & dominus, non necessitate aliqua quasi non alio pane liceret uti in hac causa, sed quoniam non referebat quo pane uteretur, modo cibario, & quod alius nō adesset, nec sine offendiculo alium usurpare posset. Erat autem cōsuetudo hæc domini, ut in morem patrisfamilias panē ipse frangeret, & discipulis uescendū distribueret, unde ipsum post resurrectionē duo ex illis in Emaus tum demum cognouerunt, ubi panem ipsis fregisset. Et cognouerūt eum, inquit Lucas cap.24. in fractione panis.

Lucas dicit: & dedit eis, Matt. uero, & dedit discipulis. Aderāt duodecim, de alijs nō legimus. An & Iudas tum adfuerit, in quæstionē uenit. Adfuisse illū negāt Hilarius, & Rupertus Abbas Tuitiensis, quorū sententiæ quomodo contradicere debeā non uideo. Illud uideo, si ordo narrationis recte consyderetur, nō posse certo probari, quod adfuerit, ubi mysterium hoc corporis ac sanguinis sui instituit ac commendauit discipulis suis dominus.

An ipse prior comederit ex hoc pane, & biberit de hoc uino, non est certum, quamuis sic senserit Chrysostomus, homel. super Matthęū 83. dicens: Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis uerbis illis dicerent: Quid igitur? Sanguinem bibimus? & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de hoc uerba fecit, multi propter uerba tantum scandalum passi sunt. Ne igitur nunc quoque id accideret, primus ipse hoc fecit, ut eos trāquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret. Hæc ille. Et de consecr. distinct.2. ca. Nec Moses, tribuitur Christo quod fuerit & conuiua & conuiuium, ipse inquit, comedens & qui comeditur. Sane multum lucis adferret ad intelligendum hanc causam, non dico illis, qui nimium sunt contentiosi, sed rudioribus, si certo constaret Chrysostomi hac in re sententia.

Et dixit, accipite, edite, &c. Ad eundem modum & poculum peracta cœna. Matthæi 26. dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Et Marcus, & biberunt ex eo omnes. Sic dedit illis panem à se fractum, & uinum, neque ad includendum (uide Origen. super Leuiticum homel.5.) neq; ad ostentandum, neque ad circumgestandum, neque ad adorandum, sed ad edendum & bibendum. Deinde nō dedit uni tantum ex illis, nec Petro, nec Iacobo, qui reliquorum nomine ederet & biberet, sed dedit omnibus, ut ederent ac biberēt singuli. Faciebat enim hoc ad mysterium, cuius cōmunicatio ex æquo proponebatur omnibus.

Neque ociosum est, quod de poculo peculiariter dixisse memoratur. Bibite ex eo oēs, & Marcus addit, & biberunt ex eo omnes. Faciebat enim

bat enim ea pars sacraméti potissimum ad testamenti Noui confirmationem. Quare omnino magna est eorum temeritas, qui illã ex usu fidelium Christi ademerunt.

De mysterio, mente, ac sensu cœnæ dominicæ.

Hactenus de externo Christi facto, tãquam prima præsentis materiæ parte, iam uidẽdum est de illius mysterio mente ac sensu. Quod panem accepit, gratias egit, fregit, deditque discipulis, ac poculum consimiliter exhibuit, poterat utrunque ex more fecisse uideri, nec aliquid subesse mysterij. Quare facti sui mysterium exposuit inductione usus omnium commodissima, ex sacramento Veteris Pascatis desumpta, ad cuius esum ac potum pro ritu legis consederant, qua de re Lucæ 22. sic legimus: Euntes autem inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. Et cum iam esset tempestiuum, accubuit, ac duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desyderio desyderaui HOC pascha manducare uobiscum, antequam patiar. Dico enim uobis posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei. Erat hoc ultimum Veteris testamenti pascha, & terminandus iam erat figuralis illius usus, complendusque in regno Dei per mactationem ueri ac Noui testamenti Paschatis, agni uidelicet Dei, cuius sanguine totum genus mortalium à peccatis erat liberandum. Et hoc est quod dicit: Posthac enim non edam ex eo donec compleatur in regno Dei, hoc est, in Noui testamenti gratia. Hæc adimpletio figuralis Paschatis, statim est altero die facta in cruce. Huius desyderio ultimum hoc Pascha cupide edebat. Ardebat enim ad perficiẽdam generis humani redemptionem. Nec dubito quin accepto in manus agno Paschali ac figurali gratias egerit Deo patri, & hæc uerba ad discipulos protulerit. Quemadmodum & de poculo Paschali subijcitur. Et accepto poculo gratias egit ac dixit, accipite hoc & diuidite inter uos: Dico enim uobis quod non bibam de fructu uitis, donec regnum Dei ueniat. Videmus itaque dominum non comedisse de legali agno ac poculũ illius bibisse prorsus mutum, sed egisse patri gratias, & mysteriũ quoque illius sic exposuisse, ut ad institutionem Noui Paschatis collimaret. Quare hac inductione præmissa mox absoluto Paschati legali institutionem Noui subiecturus, accepit panem, gratias egit, fregit, dedit discipulis dicens, accipite, edite, hoc meum est corpus quod pro uobis frangitur, uel, ut Lucas habet, datur. Similiter & poculum peracta cœna dicens: Hoc poculum Nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro uobis effunditur. Sic igitur explicat factum suum, significans Vetus se Pascha terminare, ac Nouũ instituere, quasi dicat: Hactenus durauit Vetus testamẽtum, cuius cõfirmatio fuit in sanguine agni, quem sub Mose patres nostri in Ægypto iussu Dei mactauerũt, ac sanguine illius ab angelo sunt percussore liberati, cui' liberationis typicum, ac memoriale sacramentum singulis

A annis ritu hoc solenni celebrarunt. Iam uero, ut instat Veteris testamenti terminus, & principium Noui, sic finem habet typicũ etiam & memoriale hoc Pascha, & inchoãdum est Nouum. Habuit Vetus suum typicum agnum, & annuum illius sacramentũ, habet nouũ quoq; suum agnum, nõ typicum, sed uerũ, cuius sanguis effusus auferet peccata mundi, auertetq; iram & ultionem Dei. Hic agnus ego sum. Immolabor pro uobis, & sanguine meo testamẽtum Nouũ confirmabo. Quare nõ est ut posthac typicum Veteris testaméti Pascha edatis. Ecce instituo uobis Nouum. Panis hic, quem frango, & ad edendum uobis distribuo, & poculum quod bibẽdum uobis porrigo, nõ sunt uobis accipienda simpliciter, ut panis & uinũ, pro cibando ac potando corpore, sed ut sacramentum, ac mysterium Noui testaméti. Commendo uobis corpus ac sanguinem meũ quorum sacramentũ instituo in hoc pane & uino. Panis hic corpus meũ est, corpus ueri ac Noui agni, paulo pòst pro uobis immolandum. Poculum hoc Nouum testamẽtum est in sanguine meo, sanguine ueri agni, qui ꝓ uobis effundẽt. Quod enim in Veteri test. fuit agnus Paschalis & ritus edendi illius, hoc erit posthac in Nouo panis huius fractura, ac poculi istius distributio. Sicut agnus hic typic' & memorialis habetur pro sacramento פסח ueteris testamenti: ita panis hic, cum poculo habeatur pro sacraméto immolati mei corporis, & effusi sanguinis in Nouo testamento.

B Hæc meo iudicio, mens Christi est in præsenti causa. Quemadmodum Moses Exod. 12. de agno Paschatis præcepit, ac memoriale illius annuũ, ac solenne instituit, priusquam ille mactaretur, ac sanguine suo angelũ percussoré auerteret, atq; ita Veteris testamenti sacramentum condidit, ita & Christus terminatur' Vetus & inchoaturus Nouum test. sacramentũ Noui Paschatis instituit, priusquã ipse illius agnus in cruce immolaretur. Hac inductione puto facillimum erat discipulis intelligere quid uellet hic Nouus ritus, qué instituebat dominus. Neq; existimo cõmodiorem esse rationé consequẽdi intellectus in hac causa, quàm si quæ Lucas scribit diligenter consyderentur, & sine hac inductione nemo de mysterio hoc suopte sensu iudicare ac pronunciare præsumat.

Cum itaq; dicit: Accipite, edite, Hoc meum est corpus quod pro uobis frangitur, nõ debemus hærere in pane, sed intendere in mysteriũ corporis Christi, tãquam agni immaculati, & pro nobis in cruce immolati, & ad edendũ, nõ tã dẽtibus, q̃ fide instructi accedere, qua credamus corpus unigeniti Dei in mortem pro nobis esse datũ, & sanguinem illius pro peccatis nostris effusum. Huc nõ respiciebát Corinthij cũ ex cœna domini priuata facerét cõuiuia & symposia. Et utinã huc respiciát fratres nostri, q̃ de uerbis istis: Hoc meũ est corpus, ita disputát ut magis quærát ubi sit corp' Christi q̃ mysteriũ mortis illius, ac redẽptionis nostræ syncera

cera fide perpẽdãt. Exo.12.legimus ad hũc modum. Cũ dixerint uobis filij ueſtri, quid eſt uobis hic cultus? Dicetis, uictima trãſitus domini eſt, quo trãſiuit ſuper domos filiorum Iſraël in Ægypto, cũ percuteret Ægyptios & domos noſtras liberaret, &c. Hiſce uerbis de ſacramẽto ac ritu Veteris Paſch. iuſſu Dei inſtruebant filij Iudæorũ. Et tamẽ haud quaq̃ diſputabant, quomodo agn⁹ ille Paſchatis, quẽ ſingulis annis edebãt, uictima eſſet trãſit⁹ dñi ſemel facti in Ægypto. Intelligebant enim eſſe eum illius זכרון, id eſt, memoriale. Cõſimili modo inſtruendi ſunt, & noſtri de pane hoc & ritu cœnæ dominicæ, dicẽdumq; illis: Panis hic, uictima eſt corporis dñi, qua ſeſe pro nobis Deo patri obtulit in cruce. Poterat dominus ſimpliciter dicere: Accipite, edite in mei rememorationẽ, uel, accipite, edite, hoc eſt memoriale meũ, niſi uoluiſſet myſterium mortis ſuæ ac noſtræ redemptionis exprimere, & eccleſiæ ſuæ corporis ac ſanguinis ſui ſacramentum commendare. Vt hoc faceret dixit: Accipite, edite, Hoc meum eſt corpus, quod pro uobis frangitur, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Hoc eſt ſacramentum MEI corporis, pro uobis paulo pòſt in cruce morituri: Hoc eſt, uictima corporis mei, Hoc eſt agnus Dei, qui pro uobis mactabitur. Hoc nouum Paſcha eſt in corpore meo, quod pro uobis immolabitur: Hoc eſt memoriale corporis mei, quod pro uobis dabitur.

זבח פסח הוא ליהוה

Hæc omnia de pane hoc cœnę dominicæ rectiſsime prædicari poſſunt. Et iſtis prædicatis aſſuefacienda eſt eccleſia, ut diſcat neq; ſuperſtitioſe cum Papiſtis, neq; irreligioſe cum carnalib⁹ Corinthijs & Capernaitis, ſed pie & utiliter de pane hoc domini ſentire ac loqui, ſenſu & intellectu uidelicet ſacramẽtis ac myſterijs conuenienti.

HOC eſt corpus meum, inquit, quod pro uobis frangitur.] Referunt aliqui uerbum frangendi ad panem cœnæ dominicæ, quaſi dicat: Hic panis meum corpus eſt, qui pro uobis iam frangitur. Verum panis ille frangitur quidem, at non illius, ſed corporis ſui fracturam, id eſt, mortem, quam in Ioanne templi deſtructionem uocauit, tanquam myſterium fide amplectendum commendat, cum dicit: Hoc eſt corpus meum quod pro uobis frangitur. Poterat dicere, quod pro uobis tradetur & occidetur. Verum ut accommodaret ſe ſacramentali fractioni panis dixit: quod pro uobis frangitur. Vt enim panis dum frangitur, pro illis frangitur, quibus ad edendum diſtribuitur, propterea quod niſi frangatur, diſtribui & edi nequit, ſic corpus domini, panis uiuus de cœlo miſſus ut cibus noſter fieret, in cruce pro nobis eſt fractum, id eſt, occiſum, id quod alijs uerbis expreſsit dominus ipſe, cum dixit: Niſi granum frumenti cadẽs in terrã mortuũ fuerit, ipſum ſolũ manet, &c. Hactenus ergo fractũ ꝓ nobis eſt in cruce corpus domini, quatenus pro nobis eſt morti datum, ut ipſius oblatione à peccato & morte redimeremur ac uiuificaremur.

A

Nec impedit quod in pręſenti legitur, quod pro uobis frangitur, cum tamen non in cœna frangeretur, ſed ſequenti demum die frangendum eſſet in cruce. In Græco quidem legitur κλώμενον, id eſt, quod frangitur, ſicut & in Luca διδόμενον, i. quod dat̃. Certũ tamẽ eſt, Seruatorem noſtrum non eſt Græce, ſed Syriace loquutum, quæ lingua non poteſt dicere in pręſenti frangitur, aut, datur, ſed pro pręſenti utitur, uel præterito, uel futuro, ut, הרא גרפי אשר בעבורכם ינתן, id eſt, hoc corpus meum quod pro uobis dabitur, aut ישבר, id eſt, frangetur, aut participio præterito נתון, id eſt, datum, uel שבור, id eſt fractum. Quoniam ſacramentum inſtituebat, cuius uſus poſt mortem ipſius ſeruiret eccleſię, uero ſimile eſt dixiſſe eũ ad hunc modum, הרא גרפי, uel, הרא נפשי, id eſt, hoc corpus meum, בעבורכם שבור, id eſt, pro uobis fractum. Et huic reſpondere uidetur Græcum κλώμενον. Sunt quidem hęc minuta, & tamẽ neſcio quomodo fiat, ut qui ſanctæ linguæ ſunt prorſus ignari, in uerbis domini ſubinde hallucinentur, & pro rebus parergis ac minutis acerbe digladientur.

HOC poculũ, Nouum teſtamẽtũ eſt in meo ſanguine, inquit.] Exponit myſterium poculi. Vtrobiq; aũt & de pane & de poculo ſacramẽtaliter loquit̃, Sacramẽto externo tribuẽs, qđ eſt ipſius rei. In Matth. dicit: Hic eſt enim ſanguis meus, q eſt Noui teſt. qui ꝓ multis effunditur in remiſsionẽ peccatoũ. Sic & Marc. niſi q, illud, in remiſsionẽ peccatorũ, omiſit. Lucas & Paul⁹ ſic recitãt. Hoc poculũ Nouũ teſt. eſt in meo ſanguine, & Lucas addit, qui ꝓ uobis effundit̃, quod Paulus nõ habet. Viderint hic, q ꝓ uerbis in eccleſia digladiãtur. Nõ ſunt eadẽ uerba ubiq; poſita ab Euãgeliſtis & Apoſtolo. Et tamẽ nemo uſq; adeo inſanit, ut putet Chriſtũ ſic eſſe de poculo loquutum, ut omnia hæc uerba protulerit, quæ à Matth. Marc. Luc. & Paulo recitantur. Sic dixit: Hic eſt ſanguis meus, q eſt Noui teſt. quorſum adiecíſſet: Hoc poculum Nouum teſt. eſt in meo ſanguine. Si uero dixit: Hoc poculum Nouũ teſt. eſt in meo ſanguine, nulla erat ratio ut adijceret: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt Noui teſtamẽti. Vtrumuis dixerit, alterũ non dixit: Quare neceſſe eſt, ut ſenſus utrobiq; ſit idem, & alterũ per alterũ uelut exponat̃. Quod Matth. Ebraice ſcripſit, הוא דמי חברית החדשה. i. Hic eſt ſanguis me⁹ Noui teſtamenti, id Lucas & Paulus expoſuiſſe uidentur ad hunc modum. Hoc poculũ Nouum teſtamẽtũ eſt in meo ſanguine. Ergo idẽ eſt poculum hoc eſſe ſanguinem Chriſti, quod eſt, eſſe Nouum teſtamentũ in ſanguine Chriſti. Et exiſtimo Lucã hoc accepiſſe à Paulo, ut ſenſum uerborũ Chriſti hoc pacto exponeret. Quẽadmodũ igitur poculũ domini ob id Nouum teſt. uocat̃, quod ſacramẽtũ eſt Noui teſtamenti, ita etiã ſanguis Chriſti propterea uocatur, quod ſacramentũ eſt ſanguinis Chriſti. Et ſicut Nouum teſtamentum cõfirmatum eſt ſanguine Chriſti in cruce pro peccatis noſtris

B

effuso, ita sanguis Christi, sanguis Noui testamenti dicitur, ad differentiam pecuini sanguinis in quo Veteris erat testamenti cõfirmatio, qua de re uidere licet Ebr.9. Dicit itaque. Hoc poculum Nouum testamentũ est in MEO sanguine, quasi dicat: Hactenus Veteris testamenti confirmatio fuit in sanguine pecudum, iam Nouum confirmabitur in MEO sanguine, cuius sacramentum hoc uobis poculo instituo, commendo, ac trado.

HOC poculum, inquit, Nouũ testamẽtum est in MEO sanguine.] Ergo Nouum testamẽtum est poculum hoc à domino traditum? Sacramentaliter est, realiter non est. Testamẽtum extrema est morituri uoluntas, qua certis amicis legatur hæreditas, quæ legatio tum demũ ualet, quando testamentum morte testatoris confirmatur. Hæc communis est testamenti ratio & conditio. In sacris scripturis accipitur uox ברית quam uertunt testamentum pro fœdere, quod inijt cum populo suo dominus. Et quoniam duplex est illius dispẽsatio, prior sub Mose seruilis, carnalis, umbratilis, ac figuralis, tradita Israëli secundum carnem, posterior uero sub Christo libera, spiritualis, & ueritatis habẽs adimpletionem: Vocata est prior Vetus, posterior Nouum testamentum, cuius gratiam dominus ipse Hieremiæ 31. expressit, & à priori separauit dicens: Ecce dies uenient dicit dominus, & confirmabo super domum Israël, & super domum Iehudah testamentum Nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die, qua appręhẽdi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti. Quoniã ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos dicit domin⁹. Hoc est autem testamentum quod disponã domui Israël post dies illos dicit dominus, dabo leges meas in mentem eorũ, & in corda eorũ inscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et nõ docebit quisq; proximum suũ, ac fratrẽ suũ dicẽs, cognosce dñm, quoniã oẽs cognoscẽt me, à minore usq; ad maiorem, qa propicius ero iniqtatib⁹ eorũ, & peccatorũ ipsorum non recordabor. Hęc ibi, quæ in Epistola ad Ebr. ca. 8. & 10. de gratia Noui testamẽti citantur. Huius mediator est, nõ Moses, sed Christus, hui⁹ doctrina nõ est uet⁹ lex, sed nouum Euangelium, nõ litera, sed spiritu, huius sacramẽta sunt, nõ circũcisio carnis & Pascha uetus, sed lauacrũ regenerationis, & quod hic sub pane & poculo, ad Noui hominis alimentum instituitur. Hanc igitur testamenti innouationem expressurus dominus, nõ dicit: Hoc poculum testamentum Dei, uel, testamentum meum, sed, Hoc poculũ testamẽtum NOVVM est, qua uoce omnino Vetus abrogauit, & animos discipulorum suorum ad Nouam, quæ aderat, cœlestis gratiæ dispensationem dirigebat, & ab obseruantia Veteris ac legalis auocabat. Cogitemus igitur, quoties de hoc poculo domini bibimus, esse nos filios, hæredes, consortes, & poculum, non Veteris, sed Noui test.

A Et ut hui⁹ admoneamur optarim obtinere in ecclesia, ut communicaturi de hoc sacramento, ad communionem se Noui testamenti accedere dicant. Non est ociosum, quod non modo ipsa gratia per Christum dispensata, sed & doctrina illius, & codex Euangelicus & Apostolicus, & poculum mysticũ, Noui testamenti elogio, uocantur & ornantur.

IN MEO sanguine, inquit.] Emphasis est in pronomine MEO. Dicit Nouum testamẽtum esse in SVO sanguine, non in sanguine pecorum. Dicis, quomodo testamentum est in sanguine, cum sit remissio peccatorum? Audi Apostolum Ebr.9. Vbi testamentum est, inquit, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioqui nõdum ualet, dum uiuit qui testatus est. Vnde nec primum sine sanguine dedicatũ fuit. Cum enim Moses omne mãdatum iuxta legem exposuisset omni populo, sumpto sanguine uitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina, & hysopo, simul & ipsum librum & totum populum aspersit dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandauit uobis Deus. Insuper autem & tabernaculum, & omnia uasa ministerij sanguine cõsimiliter aspergebat. Et omnia fere secundum legẽ sanguine purificantur, & absq; sanguinis effusione non fit remissio. Itaq; necesse est ut exemplaria quidem eorũ quę sunt in cœlis, hisce rebus purificẽtur, ipsa uero cœlestia potioribus, quàm hę sint uictimis mũdentur, &c. quibus uerbis satis indicatur, hactenus Nouum testamẽtum esse in sanguine Christi, quatenus Vetus fuit in sanguine uitulorum & hircorũ, ratione uidelicet dedicatiõis & cõfirmationis, propterea quod testamentum hoc, morte testatoris est confirmatum, eaq; non uulgari, sed cruenta, qualem conueniebat esse uictimæ pro peccatis totius mundi oblatæ, unde & non simpliciter dixit: Hoc poculũ Nouum testamẽtum est in morte mea, sed, in sanguine meo, neq; sic tãtũ, sed adiecit, qui effundetur, & ut rationem effusionis huius exprimeret, subiecit, pro uobis & ꝓ multis in remissionem peccatorũ. Loquitur ipse agnus Dei, mediator inter Deũ & homines, de morte sua, quã erat tanquã uictima Deo patri immolanda pro totius mũdi peccatis, in cruce subiturus, ac testamentũ Nouum confirmaturus. Hac ratione dicit illud esse in suo sanguine ad remissionem peccatorum effundendo.

Ebr.9.

ὑποδείγματα.

B

Videmus itaq;, quare separatim de hoc poculo dixerit, esse illud Nouum testamentum in suo sanguine, & q̃ friuola sit eorũ ratio, qui dicũt: Et in corpore sanguis est, ideoq; laici nõ priuantur sanguine Christi, qui sub una tantum specie cõmunicant, & corpus domini accipiunt. At Christus instituit sacramentũ sanguinis sui, non quatenus illum habebat adhuc in corpore uiuo, sed quatenus erat illum in cruce ꝓ peccatis nostris moriẽdo effusurus. Aperit̃ nobis hic intellectus, quomodo sangui ni Christi in literis Apostolicis tribuat̃, q̃d sit propitiatio

propitiatio pro peccatis nostris, Ro.3. quod in illo iustificemur, Ro.5. redemptionem habeamus: Eph.1. pacificemur: Coloss.1. fiduciam acquiramus ad introitũ sanctorum: Ebr.10. sanctificemur: Ebr.13. ab omni peccato emundemur. 1. Ioan.1. & stolas nostras dealbemus: Apoc. 7. Omniũ horum ratio est, quod sanguis Christi, sanguis est Noui testamenti, sanguis mediatoris pro peccatis nostris in cruce effusus. Sed pergamus.

Diximus suprà duas esse in hac causa dominicæ institutionis partes, unã, quid fecerit dominus, alterã, quid nos facere iusserit. De priori hactenus, iam de posteriori uideamus. Ea sic proponitur. Hoc facite in mei rememorationem. Manifesta uerba. Nihil manifestius dici potuit. Vnde nec Apostoli uel uerbulo de sensu institutionis huius interrogasse legũtur. De sacramẽtalibus loquutionibꝰ clamãt nõnulli: Manifestum uerbum, manifestum uerbũ. Hic sacramẽtali ac mystico uerbo mãdatũ subijcitur omnino ad nos pertinens, & nullo mystico inuolucro obscurum. Hoc, inquit, facite ad mei rememorationem. Haud opus est operosa indagatione. Manifestum est quid nos, manifestum ad quid facere iubeat. Hoc facite inquit. Non dicit: Hoc sacrificate. Non enim nos facere uoluit, quod ipse pro nobis in cruce erat facturus, sed quod iam fecerat. Non autem sacrificauerat, sed in cruce demum semetipsum erat Deo patri sacrificaturus. Non dicit: Hoc dicite, & mutate panem in corpus meum, sed, hoc facite. Neq; dicit: Hoc porro faciam, neq; enim de re aliqua loquitur, quæ nobis sit pręstitu impossibilis, ideoq; non à nobis, sed ab ipso fieri debeat. Si mutasset ipse panem in corpus, & uinum in sanguinem suum, eamq; mutationẽ porro in ecclesia sua fieri uoluisset, nõ dixisset: Hoc facite, sed, Hoc porro faciam. Cũ ergo dicit: Hoc facite, satis significat se loqui de opere quod non ipse sit facturus, sed quod à nobis fieri debeat, & possit etiam. Quod autem illud sit, patet ex præcedentibus, quæ in duo membra diuidi ac separari possunt, ita ut unum ipsi domino, alterum discipulis competat. Primum est, quod Noui testamenti sacramentum est institutum. Hæc institutio pertinet ad authoritatẽ domini, non ad discipulos. Non iubet ergo ut sacramentum instituant & faciant. Verbum faciendi non est hic referendum ad opus, quod domini ipsius est, & semel ab ipso factum, nullam iterationem requirit. Testatoris est condere testamentum, non hæredum. Et semel conditum testamentum, ut annihilandum non est, ita nec mutandum nec iterandum. Alterum est, quod panem ab ipso fractum acceperunt & comederunt, & poculum consimiliter ab ipso traditum biberunt. Iam cum pronomen: Hoc, ad institutionem sacramẽti referri nequeat, manifestum est, referendum esse ad id quod ipsi discipuli iam fecerant, & porro facere debebant, ut quod dicit, hoc facite, perinde sit, ac si dicat: Quod iam

Hoc facite.

A facitis de pane hoc cõmuniter edentes, & de poculo isto bibẽtes, hoc eadem cõmunicatione in posterum communiter inter uos facite.

Quemadmodum in Marco animaduertere licet, tum demum dixit: Hic est sanguis meus Noui testamenti, &, hoc facite quotiescunque biberitis in mei rememorationem, cum iam de tradito ipsis poculo bibissent omnes. Nec dubium est cõsimili ordine dictum esse de pane, ubi illum comederãt. Hoc est corpus meũ, quod pro uobis frangitur. Hoc facite in mei rememorationem. Illa, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur, &: Hoc poculum Nouum testamentum est in meo sanguine, ad institutionem sacramenti pertinent, quare ad ea non est referendum quod dicit: Hoc facite. Reliquum ergo est, ut referatur ad id quod iã discipuli fecerant, traditum panem comedentes, & de tradito poculo bibentes. Vnde & dixit: Hoc facite quotiescunq; biberitis, in mei rememorationẽ. Et Apostolus cũ dicit: Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciatis, & quæ sequuntur satis exprimit quo sensu dictum sit à domino: Hoc facite. Tali uidelicet: Hũc panem cum gratiarum actione inter uos frangite & comedite, & hoc poculum cõmuniter omnes bibite.

Nisi hoc mandasset, non esset authenticum quicquid ad imitationem illius humana præsumptio instituisset. Authoritate mandati huius sacramentũ hoc, corporis ac sanguinis domini celebramus & usurpamus in ecclesia. Et intellexerunt apostoli, nõ esse hoc ipsis tãtum, sed simul & ecclesiæ fidelium traditũ à domino, quare & ecclesijs illud fideliter tradiderũt. Ego accepi à domino, inquit, quod & tradidi uobis. Intellexerunt Apostoli institutum esse à domino nouum Noui testamenti pascha, cuius communicatio non est ad ipsos tãtum, sed & ad omnem fidelium multitudinem, nõ minus quàm uetus pascha ad multitudinẽ Israëlis, pertineat. Quare nõ sunt argutati ad hunc modũ: Nobis apostolis dedit dominus panẽ hunc & poculũ, ac iussit, ut quod fecit ipse & nos faciamus. Non dedit alijs, nec dixit, tradite hæc alijs, sed, Hoc facite, ad quem modũ nostra hac ætate Sophistæ nõnulli argutati sunt, nõ pertinere hoc sacramẽtũ ad laicos fideles, sed ad solos sacerdotes, tãquã Apostolorũ successores. Quod autem una species in usu est laicis, esse hoc ex permissu, liberalitate & gratia ecclesiæ, tanque abesse, ut de negata communione calicis conqueri debeant, ut magis agendæ sint ecclesiæ gratiæ pro communione corporis. Sunt hæc à mente tam Christi quàm Apostolorum omnium alienissima, & nonnisi magnum & impudentissimum sacrilegiũ spirantia. Quẽadmodũ ipsius Testamenti consors uniuersa est ecclesiæ Christi multitudo, ita cõsors est & sacramenti huius, cuius poculum Nouum est testamentum à domino uocatum, sicut inter ministros uerbi, & plebem

B

bem fidelium, nihil in hac communicatione mysteriorum Christi sit discriminis, nisi quod illi traditum à domino sacramentum multitudini fidelium ex officio dispensant, sicut & canunt, quibus sic congruit, ut sumant & dent cæteris.

Chrysost. Legant saltem Chrysostomum super posteriorem ad Corinthios. homil. 18. ubi sic dicit: Est autem ubi nihil differt sacerdos à subdito. Vt quando fruendum est tremendis mysterijs. Similiter enim omnes ut illa percipiamus digni habemur. Non sicut in ueteri lege, partem quidem sacerdos edebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos, sed nunc non sic, uerum omnibus unum corpus proponitur, & POCVLVM VNVM.

Hæc ille. Et Theophylactus: Præsertim: inquit, cum tremendus hic calix pari cunctis sit conditione traditus. Si pro solis Apostolis traditum esset in cruce dominicum corpus & sanguis illius effusus, non immerito panem hunc & calicem solis illis traditum esse sentiremus. Iam uero cum non pro illis tantum, sed & reliquis fidelibus omnibus sit mortuus dominus, & Matthæus palam dicat: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, manifestum prorsus est, & sacramentum hoc corporis ac sanguinis domini, non ad solos Apostolos, sed post illos ad omnes quoque pertinere fideles & redéptos. Cogor hac de re admonere propter impudentes Sophistas, qui rem manifestam ausi sunt negare, & dominicã institutionem ad solos referre sacerdotes.

Sed hactenus de eo, quid nos facere iusserit dicens: Hoc facite, iam de eo uidendum est, ad quid nos hoc facere uelit. Non est ut diuinet ac statuat hic humana præsumptio, nec est ulla contentiosis hominibus contendendi ac discceptandi relicta occasio. Ipse qui sacramentum hoc instituit, non modo quid, sed & ad quid facere debeamus expressit. Non dixit autem: Hoc facite in mei oblationem, id quod se Papistæ quotidie facere iactant. Nec dixit: Hoc facite in remissioné peccatorum uestrorum & aliorum, quo sensu Missatores suã missam & nonnulli cœnam dominicam fidelibus commendant, sed, hoc facite in mei rememorationé. Quasi dicat: Hactenus celebrastis in ueteri Pascate transitus angelici & agni in Ægypto mactati memoriam, donec Vetus testamentum durauit. Iam illo finito in posterum non edetis agnum typicum, sed facietis hoc quod modo fecistis in mei rememorationem. Hoc erit memoriale sacramenum Noui testamenti, quo mortis meæ, ac redemptionis uestræ memoriam in cordibus uestris, communi ac solenni ritu alatis, ac gratiam hãc animis gratis amplectamini ac bene collocetis. Chrysostomus super Mattheũ homilia. 83. hæc uerba tali paraphrasi exponit dicens: Nam sicut illud (loquitur de agno Pascatis) in rememorationem miraculorũ quæ in Ægypto patres

A uestri uiderunt, faciebatis, sic & hoc in mei facite rememorationem, &c. Et quemadmodũ Moses, hoc æternum memoriale uobis erit, dicebat, sic & ipse, in mei, ait, rememorationẽ donec ueniam, hoc facite.

Et Augustinus contra Faustum Manichęum libro. 20. cap. 21. Sacramentum hoc, sacramentum memoriæ uocat dicens: Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per uictimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam ueritatem reddebatur, post ascensum Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. Hæc ille. Libera esset ecclesia à uarijs & multis superstitionib⁹, quæstionibus, & contentionibus, si quorum officium est docere alios à simplicitate hac dominici mandati nunquam recessissent.

Sed dicet hic quisquam: Ergo nihil aliud facimus in cœna dominica, quàm quod panem edimus, & uinum bibimus, & hoc facientes, domini recordamur? Respõdeo. Panem quidem edimus, & uinum bibimus, uerum non ut uulgarem corporis cibum ac potum, sed ut panem ac poculum domini, sicuti nominãtur ab Apostolo, & à priscis patribus, ut panem ac poculum sanctificatum, sicut appellantur à Cypriano, ut sacramentum corporis ac sanguinis domini, in quibus, teste Augustino, aliud uidetur & aliud intelligit, ut symbola ac mysteria gratiæ Noui testamenti, quæ de mensa domini accipientes, non corporis tantum, sed & fi-B dei ore manducamus & bibimus, & hoc faciẽtes mortem domini cum gratiarum actione annunciamus, inque fide illius corroboramur. Sic comedentes ac bibentes, non uescimur nudo pane, sed mystico, nec hæremus in cortice, sed illo aperto nucleum omnium suauissimum dominici uidelicet corporis pro nobis crucifixi, ac sanguinis pro nobis effusi, gratiam fide gustamus & recreamur. Qui sic edũt ac bibunt, non habent ieiunam & inanem cœnam, sed eam ipsam quam instituit dominus, & tanquam Noui testamenti sacramentũ suęque mortis memoriale fidelibus suis commẽdauit, in qua de corpore ac sanguine domini participant, secundum illud capite præcedenti: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis domini est? Et, poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio corporis Christi est? Quod enim semel ecclesiæ suæ instituit, dedicauit, ac dedit, ad finem usque mundi durat, nec ulla quantumuis multorum sęculorum uetustate labefactari, & in spongiam abire potest. Nostrum est quod iussi sumus facere, idque in rememorationem mortis eius, qui nos sanguine suo redemit. Faciẽdum autem nobis hoc est fide, per quam in sacramẽto hoc de corpore ac sanguine domini participamus.

Hoc facite, inquit, quotiescũq; biberitis, in mei rememorationẽ. Magna cautione non semel tãtũ, sed secũdo expresit, ad qd nos panẽ hunc suũ edere, & de poculo suo bibere uelit, sic ut

sic ut ad utranq; sacramenti huius partem dixerit, hoc facite in mei rememorationem.

Quare uehementer temerarium est alteram ex illis ecclesiæ Dei adimere, & ubi dominus ipse dixit: hoc facite quotiescunq; biberitis in mei rememorationem, contraria inhibitione dicere, hoc ne feceritis. Qui aureum uel argenteum calicē è tēplo interuertit, sacrilegij damnatur, & interea, qui calicem domini ecclesiæ traditum abstulerūt, sancti patres, pastores ac pōtifices uocātur. Quis nō uidet tāto grauius hic sacrilegium admitti, quanto maioris momēti est sacramentū sanguinis domini, quàm calix manibus hominū ad dispensationē illius factus? De conscr. dist. 2. cap. Comperimus manifeste sic legitur. Diuisio uni⁹ eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio ꝓuenire nō potest.

QVOTIESCVNQVE biberitis, inquit.] Quoniam fiebāt ista à domino in cœna Pascatis, poterat ipsa quoq; hęc institutio ad exemplum ueteris Paschatis nonnisi semel in anno, idq; tempore Iudaici Paschatis, celebrāda uideri. Hanc igitur opinionem uerbis istis excludit dicens: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei rememorationē. Permittunt ecclesiæ liberum quādo de pane suo edat & de poculo bibat, nullum prorsus tēpus pręscribens, sed unum hoc inculcans, ut faciamus hoc ad sui rememorationē. Haud igitur refert quando & quoties mystica domini mensa utamur, modo hoc rite, integre, fideliter, & ad destinatum finem competenter faciamus. Libertas ista magnam hac in causa dissimilitudinem, imo & contentiones, peperit in ecclesia. Contendebant alij uesperi tantum ad exemplum Christi, alij mane tantum etiamnum contendunt celebrandum esse hoc sacrum. Et Augustini tempore alij quotidie, sicut hodie Papistę de sua Missa sentiunt, alij rarius communicandum esse censebant, qua de re uide Epistolam illius. 118. ad Ianuariū. In Chrysost. sup Matth. homil. 16. legimus in omni ecclesiæ congregatione celebrata fuisse apud ueteres hęc mysteria. Et in Isychio super Leuit. lib. 2. cap. 8. sic legimus. Erat enim dies, qui appellatur dominicus in quo oportebat omnibus modis agere apostolos mystica & sacra. Nam & nos sequentes illorum traditionem dominicam diē diuinis conuentibus sequestramus. Tandē eo negligentiæ deuentum est, ut ter duntaxat in anno celebrata sit publica hæc & ecclesiastica communio. Sic statuit Agathense concilium, cap. 18. Sęculares qui in natali domini Pasca, & Pent. non communicant, catholici non credātur, nec inter catholicos habeātur. Nouissime ne hoc quidē mansit, sed semel tātum in anno, Pascatis uidelicet tempore, idq; sub pōtificali præcepto communicare cœpimus. Hodie reperies quàmplurimos qui multis annis ne semel quidē cōmunicent pręsertim Schwenckfeldiani, qui sic ecclesiasticam communionem quarumcunq; ecclesiarum reijciūt, ut interim ipsi prorsus habeant nullam. Huius sectæ authorem cum Augustæ aliquando rogarē, quādo nam cum ecclesia Christi de pane & poculo domini cōmunicasset, diserte respondebat, annos se tum circiter duodecim à communione hac abstinuisse. Rogatus quare hoc faceret, regerebat, nondum se aliquam reperisse ecclesiam, quæ ueræ esset sponsæ Christi dotibus ac uirtutibus intus ac foris ornata, ideoque expectare se, ac differre communionem, donec ecclesiam aliquam ueram ac rite institutam inueniat. Sic illius quoq; discipuli cum nulla uspiam ecclesia communicant. Et præter hos magnam uidemus eorum esse multitudinem in ecclesijs quibusdam liberis & Euangelicis, qui quoniam nullo humano præcepto ad communionem urgentur, nunquam communicant. Hi instar palearum quas impellit uentus, mox atq; communio est inchoanda cateruatim è cœtu sacro euolant. Olim clamabat diaconus, discedite prophani, accedite sancti. Hic nulla est excommunicationis eiusmodi necessitas, quandoquidem maior fere pars ultro seipsa excommunicat.

QVOTIESCVNQVE enim ederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciatis donec uenerit.]

Hactenus dominicam institutionem ad hoc recitauit, ut abusus illi cōtrarios redargueret, quos nōnulli Corinthiorum in cœnam domini introducebant, quibus id efficiebant, ut nihil minus quàm dominicam cœnam ederent. Iam de suo quędam adijcit, quorū alia ad eandem redargutionem faciunt, alia adhortationem & comminationem habent. Ad eandem redargutionē quæ hic dicit faciunt. Hanc ego dominicæ cœnę institutionem ab ipso domino acceptā uobis tradidi, unde intelligere potestis, edere uos cœnam non uniuscuiusq; priuatam, sed communem & mysticam, ad memoriam communis Redemptoris nostri institutam. Et hoc ignorare non potestis.

Nam quotiescunque panem hunc editis, & de poculo hoc bibitis, mortem dn̄i, sic à me instituti, annunciatis ac deprędicatis, cuius participes estis non aliqui separatim tantum, sed communiter omnes. Vnde satis admoneri poteratis, qua fide & quàm concordi communicatione cœnam hanc domini in memoriā mortis illius edere debeatis. Hūc sensum puto esse germanum, quāuis uulgata uersio habeat ista in futuro ad hunc modū: Quotiescunq; enim manducabitis panē hūc, & calicē bibetis, mortem domini annūciabitis donec ueniat. Eras. tamē uertit, quemanmodum nos legimus & exponimus. Sunt qui uerbū καταγγέλλετε in imperatiuo legāt, annūciate. Verū ei lectioni causalis uocula γὰρ. i. enim, nō admodum fauet. Illi iudicant Apost. istis uerbis exponere ac simul mandare, quomodo rememorationē dn̄i celebrare debeant Corinthij, sic uidelicet, ut quotiescūq; panē hūc edāt & de poculo hoc bibāt, mortē illius annunciēt, quasi & hoc in illis desyderauerit, quod mortē dn̄i in cœna hac mystica

stica

ſtica ac memoriali non annunciarẽt, quemadmodum Papiſtarũ ſacrificulos miſſas ſuas ſic celebrare uidemus, ut prorſus nullam faciant dominicę mortis annunciationem. Nã ea quę ſeparatim dicunt, pro annunciatione hac haberi nõ poſſunt. Dicunt enim & auerſi à plebe & lingua eccleſiæ incognita, & ſub ſilẽtio tali, ut ne à Latine quidem ſcientibus percipi queãt.

Obſeruet hic pius lector, quod non ſimpliciter dicit, Quotieſcunq; ederitis panem, & de poculo biberitis, ſed cum ſpecificatione, Quotieſcunq; ederitis panẽ hunc, & de poculo hoc biberitis. Quoniam dictum eſt à domino, hoc facite, quotieſcunq; biberitis in mei rememorationem, exiſtimant nonnulli fratres, loquutum illum eſſe de quotidianis ac domeſticis fidelium ſuorum prandijs, ſicq; memoriam hãc ſui inſtituiſſe, ut quoties domi ſuæ edunt ac bibunt, in ſui hoc rememorationem faciant. Nolim damnare talem feruorẽ ac fidem erga Seruatorem noſtrum Chriſtum, ſi qui ſingulis ſuis prandijs memoriam illius adiungerẽt, uerum hoc ſenſu inſtitutam eſſe myſticam hanc cœnam, ex uerbis Chriſti probari poſſe nõ puto. Quare uigilãter ab Apoſtolo factum eſt, quod cum ſpecificatione dixit: Quotieſcunq; enim ederitis hunc panem, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciatis, ſignificans ſe nõ de priuatis fidelium cœnis, ſed de eccleſiaſtica loqui. Hanc ſi dominus inſtituit nõ communem & eccleſiaſticam, ſed priuatam & domeſticam, non uideo quomodo firmum eſſe poſsit, quod paulo ſuprà dixit: Igitur cum conuenitis in eundem cœtum, nõ eſt dominicam cœnam edere, propterea quod unuſquiſque proprium præſumit edendo. Nam iſtis uerbis palam admonet dominicam cœnã ſic eſſe inſtitutam, ut communiter & in cœtu fidelium celebretur quod ſtare non poteſt, ſi dominus domeſticas cœnas inſtituit. Nec eſt, ut dicamus, repræhendere Apoſtolum diuiſionem quæ in ipſo eccleſiaſtico cœtu fiebat, non damnare, ſi qui domi ſuæ cœnam dominicam cum domeſticis ſuis abſq; ſpiritu ſchiſmatis quotidie comedant, & mortem domini annuncient. Nam ſi hoc egiſſet, non dixiſſet, an domos nõ habetis ad manducandum & bibẽdum? Sed potius ad hunc modum, an domos non habetis, in quibus ſeparatim ac priuatim cœnam dominicam edatis?

Deinde obſeruandum eſt, quod dicit: mortem domini annunciatis. Animaduertẽda hic eſt Apoſtolica traditio, ſecundum quam mors domini annũciãda eſt in cœna dominica. Vſq; adeo non eſt hæc annunciatio leuis ducenda momenti, ut primarium in illa dominicæ cœnæ ſcopum præfixum eſſe ſentire debeamus. Video tam ueterum quàm recentiorum ſubtiles quaſdam cogitationes eò tẽdere, ut quod ſimpliciter propoſitum eſt à domino, & traditum ab Apoſtolis, quaſi non ſatis amplitudini cauſæ huius reſpondens, etſi non prorſus abijcitur, uix tamen poſtremo loco habeatur. Glo- A rificationem, deificationem & claritatem corporis Chriſti in hanc cauſam inferunt, & inde non mirabilia modo, ſed & portentoſa de illo figmenta comminiſcũtur, quibus ſic fidelium mentes à ſcopo dominico abductas confundunt & intricatas reddunt, ut tandem prorſus neſciãt quid de corpore Chriſti ſentire debeãt. Scimus Chriſtum uerum eſſe Deum & uerum hominem, Deo patri ſecundum diuinitatẽ, nobis uero ſecundum carnis noſtrę aſſumptionẽ homouſion. Scimus illum ſecundum carnem reſurrexiſſe à mortuis, & glorificato corpore aſcendiſſe in cœlos, illicq; ſedere à dextris patris, & regnare ſuper omnia. Verum cũ ſit manifeſtum inſtituiſſe illum nobis non gloriæ, in qua nunc eſt, ſed mortis ſuæ, non corporis ſui glorificati, ſed ꝓ nobis traditi, crucifixi ac mortui, & ſanguinis non qualẽ iam habet, ſed quẽ in cruce pro peccatis noſtris effudit, ſacramentum & rememorationẽ, ideoq; Apoſtolus hic non dicat, gloriam, ſed mortem domini annũciatis quotieſcunque de pane hoc editis, & de poculo hoc bibitis, exiſtimo uehementer aberrare à legitimo cauſę huius ſcopo, omnia illa argumenta, quę de glorificato Chriſti corpore ac diuinitate à nonnullis adferuntur. Nimis diſcedunt à mente Chriſti & propoſito ſancti illius inſtituti, qui mortẽ & effuſionem ſanguinis illius contẽnentes de ſublimioribus in eccleſia ſpiritu contentionis perciti diſputant. Paulus cũ diceret, Nihil me iudicaui ſcire niſi B Chriſtũ Ieſum, magno cõſilio adiecit, & hunc crucifixum. Et. Abſit à me ut glorier, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Gal. 6.

Nec illud tranſeundũ eſt, quod non ſimpliciter dicit ἀγγέλλετε, id eſt, nũciatis, ſed καταγγέλλετε, id eſt, maximopere nunciatis. Habet enim κατὰ in cõpoſitione hac uim intendendę ſignificationis. Tradidit illis Apoſtolus non leuem aliquam dominicæ mortis memoriam tribus quatuor uerbis obiter & perfunctorie, ſed magno ſerio ac publica annunciatione, tanquam incomparabilis ac ſtupẽdi beneficij, per quod ab ęterna miſeros nos morte redemit, peragẽdam ac deprædicandam.

DONEC uenerit, inquit.] Significat hũc ritum cœnæ myſticæ & annunciãdæ mortis dominicæ eſſe, nec alterãdum, nec deſerẽdum ad ipſum uſq; aduentum domini, quo uẽturus eſt in fine mundi. Vbi uenerit, nulla erit amplius ratio celebrãdæ ipſius memoriæ, quãdoquidẽ præſentes tũ illi erimus, unaq; cũ ipſo in ſempiternum agemus. Dum ſumus in hoc corpore peregrinamur à domino. Per fidẽ enim ambulamus & non per ſpeciem. In hoc mũdo nõ fruimur ſpecie, qua fruemur in futuro, ſed fide ſuſtentamur, & ueræ pietatis exercitijs, ſtudijs & affectibus cum domino agimus, quo & hic dominicæ memorię ritus pertinet. Adeſt quidem nobis ſpiritu ſuo dominus, & per hunc exercitia hæc fidei noſtræ efficacia redduntur, haud tamen pari iucunditate ſumitur cortex ſacramenti, ſicuti Bernardus alicubi dicit, & adeps

In Cantica Serm. 33.

adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, uultus & speculum. Vbi per speciem præsentis Christi gloria fruemur, finem habebunt Noui hæc testamenti sacramenta. Præsenti tempori deputata est Christi memoria, futuro uero prȩsentia, quia hoc fidei est, illud speciei.

Haud uero præter rationem est, quod particulam hanc de reditu domini, pro peccatis nostris mortui adiecit. Qui maiorum suorum memorias iuxta sæculum agunt, nulla spe reditus illorum afficiuntur. Ne tale quid carnalibus Corinthijs memoriam domini celebrãtibus accideret, ubi dixit: Quotiescunq; panẽ hunc ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciatis, adiecit, donec uenerit, qua particula monet & rediturum ad nos esse dominum, & qua spe ac perseuerãtia memoriam illius celebrare ac mortem annunciare debeamus. Spes ista redituri ad nos domini plurimum habet efficaciæ ad excitandum animos nostros, ne cum hoc mũdo dormiamus, & aduentu illius imparati adobruamur.

Itaq; quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis ac sanguinis domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nã qui edit ac bibit indigne, iudicium sibijpsi edit ac bibit, nõ dijudicãs corpus domini.

Habet hȩc tertia pars grauissimam comminationem contra eos qui cœna dominica abutuntur, cui & fidelem admonitionem adiũgit, propter eos, quos emẽdari posse sperabat. Colligit autem utranq; ex præmissa dominicȩ institutionis commemoratione dicens: Itaque quisquis ederit panem hunc aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis ac sanguinis domini. Quasi dicat. Dum schismata in cœnam dominicam introducitis, dum unusquisq; uestrum propriam cœnam præsumit, dum alius ebrius est alius esurit, dum alius alium non expectatis, dum perinde de pane ac poculo domini editis ac bibitis, ac si ad ꝓphanum conuiuium conueniatis, dum ecclesiam Dei contemnitis, dum pudefacitis eos qui nõ habent, admodum indigne panem hunc editis, & de poculo hoc domini bibitis. At hoc facientes non leue peccatum admittitis. Peccatis enim non simpliciter in ecclesiam quã scinditis & contemnitis, & in mensam mysticam, cuius usum peruertitis, sed & in ipsum corpus ac sanguinẽ domini. Audistis enim dixisse dominum, cum panem hunc frangeret ac discipulis daret, accipite, edite, hoc meum est corpus quod pro uobis frangitur, & cum poculũ hoc porrigeret: Hoc poculum Nouum testamentũ est in meo sanguine, qui pro uobis effundetur. Quare omnino cõsequitur ut quisquis panem hũc ederit, aut de poculo hoc domini biberit indigne, reus fiat corporis ac sanguinis domini. Hunc puto esse uerborum istorum sensum, de quibus paucula quædam annotãda sunt, priusq̃ ad sequẽtia ꝓgrediamur.

Cõstanter panem uocat.

Principio non debet hoc pius lector leuis momenti iudicare, quod Apostolus de sacramento hoc dominici corporis ac sanguinis loquens quamuis contemptum illius contra carnales Corinthios repræhendat, constanter tamen panem uocat & poculum, idq; nõ modo ante sed & in ipsa cõmunicatione, qua editur ac bibitur, dicens: Quotiescũq; enim ederitis panem hũc, & de poculo hoc biberitis. Item. Quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo domini indigne. Et tertio. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Respectu papistarum parũ religiosus fuit Apostolus, quod toties panem & poculum uocat, quod illi pertinaciter panẽ & uinum esse negãt. Cum initio uenissem Augustam Vindelicorum, illò ad prædicandum Euangelium Christi uocatus, cum doctore Sebastiano Meyer, piæ memoriæ, sacrificulũ quẽdam concionãtem audiui, cuius thema, ut uocant, erat: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat, quæ uerba cum pro ipsorum more Latine ad populum Latinẽ nesciẽtem protulisset, mox interpretationem hanc subiecit. *Der mensch aber probier sich selbs, vnd also esse er von disem fleisch, vnd trincke von disem bluot.* Apostolicam loquutionem non audebat, uel certe nolebat, impostor proponere rudi populo, quo fucum illi faceret. Friuolum est quod Lyranus exponit dicens: Panem uocat propter species panis remanẽtes. Consimili modo dicat: Poculũ uocat propter species poculi post consecrationem remanentes. Apostolus ignarus huius fascinationis panem uocat panem, poculum poculũ. Nec est, ut pronomen, hunc, referant ad corpus domini quemadmodum nonnulli ex illis faciunt, quasi cum dicit, panem hunc, alium panem à uisibili, nempe ipsum Christi corpus, panem uitæ, intelligat. Non loquitur de alio pane q̃ quem frangebant, & edebant digni & indigni, quemadmodũ nec de alio poculo quàm uini de quo bibebant omnes. Adijcit autem specificationem, qua panem ac poculũ domini à prophano pane ac uino discernat.

Quare nõ dicat: Quisquis ederit corpus domini.

Quæsierit quisquam, quare non potius augustius loquens dixerit: Itaq; quisquis ederit corpus domini aut biberit sanguinem domini indigne, cum tamen panem hunc dominus ipse sacramentaliter loquendo corpus suum, & poculum hoc sanguinẽ suum uocarit. Respondeo. Non est hoc temere factum ab Apostolo. Iudicabant Corinthij in cœna domini panem se tãtum edere ac uinum bibere, parũ de mysterio corporis ac sanguinis domini cogitantes. Carnalem hanc illorum sententiam correcturus haud quidem negat esse panẽ ac poculum uini in cœna domini, uerum adiecta specificatione monet eum panem alium esse à quolibet pane mensario ac prophano, panem

 uideli-

uidelicet domini, & poculum hoc aliud à quolibet prophano poculo, nempe poculum domini, ideoque haud prophanis sed religiosis modis utrunq; usurpandum. Et hęc instructio melius conueniebat carnalibus adhuc Corinthijs, quàm si dixisset, quisquis ederit corpus domini & biberit sanguinē domini indigne. Deinde, quoniam adhuc carnales erant, & sacramentalibus loquutionibus insueti, non cōueniebat ut diceret: quisquis ederit corpus domini indigne. Neque enim corpus domini per se indigne potest edi à quoquam, neq; ipsi hoc de sacramēto corporis dñi rite intellexissent.

Quid sit rē aliquam facere indigne.

Deinde in eo qđ dicit, quisquis ederit aut biberit indigne, uidendum est, quid sit rem aliquam facere digne. Est unicuiq; rei, operi, personę, cum in sacris tum in prophanis suum mi spat, ius, ac decorum dare secūdum quod qui se gerit, uel aliquid facit, ἀξίως, id est, conueniēter, rite, competēter ac decenter facit, id uidelicet faciens quod uel personæ suæ, uel operi quod facit, cōuenit, qui uero secus facit quàm conuenit, ἀναξίως, id est, inconuenienter & indecenter facere dicitur. Et hac uoce utitur hic Apostolus dicēs: quisquis ederit aut biberit ἀναξίως, id est, secus quàm decet & conuenit. Verterunt interpretes quisquis ederit aut biberit indigne, haud quidem male, interea tamē obscurius quàm ut ab imperitioribus recte possit intelligi. Illi cogitāt: & quis est qui dignus possit ad sacramētum hoc corporis ac sanguinis domini accedere, deq; illo edere ac bibere non indigne? atq; ita reclamante plerunq; cōscientia communicant. At Apostolus non dicit: q ederit aut biberit ἀνάξιος, id est, indignus, sed aduerbialiter ἀναξίως, id est, secus quàm cōuenit, aliter quàm ipsa cœna dominica poscit. Non loquitur de dignitate communicātium, sed de seruando dominicæ cœnæ decoro. Si personæ nostræ respiciantur, dicēdum est singulis: Domine, non sum dignus ut particeps sim mensæ tuæ. Verum ubi decorum mensæ domini, ad quam uocamur, consyderamus, q̄uis inuitamur ad illam indigni, cauere tamen possumus ac debemus, ne modis indignis ac secus quàm conuenit de illa participemus. Si pauper ad mensam regiam uocetur, uocatur utiq; indignus, id quod illi absq; ullo est periculo, uocatur enim per gratiam regis, uerum si se in mēsa regis scurriliter ac secus gerat q̄ decet, quod multis modis fieri potest, id demū illum reum constituet contemptæ maiestatis regiæ. Tale est, quod sine ueste nuptiali in cōuiuio cœlestium nuptiarum comparemus. Tale erat, quod Corinthij in cœnam dominicam introducebant schismata, scindētes quod omnium debebat esse unitissimū, quod propriā unusquisq; cœnam non expectatis alijs præsumebat, quod esurientibus alijs alij inebriebantur, quod de pane ac poculo domini edebant ac bibebant perinde ac si in prophano cōuiuio sederent, quod ecclesiam Dei contemnebant, ac pudefaciebant eos, qui nihil habebāt.

A His modis edere panem ac bibere de poculo domini prorsus est ἀναξίως, id est, secus quàm conuenit, ac præter decorum cœnæ dominicæ edere ac bibere.

Hoc pacto indigne panem domini edebāt & de poculo illius bibebant Corinthij, adulterantes ritum cœnæ dominicæ, & ab institutione illius discedentes. Est autem in cœna domini non modo externus ritus conueniēter modisq; dignis seruandus, sed & competenti intelligētia, fide, gratitudine, syncero erga Christum & ecclesiam illius affectu, cum dilectione fratrum, & uita pura communicandū. Quare qui externa tantum signa sine illorum intellectu usurpant, ex mystica & sacra cœna prophanam facientes, qui licet omnia rite intelligant, quatenus uerbo Christi traduntur, uera tamen esse non credūt, historica fide destituti, hoc est, non credūt mortem Christi ualere ad redemptionem mundi, remissionem peccatorum nostrorum, & recōciliationem cum Deo patre, &c. qui tametsi credunt Christū pro peccatis mundi Deo patri morte sua satisfecisse, eam tamen redemptionem ad se quoq; pertinere non credunt, sed nescio quibus sanctis & iustis deputant, qui etiamsi pro se quoq; mortuum esse Christum credunt, id tamen beneficij haud admodum magnifaciunt, neq; recordatione illius ad gratiarum actionem mouentur, qui non tota animi sui fiducia syncere & obediēter à Christo domino redemptore suo

B pendent, qui non sunt fraternæ charitatis affectu erga ecclesiam Christi & quoscūq; fratres illius mēbra præditi, & qui uita flagitiosa declarant se esse membra nō Christi sed Satanæ, ideoq; nullam habere in regno Dei partem, hi omnes quoties communicant de pane ac poculo domini, communicant ἀναξίως. Nam non modo mutatus & corruptus dominicæ institutionis ritus, sed & sensus mere carnalis, incredulitas, ingratitudo, insynceritas animi erga Christum, contemptus ecclesiæ, animus alienus à fraterna charitate, & uita flagitiosa, omnium debent esse remotissima à communicantibus de hoc pane & poculo domini. Reddunt enim indignos, qui ad mensam domini accedant.

Quid sit reū esse corporis ac sanguinis domini.

Tertio & illud uidendum est, quod dicit: Reus erit corporis ac sanguinis domini. Reū esse corporis ac sanguinis domini, est reū esse peccati & iniuriæ in corpus ac sanguinē Christi admissæ. Peccatū hoc tripliciter admittitū.

1 Primo ab illis qui ipsi corpori ac sanguini domini iniuriam inferunt. Factum hoc est à Iudæis, qui corpus domini crucifixerunt & sanguinem illius effuderunt, quorum uox est, sanguis eius super nos & super filios nostros.

2 Deinde ab illis qui sibimetipsis filiū Dei crucifigunt, Ebr. 6. & sanguinem testamēti pollutum ducunt, dum à uia ueritatis semel cognita relabuntur, & mortem domini qua redempti sunt, irritam sibi reddunt.

3 Tertio, ab illis quoque, qui sacramentum

corpo-

corporis ac sanguinis domini aliqua afficiunt iniuria, siue id faciât sensu, siue uerbis, siue abusu. Etenim quicquid in hunc panem & poculum domini peccatur, in ipsum corpus & sanguinem domini peccatur, quorum sunt sacramentum. Intellige de peccato quod illis non simpliciter ut pani & uino ab eo qui sacramẽtum corporis ac sanguinis domini esse nescit, sed scienter ut sacramento infertur. Corinthij sciebant se conuenire ad edendum cœnam dominicam, cuius ritum ab Apostolo acceperât, quare quod hic in panem ac poculum domini peccabant, ad iniuriam corporis ac sanguinis domini cedebat, quorum sacramentum indignis modis tractabant. Peccabant in ipsam Christi institutionem, quam corrumpebant, peccabant in ecclesiam Christi quam contemnebant, peccabant in membra Christi quæ pudefaciebât, ut recte dici queat, quod in ipsum Christum peccauerint, uerum quoniam hoc genus peccati in sacramentũ corporis ac sanguinis Christi peculiariter admittebatur, grauitatem illius significantius exprimere uolẽs dixit, quisquis ederit hunc panem & biberit de hoc poculo domini indigne, reus erit corporis ac sanguinis domini.

Nec ociosum est, quod non simpliciter dicit, peccat in corpus ac sanguinẽ domini, sed, reus erit corporis ac sanguinis domini. Græcè est ἔνοχος, quæ uox sonat non solum peccatorem, sed eum qui propter peccatũ obnoxius est iudicio & condemnationi, quem aliàs uocant τίμαιον. Cum ergo dicit, reus erit corporis ac sanguinis domini, non solum exponit genus peccati sed & minatur illis certum grauẽque condemnationem ac pœnam qui de pane ac poculo domini indigne edunt & bibũt. Et reuera sic graue est hoc peccatum, ut merito graui sit condemnationi obnoxium. Horrere conuenit Christiano, si audiat se reum fieri corporis ac sanguinis domini, per quæ est à peccato & morte redemptus.

Dũ hæc cogitamus mirari desinimus, unde tot iam malorum ac calamitatum generibus obrutæ iaceant ecclesiæ, in quibus sacramentum hoc dominici corporis ac sanguinis tot sæculis nepharijs modis contra manifestã ipsius institutionem quotidie prophanatur.

Probet autem seipsum homo, inquit, & sic de pane illo edat & de poculo illo bibat. Comminationi nondum absolutæ adhortationem immiscet, qua monet, quid facere debeât priusquam de pane hoc & poculo domini communicent, ne se tam graui cõdemnationi obnoxios reddât. Probet autem seipsum, inquit, homo. Græcè est Δοκιμαζέτω. Significat hoc uerbum experimentum de re aliqua capere, & inquirere in illam ad cognoscẽdum qualis nam existat, ne per imprudentiam uel frustra uel cũ detrimento etiam usurpetur. Cum hoc faciât prudentes in rebus terrenis ne quod moliuntur frustra moliantur, aut damnum aliquod accipiant, quanto magis faciendum est in rebus spiritualibus, ubi peccari non potest nisi cum maxima offensa Dei & graui condemnatione? Cum itaq; dicit: probet seipsum homo, monet ut in seipsum quisque inquirat, quid de pane hoc & poculo domini sentiat, quomodo erga sacramentum hoc corporis ac sanguinis domini animatus existat, quare & quo proposito ad communicationem illius accedere uelit, quo sciat, digne ne uel indigne sit accessurus.

δοκιμάζειν.

Obserua autem, quod quemadmodũ caute ac prudenter non dixit: Itaque manducatis panem hũc & bibitis de poculo hoc domini indigne, atque ita rei estis corporis ac sanguinis domini, id quod durius fuisset, quàm ut patiẽter tolerassent, sed in genere, quisquis ederit ac biberit de pane hoc & poculo domini indigne, reus erit corporis ac sanguinis domini, ita non dicit, probate uos ipsi, sed absque ulla specificatione, in genere, probet, inquit, seipsum homo, quo generalem faciat admonitionem, pertinẽtem ad omnes eoque tolerabilem omnibus. Quasi dicat. Nemo cibum hunc temere usurpet, quasi nihil referat quomodo usurpetur, sed quisquis de illo esurus est, seipsum prius examinet, &c.

Nec dicit: abstine igitur à pane hoc & poculo domini, ne rei fiatis corporis ac sanguinis domini, uel, qui hactenus indigne manducarunt ac biberunt, abstineant in posterũ ab hac cõmunione. Nam hoc pacto malum quod repræhendit non emendasset. Si medicus dicat ægroto, quoniã comedis ac bibis secus quàm ualetudini tuæ restituendæ conducat, consulo ne posthac edas & bibas, hoc ipsum consilio non curat ac restituit sed perdit. Etenim non restituitur ualetudo prorsus non edendo ac bibendo, sed cõpetenter pro qualitate morbi edendo ac bibendo. Consimili modo non correxisset Apostolus malum hoc Corinthiorum consulendo ne in posterum de pane domini ederent & de poculo illius biberẽt. Neque enim hoc pacto euasissent, quo minus culpabiles essent in conspectu domini, abstinentes à sacramento quod instituit ac ecclesiæ suę commendauit. Quare consultius erat quod dicit: probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Nam hoc pacto, nec auocat eos à communicatione mensæ dominicę, nec sinit ut de sacramento corporis ac sanguinis dominici indigne edentes ac bibentes rei fiant corporis ac sanguinis domini. Hoc Apostoli exemplũ sequutus minister Christi, sicubi uiderit esse quosdam qui cœna dominica abutantur, neque suspendat institutionis dominicæ usum, neq; iubeat ut illi ab eo abstineant, sed urgeat potius, ut in seipsos inquirant & gratiæ Dei sacramento sese competenter accommodent.

Nec hoc transeundum est, quod non dicit: probet homo & sic de pane illo edat, sed, probet seipsum homo. Apparet quidem necessarium & utile esse eorum studium, qui neminẽ ad cœnam domini admittũt, quem ipsi antea

non probauerint, si modus & discretio adhibeatur, nec uelut uniuersali lege indiscriminatim omnes, etiam qui inculpate se gerũt in ecclesia, ad huiusmodi examen constringantur, uerum iuxtà timendum est, ne institutum hoc quàm nunc magni æstimatur, tam olim in priscam seruitutem ecclesiam Christi reducat & noxium reddatur. Sane Apostolica admonitio nihil huius requirit, sed hortatur unumquenque, ut seipsum probet, quod genus inquisitionis ac probationis multo est certius. Quis enim conscientiæ suæ iudicium fallere potest, quemadmodum fallere potest consciẽtiam aliorum? Probate uosmetipsos, inquit, 2. Cor. ult. An non cognoscitis uosipsos?

Neq; dicit: Probet homo eos cum quibus est communicaturus. Forsan faciebãt hoc Corinthij sectarij, cum ecclesiam Dei contemnerent, ac fratres pudefacerent, ut eos admodũ pertinenter hortetur, dicẽs: Probet homo seipsum. Quasi dicat. Non cõuenit, ut alius aliũ probet, inq; aliorum uitam & qualitatem inquirat, qui de pane hoc est manducaturus. Quin potius probet & inspiciat quisq; semetipsum. Pro se quisque non pro alijs rationem est domino redditurus. Laborant hoc morbo plerique, ut seipsos negligẽtes in alios tãtum inquirant, id quod Anabaptistæ facere solẽt. Chrysost. sic annotat, καὶ οὐχ ἕτερον ἑτέρῳ κελεύει δοκιμάσαι, ἀλλ' αὐτὸν ἑαυτὸν, ἀδημοσίευτον ποιῶν τὸ δικαστήριον, ἀμάρτυρον τὸν ἔλεγχον.

A

ET sic de pane illo edat, inquit, & de poculo illo bibat.] Ergo admittit Apostolus ad cœnam domini eos qui suæ ipsorum conscientię testimonio sic sunt animati, ut haud indigne accedere possunt, sed quid si minister ecclesiæ hac Apostoli sententia nolit esse contentus, nec admittat nisi eos quos ipse explorarit? Item, quid si fidelis ad panis tantum & non etiam poculi dominici communicationem admittatur, sicut in papatu fieri uidemus? Quid hic faciet fidelis? Respondeo. Vbi nec dominica institutio, nec Apostolica doctrina seruat, ibi non est ut communicet fidelis. Sinat magistros illos regnare in ecclesia, donec uisum fuerit domino modũ imponere illorũ dominio.

NAM qui edit, inquit, ac bibit indigne, iudicium sibijpsi edit ac bibit.] Rationem reddit eius quod dixit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Dices: atqui poterat dicere. Nam qui hoc fecerit, quo digne edat & bibat, communicat de corpore ac sanguine domini. Verum, sed uoluit cœptam comminationem absoluere. Aliàs uerum est. Panis quem frangimus, communicatio corporis domini est, &c.

IVDICIVM, inquit, sibijpsi edit ac bibit.] Dixit, qui indigne edit, reus erit corporis ac sanguinis domini. Id absoluens addit de iudicio, quod ei debetur, qui tam atroci peccato reum se corporis ac sanguinis domini constituit. Posuit autem κρῖμα, id est, iudicium, ἀντὶ τοῦ κατακρίματος, id est, pro condemnatione. Iudiciũ aliàs insonti est liberatio ac salus, sonti uero condemnatio ac perditio, quo sensu hoc loco positum est.

Obserua uero loquutionem. Non dicit: Iudicium incurrit, uel obnoxius est iudicio, sed, iudicium sibijpsi edit ac bibit. Quomodo iudicium editur ac bibitur? Iudicium Dei sententia est, quæ nec edi nec bibi potest in se, ideoq; nec pani nec uino includi, ut cum illo edatur ac bibatur. Panis hic neq; est iudicium, neque sacramẽtum iudicij. Et tamen qui de illo indigne manducat, iudicium manducat. Potest ergo in pane hoc mãducari, quod in illo neq; naturaliter est neq; sacramẽtaliter. Quomodo? Quemadmodum in cibo uetito primi parentes mortem comederunt, cum tamẽ in eo pomo non esset inclusa mors. Quoniam illicite edendo mortis sese iudicio obnoxios reddiderunt, recte mortem sibijpsis comedisse dici possunt. Sic qui panem hunc indigne edẽs reũ se corporis domini constituit, iudicium edere id est, iudicio sese obnoxium reddere dicitur. Ipsum corpus domini, quod datum est in cruce pro uita mundi, nemini est ad iudicium, sed omnibus ad uitam, si fide sumatur. Panis uero hic quem corporis sui sacramentum, ac mortis suæ ἀνάμνησιν esse uoluit, ut magna recreatione spiritus, si rite ac digne, ita ad iudicium sumi potest, si indigne sumatur. Tãtę rei sacramentum, inquit Augustinus, ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immũdus ad Christi sacramenta accedere præsumit.

Super Ioh. tract. 26.

B

Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: iudicium edit ac bibit: sed, iudiciũ sibijpsi edit ac bibit. Videtur enim hac uocula culpam cum ab institutione hac dominicę cœnæ, tũ ab Apostolatu suo amouere, & in ipsos indigne de hoc sacramento edentes ac bibentes reijcere. Quasi dicat. Seipsum perdit, idque suaipsius culpa, dum de eo quo utiliter uti poterat, si modis competentibus uteretur, indigne pro sua temeritate edit ac bibit.

Seruit etiam hæc particula conscientijs infirmorum, qui se pollui putant, si cum illis cõmunicẽt, qui indigne ad cœnam dominicam accedunt. Neminem polluit illorum communicatio, nisi unà cum illis & ipsi indigne communicemus. Seipsos iudicio Dei reddunt obnoxios, non alios. Erãt probi adhuc pleriq; in ecclesia Corinthiorum, quorum conscientijs Apostolus hac sententia consulit, ne propter reprobos de relinquenda ecclesiastica cõmunione cogitent. Verum magistris illis ac dominis ecclesiarum qui in causa sunt suis subditis, ut secus communicent q̃ habet institutio Christi & doctrina Apostolica, haud patrocinatur hic locus. Nam licet sibijpsis iudicium edant & bibant, qui indigne communicant, cedit tamen id peccati ad culpam etiam ipsorum, qui indigne huius communicationis imperitæ ac seductæ plebi sunt authores.

NON dijudicans, inquit, corpus dñi.] Reddit rationẽ hac particula, quare Corinthij de pane domini indigne edentes iudiciũ sibijpsis comede-

comederint. Quoniam uidelicet non dijudicarunt corpus domini. Græcè est, μὴ διακρίνων. Significat autem διακρίνεσθαι discernere πρᾶγμα ἀπ' πράγματος. Hinc est discretio illa, qua pertinẽter de rebus secundum unuſcuiuſq; qualitatẽ ſentimus, & ut ſentimus competenter etiam ſingulis ſecundum illarum ἀξίαν utimur. Debebat ergo uerti, non diſcernens corpus domini, à cibo, uidelicet, prophano. Sic explicat Corinthiorum peccatum, quo carnaliter ac prophanis modis cœnam domini quaſi prophanũ epulum edebãt. Quod ſi quis participiũ hoc, διακρίνων, non diſcernendi ſed iudicandi ſenſu accipiendũ eſſe putauerit, quaſi in eo peccauerint Corinthij, quod nõ iudicauerint panẽ hũc domini, eſſe corpus domini, atque ita legerit, non iudicans corpus domini, in ſpeciem quidem errori papiſtarum patrocinabitur, uerum contra germanũ dictionis huius ſenſum. Debemus quidẽ hunc panem uocare corpus domini, uerum ſenſu non proprio ſed ſacramentali, & diſcernere eum à reliquis cibis, tanquã dominici corporis ſacramentum, adeoq; habere pro pane non corporis ſed mentis, & ad eſum illius parare non dentes ac uentrem ſed fidem ac ſpiritum. Reſpondeant hic miſſatores ſacrificuli, quid ipſi de pane hoc domini ſentiant, & quomodo corpus domini dijudicent, dum illum quæſtu omnium impijſsimo ac manifeſtiſsimo quotidie pro certa pecuniæ ſumma uendunt, & in cultum uentris cõuertunt, dum illum priuatim extra eccleſiaſticam communicationem tractant & edunt, dum & ſpiritu & corpore polluti in medio ſcortationum ſuarum ad miſſarum ſuarum celebrationem accedunt, & manibus adhuc calidis, ut prouerbio dicitur, mox ab hoc ſacro ad ſpurcities ſuas recurrunt. Dum hęc faciunt, ipſi ne corpus domini dijudicant?

PROPTER hoc inter uos multi ſunt imbecilles & inualidi, & dormiunt multi.] Quod indigne manducantem iudicium ſibijpſi manducare dixit, à præſenti caſtigatione cõfirmat, qua tum flagellabãtur diuinitus. Quaſi dicat. Vnde eſt, quod tam multi iam inter uos ſunt imbecilles & inualidi, & tã multi ex hac ſunt uita abrepti, niſi ex eo quod panem hunc domini indigne edentes, ac de poculo illius indigne bibentes, iudicium ſibijpſis manducarũt ac biberunt, & manum hanc diuinæ caſtigationis contra ſe prouocarunt? Ergo graſſabatur in eccleſia Corinthiorum manus domini, flagellans peccantes ſiue peſte, ut apparet, ſiue alio quopiã genere morborum. Quorſum autem hoc factum ſit mox memorabitur.

Colligimus abuſum illum cœnę dominicę fuiſſe in eccleſia Corinthiorum haud paucorũ ſed multorũ. Non enim ſimpliciter dicit: Propter hoc inter uos quidam, ſed, multi ſunt imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Ergo, aut diu durauerat inter eos prophanatio cœnę dominicæ, aut ſi minus diu durauerat breui temporis ſpacio multos corruperat. Si diu

A durauerat, agnoſce patientiam Dei aliquãdiu diſtuliſſe flagellum, quo reſipiſcerẽt, poſtquã uero malum nõ emendaretur ſed admodum creſceret, tum demum in peccantes animaduertere cœpiſſe. Si uero repẽte inualuit malũ, cogita patientiã Dei magnitudine illius fuiſſe uictam, & ad flagellandum permotam, ne totam perderet eccleſiã. In eo uero, quod cauſam illis malorũ iſtorum exponit Apoſtolus, apparet eos neq; peccatũ ſuum cum cœnã domini prophanarẽt, neq; cum prophanationis huius pœnas tam graues ac ſingulares darent, manum caſtigationis diuinæ intellexiſſe. Sic hodie quoq; maxima pars Chriſtianorũ nec intelligit prophanationẽ cœnę dominicę, nec agnoſcit cauſas malorum, quibus caſtigamur & atterimur.

MVLTI ſunt, inquit, imbecilles & inualidi, & dormiũt multi.] Hoc eſt, multi decumbũt ægroti, multi ſunt mortui. Ergo animaduertit in eos dominus inæqualiter, dum alios morti tradidit, alios infirmos ac languidos reddit. Huius rei non debemus quærere cauſas, etiãſi conſtaret æqualiter omnes peccaſſe. Sunt huiuſmodi iudicia Dei occulta, & ſuſpiciẽda nõ inquirẽda. Interea probabile eſt alios alijs peccaſſe grauius, & minus fuiſſe emendabiles, adeoq; dignos qui & grauius punirentur. Crediderim etiam non fuiſſe hac plaga percuſſos omnes eos qui culpabiles inter illos erant. Solet diuina clemẽtia nõ modo pœnas quas infert mitigare, ſed & nõnullos de numero peccantiũ eximere, quibus ſic parcat, ut pœnis aliorũ qui plectunt̃ ad reſipiſcẽtiã perducãtur.

B

ET dormiunt multi inquit.] Non dicit: Et mortui ſunt, ſed, & dormiũt multi. Ergo & eorũ mors, qui propter peccata ſua ſingulari plaga percuſsi moriunt̃, ſomnus eſt, propter futuram reſurrectionẽ. Vnuſquiſq; enim cũ cauſa ſua dormit, & cum illa, ſiue bona ſit ſiue mala reſurget. Commodũ autẽ mortuos dormire dicit, ſcribens ad eos, inter quos erant, qui reſurrectionẽ mortuorũ negarent, quos ſingulari erat tractatu correcturus, cui hac dormitionis metaphora prælud it. Etenim ſi dormiunt mortui, reſurrecturos eſſe conſequitur. Tolle reſurrectionẽ, nõ erit ratio, cur mortui dormire dicant̃. Non eſt autẽ ſomnus iſte transferẽdus ad ſpiritus mortuorũ, qui capaces illius eſſe non poſſunt, ſed ad corpora quæ propterea dormire dicunt̃, quod tandẽ ſunt ad exortum diei futuræ ſurrectura & in lucem è ſepulchris uelut è cubiculis ſuis proditura. Apoſtolus cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſpiritu uidelicet. In cœleſtibus autem ubi Chriſtus eſt, non eſt locus dormiendi, ſed in uera felicitate uiuendi. Latro poſt mortem crucis tranſlatus eſt cũ Chriſto in paradiſum, ſpiritu uidelicet, eoq; nõ dormiente, ſed geſtiente & exultãte. Hodie, inquit Chriſtus, mecum eris in paradiſo. Et anima Lazari in ſinu Abrahæ non dormit, ſed conſolationibus cœleſtibus fruit̃. Nõ obdormit ſpiritus in corpore ſed egreditur ac

deserit corpus morte obsoporatũ, reditq; ad eum qui dederat ipsum. Quare consulto non spiritus sed carnis nos resurrectioñe credere profitemur. Et Apostolus infra cap. 15. ubi fuse de resurrectione mortuorũ disserit, nusq̃ meminit resurrectionis spirituũ, sed eam asserit, qua corpus corruptibile & mortale ad incorruptioñe & immortalitatẽ transferatur. Quẽadmodũ igitur nec corruptionis nec mortis capax est spiritus, ita nec resurrectionis huius capax esse potest, qua incorruptibilis & immortalis reddatur. Admodum igitur inconsyderate nonnulli fratres de dormitione spirituum & animarum disputant.

Etenim si nosipsi dijudicassem⁹ haudquaquam iudicati fuissemus. At cum iudicamur à domino, corripimur, ne cum mundo condemnemur.

Causam malorũ reicijt in ipsorũ socordiã & impœnitentiã. Quasi dicat. Non est autẽ ut propter hanc plagam accusetis dominum nimiæ seueritatis. Haud erat uos iudicaturus, si uosipsi peccatũ uestrum damnantes iudicassetis. Nunc quoniã illud nec agnouistis nec dãnastis, iudicauit uos dominus, uestra uidelicet impœnitentia coactus. Quod autẽ non dicit: Etenim si uosipsi iudicassetis, sed in prima persona: Etenim si nosipsi dijudicassemus, haudquaq̃ iudicati fuissemus, leniendæ sententiæ gratia facit. Ad hoc enim sic loquitur, ut communem faciẽs hãc causam minus pudoris incutiat ijs qui præ cæteris erant culpabiles, & minus contristet eos quorũ amici, cognati, & fratres plaga domini erant percusi.

Puto autẽ nos à scopo Apostoli haud aberraturos, si quæ hic in præterito dicit: Si nosipsi dijudicassemus, haudquaq̃ iudicati fuissem⁹, per Ebraismum esse dicta sentiamus, quo pro pręsenti positũ sit pręteritũ, legamusq; ad hũc modũ: Etenim si nosipsi dijudicaremus haudquaq̃ iudicaremur, cui lectioni quadrat quod sequitur, at cum iudicamur à domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Sic utraque particula generalẽ habet sententiã, ne Corinthijs tantũ sic fuisse dominũ propicium futurum suspicemur si seipsi dijudicassent. Hæc enim illius clementia omnibus est cõmuniter parata, qui ipsi se ultro dijudicant, priusq̃ ab ipso iudicetur. Præter rationem tamen non est, quod in forma præteri loqui uoluit. Sic enim sentẽtiam hanc q̃uis in seipsa generalẽ ad causam tñ Corinthiorũ specialiter accõmodauit.

SI nosipsi dijudicassemus inquit.] In Græco est. εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν. Suprà diximus uerbum διακρίνειν discernendi habere significationẽ, unde & Ambrosius hic legit: Quod si nosipsos discernemus. Ea lectio exponi posset ad hunc modum. Si nosipsos debita cum discretione iudicaremus, ac peccata nostra corrigeremus. Chrysost. non διεκρίνομεν sed simpliciter ἐκρίνομεν, id est, iudicassemus legit, quæ lectio, meo iudicio germanior est, & sequenti particulę melius conuenit, qua dicit: οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα, id est, haud quaquam iudicati fuissemus.

Obserua uero quod non dicit: Si nosipsi flagellassemus haudquaq̃ flagellati fuissem⁹. Nõ hoc poscit ut pœnas nobis ipsi inferamus, sicuti faciunt flagellatores, sed ut nosipsi iudicemus & condemnemus. Iudicat autẽ seipsum, qui se peccatorẽ esse & agnoscit & fatetur, atque ita sese in conspectu domini humiliat, & resipiscit. Non amat dominus sanguinem nostrum, sed resipiscentiam, emendationem & contritionem spiritus.

HAVDQVAQVAM, inquit, iudicati fuissemus.] Si nõ iudicati, nõ etiã flagellati fuissent. Neq; enim flagellat Deus quenq̃ sine iudicio. Non dicit dubitãter, forsan iudicati non fuissemus, sed asseuerãter, haudquaq̃, inq̃t, iudicati fuissemus. Insignis est hęc consolatio, tã certo ore Apostolico affirmata. Non est igitur ut dubitemus, esse rationẽ qua iudiciũ Dei effugiãt etiam sontes. Graue est incidere in iudicium Dei, impossibile autẽ est sic uiuere, ut illi non reddamur obnoxij. Vnica ergo salutis ratio est, ut nosipsi iudicãtes iudiciũ Dei effugiam⁹.

Si quæras causam, quare non iudicentur à Deo qui seipsi iudicant, non post reddi alia, q̃ liberæ bonitatis clementia, quæ locum habet in illis, qui libera præditi sunt potestate, uel ignoscendi uel pœnas inferendi delinquentibus. Iudex qui superioris potestatis uices sustinet, etiamsi seipse qui reus est iudicet, haud tamen dimittit eum impunitum sed iudicat & punit ꝓ officio. At qui libera potestate pręditus est, si clemens sit, nec quærat aliud q̃ emendationem mali, ubi uidet sontem iudicare ac cõdemnare seipsum, resipiscere, & corde esse humili ac contrito, clementer illi ignoscit, propter resipiscentiam & emendationẽ. Sic animatus est dominus. Cum seipsum iudicaret & humiliaret Achab, admodũ impius, nolebat eum iudicare 1. Reg. 21. Nec iudicabat Niniuitas, cũ illi seipsos iudicarẽt ac resipiscerẽt.

AT cum iudicamur, inquit, à domino, corripimur, ne cum mundo damnemur.] Per expositionem causæ finalis, ad quam spectabat dominus, cum delinquentes castigaret, mitigat priorem expositionem, qua causam illis propter quam flagellabantur exposuit. Dixerat: Qui indigne manducat, reus est corporis domini, & iudicium sibijpsi manducat, propter quod multi sunt inter uos imbecilles & inualidi & dormiunt multi. Nam si nosipsi iudicassemus, non iudicati essemus à domino. Hic cogitare poterant: ergo lues ista, quæ nos appræhendit, ex eo est, quod nos condemnauit dominus æternæq; morti adiudicauit. Ergo damnati sumus, qui iam decumbimus ægroti, & perierunt qui lue hac sunt interfecti.

Huic cogitationi occurrit, exponens consilium diuinæ clementiæ, quo suos flagellat nõ ut perdat sed ut seruet. At, inquit, adhuc bene habet, quod iudicamur à domino. Signum enim

nim est, quod nondũ abiecerit nos. Dum nos iudicat, non condemnat ut perdat, sed erudit ut seruet. Pater est, diligens suos filios. Quare flagellat nos, ne perdamur. Perderemur autẽ si impune absq; ulla resipiscentia peccaremus. Melius igitur est, ut flagellemur à domino ad tempus, quàm ut cum mundo condemnemur in sempiternum.

AT cum iudicamur, inquit, à domino corripimur.] Illud, à domino sic est positum, ut referatur tam ad sequentia quàm ad praecedentia. Aliàs repetendum erat ad hunc modum: At cum iudicamur à domino, à domino corripimur. Vtrũq; enim est opus domini, tã quod flagellat, q̃ quod corripit suos ne pereant, cum dicit: Cum iudicamur à domino, intelligit immissas ab illo afflictiones & plagas, quib⁹ peccantes flagellat. Cum addit, corripimur, mentem & consiliũ flagellantis nos Dei exponit. In Graeco est παιδευόμεθα, quod uerbum in morem pueri castigari & erudiri significat. Pertinet huc locus Ebr. 12. Tam igit͂ abest, ut perdere nos uelit dominus, dum peccantes uel morbis, uel morte immatura, uel fame, uel bellis, uel exilijs percutit & affligit, ut ob id ipsum hoc faciat, ne pereamus. Caro in afflictionib⁹ constituta dicit: Odit me Deus, ac perditioni destinauit, ideo tot me modis affligit, uel, ex afflictionibus nõ liberat. Dicat igitur spiritus fidei: Diligit me Deus, & ideo flagellat, ne cũ impijs peream. Nisi diligeret, non castigaret peccantem, sed in malo pergere sineret.

NE cum mundo, inquit, damnemur.] Discernit inter fideles & infideles, filios regni Dei, & filios huius saeculi. Fideles quoniam saluti sunt destinati, corripiuntur peccantes, ne pereant. Infideles uero quoniam uasa sunt irę, parata ad interitum, ducũt in bonis dies suos, & post hanc uitam cum diuite epulone poenis aeternis cruciantur. Illos uocat hic mundum, homines carnales, mũdanos, impios, huic tantum saeculo absq; sensu Dei uiuentes.

NE cum mundo damnemur, inquit.] Videmus mundum hunc esse pessimum, & in historijs inde ab initio in malo cõstitutum fuisse legimus, nec meliorem futurũ sperare possumus, cum sacrae scripturae omnia illius circa finem pessima futura praedicant. Nemo ergo miretur, dum illum condemnationi destinatũ esse audit. Scimus iudicium & condemnationem prioris mundi, quem iusticia Dei aquis diluuij perdidit. Posterioris huius, qui igne perdetur, condemnationem fugientes, caueamus illius consortium, & gratiam hanc qua erepti ac segregati sumus ad uitam, magnifaciẽtes bene collocemus, deq; illa admoneamur, quoties diuinitus castigamur. Qui & nominis & salutis suae rationem habet, haud facile cõsortia cum illis miscet, quos nouit esse homines deplorate malos, & cum publico dedecore perituros, ne ijsdem malis unà cum illis inuoluatur. Sic nos de hoc mundo cogitare conuenit. Odit nos mundus? cogitemus illum esse condemnationi deuotum. Allicit nos ad cõsortium? cogitemus cauendum nobis esse, ne cum illo damnemur.

A

CORRIPIMVR, inquit, ne cum mundo cõdemnemur.] Ergo sufficiebat Corinthijs flagellum illud quo corripiebantur, ad hoc ut saluarentur, & condemnationem mundi effugerent? Si hoc dixerimus, consequetur posse satisfieri diuinae iusticiae si tribulationes à domino illatas perpetiamur, etiamsi nulla sequatur resipiscentia. Absit. Non sic sentit Apostolus cum dicit: Cum iudicamur à domino, corripimur, ne cum mundo damnemur. Significat potius correptionem & castigationẽ ad hoc immitti à domino, ut castigati resipiscamus, & resipiscentes seruemur. Sic pater castigat filium suum uirga, non quod satis sit, si percussus nõ peccauerit impune, sed ut flagellatus in se redeat, & emendetur. Sunt flagella Dei non simpliciter supplicia, quibus puniátur delinquentes, ne impune peccent, sed magis παιδεύσεις, id est, eruditiones & castigationes, quibus corripiantur filij Dei, ut resipiscant, ne per impoenitentiam cum hoc mundo pereant.

Itaq; fratres mei cum conuenitis ad edendum, alius alium expectate. Quod si quis esurit, domi edat, ne ad iudicium conueniatis. Caetera uero cum uenero, disponam.

B

Tandem post redargutionem abusuũ, quos in coenam domini inuexerant Corinthij, hanc conclusionem subijcit. Quoniam nonnulli ex illis non expectatis alijs, proprias coenas praesumebant, & priusquam multitudo conuenisset, iam alijs adhuc esurientibus inebriati erãt, quam inaequalitatem repraehendit, ideo in cõclusione iubet, ut in posterum, ubi ad edendũ conueniendum sit, alius alium expectent, hoc est, ut nemo ex illis priuatam sibi coenam pręsumat, sed omnes in communi secundum dominicã institutionẽ edant & bibant. Sic dicit.

ITAQVE fratres mei cum conuenitis ad edendum, alius alium expectate.] Conclusionem hanc infert ex praecedenti tractatu, praesertim ex ijs quibus indigne edentes reos fieri corporis ac sanguinis domini, ac iudicium sibijpsis edere, idq; in eo cõprobari dixit, quod multi inter ipsos sint infirmi & inualidi, dormiantq; multi. Hinc infert dicẽs: Itaq; fratres mei uel diuina castigatione admoniti, desistite in posterũ à ꝓprijs ac priuatis coenis. Quin potius, ubi conueniendum est ad coenam dominicam, quo illam haud ἀναξίως celebretis, alius alium expectate, donec collecta sit multitudo, ne peiora post hanc admonitionẽ meã & diuinam castigationem, si abusus hosce nõ emendaueritis, experiamini. Mitigat autem & conclusionem & praecedentia per id quod eos uocat fratres suos, ne uideatur cum illis agere pro imperio, sed magis pro cura ac solicitudine fraterna.

CVM conuenitis, inquit, ad edendum.] Nō loquitur de alio q̄ de ecclesiastico cōuētu, quo ad edendū cœnā dn̄icam conuenire solebāt, de quo suprà initio materię huius dixit: Nam primū quidē cum cōuenitis in ecclesiā. Et: Igitur cū conuenitis in eundem locū, non est dominicam cœnā edere, &c. Quare nō placet quod nonnulli exponunt de conuiuio ecclesiastico quidem, uerum non cœnæ dominicæ.

ALIVS, inquit, aliū expectate.] Rursus obserua, quod nō iubet abstinere à cœna dominica, sed monet, ut abusum illius corrigāt, dum cōueniunt ad edendum. Non dicit: Itaq; posthac ne cōueniatis ad edendū, sed: Itaq; cū conuenitis ad edendū, alius alium expectate. Nō præscribit, quousq; expectare debeant, & an si unus & alter desit, reliqua tota ecclesia à cœna dominica abstinere debeat. Simpliciter dicit: alius alium expectate, quod nō debet scrupulosius ad unius aut alterius absentis expectandum aduentum restringi, sed de emendatione eorū intelligi, qui mox atq; in locum conuentus uenissent, priuatas suas cœnas nō expectata multitudine præsumebant. Hunc abusum corrigens dicit, alius alium expectate. Molestū esse solet paratis expectare imparatos ac tardiusculos. Verum sic est conditio societatis, non ecclesiasticæ tantum, sed & alteriuscuiuscūq;, ut patientiā mutuæ expectationis requirat, quam reijciens Saul, cum Samuelis aduentum nō expectaret, graui se peccato inuoluit.

Caute autem sine specificatione in genere dicit: alius aliū expectate. Poterat dicere, uos ditiores, potentiores, & sectarij, expectate donec multitudo conueniat, uerum maluit generaliter loqui, quo facilius hoc malū corrigeret.

QVOD si quis esurit, inquit, domi edat.] Poterant tergiuersari qui culpabiles erant, & esuriem prætexere. Occurrit igitur, imò repetit quod suprà dixit: An domos non habetis ad edendum? Non dicit: Etiamsi quis esurit, expectet tamen, seruetq; ieiunij patientiam, quo cum multitudine communiter ac ieiunus edat. Non imponit ieiunij molestiam, quā conuenit relinquere uel necessitati uel libertati, sed permittit, ut qui esuriem ferre non uult, domi suæ edat. Non est autem hoc sic intelligendum, quod esurientem uelit domi edendo negligere synaxim ecclesiæ ac cœnam dominicā, sed potius, quod uelit eum domi suæ aliquid cibi præcipere, quo postea facilius in conuentu morā alios expectandi ferat. Quàm diuersi sunt ab hac Apostoli sententia, qui à cœnæ dominicæ cōmunione omnes eos excludunt, qui uel per imprudentiam aliquid gustarunt. Vsqueadeò ut de saliua disputent, an si glutiatur ante hoc sacrum, non excludit à communione.

Chrysostomus exponit ad hunc modum: Ἐπιτρέψας ἐκώλυσε καὶ σφοδρότερον ἢ εἰ ἀπηγόρευσε. τῆς γὰρ ἐκκλησίας αὐτὸν ἐξήγαγε καὶ εἰς τὴν οἰκίαν παρέπεμψε, &c. Staret hæc expositio, si diceret Apostolus: Si quis non expectare, sed propriam potius uult

A præsumere cœnam, inebriari, ecclesiam Dei contemnere, & pudefacere non habentes, domi ille edat, non in ecclesia. Verum cum in eo sit, ut prætextum esuriei adimat, dicēs: Si quis esurit, domi edat, non ut esurientes uel ecclesia eijciat, uel necessitate esuriem ferendi premat, ideoque non dicat: Si quis esurit, non in ecclesia, sed domi edat, sed simpliciter: Si quis esurit, domi edat, non possum Chrysostomi expositionem probare, ne cogamur esurientes sacra communione priuare, & saturos tantum uel ad minus non esurientes admittere.

Lyranus pro suo more exponit: Si quis esurit non potens expectare, domi edat cibos suos communes, postmodum tamen eucharistiam non sumpturus eodem die, poterit tamen alio. Communicabant enim fideles communiter quotidie in primitiua ecclesia. Hæc ille. Sentiebat enim illicitum esse, si quis prægustato aliquo cibo communicet. Non laudamus neque refertum, neque prorsus uacuum aqualiculum, quia neutrum moratur conuiuator Christus, qui ut in cœna sua non uentrem, sed mentem pascit, ita non uentris, sed mentis talem dispositionem quærit, qua cœlestis simus pabuli capaces. Mens poscitur, quæ ieiuna sit & esuriens, inanis ab omnis generis illicitis affectibus, ab incredulitate, superstitione, superbia, odio fraterno, scortatione, simonia, &c.

Peruersa religio est, curare quàm uacuo stomacho ad sacramenti huius communicationē B accedas, & interim susq; deq; facere, si mente satura & ebria communices.

NE ad iudicium, inquit, conueniatis.] Erasmus quod in Græco est κρίμα, id est, iudiciū, condemnationem uertit. Eadem ratione & suprà, ubi dicit: κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει, uertere poterat, condemnationem sibijpsi comedit. Iterum absterret ab indigna manducatione. Existimo autem præcedentem particulam occupationis gratia per parenthesim sic esse positam, ut præsens ad eam connecti posit, qua dixit: Itaque cum conuenitis ad edendum, alius alium expectate. Legatur ergo ad hunc modum: Itaque cum conuenitis ad edendum, alius alium expectate (quod si quis esurit, domi edat) ne ad iudicium conueniatis. Intellige, si alijs non expectatis, priuatim comederitis, atque ita institutionem dominicam peruerteritis.

CAETERA, inquit, cum uenero, disponā.] Non correxerat in præsenti omnia ad conuentum illorum ac cœnam dominicam pertinentia, sed ea tantum quæ minus erant ferenda. Reseruat igitur reliqua ad suum usque ad illos aduentum. Quæ illa sint, existimo non esse curiosius inquirendum.

Citant hunc locum nonnulli pro confirmatione omnis generis traditionum ac rituū Papisticorū, etiam eorū qui palàm uerbo Christi & doctrinæ apostolicæ repugnāt. Verū responderūt illis ante me alij. Quod me attinet, nisi

nisi certiora adferant, quàm facile quiduis cōminiscuntur, tam facile huiusmodi illorū commenta respuero. Verbum disponēdi, quod est in Græco, διατάξομαι nō significat perpetuo noua ponere statuta, sed & ea quæ antea fuerant constituta & postea confusa in ordinem redigere. De hoc uerbo diximus suprà cap. 7. ibi. Et sic in omnibus ecclesijs ordino.

CAPVT XII.

TRansit Apostolus ad dona spiritus, quæ plerisque baptizatis in nomen Christi manifesto miraculo ad ornandum, confirmandum & ædificandum ecclesiā conferebantur. Horum authorem & usum declarat, propter eos partim qui illis abutebantur, partim propter reliquos, qui quoniam illis se non ut alios donatos esse uidebant, perinde animo reddebantur pusillo, ac si ad ecclesiam Christi haud pertinerent. Ergo ut illorum insolentiam restringat, istorum uero deiectum animum erigat, ingreditur materiæ huius tractatum, differens de donis spiritus tam primarijs quàm secundarijs, idq; facit tribus capitibus, 12. 13. & 14.



E spiritualibus uero nolo uos ignorare.

Statim initio exprimit, de qbus iam sit consequenter dicturus, uidelicet, de spiritualibus. Quoniam uero uocem hanc absolute absque specificatione posuit, fit ut aliter atque aliter exponatur. Alij accipiunt illam de gratijs sacramentorum, alij de miraculosis signis & charismatibus quæ fidelibus dabâtur, alij de ipsis credentibus, qui per spiritū Christi uarijs linguis loquebantur, & res mirandas operabantur, quorum mihi sententia probatur. Posset tamen communiter hæc uox accipi de omnibus illis, qui alicuius spiritus siue mali siue boni afflatu moti miranda uel dicebant uel faciebât. Omnino de fidelibus ac bono spiritu Dei afflatis intelligit cum infrà 14. dicit: Si quis uidetur esse propheta aut πνευματικὸς, id est, spiritualis. Et Galat. 6. Vos qui spirituales estis, instruite talē in spiritu mansuetudinis, &c. quibus locis perstringit eorum insolentiam, qui ꝓpter singularia charismata spiritus reliquos præ se fastidiebant. Apparet illos uel cœpisse uocari spirituales, propter miraculosa charismata spiritus, quæ acceperant per fidē in Christum, uel ab Apostolo sic uocari, quod se tales esse gloriarentur, & quod insolētiam illorum præsenti tractatu corrigere proponeret. Spirituale est, quod est à spiritu uel Dei, uel angelico, uel diabolico uel humano, uel quod pertinet ad spiritum uel Dei, uel angelicum uel diabolicum, uel humanum. Spiritualis homo est, qui aut natus est ex spiritu, uel agitur spiritu, siue bono siue malo, aut intelligit spiritualia, uel delectatur spiritualibus, uel cōsecratus ac deputatus est spiritualibus, quo sensu ecclesiastici hodie spirituales uocatur, cum reipsa sint carnales & mundani.

DE spiritualib9 uero, inquit, nolo uos ignorare.] Id est, nolo uos esse ignorantes charismatum spiritus, quę in spiritualibus uestris uisuntur & audiuntur. Significat ex illorum esse ignorantia, quod spirituales donis hisce abuterêtur, & reliqui, quasi minus essent Christiani dolerent, & hanc ob causam instruit eos, ne sint amplius ignorantes.

Planè Apostolica uox est: nolo uos fratres esse ignorantes. Studium antichristianorū nō apostolicorū est, tenebris ignorantiæ oppressam uelle ecclesiam, cui debemus omnem illā confusionem, superstitionem, impietatem, & corruptionem, quæ sæculis iam aliquot in ecclesijs obtinuit. Hinc sunt uoces illæ filiorum tenebrarum: Laici ne sint docti, ne legant sacras scripturas, Biblica scriptura facit hæreticos, qui simpliciter ambulat, bene ambulat, quasi simpliciter ambulare sit ignoranter & clausis oculis ambulare, & non magis syncere absque fraude & dolo uiuere. Obsecro, quando sunt isti cum Apostolo dicturi: De spiritualibus fratres nolo uos esse ignorantes? Vtinā uniuersa ecclesia uel sero tandem gnara sit, & rerum & hominum uere spiritualium, incipiatq; inter uera & falsa discernere.

Nolo uos fratres esse ignorantes.

Scitis quod cum ethnici essetis, ad simulacra muta quomodocunq; ducebamini, abducti fueritis.

Lectio huius loci sic est in Gręco, ut sensum habeat imperfectū, nisi uel uoculam ὅτι, id est, cum, sustuleris & legeris: Scitis quod ethnici fueritis, ducti ad simulacra muta quomodocunque ducebamini, uel participium ἀπαγόμενοι, id est, abducti uel seducti, in uerbum mutaueris. Quædam exemplaria Græca non habēt ὅτι. Sic lectionis uarietas uariū sensum gignit. Scitis, inquit. Quid eos scire dicit? Aut, quod fuerint ethnici eidololatræ, aut quod cum antea essent ethnici, ad simulacra muta fuerint abducti. Posterior & lectio & sensus magis probatur. Haud enim tam magni momenti erat in memoriam illis reuocare, quod fuerint ethnici, priusquam Christiani fierent, quàm quod cum ethnici essent, ad simulacra muta fuerint abducti.

SCITIS, inquit, quod cum ethnici essetis.] An non tum quoque erant ἔθνη, id est, Gentes? Erant adhuc Gentes, sed natione, non religione. Alibi dicit: Israëlitæ sunt, & ego. Et: Nam & ego Israëlita sum. Quemadmodum ipse Israëlita adhuc erat natione & carne, quamuis religione esset Christianus, ita & ij qui ex Gentibus in Christum credebant, Gentes adhuc erant carne, religione uero Christiani. Cum ergo dicit: Scitis quod cum Gentes, uel ethnici essetis, respicit nō ad nationem, sed ad religionem ethnicam. Diuersitas nationum neq; impedit ueram religionem, neq; tollitur aut mutatur

2. Cor. 12. Rom. 11.

tatur religione. Quare quod Ephes. 2. legitur: Quapropter mementote, quod uos quondā Gentes in carne, &c. non est uigilanter à uulgato, quisquis fuit, interprete uersum: Propter quod memores estote, quod aliquando uos qui Gentes eratis in carne, quasi Christiani facti, non essent amplius Gentes in carne, cum uerbum, eratis, non sit in Græco. Ibi enim sic legitur: Διὸ μνημονεύετε, ὅτι ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη ἐν σαρκί, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου, ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς χριστοῦ, &c. Hoc est: Propterea mementote, quod uos quondā Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ circumcisio dicitur in carne manufacta, quod fueritis in tempore illo sine Christo, &c. Vbi uocula ποτὲ, id est, quondam, non ad proxime subsequens referenda est, sed ad id quod dicit, ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, sic ut ὅτι, id est, quod, ociose repetatur, sitque ordinanda lectio ad hunc modum: Propterea mementote, quod uos aliquando, qui Gentes estis in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, fueritis in tempore illo sine Christo, &c. Et Erasmus quoq;, quamuis aliàs uigilans interpres, inconsulto sic uertit: Quapropter memētote, quod uos quondam Gentes in carne uocabamini præputium, &c. Quod in Græco est οἱ λεγόμενοι, uertendum erat in præsenti, qui dicimini, non, uocabamini. Etenim & tum quoque sic uocabantur, & Apostolus non monet eos, ut recordentur se olim præputium fuisse à Iudæis uocatos, sed ut memores sint, se ante id temporis fuisse sine Christo, &c. Recte tamen illud reddidit, quod inquam eratis in tēpore illo sine Christo, &c. Sed redeamus ad textum.

SCITIS, inquit, quod cum ethnici essetis, ad simulacra muta quomodocunque ducebamini, abducti fueritis.] Hoc uidelicet est, qđ eos scire dicit, quod in ethnicismo abducti fuerint ad simulacra muta, quomodocunque ducebantur, id est, absque ulla consyderatione, bené ne uel male ducerentur. Non dicit simpliciter: Cum ethnici essetis, abducebamini ad simulacra muta, sed: Scitis, quod cum ethnici essetis, abducti fueritis ad simulacra muta. Testatur ipsorum conscientiam. Loquitur enim de re omnibus ipsis manifesta. Quorsum autē hoc eos scire dicit? Probat ex præterita cęcitate, fuisse eos spiritualium rerum ignaros, cum enim dicit: Nolo uos ignorantes esse spiritualium, perinde est ac si dicat, quemadmodum fuistis hactenus. Quod enim ignorantes fueritis, uestra ipsorum conscientia testatur. Scitis nanque, quod ad muta simulacra passi fueritis uos abduci, id quod non erat recto iudicio ambulantium, sed per cæcitatem aberrantium. Vtitur autem similitudine cæcorū, qui quoniam destituti sunt proprij moderamine uisus, alieno ductu reguntur, cui cogūtur obsequi, quomodocunque bene uel male ducantur. Sic Gentes, cum spiritualium essent iudicio destitutæ, abductæ sunt ad simulacra muta, & interim ad uerum se cultum Dei duci putarunt. Ponit itaq; effectum cæcitatis pro argumento ignorantię rerum spiritualium. Abduci ad simulacra muta, ex cæcitate mentium est, habetq; manifestum illius indicium.

Ne autem uideatur hoc illis per exprobrationem obijcere, reijcit culpam in illorum ductores, uel potius seductores. Neque enim simpliciter dicit: Scitis quod cum Gentes essetis, colueritis simulacra muta, sed, abducti fueritis ad simulacra muta quomodocunque ducebamini. Sic Euangelicis nostris dici potest. Scitis quod cum in Papatu essetis, ad simulacra muta quomodocunque ducebamini, abducti ac seducti fueritis. Misera planè conditio est cæci populi. Nulla est tā fœda superstitio, nulla tam abominabilis impietas, ad quam non possit abduci, ubi se semel ductoribus cæcis ac perfidis permittere cœpit.

AD simulacra muta, inquit.] Non est ociosum, quod non simpliciter dicit, ad simulacra, sed, ad simulacra muta. Non solum suggillat simulacra, sed & cæcitatem eidololatrarū perstringit, quod illa colere uoluerint, cum reipsa insensata esse cernerent, unde nihil illis esse numinis colligere poterant. Hęc dicens stimulat eos & excitat ad excutiendum ignorantiā, & studendum spiritualium rerum intelligentiæ. Vnde & subiungit.

Quapropter notū uobis facio, quod nemo per spiritum Dei loquens dicit anathema Iesum, & quod nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum.

QVAPROPTER, inquit.] Quare? Quia nō conuenit ut sitis ignorantes spiritualium, sicut fuistis, priusquam in Christum credere cœpistis. Dixit: Nolo uos ignorare de spiritualibus. Quàm cæci fueritis in ethnicismo nostis. Nunc tempus est ut ueritatis ita & intelligentiæ. Nolo uos instar cæcorum quouis abduci. Quapropter notum uobis facio, quid de spiritualibus sentire ac iudicare debeatis.

QVOD nemo, inquit, per spiritum Dei loquens dicit anathema Iesum, & quod nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritū sanctum.] Incipit eos instruere de spiritualibus. Et primum ponit id quod generale est in omnibus fidelibus opus spiritus. Deinde subijcit de donis singularibus, quæ non omnibus ex æquo, sed alijs alia conferebantur. Generale opus spiritus est, fides illa, qua Iesum crucifixum uocamus dominum. Vultis, inquit, indicium loquētis in uobis spiritus Dei? Quod Iesum uocatis dominum, habetis ex spiritu Dei. Nisi ille in uobis sit, non poteritis Iesum uocare dominum. Si sit in uobis, non uocabitis eum anathema. Est enim spiritus Dei, quē accipiunt credentes, spiritus ueritatis, testificans de Iesu, quod sit dominus. Quare fit, ut nemo per illum loquens, uocet Iesum anathema,

ma, nec quisquam posit Iesum uocare dominum, nisi per illum. Quid sit anathema, diximus Rom. 9. Hoc pacto erigit eos, quibus nõ erat datum, ut linguis loquerentur, uel morbidos curarent, uel alia miranda facerẽt, dum asserit & ipsos loqui ex instinctu spiritus Dei, eiusq; indubitatum esse argumentum, quod Iesum uocẽt dominum, quem alij spiritu Dei destituti uocant anathema.

Hanc puto præsentis loci expositionẽ simplicem esse, & germanam. Nolim tamen contendere cum ijs qui Chrysostomi sententiam sequuntur. Ille sic exponit: De spiritualibus dicturus, principio diuinationis & prophetiæ discrimen ponit, sic dicẽs: Scitis quod cum Gentes essetis, ad simulacra muta quomodocunq; ducebamini, abducti fueritis. Quod autem dicit tale est. In cultu, inquit, eidolorum, si quando ab immundo quisquam spiritu detentus & occupatus est, & diuinat, quemadmodum agitur, sic trahitur à spiritu ligatus, nihil sciens eorum quæ dicit. Hoc enim proprium est diuinatoris, mente motum esse, coactionem pati, impelli, rapi, & instar insani trahi. Propheta uero non ad hunc modum, sed mente sobria, & dispositione sana ac sciens quæ dicit, profert omnia, etiam priusquam illa eueniant. Et hinc agnosce diuinatorem & prophetam. Et uide quomodo sermonẽ à suspicione liberat. Ipsos citat testes, qui rei huius experientiam ceperant. Quod enim non mentiar, inquit, uos ipsi mihi testes eritis. Scitis enim, quomodo cum Gẽtes essetis, abducti fueritis ac tracti. Et paulo pòst. Et hæc quidem prima est diuinatoris ac prophetæ differentia, deinde & alterã subijcit, dicens: Quapropter notum uobis facio, quod nemo per spiritum Dei loquens, dicit anathema Iesum. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Cum uidetis, inquit, quendam non sonantem ipsius nomen, aut etiam anathemate damnantem, diuinator est. Rursus ubi uideris alium cuncta cum nomine ipsius sonantem, intellige illum esse spiritualem. Hæc ille. Quæ mihi uidentur in genere dicta, & ad omnes communiter cũ in ethnicismo, tum in Christianismo constitutos pertinere, refert ille specialiter ad diuinatores ethnicos & prophetas ueros, quasi abduci ad simulacra muta non sit nisi diuinatorum, & non communiter omnium eidololatrarum, & dicere Iesum dominum, prophetarum tantum sit, & non etiam quorumcunque fidelium.

Nos admonemur hoc loco, ut obseruemus diligenter, quid de Christo Iesu sentiamus ipsi, & dicant alij. Probate spiritus, inquit Iohan. utrum sint ex Deo. Probatio spirituũ necessaria nobis est, ne uel seducamur ab alijs, uel seducamus nosipsi. Ea uero certior esse nõ potest, quàm si obseruemus tam nostram q̃ aliorum de Christo sententiam. Vt quo sim spiritu imbutus, intelligam, nõ est mihi opus uerbis. Possum enim ex eo periculum facere, si animaduertero, quid de Christo in corde meo sentiam. Si credo ac sentio firmiter esse illum dominum constitutum à Deo patre, argumentum habeo spiritus Dei, qui hanc in me fidem operatur. Vt aliorum uero spiritus probem, opus est ut audiam & cognoscã, quid de Christo sentiant & loquantur. Si hunc confitentur esse dominum, agnosco in illis spiritum Dei. Nemo enim potest Iesum uocare dominum, nisi per spiritum sanctum. Ergo fidei huius cõfessio certum habet spiritus sancti argumentũ. Quid igitur faciunt, qui ueros hodie Christianos, Christum dominum ad sanguinis usque effusionem confitentes, hæreseos ob id damnant, & igni tradunt, quod non credũt in sanctos, illos non inuocant, Rom. pontificem nõ uocant dominum ecclesiarum, uoces falsorũ pastorum non audiunt, sed uni Christo domino adhærent, illumque in medijs flammis inuocant, ac cum Stephano dicunt: Domine Iesu accipe spiritum meum. Quare non cogitãt de hac Apostoli sententia: Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritum sanctũ?

1. Iohan. 4.

Dices. Atqui facile est Iesum uocare dominum. An non dicturi sunt reprobi in illo die, Domine domine, nónne per nomen tuũ prophetauimus, dicturusque illis est dominus, nõ noui uos? An non diserte dixit Christus: Non quisquis mihi dicit domine domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, Matt. 7. Et Lucæ 6. Quid me uocatis domine domine, & nõ facitis, &c. Quomodo ergo firmũ esse potest, quod Apostolus hic dicit: Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum? An non est cogniturus eos Christus, qui per spiritum sanctum moti uocant ipsum dominũ? An tales non sunt ingressuri in regnũ Dei?

Respondeo. Consyderandum est quot modis uocetur Iesus dominus, quandoquidem hac in re non sonitus oris, sed affectus cordis censendus uenit.

1 Principio, quemadmodum per spiritũ Dei miraculorum patratorem prophetant, nõnunquam homines reprobi sub nomine Christi, & res mirandas faciunt, ita & Iesum appellãt dominum per idem donum spiritus. Et sicut non saluantur donis hisce faciendorum miraculorum, & prophetandi, ita neq; appellatione hac qua Iesum uocant dominum. Quod si sensus Chrysostomi placet, quo de mentionẽ fecimus, ita ut Paulus hic de prophetis Christi, non de cunctis fidelibus in genere loquatur, nulla est quæstio. Potest enim fieri, ut donum prophetiæ per spiritum Dei habeant etiam reprobi.

2 Deinde, inuenias qui Iesum uocent dominum eo sensu & affectu quo Papistæ beatam uirginem uocant nostram dominam, tanquã titulo honoris. De his dici non potest, quod ex spiritu Dei loquantur.

3 Tertio, quoniam in ecclesia obtinuit, ut catholica & inueterata cõsuetudine Iesum Christum

stum uocemus nostrum dominum dicentes: Credo in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, &c. fit ut ij quoque qui absque fide syncera uiuunt, & zizania sunt in agro domini, non triticum, perinde Iesum dominum uocent atque ueri Christiani, cum tamen non colant ipsum ut dominum, nec uera ab ipso fide pendeant. Nec isti ex spiritu Dei loquuntur, cum Iesum uocant dominum, nec regnum cœlorum ingredientur.

4 Quarto. Iesum uocant dominum ueri fideles, qui spiritu filiorum Dei præditi, agnoscūt eum esse unigenitum Dei, dominum & hæredem omnium, suntq; erga illum tanquam erga unicum suum dominum fideliter, obedienter, ac syncere affecti, & ab illo unice dependēt. Hoc affectu Iesum uocare dominū potest nemo, nisi spiritu fidei & filiorum Dei imbutus. Cum ergo dicit Apostolus, neminem posse uocare Iesum dominum, nisi per spiritum sanctū, non loquit, meo iudicio, nisi de istis qui quod ore sonant, neque ex consuetudine, neque per superstitionem, sed corde syncero ac ueraci loquuntur. Siue igitur Chrysostomi expositio probatur, siue tenetur hæc nostra, omnino uerum est, quod Apostolus hic loquitur, licet alijs modis frequenter absq; ullo spiritus sancti instinctu uocetur Iesus dominus.

Diuisiones uero donorum sunt, sed idem spiritus, & diuisiones ministeriorū sunt, & idē dominus, & diuisiones operationum sunt, idem uero est Deus, efficiens omnia in omnibus.

Postquam generale opus spiritus Dei posuit, quo cuncti fideles afflati Iesum uocāt dominum, pergit ad specialia, quæ nō omnibus, sed alijs alia contingunt, propterea quod non adeo sunt atque generale illud ad salutem omnibus necessaria, quamuis usus illorum saluti fidelium ministerialiter seruiat.

1 Et hæc primum generali uocabulo uocat χαρίσματα. Sunt autem χαρίσματα dona ac beneficia gratuita, qua uoce mox initio gratiam ac liberalitatem Dei erga ecclesiam fidelium suorum commēdat, qua illam tot egregijs donis mox atque colligi cœpit, ornare ac cumulare uoluit, ac simul fastum & insolentiam eorum reprobat, qui perinde ob hęc dona spiritus insolescebant in ecclesia, ac si suapta illa uirtute parassent, & non per meram gratiam Dei in usus aliorum accepissent. Eodem hodie quoq; uicio plerosq; laborare uideas, qui propter dona Dei aduersus alios superbiunt, & quosuis præ se fastidiunt, non cogitantes unde illa & in quos usus acceperint.

2 Secundo loco commendat donorum istorum uarietatem dicens: Diuisiones uero charismatum sunt. Item, diuisiones uero sunt ministeriorum. Et, diuisiones sunt operationum, quam uarietatem infrà explicabit. Tribuit autem illis diuisionem nō talem, qualis in ecclesia Corinthiorum inualescere cœperat, qua & mentes ipsorū & societas ecclesiastica, & Christiani nominis professio, quæ unitissimæ esse debebant, studio erant sectariorum diuisę, sed qualem & ornatus & utilitas ecclesiæ poscebat, & per quam unitas ecclesiæ non scindebatur, sed magis confirmabatur. Est autem ea gemina. Primo nanque diuisa erant hæc dona in seipsis, alia uidelicet atque alia, hoc est, inter se uaria. Deinde diuidebātur, dum alij aliud per spiritum Dei dabatur, quæ distributio infrà diuisio uocatur, ubi dicit: & idem spiritus διαιρῶν, id est, diuidens peculiariter unicuiq; sicut uult. Primam diuisionem recte uariationem, alteram uero distributionem uocabis. Ad primam pertinet quod hic dicit: Diuisiones uero sunt charismatum, sed idem spiritus. De altera mox subiunget.

3 Tertio partitur charismata in ministeria & operationes. Diuisiones sunt, inquit, διακονιῶν. Itē: Diuisiones sunt ἐνεργημάτων. Existimo charismata esse genus, ministeria uero & operationes poni pro speciebus charismatum. Ministeria infrà circa calcem capitis recēsēt, quemadmodum & Ephes. 4. operationes uero statim explicabit. Quod autem χαρίσματα generis loco accipio, ob id facio, quod Rom. 12. sic legimus. Habentes uero χαρίσματα iuxta gratiam datam nobis uaria, siue prophetiam iuxta portionem fidei, siue ministerium in administratione, &c. ubi omnino charismata partitur in prophetiam, ministeria, & quæ alia ibi sequuntur. Chrysostomus rem eandem charisma, ministerium & operationem uocari putat. Mihi uidetur commodius, ut res distinctas generali uocabulo charismata uocari sentiamus. Ministerium charisma est, operatio charisma est. Sunt enim gratuita dona Dei. Et tamen per ministeria aliud intelligit, quàm per ἐνεργήματα, sicut in sequentibus uidebimus. Quod operationes uertimus ἐνεργήματα, non satis exprimit uim uocis. Sonant enim ἐνεργήματα operationes non quaslibet, sed eas quas in nobis operatur Deus, quasi dicas, inoperationes.

Quomodocunque capiamus hasce uoces, satis pulchre donorum Dei qualitatem & usum exprimunt. Quare charismata uocentur, suprà diximus. Ministeria ob id uocant, quod per illa seruitur ecclesiæ ac ministratur Deo. Operationes dicuntur, quod non solum donat ea Deus, sed & operatur in nobis, & quod dedit, efficax reddit.

SED idem spiritus est, inquit. Et idem dominus, & idem Deus.] 4 Quarto. Donorum uarietatem etiam non moniti uidebant, unitatem uero largitoris non ita consyderabant, quare illā inculcat propter eos, quibus dolebat, quod non eadem cum alijs, aut quod minora quàm alij dona acceperant, quasi non ab eodem spiritu & magna & mediocria, & alia alijs dona darētur. Varietas charismatum, inquit, non est ex alio atque alio spiritu, sed prorsus eodem. Neque alterius atque alterius domini

domini habet argumentum, quod uaria sunt ministeria in ecclesia. Est enim dominus idẽ, cui seruitur uario ministeriorum genere. Quẽ admodum non est alius atq; alius ex eo statuẽdus Deus quod diuisæ sunt operationes, sed unus & idẽ agnoscẽdus in omnibus. In ethnicismo uariæ operationes dijs uarijs tribuebãtur, aliæ Ioui, aliæ Neptuno, aliæ Saturno, aliç Apollini, aliæ Mercurio, &c. quemadmodum in papatu uariæ uirtutes uarijs diuis assignantur. Alius præest nauigantibus in mari, alius belligerantibus, alius agricolãtibus, &c. Alius alios morbos curat. At Apostolus charismata ecclesiæ diuinitus collata refert nec ad diuos, nec ad angelicos spiritus, sed ad Deum patrẽ, dominum Christum, & spiritum sanctum. Sic enim placet ista de sancta diuinarum persona rum Triade intelligere cum Chrysostomo & Ambrosio, cum nihil uideam quod hunc sensum impediat. Et ad Eph. 4. ubi de donis istis loquitur, cõsimiliter dicit. Vnus spiritus, unus dominus, unus Deus & pater omnium. Non est autem sentiendum quod charismata peculiariter assignat spiritui, ministeria domino Christo, & operationes Deo patri. Ex Deo patre per Christum in spiritu sancto sunt omnia dona Dei. Spiritu suo per Christum operatur in nobis sua dona Deus.

Et hisce uerbis fortiter perstringit eos, qui propter charismata & ministeria & energemata scindebant ecclesiam, quasi donorum uarietas ad uarios esset referenda authores. Eiusdẽ spiritus, & eiusdem domini, eiusdemq; Dei ecclesia non debet scindi in partes sed unitate indiuulsa uni suo adhærere domino spiritui ac Deo.

IDEM Deus, inquit, efficiens omnia in omnibus.] Quãuis tres diuinitatis personas cõmemoret, haud tamen unitatis Dei obliuiscitur, cauens ne more ethnico tres deos constituant. Sic dicit: Idem Deus, non multi, operatur omnia in omnibus, intellige charismata, ministeria, & operationes. Neq; enim loquitur de uniuersali operatione Dei, qua cœlum, terram, mare & quæ in illis sunt omnia diuina sua uirtute & efficacia cõseruat, sed de ea qua operatur in electis ac fidelibus suis omnia ad salutem ipsorum facientia. Existimo Apostolum sententiã hanc accommodare causæ quã agit. Si cogitassent sectarij eũdem Deum operari omnia in omnibus, haudquaquam alius se Pauli, alius Apollo, alius Cephæ esse dixissent, sed in omnibus eundem spiritum, eundẽ dominum, eundem Deum agnoscentes unitatem dominici corporis indiuulsam custodiuissent. Qui operabatur in Petro ad Apostolatum circũcisionis, idem operabatur & in Paulo erga gentes Gal. 2. Quorsum ergo pertinebat dicere: Ego sum Petri, ego sum Pauli, cum ambo eiusdem essent domini serui, eiusdem Dei Apostoli, & eiusdem uirtute spiritus loquerentur ac miranda facerent?

Quod si quis particulam hãc, qui operatur omnia in omnibus generaliter de omnipotẽtia uel, ut sic dicam, omnificentia Dei dictum esse putat, qua omnia in omnibus suis creatis per uniuersam hanc cœli ac terræ machinam, in cœlo uidelicet, angelis, Sole, Luna, stellis, uẽtis, aëre, turbine, pluuia, nubibus, niuibus, grãdine, glacie, frigore, æstu, terra, plantis, arboribus, herbis, agris ac satis, mari trãquillo, mari moto, hominibus, bestijs tam marinis quã terrestribus omnipotentiæ suç uirtutem siue insolitis siue consuetis modis pro uoluntate sua operando declarat, caueat ne quicquam hinc colligat, quod & diuinã maiestatẽ dedeceat, & reliquis sacris scripturis aduersetur, quem admodum solent homines impij, irreligiose huiusmodi sententias diuexantes, Deoq; tribuentes, quod uel Satanæ uel nostræ debetur maliciæ.

Quoniã de donis Dei loquitur Apostolus, quæ dedit & etiamnum dat ecclesiæ suæ tam generalia quàm specialia, potest hçc nobis sententia ad doctrinam facere omniũ utilissimã.

1 Non dicit, qui magna operatur in magnis, ne mediocria in mediocribus ab operationibus Dei excludas & contemnas.

2 Neq; dicit, qui insolita & miranda facit in prophetis & apostolis, ac reliquis miraculorũ patratoribus, ne consueta dona non Deo sed humanis uiribus ac studijs tribuas.

3 Neq; dicit: qui multa facit in multis, ne nõ omnia bona ad Deũ referas, sed: Qui omnia, inquit, operatur in omnibus. Ergo si quid uideris in fratribus, quod sit bonum & utile, agnosce opus Dei, siue magnũ hoc sit siue modicum, siue rarum siue usitatum, siue studio & exercitio acquisitum, siue naturaliter inditũ, siue singulari spiritus sancti afflatu cõcessum. Nec discerne inter personas, sed in omnibus, etiam idiotis & abiectis, agnosce donum operantis omnia in omnibus Dei. Qui auro colligendo student, haud discernũt inter fodinas, & torrentes, & flumina, sed undecunq; offertur agnoscunt & colligunt. Philargyris item haud refert qualis sit, à quo pecuniã accipiũt, doctus ne uel indoctus, superioris ne uel inferioris ordinis homo, sed oblatam cupide accipiunt ab omnibus, & ne minutas quidem portiunculas contemnunt. Sic cõuenit animatos nos esse erga dona Dei, quales quales sint in quibus illa operatur Deus, siue magna sint siue modica, siue consueta siue rara.

VNICVIQVE uero datur manifestatio spiritus ad utilitatẽ.] 5 Quinto monet etiã de ratione ac fine donorum Dei dicẽs: Vnicuique uero datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Græcè, πρὸς τὸ συμφέρον, id est, ad id quod conducit. Quasi dicat. Non ad inanem ostentationem, non ad superbiam & insolentiam, non ad schismata & scindendum ecclesiam. Quoniam illi donis Dei ad ista abutebantur, abusus illorũ uno hoc & altero uerbo notat, dum rationem ac finem eorum ponit. Vide autem quomodo hoc faciat.

Vnicuique datur

1 Primum, non dicit simpliciter. Datur autē, sed, unicuiq; uero datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Potest uocula hæc, unicuique, bifariā accipi. Vel uniuersaliter de omnibus illorum temporum fidelibus, quasi nemo tum ex illis fuerit, qui charismatum spiritus, quorum catalogum subijciet, expers esset, uel de omnibus quibus illa dabantur. Quasi dicat. Cuicunq; uero datur manifestatio spiritus, ad utilitatem datur. Siue hoc siue priori modo dictum est, sensum hunc habere uidetur. Datur uobis manifestatio spiritus ad utilitatem non potioribus tātum, sed & minoribus. Nullum enim tam magnum datur charisma, unde sese iactare ac reliquos fastidire debeant potiores, nec ullum tam modicum datur inferioribus, unde dolendum sit ipsis, quasi rem nullius acceperint momenti. Etenim unicuiq;, quisquis sit, manifestatio spiritus, qualis sit uel quanta, ad utilitatem datur.

Manifestatio spiritus

2 Deinde, cum dicendum esset: Vnicuique dantur charismata, dicit: Vnicuique datur manifestatio spiritus. Loquitur de donis spiritus non internis illis ac principalibus, fide, spe, dilectione, &c. sed secundarijs, in lucē sese exerētibus, & de singulari operatione numinis testantibus, id quod sequenti explicatione declaratur. Et quoniam per illa manifestum reddebat, esse in illis hominibus, per quos ea fiebant, singularem spiritus Dei operationē, ideo uocat ea manifestationē spiritus. Sunt tamen, qui exponāt sensu actiuo, de eo quod spiritus sanctus secreta Dei fidelibus per dona sua reuelat. Verum est, & seipsum spiritus Dei, & fideles, & mysteria regni Dei manifestat, ut à ueritate nihil abludam⁹, siue passiuo siue actiuo sensu exponamus. Chrysostomi sententia citatur ab alijs.

Nos obseruemus, quàm conuenienter detur spiritui Dei manifestatio. Spiritus Satanæ ut tenebrarum est & mendacij, ita est & obscurator quo fallat, & homines in omnis generis errores inducat. Spiritus Dei uero quēadmodum spiritus est ueritatis ac lucis, ita est & manifestator, quo tenebras ignorantiæ dispellat, & homines p cognitionē ueritatis Dei saluet.

Ad utilitatem.

3 Tertio. AD utilitatem inquit.] Non addit, ipsius, sed simpliciter dicit, ad utilitatem. Neq; enim de priuata eorū utilitate loquitur, quibus dona hęc conferebantur, sed magis de ea quæ ex illis ad ædificationem ecclesiæ cedebat. Et huc pulchre facit, quod nō dicit: πρὸς τὸ χρήσιμον, uel χρηστόν, id est, ad id quod utile est, sed, πρὸς τὸ συμφέρον, id est, ad id quod cōfert, qđ conducit. Significat enim συμφέρειν conferre aliquid cum alijs in usus communes quod prosit. Sic χρήσιμον id sonat quod per se utile est habenti, συμφέρον uero quod non habenti tantum sed & alijs conducit. Et hoc genus utilitatis infrà pulcherrima corporis humani similitudine illustrabitur. Ratio igitur & finis istorū charismatū est, ut seruiant usibus ecclesię, ac prosint omnibus, tam non habētibus ipsa quàm

A habentibus. Atq; ita impletur in illis quod dicitur: Omne bonū tanto diuinius quanto cōmunius. Cum ergo non tam sua q̃ fratrum gratia charismata hæc acciperent, quibus ea dabantur, admodum alienum erat ab illorū usu, ratione ac fine, quod illa sibijpsis ueluti propria uindicabant, inaniter ostentabāt, non habentes flocci faciebant, & ecclesiā scindebant.

Nā huic quidem per spiritum datur 1 **sermo sapientiæ, alij uero sermo scientię** 2 **secundum eundem spiritum, alij uero fi-** 3 **des per eundem spiritum, alij uero dona** 4 **sanationum per eundem spiritum, alij** 5 **uero efficaciæ potentiarū, alij uero pro-** 6 **phetia, alij uero discretiones spirituum,** 7 **alij uero genera linguarum, alij uero in-** 8 **terpretatio linguarum. Sed omnia hæc** 9 **efficit unus ille & idem spiritus, diuidēs peculiariter unicuiq; sicuti uult.**

6 Sexto. Declarat quod dixit: Vnicuiq; uero datur manifestatio spiritus, distributionē donorum Dei recensens. Recenset autē non omnia, sed ea tantum quæ nota erant Corinthijs, & quorum illi gratia scindebātur, utpote, sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, fidem, dona sanationum, efficaciam potentiarū, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, & interpretationem linguarum. Per hæc manifestabatur uirtus spiritus Dei, quē

B accipiebant in Christum credentes.

Nam huic quidem, inquit, per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uero sermo scientiæ secundum eundem spiritum. Non dicit: Nam huic quidem datur sapiētia, alij uero scientia, sed, nam huic quidem datur sermo sapientiæ, alij uero, sermo scientię. Loquitur enim de dono sermonis qui talis sit, ut per illum spiritus Dei, spiritus sapientiæ & scientiæ manifestetur. Sapientia & sciētia, nisi sermone & factis exprimantur, manifestatio spiritus uocari nō possunt. At in eo est Apostolus, ut distributione hac declaret, quomodo unicuiq; detur manifestatio spiritus idq; ad utilitatem ecclesiæ. Quare non simpliciter dicit: Nam huic quidē datur sapiētia, alij uero scientia, sed: Nam huic quidem datur sermo sapiētiæ, alij uero sermo scientiæ. Inuenias sapientem & scientem, qui tamen dono sermonis destitutus nesciat proferre in lucem quæ sapit & cognouit. De hoc dici non potest, quod per dona sapiētiæ & sciētiæ manifestationem spiritus acceperit. Quare admodum inconsulto fieri uidemus, ut pręficiantur ecclesijs homines, qui licet alius eruditionis, alius probitatis nomine commendari queant, sermonis tamē dono ad munus docendi necessario, destituuntur. Nec consulitur ecclesijs, ubi loquaculi ac dicaculi nulla sapientia ac scientia prædit pastoratus munere funguntur, quibus multa quidem est uerborum facultas nihil uero sapientiæ ac scientię. Quare spiritus sanctus hæc sua dona sic dispensat, ut sa-

ut sapientiam ac sermonis facultatem coniun A gat, quo prosit ecclesiæ. Dat enim illa ad utilitatem. Non dicit simpliciter, nam huic datur sermo, sed addit, sapiētiæ, & sciētiæ. Sic Christus Lucę 21. dicit. Ego dabo uobis os & sapiētiam. Est quidem sermonis facultas donum Dei humano generi peculiariter cōcessum, uerum naturale, & studio humano excultum, ac sęculare, nisi singulari operatiōe spiritus ecclesiastici ac religiosi sermonis donum accesserit.

NAM huic quidem datur sermo sapientiæ inquit.] Supra cap. 2. negauit se loqui uerbis sapientiæ, dicens. Et ego cum uenirem ad uos fratres non ueniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Dei. Ergo ne Apostolus dono sermonis sapientiæ destituebatur, quod per spiritū Dei fidelibus ad utilitatem ecclesiæ dabatur? Nequaquam. Ponit eo loco duplicem sapiētiam, humanam & huius sæculi unam, diuinam ac cœlestem alteram. Humanam & sęcularem sibi non uindicat, uindicat uero diuinam ac cœlestem, cum dicit: Et sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in manifestatione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Porro sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non sæculi huius, neque principum sæculi huius qui abolentur, sed loquimur sapientiā Dei in mysterio, quę est recondita, &c. De hac sapiētia intelligit, cum hic dicit: Nam huic datur sermo sapientiæ.

PER spiritum dicit.] Dixit Deum operari omnia in omnibus. Operatur omnia per spiritum suum in cordibus credentium. Non est autem ut quoniam hic dicit: Nam huic datur per spiritum sermo sapientiæ, spiritum sanctū quasi organū Dei esse intelligamus, per quod operetur, quodque non eiusdem sit cum ipso ac uerbo eius diuinitatis. Etenim uocula hæc, per, utrique & Deo patri ac uerbo eius datur. De Deo patre Rom 11. per illum, inquit, sunt omnia. De Christo suprà 8. per quem omnia, inquit, & nos per ipsum, & Ebr. 1. per quem fecit & sæcula. Cum Deus aliquid operatur per uerbum ac spiritū suū, operatur per seipsum.

ALII uero, inquit, sermo scientiæ.] Apparet hic separari scientiam à sapientia, quasi ab illa diuersam, cum distinctim loquitur Apostolus dicēs, alij datur sermo sapientię alij sermo scientiæ. Quæritur ergo quo sensu à se inuicem distinguantur. Fere in hoc concordant, quod scientia minor sit, sapiētia maior, quodque inuenias scientē qui tamen non sit sapiēs, sapientem uero qui non sit sciens haud ita. Sane Iob 28. pro eodem ponūtur, ubi sic legimus הן יראת אדני היא חכמה וסור מרע בינה licet Augustinus distinguat. Vbi tamen inspicio scripta huius Apostoli, inuenio illū duas hasce uoces sapientiam & scientiam, aliquando eodem, nonnunquam discreto ponere sensu. Eodem, ut Rom. 11. cum dicit: O profunditatem A diuitiarū, & sapientiæ & scientiæ Dei. Et Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ Dei. Eph. 1. coniungit sapientiam & prudentiam, id est, φρόνησιν. Et Col. 1. σοφίαν καὶ σύνεσιν πνευματικὴν, id est, sapientiam & intelligentiam spiritualem, & refert ad sapiētiam & intelligentiam crucis Christi. Discreto uero, hoc præsenti loco. Omnino uocē sapiētiæ Eph. 5. refert ad cognitionem mysterij Christi, quēadmodum & Coloss. 1. Ab hac licet distinguere scientiam hoc pacto, ut referamus eam ad uariarum rerum spiritualiū cognitionē, qualis ea est, de qua suprà cap. 8. dixit: Cęterum de ijs quæ simulacris immolātur, scimus, quod omnes scientiam habemus, scientia inflat, charitas uero ædificat. Item, scimus, nihil esse eidolum in mundo, & quod nullus sit Deus alius nisi unus. Sic inuenias qui sciant unū esse Deū, sanctę Triadis tamen mysterium nesciant, qui sciunt Christum esse crucifixum, mysteriū crucis tamen ignorent. Scientiam illi habent, sapientiam uero Dei non habent, quę intelligētia est mysterij Christi ab æterno absconditi. Hanc tamē duarum istarū uocum discretionē uideo haud cōstanter seruari ab Apostolo. Nā Phil. 3. scientiam Iesu Christi uocat, quod aliàs uocat sapientiam quemadmodum in uocibus fieri solet, quæ sensu nonnihil habent affinitatis. De discrimine sapientiæ, intelligentiæ, ac scientiæ nonnulla diximus in Comment. nostris super Esaiam cap. 11. Non placet quod Lyranus B sic diuidit, ut sapientia sit diuinarum, scientia humanarum rerum. Augustinum sequutus uidetur, cuius sentētiā uide, de Trinit. lib. 12. cap. 14. & 15.

SECVNDVM eundē spiritū inquit.] Græcè est, κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα. Quoniam uoculam, κατὰ, nonnunquam à Græcis pro διὰ, id est, per, poni cōstat, meo iudicio, poterat hic uerti, per eundem spiritum, ne rudis lector in uoce, secundum, hæsitet. Quoniam uero omnes communiter reddunt, secundum eundem spiritū, uisum est eam uersionem retinere. Subintelligendum autem est aliquid, utpote, donum, secundum donum eiusdem spiritus. Cum dicimus: Euangelium secundum Matthæum, intelligimus Euangelium quod secundum historiam à Matthæo scriptam habemus. Sic datur nonnullis sermo scientiæ secundum eundem spiritum, id est, secundum donum ac gratiam eiusdem spiritus.

ALII uero fides, inquit, per eundē spiritū.] Non loquitur de fide iustificante, quæ cōmunis est fidelibus omnibus, sine qua Deo placere saluariq; non possumus, sed de fide signorū ac miraculorū, quod & Cbrysost & Hiero. agnoscunt, q̈uis Ambros. aliud sentit. Germanus interpres hoc scholion adiecit: *Glauben beweysen / die in offentlich bekennen / mitt worten vnd mitt wercken / wie die marterer.* Sequutus est Ambrosium. Ipsa distributio charismatum istorū ferre non potest, ut de fide iustificante intelligamus. Spiritus Dei in ecclesia electorum nō

dat alij fidem in Christum, alij spem, alij charitatem, sed dat omnibus ut credant in Christũ, sperent & expectent futurã uitam, ac diligant fratres. Licet ista det cum mẽsura, alij plus alij minus, dat tamen quantum necesse est singulis. At hanc fidem, quę hic inter charismata ponitur, non dat omnibus, sed quibusdã tãtum. Neq; enim ad salutem sic est necessaria, ut qui eam non habet, saluari nequeat. De hac fide, si cui lubet, Cõmẽt. nostros in Mat. uideat ca. 17.

ALII uero dona sanationũ, inquit, per eundem spiritum.] Loquitur de miraculosa curatione morborũ, quam in se credẽtibus Christus promisit Marci ult. dicens signa autẽ eos qui in me credent, hæc sequentur, &c. super ęgros manus imponent, & bene habebunt. Per hanc Apostoli plurimum ad propagandum fidem nominis Christi profecerunt, quod uidere est in historia claudi illius, quem Petrus ante fores templi sedentem in pedes suos erexit ac sanitati restituit. Act. 3. Quoniam autẽ multa sunt morborum genera, pluraliter loquitur dicens: Alij uero dona sanationum. Compræhendit enim curationes non modo lecto decumbentium paralyticorum & febricitantiũ, sed & cæcorum, surdorum, mutorum, claudorum, &c. usus istorum charismatũ eos potissimum concernebat, qui ad fidem Christi nondum accesserant, quo & potentiã Dei per miraculosam operationem, & beneficentiam diuinam in curatione suijpsorum agnoscentes ad credendũ Euangelio permouerẽtur, cuius cõfirmandi gratia signa huiusmodi ędebãtur.

ALII uero efficaciæ potentiarum inquit.] Vulgata habet, alij operatio uirtutum. Græcè est pluraliter ἐνεργήματα, id est, operationes. Et quoniam non habetur ἀρετῶν sed δυνάμεων, uertit Erasmus non uirtutum sed potẽtiarum, ne quis imperitus de uirtutibus philosophicis intelligat. Euangelicæ literę signa quæ Christus faciebat sanando ægrotos ac male habentes, expellendo dæmones, mortuos excitando, cęcos illuminando, &c. communi uocabulo δυνάμεις, id est, potentias ac uirtutes uocant. Quare laboratur à nõnullis, quomodo Apostolus hoc loco ἐνεργήματα δυνάμεων separet à donis sanationum, & ex genere speciẽ faciat. Alij exponunt de expulsionibus dæmonum, & excitatione mortuorum, quod ad hoc genus miraculosæ operationis plusculum requiratur, puto, singularis potentiæ, qua & dæmonum & mortis uires reprimantur. Sic exponit Hiero. dicẽs: Opus uirtutis est, dæmonia eijcere, uel, mortuos suscitare. Et Ambro. eiectionem dęmonum intelligit, cui tamẽ addit facultatem signa faciendi, atq; ita speciem ad genus reducit. Chrysost. & Theophylactus referũt ad potentiam puniendi peccantes, quemadmodũ Petrus Ananiam ac Sapphiram neci dedit & Paulus Elymã Magũ excæcauit. Lyranus exponit de signis, quæ nihil aliud faciunt quàm quod diuinam potentiam ostendunt, ut si Sol in cœlo sistatur, uel tale aliquid fiat. Et forsan

A hunc imitatus est Germanicus interpres, qui particulam hanc sic uertit, *eynem anderen wunder zuo thuon*, id est, miracula faciendi. Sane, ut quid mihi uideatur dicam, apparet Apostolum hac distinctione sanationum & potentiarum omnia signa mirabilium operum complecti uoluisse, quæ spiritus Dei per fideles tum operabatur, sic ut sanationes ad morbidorum restitutionem, potentias uero ad reliqua signa referat quibus uel mortui excitabantur, uel dęmonia fugabantur, uel alia eiusmodi fiebãt. Hinc tamen non sequitur, uocem δύναμιν perpetuo esse ad has signorum species referendam, cum ut suprà dixi, frequenter in genere omnibus signis, quæ à Christo fiebant, accommodetur, quale est illud Lucę 6. Et δύναμις de illo exibat & sanabat omnes.

ALII uero prophetia inquit.] Prophetiam cap. præcedenti diximus in ecclesia fuisse duplicem, unam generaliorem, qua pleriq; docẽdo prædicabant in cœtu fidelium, alteram specialiorem, qua pauci aliquot futura uaticinando prædicebant ecclesijs. De hoc charismate capite quartodecimo plura uidebimus, quare non est, ut hic plura de illo dicamus.

ALII uero discretiones spirituũ inquit.] Discernere spiritus, est homines spiritum uel reuelationẽ singularem profitentes dijudicare, acceptandi ne sint uel fugiendi. Et intelligendum est hoc donum de non generali quæ omnibus fidelibus Matthæi 7. proponitur: Sed

B speciali ac miraculosa prudentia per spiritum Dei accepta, qua Apostoli Satanæ in Apostolos Christi conuersi dinoscuntur, & à ueris separantur. Sic spiritum Simonis Magi cognoscebat Petrus, & reprobabat, & spiritũ puellę, quæ Philippis post apostolos ac discipulos Christi multis diebus clamabat: Isti homines sunt serui Dei excelsi, qui annunciant uobis uiam salutis, Paulus cognoscebat & expellebat. Donum hoc uehementer erat ecclesię necessarium, ad cognoscendum Satanam in angelum lucis transformatum, non modo apostolorum sed & emergentis Antichristi temporibus, cuius signa & prodigia haudquaquã inualuissent, nisi charisma hoc discernendorũ spirituum propter peccata nostra fuisset è medio sublatum.

Act. 8. 16.

ALII uero genera linguarum, inquit, alij uero interpretatio linguarũ.] De linguis & interpretatiõe linguarũ fusius dicturus est infrà ca. 14. Donũ linguarũ mox initio in apostolos post Christi ascensionem per spiritũ Dei infusum est, cum essent ad Apostolatum per totũ orbem inter omnes gentes obeundũ instruẽdi. Postea uero in credentes quoq; transfundi cœpit, secundum illud Christi Marci ult. Signa eos qui in me credent hæc sequentur. Per nomen meũ dæmonia eijcient, linguis loquẽtur nouis, &c. Et hoc genere charismatis Corinthij admodũ insolescebant, ut infrà dicto iam capite patebit. Interpretationẽ uero linguarum eam fuisse intelligo, qua quidã nõ modo

uarijs

uarijs linguis loquentes intelligebant, sed & ad utilitatẽ ecclesiæ quæ per illos dicebantur exponebant ac declarabãt. Et donum hoc sic est necessarium, ut nolit Apostolus sine illo linguis quicquam dici in ecclesia.

SED omnia hæc, inquit, efficit unus ille & idem spiritus.] Suprà dixit: Idẽ est Deus, qui efficit omnia in omnibus. Hic eorundẽ operationem tribuit spiritui. Deinde postq̃ aliquoties dixit per spiritum dari hæc charismata, iã dicit illũ hæc omnia efficere. Sic idẽ illi quod Deo datur opus. Tertio, quod suprà dixit: qui operatur omnia in omnibus, hic dicit cũ specificatione, sed omnia hæc efficit spiritus, unde admonemur illud suprà quoq; de donis istis esse intelligendum. Quarto, non simpliciter dicit: Sed omnia hęc efficit spiritus, sed unus ille & idem spiritus, quemadmodum & illud, per eũdem spiritum, iam aliquoties inculcauit, & quod suprà dixit: Diuisiões uero donorũ sunt, sed idẽ spiritus, etiã atq; etiã consyderãdũ esse monuit, quo studia sectarũ in ecclesia Corinthiorũ extingueret, & cõcordiã redaccẽderet.

DIVIDENS, inquit, peculiariter unicuiq; sicut uult.] De diuisione diximus suprà. Diuidens unicuiq;, inquit, peculiariter. Græcè est ἰδίᾳ, quod uerti potest, separata, propria, peculiaria, uel aduerbialiter, separatim, proprie, peculiariter. Quod toties uocibus istis ἑτέρῳ & ἄλλῳ expressit, id hac quoq; uocula inculcat, uidelicet, sic diuidi charismata ista inter fideles, ut alij aliud quasi peculiare ac separatũ detur, quod cæteris non detur. Hinc tamen non est colligendum, apostolis quoq; non nisi unũ & alterum donorũ istorum fuisse cõcessum. Quo magis erat illis laborandũ in opere Apostolatus, hoc pluribꝰ donis spiritus opus habebãt.

Illud, sicuti uult, tria complectitur, ad liberã hanc diuisionem charismatũ spiritus pertinẽtia. Primum, cui, secũdum, quod nam donum, tertium, quantum, uel, cum qua mensura. Diuidit spiritus dona sua libera dispẽsatione, pro sua uolũtate, neq; ꝓmiscue omnibꝰ, sed quibꝰ ipse uoluerit, neq; singulis idem, sed alij aliud, sicuti uult, neq; eadem singulis mẽsura, sed alij plus alij minus, sicuti uult. Hæc tria una est uocula, ὡς, complexus Apostolus. Si dixeris, quare alijs diuidat, alijs non diuidat, quare aliud alij, & quare alij plus & alij minus, in prõptu respondetur: Diuidit libere & gratuito sua dona, non aliena, sicuti uult, ad proprij non ad alieni arbitrij sententiam. Consimili modo & Ebr. 2. legimus. Quæ salus cum primum enarrari cœpisset per ipsum dominũ, ab ijs qui audierant, in nos confirmata fuit, attestante Deo & signis & prodigijs simul, uarijsq; potentijs & spiritussancti distributionibus, iuxta ipsius uoluntatem. Sic aufert omnem contentionis occasionem, quæ propter donorũ istorũ diuisionem inter Corinthios orta fuerat, ne quisq̃ in posterum queritetur, quare nõ eodem cum alijs dono præditus sit, uel quare non tantum acceperit, quantum alius. Sic est, inquit, uoluntas spiritus. Qui libere nemini debens donat, ut uult donat, nec est ob hanc diuisionis suæ libertatem à quoq̃ in ius uocandus. Obiter etiam obserua diuinitatis argumentũ in eo qđ spiritui dat Apostolus operationem in electis pro ipsius uoluntate liberam, quæ nulli potest competere creaturę. Verum de diuinitate spiritussancti uide quæ Petrus Martyr hoc loco diligenter congessit.

Quemadmodũ enim corpus, unũ est & mẽbra habet multa, omnia uero mẽbra corporis unius multa cum sint, unũ sunt corpus, sic & Christus. Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, siue Iudęi siue Gręci siue serui siue liberi, & omnes unũ spiritum hausimus.

Similitudine declarat, qđ de diuisione uariorum charismatũ & unitate diuidẽtis ea spiritus dixit: Adducit autẽ similitudinẽ omniũ notissimã, qua gratiæ conditionẽ ex ipsa naturæ constitutione, eaq; nõ ex rebus abstrusis sed ex nobis ipsis desumpta, declarat. Non inducit interni nostri hominis cum uarijs suis affectibus, sed externi, corporis uidelicet, qualitatem ac constitutionẽ, quã nemo mortaliũ, nisi mente motus, ignorare potest. Queadmodum enim corpus, inquit, sic & Christus, intellige, comparatus est. Corpus quomodo? Multa sunt in humano corpore, ad cõstitutionem illius pertinentia, utpote, quod compositũ est ex carne & spiritu, quod caro est è carne, spiritus de cœlo, caro alterius naturæ q̃ spiritus, caro non uiuificat sed spiritu uiuificatur, caro opus habet alimentis ac fomentis & quæ alia sunt huiusmodi. Nihil horum adducit, quia ad propositũ non faciebant, sed adducit hęc duo quod corpus uidelicet unum est in se, & quod multa habet ac uaria membra quibus cõstat. Hæc enim pulchre faciunt ad declarationem causæ in qua uersatur. Ad Rom. cap. 12. eodem est corporis humani simili ad idem propositũ usus, ubi tria de illo ponit. Primũ, quod sit unum, secũdum, quod habeat multa membra, tertium, quod non habeant eundẽ omnia mẽbra actum in corpore, ubi pleraque huc pertinentia diximus.

QVEMADMODVM enim, corpus inquit.] Simpliciter quidem dicit, quemadmodũ corpus, sic & Christus, uerum ex tributis patet, & sequẽti declaratione, loqui ipsum neq; de corpore quod una specie continetur, quale est lapis & lignum, &c. neq; de eo quod constat ἐκ διεστώτων, id est, discretis & distãtibus, uni nomini subiectis, quale est, exercitꝰ, ciuitas, classis, neq; de eo quod est ἐκ συναπτομένων, id est, ex cõiunctis pluribus & inter se cohærẽtibus, ut est domus, nauis, &c. sed de eo quod uocant ἡνωμένον καὶ συμφυές, id est, unitum & congenitũ quale est corpus animale, siue hominũ siue bestiarum, quod est & animatũ & ex multis diuersisq;

ſisq; membris compoſitum. Quod autem de humano non beſtiali corpore loquatur, infrà patet, ubi dicit: & quæ putamus minus honeſta eſſe corporis his honorem uberiorem apponimus, & indecora noſtri copioſiorem honorem habent. Cæterum quæ decora ſunt noſtri non indigent, &c.

QVEMADMODVM enim, inquit, corpus unum eſt, & membra habet multa.] Quoniã ſectarij in eccleſia Corinthiorum multitudinem fidelium, unde unitas eccleſię conſtabat, propter uarietatem chariſmatum ſcindebant, quàm id peruerſe faceret, conſyderandũ proponit in unitate corporis, quam membrorum multitudo tam non rumpit, ut magis conſtituat, contra cuius naturam & conſtitutionem enormiter ac pernicioſe faceret, ſi quis ſchiſma aliquod in membra illius induceret.

ET membra, inquit, habet multa.] Numerum membrorum non ponit. Multa eſſe dicit. Satis hoc facit ad propoſitũ. Nec eccleſię mẽbra certo nobis numero conſtant. Phyſici non modo membra ſed & oſſa corporis humani numerant, quorum alij 248. alij, 276. ponunt. Aliud eſt illorum, aliud Apoſtoli propoſitum.

OMNIA uero mẽbra corporis unius, inquit, multa cum ſint, unum ſunt corpus. Hoc eſt quod inculcat. Vnitatem corporis in multitudine eſſe membrorum ſpectandam. Obſerua uero quomodo loquatur. Dixit unũ eſſe corpus & membra habere multa. Videtur uiciſſim dicendum fuiſſe, omnia uero membra corporis unius multa cum ſint, unum habent corpus. Verũ maluit dicere, multa cum ſint, unũ ſunt corpus, quàm unũ habent corpus. Aliud eſt eſſe unum corpus, & aliud habere unũ corpus. De quouis membro ſingulariter quidem prædicari poteſt, quod unum habeat corpus, uniusq; ſit corporis membrum, quod uero unum ſit corpus nõ ita. Vbi diuiſio eſt & ſchiſma in corpore, ſic ut membra diuidantur à mẽbris, etiãſi pars maior à minore ſeparet̃, haud tamẽ prædicari de illa poteſt quod ſit corpus. Et ſi poſſit hoc aliqua ratione, haud tamen poterit de membris illis prędicari quod ſint unũ corpus. Vnum eſſe corpus non poteſt prædicari niſi de omnibus membris unum corpus conſtituentibus. Vigilanter itaq; & pertinenter ad propoſitum non dicit, multa uero, ſed: Omnia uero membra corporis unius, multa cum ſint, unum ſunt corpus. Sic excluſit diuiſionem membrorum, & corporis unitatẽ ſtatuit in ſocietate infracta membrorum omniũ ad corpus pertinentium.

SIC & Chriſtus, inquit.] Applicat ſimilitudinem ad propoſitum. Corpori humano confert eccleſiam Chriſti, & dicit: Sic & Chriſtus. Non loquitur de perſona Chriſti, quatenus eſt caput corporis ſui, eccleſiæ uidelicet, ſed quatenus eſt integrum corpus, capite conſtans & membris. Si conſyderes Chriſtũ ſeorſum, non eſt corpus ſed caput corporis. Si uero coniunctim cum fidelibus ipſius, non eſt caput tantũ

A ſed corpus, quemadmodum hominis corpus plerunq; ſic appellamus, ut caput unà cũ reliquis membris compræhendamus. Si diuidas hominẽ in corpus & ſpiritum, utiq; dictione corporis non mẽbra tantum ſed & caput unà cum reliquis membris intelliges. Si de truncato loquens caput à corpore auulſum dicas, dictione corporis intelliges mẽbra corporis capiti ſubiecta. Sic utroq; modo de eccleſia Chriſti loquitur Apoſtolica ſcriptura. Col. 1. uocat̃ Chriſtus corporis eccleſiæ caput. Hic comparatur corpori integro, in quo & caput eſt & membra capiti ſubiecta. Cum ergo dicit Apoſtolus: quemadmodum corpus unũ eſt & mẽbra habet multa, omnia uero membra corporis unius multa cum ſint, unũ ſunt corpus, ſic & Chriſtus, quid aliud dicit, quàm Chriſtũ ſic eſſe cõparatũ, ut ſit inſtar corporis, quod multa habeat membra, & multitudine membrorum capiti coniunctorum conſtet?

Ergo cum Corinthij corpus eccleſiæ diuiderent, Chriſtũ diuidebant, quod illis cap. 1. obiecit dicens: Num diuiſus eſt Chriſtus? Sic Chriſtum contemnit, qui eccleſiam illius contẽnit, & Chriſtum perſequitur, qui mẽbra illius perſequit̃. Vnde & Saulo perſequutori dicebat: Saule Saule quid me perſequeris? Si Chriſtus uſq; adeo eſt eccleſiæ ſuæ coniunctus, ut unũ cũ illa ſit corpus, & Romanus pontifex caput eſt huius eccleſię, ergo caput eſt Chriſti. Si hoc uel cogitare abſurdum eſt conſequitur uel nõ B eſſe illum caput ueræ eccleſię Chriſti, ſed falſæ ac defectricis, uel ueram eccleſiam amiſiſſe uerũ corporis ſui caput, & accepiſſe adulterinũ, uel factam eſſe bicipitem, ſic ut caput habeat unum in cœlis & alterum in terris. Si hæc ſine impietate de corpore eccleſiæ Chriſti ſentiri nõ poſſunt, reliquum eſt, Antichriſtianũ prorſus eſſe figmentum, quod Romanum pontificem eccleſiæ Chriſti caput eſſe contendunt.

ETENIM per unum ſpiritum, inquit, nos omnes in unũ corpus baptizati ſumus.] Exponit applicationẽ, qua dixit: Sic & Chriſtus, ne prœmiſſa ſimilitudo de unitate corporis humani & membrorũ multitudine de perſona Chriſti tãtum intelligatur. Sic & Chriſtus, inquit, quamuis multa habeat membra, unũ tamen corpus exiſtit. Etenim nos omnes ſiue Iudæi ſiue Græci, &c. in unum corpus per unũ ſpiritum baptizati ſumus. Sed dices, quomodo hæc ratio præcedenti conuenit? Vnũ corpus, inquit, multa mẽbra habet, & omnia mẽbra quamuis multa ſint unum tamen corpus exiſtunt. Si hic ſubieciſſet: Sic & nos, recte rationem hanc appoſuiſſet dicens: Etenim nos omnes in unum corpus baptizati ſumus. Verum cum applicando dixerit: Sic & Chriſtus, quomodo Chriſtum probat unum eſſe multorum membrorum corpus, ex eo quod nos omnes in unũ ſumus corpus baptizati? Si de unitate Iſraëlitarum argumentando diceret: Quemadmodũ corpus unum eſt & multa habet membra, omnia uero membra multa cum ſint,

sint,unum sunt corpus, sic & Moses. Etenim Israëlitæ omnes in unũ corpus circũcisi sunt, staret ne argumentatio? Respondeo,non staret. Quia Israëlitæ neq; sunt in Mosen carne, neq; per illius spiritum in cordibus circũcisi. Credentes uero in Christum quoniam & sacramento in illum obsignantur,& in illius spiritu baptizantur & regenerantur, recte unum cum illo corpus esse dicuntur, cui & sacramento & spiritu & fidei professione iunguntur. Quare quod hic Apostolus Christum unũ nobiscum esse corpus probaturus dicit: Etenim nos omnes per unum spiritum in unum corpus baptizati, & in unum spiritum potati sumus nõ est de alio quàm ipsius Christi spiritu intelligendum, per quem & in quo in unum cum illo corpus cooptamur.Hac cõiunctione fit Christus unum corpus constans ex multis membris, quod nec de Mose, nec de ullo uel prophetarum uel Apostolorum dici potest.

ETENIM per unum spiritum, inquit, nos omnes in unum corpus baptizati sumus.] In Græco est ἐν ἑνὶ πνεύματι, id est, in uno spiritu, quemadmodum & uulgata uersio habet. Nescio probandum ne sit quod Erasmus uertit, per unum spiritum. Mihi uidetur Apostolicã phrasim haud esse temere mutandã. Existimo Apostolũ hic non dicere per quem, sed in quo baptizentur, & in quem potetur electi ac uiri fideles. Etenim,inquit,in uno spiritu baptizati sumus in unum corpus. Loquitur quidẽ de baptismate,quo erãt baptizati Corinthij (nõ enim dicit,baptizamur, sed,baptizati sumus) Verum non dicit:in una aqua,sed, in uno spiritu baptizati sumus,ut significet se loqui de integro baptismi sacramento, in quo non aqua tantum sed & spiritu Christi baptizantur ueri fideles, per quem haud sacramentaliter tantũ sed & ueraciter in corpus illius inseruntur. Et ne propositi sui obliuiscatur, non dicit simpliciter:Etenim baptizati sumus in illum,sed:Etenim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati, & in unnm spiritum potati sumus.Quasi dicat.Quomodo scindimini in partes diuersas,& alij alios abijcitis? Si Christi estis,unum corpus & unus cum illo spiritus sitis necesse est. Vel baptisma uestrum inspicite. In illo non estis diuerso sed eodem spiritu nõ in sectas sed in unũ corpus baptizati,& in spiritũ non aliũ atq; alium sed eundem potati.

VNDE ergo sunt in uobis schismata?] Perinde est ac si ad redarguendum & tollendum dissidia fraterna dicat fratribus frater: Ex eodem sanguine in eandem sumus carnem nati & eodem lacte potati, quare nullo modo conuenit,ut dissidijs & odijs mutuis scindamur. Quemadmodum eiusdem sanguinis & lactis & carnis argumento recte admonẽtur fratres ut abiectis odijs & dissidijs ad philadelphiam conuertantur,ita Apostolus argumento eiusdẽ spiritus & corporis spirituales in Christo fratres reuocat à sectis ad unitatem ecclesiæ & ueram concordiam seruandam.

A Illud,quod non dicit,in uno spiritu uos omnes,sed,nos omnes,in unum corpus baptizati sumus, obseruauit Chrysostomus diligens Apostolicæ doctrinæ lector. Singulari studio solet Apostolus in ijs se, quæ communem gratiam,& adhortationem quoque concernunt, coniungere fidelibus,etiam illis, quorum delicta repræhendit.Sic hoc loco cõiungit se Corinthijs in communicatione eiusdem spiritus ac sacramenti, quo se alienum ab illis esse declaret, qui propter baptismatis sacramentum unitatem ecclesiæ usque adeo scindebant, ut gratias ageret Deo quod non multos Corinthi baptizasset, ne quis diceret quod in ipsius esset nomine baptizatus. Nos omnes, inquit, baptizati sumus in uno spiritu in unum corpus,tã ego uester Apostolus,quàm uos. Quid ergo faciunt baptizatores illi, qui studio baptizandi non Christo sed sibijpsis discipulos colligunt?

NOS omnes,inquit,siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi.] Omnem differentiam à catholica totius ecclesiæ communione excludit.Huc facit primum, quod non simpliciter dicit, in uno spiritu baptizati nos sumus, sed: In uno spiritu nos omnes baptizati sumus. Deinde, quod uniuersitatis nota haud contentus specificationem quoque diuersarũ cum nationum tum conditionum subijcit dicens,siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi. Duabus nationibus complectitur omnes

B reliquas,cum dicit,siue Indæi siue Græci, duabus quoque conditionibus omnes diuersorũ statuum ordines comprӕhendit dicens, siue serui siue liberi. Accommodat autem se dissidijs quæ tum in ecclesia uigebant.Primum enim quasi irreconciliabilis disceptatio erat inter Iudæos & Grecos,id est,ethnicos. Deinde cœperat diuitũ ac liberorum prærogatiua maior haberi in ecclesia quàm pauperum ac seruorum. Vt hæc igitur discrimina nihil debere loci habere in ecclesia moneat, specificationẽ hanc Iudæorum ac Græcorum, seruorumque ac liberorum expressit.Magna sane diuinę bonitatis dignatione eodem spiritu baptizatur ethnicus quo Iudæus, eodẽ seruus quo liber, paup quo diues. Putidissima est humani cordis superbia, qua homo propter uel nationis, uel fortunę,uel cõditionis qualẽcunq; diuersitatẽ fastidit hominẽ quẽ nõ fastidit Deus,idq; in causa non propria sed ipsius Dei. Non discernit Deus inter Iudæum & Græcum, seruũ ac liberum, & homo corruptibilis puluis discernit in causa religionis gentem à gente, seruum à libero,pauperem à diuite,idiotam à docto, atque ita quos diuina dignatio in eadem uoluit esse gratia æquales & coniunctos pro inæqualibus habet, & disiungit. Non loquor de statibus & ordinibus huius sęculi, quorum diuersitatem nõ tollit regni Christi gratia,sed de superbia qua homo hominem in religione propter externæ fortunæ humilitatẽ non habet eo loco, quo dignata est illũ D.maiestas.

ET omnes, inquit, unum ſpiritum hauſim⁹.] In Gręco eſt, κὴ πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν, id eſt, & omnes in unum ſpiritum potati ſumus. Vulgata uerſio habet, & omnes eodem ſpiritu potati ſumus. Referunt hanc particulam ad potum euchariſtiæ, & quærunt, quare non dixerit, & omnes eodem ſanguine, ſed, & omnes eodem ſpiritu potati ſumus, & quare potus tantum & non cibi quoq; mentionē fecerit, dicens: & omnes eadem carne paſti ſumus. Meo iudicio nō eſt opus hiſce quæſtionib⁹. Neq; enim de ſacramēto euchariſtiæ loquitur, quo frequenter utebantur, ut non eſſet dicendum, potati ſumus, in præterito, ſed potamur in præſenti, ſi de illo loqui uoluiſſet. Loquitur de gratia ſpiritusſancti, qua in Chriſtū credentes baptizati, hoc eſt, renati, fuerant & potati, & reſpicit ad ſimilitudinem infantis, qui recens natus non cibo, ſed materni lactis potu alitur, atque ita unde natus eſt, inde & nutritur. Sic eodem ſpiritu erant Corinthij fideles potati, quo erant & nati. Idem eos ſpiritus, quo erant in Chriſto renati, donis ſuis ueluti lacte quodam potauerat, quo creſcerēt in fide & confirmarentur. Quod ſi placet metaphora plantationis, ut baptizari in eodem ſpiritu ſit inſtar plantularum in eadem cœleſtis gratiæ area plantari, conueniet uerbū potandi, ſenſu rigandi accipere. Verum infantis ſimilitudo magis arridet. Ad hunc modum exponi poteſt hæc particula, ſi legerimus, & omnes eodem ſpiritu potati ſumus.

Quod ſi ſecundum Græci exemplaris fidem legerimus, & omnes in eundem ſpiritum potati ſumus, diligenter uidendum eſt, qui ſenſus ei lectioni conueniat, hoc eſt, quid ſit fideles Chriſti in eodem ſpiritu baptizari, & in unum ſpiritum potari.

Apoſtolus & miniſter Chriſti, quatenus eſt miniſter non literæ, ſed ſpiritus, gignit, & potat recens genitos. In Chriſto Ieſu, inquit, ego uos genui. Item: Lac uobis potum dedi. Regeneratos hic uocat in uno ſpiritu baptizatos. Illos lacte doctrinę eiuſdem qua geniti fuerant, diligenter ac prudēter potauit. Apollos quoque poſt illius diſceſſum. Hęc duo ſuprà capite tertio per metaphoram plantationis & rigationis expreſſit, dicens: Ego plantaui, Apollo rigauit. Quemadmodum autem baptizati fuerant in unum corpus, ita potauit eos unà cum Apollo in unum ſpiritum. Hæc enim cōditio eſt animati corporis, ut ſpiritum habeat non uarium, ſed unum & eundem. Sic unitati corporis eccleſiaſtici connectit etiam unitatē ſpiritus, quem alijs in locis uocat νοῦν καὶ γνώμην, id eſt mentem & ſententiam, ut ſuprà capite primo dicens, ut ſitis integri eadem mente & ſententia. & Philipp. 1. ſpiritum & animam, ubi dicit: Vt audiam de rebus ueſtris, quod ſtetis in uno ſpiritu, una anima. De hac unitate ſpiritus Eph. 4. ſic dicit: Studentes ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis, unum corpus & unus ſpiritus (poteſt etiam legi in accuſatiuo, unum corpus & unum ſpiritum) quēadmodum & uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ. Hoc itaq; ſenſu potari in unum ſpiritum, eſt unitate doctrinæ regeneratorū mentes in unitatem eiuſdem cordis, animæ, & ſpiritus ali & confirmari. Dico ſimpliciter, quo ſenſu accipienda ſit Græca lectio, aliorum eſto iudicium.

Etenim corpus non eſt unum membrum, ſed multa. Si dicat pes, quia non ſum manus, non ſum de corpore, num idcirco non eſt de corpore? Et ſi dicat auris, quoniam non ſum oculus, nō ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi olfactus? Nunc autē Deus poſuit membra, unumquodq; ipſorum ſingulatim in corpore, quemadmodum uoluit. Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi eſſet corpus? Nunc autē multa quidē membra, unū uero corpus.

Redit ad ſimilitudinē corporis & membrorum, quam applicationis illius parte, ubi commodū uidebat, interrupit, dicens: Sic & Chriſtus: Etenim in uno ſpiritu nos omnes in unū corpus baptizati ſumus, &c. Dixerat, omnia membra corporis cum ſint multa, unū eſſe corpus. Huic ueluti rationē annectit, dicens: Etenim corpus non eſt unum membrū, ſed multa. Ratio ſumpta eſt à conditione corporis. Q. d. Etenim corpus nō ſic eſt comparatū, ut uno membro cōſtet, ſed multis. Multa membra nō multiplicant, ſed cōplent, & conſtituunt unū corpus. Quare? Quia corpus non eſt idē quod membrū, ſed eſt connexio multorū membrorum. Ratio hęc ualet nō in quouis corporū genere, ſed in eo, quod ex multis eſt membris cōpoſitum. Perinde eſt ac ſi dicas, ciuitas non eſt unus ciuis, ſed multi. Dictum hoc locū habet, ubi in ciuitate, populo, uel eccleſia unius hominis exiſtimatio eouſq; inualuit, ut unus omnia eſſe & poſſe uideatur, prę; illo omnes reliqui nihili ducant. Hic cōmode dixeris: Ciuitas, nō eſt unus homo, ſed multi. Sic dicamus & nos: Eccleſia non eſt unus homo, ſed multi, contra eos, qui Rom. pont. omnē eam poteſtatem tribuunt, quæ cōpetit eccleſiæ. Nec dubito quin Apoſtolus quorundam exiſtimationē in eccleſia Corinthiorū hoc ſimili in ordinē redigere, & inferiorū animos, qui reſpectu illorū contēnebant, erigere uoluerit. Ideo & ſubiungit.

SI dicat pes, quia nō ſum manus, non ſum de corpore, num idcirco nō eſt de corpore? Et ſi dicat auris, quia non ſum oculus, nō ſum de corpore, &c.] Succurrit puſillanimitati idiotarū ac rudium qui erant in eccleſia, quos comparat pedibus & auribus. Pedes inferiora ſunt corporis membra, eſtq; illorum officium admodum ſeruile & humile. Aures quoque, etſi ſunt in capite loco ſublimi, ſeruile tamē habēt audien-

audiendi officium. Sic in ecclesia qui sunt inferiores & auditores, quasi pedum & aurium loco habentur. Hi ubi uident operationes potiorum, tam doctorum qui loco sunt oculorum, quàm eorum qui præclara opera, uel miranda facientes, instar manuum sunt in corpore, putant se respectu illorum nō esse eiusdem ecclesiæ consortes, propterea quod non sunt illis æquales. Quod perinde est, ac si dicat pes, quia non sum manus, non sum de corpore, & auris, quia non sum oculus, non sum de corpore. Num idcirco, inquit, non sunt pes & auris de corpore? Quasi dicat. Vtique sunt. Quis adeò desipit, ut sentiat pedes suos & aures nō pertinere ad reliqua corporis sui mēbra, propterea quod non sunt potiora? Hac parabola dilucide absurditatem cogitationis huiusmodi redarguit, potiorum arrogantiam restringit, & utrosq; tam superiores quàm inferiores ad concordiam tanquam unius corporis mēbra reuocat, idque facit absque manifesta cuiusquam repræhensione.

QVIA non sum manus, quia non sum oculus, inquit.] Exprimit uota inferiorū & idiotarum, qui tum erant in ecclesia Corinthiorū. Videbant charismata spiritus in potioribus, quorum alij docebant, alij futura præuidebāt, alij morbos curabant, alij linguis loquebant̄, alij linguas interpretabantur, ac se miseros esse arbitrabantur & contemptos, quod illis nō essent æquales. Optabant igitur illorum esse loco. At hodie longe aliter animata est multitudo auditorum in ecclesia. Paucissimos illorum inuenias, qui sic admirentur superiora doctorum & pastorum officia, ut se cupiant illis esse æquales, imò qui non contemnant eos, à quibus debebant in scientia Dei & uera pietate ædificari. At huius contemptus culpa maiori ex parte ipsis est pastoribus & doctoribus imputanda. Caligant in ecclesia oculi, languēt & contractæ sunt manus, quare non est ut dicat pes, quia non sum manus, & auris, quia nō sum oculus, nō sum de corpore, sed est potius ut cogitent, nisi melius uideant oculi, & efficacius laborent manus, male consultū erit & nobis & reliquis corporis nostri mēbris, orentq; dominum, ut & oculos ecclesię à caligine liberet, & contractas manus efficaces reddat. Hęc sint hodie uota pedum & aurium in corpore ecclesiastico.

NON sum de corpore, inquit, num idcirco non est de corpore?] Obserua quòd non dicit: non sum in corpore, num idcirco nō est in corpore? sed, non sum de corpore, num idcirco nō est de corpore? Aliud est esse in corpore, & aliud esse de corpore. In corpore sunt & ulcera, & tubera, & pustulæ, sed non sunt de corpore, hoc est, ad constitutionem & cōplementum corporis nō pertinent, quia non sunt corporis membra, quemadmodū aliud est esse in ciuitate, & aliud esse de ciuitate. Sic aliud est esse in ecclesia, & aliud esse de ecclesia Christi. In ecclesia Christi sunt & reprobi, de ecclesia

A uero sunt nō reprobi, sed electi ac fideles tantum, qui ad numerū membrorū pertinent, & ueram ecclesiā constituunt. Exierūt ex nobis, inquit Iohannes, quia nō erant ex nobis. Quomodo exierunt ex ecclesia, si nō fuerunt ex ecclesia? fuerant in ecclesia, sed nō erant de ecclesia. Sic & Corinthiacæ ecclesiæ idiotæ & rudes, satis uidebant esse se in ecclesia Christi: uerum quoniam uidebāt se destitutos donis spiritus, insignioribus illis quæ admirabant̄, suspicabantur se non esse de corpore ecclesiæ.

SI totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, inquit, ubi olfactus?] Quoniam inferiores potiorum charismata affectantes, humilis suæ sortis pudebat, ut indicet quanta absurditas, quanta confusio, quantaq; sequeretur totius ecclesiæ pernicies, si quod affectabant, reipsa consequerentur, pergit in parabola membrorum corporis, quorum ea est conditio, ut non multitudine modo, sed & uarietate sua corpus compleant, & constitutionem illius conseruent, & argumentatur ad hūc modum: Si omnibus idē esset spiritus sancti charisma datum, ubi essent reliqua illius dona, sine quibus ecclesia consistere non potest? Perinde esset, ac si totum corpus esset oculus, quare quid corpori posset exitiosius euenire? Destitueretur enim necessarijs officijs pedū, manuum, aurium, oris, &c. essetq; deformis quidam truncus, etsi oculatus, prorsus tamen inutilis. Vel hinc igitur cogitate, quàm sint uota

B uestra noxia & absurda. Omnium ferè mortaliū pectora occupat hic morbus, ut nemo sua sit sorte contentus, sed ad altiora quisq; si non conatibus uotis saltem adspiret. Nemo inferiora, superiora affectant omnes. Stulta hæc & perniciosa uota ecclesias nunquam non turbarunt. Rarissimus omnino est, qui cum Dauide plurimi faciat, quod in domum Dei receptus est, & aliquo saltem loco constitutus, dicatq; ex animo: Elegi ad limē esse in domo Dei mei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Per se tanti non est esse episcopum ac pręsidem, quanti est esse in ecclesia Christi. At ea gratia tam est inferioribus quàm superiorib⁹ concessa. Quemadmodum tanti non est esse oculum, quanti est esse membrum in corpore, ac frui communi corporis uita ac spiritu, id quod tam pedibus quàm oculis contingit. Qui hoc consyderat, tam abest, ut ad sublimiorem aliquem gradum aspirans sortis suæ pertæsus fiat, ut nesciat condignis modis diuinā erga se beneuolentiā in eo deprædicare, quod in aliquam est ab illo sortem in ecclesia ipsius receptus. Quod autem omnes ad sublimiora aspiramus, ex eo est serpentis antiqui ueneno, quod prima nostra parēs in ipso paradiso hausit, cum fore crederet, ut essent sicut dij, scientes bonum & malum, si de pomo uetito ederent. Diuinitas autē quædam esse uidetur, plura scire, pluraque posse quàm sciant & possint alij, & si nō amplius, saltē non minus in precio haberi q̄ habeant̄ alij. Hinc est q̄d in corpore

eccle-

ecclesiæ inferiorum loca non appetunt superiores, superiorum uero appetunt inferiores.

SI totum corpus, inquit, oculus est, ubi auditus? &c.] Secus habet natura diuinitatis, quàm corporis humani constitutio. In corpore humano fieri nõ potest, ut ab uno aliquo mẽbro totũ cõpræhendatur. Et si posset, ut reliqua mẽbra haud excludantur. Etenim si totũ corpus esset oculus, nec auditui in illo, nec gustui, nec olfactui, nec manibus nec pedibus locus esse posset. In diuinitate uero nõ est ut dicas: Si totus Deus bonitas est, ubi iusticia? Si totus iusticia est, ubi sapientia? Si totus sapientia, ubi potentia? Etenim sic est cõparatus, ut totus sit bonitas, totus iusticia, totus sapientia, totus potentia, quàmuis diuersæ sint hæ uirtutes, & à seinuicem discretæ. Luctemur ergo ad eas potius uirtutes, quæ sic sunt cõparatæ, ut nullã nulla ab ecclesia excludat, si hanc totã occupet, quàm ad officia, quorũ nullum totam ecclesiã sic occupat, ut cæteris locũ in illa relinquat. Omnino etiã diuinius est, si uere de ecclesia dici posit, quod tota sit fides, tota sit spes, tota sit charitas &c. Nihil impedit quo minus omnia illius mẽbra prædita sint fide, & tñ simul speret omnia, & diligãt omnia, quæ tñ dona omnia charismata, ministeria, & energemata superant.

NVNC autẽ posuit Deus membra, inquit, unumquodq; ipsorũ in corpore sicut uoluit.] Reddit rationẽ, quare fieri non posit, ut totũ corpus sit unum aliquod membrũ, & si sit, reliquis in illo membris locus esse posit. Nũc autem, inquit, posuit Deus mẽbra in corpore, unũquodq; ipsorũ sicuti uult. Quasi dicat. Non placuit opifici corporũ nostrorũ Deo, ut constet plenitudo corporis uno & eodẽ membro. Voluit esse membra diuersa, singula à singulis secreta, & ut uoluit, sic unumquodq; illorũ posuit. Quare diuinæ illius dispositioni aduersaretur, si omnia corporis membra in idem conuerterentur, & totũ corpus in illo cõplerent. Sic de ecclesiæ quoq; membris cogitandũ, & in huius dispositione omnibus & singulis conquiescendum esse monet. Nam & hic Deus membra posuit, unumquodq; ipsorũ sicut uoluit. Qui pes igitur est in corpore ecclesiæ, cogitet sic uoluisse Deũ, ut sit pes, & ab illo se in corpore ecclesiæ pedis esse loco positum. Et sic consequenter cogitẽt singula membra. Hoc uolẽs, nõ simpliciter dicit: Nunc aũt posita sunt, sed, nũc aũt posuit Deus membra in corpore, & notanter addit, unumquodq; ipsorũ singulatim, ne quis aliunde se quàm ab ipso Deo positũ esse in ecclesia cogitet, nec sic contentus annectit illud, sicuti uoluit, ne quis rationẽ quærat, quare tanta sit in membris ecclesię diuersitas, & nõ potius catholica æqualitas, uel doleat, quod inferiorẽ sit & humiliorẽ locũ sortitus. Quoties admonemur facere Deũ omnia quẽadmodum uult, à curiositate ac temeritate carnis nostræ auocamur, ne operũ illius rationes scrutemur. Homini pio uoluntas Dei summæ est & bonitatis, & iusticiæ, & sapientiæ & potentiæ loco. Non est aũt hic transeundũ, quòd Deum dicit membra ponere in corpore. Licet enim de corpore humano loquitur, sub hac tamen parabola conditionem & constitutionẽ ueræ ecclesiæ Dei ob oculos exponit. Ergo uera membra ecclesiæ ponuntur à Deo, & quæ ab illo posita nõ sunt, inter mẽbra censeri non debent. Sunt enim ψευδομέλη non à Deo, sed à Satana ueris ecclesiæ membris immixta.

QVOD si essent omnia unum membrũ, inquit, ubi corpus?] Rursus colligit quàm sit incõueniens & absurdum, si obtineat æqualitas in ecclesia, quam pleriq; Corinthiorum affectabãt. Suprà dixit: Etenim corpus non est unũ membrum, sed multa. Item: Si totum corpus oculus, ubi auditus? Hic: Quod si essent omnia unum membrũ, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unũ uero corpus. Ergo duo incõuenientia colligit, unum quod membra, alterũ quod corpus concernit. Membra concernit quod dixit: Si totum corpus oculus, ubi auditus? Nam hoc pacto membra corporis tollerentur. Corpus attinet quod hic dicit: Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Sic enim & corpus ipsum aboleretur. Igitur uelut ob oculos exponit quàm sit noxia affectatio æqualitatis, quam appetebant Corinthij. Sic uidelicet, ut & mẽbra & corpus ecclesiæ peritura esset, si obtineret. Quare qui ἀταξίαν in ecclesiam inducunt, quantũ in ipsis est, & mẽbra & corpus illius perdunt. Ea nanq; est constitutio ecclesiæ ac membrorum illius, ut qui membrorum ordinem confundit, confundat & ecclesiam, quantumuis nomen ecclesiæ iactet, & ad cœlos usq; extollat.

NVNC autem multa quidem membra, inquit, unum uero corpus.] Absoluit & concludit sententiam, qua contendit, corpus nõ constare uno membro, sed multis, & eam esse conditionem membrorũ, ut multitudine sua non multa faciãt corpora, sed unum duntaxat. Sic multitudo fidelium non constituit natura sua sectas, sed unam ecclesiam.

Non potest uero oculus dicere manui, non est mihi opus te, aut rursus caput pedibus, non est mihi opus uobis, imò multo potius quę uidetur mẽbra corporis imbecilliora esse necessaria sunt, et quæ putamus minus honesta esse corporis, his honorem uberiorẽ apponimus, & indecora nostri copiosiorem honorẽ habent, decora uero nostri non indigẽt, sed Deus simul tẽperauit corpus, ei cui deerat copiosiorem addẽs honorem, ne sit dissidium in corpore, sed inuicem alia pro alijs eandem solicitudinem gerant membra. Et siue patitur unum membrũ, simul patiuntur omnia membra, siue glorificatur unum membrum, simul gaudẽt omnia membra.

Pergit

Pergit in cœpta corporis parabola. Hactenus de unitate illius, quomodo illa mébrorũ multitudine constat, disseruit, & humilium inferiorumque in ecclesia fidelium animos erexit, iam superiorum arrogantiam aggredit, illosque à contemptu inferiorum ad colendã eiusdem corporis unitatem & concordiã reuocat. Non potest, inquit, oculus dicere manui, non est mihi opus te. Cum inferiores erigeret, & cogitationes illorum exprimere uellet, dixit: Si dicat pes, quia non sum manus, nõ sum de corpore, &c. Hic ubi superiorum arrogantiam restringere, ac cogitationes eorũ exprimere constituit, dicit: Non autem potest oculus dicere manui, non est mihi opus te. Per oculum & caput eos notat, qui id sunt in ecclesia, quod caput & oculi sunt in corpore, doctores uidelicet ac præsides. Habet ecclesia etiãnum capita & oculos, uerum capita partim asinina, partim leonina, & oculos, ad prædã plus quàm Lynceos, ad uidendum quæ recta sunt ac uera ipsis talpis magis cæcos. Per manus hic intellige idiotas & operarios manuarios.

NON potest, inquit, oculus dicere manui.] Oculus membrum illustre, preciosum, summopere toti corpori necessarium, in sublimi quasi specula constitutum est, ut lucem ac rerum omnium discretionem suppeditet. Oculus diuinum membrum, ac speculum naturæ uocat. In oculo habitat hominis animus. Non potest tamen dicere manui, non est mihi opus te. Etiam si linguam haberet oculus, & loqui posset, ueraciter tamen manui dicere non possit, opera tua non indigeo. Aliena est ab hac arrogantia superiorum membrorum natura, ut inferiora cõtemnat. Oculus indesinenter manibus est intentus, & operantibus illis lucẽ fideliter subministrat. Et homo, oculi munus in ecclesia sortitus, inferiora illius membra cõtemnere potest.

Quare autem non potest oculus dicere manui, non est mihi opus te? Quia cessante manu totum corpus periclitatur. Periclitante uero corpore, periclitatur & oculus, ut peculiaria ministeria taceam, quibus manus oculo subseruit. Quod hic accommodatur ecclesiæ, recte accõmodabitur & reipublicæ. In illa quomodo homines ociosi subsisterẽt, si opera manuum, id est, operariorum, tam in agris quàm reliquis necessarijs operantium destituerentur? Et tamen sic insolescunt hic quoque oculi, ut operarios perinde susque deque faciant, ac si nulla illorum opera indigeant. Et esto, nõ sit ociosis illis ecclesiæ oculis opus idiotis & operarijs, quod tamen nunquã ueraciter cogitari, nedum dici potest, conuenit ne eam ob causam, ut eos cõtemnant, quorum opera nõ indigeant? Bonorum meorum non eges, ad Deum canit Psalmista. An ideo contemnitur homo à Deo, quod nulla in re opus illo habet? Nequaquam. Quomodo ergo conuenit homini, ut hominem contemnat, etiam eum, cuius opera non indiget?

A AVT rursus caput, inquit, pedibus, non est mihi opus uobis.] Duo prorsus extrema corporis membra coniungit, caput superne, & pedes inferne, inter quæ minus uidetur esse necessitudinis quàm inter manus & oculos. Et tamen horum quoque consimilem monet, ac talem esse conditionem, ut caput ministerio pedum carere non possit. Hic non est dictio capitis ad Christum referenda, sed pluraliter ad omnes ecclesiæ præsides. De Christo nanque sentire nos haud conuenit, quod opera quorumcunque membrorum suorum egeat. Potest ille ueracissime ad omnes suos fideles dicere, non est mihi opus uobis, uos uero sine me nihil poteritis facere.

Admonentur præsides ecclesię summo gradu constituti, ne non media modò, sed ne infima quidem corporis ecclesiastici membra cõtemnant. Caput summum quidem, pedes uero prorsus infimum locum sortiti sunt. At unde subsisteret reliquo cum corpore caput, nisi pedibus sustentaretur, qui bases sunt ac fundamentum corporis? Vnde facultas esset quouis progrediendi, currẽdi, ascendendi, descendendi, inclinandi, sedendi, accumbendi, surgẽdi, nisi pedum adminiculo hæc omnia fierent? Prorsus inutile esset uniuersum capitis ἡγεμονικὸν, si inferiorum membrorum officijs destitueretur. Quare non potest dicere pedibus, nõ est mihi opus uobis. Cogitent igitur primores cũ in ecclesijs tum in regnis ac rebuspublicis, nõ B posse se sine inferiorum obsequijs ac ministerijs subsistere, etiamsi sint omnium sapientissimi & illustrissimi, esse autem iniquissimum contemnere eos, quorũ opera carere nequeat, cum ne illi quidem contemnendi sint, quorũ nullus usus esse uidetur.

IMO multo potius, inquit, quæ uidentur membra corporis imbecilliora esse necessaria sunt.] Totum quidem corpus humanum imbecille est, membris infirmis constans, sunt tamen illius membra alia alijs imbecilliora, per se firmum nullum, unde recte non dixit, quæ uidentur imbecilla, sed quæ uidentur imbecilliora esse. Imbecillum est, quod facile lædi potest, eò quod minus habeat uirium uel ad resistendum uel ad ferendum. In corpore humano robustiora sunt brachia & crura, quàm oculi, & uenter, quia firmioribus sunt ossibus consolidata, tanquam ad ferendos labores destinata. Oculi uero & uenter, quamuis infirmiora, uehementer tamẽ sunt necessaria membra. Significat non esse in ecclesia, quæ inferiora sunt cõtemnenda à superioribus, quandoquidem nec imbecilliora contemni debeant à robustioribus. Vt enim inferiora superioribus, ita imbecilliora robustioribus admodum esse necessaria. Impiorum ac uiolentorum uox est illud Sap. 2. Quod infirmum est, inutile inuenitur. Infirma erat Apostoli inter Corinthios præsentia, & tamen erat illis uehementer necessaria. Thesaurum uitæ portabant apostoli in uasis fictilibus. At quid potuit illis inueniri pre- 2. Cor. 4.

ri pre-

ri preciosius? Videbantur esse imbecilles iudicio carnis, at erant summopere necessarij. Hoc uolens dicit: quæ uidentur imbecilliora esse. Ambrosius per imbecilliora intelligit subiectos, Chrysostomo idem est imbecille & minus honestum membrum.

ET quæ putamus, inquit, minus honesta esse corporis, his honorem uberiorem apponimus.] Per minus honesta intelligit pudenda. Inhonesta sunt illa non per se, sed nostro iudicio. Nihil enim est inhonesti à Deo creatum. Quare non dicit: Et quæ sunt, sed, & quæ putamus minus esse honesta corporis. Sic de illis sentimus omnes ab eo tempore, quo nuditas corporum nostrorum propter diuini præcepti transgresionem, & innocentiæ amisionem pudori cœpit esse obnoxia. Hæc inhonesta corporis nostri honore uberiore amicim⁹, hoc est, diligentius fouemus & obtegimus. Etiam gentes illæ quæ nudis incedunt corporibus, sic sunt animatę, ut pudenda perizomate cingant & ornent.

ET indecora nostri, inquit, copiosiorem honoré habent.] Eadem puto intelligit ἀσχήμονα quæ ἀτιμότερα, uel est posterius hoc ad posteriorem corporis nostri partem referendum, qua excrementa illius eijcimus. Quod ecclesię mébra concernit, putat Ambrosius intelligendos esse eos fratres, qui egestate ac nuditate sua despicabiles incedunt. Puto referri posse ad eos, qui officia minus honesta, siue in ecclesia, siue in republica obeunt. Hos monet Apostolus tam non esse contemnendos ut magis sint diligenter fouendi & decorandi, ne qua fiat ut commune corpus ecclesiæ si negligantur, dehonestent. Non permittimus illis qui uagam libidinem sub prætextu cœlibatus sectantur, ut per minus honesta & indecora intelligant coniuges procreationi liberorum operam dátes, quorum statum césent esse impurum. Est enim coniugium honorabile inter omnes, & cubile impollutum. Ebr. 13. Nec est, ut concubinas suas uocent minus honesta & indecora ecclesiæ membra. Primum enim non sunt scorta referenda inter membra ecclesię. Deinde digna non sunt quæ honorifice foueantur.

DECORA uero nostri, inquit, nō indigét.] Qualia sunt caput, facies, oculi, aures, nares, os, manus, &c. Hæc non indigent, ut aliunde ornentur, cum naturale sint ornatu cōspicua. Consimili modo & in ecclesia non est ulla necessitas, qua singulari à nobis cura ornentur ac decorentur ij, quos spiritussanctus uario charismatum ornatu reddidit illustres. Sunt tamé uenerandi & in precio habendi, propter singularia dona. Non enim hoc agit Apostolus, ut quos Deus cohonestat nos susque deq; faciamus, sed taxat præposterum illud studiū, quo qui cæteris sunt præstantiores, impense coluntur, & interim infirmi & humiles inferioris ac posterioris ordinis homines prorsus negliguntur, quod perinde est ac si honesta corporis nostri membra, caput, oculos, &c. sumptuosius tegamus ac decoremus, & pudenda detegamus, pedesque negligamus. Sic plerūque solemus. Ornamus ubi non est opus, ubi opus est negligimus. Damus non egentibus, egentium nullam rationem habemus. Hinc est illud dictum Christi: Omni habenti datur, non habenti etiam quod habet aufertur.

SED Deus simul téperauit corpus, inquit, ei cui deerat copiosioré dans eorum.] In Gręco est συνεκέρασε τὸ σῶμα, id est, commiscuit corpus. Commiscuit corpus dum membra illius commiscuit, hoc est, sic posuit, ut infirma & ignobilia immixta sint robustioribus ac nobilioribus, perinde atq; in rebus publicis commiscentur tenuiores & ditiores, senes & iuuenes, sapientes & idiotæ. Suprà dixit: Nunc autem Deus posuit membra unumquodque singulatim in corpore, quemadmodum uoluit. Idem hic repetit, & ad propositum suum accommodat, dicens: Sed Deus commiscuit corpus, ei cui deerat copiosiorem dans honorem. Inscrutabilem prouidentiam Dei adorandam nobis in uerbo commiscendi proponit, idque non in corpore nostro tantū, sed & in uniuersa cœli ac terræ machina, in qua summa prudentia sic commiscuit omnia, ut quod per se stare non posset, uel prorsus ferri nequiret, diuersarum mixtura & stabile sit & tolerabile. Sic corpus habemus carne & ossibus, neruis ac uenis, liquido & arido, frigido & calido, mébris infirmis & ualidis, nobilibus & ignobilibus commixtum, cuius stabilimentū durare non potest, si mixturæ huius temperamentum soluatur.

EI, inquit, cui deerat, copiosiorem dans honorem.] Potest hæc particula bifariam exponi. Primo, ut intelligamus de membris infirmioribus quidem, uerum iuxtà præstantioribus, qualia sunt, caput, facies, oculi, &c. Illa dici possunt ὑστεροῦντα, respectu robustiorum, uerum plus honoris acceperūt, propterea quod usus ipsorum præclarior est. Deinde sic, ut respondeant ista pręcedentibus, intelligamusq; per membrum ὑστεροῦν, pudenda, de quibus iam meminit. Significat hęc uox non modo egens aliquid, sed & posterius, sicut proteron prius. Huic membro dedit Deus, id est, deputauit, copiosiorem honorem, quo à nobis tegatur ac foueatur. Vterque sensus conuenit ecclesiæ. Nam & illam sic commiscuit Deus, ut & infirmiora membra reddiderit præstantiora per singularia dona, quibus illa illustrauit, & ignobiliora ac minus honesta nostræ curæ singulari studio fouéda, ornandaq; commiserit. Sane sic solet Deus, ut inferioribus ac postremis plus gratię largiatur, ne uidelicet habeat caro, qđ glorieť in cōspectu ipsius, & ut ipsius exéplo admoniti inferiores diligétius foueamus.

NE sit disidium, inquit, in corpore, sed inuicé alia pro alijs eandé solicitudiné gerát membra.] In Græco est, ne sit schisma in corpore. Hoc est, ne membra à membris diuidanť, scindaturq; corporis unitas. Reddit rationé quare

Deus

Deus corpus ad hunc modum commiscuerit. Ad hoc uidelicet, ut in unitate & integritate sua persistat. Haud enim psistere posset, si scinderentur à se inuicem mēbra, scinderentur uero, si quæ inferiora sunt quasi prorsus inutilia à superioribus desererentur, atq; ita alia aliorū cura & συνεργέια destituerētur. Vnde & subdit, sed inuicem alia pro alijs eandem solicitudinē gerant, uel, ut in Græco est, idem aliud pro alio curent membra. Quomodo autem membra corporis nostri superiora inferiorum, inferiora superiorum curam gerant, non eget declaratione cum nemo sit qui non in suoipsius corpore irremissam huius experientiam capiat. Quā uero mutua hæc membrorum cura parū loci habeat in ecclesijs quæ Christi nomē profitentur, quorsum attinet meminisse, cum deplorandum magis sit, quàm exponendum? Significat ipsissimum esse schisma ecclesiæ, quādo membra illius ab hac sunt mutua solicitudine aliena, quicquid tādem uerbis ac ritibus profiteantur. Vnitas nanq; & integritas ecclesiæ, non modo externa religionis, ac rituū conformitate, sed &, imò amplius, mētis ac spiritus consensu, concordia, & unitate constat. Detur autem è tot millib⁹ una ecclesia, in qua mutua ista membrorum cura uigeat, & locum hoc genus schismatis non habeat, quo plane schismatici sunt ecclesiarū capita & præsides, quorum pectora nulla inferiorum membrorum cura tanguntur.

ET siue patitur unum membrum, inquit, simul patiuntur omnia membra.] Et hoc inest membris corporis nostri communiter omnibus, ut nullum ex illis suijpsius tātum doloris sensu tāgatur, quicquid interim accidat alijs, sed omnia uni ex ipsis dolenti cōdoleant. Nec refert quod nam illud sit, siue ex superioribus siue ex inferioribus. Vniuscuiusq; membri dolor, totum corpus occupat & afficit. Hanc sympathiam indit illis eiusdem spiritus & sanguinis connexio, unde est & illud quod sequitur.

SIVE glorificatur unum membrum, cōgaudent illi omnia mēbra.] Est in illis tam lætarū quàm tristium rerū uiuacissima & prorsus miranda communicatio. Pedes non inuident capiti superemineutiæ gloriā. Caput non est expers laborum ac dolorum, quibus afficiuntur pedes. Nec interiorum & exteriorum hac in re ulla est diuisio. Corde ac spiritu contrito, lugēte ac dolente prostrata redduntur omnia exteriora. Pedes labascunt, manus concidūt, caput demittitur, oculi illachrymātur, lingua stupet, etiamsi externo corpori nihil accidat incommodi. Corde uero ac spiritu læto & exhilarato gestiunt & exultant exteriora, pedes subsiliunt, manus plaudunt, lingua cantat, frons tota serenatur. Rursus externo corpore, uel morbo, uel fame, uel plagis, aut alia quapiā læsione afflicto, contristatur spiritus, & cor affligitur. Bene autem illo cōstituto & suauiter affecto, condelectantur illi & interiora.

Sunt quidem hæc omnium notissima, & tamen haud frustra ab Apostolo ecclesiæ Corinthiorum proposita. Non potuit illis ullam ueræ cōcordiæ & unitatis imaginē, aptiorē proponere, ad quam sese omni schismate prorsus abiecto componerēt, & ad ueram eiusdem corporis ac spiritus unitatem redirēt, sine qua ecclesia illorum consistere non poterat. Vt enim corporis integritas in membrorum συγχρέια, συνεργία, συμμεριμνία & συμπαθεία, sic consistit, ut sine istis omnino periclitetur, ita & ecclesiæ integritas, sine mutuæ fideliū indigentiæ, cooperationis, curæ, & compassionis cōmunicatione consistere non potest. Tollitur autem colligatio ista per schismata, quibus quasi compages membrorum soluuntur. Vbi hæc in ecclesia obtinent, ibi dicit caput pedibus, & oculus manibus, nō est mihi opus uobis, ibi infirmiora, & ignobiliora contemnuntur, ibi nulla est συμμεριμνία, nulla συμπαθεία, ibi inferiora superioribus omnem quam habent gloriam, inuidēt, & propter contemptū prorsus abiecta iacēt. Quàm autem exitiosum sit toti ecclesiæ, si mēbrum à membro deseratur, & quàm diabolicum, si membra membris omnem commoditatem & gloriam inuideant, cordatiores facile intelligunt. Non intelligebant hoc Corinthij, quare tam multis tanq; diligenter huius ab Apostolo admonentur. Et utinam hodie intelligant, qui soli in ecclesia sapere uidentur.

Obserua uero, quod postquam dixit: Et siue patitur unum membrum, simul patiuntur omnia membra, tum demum subijcit, siue glorificatur unum membrū, congaudent omnia mēbra. Licet in corporibus nostris, non hinc congaudent inferiora superioribus, quod curam illorum, & compassionem sentiunt, sed faciūt hoc naturali motu, & instinctu etiam si superiora officium suum negligerent, in ecclesia tamen magnum est incitamentum inferioribus ad hoc, ut commoditati ac gloriæ superiorum ex animo congaudeant, si senserint illos afflictionibus suis cōdolere, & curam necessitatis ipsorum fideliter gerere. Cum autē diuersum in illis hodie experiantur, mirum nō est, quod honoribus illorum haudquaquam cōgaudēt, sed usque adeo inuident, ut prouerbio apud Germanos, Laici odio doctos ac clericos prosequi dicantur.

Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Et alios quidem posuit Deus in ecclesia primū Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates deinde dona sanationū, subsidia, gubernationes, gnr̄a linguarū.

Imaginem ecclesiæ in corpore humano, ac membris illius spectandam proponens, ea in illa hactenus depinxit, quæ ad propositum facere iudicauit. Iam ut applicationem absoluat, quam suprà cœperat dicēs: sic & Christus, etenim in uno spiritu, nos omnes in unū corpus baptizati sumus, &c. subijcit dicens: Vos

autem estis corpus Christi, & membra ex parte,&c. Totius autem disputationis huius cum duæ sint principales partes, una, quid sint fideles Corinthij, ad quos scribit, altera, quomodo inter se mutuo animati & affecti esse debeant, priorē tamē duntaxat in applicatione hac exprimit, qua dicit eos esse corpus Christi, & membra ex parte, & mēbra uaria, & à Deo in ecclesiam posita, posteriorem uero, quoniā ultro ex priori consequitur, & in imagine corporis, & membrorum diligenter expressa est, cogitandam ipsis relinquit. Dicit itaq;.

VOS autem estis corpus Christi.] Quomodo facti sint corpus Christi, suprà exposuit dicens: Etenim in uno spiritu nos omnes in unū corpus baptizati sumus. Quod illic in genere dixit, hic ad illos specificat. Cū autē dicit: Vos estis corpus Christi, simul eos omnium eorū admonet, quę corpori ac mēbris tribuit. Quasi dicat: Ergo uehemēter in eo peccatis, quod unitatem ecclesiæ Christi scinditis, συγχρέιαν, συνεργίαν, συμμεριμνίαν, καὶ συμπαθέιαν, membrorum illius euertitis, qui superiores estis inferiores contemnitis, qui inferiores habemini superioribus inuidetis. Poterat dicere: uos autē estis ecclesia Christi, uerum ut præmissorū eos admoneat dicit: Vos autem estis corpus Christi.

Eccius in locis suis citat hæc uerba ad probādum ecclesiam Christi esse unam, ideoq; nō scindendam, & extra hanc nemini constare salutem, quæ si de uera Christi ecclesia intelligātur, nō negamus. Scimus illam esse unicā tanquā Christi corpus, fatemur non esse scindendam, nec diffitemur extra illā, quatenus Christi corpus est, non posse saluari quenquam, nō propter ipsorum membrorum, sed propter capitis Christi cohæsionem. Si uero referatur ad ecclesiam maligne agentium, ad defectricem & adulteram, sanguinariam, & cultibus eidolorū conspurcatam, diserte ad hanc ea pertinere negamus, quæ non Christi corpus est, sed cōspiratio hominum seducentium & seductorū.

ET membra, inquit, ex parte.] Vulgata editio habet, & membra de membro. Annotarūt & Valla & Erasmus interpretem hunc legisse, καὶ μέλη ἐκ μέλους, id est, membrū ex membro, pro καὶ μέλη ἐκ μέρους, id est, membrum ex parte. Dixit eos esse corpus Christi, quo de unitate cum capite Christo seruanda admonerent̄. Addit eos esse membra quoque. Erant quidem corpus Christi, quia membra illius erant. Verum separatim eos membra esse monet, quo de unitate quoque inter ipsos, tāquā unius corporis mēbra haud scindenda commonefaciat. Vsitata est uox ecclesiæ, & hodie quoque plurimum iactata, sed quotusquisq; est, qui se membrum cum alijs membris Christi esse serio cogitet, & quæ membri sunt erga reliqua membra secundum leges membrorum præstet? Duo sunt membrorū respectus, ad caput unus, ad socia connexaq; membra alter. Vtrosq; complexus est dicens: Vos autem estis corpus Christi & membra.

A Si legeris, & membra de mēbro, sensus est, & membra, quorum aliud ab alio pēdet, aliud alij sic connexum est, ut uelut ex illo prouenisse uideatur. Sic sane in ecclesia membra corporis Christi inter se cohærent, & connexu spiritus inuicem alligantur, ut recte membra ex membris uocari queāt. Quare admodum crudelis est ea membrorum diuisio, quæ in ecclesia fit per schismata. Quisnā patienti oculo humani posset corporis eam cernere direptionē, qua membrum à membro discerperetur? At reuera multo crudelius est spectaculum, ubi hoc membris corporis Christi per schismata contingit.

Si uero placet, ut legas, & membra ex parte, aliter atque aliter exponi potest.

1 Primo secundum sentētiam Chrysostomi ad hunc modum. Quod dico uos esse corpus & mēbra Christi, non sic dico, quod in uobis totum Christi corpus compleatur. Nam illud non uestram tantum, sed omnes in uniuersum ecclesias complectitur. Quare corpus & membra Christi estis ex parte. Hoc sensu connectit eos, non inter se modo, sed & cum reliquis omnibus Christi ecclesijs.

2 Deinde ad hunc modū uos corpus Christi estis, & membra ex parte, id est, ἐκ τινὸς μέρους, ex aliqua parte, quodammodo, aliquatenus, qua parte uidelicet similes estis corpori ac mēbris illius, uel quatenus illi estis fide ac spiritu coniuncti.

B 3 Tertio sic. Vos corpus Christi estis & mēbra ex parte, hoc est, non omnes, sed aliqua uestri parte. Sic eximuntur ab hoc prædicato reprobi, de quibus prædicari non potest, quod membra sint corporis Christi, & includuntur fideles, ac probi tantum, de quibus suprà cap. præcedēti dixit: oportet hęreses esse inter uos ut qui probi sunt, manifesti fiant.

4 Quarto sic, ut ἐκ μέρους, idem sit quod ἐν μέρει, id est, καθ᾽ ἕκαστον, singulatim, uel ἐπὶ μέρους, id est, particulariter. Hoc est, non in genere modo corpus estis Christi, sed & singulatim & particulariter estis illius membra, unusquisq; uestrum membrum est corporis illius, siue sit infirmus, siue fortis, siue superior, siue inferior, siue ignobilis, siue nobilis. Meo iudicio haud opus est accuratiore discretione in hisce expositionibus, quandoquidem nulla illorum sic est comparata, ut admodum à mente Apostoli abducat.

Et alios posuit Deus in ecclesia, inquit, primum Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, &c. Recenset aliquot officia, quibus ecclesiam suam Deus, tum temporis & ornabat & instructam reddebat. Dixit quidem: uos estis corpus Christi & membra ex parte, uel singulatim, uerum subijcit, non membrorum, ut membrorum, sed quorundam officiorum recensionem, quæ Deus in usum membrorum omnium in ecclesia sua posuerat. Recenset autem ea cum distinctione ac uariationis specificatione non simpliciter dicēs: Et posuit Deus in ecclesia

in ecclesia sua, apostolos, prophetas, doctores, &c. sed: Et alios posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, &c. Vbi uocula discretiua, alios, quam præmisit, ad singulos est repetenda, quemadmodum illam ad Ephesios. 4. singulis affixit, dicens: Et idem dedit alios quidem apostolos, alios uero prophetas, alios autem Euāgelistas, alios autem pastores ac doctores. Et quoniam catalogum hunc ponit, non tanquam membrorum, sed tanquam officiorum, nō dicit: Et alios posuit Deus in corpore Christi, sed, & alios posuit in ecclesia. Nec dicit: Et alios posuit inter uos, sed, in ecclesia generaliter. Neq; enim in ipsorum tantum ecclesiá hęc erant à Deo posita officia.

ET posuit Deus, inquit.] Non igitur ecclesia apostolos, prophetas, &c. sed Deus in ecclesia posuit. Quæ hic recensentur officia, sic sunt comparata, ut nullum eorum ab ecclesia, sed ab ipso Deo dũtaxat poni possit. Ponit Deus huiusmodi ecclesiæ suæ officiales, non modo eligendo ac mittendo, sed & spiritu suo instruendo, quod in potestate ecclesiæ esse non potest.

ET posuit Deus.] Solet uerbum ponendi usurpari pro firma eorum constitutione, qui muneri alicui præficiuntur. Hic uero non sic usurpatur, ut officia quæ recensentur, perpetua firmitudine in ecclesiam posita esse dicantur. Initio ad tempus aliquod posita fuerunt à Deo, donec doctrina Euangelij spargeretur & confirmaretur in orbe terrarum, postea uero desierunt, cessantibus spiritussancti charismatis.

PRIMVM, inquit, apostolos.] Quando, quomodo, quo numero, & in quem usum positi sunt apostoli, notius est ex Euangelicis literis, quàm ut sit hic memorandum.

Obiter obserua, quod apostolos à Deo dicit esse positos, cum Christus ad illos dixerit, Ioannis. 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos, ut eatis & fructum adferatis &c. Ergo quos Christus posuit, Deus posuit.

Luc. 6. Sonat autē Apostolus missum ac legatum, quod nominis specialiter ipsis, propterea est à Christo ipso impositum, quod esset eos tanquam regni sui legatos, inde è Ierusalem totũ missurus in orbem, ad Euangelizãdum pacem tam Gentibus quàm Iudęis. Hos cum post resurrectionem in cœlos ascensurus amãdabat, sic dicebat: Ite in orbem uniuersum, pr{e}dicate Euangelium omni creaturæ.

Quare uel Petrus apostolus nō satisfecit uocationi & apostolatui suo, si Romæ sedit primus episcopus, annos uigintiquatuor, uel impudentissimum commētum est, quod hoc de illo tradunt. Deinde inedicibilis temeritas est qua propter commētitium Petri episcopatum uniuersalem Christi ecclesiam, Romanæ sedi subijciunt, atque ita quantum in ipsis est reliquorum apostolorum uocationem, apostolatum & ecclesias Christo lucrifactas repudiãt, & à Christo excludunt, quasi solus Petrus positus fuerit in ecclesia apostolus. Sed audiant hic: Et posuit Deus, inquit, in ecclesia, non dicit, apostolum Petrum, sed in genere, apostolos. Qui posuit Petrum, posuit & Bartholomęum, & Andream, & Thomam, & Iacobum, & Ioannem, &c. Et posuit eos non minus in ecclesia, quàm Petrum. An solus Petrus egressus est in orbem ad prædicandum Euangelium regni?

Absit: Illi autē, inquit Marcus, egressi prædicauerunt ubique, domino cooperante & sermonem confirmante sequētibus signis. Cum dicit, prædicauerunt ubique, non intelligit tãtum de Europa, & parte Asiæ, sed & de Aphrica, Ægypto, Syria, Persia, & utraque India, cum alijs prouincijs ac regnis. Ergo non est altera Romanæ urbis ecclesia, inquit Hieronymus ad Euagrium, altera totius orbis existimanda. Et Galliæ, & Britanniæ, & Aphrica, & Persis, & Oriens & India, & omnes Barbaræ nationes unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis.

Si authoritas quæritur, orbis maior est urbe. Hæc ille palam contra Romanæ ecclesiæ primatum, cuius iam tum studia gliscebant. Notanter non dicit: Vnum apostolum adorant, uel, unum apostolum obseruant, sed, unum Christum adorant, & unam ueritatis regulam obseruant.

DEINDE prophetas, inquit.] Quoniam secundo loco prophetas inter apostolos & doctores ponit, existimo hic intelligēdum esse de prophetis, qui futura prædicebant. Aliàs prophetæ uocantur & illi, qui loquũtur ad populum, uel exhortantes, uel corripientes, uel sacras scripturas exponentes, de quibus infrà cap. 14.

TERTIO, doctores.] Non recenset accurate omnia ministrorum Christi officia. Nam Ephes. 4. prophetis subijcit Euangelistas & pastores, ac tum ponit doctores. Apparet autem doctores eosdē esse, quos illic & pastores uocat. Manifesta uox est, ut intelligamus doctores esse qui docent in ecclesia. Hoc munus erat episcoporum ac presbyterorũ, qui & metaphorica uoce, pastores uocabantur, quos Apostoli ecclesijs à se plantatis præficiebant, & tamen Act. 20. hic Paulus à spiritusancto, ad id positos esse dixit, ut ecclesiam Dei pascerēt, quod non potest, nisi de doctrina uerbi intelligi. Sed hac de re in locis nostris accuratius dicemus, ubi de ministris uerbi dicendum erat. Meo iudicio angustius est, si referamus hanc particulã ad catechistas & doctores scholarũ ecclesiasticarum, qualis Origenes fuisse scribitur. Si generalis sensus placet, includi possunt & illi. Si uero specialis tenendus est, intelligēdos puto pastores episcopos & presbyteros. Doctoribus illis titularibus, theologis, magistris nostris, Romano pontifici adiuratis, nihil hic loci est, quia de illis prædicari non potest, quod à Deo sint in ecclesia positi. Quare sæpenu-

penumero admiratus sum, quid sibi nonnulli insignes Christi ministri uelint, quod de titulo Academici doctoratus, tantopere glorientur, quasi aliquid authoritatis ex illo doctrinæ ipsorum accedat.

Collegia Canonicorum hoc plerunq; in cósueto habent, ut muneri docendi in cathedralibus ecclesijs non præficiant, nisi ab Academia aliqua titulo doctoratus insignitum. Quàm autem illi diuersi sint à doctoribus ueris, & à Deo in ecclesia positis, nulla puto op° habere declaratione. Quid illi quærant ignoro, qui cum sint in ecclesia Christi ueri doctores ac recte doceant, sintque ad id muneris legitime uocati, nihilo tamen secius titulum doctoratus in Academijs ambiunt, quasi sine illo doctores esse nequeant.

DEINDE potestates, inquit.] Græce est δυνάμεις, id est, potentias, quemadmodum eam uocem & suprà uertit Erasmus, dum ἐνεργήματα δυνάμεων reddidit efficacias potentiarum. De illis hic quoq; loquit̃. Vide quæ suprà sint dicta.

DEINDE dona sanationum, inquit.] Et de his suprà dictum est, ubi efficacijs potẽtiarum præmittuntur.

SVBSIDIA inquit.] Vulgata æditio habet, opitulationes, Græce est ἀντιλήψεις. Significat autem ἀντιλαμβάνω, manu quẽpiam è regione porrecta in ferẽdo onere adiutare. Chrysostomus exponit de illis, qui infirmis opitulantur. Lyranus sic. Opitulationes, quãtum ad illos qui ferunt opem maioribus prælatis, cuiusmodi sunt decani, archidiaconi. Hodie cum sint magni illi prælati ociosi in ecclesia uentres, nõ uideo quomodo uicarij & officiales, & decani ipsorũ ἀντιλήψεις uocari queant. Etenim ubi nõ est λῆψις, ubi locum non habet ἀντίληψις, & qui non est ληπτής, huic dari non potest ἀντιλήπτωρ, quemadmodum ei qui non operatur, cooperarius esse nemo potest. Haud diffiteor quidẽ, intelligi posse de illis, qui Apostolis & presbyteris ecclesiarũ in opere domini laborantibus opem tulerunt. Simul tamen haud displiceret Chrysostomi expositio, propter uerba Apostoli huius, quibus Act. 20. ad episcopos Ephesinæ ecclesiæ dixit: Omnia ostendi uobis quod sic laborãtibus oportet ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, id est adiuuare, uel, ut uerterunt, suscipere infirmos, nisi hoc genus boni operis non esset peculiaris officij, aut charismatis, sed generaliter ad omnes pertineret Christianos, & hic specialia officia & charismata recenserentur. Sunt qui putent fuisse in ecclesia quosdam ad hoc specialiter deputatos, ut causas fratrum in se susciperent, & pro singulari prudentia, ac dexteritate, qua dono spiritus pollebant, agerent & expedirent, quorũ sententia probabilis esse uidetur. At hodie quale sit hoc hominum genus, quos procuratores uocant, nimis norunt qui experiuntur.

GVBERNATIONES, inquit.] Singulare donum est, instructum esse ad gubernandum ecclesiam Dei. Homines erant sapientia & intelligentia rerum præstantes, ætate matura ac graues aspectu, qui in senatum ecclesiæ sublecti magno cum pondere inter fratrem & fratrem iudicabant, quorum mentionem Tertullianus in Apologetico suo facit dicens. Ibi sedent probati quinq; seniores, & iudicant magno cum pondere. Tales sunt hodie, quos consistorio, ut uocant, præfici uidemus, in quibus adhuc aliqua sunt ueteris ecclesię, uel si mauis, ecclesiasticæ gubernationis uestigia.

Admonet nos hæ uoces, ἀντιλήψεις καὶ κυβερνήσεις, de conditione ecclesiæ, qua fit ut propter imperitos, rudes, infirmos, & egenos, opus habeat opitulatoribus, ac gubernatoribus. Gubernandi uox proprie competit illis, qui nauigantibus præsunt, quam Lucas in Actis capite. 27. usurpauit dicens: Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Et ecclesiæ igitur suæ dominus, uelut in pelago nauiganti subinde dedit gubernatores, quorum sapientia in medio Gẽtium incredularum gubernaretur, & ipsius inter se membra componerentur ac dirigerentur.

Quemadmodum enim gubernator nauigij & nauem contra uim uentorum ac procellarum moderatur, & eorum qui in naui sunt curam gerit, illosque in pace retinet, ita & gubernatores ecclesiæ, cum erga exteros, illam tuẽtur, tum membra illius regunt, ac sic moderantur, ut & honeste & pie in pace & concordia conuersentur. Hoc quidem prẹstare poterunt, qui à Deo in ecclesia ponuntur, uerum qui nõ à Deo, sed aliunde constituuntur, ecclesiam illi magis subuertunt, quàm gubernant.

At hæc est sors ecclesiæ, ut imperitis gubernatoribus subijciatur. Quibus nauigãdum est in mari diligẽtissime cauetur, ne cui nauis gubernatio credatur, quem non certo sciant ad id esse muneris idoneum, & sufficienter peritũ. At ecclesiæ Christi gubernacula, pueris etiã & ignauis committuntur. Interea admodum securi, nauiculam Petri submergi non posse iactant. Cæci non uident, & insensati non sentiunt, quantum immineat ei ecclesiæ exitium, quam Petro assignant.

GENERA linguarum, inquit.] De hoc charismate dictum est suprà, ubi dixit, alij uero genera linguarum.

An sunt omnes apostoli? an omnes prophetæ? an omnes doctores? an omnes potestates? an omnes dona habent sanationũ? an omnes linguis loquũtur? an omnes interpretantur?

Quod dixit: Et alios qdẽ posuit De° in ecclesia primũ apostolos, deinde prophetas, &c. Id iã ex reipsa uerũ esse contendit & comprobat dicens: An sunt omnes apostoli? an omnes prophetæ, &c. Quasi dicat: An non reipsa distributionem donorum Dei, & officiorum talem esse uidetis, ut nemini omnia, sed alijs alia sint

sint data? Inspicite apostolos. Súntne omnes apostoli? utique uidetis non omnes esse apostolos. Inspicite prophetas. An donum prophetiæ concessum est omnibus? Nequaquam omnibus, sed nonullis paucis. Doctores uidete. An facultas docendi tradita est omnibus? Non esse traditam omnibus reipsa uidetis. Transite ad reliqua charismata, potentiæ, sanationum, linguarum, & interpretationis. An horum aliquot omnibus factum est commune? Videtis non esse, sed alij aliud esse datum.

Sed quorsum urget ista Apostolus? Vt cogitent non esse hæc dona & officia sic comparata, ut aliquod illorum sufficiat ad complementum corporis Christi, alioqui non fuisse reliqua data ecclesiæ.

Etenim si suffecisset Apostolatus, omnes ad Christum pertinentes facti fuissent apostoli. Sic & de reliquis sentiendum. Deinde, ut nullum eorum tale sit, sine quo nemini salus constare posit. Aliàs sic quoque omnibus ad salutem uocatis esset datum. Cum ergo talia sint hæc dona & officia, præter rationem esse monet, quod quibus data erant tantopere insolescebant, & reliquos præ se fastidiebāt, quibus data non erant, animo sic erant deiecto, ac si de corpore Christi non essent. Præposteram hanc donorum istorum æmulationem repræhendens subiungit dicens.

SECTEMINI uero dona potiora.] In Greco est, ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Hoc est zelate uero pro donis illis quæ sunt meliora. Quasi dicat: Sunt quidem ea pro quibus tanto zelo ardetis, charismata spiritussancti, & sunt utilia ecclesiæ, ad ædificationem illius data, uerum non sunt tanti facienda quanti facienda sunt meliora illa, quorum uos nulla cura teneri uideo. Quare inconsulto facitis æmulantes ea quæ minoris sunt momenti, & interim quæ maioris sunt negligentes.

Quæ sunt autem potiora illa dona? Recentiores quidam referunt istam particulam ad præcedentia, & exponunt de donis prophetiæ ac doctrinæ, quod illa utiliora sint ecclesiæ, quàm uel sanationum, uel linguarum, ideoque & potiora. Et Hieronymus exponit dicens: Hoc est, sectemini prophetias. Equidem si conferatur prophetia cum dono linguarum, & charismatis sanationum, præstantior est multo, id quod infrà cap. decimoquarto fuse monstrabitur, uerum cum donum prophetiæ non esset omnibus, sed quibusdam duntaxat traditum, & iam dixerit, an omnes prophetæ? non puto conuenire proposito Apostoli, ut hortetur eos in genere ad studium prophetiæ.

Potest quidem dici, uel, quod non ad omnes hoc dicat in genere, sed ad eos tantum, qui propter donum linguarum inflabantur, uel quod non hortetur eos, ut omnes ad prophetandi munus aspirent, sed ut pluris illud faciant magisque admirentur & colant, quàm charismata linguarum, potentiarum, & sanationum. Verum meo iudicio simplicius esse puto, ut referamus ista cum Chrysostomo & Ambrosio ad sequētia, intelligamusq; de fide, spe, ac charitate, tanquam donis Dei ob id potioribus, quod sine ipsis salus nostra constare non potest, cum sine illis posit, quę Corinthij tantopere æmulabantur.

SECTEMINI, inquit, meliora charismata.] Obserua quod non dicit: Vtamini melioribus charismatis, ne uideatur usum eorum prohibere, quæ data erant ecclesiæ, sed: Æmulamini uero charismata meliora, ut auocet eos non ab usu cæterorum, sed à præpostero zelo, ad zelum meliorum. Discriminat igitur inter usum ac zelum donorum Dei. Vsum relinquit minus necessarijs, zelum uero deputat potioribus.

Bonis utendum est utiliter, meliora uero sectanda sunt ardenter. Bonus est cibus corporis, melior uero cibus mentis. Vtamur ergo cibo corporis utiliter, sectemur uero cibū mentis feruenter. Vtamur Magistratu obedienter, æmulemur uero Deum excellenter. Bonum est obedire magistratui, uerum si pręcipiat ille quod Deo displiceat, melius est obedire Deo, quàm Magistratui.

SECTEMINI, inquit, meliora.] Si in donis Dei, quæ utique bona sunt omnia, sectanda sunt meliora, quanto magis ubi collatio est inutilium & utilium, uel malorum & bonorum, sectanda sunt utilia & bona? Vbi uero conferuntur inter se bona disparia, res ipsa cum ratione monet, sectanda esse meliora.

Si roget quisquam, sint ne meliora omnia, omnibus, & semper, absque discrimine sectanda, respondeo. Melius aliud est per se, aliud per accidēs. Per se melius est, quod melius est collatione malorum, uel deteriorum, utpote, melius est nubere, quàm scortari & adulterari, melius est cum uno tantum oculo seruari, quàm cum duobus mitti in gehennam. Quæ sic sunt meliora, utique & omnia, & omnibus, & semper sunt sectanda.

Per accidens uero melius est, quod uel propter personam utentis, uel propter temporis qualitatem, aut alias circumstantias, aut excellit, aut melius esse desinit, utpote quādo quæritur, melius ne sit mulierem non tangere, quàm nubere, hic determinari non potest absque discrimine, uel personæ, uel temporis. Etenim ei, qui donum continentiæ non accepit, melius est nubere, quàm mulierem nolle tangere.

Deinde ubi periculum est ne propter uxorem & liberos cognitam ueritatem negemus, & nosipsi cœlesti gratia priuemus, utique melius est mulierem non tangere. Quare admodum imprudens fuit quorundam patrum zelus, quo cœlibatum illum tantopere urserunt,

ut quaſi per ſe ſit melior coniugio, omnibus il lum Chriſti miniſtris imponendum eſſe cenſuerint. Huius imprudentis zeli ſtudiũ quanta ſequuta ſint animarum diſcrimina, quis ſatis unquam perpendit?

Tenẽdum ergo eſt, ea quæ meliora ſunt per ſe & generaliter, & ſemper, & omnibus, utiq; & omnibus & ſemper eſſe ſectanda, quæ uero per accidens ſunt meliora, illis tantum ac tunc eſſe ſectanda, quibus ſunt & quãdiu ſunt meliora, quandoquidẽ non mox mihi melius eſt, quod alteri cuipiam melius eſſe poteſt.

ET adhuc excellentiorem uiam uobis oſtẽdo.] Græce eſt, καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι, quod uerti poteſt. Et adhuc ex abundãti uiam uobis oſtendo, ut ſit ſenſus. Quamuis manifeſta ſint quæ hactenus de donis Dei expoſui, unde admoneri poſsitis, ea uobis eſſe ſectanda, quæ ſunt potiora, adhuc tamen ex abundanti oſtẽdam uobis uiam, id eſt modũ, uelut gratia exẽpli, quo manifeſtiſsimũ fiat qđ dico. Verum quoniam cæteri communiter ſic legunt: Et adhuc excellentiorem uiam uobis oſtẽdo, quaſi ſit in Græco, καὶ ἔτι τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν, id eſt, & adhuc eam quæ excellens eſt uia, uobis oſtendo, eam lectionem retineo, præſertim propterea quod charitatem, de qua dicturus eſt capite ſequenti, in calce illius fide ac ſpe maiorem eſſe dicit, ut illam hic uideri poſsit uocare ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν, id eſt uiam ſecundum excellentiam.

Cæterum negari non poteſt, particulam hanc pertinere ad ſequentis capitis principiũ. In hac enim profitetur quid iam ſit præcedentibus ſubiecturus, ut omnino ad principium eorum quæ dicturus eſt pertineat, ad hoc illis præmiſſa, ut animos Corinthiorum excitet, quo maiore cum diligentia & attentius illa percipiant.

CAPVT XIII.



I linguis hominũ loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiam, & nouerim myſteria omnia, omnemq; ſcientiam & ſi habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio.

Hæc eſt uia illa excellentior, quam ſe oſtenſurum dixit. Videbat illam partim negligi, partim etiam ignorari ab illis qui donis linguarum, & ſcientię, & ſanationum abutebantur, quod charitatem non haberent. Hanc itaque toto hoc capite commendat, & pro dignitate extollit, primo, affirmans ſine illa nihil eſſe reliqua chariſmata, deinde ingenium illius explicans, tertio à perpetuitate quoq; illam commendans, fideiq; & ſpei præferens.

SI linguis hominum loquar, & angelorum inquit.] Quoniam propter donum linguarum plerique in eccleſia Corinthiorum inſoleſcebant, & illo deſtitutos faſtidiebant, denique ſic in eccleſia linguis loquebãtur, ut magis oſtentationi ſeruirẽt, quàm eccleſiam ædificarent, mox initio abuſum doni huius perſtringit, & eos qui ſic linguis loquebantur æs reſonans, & cymbalum tynniens eſſe pronunciat. Quo autem tolerabiliora ſint quæ dicturus eſt, non dicit: Qui linguis inter uos loquũtur, facti ſunt æs reſonans, aut cymbalum tinniens, quia ſine charitate loquuntur, ſed ſermonem ſic format, ut abſque offenſione poſſit acceptari.

Facit autem hoc duplici moderatione. Prima eſt per propoſitionem hypotheticam, qua nemo perinde atq; per categoricã diſerte perſtringitur. Deinde per accõmodationem propriæ ſuæ perſonę, non dicens: Si quis ueſtrum linguis loquitur, ſed: Si ego linguis loquar. Et hac moderatione cœptum ſermonem primo capitis huius membro continuat.

SI linguis loquar, inquit.] Satis fuiſſet dicere: Si linguis loquar. (Etenim linguis loqui idem ipſi eſt quod alijs atque alijs inuſitatis & incognitis linguis loqui) niſi donum hoc linguarum intendere, & ad ſummum uſque amplificare uoluiſſet. Amplificationis huius gratia adiecit, hominum & angelorum. Linguas hominum intelligit omnium Gentium & populorum.

Angelorum quoque per hyperbolen adiecit, quaſi dicat: Si non modo unius & alterius Gentis, ſed ſimul mortalium omnium, imo & angelorum, quod adhuc eſſet multo excellentius, linguis loquar. Oblique per hanc amplificationem perſtringit eorum iactantiam, qui quod duplo uel triplo alieno idiomate loqui poterant, plurimum arrogantiæ ſpirabant.

Illud, & angelorum, non ſic eſt accipiendum, quaſi angeli, id eſt, ſpiritus cœleſtes linguis inter ſe loquantur, quomodo homo homini loquitur, ſed quod uel ſimpliciter pro hyperbolica loquutione ſit poſitum, uel de linguis intelligendum, quibus angeli cum in Veteri, tum in Nouo teſtamento loquuti ſunt hominibus, quod genus loquutionis ipſe hic Apoſtolus, haud ſemel fuerat expertus. Si linguis, inquit, omnibus non humanis tantum, ſed & cœleſtibus loquar. Hoc eſt, ſi nullo non linguarum genere lorquar.

Quemadmodum Rom. 8. per hyperbolen intendere uolens quod dicebat: Nam mihi, inquit

inquit, persuasum habeo, quod neque mors neque uita, neque angeli, &c. separare nos poterunt à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu. Et Galat. 1. Et si angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit, cum tamen impossibile sit, ut angelus è cœlo quenquam à dilectione Dei auocet, aut aliud à uero Euangelium prædicet, ita ut hoc loco intensionis gratia linguarum angelicarũ per hyperbolen meminit, cum tamen nullæ sint angelorũ linguę.

Est autem probabile fecisse eum angelorum mentionem propter eos qui admodum de uisionibus ac reuelationibus angelorum gloriabantur, illorumq; religionem introducebant, quos notat Coloss. 2. dicẽs: Ne quis uobis palmam interuertat data opera per humilitatem & superstitionem angelorum.

SI linguis, inquit, loquar hominum & angelorum, charitatem autem non habeã, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens.] In Græco est, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, id est, dilectionem uero non habeã, quod ideo annoto, quoniam cõmuniter hoc loco charitatem uertũt, ne quis anxie inter dilectionem & charitatem distinguat. Nõ nego aliquid inueniri discriminis inter amorem & charitatem, amorem itẽ & dilectionem, quo leuior sit dilectionis, uehemẽtior amoris, familiarior & humanior charitatis affectus. Verũ hoc loco simpliciter est, dilectionem autem nõ habeam. Quid autem sit diligere, norunt omnes. Et nos in Commẽtarijs nostris super Matthæum cap. 22. de dilectione Dei ac proximi pleraq; annotauimus. Vtinam tam diligeremus Deum & proximũ, quàm quid sit aliquẽ diligere non ignoramus. Diligimus omnes, nec est quisquam qui non aliquousque dilectionis in se experiatur affectum. Verum ut corrupti ac deprauati sumus, ita & dilectionis affectus corruptus in nobis est ac uiciatus, quo fit ut incõsulto diligamus plerunque non diligenda, & diligenda nõ diligamus, aut non ut competit diligamus, imo sæpenumero odio prosequamur. Et hæc corruptio dilectionis non emendatur in nobis nisi per spiritũ regenerationis, quo totus interior noster homo cum omnibus suis & mentis & affectuum uiribus innouatur.

ET charitatem, inquit, non habeam.] Non ponit simplicem hypotheticam propositionẽ dicens: Si linguis loquar hominum & angelorum, factus sum æs resonans, &c. sed geminam, addens, & dilectionem non habeam, quod in toto primo capitis huius membro tertio facit, ne charismata spiritus Dei, linguas, prophetiam, scientiam mysteriorum, fidem, alimoniam pauperum, & martyrium, nullius in se æstimare uideatur.

Sine hac conditione nõ debet accipi, quam pronunciat, sententia. Magna peruersitas est, in huiusmodi hypotheticis & conditionalibus sententijs, uel mandatis neglecta conditione appræhendere pronunciatum aut usurpare mandatum. Sic Romani illud Petro dictum: Pasce oues meas, mordicus appræhendunt, conditionem uero præmissam, Simon diligis me plus his, fortiter negligunt ac dissimulant. Et illud iactant: Si quis episcopatum desyderat, bonum opus desyderat, Canonem uero subiectum, qualis debeat esse episcopus, ne semel quidem inspiciunt.

ET charitatem, inquit, non habeam.] Cum nemo sit qui prorsus sit omnis dilectionis expers, quærendum est quomodo dicat, & dilectionem non habeã. Dubio procul non loquitur de dilectione simpliciter, sed de ea specialiter, quæ non est omnium, sed regeneratorum tantum. Ea ut ordinata est, ita diligit cum primis Deum, omnis boni fontem, deinde & proximum. Hac qui destituitur, inter regeneratos ueraciter censeri non potest. Nec est, ut quæramus utrum de dilectione Dei uel proximi loquatur, cum dilectio proximi sine dilectione Dei haberi nequeat. Apparet quidem de charitate intelligendum esse, qua proximus diligitur, uerum ab illa non est separanda dilectio Dei, per quam & proximum diligimus.

Loquitur autem de dilectione, qua quæ facimus, uel ad gloriam Dei, uel ad commodum proximi dirigimus.

Quare cum dicit: Si linguis loquar, charitatem autem non habeam, non loquitur de ociosa charitate, neque de efficaci etiam, in alijs rebus sese declarante, sed de ea, quæ donum linguarum ad utilitatem & ædificationem ecclesiæ moderetur. Sic linguis loqui & charitatem non habere, est citra affectum charitatis & studium ædificandi ecclesiam, ad ostẽtationem, uel ad quæstum, uel studio schismatis, alijs atque alijs linguis loqui in ecclesia, id quod plerique Corinthiorum faciebãt. Et quoniam qui spiritu charitatis ardet, ad hunc modum non loquitur in ecclesia, pro eo quod dicendum erat: Si linguis loquar, & ecclesiæ ædificationem non quæsiero, dicit: Si linguis loquar, & charitatem non habuero. Charitatem ergo non habet, qui in eo quod facit uel loquitur, nec ad gloriam Dei, nec ad utilitatem proximi spectat, sed suamipsius gloriam & commoditatem quærit.

Sic Ioannes dicit: Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ecce uno argumento immisericordiæ colligit non esse charitatem Dei in eo, qui non miseretur fratris egentis. Quare? Quia ubi charitas est, ibi tali immisericordiæ locus esse non potest. *1. Ioan. 3.*

Censeo tamen hac de re caute esse pronunciandum, propter eos, qui nonnunquã tentatione aliqua uicti, alio quid quàm charitatis affectu dicunt uel faciunt, quamuis non sint

prorsus uacui charitatis spiritu. Aliud est semel atque iterum præuaricari à regula charitatis, per tentationem, & occasionem, & aliud perpetuo carnis studio, omnia citra charitatem dicere & facere.

Illud nonnunquam & sanctis usuuenit, hoc uero prorsus est impiorum. Sic potuit & nonnullis illorum usuuenire, qui linguis inter Corinthios loquebantur, ut aliquando tentatione uicti citra charitatem in ecclesia loquerentur. Quibus hoc non singulari studio, sed per occasionem & tentationem accidebat, non mox prorsus sine charitate fuisse censeri debent. Cum Dauid uxorem Vriæ pollueret, & insonté postea proditoriæ neci traderet, profecto ea faciebat, quæ omnino charitati repugnabant. Cum Petrus Christum negaret, charitatis puto modicam rationem habebat.

Verũ nemo propterea ueraciter dicere poterit, uel hunc uel illum alienum fuisse à spiritu charitatis.

Quod autem non dicit: Si linguis loquar, & ædificationem ecclesiæ non quęram, sed, & charitatem non habeam, ex eo est quod mauult causam defectus, quàm ipsum exprimere defectum. Charitas enim est causa eius studij, quo ædificatur ecclesia. Hinc alibi dicit: Scientia inflat, charitas uero ædificat. Vbi ergo illa deest, ibi deficit ædificandæ ecclesiæ studium. Quare cum Petro dominus ouicularum suarum curam commendare uellet, primum illum de dilectione sui percõtabatur dicens: Simon diligis me?

Caute uero non dicit: Si linguis loquar, & ecclesia non ædificatur. Potest enim fieri, ut ex charitate dicat in ecclesia minister, intendatque illam ædificare in fide ac pietate, illa uero omnia frustra audiat, nonnunquam & sermonibus illius contradicat, id quod prophetis & Christo ipsi usuuenit. Hic certe dici non potest, quod sic loquens charitatem non habeat. Satis est ministro, si fideliter & ex charitate agat omnia, etiam si ecclesia fidem ac dilectionem illius, omneque ædificationis studium respuat.

SI linguis hominum loquar, inquit, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens.] Ergo comparat sic linguis sine charitate loquentem æri sonanti, & cymbalo tinnienti. Sonat quidem æs & tinnit cymbalum, uerum sonitu ac tinnitu inani. Sic qui linguis sine charitate loquitur, frustra & inaniter loquitur. Quare? Quia quæ dicit, non intelliguntur, quandoquidem idiomate incognito loquitur, nec curat, ut sit qui interpretetur, quod faceret, si per charitatem ecclesię loqueretur. Sonitu & tinnitu uerborum uerberat quidem aures auditorum, uerum mẽtes illorum non ædificat.

Quare recte uocatur æs sonans, & cymbalum tinniens. Hoc simili pulchre perstringit illorum uanitatem, qui in ecclesia uerba incognita, magno sonitu frustra in aërem spargũt. Quid autem aliud faciũt Canonici, sacerdotes, clerici & monachi? An non & illos recte dixeris æra esse sonantia, & cymbala inaniter tinnientia? Verum quis satis perpenderit, quantis æra hæc & cymbala alantur sumptibus? Nisi saginata, nec sonant nec tinniũt, & tamen frustra sonant, ac uane tinniunt. Mirum quod non cogitant de hac Apostoli sententia quoties nolas & cymbala in templis & sacris suis audiunt, quorum sonitus ac tinnitus plebs superstitiosa perinde intelligit, ac ea quę ab ipsis lingua ignota cantantur.

Aliud conuenit esse iudicium de illis, qui lingua cognita docent populum. Hi etiamsi charitatem non habeant, modo quæ uera sunt ecclesiæ proponant, æri tamen sonanti, & cymbalo tinnienti comparari non possunt, quandoquidem intelligibiliter loquẽtes utiliter etiam audiri & intelligi possunt.

ET si habeam prophetiam, inquit.] A minori charismate exorsus assurgit ad maiora. Maioris nanque momenti est donum prophetiæ, quàm linguarum. Sic assurgendo sententiam suam de charitatis excellentia ac prærogatiua magis ac magis intẽdit, quo dissidia & schismata ipsorum fortius redarguat. Et si habeam prophetiam, inquit. Prophetiam habere, non est unam tantum prophetiam, sed donum prophetiæ habere. Loquitur aũt de prophetia qua futura per spiritũ reuelationis pręscita prædicuntur. Donum hoc quanto humanæ scientiæ uires superat, tanto semper sublimius ac diuinius haberi consueuit, quo nomine etiamnũ in magna sunt existimatione Veteris testamenti prophetæ.

ET nouerim mysteria omnia, omnemque scientiam.] Chrysostomus existimat ista pertinere ad auxesim prophetiæ, quo significet Apostolus loqui se non de mediocri aliquo prophetiæ dono, sed de summo ac tali, cui adiuncta sit omnium mysteriorum cognitio, rerumq; omnium tam diuinarum, quàm humanarum scientia.

Puto eum motum esse ad hanc sententiam ex eo quod ista ueluti cõnexa prophetiæ subiuncta uidentur. Sane magna est affinitas eorum cũ prophetia. Nequit enim facultas prophetandi esse, ubi secretorum Dei nulla habetur sciẽtia. Verum affinitas ista nihil impedit, quominus sint hæc separata charismata, quẽadmodum & nonnulli exponunt.

Apparet autem, quod dicit: Et nouerim mysteria omnia, intelligendum esse de charismate sapientiæ, cuius capite præcedenti in catalogo charismatum mentionem fecit, cui etiam donum scientiæ subiecit, quemadmodum & hoc loco, ubi uide quæ annotauerimus.

Sed rogabit quisquã, quomodo fieri posit, ut cognoscat quis omnia mysteria, omnemq; scientiam

scientiam tam diuinarũ, quàm humanarum rerum habeat, cum sit utrunq; solius Dei.

Respondeo, usus est Apostolus hac hyperbola, non quod possibile sit ulli homini omnia nosse mysteria, omnemq; tenere scientiam, sed ut hyperbolica hac fictione doceat, q̃ nihil sint omnia hæc charismata, etiãsi cui ad summũ usq; gradũ cõtingãt, si desit charitas. Quare non est magis hinc argutandum, fieri posse ut acquirat quis omnium mysteriorum, omniumque rerum scientiam, quàm ex eo quod dixit: Si linguis loquar hominum & angelorum, cõtingere alicui posse, ut non hominum modo, sed & angelorum linguis loquatur. Cum Dauid dicit: Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero ad inferos, tu ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illinc manus tua deducet me, an hinc colligendum est, posse hominem uel in cœlum uel ad inferos, uel ad extremos terminos maris sumptis pennis auolare? Et cum ad Iob à domino dicitur: Si habes brachium ut Deus, etsi uoce simili tonas, &c. Inferẽdumne est, ergo potest homo brachium habere ut Deus, &c. Et ex eo quod Hieremiæ. 51. legimus: Si ascenderit Babylon in cœlũ, &c. Colliget ne quisquam fieri potuisse, ut ascenderet Babylon in cœlum? Consimili modo nõ sunt præsentes istæ hyperbolæ eò rapiendæ, ut ex illis colligamus, posse alicui omnium secretorum cognitionem, & omnem rerum omnium contingere scientiam. Multa cognouit ex secretis Dei, multaque sciuit hic Apostolus, eo tamen scientiæ non ascendit unquam, ut sciret omnia.

ET si habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam.] Transit ad fidem, non eam quæ communis est Christianorum omnium, qua Christiani reddimur, & in conspectu Dei iustificamur, ac corda nostra purificantur, & sine qua nemo Deo placere potest, sed ad eam quam capite præcedenti inter charismata spiritus recensuit dicens: alij uero fides per eundem spiritum. Ea fides miraculorum est, quæ non magis omnibus conferebatur, quàm cætera charismata sapientiæ, scientiæ, prophetiæ, linguarũ, sanationum, &c. De hac cap. præcedenti diximus.

Nec est ut uoculam, omnem, quisquam diuexet, quasi quod dicit: Etsi habeam omnem fidem, idem sit quod: Etsi habeam omnis generis fidem, indeque colligat, non solum de fide miraculorum, sed & iustificante loqui Apolum, id quod sophistæ quidam faciunt.

Primum enim non est necesse, ut sic exponamus, cum uocula omnis tam totum quid, quàm omne genus plerunque significet. Vt cũ Matthæi. 18. legimus: Omne debitum remisi tibi. Et cap. 27. Respondit omnis populus. Et, Tenebræ factæ sunt super omnem terram. Et Lucæ. 2. Vt describeretur omnis orbis. Et Ioãnis. 5. Pater omne iudicium, id est, totam iudicandi potestatem, dedit filio. Et Actorum. 4.

A Cum omni fiducia loqui uerbum tuum. Huiusmodi loquutiones multæ leguntur in scripturis. Sic hoc quoque loco, cum Apostolus dicit: Etsi habeam omnem fidem, exponi potest per specificationem de tota illa fide, quam miraculorum uocant, ut non sit necesse, in genere de quauis fidei specie exponere.

Hoc sensu, omnem habere fidem, est totam habere fidei illius facultatem, qua omnis generis miracula ædebantur à fidelibus.

Deinde, ne quis specificationem fidei huius desyderet, adiectum est ab Apostolo, adeo ut montes loco dimoueam, quibus uerbis satis indicat, de qua fide loquatur. Habent enim specificationem fidei ab illius effectu sumptã. Effectus enim fidei alius est eius quæ credentem iustificat, & alius eius quæ miracula operatur. Si de iustificante fide loqui uoluisset, nõ dixisset, adeo ut montes loco dimoueam, sed, adeo ut perfecte iustus sim, Deum perfecte timeam, deque misericordia illius omnium sim certissimus, & quæ alia sunt huiusmodi. Iam uero cum dicit: Etsi habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam, puto manifestum esse indicium ex effectu, quod de fide miraculorum loquatur.

Si dicas: Etsi habeam omnem gloriam, ita ut ipso sim Salamone illustrior, satis patet de qua gloria loquaris, nempe non de quauis, sed de ea quæ principum est & regum.

Si dicat quis: Etsi habeam omnem eruditionem, adeo ut Platonis nomen extinguam, B puto satis innui, non loqui ipsum in genere de quauis eruditione, sed de ea tantum, in qua Plato excelluit. Sic hoc quoque loco, si absit contendendi libido, plane manifestum est, de qua fide loquatur Apostolus cum dicit: Etsi habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam, nempe de ea per quam miracula & portenta fiebant.

De uerbis autem istis: adeo ut montes loco dimoueam, dictum est in Cõmentarijs nostris super Matth. cap. 17. Vnde illa desumpsisse uidetur Apostolus.

CHARITATEM autem non habeam.] Quoniam prophetia, & fides numerantur hic inter charismata spiritus, nascitur quæstio, quomodo possunt haberi ab aliquo sine charitate. Quod prophetiam attinet, tractat hanc quæstionẽ Augustinus libro secundo ad Simplicium, quæstione prima: Potest quidem inueniri charitas in homine Christiano sine prophetia, & reliquis cõsimilibus charismatibus, prophetiã uero sine charitate dicet forte quisquam inueniri non posse, quemadmodum nõ inuenitur qui corpus habeat, colorem uero non habeat. Verum prophetia & charitas non sic iunguntur in homine Christiano necessario, ut corpus & color. Christianus esse potest, qui prophetiam non habet, modo sit fide & charitate præditus, corpus uero sine colore aliquo potest habere nemo.

Quod aũt posit haberi ꝓphetia sine charitate

tate, nō modo in Bileam cōprobatur, qui cum propheta esset, contra charitatem tamen egisse conuincitur, sed & in Saule rege, qui in ipso proposito innocentem Dauidem occidēdi accepto spiritu Dei unà cum Samuele, ac reliquis prophetis prophetauit. 1. Samuel. 19. ubi usque adeo erat alienus à charitate, ut & generum, & innoxium, imo benemeritum occidere conaretur. Nec est ut dicat quisquam & Bileam & Saulem non bono spiritu Dei, sed malo prophetasse, hic uero loqui Apostolum de prophetia quæ charisma sit spiritussancti. Deinde exempla ista Bileam & Saulis pertinere ad Vetus testamentum, hic uero loqui Apostolū de donis spiritussancti, quæ in Christum credentibus initio Noui testamenti conferebantur, quare aliam esse rationem & conditionem huius prophetiæ, quàm fuerit eius qua Bileam & Saul prophetarunt. Etenim ex ipsa scriptura conuinci potest, bono non malo spiritu prophetasse utrunque, tam Saulem, quàm Bileam.

Num. 22. De Bileam manifestissimum est ex omni illius historia, præsertim ex uerbis angeli. De Saule quoque ex eo patet, quod eodem spiritu cum Samuele & reliquis prophetis in ipso conspectu Samuelis, unà cum ipso & cæteris prophetasse scribitur. Sic enim in Ebræo legit: ותהי עליו גם הוא רוח אלהים id est, Et factus etiam super ipsum, uel, Et factus est super ipsum etiam ipse spiritus Dei. Vocula, etiam omnino indicat eodem ipsum prophetasse spiritu, quo Samuel & cæteri prophetæ prophetarunt. Quod uero hi duo in Veteri testamento prophetarunt, non impedit, quo minus firmum sit argumentum, unde probetur prophetiam haberi posse sine charitate. Idem enim est prophetiæ spiritus, tam in Veteri quàm Nouo testamento.

Verum sententiæ huic, & Christus ipse astipulatur, Matthæi. 7. cum dicit: Multi dicent mihi in illo die: Domine, domine, nónne in nomine tuo prophetauim9, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis dicēs: quia nunquam noui uos. Discedite à me omnes qui operati estis iniquitatem. Puto eos quibus hęc in die iudicij dicturus est Christus, habuisse prophetiam ex dono spiritus Christi, & tamen non habuisse charitatem. Aliàs non possent reijci à Christo, nedum uocari operarij iniqui. Cum ergo tam in Nouo quàm Veteri testamento inueniantur prophetæ sine charitate, omnino relinquitur, haberi posse prophetiā sine charitate. Quod enim factum est, fieri potuisse constat.

Ad eam uero quæstionem, qua quærunt, num & fides possit haberi sine charitate, per diuisionem respōdemus. Refert enim de qua specie fidei quæratur. Si de ea quam uocant historicam palam est, esse illam in multis sine charitate, qua & dæmones sine charitate credunt. Nec moror, siue speciem hanc fidei fidem uoces siue opinionem. Sic est comparata, ut haberi possit sine charitate.

Quod si de ea quæritur, quam miraculorum uocant, & recte indubitatam de potentia Dei persuasionem dixeris, & illam constat haberi posse sine charitate, sicuti ex præcedentibus Christi uerbis patet. Porro si quæstio sit de fide iustificante, quam fiduciam esse misericordiæ Dei in Christo sentimus, hanc dicimus ueram esse non posse, si charitate destituatur. Testatur hoc Apostolus, cum Galatarum. 5. dicit: Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam ualet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem est efficax.

Ergo uera in Christum fides, qua ueri Christiani reddimur, instar ignis est, qui ardore suo attacta comburit. Vt enim uerus ignis esse nō potest, si non sit ardore præditus, ita & uera nō est in Christum fides, quæ per charitatem non est efficax. Quare friuolum est, quod aduersarij nos inani, ac mortuæ fidei iustificationem adscribere dicunt. Sed hac de re in locis nostris.

Quamuis igitur & hyperbolice & hypothetice loquatur Apostolus, ut inde colligi certo non possit, haberi ne queant prophetia, & mysteriorum omnium sciētia, & omnis omnium miraculorum fides sine charitate, ad hunc tamen modum ad propositam possumus respōdere quæstionem.

NIHIL sum.] Sic pronunciat de omnibus illis, qui apud Corinthios propter dicta charismata insolescebant. Dicit eos nihil esse, idque sub suaipsius persona, quo tolerabilius loquatur. Non dicit autem, nihil est, ne ipsa tam magna charismata floccifacere uideatur, sed nihil sum. Per se multum est habere prophetiam, mysteriorum Dei scientiam, & fidem ad facienda miracula efficacem, idque dono spiritus sancti, uerum qui ea sine charitate habet, hoc est, citra charitatem prophetat, deque mysterij Dei loquitur, & miracula ac portenta facit, non ad ædificationem ecclesiæ, sed ad inanem ostentationem, proprij nominis celebritatem, &, quod Corinthij nonnulli faciebant, ad scindendum ecclesiæ concordiam, is demum nihil est, intellige coram domino, & in hac causa. Potest qui talis est, in alijs rebus, & coram mūdo esse aliquid, etiam si hic & coram Deo sit nihil, hoc est, nullius æstimandus.

August. Augustinus de fide ad Petrum diaconum, cap. 37. locum hunc Apostoli citat ad hunc modum. Firmissime tene, & nullatenus dubita omnem extra ecclesiam catholicam baptizatum, participem fieri non posse uitæ æternæ, si ante finem uitæ huius catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus ecclesiæ.

Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia sacramenta (sic legit, quasi idem sit mysterium quod sacramentum) charitatem autem non habeā, nihil sum. Hæc ille.

Primum,

Primum, magna cum ratione controuerti potest, quod salutem illis negat, qui extra catholicam ecclesiam baptizantur, si hoc accipiatur eo sensu, quo hodie Romanam ecclesiam uocant catholicam, extra quam saluari possunt, quotquot syncera in Christum fide credunt, communionemque illius propter horrendam defectionem & manifestas abominationes ex animo fugiunt.

Deinde, quod extra catholicam baptizatũ esse pro eo accipit, quod Apostolus mysteria Dei sine charitate nosse dicit, & coactum est & infirmum.

Etenim non mox charitate fraterna destitutus est, quisquis cum multitudine eius ecclesiæ, quæ se catholicam uocat, non communicat. Potest enim illa sic esse comparata, ut magis sit corruptione, defectione, & adultera communicatione, quàm uera ac syncera Christi fide catholica, id quod hodie notum est omnibus illis, qui ex uerbo domini de uera rectius possunt iudicare ecclesia. Quemadmodũ igitur innumeri sunt in catholica sine charitate, ita & innumeri extra illam uera possunt esse & fide in Christum, & charitate prædìti, nisi catholica uocetur ea ecclesia, quę non multitudine, sed ueritate Dei & communione electorum omnium prophetarum, apostolorum, & fidelium constat.

ET si insumam in alimoniam omnes facultates meas.] Non dubito fuisse in ecclesia Corinthiorũ inter schismaticos, qui distributione eleemosynarum, uel proprij nominis rumusculos, uel sectæ suæ celebritatem uenarentur, atque ita aliquam facultatum suarum partem in suæ sectæ consortes cæteris pauperiores insumerent. Sic enim primi Christiani instituebantur, ut qui ditiores essent egenorum fratrum inopię facultatibus suis succurrerent, cuius rei exempla in Actis Apostolicis legimus. Quare etiam ij, qui non erant uera philadelphia prædìti, ne minus Christiani uiderentur, uel, quo nominis aliquid uenarentur, eleemosynas, perinde atque pij faciebãt, quale est quod de Anania & Saphira in Actis habetur. Ex illis Satan dubio procul plerosque sectarios subornauit inter Corinthios qui studio eleemosynarum applausum cum sibi tum sectæ suæ uenarentur.

Horum studia perstringens, & inania esse docens. Etsi, inquit, insumam in alimoniã omnes facultates meas, charitatem autem non habeã, nihihil utilitatis capio. Intensionem autem habet, quod non simpliciter dicit: Etsi cibauero pauperes, sed, etsi insumam omnes facultates meas, intellige, in cibos pauperum. Sic supremum eleemosynæ gradum exprimere uoluit. Etenim qui omnia sua erogat in pauperes, ut non habet præterea quo altius in hoc studio ascẽdat, sic in illo perfectionis gradum adeptus uidetur.

Quod si ne talis quidem aliquid utilitatis coram Deo consequitur, si charitate destituatur, quanto minus sperandum est illis qui minus aliquid de superfluo absque charitate expendunt.

Locus hic est de eleemosyna, & de largitionibus, quibus maiores nostri facultates suas, cum moriendum esset in saginationem canonicorum & monachorum distribuerũt. Vtinã nostri hodie, uel uigesimam partem ex charitate in usus pauperum insumerent.

ET si tradam corpus meum ut comburar.] Non possumus lectionem eorum recipere, qui pro καυθήσομαι, id est, comburar, legunt καυχήσομαι, id est, glorier, ad hunc modum: etsi tradam corpus meum ut glorier. Sic enim præter rationem subijceretur, & charitatem non habeam.

Nõ enim ex charitate dat corpus suum, qui eo dat animo, ut sit unde glorietur, ut necesse non fuerit eam conditionem exprimere dicendo, & charitatem non habeam, siquidem dixisset: Et si tradam corpus meum ut glorier. Voluit magis intendere quod dixit: Et si tradam corpus meum. Ideo non adiecit, in periculum, uel in afflictiones, uel in mortem, sed, ut comburar. Est enim genus hoc mortis carni acerbissimum, quo homo uiuus flammis in cinerem redigendus, uel ut hodie solent catholici, carbonibus circumpositis crudeli & prolixo cruciatu torrendus & assandus traditur. Quoniam igitur sectarij martyria pro sua religione subire non dubitabant, indeque gloriam quærebant, ut admoneat nihil hinc quoque esse illis emolumenti coram Deo, propter charitatis defectum, particulam hanc adiecit, quasi dicat: Etiamsi grauissimos corporum uestrorum dolores & cruciatus sustineatis, nihil tamen utilitatis ex eo capietis, donec contra charitatem ecclesiam Christi sciderítis. Et ad eandem particulæ huius intensionem facit, quod non dicit: Et si tradatur, sed: Et si tradam corpus meum, ut comburar, ut etiam ea martyria inutilia esse moneat, quæ sponte subeuntur, si desit charitas.

CHARITATEM autem non habeam.] Hoc est, si non affectu charitatis, sed alio quopiam studio, sicut solent sectarij, facultates meas pauperibus alendis erogauero, imò si corpus meum, siue propter fidem meam, siue propter aliam quamlibet causam igni comburendum tradens alienus à charitate fraterna fuero.

Non est autem ut quæramus, quomodo posit quisquam sine charitate omnes facultates suas in pauperes alendos insumere, uel corpus suum ad comburendum tradere. Sic enim cõparatũ est ingeniũ carnis, ut uel pręposterο zelo, uel inanis gloriæ studio, nec facultatibus suis parcat, nec corpori, cuius rei nõ modo exempla permulta extant in historijs, sed & ipsa experiẽtia quotidie in oculos eorũ incurrit qui obseruant.

Vt quid

Vt quid parceret facultatibus illis caro, quę reparari possunt, quando uitæ suæ non parcit, quam semel amissam recuperare non poterit? Et eousque pertinax est, ubi insanire cœpit, ut non modo ferat omnis generis cruciatus aliũde uiolenter illatos, sed & suapte se sponte in illos proijciat. Nemo Mutij manũ igni iniecit, sed ipse hoc ultro ostẽtatiõis gratia fecit. Lacedæmoniensium Diamastigosis, flagellatio uidelicet, utiq; nõ ex charitate, sed inanis gloriæ studio solenniter celebrabatur, adhortantibus parentibus suos adolescentes, ut strenue flagellando perseuerarent, glorię sibi ducentes, si animam citius emitterẽt, quàm corpus flagello subducerent. Huiusmodi flagellatores permulti habentur, etiamnum qui usq; adeo alieni sunt ab affectu charitatis, ut citius sanguinẽ proprium, quàm obulum in usus pauperum profundant. Sacerdotes & prophetę Baal cultris suaipsorum corpora ad sanguinem usque dilacerabant, quo adulteræ suæ religioni consulerent. Peregrinus quidam temporibus Traiani inanis gloriæ mancipium in rogũ ardentem non iniectus est, sed ultro seipse iniecit. In ignes Æthneos insilijt sponte sua Empedocles. Et Heraclitus quoq; cum se stercore bubalo obliuisset igni uolens exustus est. Potuerunt hæc fieri sine charitate, præpostero carnis studio, ut perspicuum sit pertinaciam propositi illius nullis posse doloribus & cruciatibus uinci, non in uiris tãtum, sed & fœminis. Cum Carthagine capta Scipioni supplex esset fact⁹ Asdrubal, uxor illius citius incendium corporis sui, quàm præsentem calamitatẽ ferens, in ardẽtis urbis flammas, sese unà cum filijs suis coniecit. Sit hoc priuatum & rarũ. Quid quod in India nobiles fœminæ, præsertim ciuitatis Tarnasseræ, quintodecimo die post mortem maritorum suorum, ijsdem locis, ubi corpora illorum exusta sunt, accenso rogo uiuas se cõburendas, pro more patriæ, tradunt? Quid ergo mirum si amor Dei & proximi in electis ac fidelibus hoc possit, ut nec facultates, nec propria corpora, si ita uisum sit Deo, impendere dubitent?

NIHIL utilitatis capio.] Dices, quomodo inutile est alere pauperes? Nam etiãsi fiat hoc alio, quàm charitatis studio, interim tamen benefit miseris, & incitãtur alij ad imitationem. Deinde, quomodo non prodest corpus tradere in mortem, propter religionis confirmationem, cum hinc multi in fide confirmentur, etiã si fiat hoc citra charitatem?

Respondeo, non dicit impersonaliter, nihil prodest, nihil habet utilitatis, sed, οὐδὲν ὠφελοῦμαι, hoc est, nihil capio utilitatis, nihil mihi prodest. Quantumuis in se sit magnum & pręclarum, prositque quàmplurimis, facienti tamen utrunq; prorsus est nihil & inutile coram domino, si desit charitas. Quare? Quia non tam factum spectatur à Deo, quàm animi affectus & facti ratio. Et quoniam ipse charitas est, amat eos qui eodem sunt charitatis spiritu prędití. Sic, inquit ille, Deus est charitas, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in ipso. Et Christus Seruator: In hoc, inquit, cognoscemini quod mei discipuli sitis, si charitatem inter uos mutuam habueritis. Seductores itaque sunt, qui morituris uitam æternam pollicentur, si facultates suas pro redimendis animabus suis, uel pauperibus, uel ociosis uentribus tribuant. Nihil enim illis prodest, quia quod faciunt, alieni à charitate fraterna faciũt, & interim hęredibus suis incommodant. Et si martyria quantumuis acerba & insignia nihil prosunt sine charitate, cõsequitur permultos in ecclesijs Papisticis coli pro sanctis, quorum animæ cum hypocritis sunt in gehenna. Non enim moratur Deus corporum cruciatus, sed animum spectat, fide ac dilectione præditum.

Charitas patiens est, benigna est, charitas non inuidet, charitas non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, nõ cogitat malum, non gaudet super iniusticia, sed cõgaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Hactenus primam capitis huius partem absoluit, qua contendit charismata illa spiritus quæ plus æquo magnifiebant in ecclesia Corinthiorum, sine charitate, nihil prodesse habentibus, iam transit ad commẽdandum charitatem, quam celebrat & deprædicat hinc ad finem usque capitis, primum ab ingenio plane diuino, deinde à perpetuitate. Commẽdationem ingenij illius quindecim elogijs admodum præclaris complectitur, quæ sic recenset, ut licet singula uno uerbo exprimat, nihil tamen obscuritatis admisceat, imò cum luce ardorem quendam animi erga charitatem cõiũgat, quem uerborum structura spirat.

CHARITAS, inquit, patiens est.] Græce est, μακροθυμεῖ, quod sonat, lõganimiter agit. Interpretibus magis placuit uertere, patiẽs est. Vocula θυμός sumitur quidem pro animo, uerum significat animum nonnihil motum ac perturbatum, qualis est cum sanguis circa pręcordia incipit ebullire, & in irã efferuescere. Sunt qui id dicant esse in equo θυμὸν, quod ὀργὴ est in homine. Hoc sensu μακρόθυμος idẽ est Gręcis quod Ebræis ארך אפים id est, procul ab ira. Siue accipiamus θυμὸν, pro animo simpliciter, siue pro animi commotione, μακροθυμία est uirtus, qua cohibemur, ne statim excandescamus ac præcipites ad irascẽdum simus, ut recte uerterint, charitas patiens est. Hanc charitati uirtutem propterea adscribit, quod illa hominẽ patientem ac tardum ad iram reddit.

Tribuit scriptura Deo μακροθυμίαν erga peccatores. Vnde hanc habeat admonemur hoc loco, cum dicit Apostolus, charitas patiẽs est. Deus est charitas, ergo consequitur esse eum tardum

tardum ad iram ac patientem. Quanto autem nostro bono talis sit, quis satis cogitauerit, nedum explicuerit? Tolle patientiam à Deo, mox pereat mundus necesse est.

Sic cogitemus de unoquoque mortalium conuictu, contubernio, cœtu, consortio, & ecclesia. Hic si desit charitas, deest patientia. Si desit patientia, omnis societas disturbatur, omnis unitas & concordia scinditur, omnis ordo confunditur, quandoquidem nemo parcit proximo, sed ad leuem offensam cõcitati animi cuncta subuertere moliuntur citius quàm ut condonent admissum, uel ferãt quod uidetur esse molestum. Sapiens non feret stulticiam insipientis, qui docent non ferent tarditatem idiotæ, qui firmiores sunt infirmiorum defectus mox auersabuntur, &c. Quare haud præter rationem est, quod Apostolus elogium hoc patientiæ mox initio charitati tribuit, significans hinc potissimum esse schismata in ecclesia Corinthiorum, quod propter charitatis defectum hac essent mutua patientia destituti. Qui diligit, non facile consortium dissoluit eorum quos diligit, sed omnia tolerat & irremisse satagit, quo concordia seruetur, quoad eius citra offensam Dei fieri potest. Hoc significans dicit, charitas patiens est. Hæc patiẽs καὶ μακρόθυμος charitas præstat quod Basilius epistola. 79. sic dicit: πολλὰ δεῖ μεμνῆσαι καὶ πολλὰς ἀγρύπνους νύκτας διεγερθῆν καὶ μετὰ πολλῶν δακρύων ἐκζητῆσαι παρὰ θεοῦ τὴν ἀλήθειαν τὸν μέλλοντα φιλίας ἀδελφοῦ τιμᾶσθαι.

BENIGNA est inquit.] Gręcè est, χρηστεύεται. Sonat χρηστός, placidum, humanum, comem, unde est uerbum hoc χρηστεύεσθαι, quo tribuit charitati Apostolus, quod sit ingenio placido, miti & humano, cuius oppositum est, esse asperũ, seuerum, ac morosum. Quod uero uerterunt, benigna est, hoc est, ad benefaciendum propẽsa, ex eo est, quod χρηστός sonat etiam utilem, ut χρηστεύεσθαι idem sit quod aliorum utilitati studere. Sane parum refert utrouis modo legamus. Nam utrunq; pręstat charitas, hominem reddens & humanum ac blandum & simul usibus aliorum accommodum. Hanc itaq; charitatem desyderabat in Corinthijs qua redderentur & μακρόθυμοι & χρηστοί, patientes & humani. Etenim si hac præditi fuissent non ita procliues fuissent ad schismata. Qui χρηστὸς est, placidis, suauibus, & humanis moribus, neminẽ facile offendit aut fastidit, & qui μακρόθυμος est, haud facile offenditur. Tales autem sunt qui diligunt. Quare ubi charitas est, ibi non datur locus schismati. Quomodo enim scinderẽtur à se inuicem, qui spiritu charitatis præditi, patientes & humani, nec offendunt quenquam, nec offenduntur facile?

Tales, inquam, reddit charitas fidissima unitatis & concordiæ custos. Ex opposito, sciẽtiæ, iusticiæ, & sanctimoniæ opinio reddit homines inflatos, seueros, morosos, & omnium aliorum contemptores, qui & leui momento offendãtur, & parum soliciti sint, ne quos morositate & asperitate sua offendant. Vbi tales sunt in ecclesia non potest firma esse concordia & unitas. Tales euaserant plerique Corinthiorum, defectu charitatis, ideoque procliues erant ad schismata.

Quod autem ordinem attinet, prior est χρηστότης quàm μακροθυμία. Etenim quamuis utræque uirtutes ex charitatis fonte promanant, est tamen μακροθυμία ἐκ τῆς χρηστότητος, & non χρηστότης ἐκ τῆς μακροθυμίας. Et hoc ordine ad Rom. cap. 2. sic ponuntur. Aut diuitias τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας contemnis, quo loco Deo, qui ipsissima charitas est, benignitas, uel ut Erasmus & uulgatus interpres habent, bonitas, tolerantia, & lenitas tribuitur. Hunc tamen ordinem haud constanter seruat Apostolus. Nam Gal. 5. ubi fructus spiritus recenset, sic dicit: Fructus spiritus est charitas gaudium, pax, μακροθυμία χρηστότης, ἀγαθωσύνη, &c.

CHARITAS, inquit, non inuidet.] Vulgatus interpres uertit, non æmulatur. In Græco est: οὐ ζηλοῖ. Significat autem zelus uehementis amoris studium, & inde transfertur ad æmulationem & inuidiam quoque, quæ propter rem amatam nascitur in animo amantis. Quoniam autem uerbum æmulari aliquando pro zelo amoris quenquam prosequi, aliquando imitari amatum, nonnunquam pro inuidere cuipiam rem amatam accipitur, non satis expressit uulgatus interpres sensum Apostoli per uerbum æmulandi. Etenim non recte darentur charitati priores duæ significationes, quare tertia usurpanda erat, ac uertendum, charitas non inuidet. Quid est autem non inuidere aliud, quàm gratulari proximo quamuis rerũ prosperitatẽ, etiam eorum bonorum, charismatum, ac uirtutum communicationem, quibus uel potiti sumus nos uel potiri uellemus. Sic uero animatus esse poterit nemo, nisi per spiritum Dei affectu sit charitatis præditus. Etiamsi charismata illa quæ suprà recensuit, in unum aliquem hominem cõferantur omnia, haud tamen poterant illum liberum reddere ab inuidia, quam sola excludit charitas. Vbi autem inuidię morbus obtinet, ibi non potest sana ecclesiastici corporis esse constitutio, id quod in ecclesia Corinthiorum patuit, ubi per schismata fuit diuulsa & instar dissolutæ scopæ facta.

CHARITAS non est procax.] In Græco est, ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται. Chrysostomus exponit, οὐ προπετεύεται. Significat autem προπετεύεσθαι προαρπάζειν τί, καὶ παρὰ τὸν καιρὸν παῤῥησιάζεσθαι, id est, priusquam tempestiuum sit aliquid præripere & præsumere. Tractum est autem à pullis adhuc implumibus, uolare gestiẽtibus, priusquam possint. Et addit Chrysostomus. Reddit enim charitas prudentem grauem ac firmum. Ergo περπερεύεσθαι idem est Chrisostomo, quod leuem & procliuem esse ad præsumendum quiduis intemperanter. Tales erant Corinthij, cum suam quique cœnam alijs non expectatis prȩsumerent, quod utique non fecissent

cissent si fratres dilexissent. Basilius ἐν ὅροις κατὰ τὴν ἐπιτομὴν, ὅρωτ. μθ. sic scribit: τί ἐστι περπερεύεσθαι; πᾶν ὃ μὴ διὰ χρείαν ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται περπερείας ἔχει κατηγορίαν. Hoc est. Quid est περπερεύεσθαι; Quicquid non necessitatis, sed ornatus gratia usurpatur, de perperia accusatur. Hoc sensu perperàm agere, intemperanter est & ostentanter agere. Quid Erasmus senserit, dum uertit, non est procax, in annotationibus illius uide.

Meo iudicio, retinenda est Chrysostomi sententia, nisi placet eorum expositio, qui περπερὸν, μετὰ βλακείας ἐπηρμένον, id est, cum iactantia elatum esse dicunt, aut eorum, quibus perperàm agere, contumaciter & contumeliose est agere. Generalius est quod nonnulli exponũt, Non agit perperàm, id est, peruerse, quàm ut huic loco conueniat. Germanicus interpres uertit, *Die liebe schalcket nitt.*

Tribuit igitur charitati, quod reddat homines non intemperanter præcipites, leues, inconstantes, & facile quod non deceat pręsumentes, quales erant ex Corinthijs nonnulli, sed graues & constantes, qui non facile ad dissoluendam ecclesiæ unitatem & concordiam prorumpãt, id quod assolent, qui procaci sunt ingenio præditi, quo uicio iuuenes plerunq; laborant, & mulierculæ, illi propter ætatis, hę propter sexus leuitatem.

NON inflatur.] Græcè est, οὐ φυσιοῦται. Sonat autem φύση aliquando follem, aliquando flatum. Et Latinis uerbum inflandi per metaphoram ad animi transfertur superbiam & arrogantiam, perinde atque Græcis uerbum φυσιοῦσθαι. Arrogans enim, qui perpetuo glorias suas & arrogantiam spirat, similis est folli inflato, & uentos spiranti. Vnde & gloriosulos & arrogantes uentosos uocant. Inflationis huius metaphoram posuit hic Apostolus pro superbia animi inflati & arrrogantis. Mater illius nõ est charitas, sed corruptæ ac uanæ mentis leuitas, quæ opinione propriæ, uel iusticię, uel sanctimoniæ, uel opulentiæ, uel scientiæ, aut terreni successus, uel qualitercunque acquisiti honoris, ueluti uento quodam inflata turgescit, insolescit, & arrogantiam spirat. Hinc illud est: Scientia inflat, charitas ædificat, suprà capite octauo, ubi uide quæ sint annotata. Charitas omnes animi uirtutes ac dotes sic retinet & conseruat in ordine, ut singulæ possint esse ad ædificationem ecclesiæ utiles, dum animi inflationem & arrogantiã excludit, quæ ubi obtinuerit, omnia peruertit ac destruit. Huc puto respicere Apostolum, cum dicit: Non inflatur.

Itaque ex hac Apostoli sententia, charitas non inflatur, firmissime colligitur, alienos esse à charitate omnes eos qui existimatione nominis qualicunque, uel aliàs undecunque erga fratres inflantur. Inspice nunc omnes ecclesias, omnia collegia, omnia monasteria, omnes episcoporum, cardinalium, prælatorum, ac doctorum synodos, & uide quàm sint liberi ab hac inflatione. Vbi de gradibus, ordinibus, prærogatiuis, prælaturis ac titulis tantopere contenditur, putabimus ne omnia citra inflati animi arrogantiam geri?

NON est fastidiosa.] Vulgatus interpres habet, non est ambitiosa. In Græco est, οὐκ ἀσχημονεῖ, hoc est, non agit indecenter & inuerecunde, intellige, contra proximũ. Quatenus quicquid præter decorum & honestum inuerecundius agitur, sub uerbo ἀσχημονεῖν compræhenditur, hactenus sub illo compræhendi potest & ambitio, ut ambitiosum esse, sit ἀσχημονεῖν, uerum non mox omnis ἀσχημοσύνη, pro ambitione est accipienda. Quare contractius est quod uulgata uersio habet, nõ est ambitiosa. Latius enim patet uerbum ἀσχημονεῖν. Nec Erasmi uersio probatur. Sequutus ille uidetur expositionem Chrysostomi, cui οὐκ ἀσχημονεῖν idem est quod non uerecundari, non pudefieri, non indecorũ iudicare, non fastidire rem ullam, quæ commodis proximi seruiat, quantumuis indecora uideatur. Sic sentiens Erasmus uertit, non est fastidiosa. Sane charitatis hoc quoque est ingenium, ut nulla de re uerecundetur, quã nouit in usum eius cedere quem diligit, nec quicquam sit tam humile, quod non illius nomine & gratia subeat. Non fastidit humilem, infirmum, contemptum, indoctum & idiotã, & ne peccatorem quidem, modo spes sit resipiscentiæ. Verũ an οὐκ ἀσχημονεῖν idem sit quod non pudefieri, non uerecundari, non turpe ducere, iudicent alij. Constat simplici sensu οὐκ ἀσχημονεῖν idem esse quod haud indecẽter, haud turpiter & haud inuerecunde agere, nihil agere quod uirum bonum, honestum, & iustum dedeceat. σχῆμα sonat formam, figuram, externam personam, habitum, compositionem, colorem, ornatum uniuscuiusque rei. Est autem unicuique homini suum peculiare & competens σχῆμα, est σχῆμα etiam quouis modo usurpatum & effictum. Habet ecclesia, habet homo fidelis suum, habet hic mundus suum, habet suum secundum naturæ conditionem genus humanum. Cum Apostolus Philippensium secundo, Christum in forma & habitu ueri hominis inuentum esse dicere uellet, dixit, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Et cum figuram, formam, externum habitum, aspectum, ac statum mundi huius perstringeret, instabilemque esse diceret, παράγει γάρ, inquit, τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. Quod nos itaque Germanice uocamus, *Ein gestalt eines yeden dings*, id Græci uocant σχῆμα. Et quod uocamus, *Ein vngestalt*, id ipsi uocant ἀσχημοσύνην, qua uoce utuntur plerunque pro indecoro, quod sit præter morem & decorum publicum. Vt exempli gratia, inuenias ubi indecorum sit si filiam suam pater ultra iustam ætatem, uirginem domi suæ detineat. Hoc suprà capite septimo uocat ἀσχημονεῖν. Cum ergo cuiuis ætati, sexui, ordini, tempori, professioni, disciplinæ, suum sit σχῆμα, omnino ἀσχημονεῖ, quisquis præter decorum uel publicum, uel priuatum sui status,

sexus,

sexus, ordinis, professionis, &c. aliquid agit, &is quoq;, qui cōtra proximi sui σχῆμα quicquam præsumit. Et utrunque hoc carni nostræ facillimum est, quatenus non curat, quomodo & quàm indecēter agat cum fratribus, curat uero charitas. Germanicus interpres reddidit, *sie stellet sich nitt vnbedtig*. Et explicādi gratia glossulam adiecit, *wie die zornigen / stœrrigen / vndultigen kœpff thuond*. Sane fœda est ἀσχημοσύνη irascentium, ferocientium, & implacate indignantium, quo uicio plerunque laborant superbi & potentes. De talibus Germanice dicere solemus, *sihe wie er sich zerstellt*, ὡς ἀσχημονεῖ.

NON quærit quæ sua sunt.] Suprà capite decimo communiter adhortatus est omnes, ut singuli quæ aliorum, nemo quæ sua sint ipsius quærat. Et eius rei exemplum in seipso proposuit, dicens: Quemadmodum ego per omnia omnibus placere studeo, non quærens meam utilitatem, sed multorum ut salui fiant. Hic idem inculcans unde sit eiusmodi affectus aperit, cum dicit: Charitas non quærit quæ sua sunt. Significat, quod Corinthij suæipsius quisque utilitati studebant ex eo fuisse, quod charitatis essent spiritu destituti.

Quid sit uero, non quæ sua, sed quæ aliorū sunt quærere, & cum qua sit hoc discretione faciendum, supradicto iam capite admonuimus. Dum facit hoc charitas, non negligit seipsam, sed rebus suis omnium consulit pulcherrime, dum communi est ecclesiastici corporis saluti procurandæ ac seruandæ dedita. Dum caput pro toto corpore solicitum est, ac cunctis illius membris rite moderandis intentum, hoc ipso sibijpsi melius consulit, quàm si neglectis reliquis membris quæ sua sunt, duntaxat quæreret. Et pedes non possunt sibijpsis prospicere melius, quàm si toti corpori seruiant. Optime consultum est singulis membris, dum omnia communi consensu corporis integritati ac saluti conseruandæ student. Sic habet & ecclesiæ conditio. Verum quoniam spiritu charitatis destituimur, & nemo quod aliorum, sed quæ sua quærunt singuli, quid aliud expectandum est, quàm ut tandem de summa rerum omnium periclitemur? Etiam illi quorum officium poscit ut serui sint omnium, quærantque non quæ sua sint, sed quæ aliorum, neglectis rebuspublicis, toti subseruiunt proprijs ac priuatis. Hodie sub Christiani nominis professione ita sunt luxata ac diuulsa omnia, ut nec regnum regno, nec principatus principatui, nec ciuitas ciuitati, nec ciuis ciui, nec ecclesia ecclesiæ, nec minister ministro, nec frater fratri ex animo cohæreat. An non reipsa impleri uidemus, quod Christus futurum prædixit, ut refrigescat charitas? Frigus autem charitatis ardor est philautiæ, quo non seruatur communis corporis incolumitas, sed consumitur ac perditur. Charitas naturalis est ac uitalis calor, unde uita corporis seruatur, philautia uero febrilis ardor est, omnes corporis uires depascens ac perdens. Cum igitur pestifera hac febri nunc omnia membra laborent, nemo cordatus non intelligit certum nobis imminere exitium.

NON irritatur.] Græcè est, οὐ παροξύνεται. Significat autem παροξύνεσθαι aliquando exacerbari, nonnunquam concitari. Nam uocula ὀξύ, unde componitur & uelocitatis & aceti significationem habet. A priore significatu est, quando παροξύνεσθαι concitari significat. Vnde est & ὀξύθυμος, id est, concitatus animus, cuius oppositum est μακρόθυμος, id est, longanimis, lenis, patiens, procul ab ira, qualem paulò suprà charitatem descripsit. A posteriore est, quando exacerbari sonat. Inuenias qui cito ac leui momento ad irascendum permoueatur, quem recte uocabis ὀξύθυμον, irritabilem. Rursus inuenias qui tardior quidem sit ad iram, uerum irascendo nimium excandescat & exacerbetur. Cum utrunque sit παροξύνεσθαι, puto utrunque alienum esse ab ingenio charitatis, intelligendumq; in eo quod Apostolus hic de illa dicit, οὐ παροξύνεται.

Sed rogabit hic quisquam, quomodo tribuatur huic Apostolo Acto. decimoseptimo, quod spiritus ipsius παρωξύνετο in ipso, ubi Erasmus uertit, incandescebat, uetus uero, incitabatur, si charitas neque incandescit, neque incitatur ad iram. Facilis hic est responsio. Paroxysmus ille spiritus Apostoli erat ex zelo Dei, hoc est, ex ardentis amoris Dei affectu, contra eidololatriam Atheniensium, cui tota erat dedita illorum ciuitas. Hunc zelum Dei charitas fraterna non extinguit. Quod uero propter Iohannem cognomento Marcum, inter Paulum & Barnabam paroxysmus fuit, Act. decimoquinto, (quem Erasmus acrem disceptationem, uetus interpres dissensionem uertit) ita ut à se inuicem seiungerentur, animi puto dandum esse impotentiæ. Etenim pij quoque nonnunquam tale quid admittūt, unde homines esse se experiantur. Interim habet & charitas suam iram, qua non fratribus delinquentibus, sed peccatis irascitur, nec tale quid irascendo admittit, quod incommodet fratribus, ad quem modum mater nonnunquam filio suo irascitur, quem tenerè diligit.

NON cogitat malum.] Græcè est, οὐ λογίζεται. Significat autem uerbum λογίζομαι & imputo, & reputo, & cogito. Vt quando fidem imputari pro iusticia dicit, utitur hoc uerbo in passiuo, Credidit Abraham Deo, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ, ad iusticiam. Cum uero commune non esse dicit, nisi ei qui reputat commune quid esse, inquit, εἰ μὴ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι. Romanorū decimoquarto. Sensu autem cogitandi usurpauit Philippensium quarto, dicens: ταῦτα λογίζεσθε ἃ καὶ ἐμάθετε, id est, Hæc cogitate, quæ & didicistis. Hoc triplici sensu usurpatur in scripturis uerbum hoc λογίζω & λογίζομαι. Sic malum, qui malus est, & proximum odit, tripliciter λογίζεται. Primum omnia quæ dicit & facit,

facit, imputat illi pro malo. Deinde reputat illum esse malum. Et quæ ab illo fiunt, in speciem uel etiam ueraciter mala reputat & exaggerat. Tertio, cogitat etiam illi malum, hoc est, machinatur illius perniciem, & meditatur sedulo, quibus illum modis uel perdat uel lędat. Hæc tria pertinent ad ingenium odij, & nota sunt nimium. Quemadmodum autem opposita est odio charitas, ita charitatis ingenium quoque oppositum est ingenio odij. Igitur charitas pro suo ingenio nec imputat fratri malum, nec reputat, nec cogitat. Quæ fiunt à fratre, benigne interpretatur, & si quid ille mali fecerit, non reputat, sed extenuat, & cogitat illi non malum, sed bonum, paratus ad omnia, quæ rebus illius commodare poterunt. Sicut itaque ingenium odij omnem unitatem & concordiam ecclesiæ dissoluit, ita charitatis ingenium ædificat. Admodum ergo competenter Apostolus uerbum λογίζεσθαι usurpauit in hac causa, quo charitatis ingeniũ perfectius, quod præsentem particulam attinet, exprimeret, quemadmodum & in proxime præcedenti usus est uerbo παροξύνεσθαι.

Chrysostomus hæc duo, οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακὸν, coniunctim exponit, idque per amplificationem uirtutis huius, quod charitas non modò uincat iram si obrepat, sed ne admittat quidem, & non modo malum non faciat, sed ne cogitet quidem. Sane magna est horum cognatio. Si cogitare malum acceperis pro intentare aliquid mali, potest quod dicit, οὐ παροξύνεται, id est, non irritatur, tanquam causa illius accipi. Vt enim irasci causa est maleficentiæ, ita non irritari, causa potest esse, unde nihil mali machineris in proximum. Si uero legeris, non reputat uel οὐκ ὑποπτεύει, id est, non suspicatur malum, potest illud, οὐ παροξύνεται, accipi pro effectu eius uirtutis, qua nihil mali de proximo suspicatur qui diligit. Omnino sic sunt hæc duo, παροξύνεσθαι καὶ λογίζεσθαι τὸ κακὸν, sic comparata, ut quocunque sensu accipiantur, ægerrime à seinuicem diuelli queant. Quisquis iræ locum præbet, procliuis est ad nocendum ei cui irascitur. Ira uiri iusticiam Dei non operatur. Rursus, qui pro malicia ingenij sui malum cito uel imputat, uel reputat, uel cogitat proximo, omnino procliuis est ad iram, & facili momento aduersus illum exacerbatur. Quare præter rationem non est, quod ista à Chrysostomo coniunguntur, & coniunctim exponuntur.

Annotarunt alij prouenire utraque ex duabus μακροθυμίας καὶ χρηστὰς uirtutibus, quas primo loco charitati tribuit.

NON gaudet super iniusticia, sed congaudet ueritati.] Hoc est, non delectatur iniusticia, sed delectatur ueritate. Potest uarie exponi.

1 Primo sic. Non est iniqua & maliciosa, ut lætetur si malefecerit, & exultet in rebus pessimis, sicut solét qui maligno sunt ingenio prędit, sed magis delectatur studio benefaciendi, & ex æquo ac ueraciter agendi cum proximo. 2 Deinde si diceret, sed gaudet ueritate, posset uideri sic dictum. Non est hypocritica & fallax, ut gaudeat hypocrisi, sed uerax & syncera, ut gaudeat ueritate ac fide, quo sensu iniusticia pro hypocrisi & mendacio sic acciperetur ut sit opposita ueritati.

3 Tertio, quoniam non simpliciter dicit, sed gaudet ueritate, sed, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, id est, congaudet autem ueritati, existimo manifestum esse, quod non de ipsius diligẽtis, sed eorum quos diligit ueritate, id est, synceritate ac fide loquatur, cui charitas faueat & congaudeat ex animo. Et apparet hunc esse sensum. Fidelis homo, uera & Christiana charitate prędit, non gaudet, si uiderit iniusticiam exerceri inter fratres, sic ut frater cum fratre inique & improbe agat, sed super ea iniusticia magis contristatur ac dolet, delectatur uero fide ac synceritate fratrum, & congaudet omnibus illis, cum quibus ueraciter, candide ac fideliter agitur, atque ita dolet cum dolentibus, & gaudet cum gaudentibus. Hoc genus doloris & gaudij locum non habet, ubi hæreses & schismata obtinent in ecclesia. Sic enim sectariorum est ingenium, ut magis doleat ipsis, si qui non sunt de ipsorum secta, recte se gerant, uolupe uero sit si male, iniuste, & flagitiose agant, id quod nostro sæculo nimium experimur. Sic dubio procul fiebat in ecclesia Corinthiorum, propter studium sectarum. Quod pauperes contemnebantur in cœna dominica, non dolebat ei sectæ, in qua contemptores pauperum erant. Quod scortator ille rem habebat cum nouerca sua, non contristabat sectarios, sed magis reddebat inflatos, qua de re uide suprà capite quinto. Huiusmodi ingenia aliena sunt à Christiana charitate, quæ non gaudet si exoriantur in ecclesia iniquitas, iniusticia, inuidia, scandala, schismata, falsa dogmata, falsi cultus, contentiones, &c. sed contristatur, dolet, ac luget ex animo, ueritati uero congaudet, si illa uigeat in ecclesia, & regnet in omnium mente, affectu & conuersatione.

OMNIA suffert.] Græcè est, πάντα στέγει. Verbum στέγειν, significat aliquando obtegere, unde στέγη tectum sonat, sicuti Matthæi octauo legimus: Vt intres ὑπὸ τὴν στέγην μου, & Marci secundo: ἀπεστέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν, aliquando κρύπτειν, id est, abscondere, nonnunquam βαστάζειν, ὑπομένειν, & ἀνέχειν, id est, portare, tolerare, & sufferre. Suprà capite nono dixit hoc sensu πάντα στέγομεν, id est, omnia sufferimus. Ad seruandam unitatem inter fratres summopere sunt hæc duo necessaria. Vnum, ut delicta fratrum non manifestentur & exagitentur, sed obtegantur & abscondantur.

Alterum, ut alter alterius onera, infirmitatem, & iniurias quoque & offensas portet ac sufferat. At hæc non præstat, nisi charitas quæ pro suo ingenio peccata fratrum, quoad eius potest, perinde atque nuditatem corporis obtegit

tegit ac celat, & omnia citius tolerat, portat & suffert, quàm ut ullam unitatis rumpendæ occasionem præbeat. Quare rursus tale uerbum usurpauit Apostolus quod utrique sensui seruiret, dicens, πάντα στέγει, id est, omnia tegit ac suffert. Qui diligit triplici nomine suffert omnia. Vt exempli gratia. Qui diligit amicam, pro illa, propter illam, & ab illa quæcunque inferũtur constantissime suffert. Quæ ad illius commoda facere poterunt, etiamsi molesta sint admodum, perfert. Quæ propter illam inferuntur ab alijs, probra, & aduersa, & omnis generis discrimina, patienter tolerat omnia. Et ea quoque, quæ ab illa inferuntur & imponuntur, absque omni tergiuersatione sustinet omnia. Et hæc omnia leuia toleratu reddit amor. Consimili modo & charitas fraterna tales nos reddit qui sufferamus omnia pro fratribus, propter fratres, & à fratribus ipsis illata. Tolle hanc charitatem, non stabit unitas & concordia, dum nihil prorsus, neque pro fratribus, neque propter fratres, neque à fratribus ferre sustinemus. Cum ergo Corinthij charitate hac destituerentur, & nec aliquid uel à fratribus uel pro fratribus, uel propter fratres sufferre possent, nimis erant ad schismata procliues.

OMNIA credit.] Quemadmodum malũ non suspicatur charitas, sed secũdum seipsam de alijs sentit & iudicat, ita facilis est ad credendum quæ ab ijs quos diligit narrantur & prætexuntur omnia. Hac autem credendi facilitate fit ut frequenter fallatur, unde tamen non redditur ad credendum difficilis. Alioqui non staret, quod hic ab Apostolo omnia credere dicitur. Qui semel atque iterum falsus nemini postea credere sustinet, nec charitate præditus, nec omnia credere dici potest.

Quæsierit autem quisquã, quomodo prędicetur hoc in charitate ab Apostolo, quod omnia credat, cum omnia credere & stultum sit & periculosum? scripturaque hoc tribuat לפתיים, id est, paruulis & ætate & sensu, hominibus simplicibus, Prouerbiorum decimo quarto dicens: פתי יאמין לכל דבר, id est, simplex ac paruulus credit omni uerbo. Et propheta Micheas capite septimo dicat: Noli credere amico tuo. Et primę Iohannis quarto legatur. Nolite omni spiritui credere, moneatque Christus, ut simus simplices quidem sicut columbæ, iuxtà uero prudentes sicut serpentes, caueamusque à falsis prophetis, qui ueniunt ad nos in uestimentis ouium, quæ monita frustra sunt, si laudabile est credere omnia.

Respondeo. Distinguendum est inter ea primum quæ fidem ac religionem nostram, & ea quæ res humanas ac terrenas concernunt, deinde & inter eam credendi procliuitatem quæ est ex stulticia & leuitate cordis, & eam quæ ex spiritu charitatis proficiscitur. In causa religionis non habet locum hæc omnia credendi facilitas, sed requiritur summa cautio, ne cuiuis dogmati ac spiritui credamus, iuxta illud probate spiritus, utrum ex Deo sint, & illud: Omnia probate, quod bonum est tenete, & quæ alia sunt eiusmodi. In religione non recte dixeris, charitas omnia credit. Neque enim fides erga Deum ex charitate est, sed charitas ex fide. At in rebus humanis fides ista qua fratribus haud difficulter credimus, aut est ex simplicitate ac leuitate cordis, aut ex ingenio charitatis. Contra credulitatem quæ ex leuitate cordis est, facit locus Prouerbiorum suprà citatus, & quæ Ecclesiastici decimotertio & decimonono leguntur, utpote: Ne credas multis uerbis. Itẽ. Ne omni uerbo credas. Et. Qui cito credit, leuis est corde. Hanc animi leuitatem scriptura utique & recte reprobat. Verum quis non uidet quàm sit illa longe diuersa à charitate fraterna, quamque aliud sit temere omnia credere leuitate cordis, & aliud, sic diligere fratrem, ut nescias male de illo sentire ac sinistri aliquid suspicari, ideoque facilem esse ad credendum ea quæ ab illo dicuntur ac prætexuntur?

Est autem duplex genus fidei. Vnum quo quæ audimus uera esse credimus. Alterum, quo confidimus, quo sensu fidem fiduciam uocamus. Multum est utrunque discriminis. Non mox fidit qui credit. Iacobi secundo legimus, καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσιν. Id est, & dæmonia credunt, quod non potest uerti. Et dæmonia confidunt. Quemadmodum nec illud suprà capite undecimo: Audio inter uos esse schismata, καὶ μέρος τι πιστεύω, id est, ex parte credo. Credebat, non confidebat. Quod uero Marci quinto & Lucæ octauo legimus, μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, id est, ne timeas, tantum crede, rectius uertitur, tantum confide, quemadmodum & πιστεύειν εἰς τὸν θεὸν, καὶ χριστὸν, καὶ εἰς ὄνομα χριστοῦ, omnino est fiduciam locare in Deum, in Christum & in nomẽ Christi. Cum ergo charitas & credat fratribus omnia, & in omnibus bona sit erga illos fiducia, recte usus est Apostolus uerbo, πιστεύει, quo illi utrunque & credendi & fidendi affectum tribueret. Ex opposito recte dixeris, ἡ ἔχθρα οὐδὲν πιστεύει, id est, Inimicitia nihil credit, nihil fidit. Etenim qui inimicus est, nihil credit nihilque fidit, sed omnia habet suspecta, & diffidit in omnibus.

OMNIA sperat, omnia sustinet.] In Græco est ὑπομένει, quod nonnunquam ferre ac pati, nonnunquam expectare ac perdurare significat, quo sensu usurpatum est hic ab Apostolo. Et uerbum sustinendi posuerunt interpretes sensu expectandi. Aliàs idem bis diceretur, si positum esset sensu perferendi uel sufferendi. Cohærent ista. Credere, sperare, & sperando ad finem usque constanter perdurare. Exigit conuictus noster & societas nõ ecclesiastica tantum sed & ciuilis & domestica, ut alia credamus inuicem in præsenti, alia speremus in futurum, & ne spes ista charitatis breuis sit & momentanea, qualis est quæ ex leuitate

prouerb 14

uitate cordis proficiscitur, expectando perseueremus. Nequit esse spes firma, nisi constanter sustinendo omnem impatientiam excludat, quæ si admittatur, non modo spem de fratre conceptam extinguit, sed & omnia reliqua ad charitatem pertinentia labefactat.

Quemadmodum autem & alij monuerűt, non sunt ista, charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet citra discretionem in uniuersum ad omnia referenda, sed ad ea tantum, quæ homo pius ac syncere, non secundum carnem, sed secundum spiritum diligens sufferre, credere, sperare ac sustinere potest, potest autem omnia, quæ nec Deo displiceant, nec pietati repugnent, neque fratris, quem diligit, saluti incommodent. Sine hac discretione prorsus uiciosa esset ea dilectio, quæ indiscriminatim ferret, crederet, speraret, & sustineret omnia, imò si urgeas uniuersaliter, prorsus impossibilis. Quare sicuti suprà capite nono, illud: Omnibus factus sum omnia, ultra normam ueræ pietatis & iusticiæ non extendimus, ne ex Apostolo uel mendacem, uel impium & inhonestum adulatorẽ faciamus, ita hic quoque intra limites liciti, iusti, & honesti includendum est, quod charitatem omnia sufferre, omnia credere, omnia sperare, & omnia sustinere dicit.

Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ uero abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia abolebitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, ast ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.

Hactenus charitatem commendauit, primum ab eo quod omnibus est charismatibus usqueadeò præstantior, ut sine ipsa nihil illa prosint habenti, deinde ab illius ingenio plane diuino, & ad concordiam, pacem, & unitatem in ecclesia conseruandam appositissimo. Iam consequenter tertiam illius præstantiam subijcit, quam in eo consyderandam proponit, quod perennis est, nunquam cessans, sed in sempiternum durans, cum tamen prophetiæ, linguarum, & scientiæ charismata cessent & aboleantur. Sic dicit:

CHARITAS nunquam excidit.] Quod in Græco est ἐκπίπτει, uariæ significationis uerbum est.

1 Primum, ἐκπίπτειν dicitur, qui in examine insufficiens depræhẽditur & reprobatur, quo sensu Germanice dicimus, *Er ist durch die reüter gefallen.*

2 Deinde, qui ciuitate eijcitur & expellitur, & is ἐκπίπτειν dicitur. Sic qui excommunicatur ab ecclesia, ἐκπίπτει τῆς ἐκκλησίας.

3 Tertio, idem est quod emanare foras, & prorumpere. Aqua è fonte ἐκπίπτει, & milites in præsidio constituti, dum erumpunt in hostem ἐκπίπτουσι, Germanice dicimus, *Sie sind herauß gefallen.*

4 Quarto, ἐκπίπτειν est ab alio ad aliud degenerare: ut, εἰς ἀλλότριον βίον ἀπὸ τ᾽ προτέρου ἐκπίπτειν.

5 Quinto, deficere & cessare significat. Et hoc sensu positum hic est ab Apostolo. Quare uerti poterat: Charitas nunquam cessat, uel, nunquam deficit.

Chrysostomus exponit de constantia charitatis, qua in hac uita non deficit cuncta ferendo, credendo, sperando ac sustinendo: οὐ διακόπτεται, inquit, καὶ οὐ διαλύεται τῷ φέρειν. ὁ γὰρ φιλῶν οὐδέποτε μισῆσαι δύναται κἂν ὁτιοῦν γίνηται. Est quidem insignis hæc charitatis uirtus, quod non est instabilis & fallax, qualis est amor carnis, sed constans ac firma. Verum si sequentem collationem inspiciamus, qua prophetijs, linguis, &c. confertur, puto perennitatem illius prædicari, qua sic est perpetua, ut post hanc quoque uitam in futuro sæculo perduret. Et sic exponit Hierony. dicens: Ipsa sola permanet in futuro. Et Ambrosius quoque: Et in præsenti prodest, inquit, & in æternum cum Deo manet.

At hunc sensum arripiunt pro suo dogmate confirmando, qui mortuos sanctos ex hac uita ad cœlestem translatos, pro uiuentibus nobis in cœlis ad Deum orare & intercedere haud secus affirmant, quàm si præsentes hoc uiderint. Ecce, inquiunt, charitas sanctorum non terminatur hac præsenti uita, sed in futura quoque durat. At illa sic est comparata, ut oret pro miseris & afflictis. Fecerunt hoc sancti in præsenti uita ex charitate, faciunt igitur & in futura, quandoquidem adhuc eadem sunt charitate prædití. Nos uno uerbo respondemus. Charitas in se est eadem, uerum alij atque alij sunt illius effectus, iuxta uarietatem status & rerum, in quibus uersatur. Ipsa per se perennis est, uerum non sunt mox perennes omnes illius effectus. Conspectu miseriæ mouetur ad misericordiam, & si nequit ipsa succurrere, orat pro miseris ad dominum. Cibat esurientes, potat sitientes, inuisit & consolatur infirmos ac captiuos, hospitio accipit peregrinos, uestit nudos, flet cum flentibus, &c. Hæc facit in eo rerum statu constituta, in quo & aspectu miserorum permouetur ad compassionem, & pro facultate quam habet, talia præstare potest. Is status autem præsentis est uitæ, non futuræ. Quare fieri non potest, ut quæ facit in hac uita, faciat etiam in futura. Non dicit Apostolus: Opera charitatis non excidunt, sed: Charitas non excidit. Et spiritus noster non excidit. At opera illa quæ facit in carne constitutus, non est facturus extra carnem in cœlo. Paralogismus igitur est, quo isti tribuunt accidentibus, quod solius est subiecti. Charitas sanctorum perennis est, oratio & intercessio non ita. Sed hac de re annotarunt & alij, & nos in Cõmẽtarijs nostris super Matthæum

thæum capite sexto, nonnulla attigimus.

SIVE prophetiæ, inquit, abolebuntur, &c.] Quoniam alij charismata prophetiæ, linguarum, scientiæ, &c. plus quàm charitatem suspiciebant, alij propter illa insolescebant, rursus illa infra charitatem esse docet, idque facit per collationem, qua temporaria charismata & desinentia cōfert charitati perenni ac nunquam desinenti. Ideo cum dixisset: Charitas nunquam excidit, subiecit: Siue prophetiæ autem abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia abolebitur. Quasi dicat. Siue prophetiæ uero, siue linguæ, siue scientia (per hæc autem charismata & alia eius generis intelligit) charitati conferantur, longè sunt inferiora. Nam haud, ut illa, indesinenter perdurant, sed abolebuntur, desinent & cessabunt.

Existimant nonnulli fratres, particulam hanc sic esse legendam. Charitas nunquam destituit, aut aberrat, etiamsi prophetiæ destituant. Vt sit sensus, etiamsi prophetiæ nos uel linguæ uel scientia destituant, charitas tamen tanquam fida comes & perpetua agendorum magistra, nunquam nos suo destituit moderamine. Verum, meo iudicio, quod in Græco est εἴτε δὲ, non est idem quod etiamsi, sed sonat, siue uero. Nec temere est aduersatiua δὲ, id est, uero, uel autem, adiecta. Notam enim habet diuersi prædicati ab eo quod de charitate prædicatur. Deinde non dicit, destituant, cessent, sed in futuro, idque affirmando, abolebuntur, cessabunt, abolebit. Quemadmodum enim de charitate asserit, quod nunquam excidat, ita ex aduerso de prophetijs, linguis, & scientia affirmat, futurumque prædicit, ut aboleantur ac cessent.

Sanè iam olim charismata illa miraculosa prophetiæ, linguarum, curationum, &c. cessarunt in ecclesia, quia usus ac ratio illorum desijt, postquam Euangelium regni Dei prædicatum, confirmatum, ac receptum est in orbe. Verum de ea cessatione non loquitur Apostolus, sed de omnimoda illa quæ post hâc est uitam futura, sicuti patet in sequentibus. In hoc sæculo locum habet prophetia, donum linguarum, & scientia qualem hic peregrinationis nostrę status & conditio requirit, in futuro non ita.

SIVE linguæ, inquit.] Præbet hæc particula nonnullis occasionem curiosius de usu sermonis disputandi, qualis futurus nobis sit post hanc uitam in cœlis, an aliquis uel nullus, & si aliquis, an uarius sicut in hoc sæculo post diluuium. Vt unaquæque gens suam retineat linguam, & tamen omnes intelligantur ab omnibus. Vel idem, sicut in priori mūdo ante structuram turris Babel, & quo idiomate, Ebræo ne uel Græco, uel Latino, in honorem sanctæ Romanæ sedis, & sanctarum Missarum, quæ Latine leguntur, ac Psalmodiæ quæ & ipsa in catholica ecclesia Latina habetur, quo regnans in cœlis ecclesia

A militanti in terra conformetur. Curiosis istiusmodi quæstionibus occupantur homines ociosi. Qui pij sunt, magis curant ne cœlesti ac futura felicitate, per sanguinem Christi parta, male uiuendo priuentur, quàm quomodo cognoscant ea, quæ nec sacra scriptura prodit, nec ulla necessitate præscientiam sui requirunt.

SIVE scientia, inquit.] Non loquitur in uniuersum de omni scientia, sed de charismate scientiæ, quod initio regni Christi per spiritum sanctum credentibus miraculose dabatur, de quo suprà, & capite præcedenti quoque mentionem fecit, deinde & de scientia, studio & auditu percepta loquitur, quæ & ipsa post hanc uitam abolebitur.

ABOLEBVNTVR, inquit, & cessabunt.] Quasi dicat. Quæ tum erit uestra iactantia & inflatio, quando sine charitate prorsus eritis uacui & inanes, charismatibus hisce destituti, de quibus iam tantopere gloriamini? Quid habebitis præcipui? Nec prophetias, nec linguas, nec scientiam hanc retinebitis, & charitatem, quæ sola perennis est, non habetis.

Admonemur, ne transitorijs bonis tantum incumbamus, neglectis perpetuis & æternis, ne in futuro sæculo, dum illis priuabimur, prorsus nudi & inanes depræhendamur. Pręclaræ sunt aliquot artes & disciplinæ, splendidæ sunt opes, illustres sunt honores, suspicienda est prudentia, reuerenda potentia, &c.

B Verum hæc omnia cessabunt, & in hac uita terminantur, relinquentque possessores suos prorsus egenos & inanes, nisi ueris ac sempiternis bonis potiantur.

Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, &c.

Subijcit declarationem eius quod prophetias, linguas, & scientiam cessaturas esse dixit. Quoniam uarij sunt cessationis modi, ne quid hic erretur, uisum est declarare, quomodo charismata ista cessatura dixerit. Cessationis quatuor sunt modi. Cessant quæ ad tempus quiescunt, cessant quæ alterantur, cessant quæ annihilantur, cessant quæ complentur ac perficiuntur. Cessat operarius dum ab opere suo quiescit, cessat uinum dum in acetum alteratur, cessat ignis dum extinctus annihilatur, & fumus dum in aërem euanescit, cessat lux auroræ, dum exortu Solis completur ac perficitur. Cum ergo dicit: Ex parte nanque cognoscimus, & ex parte prophetamus, ast ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur, satis, opinor, patet, quod de quarto cessationis modo loquatur, quo imperfecta cessant, dum complentur ac perficiuntur. Tribuit autem charismatis istis imperfectionem, cum dicit: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ex parte aliquid scire, est nō ex toto, sed imperfecte scire. Ex parte prophetare, est non plenam & absolutā, sed imperfectam futuro-

Cessatur quatuor modis.

rum tenere cognitionem. Hæc dicendo non sic detrahit scientiæ fidelium, quam ex Deo habent in hac uita, ut damnet eam uanitatis uel incertitudinis. Non dicit, uanum est quod fecimus, neque, ex incerto est, quod scimus, sed, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Aliud est esse imperfectum, & aliud esse uel incertum uel uanum. Imperfecta nostra, quæ per gratiam diuinæ prouidentiæ secundum mensuram, non secundum plenitudinem accepimus, incerta & inania non sunt, sed uera ac certa bona ideoque non contemnenda, sed cum gratiarumactione pie & utiliter collocanda. Neque in hoc est Apostolus, ut doceat Corinthios, prophetias, linguas, & charisma scientiæ contemnere, dum tribuit illis imperfectionem, sed monet ne nimium illis tribuant, & sic illorum gratia alius aduersus alium inflentur, quasi in illis summam sint ueræ felicitatis adepti, atq; ita contra charitatem quæ multo est potior, peccent.

Ast ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.

Hic est modus, quo cessabit imperfecta fidelium scientia. Promittit perfectionem suo tēpore uenturā, cum dicit: Ast ubi uenerit quod perfectum est. Significat in futuro sæculo fore perfectionem omnium eorum, quæ imperfecta tenemus in hac uita. Ideo quamuis de scientia loquatur in præsenti, non tamen dicit: Vbi uenerit perfecta scientia, tunc abolebitur quæ est ex parte, sed generaliter, ubi uenerit τὸ τέλειον, id est, perfectum & absolutum, tūc quod ex parte est abolebitur. Non solum scientia nobis imperfecta est in hac uita, sed & ipsa dilectio, laus & gratiarumactio, gaudium in domino, gloria filiorum Dei, salus etiam tam spirituum quàm corporum nostrorum, quæ omnia in futuro tandem complebūtur. Nondum sumus in statu perfectionis omnium, ad quem nobis inuicta est & irremissa patientia contendendum. Omnino nanque sic est comparatus dominus, qui nos cōdidit, & propter nos creauit omnia, ut quæ cœpit sub mensura, qua uoluit, & imperfecta adhuc per prouidentiam suam gubernat & conseruat, non relinquat imperfecta perpetuo, sed tempore ad id ab æterno constituto perfecta sit & absoluta redditurus.

TVNC, inquit, quod ex parte est, abolebitur.] Quod in Græco est, τὸ τέλειον, καὶ, τὸ ἐκ μέρους, uerti poterat: Ast ubi uenerit esse perfectum, tunc abolebitur esse ex parte. Quemadmodum enim τὸ τέλειον per uerbum ἐστιν sic absoluitur, ut reddi possit, quod perfectum est, sic per infinitiuum εἶναι absolui potest, ut reddendum sit, perfectum esse, sicut & τὸ ἐκ μέρους. Et præsens causa, de qua loquitur Apostolus, sic est comparata, ut legendum sit: Vbi uenerit esse perfectum, abolebitur esse ex parte. Non enim abolebuntur in se quæ habemus adhuc imperfecta in Christo, sed implebuntur per statum perfectionis, abolebitur uero illorum imperfectio, dum ad perfectionem peruenerint. Quare cum dicit: Vbi uenerit perfectum, non debemus cogitare de alijs quibusdā perfectis bonis, quib⁹ in uniuersum destituamur in hac uita, simusque in futuro demum potituri, sed de illis ipsis, quæ per fidem in Christum in hac uita secundum mensuram donationis spiritus, alius plus, alius minus accepimus. Eadem dona spiritus hic sunt ex parte, illic erunt perfecta.

Cogitemus hic de singulari consilio Dei, quo cursum salutis nostræ sic disposuit, ut sit illius perfectio non principium, sed finem sortita, sitque nobis ab imperfectis ad perfecta ueniendum, non à perfectis ad imperfecta, deinde quod totam hanc nostram uitam, & uniuersum hunc mundum, in quo iam uiuimus, imperfectioni sic subiecit, ut impossibile sit ad perfectionem, siue iustitiæ, siue scientiæ, siue salutis, siue felicitatis peruenire, donec sumus in hac carne, priusquam tempus consummationis omnium uenerit.

Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia.

Quod dixit: Ex parte enim cognoscimus, &c. Ast ubi uenerit esse perfectum, abolebitur esse ex parte, similitudine illustrat admodum accommoda & manifesta, de pueritia & uirili ætate sumpta. Comparat præsentem hanc uitam pueritiæ, futuram uero, ætati uirili. Habet quidē animi ac mentis dotes pueritia, sed imperfectas, & facultatem quoq; loquendi, sed talem quæ magis sit garritus quidam, quàm iustus sermo, cùm propter sensus immaturos, tum propter linguæ nondum satis exercitatæ balbutiem. Hæc imperfectio pueritiæ adhæret, donec per maturitatem uirilis ætatis aboleatur, qua & sensus & sermo perfectionē suā acquirant. Virilis enim ætas & sentit, ratiocinaturque perfectius, & loquitur dexterius, q̄ pueritia. Plane sic habet conditio præsentis uitæ, ut quæ dono Dei cognoscimus, affectamus, loquimur & facimus, imperfecta sint omnia ac ueluti puerilia, nec perueniāt ad iustam maturitatem ac perfectionem antequā ad uirilem futuræ uitæ ætatem transferamur. Per hanc abolebitur sensuum, affectuum, sermonum & operum nostrorum pueritia. Sic dicit: Cum essem puer, uel, paruulus, Græcè νήπιος, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam, uel, ratiocinabar, Græcè ἐλογιζόμην, at ubi factus sum uir, aboleui puerilia.

Proponitur ergo nobis & præsentis uitæ immaturitas, & futuræ perfectio, sub hac pueritiæ & uirilis ætatis imagine ueluti ob oculos spectanda & consyderanda. Quid igitur superbimus opinione uel sapientiæ uel opum uel potentiæ inflati, cum adhuc pueriliter sapiamus,

piamus, pueriliter loquamur, puerilibus delectemur, & puerilia utcunque prǽstemus? Quis non rideat pueros, ineptias suas pro serijs habentes, seque multa scire ac posse iactantes? Et quid aliud facimus, dum opinione sapientiæ ac potentiæ inflamur? Quare qui aliquid sapientiæ ac scientiæ acceperunt, cogitent id adhuc esse puerile & imperfectum, & sectentur ea cum Apostolo, quæ nobis perfecta in cœlo sunt præfixa.

Satis auté manifestũ est in hoc simili, quomodo scientia diuinarum rerum, quam in hac uita acquirunt fideles, in futura sit abolenda. Quemadmodum uidelicet λογικὸν illud quod habent pueri, in se non aboletur per uirilem ætaté, sed magis completur ac perfectius redditur, aboletur uero illius imperfectio, sic & ipsa scientia Dei in se manente abolebitur illius imperfectio, ubi perfectionis tempus aduenerit.

Illud obiter obseruet lector, quod tria hæc uerba, loqui, sentire, & cogitare, id est, ratiocinari, ordine præpostero ponuntur. Primum enim est ratiocinari, deinde sentire aliquid ac ueluti concludere, tertio quod sentias proloqui. Ergo cum dixisset: Cum essem puer, loquebar ut puer, subijcit, sentiebam ut puer, ratiocinabar ut puer. Quasi dicat. Vt puer loquebar, quia sentiebam ut puer, sentiebã ut puer, quia ratiocinabar ut puer. Secundũ qualitaté enim ratiocinationis, siue puerilis, siue uirilis ac maturæ colligitur sensus, & secundũ qualitatem sensus prodit ex ore sermo cogitationũ nostrarum index. Cum itaque logicon illud quod est in mente hominis, unà cum ipsa ætate inde à puero ad uirilem usque maturitatem crescat, fit ut donec pueri sumꝰ, pueriliter quoque cogitemus, sentiamus & loquamur. Vnde uulgo dicimus, Witz kompt nitt vor den jaren. Quare puerilis illa & immaturior ætas instituenda est, fingenda & moderanda, ne incrementa τοῦ λογικοῦ pro naturæ nostræ corruptione à bono & honesto ad omnis generis uicia exorbitent, & tandem habitum maliciæ acquirant, in malo obdurentur, & nec disciplinam nec correctionem amplius ferant. Stulticia est in corde pueri, inquit Sapiens, uirga disciplinę effugat illam. Videmus hodie mirabilem ac stupendum instituendæ iuuentutis neglectũ, & incredibilem iuxtà non dico stulticiam, sed maliciam & nequiciam inolescere, quæ ubi uires acceperit, mõstra nobis omnis generis flagitiorum pariet, quibus domandis non sufficient nostri magistratus, sed requiretur exoticus gladius inde ex Oriente, qui iudicia domini in reprobas nationes exerceat. Vtinam quod Paulus hic dicit: Cum puer essem, loquebar ut puer, sentiebam ut puer, & cogitabã ut puer: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia, locum hodie in pueris nostris pariter ac uiris habeat. Aliud est pueriliter, & aliud impie, maliciose ac flagitiose cogitare, sentire & loqui. Aliud item est in uirili ætate abolere puerilia, A & aliud pueritiæ maliciam uirilis ætatis robore adhuc reddere auctioré & cõfirmatioré.

Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ, nunc agnosco ex parte, tũc uero cognoscam quemadmodum & cognitus sum.

Similitudinem puerilis & uirilis scientiæ applicat ad causam de qua agit, idque hoc pacto: Cum puer essem, pueriliter loquebar, sentiebam & cogitabam, ast ubi uir factus sum, aboleui puerilia, sic in causa pietatis & sciẽtiæ Dei dum sumus in hac uita, pueriliter sentimus & cognoscimus, in futura ubi fuerimus, nõ amplius puerili, sed uirili, id est, matura & perfecta cognitione præditi erimus. Nunc enim, id est in præsenti sæculo, cernimus non palàm & liquido, sed ueluti per speculum in ænigmate, tunc auté, id est in futuro, ubi perfectio uenerit, cernemus facie ad faciem.

CERNIMVS enim nunc, inquit.] Metaphoram uisus usurpat pro cognitione, quæ mentis est uisio. Non enim loquitur de uisu oculorum, sed de scientia & intelligẽtia rerum diuinarum, cum qua in præsenti uita utimur, tum qua potiemur in futura. Quæ de Deo, deque Christo filio eius, de gratia redemptionis, & tota salutis nostræ dispensatione sentimus ac credimus, licet imperfecte & ex parte, & in ænigmate, haud tamen imaginaria & in- B certa cogitatione opinamur, sed uera ac certa scientia cognoscimus, ut recte uerbum cernendi usurpatum hic sit & ad fidei nostrę certitudinem translatum.

CERNIMVS enim nunc per speculum inquit.] Cum duo sint speculorum genera in usu, quorum alterum pellucidũ ideoq; διόπτρον uocari posset, alterum uero haud διάφανον est, sed sic comparatum, ut recipiat ac spectandas præbeat obiectorum imagines, posset hic amphibolum esse, de quo genere loquatur Apostolus, nisi non diceret: Cernimus enim nunc ἐν ἐσόπτρῳ, id est, in speculo sicuti Iacobus loquitur, sed: Cernimus enim nunc δι᾽ ἐσόπτρου, id est, per speculum. Quare puto eum loqui de priori speculorum genere, quo utuntur, qui infirma sunt oculorum acie, ideoq; minutiora obiecta sine speculo cernere ac dijudicare non possunt. Quemadmodum illi per speculũ uel remotiora, uel minutiora utcunq; uident, ita nos prę imbecillitate mentis cœlestia & spiritualia haud possumus perspicue cernere, sed uti cogimur speculo uerbi Dei, per quod illa aliquo saltem usq; uideamus.

Nolim tamen admodum contendere cum illis qui locum hũc de posteriori speculorum genere exponunt in quibus non res ipsæ sed imagines rerum conspiciuntur. Et hic alij per speculũ creaturas à Deo conditas intelligunt, in quibus diuinæ sapientiæ ac potentiæ imagines spectari possunt, secundum ea quæ Apostolus Rom. 1. scribit, alij uero similitudinem

spe-

speculi referunt ad uerbū & sacraméta, quod A in illis imagines diuinæ gratiæ, consilij ac pro positi Dei salutisq; nostræ uelut in speculo cō templandæ proponantur.

Illud, in ænigmate, expositionis gratia adie ctum esse uidetur, ut idem sit, quod in obscu ro. Est enim ænigma quoddam, quicquid obscurius esse apparet, q̃ ut à quibuslibet perspicuo compræhendatur. Non est dictio hæc ænigmatis præter mentem Apostoli diuexáda, neque ipsi doctrinæ uerbi Dei sed intellectus ac sensuum nostrorum imbecillitati tribuéda. Aliàs uerbum ueritatis non est ænigmatica caligo sed lux quædam, qua mentes electorum illuminantur, quantumuis obscurū uideatur illis qui pereant. Respectu tamé perfectæ cognitionis, quæ in futuro sæculo continget, di cit nos Apostolus in hac uita sic ex parte & imperfecte cognoscere, ut similes simus illis qui obscure & per speculum cernunt. Quod est obscurum primum rationi nostræ deinde & imbecillitati nostræ fidei, ænigmaticū esse uidetur, cum sit lux omnium clarissima. Quare non seruit hic locus aduersarijs sacrarū scripturarum, qui quo neminem non à lectione illarum absterreant, & simul iniquissimam tyrannidem pontificiorum defendát, qua laicis illa, ut uocant Christi plebem, nō competere contenditur, improbe clamant scripturā esse ænigmaticam, teste Paulo, adeoq; obscuram, ut intelligi non posit, nisi ab illuminatis patri bus & ecclesiæ doctoribus quibus, uolēte do B mino, in locis nostris, ubi de sacris scripturis dicemus, respondendum erit.

TVNC autem facie ad faciem.] Abutuntur hoc loco anthropomorphitæ, & nonnulli alij sensu magis carnali quàm spirituali de rebus cœlestibus ac Deo ipso iudicantes. Ecce, inquiunt, palam dicit Apostolus, uisuros nos Deum facie ad faciem, ubi tempus perfectionis aduenerit, in futuro uidelicet sęculo. Ergo faciem habet Deus ut homo, quæ uideri possit, inquiunt Anthropo: & uidebitur à nobis oculis hisce corporalibus, aiunt carnales. Verum Apostolus uerbo uidendi tam hic quàm in præcedenti membro in sensu cognoscendi usurpauit, qui nō est faciei, sed mentis. Vnde hic Deum uidemus, inde illum in futura quoque uita uidebimus, oculis uidelicet non corporis sed mentis.

Deinde, utcunque urgeant non dicit, tunc Deum facie ad faciem uidebimus, sed simpliciter de rebus spiritualib⁹ quas hic ueluti per speculum cernimus, tunc, inquit, facie ad faciem cernemus.

Imo etiamsi ad Deum referatur, inde tamē non potest colligi sic esse illum uisibilē, ut cor poris oculis ne in futura quidē uita cerni possit. Aliàs ex eo quod Deut. quinto legimus, fa cie ad faciem loquutus est nobis in monte de medio ignis. Et Num. 12. ore ad os loquor ei, palam & non per ænigmata & figuras Deum uidet, consequeretur Deum non in futuro tātum sed & in hoc pręsenti sæculo uisibilē esse, & oculis corporis cerni posse, quod tamen Exodi 33. diserte ab ipso Deo negatur, ubi dicit: Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit me homo & uiuet. Et Iohan. 1. Deum, inquit, nemo uidit unquam. Quare si nec Moses Deum uidit, & tamen facie ad faciem & ore ad os cum eo loquutus memoratur, quid aliud restat, quàm hac loquutione plenioré ac perfectiorem cognitionem illius exprimi. Sed hac de re si cui lubet uideat Augustinum epistola 6.111.112. & in quæst. super Deut. lib. 5. cap. 9. Authropologia est, quando facies Deo tribuitur in scripturis, qua humano more de illo fit sermo. Angeli eorū, inquit Christus, semper uidét faciem patris mei qui in cœlis est. Matth. 18. quod dictum est ad similitudinem eorum ministrorum qui regi sunt proximi, & ante faciem illius præsto & ad ministrandum parati. Eiusmodi ministri unà cū amicis secretioribus solent stare ante facié re gis, sic scriptura tribuit angelis, & electis post hanc uitam, quod uideant uisuriq; sunt Deum facie ad faciem, quod nihil est aliud, q̃ quod sint illi futuri electi omnium coniunctissimi, & omnia propius quàm nunc cognituri.

NVNC cognosco, inquit, ex parte.] Metaphorico uidendi uerbo relicto resumit uerbū cognoscendi, unde admonemur, quod in pręcedenti particula dixit: Cernimus nūc per spe culū, idem esse quod cognoscimus nunc subobscure. Haud dubie clarius ac penitius tunc uidebimus, quàm in hac iam mortali & imbe cilli carne uideamus, uerū non loquitur Apostolus de uisu oculorum in præsenti, neq; eo quo uidebimus in futuro neq; eo quo nunc ui demus, sed de uisu mentis.

Nec ociosum est, quod in singulari de seipso dixit: Nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam quemadmodū & cognitus sum. Quoniam enim in præcedentibus pluraliter dixit: Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Et. Cernimus nunc per speculum in ænigmate, ne hoc communiter quidem de alijs, non autem de se quoq; dicere uideatur, specialiter seipse quoq; in istam cognitionis imperfectionem perinde atq; alios includit. Non dicit: Cum iunior essem, aut, cū neophytus essem in Christo, cognoscebam ex parte, sed, nunc cognosco ex parte, loquens nō pręcise de tempore quo hæc scribebat, sed de tota hac pręsenti uita. Ergo nec apostoli plenitudinem scientiæ Dei consequuti sunt in hac uita, sed expectarunt illam in futuro demum sæculo appræhendendam.

Deinde, omnes quidem nunc ex parte cognoscimus, nec datur ulli mortalium scientiæ Dei perfectio, quæ in futura demum uita dabitur, sunt tamen diuersæ mensurę, quibus in hac uita alij plus, alij minus cognitionis Dei tribuitur. Hic Apostolus qui dicit: Nunc cognosco ex parte, in cœlum raptus arcana Dei cognouit, quæ non licet homini loqui.

TVNC

TVNC uero cognoscam, inquit, sicut & cognitus sum.] Græcè est, ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. Quemadmodum auxesis erit in futura cognitione, ita & uerbo ἐπιγνῶναι auxesim expressit. Est enim ἐπίγνωσις, ἡ μετὰ τὴν πρώτην γνῶσιν τοῦ πράγματος παντελὴς κατὰ δύναμιν κατανόησις. Cum igitur dixisset, ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, id est. Nunc cognosco ex parte, ut perfectius se in futuro cogniturum, imò agniturum significaret non dixit, τότε δὲ γνῶσω, sed, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, id est, tunc amplius cognoscã, sicut & amplius agnitus sum. Erit ergo cognitio futuri sæculi non simpliciter γνῶσις, sed ἐπίγνωσις, qua res antea in hac uita tenuiter & ex parte cognitas adhuc quidem agnoscemus in futuro, sed amplius & perfectius quàm nunc illas cognoscimus. Accidet nobis quod accidit reginæ Saba, quæ cum coràm omnem audisset Salomonis sapientiam, uidissetq; domũ quam ædificauerat, ac cibos mensæ eius, & habitacula seruorũ, & ordines ministrantium, uestesq; eorum & pincernas, & holocausta quę offerebat in domo domini, nõ habebat ultra spiritũ ac dixit ad regem: Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa ueni & uidi oculis meis, & experimento cognoui, quod dimidia pars nũciata mihi non fuerit. Maior est sapientia & opera tua quàm sit rumor quem audiui, &c. Cõ simili modo nobis quoq; eueniet, ubi ad cœlestis patriæ gloriam translati fuerimus. Quæ nunc de illa audimus, & uix per speculum ac transennam uelut à longe uidẽtes obscure & ex parte cognoscimus, tũc adeo perspicue cognoscemus, ut non dimidiam tantum sed ne millesimam quidem eorum partem nunciatã nobis non fuisse cognituri ac fassuri simus.

1. Reg. 10.

SICVT & cognitus sum, inquit.] Vel lege, iuxta quod & agnitus sum. Sumus electi inde ab initio mundi. Vbi tempus uocationis uenit, agnoscit nos dominus, quos olim elegit. Quemadmodum igitur nos plenius agnoscemus in futuro quæ iã cognoscimus ex parte, ita iam agnoscit nos dominus, quos ante mundi constitutionem in peculium suum elegit. Sic hoc quoq; loco, uerbo ἐπιγνῶσθην admodum est pertinenter usus Apostolus. Inde tamen non cõsequitur, ea nos perfectione agnituros in cœlis & Deum & cœlestia omnia, qua ab illo in hac uita omnium agnoscimur perfectissime. Perfectio ista cognitionis, quæ continget nobis in futuro, si ad cognitionem conferatũ, qua nos Deus agnoscit in hac uita, prorsus est imperfectio, si uero conferatur ad eam qua nos illum & cœlestia cognoscimus dum peregrinamur in hoc sæculo, tum demum erit perfectio.

Magnæ fidei uerbum est, & magnæ quoq; cõsolationis, quod dicit, tunc agnoscam, sicut & agnitus sum. Dicit se non simpliciter cognitum esse Deo, sed agnitum. Cognoscit omnia Deus quę in cœlo sunt & in terra, uerum non agnoscit quoslibet pro suis, sed electos tantũ. Inter hos se computat, cum se agnitum esse dicit. Et hinc bona & certa cum fiducia colligit, fore ut & ipse agnoscat Deum suum & quæ obscure hic cognouit, multo propius ac plenius q̃ in hac uita. Agnitio ista, qua nos Deus pro suis agnoscit, prior est, & fundamentum salutis nostræ, nec impeditur imperfectione cognitionis nostræ, sed illam prouehit, donec in futuro perfectiorem reddat. Ne colligamus igitur ad hunc modum. Agnoscet nos Deus in futuro, quia priores agnouimus eum in præsenti hac uita. Sed potius sic est colligendum. Agnoscit nos Deus pro suis in hoc sæculo, agnoscemus ergo eum in futuro, ubi se nobis ac gloriam cœlestem, ad quã nos uocauit, non in obscuro sed palam & clara luce manifestabit. Agnoscit hic nos ut saluet, illic se nobis agnoscendum præbebit, ut glorificemur felicesq; simus in sempiternum.

A

Nunc autẽ manent fides, spes, charitas, tria hæc, sed maior in his est charitas.

Quod in Græco est μένει, pluraliter legendũ est ac referẽdum ad τὰ τρία ταῦτα, id est tria hæc. Sic enim Græci neutris uocibus pluralis numeri, uerba singularia coniungunt. Nihil tamẽ refert etiamsi in singulari legamus, manet, sicuti Vallæ placet. Concludit hac particula charitatis encomium, quo tribuit illi, quod non excidat, sicuti charismata, quorum zelo ac studio inflabãtur Corinthij, sed maneat etiam in futuro. Nunc, inquit. Id est, in hac uita. Neque enim alio sensu utitur hac uoce, quàm quo usus est illa iam secundo. Manent, inquit, fides, spes, charitas, tria hæc. Quid est, quod fidei ac spei mentionem facit, illasq; manere dicit, & non magis repetit de linguis, prophetia, & scientia, concludens. Nunc igitur cessabunt linguæ, prophetia, & scientia, charitas uero manet? quo pacto quæ hactenus dixit in speciem pertinenter conclusisset. Meo iudicio concludit per occupationem. Poterat iam dictis obijci. Esto cessent linguæ & prophetię, & reliqua charismata maneatque charitas, an ideo præferenda est hoc nomine charitas, quod nõ excidit? An non fides quoq; & spes manent, perinde atq; charitas? Si charitas omnia credit & sperat ergo fides & spes cum illa manẽt. Huiusmodi cogitationi respondens, primum cõcedit manere fidem, spem, unà cum charitate, deinde concesioni huic annectit expositionẽ ac limitationem, quousque fides ac spes cum charitate maneant. Tertio concludens pronũciat pro charitate esse illam etiã fide ac spe præstantiorem. Sic dicit: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior uero in his est charitas. Apparet autem legẽdum esse ad hunc modum. Νυνὶ μὲν μένει. Hoc est, Nunc quidem manent, &c. Nam aptissime sequitur aduersatiua uocula δὲ, quæ hic non suo est loco posita. Concessio est in eo quod dicit: Manẽt quidẽ fides, spes, charitas. Ex hac concessione

B

diuinare possumus, quid illi obijcere potuerint. Expositio est in uocula, Nunc, quę omnino emphatice est posita. Quasi dicat. In hac quidem uita manent fides ac spes cum charitate, in futura uero nō ita. Conclusio in eo est quod subiūgit, maior uero in his est charitas. Quare maior? Propterea quod nunquam, neque in hac neq; in futura uita excidit, quod de fide ac spe prædicari non potest. Hunc puto cōclusionis huius esse sensum, iudicēt fratres.

A

NVNC quidem manent fides, spes, charitas.] Admonemur præsens hoc tempus, quo uiuimus in carne, ac peregrinamur à domino, tempus esse fidei, spei, & dilectionis idq; communiter omnibus. Hęc tria omnis habent pietatis & ueræ iusticiæ fundamentum, non in Nouo tantum sed & in Veteri testamento. Sine his mortui sunt & inanes uniuersi ritus, omnes cęremoniæ, omnia sacramenta, quæ in uariationem dispensationis pro conditione sua cadere potuerunt, cum hæc ad finem usq; maneant eadem. Eadem inde ab initio fides est, eadem spes, eadem charitas, quemadmodum & idem est Deus, in quē creditur & speratur, & idem spiritus, per quem charitas in corda electorum funditur. Loquitur autem non de fide miraculorum, cuius capite pręcedenti mētionem facit, sed de fide iustificante, quæ utrāque habet adiunctam & spem & charitatem, & una prædicatur, sicut & spes, Eph. 4. fides miraculorum nec communis est electorū nec manet ad finem usq;, nec comites habet spem & charitatem.

B

De eo uero non est ut multis disputemus, an aliquid loci fidei ac spei futurū sit post hāc uitam. Si consyderetur utriusq; cum pręsentis sęculi tum futuri status, puto satis liquere, ubi quæ nunc credimus & speramus reipsa implebuntur, ibi nullam fore adhuc amplius credēdi ac sperandi rationem. Agricola dum arat in spe arat, speq; sustentatur ad id usq; temporis quo triticum colligit in horreū suum, ubi non est amplius ratio, ut messurum se speret, quod iam reipsa habet in horreo. Consimili modo eueniet & nobis. Vbi eorum quæ iam credimus & speramus compotes euaserimus cessabit omnis fidei ac spei ratio. Tum quæ iā absentia sunt & futura, ideoque fide ac spe expectanda, præsentia nobis erunt, & reipsa corām uidebuntur ac possidebuntur. Nec est ut in cœlesti patria nouas futurarum adhuc rerum promissiones fore putemus, quę ulteriore sint fide credendæ & spe expectandæ. Nam ibi omnia perfectionem suam sortiētur nec reliquus erit mundus aliquis expectandus, in quem adhuc amplior humanæ felicitatis perfectio differatur.

SED maior, inquit, in his est charitas.] Non confert charitatem ad fidem ac spem per numeros omnes, sed hactenus tātum, quod illis cessantibus ipsa duratura est in sempiternum. Sic Chrysost. quoq; exponit dicens: πῶς οὖν μείζων ἡ ἀγάπη; τῷ ἐκεῖνα διαβαίνειν. Hinc non consequitur, quod nonnulli inferre conantur, non solam fidem iustificare, cum sit minor charitate, sed charitati hoc magis competere, tanquā maiori ac digniori. Minor est fides q̄ charitas nō uirtute & effectu sed conditione, qua terminatur in hoc sæculo. Quod iustificationem attinet, de illa nobis sentiendum est ac loquendū secundum scripturas, quæ fide nos non charitate iustificari docēt. Sed hac de re in locis nostris uideri poterit.

CAPVT XIIII.



SEctemini charitatem, æmulemini spiritualia, magis tamen ut prophetetis.

Abusum linguarū redarguit hoc capite, simulq; uerum illarū usum docet, iuxta tamen præfert illi prophetiæ utilitatem, & ad huius studium hortatur, ac rectum prophetandi ordinem præscribit. Adiungit in calce de mulieribus, competere illis ut non doceāt sed sileant in ecclesia, & huic suæ doctrinæ uindicat authoritatē diuini pręcepti. Hæc fere summa est eorum quæ toto hoc capite tractantur.

1 2 3 4

SECTEMINI charitatem, inquit.] Orditur ab exhortatione, & simul transit imò redit à præcedenti charitatis pręconio ad charismata linguarum & prophetiæ disponēda. Quod dicit: Sectemini charitatem, & pręcedentibus seruit & sequentibus. Dixit, maior autē in his est charitas. Subiungit: Sectemini charitatem. Ad hoc enim elogia charitatis recensuit, illāq; omnibus charismatis pretulit, ut studiosius sectandam ac colendam esse admoneret.

Hoc fine laudantur & extollūtur uirtutes, ut cupidius illas amplectamur, eas præcipue, quæ cæteris præferūtur, quemadmodum aurū nobis in maiori est precio, propterea quod cæteris est metallis, argento quoq;, præstantius. Vtinam eo nobis loco esset charitas, quo est aurum.

Deinde, haud inconsulto particula hæc: Sectemini charitatem, præfixa est illis quæ præsenti sunt capite tractanda. Ad hanc enim collimantur omnia quæ de studio prophetandi præscribuntur, quatenus illa ædificat, hoc est, omnia dirigit ad ædificationem ecclesiæ. Varia quidem sunt studia & opera charitatis, uerum hoc omnium est potissimum, quod mentes fidelium ad ueram pietatem ac salutem studiosissime ædificat. Quare de illo tam diligenter tamque multis agitur hoc capite, sicuti uidebimus.

Obseruandum autem est, quod non simpliciter dicit: Diligite, uel, habete charitatem, sed διώκετε τὴν ἀγάπην, id est, Persequimini charitatē. Sunt autē duo persequutionis fines. Nam alia persequimur uel ira uel odio ad perdendum. Hinc διώκειν expellere, fugare, & insectari significat. Sic ad Paulū dicebat Christus: σαυλ, σαυλ, τί με

Duo sunt persequutionis fines. Act. 9.

τί με διώκεις; Alia uero perſequimur amore uel ad fruendum uel ad ſeruandum. Et hinc eſt, quod διώκειν aliquoties accipitur pro cupide expetere & affectare. Sic Rom. 14. dicit: τὰ δὲ εἰρήνης διώκωμεν. Et 1. Theſſ. 5. πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε. Et hoc loco, διώκετε τὴν ἀγάπην. Hortatur ergo non ſimpliciter ad charitatem, ſed ad ardens illius aſſequendæ & colendę ſtudium, quo pij faciunt ac ferunt omnia, quę charitatis eſſe & ad illam fouẽdam retinendamq́; inter fratres facere uidentur. Qui quod cupit perſequitur, relictis cæteris rebus totus in eo aſſequendo occupatur, quod perſequitur. Verum nos charitatem corruptiſsimo hoc noſtro ſæculo priore modo perſequimur, ad extinguendum uidelicet, non ad retinendum & colendũ. Quid enim aliud eſt odium illud inteſtinum, quod inter eccleſias & eccleſiæ miniſtros prorſus inreconciliabile obtinuit, quid aliud tam acerbæ fratrum inſectationes, dilacerationes, conuicia, contentiones, proſcriptiones, & carnificinæ, quàm grauiſsima quædam extinguẽdæ charitatis perſequutio? qua prorſus ex omniũ cordibus fugatur, ex eccleſia eliminatur, & extinguitur, atq; ita impletur, quod Chriſtus futurum eſſe dixit, ut refrigeſcat charitas multorum Matthæi 24.

SECTEMINI charitatem inquit.] Perſequantur impij charitatem ad extinguendum, quantum illis permittitur, nos perſequamur eam ad colendum. Debet autem hoc à nobis fieri bifariam.

Bifariam perſequẽda nobis eſt charitas.

Primum, diligendo fratres, & ea quæ charitatis ſunt in illos exercendo. Charitatis autẽ ſunt omnis generis beneficia, tam ſpiritualia quàm corporalia. Hæc exercentes, charitatis affectum in cordibus noſtris alimus, prouehimus, magisq́; ac magis confirmamus.

Deinde ſic agere cum fratribus, ut prouocemus eos ad mutuam dilectionem, charitatemq́; in cordibus ipſorum accendamus, quo impleatur in nobis præceptum illud Chriſti: quo mandat, ut nos inuicem diligamus. Hoc eſt omnino dilectionis ingenium, ut qui diligit uiciſsim diligi cupiat. Quare utroq; modo perſequenda nobis eſt charitas, cum ut ſyncere diligamus fratres, tum ut ad mutuam illos dilectionem pro uiribus alliciamus.

AEMVLEMINI ſpiritualia inquit.] Per ſpiritualia intelligit chariſmata ſpiritus, quorum capite duodecimo mentionem fecit. Horum zelo, ſtudio, & admiratione erant Corinthij uſq; adeo acceſi, ut illorum gratia charitatem negligerent imò contra illã haud modice peccarent. Hoc in illis correcturus, cum dixiſſet: Sectamini charitatem, ne uideretur eos à zelo chariſmatum prorſus auocare, per conceſsionẽ ſubijcit, æmulamini, ζηλοῦτε, ſpiritualia. Quaſi dicat. Non prohibeo ſtudium ſpiritualium chariſmatum, dum ad charitatem perſequendam exhortor, abſit, agnoſco enim illa eſſe dona ſpiritus, & ſi recte utamini uehementer utilia, quare æmulemini illa.

MAGIS tamen, inquit, ut prophetetis.] In Græco ſic eſt, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά, μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε. Hoc eſt, æmulamini autem ſpiritualia, magis autem ut prophetetis. Suſpicor uoculã δὲ ſic eſſe bis poſitam, ut prior ſit idem quod μὲν, poſterior uero ſenſum ſuum retineat legendumq́; ſit ad hunc modum. Æmulemini quidẽ ſpiritualia, magis uero ut prophetetis. Sic correctionem ſubijcit conceſsioni. Requirit diſcretionem in æmulatione donorum Dei, propterea quod alia alijs ſunt potiora, ideoq́; maiori ſtudio æmulanda. Quare uero prophetiam præferat alijs, infrà luculẽter declarabit, ut non ſit hic de ratione illius quærendum.

De quo genere prophetiæ autem loquatur, cum monet Corinthios, ut ſingulari ſtudio ad prophetandum ferantur, & ipſum in ſequentibus patebit. Προφητεύειν ſignificat aliquando prædicere futura, nõnunquam quæuis occulta, & abſtruſa proloqui. Nam præpoſitio πρὸ nõ ſemper ante, ſed & pro ſignificat, ut προάγειν, id eſt, producere, προβαίνειν, progredi, & innumera alia. Proloqui autẽ eſt, ut inquit Varro, qđ in animo habemus loquẽdo proferre. Sic prophetæ ſunt interpretes diuinæ erga nos uolũtatis, ſiue ſcripturas ſacras interpretentur, ſiue ex inſtinctu ſpiritus oracula Dei proferant ac de futuris prænuncient. Quare ubicunq; uerbum prophetandi occurrit, etiam atq; etiam uidendum eſt, in qua materia uſurpetur, ne à propoſito dicentis aberretur.

Et hic uehementer ſtupeo, quo nã ſpiritu ferantur, qui ſe pro apoſtolis & orthodoxis uenditantes, ſic Chriſti adminiſtrãt eccleſias, imò ut uerius dicam, ſic Chriſti dominantur eccleſijs, ut maximam partem zelo tribuant non chariſmatum ſpiritus, ſed rituũ ac ſacrorum humanitus excogitatorum, minimam uero prophetiæ, quã Apoſtolus chariſmatis ſpiritus ſic præponit, ut potiſsimam illi æmulationem deputet. Vnam miſſam præferũt omnibus prophetijs, cum unius horæ prophetia, germana ac legitima, omnibus ſit miſsis ad ædificationem eccleſiæ utilior. Illi dicunt: Æmulemini ſpiritualia, magis tamen, ut miſſas uel celebretis uel audiatis. Apoſtolus uero lõge aliter eccleſiæ præſcribens, & non quæſtũ ſed ædificationẽ fidelium quęrens: Æmulemini, inquit, ſpiritualia, magis tñ ut prophetetis.

Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo, nullus enim audit, ſpiritu uero loquitur myſteria. Cæterum qui prophetat, hominibus loquitur ędificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat, at qui prophetat, eccleſiam ædificat. Volo autem omnes uos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. Maior enim eſt qui prophetat, q̃ qui loquitur linguis, niſi interpretetur, ut eccleſia ædificationem accipiat.

Tanta debebat esse Apostoli authoritas, ut sufficeret dixisse: Æmulamini spiritualia, magis tamen ut prophetetis, uerum quoniam erant adhuc rudes Corinthij, adijcit sententiæ suæ declarandæ & confirmandę certas & perspicuas rationes, unde intelligant quare potior sit prophetia, maioriq; studio æmulanda. Nam, inquit, qui loquitur lingua, non hominibus loquitur sed Deo. Dixerat in genere, ęmulamini spiritualia, magis tamen ut prophetetis. Quare subijciendum uidetur. Nam qui æmulatur spiritualia, declarandumq;, quomodo ille minoris momēti rem agat, q̃ si prophetiæ sit intentus, uerum quoniam propter studium ac zelum linguarum, quibus dediti erāt Corinthij spiritualia charismata in genere posuerat, mox mentē suam exprimit dicēs: Nam qui loquitur lingua, ac simul declarat, quatenus ille inferior sit eo qui prophetat. Qua in re perinde facit, ac si quis hodie repræhensurus in papistis, quod certis diebus abstinent à carne, & non abstinent à peccatis, dicat. Ne æmulemini traditiones humanas, sed magis præcepta diuina. Nam qui à carne abstinet hominibus seruit non Deo, qui uero præcepta diuina custodit Deum ueneratur & colit.

Confert autem utrunq; inter se & linguis loquentem & prophetantem, ac declarat, quomodo utilior sit qui prophetat quàm qui loquitur linguis. Nam, inquit, qui loquitur lingua. Quid est quod discernit lingua loquentē ab eo qui prophetat? An non & ille loquitur lingua? Quis enim sic loquitur ut non lingua loquatur?

Lingua loqui quid sit.

Lingua loqui, hoc loco, est ex dono linguarum alio atq; alio idiomate uulgo incognito loqui. Quoniam charisma hoc ab eo tempore quo primum collatū fuit apostolis in die Pentecost. frequens & usitatum erat in ecclesia, obtinuit consuetudo, ut linguis loqui dicerētur, qui alio atq; alio peregrino idiomate ex dono linguarum in cœtu fidelium loquebantur. Hanc puto Paulinę huius loquutionis esse rationem, qua lingua loqui pro eo ponitur quod est peregrino idiomate ex charismate linguarum loqui.

NON hominibus, inquit, loquit̃ sed Deo.] Hæc est ratio propter quam loqui lingua minoris erat faciendum quàm prophetare, quod loquens lingua, Deo non hominibus, prophetans uero hominibus loquitur.

Sed dicet quisquam. Ergo ne pluris est loqui hominibus quàm Deo? An nō dignior est homine Deus? Respondeo. Vtiq; dignior. At hoc magis conuenit ut donis ipsius legitime, pro uoluntate ipsius, & ad finem debitum utamur. Charisma linguarum ad Euāgelij doctrinam in orbe inter uariarum linguarum Gentes propagandam dedit. Hæc erat illius ratio, hic scopus, hic usus & finis. Ergo abusus est sic loqui linguis, ut loquaris non hominibus sed Deo, cui nihil refert qua lingua loquaris. Dedit nobis panem, uinum, uestitum, & omnia ad uitæ huius necessitatem pertinentia. Hæc autem non ideo dedit, ut inde quid à nobis accipiat, sed ut ad nostros illa & proximorū usus usurpemus. Quemadmodum igitur peruersa est eorum religio, qui dona huiusmodi Deo uel mortuis sanctis quibus nullo sunt usui offerunt, & interea fratrum necessitates negligunt, quibus succurrere debebāt: ita & Corinthiorum peruersa erat religio, imò inanis ostentatio, qua linguis peregrinis sic utebantur in ecclesia, ut non hominibus, quibus erāt destinatæ, sed Deo loquerentur, à quo nullo pacto requirebantur.

NVLLVS enim audit inquit.] Exponit utrunq; quod dixit, non hominibus loquitur, sed Deo. Quomodo nō loquitur hominibus, qui palam loquitur, aut orat, aut canit in ecclesia? Quoniam sic loquitur, inquit, ut nullus audiat. Hoc est, audiendo intelligat. Hoc enim demum uere est audire, audita intelligere. Audiebātur quidem linguis loquentium uoces, sed non intelligebantur. Et præterea sic animati sumus, ut ad sermones incognitæ lingue haud auscultemus. Vt quid enim frustra auscultemus ad ea quę intelligere nō possumus? maxime in sermone, cuius usus sine intellectu prorsus est inanis? Ergo non loquitur hominibus, qui sic loquitur, ut nullus audiat.

Audire quid sit.

Sermo non intellectus inanis est.

Obserua tamen hic, quod non dicit: non enim omnes audiunt, sed, nullus enim audit. Potest fieri, ut Germanice inter Germanos sic loquaris, ut non audiaris ab omnibus, propter dialectorum uarietatem, utpote, si inferioris Germaniæ idiomate ad superioris populos loquaris. Hic etsi non ab omnibus, à plerisq; tamen audiri potes, ut haud omnino frustra loquaris. Verum si quis lingua prorsus aliena & populariter incognita loquatur in ecclesia, is quoniam audiri potest à nemine, nō loquitur hominibus sed Deo. Tale est, quod in ecclesijs Germanicis omnia Latino sermone loquuntur & canunt, qui sic alienus est à Germanico, ut nihil illius à Germanis tanquam Germanis possit intelligi. Et hoc faciunt homines Germani, & Germanice scientes melius quàm Latine. Verum hoc est Romanæ ecclesię institutum, quo Satan ex diametro doctrinæ huic Apostolicæ aduersari, & ecclesiarum Christi ædificationem impedire uoluit.

Deinde in eo quod Apostolus uerbo audiēdi sic utitur, ut neget audiri quæ non intelligūtur, habent quod obseruent auditores Papisticarum missarum, qui sibijpsi nescio quid salutis ex eo pollicentur, si quotidie unam saltem missam audiant, quam tamen intelligere non possunt. Hos Apostolus audire negat. Dicunt. Audiuimus missam. Si credendum est Apostolo, non audiunt quod non intelligūt, & quod studio & instituto Apostolicæ ecclesiæ sic dicitur, ut uulgo intelligi nequeat. Non enim loquuntur hominibus, sed Deo.

Auditores missæ Papisticæ.

SPIRITV uero loquitur mysteria inquit.] Exponit, quomodo Deo loquatur, qui lingua loqui-

Deo loqui quid sit.

loquitur. Trifariam fieri potest, ut Deo quis loquatur. A

Primo, quando pro Deo, & ea quæ Deum concernunt loquitur. Sic Deo loquitur, quẽadmodum legatus suo regi. Hoc sensu non loquũtur Deo, qui nec missi sunt à Deo, nec hoc agunt, ut illi loquendo seruiant.

Deinde, quando ad Deum loquitur, sicuti solemus orantes & gratias agentes.

Tertio, quando sic loquitur ut non ab hominibus sed à Deo tantum intelligatur. Etiãsi non hoc intendat, ut Deo loquatur, hactenus tamen Deo loquitur, quatenus ab illo solo intelligitur. Perinde est ac si quis Ebraicè uel Græcè uel Latinè loquatur in cœtu fidelium, in quo unus tantum sit, qui intelligat. Huic ille loqui recte dicetur, etiamsi nesciat talem aliquem esse in concione. Huc pertinet & illud loquutionis genus, quo tacite submurmuramus, quæ ab alijs audiri nolumus. Sic loquẽtes nobisipsis & Deo loqui dicimur. Hoc sensu infrà dicit: Siue lingua quis loquit fiat per binos, aut ad summum ternos, idq; uicissim, & unus interpretetur. Quod si non sit interpres, taceat in ecclesia, loquatur uero sibijpsi & Deo. Et hoc posteriore sensu dictum apparet hoc loco, quod qui lingua loquitur Deo loquatur non hominibus. Hoc est, sic loquatur, ut non homines sed Deus tantum intelligat. Sic exponit etiam Ambrosius. Et hoc uidetur exponere cum dicit: Spiritu uero loquitur mysteria. Hoc est, loquitur illis qui nõ intelligũt, non manifesta & intelligibilia, sed mysteria, abscondita uidelicet & abstrusa, soli Deo cognita. Mysteria uocare solemus, quæ non intelligimus. Quod nos attinet, mysteria loquitur, qui idiomate nobis incognito loquitur, etiamsi res ipsæ de quibus loquitur, satis in se sint intelligibiles, si uerbis intelligibilibus exprimerent. Sic puto intelligendũ esse simpliciter quod dicit: Spiritu uero loquit mysteria.

Exponitur autem hæc particula aliter atq; aliter. Nam dictio spiritus sic indeterminate & obscure posita est, ut non liqueat certo quò sit referẽda. Ponitur illa quinquies in hac materia. Hic dicit eum qui lingua loquitur, spiritu loqui mysteria. Et infrà. Nam si orẽ lingua, inquit, spiritus meus orat, at mens mea fructu uacat. Item. Orabo spiritu, orabo autẽ & mẽte. Canam spiritu sed canã & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est amẽ ad tuam gratiarũ actionẽ, quãdoquidẽ quid dicas nescit?

Spiritus.

1 Per spiritum alij intelligunt ipsum charisma linguarum quod per spiritum dabatur credẽtibus. Sic Chrysostomus exponit: τὸ χάρισμα τὸ δοθὲν, καὶ κινοῦν τὴν γλῶτταν. Et Ambrosius infrà exponit de spiritu qui datur in baptismo. Lyranus quoq; spiritussanctus, inquit, loquitur mysteria, id est, sensus latentes per donum prophetiæ reuelando, & ideo tale donum sequitur ędificatio ecclesię. Ideo subditur. Nam qui prophetat, &c. Hic particulam istam: Spiritu uero loquitur mysteria, auellit à præcedenti, & refert ad sequentem, intelligens de spiritu non lingua tantum loquente sed & prophetãte. Motus uidetur uulgata lectione, quæ sic habet. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem. Sentit mysteria loqui spiritum idẽ esse quod mysteria prophetando reuelare. Verum quoniam hęc lectio cum Gręco textu nõ conuenit, neq; hanc illius expositionem amplecti possumus.

2 Deinde, dictionem spiritus exponunt alij & hic & infrà de halitu, flatu, ac sonitu uocis.

3 Tertio, sunt quibus spiritu loqui idem est quod in seipso loqui.

4 Quarto, nonnulli accipiunt uocem spiritus pro affectu.

5 Quinto, placet quibusdam, ut quoniam in datiuo est πνεύματι, exponatur de Deo, qui spiritus est, ut idem sit cum eo quod dixit: nõ hominibus loquitur sed Deo. Verum non uideo, quomodo hæc expositio stare posit in sequentibus.

In tanta uarietate quid sequendum putem, paucis commemorabo. Quoniam quẽadmodum tota hac disputatione inter linguam & prophetiam ita & inter spiritum & mentẽ discernit, puto conueniens esse, ut spiritu loqui, spiritu orare, spiritu canere, & spiritu gratias agere, idẽ esse sentiamus quod lingua loqui, lingua orare, canere, & gratias agere. Etenim eodem sensu dicere potuisset: Lingua uero loquitur mysteria. Et. Nam si orẽ lingua, lingua mea orat, at mens mea fructu uacat. Orabo lingua, orabo autem & mẽte. Canam lingua, sed canam & mẽte. Alioqui si benedixeris lingua, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est amen, ad tuam gratiarum actionẽ, quãdoquidem quid dicas nescit? Hierony. dicit: Iterum linguam significat. Sed dices. Quomodo spiritus pro lingua potest accipi? Respondeo. Quemadmodum charisma illud linguarum, lingua ab Apostolo uocatur, ita hic afflatus ille numinis, unde pleriq; fideles alijs atq; alijs linguis loquebantur, recte spiritus uocatur. Sic in scripturis sæpenumero uox רוח, & πνεῦμα, & spiritus, pro afflatu numinis ponitur. Nec impedit hunc sensum, quod Apostolus dicit: Nam si orem lingua, spiritus meus orat. Vocat afflatum hunc numinis suum spiritũ quod esset sibi datus à Deo. Quod si quis contendat uocem spiritus omnino accipiendam esse de spiritu hominis, de quo alibi dicit: Cui seruio in spiritu meo, existimo tamen ne sic quidem excludendum esse in hac causa afflatum numinis, ut spiritus linguis loquẽs, linguis orans, canens, & gratias agens sit spiritus hominis afflatu numinis ad hoc percitus, ut alienis linguis loquatur. Etenim unde aliàs esset spiritui hominis facultas linguarũ quas nunquam didicisset?

CAETERVM qui prophetat, hominib⁹, inquit, loquitur ędificationem, & exhortationẽ, & consolationem.] Quoniam confert inter se lingua loquẽtem & prophetãtem, postquã illius

illius inutilitatem perstrinxit, iam de utilitate prophetantis subiugit, quo doceat, quare præstantius sit prophetare, quàm linguis loqui. Qui lingua loquitur, inquit, inutilis est hominibus. Nō enim illis sed Deo loquitur. At qui prophetat utiliter loquitur. Loquitur enim hominibus. Hoc est: Sic loquitur ad homines, ut posit ab illis intelligi.

Satis ne utilitatis, inquies, in eo est, si loquētē intelligamus, ut nō referat qd dicat? Refert admodū. Nam possent ea dici in ecclesia, quæ præstaret non intelligere prorsus, qualia sunt seductorum nugamenta, monachorum somnia, ad superstitionem & eidololatriam, deinde ad quæstum quoq; facientia, quæ Apostolus Petrus ficta uerba uocat quibus impostores in ecclesia negociantur, deinde & traditiones humanæ ac mandata hominum, quibus conscientiæ imperitæ multitudinis in subiectionem dominij Antichristi mancipantur & excruciātur. Quæ huiusmodi sunt, utiliter nō intelligerentur. At ea sic sunt prædicata in ecclesijs, ut conciones publicæ fere nihil sonarint aliud. Quæ uero utiliter audiri & intelligi poterant, aut alto sunt silentio pressa, aut lingua incognita sic in canticum uersa, ut intelligi nequiuerint.

Haud itaq; contentus Apostolus dixisse: Qui uero prophetat, loquitur hominibus, mox subijcit qua utilitate loquatur hominibus, quod uidelicet doctrinæ genus proponat ecclesiæ. Hominibus, inquit, loquitur ædificationem, exhortationem, & consolationem. Hoc est, ea loquitur hominibus, quæ ad ædificationem, exhortationem, & consolationem facere possunt, & sic illa loquitur, ut intelligi, intellectaque mentes audientium ædificare, exhortari, & consolari queant.

Hac autem sententia satis, opinor, declarat, de quo nam prophetiæ genere loquatur. De eo uidelicet, quo docetur & instruitur ecclesia. Nō dicit: Qui prophetat, quę futura sunt prænunciat. Haud enim de uaticinijs hic loquitur, sed: Qui prophetat, inquit, loquitur hominibus ædificationem, exhortationem, & consolationem. At hoc faciunt ecclesiæ doctores, qui uerbo doctrinæ, ex hortationis, & consolationis populum domini ædificant. Sunt ergo prophetæ, qui docent in ecclesia, pluris faciendi quàm si per miraculum linguis canerent & orarent. Obserua uero prophetici huius numeris breuem & luculentam descriptionem. Qui prophetat, inquit, hominibus loquitur ædificationem, exhortationem & consolationē. Ergo partes ecclesiastici prophetæ sunt ædificare, exhortari, & consolari.

Vide Chrysost. in opere imperfecto Matthæi 7.

Prophetici muneris descriptio.

Aedificatio.

1 Ædificatio metaphorica dictio est, pro doctrina posita. Qui docet ignorantes ac rudes ædificat illos ad structuram domus domini. Huc pertinent omnia quæ fidem ac pietatem in cordibus electorum plantandā concernūt, quibus super fundamentū quod Christus est, in templū Dei tanq̄ uiui lapides construimur. Sed de hac ædificatione suprà cap. 3. facta est mentio. 2 Secunda pars est exhortatio, Gręcè παράκλησις. Hac propheta iam credentes ac religionem Christi profitentes ut in fide ac uera pietate constanter pergant sedulo exhortatur ac ueluti ex nomine inclamat, quemadmodum inclamari solent, qui in itinere constituti uel exorbitāt uel tardius promouēt. Pars hæc prophetiæ summopere est omnibus illis necessaria, qui ueritatem Christi & omnem pietatem cognouerunt quidem, uerum studio & conuersatione uitæ non ita exprimunt, sicuti conueniebat. Hac parte diligenter functus est Apostolus, qui cum esset Ephesi per trienniū noctes ac dies nō cessauit cum lachrymis unūquenq; fidelium monere & exhortari Act. 20.

Exhortatio.

Tertia pars est consolatio. Gręcè παραμυθία. Est autem παραμυθεῖν amanter alloqui laborantes, afflictos, tristes, quales sunt pauperes, desolati, captiui, angustiati, pręsertim propter Christum, illisq; talia proponere, unde consolationem accipiant, & in spiritu patientię confirmētur. Pertinet studium hoc παραμυθεῖν ad omnes quidem Christianos, præsertim uero ad prophetas uerbi Dei ministros. Collectus populus Christi habet ignorantes, habet desides ac pigros, habet afflictos. Datur ergo ecclesię donum prophetię, quo doceātur ignorantes, admoneātur desides, & consolationem accipiāt afflicti. Quid quæso censenda est lingua peregrina & incognita prophetię tam multis modis utili collata?

Consolatio.

QVI loquitur lingua, inquit, seipsum ædificat, at qui prophetat, ecclesiam ædificat.] Dixit loquētem lingua nō hominibus loqui sed Deo, propterea quod nemo sit qui loquētem intelligenter audiat. Eandem ob causam dicit illum ædificare seipsum. Hoc est, solum ipsum intelligere quæ dicat, ideoq; solum per ea ædificare seipsum, non ecclesiā, si tamē dicat, quæ aliquid ædificationis habeant. Non habet hęc particula locum in illis qui ne ipsi quidem intelligunt, quæ Latina lingua orant & canunt, quales sunt indocti sacrificuli, monachi, & nōnę, quorum maxima multitudo, propter eiusmodi cantus & precum murmura ociosa & ignaua conniuentibus episcopis, ne obulo quidem melioribus, alitur in ecclesia.

AT qui prophetat, inquit, ecclesiā ędificat.] Ille neminem nisi seipsum, at hic nō modo seipsum sed & alios ædificat. Et huc prouocat Timotheum suum dicens: Dum uenio attende lectioni, exhortationi & doctrinę. Noli negligere gratiam quę in te est, quę data est tibi per prophetiam cum impositione manuū presbyterij. Hæc meditare, & in his esto, ut profectus tuus manifestus sit in omnibus. Attende tibi ipsi & doctrinæ. Nam id si feceris, teipsum seruabis, & eos qui te audierint. Itaq; quanto est melius sic ædificare seipsum ut & alij ædificentur, tāto melius est prophetare q̄ lingua loqui.

1. Tim. 4.

Obserua uero, quod non simpliciter dicit: At qui prophetat, ædificat alios, sed, ædificat ecclesiam. Loquitur autem non de alia q̄ Christi, adeoq; uera ecclesia. Est itaq; prophetia data à

ta à domino ad ædificationem ecclesiæ.

Conditio ecclesiæ.

Consequitur hanc esse conditionem ecclesię, donec in terris uersatur, ut opus habeat ministerio uerbi, quo ædificetur, quo non haberet opus, si perfectionem pietatis & iusticiæ hic in terris semel esset consequuta. Consequitur item, hinc potissimum esse uastationem ac desolationē ecclesiæ, quod ædificatores illius opus hoc domini partim omiserunt, partim uiciarunt. Repleruntomnia templa missis & cantionibus ecclesiæ incognitis, ritibus humanis, splendore auri & argenti, & eidolis surdis ac mutis, ac quęstu inexplebili, de doctrina uero, unde erat ædificanda ecclesia, alibi prorsus nulla, alibi omnium minima est cogitatio.

Vnde sit ruina ecclesiæ.

VOLO autem omnes uos, inquit, loqui linguis, magis tamē ut prophetetis.] Quemadmodum suprà mox initio capitis, priusq̄ elogia prophetiæ supra donum linguarum extolleret, cauens ne ad illius contemptum hęc loqui uideatur, dixit, æmulamini quidem spiritualia, magis tamen ut prophetetis, ita iam secundo eiusdē cautionis gratia postq̄ prophetiam linguis prætulit, subijcit dicens: Volo autem omnes uos loqui linguis, magis tamē ut prophetetis. Conuenit autem ut quoniā uocula δὲ ingeminatur, perinde atq; suprà in particula simili admonuimus, prior accipiatur pro μὲν, id est, quidem, ac legatur. Volo quidē omnes uos loq linguis, magis uero ut ꝓphetetis.

Vide autem quomodo loquatur. Non dicit simpliciter: Non ueto loqui linguis, aut, concedo quidem loqui linguis, sed ut donum illud linguarum nō modo ferre se in ecclesia sed & magnifacere ac diligere significet, uolo inquit uos loqui linguis. Imò. Volo omnes uos loqui linguis inquit. Quasi dicat. Non ideo extollo prophetiæ utilitatem supra linguas, ut nolim uos loqui linguis. Absit. Tam abest, ut cuipiā ex uobis author esse uelim, ne posthac linguis loquatur, ut uelim potius nō unum & alterū sed omnes uos loqui linguis. Et hic, ne à scopo discedat, adijcit, quatenus hoc uelit. Hactenus uidelicet, ut & prophetēt. Et ut hoc se malle significet, non simpliciter dicit, sic tamen, sed, magis tamen, intellige, uolo, ut prophetetis. Sic cauet, ne uideatur illos auocare à dono linguarum, & tamen simul prophetiam constanter supra linguas extollit.

Quęsierit quisq̄, qua nam de causa uoluerit Apostolus omnes tum temporis fideles in ecclesia Corinthiorum loqui linguis, cum Deo loquantur non hominibus qui linguis loquūtur, nihilq; ex eo ędificationis ad ecclesiā proueniat. Neq; enim existimandum est, quod simulando & non ueraciter dicat: Volo quidē omnes uos loqui linguis. Respondeo. Primum, erat donum linguarū, non humano studio & exercitio acquisitum sed insigni cū miraculo per spiritum Christi credentibus concessum, atq; ita arguebat rem eam geri diuinitus, doctrinamq; ac fidem Christi plurimū cōfirmabat in cordibus Gentiū. Deinde, etsi ecclesiam non ædificabant linguis loquētes, sei-

A psos tamen ædificabant. Tertio, quoniam tantum inter eos erat æmulationis propter donū hoc linguarum, ut qui linguis loquebātur aduersum non loquētes inflarentur, ac uicissim non loquentes uel liuore quodam aduersum loquentes afficerētur, uel præpostera illos admiratione & nimia existimatione cęteris pręferrent, hac quoq; ratione optabat, ut non aliqui tantum ex illis sed omnes linguis loquerentur. Nam tum nulla fuisset reliqua uel inflationis, uel liuoris, uel nimiæ admirationis & existimationis occasio. Hisce de causis dicit: Volo quidem omnes uos loqui linguis, & simul significat, usq; adeo se nō inuidere cuipiā illorum donum hoc linguarum, ut malit omnes q̄ nullos loqui linguis. Simile quid & Mosi accidisse, Num. 11. legimus ad hūc modum. Descēditq; dominus per nubem & loquutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dās septuaginta uiris. Cumq; requieuisset in eis spiritus, prophetauerūt, nec ultra cessauerunt. Remanserant autem in castris duo uiri, quorum unus uocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus, nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumq; prophetarent in castris, cucurrit puer, & nunciauit Mosi dicens: Eldad & Medad prophetant in castris. Statim Iosue filius Nū, minister Mosi electus è pluribus ait: Domine mi Moses prohibe eos. At ille: quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus ꝓphetet, ac det eis dominus suū spiritum? Hæc dicens, tam abesse significat, ut cuipiam è populo donū spiritus inuideat, prohibereq; uelit, ne prophetet in illo quisq̄, ut optet ex animo hoc dari populo, ut omnes spiritu domini accepto prophetent.

Num. 11.

B MAGIS tamen ut prophetetis, inquit.] Ergo uolebat ut omnes ꝓphetarēt. Dixit enim: Volo uos omnes linguis loqui. Quare quod annectit dicens, magis tamen ut prophetetis, accipiendum est secundum sensum præcedentis uerbi uolo, ut legas, magis tamen uolo ut omnes prophetetis. Mira uidetur confusio, si omnes in ecclesia prophetent. Verum ea de re infrà uidebimus, ubi dicturus est: Potestis singulatim omnes prophetare.

MAIOR enim est, inquit, qui prophetat, q̄ qui loquitur linguis, nisi interpretetur, ut ecclesia ędificationem accipiat.] Habēt ista rationem eius quod dixit: magis tamen ut prophetetis. Quasi dicat. Quod malo ut prophetetis omnes, in causa est, quod qui prophetat maior est, q̄ qui linguis loquitur. Non adijcit rationem, quare dixerit: Volo quidē uos omnes loqui linguis. Neq; enim hic illi aliquid rationis requirebāt, quod alioqui plus satis magnifice de dono linguarum sentirent, de prophetia uero non ita. Quare cum mirum illis uideretur, quare prophetiam linguis præferret, malletq; omnes prophetare q̄ linguis loqui, cum ipsis diuersum uideretur, rationem hanc sententiæ suæ adijcit dicens: Maior enim est qui prophetat q̄ qui linguis loquitur. Sentie-

bant ipsi, maiorem esse qui linguis incognitis loqueretur, quàm qui uulgari idiomate prophetaret, id est, doceret, exhortaretur, & consolaretur. Et sane in linguis plus apparebat diuinæ operationis, & plus accedebat admirationis, quàm in prophetia, at reuera plus est utilitatis in prophetia quàm in linguis, id quod ipsi prope stupore linguarũ fascinati non obseruabãt. Quare cum utilitatem prophetiæ ampliorem quàm sit linguarum, exposuisset, subijcit uelut inde colligens ac dicens: Maior enim est qui prophetat, quàm qui linguis loquitur.

Quis maior in ecclesia.

Obseruemus hũc locum de maioritate, ut loquuntur, in ecclesia. Disceptarũt inter se discipuli Christi studio carnis non spiritus, quis inter ipsos futurus esset maior. Audierũt à domino, qui maior inter uos est, sit omnium seruus. Hoc est, sit talis, qui non sibi uiuat, sed seruiat ac prosit omnibus. Eodem spiritu Apostolus Corinthios inflatos & maioritatis appetẽtes reuocat ad studiũ prophetiæ, pronunciãs maiorẽ esse eum in ecclesia qui prophetat, hoc est, omnes ædificat, docet, exhortatur & consolatur. Audite ergo Romani pontifices, qui pro maioritate cœlum ac terram miscetis, maiorem esse uobis qui prophetat, etiamsi aliàs infimus aliquis fraterculus esse uideatur. In ecclesia siquidem maioritas ex utilitate est ædificandæ ecclesiæ censenda, ut maior sit qui utilior. Sic maior Hiero. Damaso. Et maior Augustinus omnibus Romanis eidolis, & qui minor est inter eos doctores, quos uos hæreseos dãnatis, maior est omnib9 Romanis cardinalibus, episcopis ac prælatis monachis ac Nõnis.

NISI interpretetur, inquit, ut ecclesia ędificationẽ accipiat.] Exceptio est. Excipit eũ qui sic lingua loquitur, ut simul ea quæ loquitur, uulgari idiomate interpretetur, & ecclesię intelligenda proponat. Non simpliciter dicit: Nisi interpretetur, sed addit, ut ecclesia ædificationẽ accipiat. Ad hunc finem astringit quę gerũtur in ecclesia omnia. Non probat sic loquẽtem & interpretantem in ecclesia, ut nihil ædificationis proueniat ad ecclesiam. At eum qui ad ędificationem interpretatur haud postponit sed adæquat prophetanti, propter æquale ædificandæ ecclesiæ studium. Magna sane est interpretis utilitas. Licet ille de suo nihil adferat in medium, aperit tamen doctrinã sub lingua incognita propositã, redditq; illã intelligibilem & utilẽ. Quod perinde est ac si quis thesaurum in arcula ferrea clausum adhibita claue reserat, illiusq; copiam quibuslibet faciat.

Nunc autẽ fratres si ueniã ad uos linguis loquẽs, quid uobis prodero? nisi uobis loquar aut per reuelationẽ, aut per scientiã, aut per prophetiã, aut per doctrinã?

Nullam esse utilitatem ecclesię per eum qui linguis loquitur, ex eo quidẽ satis admoneri poterant, quod lingua loquentẽ Deo non hominibus loqui, nec à quopiam audiri dixit, uerum quo illud penitius inculcet, expresse nihil hinc utilitatis ad ipsos uenire dicit, idq; nõ simpliciter, sed sub suoipsius exemplo.

A

NVNC autẽ fratres, inquit, si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero?] Venerãt ad eos quidam alijs atq; alijs linguis in ecclesia loquentes. Et hos admirabantur sine ullo profectu. Inutilẽ illorum aduentũ perstringere uolẽs, non dicit: Nunc autem fratres qui ad uos uenerunt linguis loquẽtes, quid uobis proderunt? ne mox animos fascinatorũ auertat, ac suspicionẽ illis moueat, quod odio magis doctorum quos habebãt, quàm recto iudicio causam hanc tractet. Ideo suamipsius personã inducit, quo minus offendat, dicens: Nunc autem fratres, si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero? Nec dicit, nihil uobis prodero, sed ipsorum iudicium poscens, quid uobis prodero inquit? Quasi dicat. Iudicate uosipsi, num aliquid utilitatis ex eo poterit ad uos redire. Poterat dicere. Cum uenirem primum ad uos, si linguis loquẽs uenissem, quid uobis profuissem? Verum ne cogitarent, at hi doctores nostri linguis inter nos iam Christianos factos non adhuc ethnicos loquũtur. Aliud est si quis hominibus nondũ credẽtibus linguis loquatur, & aliud si hoc faciat in ecclesia iam credentium. Cum illi ad nos uenirẽt iam Christiani eramus. Cum Paulus primum ad nos ueniret gentes eramus, nihil de Christo sciẽtes. Quare non conueniebat ut linguis inter nos loqueretur. At secus est, si quis iam in ecclesia nostra linguis loquatur. Ne sic inquàm cogitarẽt, non dicit: Si primum ad uos uenissem, sed: Si ueniam ad uos linguis loquẽs, quid uobis prodero? Ergo nõ minus inutile est linguis loqui ac canere in ecclesia credendum, quàm est, si quis hoc faciat inter eos qui ueritatem nõdum cognouerũt, nec Christo dũ nomina sua dederũt.

B

SI ueniam ad uos, inquit, linguis loquens, quid uobis prodero?] Ergo requiritur à ministro, qui uenit ad ecclesiam ut ueniat utiliter, cũ fructu, quo prosit illis ad quos uenit. Alioqui quorsum ursisset hoc Apostolus dicens, quid uobis prodero? At hodie non ueniũt ad episcopatus, ad parœcias, ad canonicatus, ad platuras, ut prosint ecclesiæ, sed ueniũt tanquàm ad dignitates & beneficia, quo prosint sibijpsis, hoc est, quo perdãt & seipsos & ecclesiã. Vtinam dicat hodie quisq; sacrificulus: Si ueniam ad uos missas celebrans, & nescio quas horas decantãs, uel submurmurans, quid uobis prodero? Meo quidem uentri plurimum, saluti uero uestræ nihil.

NISI uobis loquar inquit.] Hoc est, nisi ad utilitatẽ uestram lingua uobis intelligibili loquar. Suprà dixit: Qui lingua loquitur, nõ hominibus loquitur sed Deo. Qui prophetat uero hominibus loquitur. Eo respicit cum hic dicit: nisi uobis loquar, quod idẽ est, ac si dicat, nisi prophetem. Quare quemadmodum illic, qui prophetat, inquit, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem & consolationem, ita hic quoq;, cum dixisset, nisi uobis loquar, addit, aut per reuelationem, aut per sciẽtiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam

AVT

Gemina est reuelatio.

AVT per reuelationē, inquit.] Gemina est reuelatio, quæ per spiritum Christi contingit, generalis una, specialis altera. Generalis est, qua mysteriū Christi filij Dei, unici nostri Seruatoris omnibus electis ac credentibus reuelatur. Sic Petrus cum dixisset: Tu es Christus filius Dei uiui, audiuit ab ipso domino: Beatus es Simon Barionah, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Et alibi dixit, abscondi hæc à sapientibus ac prudentibus, & reuelari paruulis, nec cognosci patrem ac filium, nisi per reuelationem. Specialis uero est, qua res uariæ, & singularia mysteria siue per uisionem, siue per instinctum spiritus aut in præsens aut in futurum respicientia reuelantur. Nec referre admodū puto, utram hic intelligamus. Nam utraq; ad ędificationē facit, & usus est Apostolus utraq;.

AVT per scientiam, inquit.] Suprà cap. 12. scientiæ meminit, ubi illam pro uariarum rerum spiritualium cognitione accipiendam esse diximus.

AVT per prophetiam, inquit.] Intelligo de ea qua res futuræ prædicuntur. Ea de qua dixit hactenus, generalis est qua ministri uerbi ecclesiæ siue per reuelationem, siue per scientiam, siue per prophetiam, id est, uaticiniū, siue per doctrinam loquuntur.

AVT per doctrinam, inquit.] Qui per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam loquitur, seruit fidei nostræ & intelligentiæ rerum siue secretarum siue futurarū in nobis formandæ. Qui uero per doctrinam loquitur, seruit uitæ nostræ componendæ, & moribus fingendis. Hactenus puto uocem hanc διδασκαλίαν hoc loco, à generali doctrina, qua omnia quæ ex uerbo domini docentur, cōpræhendimus, haud incommode separari. Hiero. quoq; sic sensit. Exposuit enim hac paraphrasi: Nisi uobis aut interpreter, aut plana faciam legis occulta quæ noui, aut prophetias exponam, aut uos moralibus doceam institutis.

Scio Ambrosium ista non diuidere, sed pro eodem accipere. Dicit enim: Hæc omnia unū significant. Docere enim nemo poterit nisi intelligatur. Sane nō possunt esse reuelatio, scientia, prophetia, & doctrina, nisi intelligantur. Quare loqui per reuelationem, per scientiam, per prophetiam, perq; doctrinam, omnino est intelligenter loqui. Et sic exposuit Chrysost. ὁ δὲ λέγει τοῦτό ἐστιν. Ἐὰν μή τι εἴπω δυνάμενον ὑμῖν εὔληπτον γενέσθαι καὶ δυνάμενον εἶναι σαφές. Interea tamen nihil uetat, quo minus commoda & pertinenti diuisione inter ista distinguamus, ac singulis suum sensum tribuamus. Quemadmodum enim suprà cum dixit: Qui prophetat hominibus loquitur ad ędificationem, ad exhortationem, & ad consolationem, utilitatem generalis prophetiæ expressit, ita hic illius ueluti partes quasdam & organa, uel, si mauis, fontes posuit. Aliud enim est per quid, & aliud ad quid propheta loquitur in ecclesia.

Quin & inanima uocem reddentia, A **siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara? Etenim si incertam uocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Sic & uos nisi per linguam significantem sermonem dederitis, q̄modo intelligetur quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, uerbi gratia, genera uocū sunt in mūdo, & nihil horum mutū. Itaq; si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus.**

Ex abundanti adhuc clarius stultitiam Corinthiorum perstringit, qua tantopere linguis incognitis studebant. Dixit inutilem fore suū ad ipsos aduentum, si ueniens ad ipsos non prophetet, sed linguis loquatur. Iam ut hoc illis adhuc amplius inculcet, proponit ipsis omnium earum conditionem uocum siue artificialium siue naturalium quæ ad aures hominum diriguntur. Hanc esse dicit, ut sonos edant intelligibiliter discretos, aliàs esse confusas & inutiles. De artificialibus sic dicit: Quin & inanima uocem reddentia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibia aut cithara canitur? Quasi dicat. Vel inanima uocē reddentia consyderate, si in linguis hominum dijudicandis fascinati estis. B Auditis subinde tibias & citharas & tubas. An non hic quæritis, ut quæ illæ sonant, distincte uobis sonent, aliàs non intellecturis quid sit quod per illas canitur? Si confusas uoces dederint, an non tanq̄ rem non inutilem modo, sed & molestam auersamini? Quid igitur in causa est, quod in uocibus rerum inanimarū distinctos sonos quęritis, unde cognoscatis quid canatur, & non quæritis in uocibus eorum hominum qui in cœtu uestro peregrinis linguis loquuntur, cū tamen multo hic maiore ratione quærenda sit eorum quæ dicuntur intelligentia, quàm in cantu tibiæ, uel citharæ uel tubæ? Hic uidetur esse spiritus uerborū istorū, quę tamē nōnihil moderatius sunt posita, quo minus offendát.

QVIN & inanima, inquit.] Græcè est, ὅμως τὰ ἄψυχα, quod uulgatus interpres uertit: Tamen quæ sine anima sunt. Si uocula, tamē, eo sensu capiatur, quo reddidit Germanicus interpres, *belt sichs doch auch also in denen dingen die da lautend vnd nitt lebend*, retinenda est hæc uersio. Verum si legas: quin & inanima, sicut reddidit Erasmus, emphasim habebis argumenti à minori ad maius. Etenim si in uocibus inanimorum distincti & intelligibiles soni requirunt, multo magis requirendi sunt in uocibus hominū, quibus non modo anima diuinitus est concessa, sed & mens ratione prædita.

QVIN & inanima, inquit, uocē reddentia.] Duo sunt τῶν ἀψύχων, id est, inanimatorum genera. Vnum eorum, quæ quondam animata fuerunt, nūc uero ademptis animabus facta sunt inani-

inanima, qualia sunt cadauera mortuorũ tam hominum quàm bestiarum. Alterum eorum, quæ nec animata fuerunt, nec animæ capacia. Neutra sunt per se uocalia, nec uocem reddere possunt, cum spiritu careant, nisi illa per miraculosam diuinæ uirtutis operationem, ista per artificium humanæ industriæ uel imposturæ uoces aliquas reddant. Imposturæ, utpote quando imaginibus sanctorum prorsus inanimis ac mutis ad decipiendum nimis credulã plebem, & emungendũ quæstum occulta inspiratione per calamum humanæ uoces infunduntur, quæ ueluti ab ipso simulacro æditæ stolidas adstantium mentes in errorem abducant. Industriæ uero quando uidelicet organa musica uel flatu uel tactu percita, iuxta suum quęlibet artificium sonos reddunt, arte moderandos ac distinguendos. De hoc τ̃ ἀψύχων genere loquẽs hic Apostolus, cum dixisset: Quin & inanima uocem reddentia, subiunxit, siue tibia siue cithara, &c. Et: Si incertam uocẽ tuba dederit. Tibia & tuba inspiratione, cithara tactu, uocales redduntur.

SIVE tibia, inquit, siue cithara.] Quo in usu tempore Pauli fuerint apud Corinthios tibia & cithara, non constat, ut opinor, notas tamen & usitatas uulgo fuisse satis ex eo patet, quod ab illis argumentatur hoc loco Apostolus. Multas uero fuisse ueteribus tibiarũ species ex historijs liquet. Alijs usi sunt Libyes, alijs Phryges, alijs Cares, alijs Lydi, alijs Ægyptij, alijs Phœnices, alijs Thebani, quos inter Græcos tibię artificio excelluisse ferunt. Et alia uocabatur Plagialos, alia Elymos, alia Hippophorbos quod illa in pastu equorũ uterentur Libyes Scenetæ, alia Monaulos, quæ potissimum nuptialis erat Ægyptijs, alia Parthenica, alia Pædica, alia Andria, alia Gingras quę minutula existẽs flebilem sonum emittebat, alia Polyphthõgos ex hordeaceis calamis cõpacta. Vsus illarum fuit uarius. Nam alijs Gentibus ad tristia, alijs ad læta usurpabanẽ. Citharæ uero usus multus apud Ebræos fuit, quod uel ex Psalmis patet. Apparet populariter tritas fuisse tibiam & citharam. Vnde & 1. Machab. 3. & Apoc. 18. alijsq; locis perinde atque hic iunguntẽ. Non est autem ut hoc Apostoli loco defendamus delicias organorum musicorum, tẽplis Papistarũ subintroductas, quas sane nunq̃ probassent, ne ethnici quidem, seuerioris disciplinæ studiosi, qui nec tibiam, nec citharam, nec ullum aliud artificiosum instrumentũ admiserũt, de tibia causantes, quod sit ὀργιαστική, & quod à sermone prohibeat eũ qui illam inflat, quodq; faciem illius deturpet, ob quã causã & Palladẽ tibiã abiecisse memorãt.

NISI distinctionẽ sonis dederint, inquit.] Hoc est, nisi distinctos sonos ex modulatione artis ædiderint. In hac totũ est artificium musices, quemadmodũ literaturę in distinctione figurarũ. Si una & eadẽ esset omniũ literarũ figura, haud cõstaret scribendi ac legendi artificiũ, quod est ordinata, distincta, & intelligibilis uariarũ literarũ cõpositio. Consimili modo, si soni musici instrumenti ijdẽ essent, idemq; sonarent, irritũ esset uniuersum musices artificiũ, quod nihil est aliud q̃ distincta & cõcinna diuersarũ uocũ modulatio, per quã aliquid qđ intelligi possit, canatẽ. Tale quid est status politicus, ac domesticus quoq;. In utroq; sunt diuersi ordines, ac uaria uelut unius corporis membra, quasi quidã diuersi soni. Horũ moderatio cõpetentem poscit distinctionẽ, sine qua cõsistere nõ possunt, sed necesse est turpi ac noxia cõfusione quasi quadã desolatione pereãt.

QVOMODO cognoscetẽ, inquit, quod tibia canitur aut cithara.] In Græco est, τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον, quasi dicas, quod tibizatur uel citharizatur, ne quis in uerbo canendi philosophetẽ, propter uulgatã uersionẽ, quæ sic habet, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur. Non sic distinguit Apostolus inter citharã & tibiam, ut tibiæ det cantũ, citharæ non det, cum recte posit utriq; dari, q̃uis pneumatica sit tibia, cithara uero dactylica. Licet enim humano flatu inspirata sonet tibia, uocẽ tñ ædit perinde atq; cithara nõ humanã, sed artificiosam. Quare cõsulto sic uertit Erasmus, ut uerbum canendi competat utriq;.

Obserua uero q̃ sit Apostolus longè aliter animatus in audiendo musici instrumenti cantu, q̃ sint ij, qui sola cõsonantia, uel sonoro tinnitu uocũ sic delectanẽ, ut de intellectu illarũ nõ quærant, qualis delectatio in bestijs quoq; reperiẽ. Quomodo cognoscetur, inquit, quod tibia uel cithara canitur? Hoc nõ quęrit plebs imperita dum in templis Papistarum organorum illecebras audiens uelut obstupefacta auribus arrectis atq; ore auscultat hianti.

ETENIM si incertam uocem tuba dederit, inquit, quis apparabitur ad bellum?] Bellicus est tubæ usus, nõ modò Romanis & alijs gentibus, sed & Ebræis. Est autẽ alia cornea, alia lignea, alia ductilis. Hac canitur classicum, quo milites ad pugnam, & receptui, quo à pugna uocãtur. Omnino militaris tubæ clangor plurimum habet efficaciæ ad exercitandã non militum modò, sed & equorũ ferociã. Verum requiritur, ut certa ædatur uocũ distinctio, unde miles quid clangatur intelligat. Hoc uolens dicit Apostolus: Etenim si incertã uocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Sic de tẽplarijs ociosorũ aqualiculorũ boatibus recte dixeris: Cum incertam uocẽ templares emittant tubæ, quis apparabitur ad intelligendum, ad orandum, ad psallendum?

SIC & uos per linguã, inquit, nisi significantẽ sermonẽ dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur?] Quæ primũ sub sua psona, deinde per similia tibiarũ, cithararũ ac tubarum consyderanda proposuit, iam ad propositum accommodat. Facit autem hoc per apostropham ad eos qui linguis in ecclesia Corinthiorum loquebantur. Non enim dicit: Sic & uos per linguam nisi significantem sonum audieritis, quomodo intelligetis quod dicitur? sed, nisi significantẽ sonum dederitis, quomodo intelligetẽ quod dicitur? Existimo aũt quod dicit:

cit: Sic & uos per linguā, idem esse quod, sic & uos per linguā loquentes. Aliàs cōuenientius esset ad hunc modū: Sic & uos, ἐὰν μὴ διὰ τῆς γλώσσης, id est, nisi per linguā significantē sermonem dederitis: sic legerē, si sic trāsponere uerba liceret. Vocat igit̃ linguis loquẽtes, τοὺς διὰ τῆς γλώσσης, & comparat eos tibijs, citharis ac tubis.

NISI significantē sermonem dederitis, inquit.] Nullius linguæ sermo est, qui nō alicuius habeat sententiæ significationē, suę gentis hominibus intelligibilē. Loquitur aūt Apostolus de sermone Corinthijs uulgari & intelligibili. Eum uocat εὔσημον, id est, bene significantē, p̄ claro, perspicuo & manifesto. Quare nō male reddidit uulgatus interpres: nisi manifestū sermonē dederitis. Vnicuiq; genti suæ linguæ sermo εὔσημος est. Sic nobis Germanis εὔσημα sunt, quę patria, ἄσημα uero, q̃ peregrina lingua in ecclesia dicunt̃ & canunt̃. At tenebrarū mystæ malunt ἀσήμοις populū lucis, quasi quadā caligine inuoluere, quàm εὐσήμοις ædificare.

QVOMODO intelliget̃, inquit, quod dicit̃?] Suprà dixit: Quomodo cognoscetur quod tibia uel cithara canitur? Consimili modo urget hic dicēs: quomodo cognoscet̃ quod dicitur? Quàm illic tā hic quoq; negat se uidere quomodo possit intelligi quod idiomate nō εὐσήμῳ in ecclesia dicit̃. Dicunt ecclesiastici: Quorsum opus est ut intelligantur quæ Latino sermone in ecclesia oramus, consecramus & cantamus? Adoranda sunt cū stupore ac deuotione ab imperita multitudine, nō intelligenda. Ignorabat hoc Apostolus. Aliàs nō ita serio ursisset dicens: quomodo intelliget̃ quod dicit̃? Si urgeantur Apostolica authoritate Romani, mox dicent: scripsisse Apostolū nō Romanæ, sed Corinthiorū ecclesiæ, quæ est in Gręcia, & populari sermone utit̃, Romanā uero Latina lingua tanq̃ patria, non in urbe modò, sed & in omnibus prouincijs sibi subiectis uti, nec impediri hoc Apostoli præscripto, quo minus sua lingua ubiuis gentium utatur, quod nunq̃ aliter consueuerit, sit uero consuetudo sua pro lege habenda. Sic animata est, quæ se solā pro apostolica uenditat ecclesia.

ERITIS enim, inquit, in aërem loquẽtes.] Rationem reddit eius quod dixit: Quomodo intelligetur quod dicitur? quod idē est ac si dicat, nō potest intelligi qđ dicit̃. Quare? Quia, inquit, eritis in aërem loquentes. Ergo in aërē loquit̃, qui sic loquitur ut intelligi non possit. In aërem enim loqui, est in uanū loqui, sic ut nullus sermonis sensus ad intelligentiā audientiū perueniat. Quemadmodū in aërem uerberare, sic uerberare est in uanū, ut uerbera corpus aduersarij haudquaq̃ feriant, qua similitudine suprà est cap. 9. usus, dicens: Ego itaq; sic curro, ut non in incertum, sic pugilem ago, nō uelut aërem feriens. Germanice dicimus, *Es ist eben als wenn einer in lufft blaſt*, quando significare uolumus, frustra dici, nec accipi, quæ dicuntur. Ambros. exponit: Eritis nihil proficientes.

TAM multa, uerbi gratia, genera uocū sunt in mundo, & nihil horū mutū.] Vulgata uersio habet: Tam multa genera linguarū sunt. Et sic Ambros. quoq; legit. Et Chrysost. licet legat φωνῶν, id est, uocum, exponit tamen de linguis dicens, τουτέστι τοσαῦται γλῶσσαι, τοσαῦται φωναί, σκυθῶν, θρακῶν, ῥωμαίων, περσῶν, &c. Omnino loquitur non de uocibus animaliū, sed de linguarū quę sunt in mundo multitudine ac uarietate, siue legamus uoces, siue linguas, id quod ex sequẽtibus patet. Tam sunt, inquit, in mundo multa linguarū genera, & nullū eorū est ἄφωνον, id est, sine uoce, hoc est, sine certa uocum significatione. Ambrosius sic: sed habent proprias uocū significationes, ut intelligant̃. Germanicus interpres reddidit, *Vnd ist doch ir keine vnteudtlich*, quasi ἄφωνον idē sit quod ἄσημον. Vt uox species est soni, sic loquutio species est uocis, & omnis loquutio est uox. Sic potest ἄφωνον idē esse quod sine loquutione, ut intelligamus nullā linguā esse, cui ἀφασία tribui possit. Si literā urgeas, sensus erit iste. Tā multa sunt, uerbi gratia, genera uocū in mundo, & nullum eorū sine uoce. Quorsum attinet prædicare de uocibus, quod non sint sine uoce? Ridiculus es, si dicas: tam multa sunt genera linguarū in mundo, & nullum eorum est sine lingua. Tam multa sunt genera metallorū in mundo, & nullū eorū est sine metallo. Quare apparet lectionē uulgatā plus habere rationis, q̃ habeat Gręca, quæ nunc est in manibus. Si uero legendū uidet̃, φωνῶν, id est, uocū, suspicor quod sequitur, & nullum eorū ἄφωνον, id est, sine uoce, scriptū fuisse ab Apostolo ἄφρον ἦν, id est, & nullum eorum sine sensu existit, & sine mente, postea uero per incuriā antiquariorū ἄφωνον positū pro ἄφρον ἦν. Verū magis placet, ut legamus: Tā multa sunt genera linguarū in mundo, & nullū eorum est sine uoce. Nam sequit̃. Si igitur nesciero uim uocis, ero ei qui loquit̃ barbarus, &c. unde satis apparet, nō loqui Apostolū de uocibus quorumcūq; animaliū, sed de linguis gentium in mundo, quarū nulla est ἄφωνος, sine uoce, quam frustra audias, nisi uim uocis intelligas. Et est sensus. Vel ipsam multitudinem linguarum quæ sunt in mundo, consyderate, & quæ sit illarū conditio perpendite. Nulla illarum est, quæ non utatur uocibus aliquid significantibus, quæ si non intelligantur, frustra audiuntur, perinde ac si audias hominem barbarum, hoc est perigrinum & lingua incognita loquentem. Sic dicit:

ITAQVE si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus.] Secundum cœptam apostropham dicendum erat: Itaq; si nesciatur uis uocum, quibus loquimini, erūt uobis qui audiūt barbari, & uos loquentes eritis illis barbari. Verū quo sermonem mitiget rursus suamipsius personā inducit dicens: Itaq; si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus. Significat, non esse sic comparatam Christi ecclesiam, ut amet barbariem, aut debeat in illam religionis loco introduci inutilis & obscura barbaries.

Satis autē in loco, licet modeste, obijcit illis barba-

barbariē,eamq; tam audientium q̃ loquentiū. Græci nanq; præ cęteris sic erant Gentibus animati,ut omnes peregrinas Gentes pro barbaris haberent,& præ se uehementer fastidirent.Itaq; uelut exprobrās dicit:Qui fit ut tanto studio linguis incognitis delectemini, cum aliàs omnes peregrinas linguas tanq̃ barbaras præ uestra summopere exuffletis & fastidiatis? An nō barbaries est,quando incognitis linguis in ecclesia loquētes, haud meli⁹ intelligimini,q̃ si loquanť inter uos homines barbari?

Obserua uero, quod non simpliciter dicit: Ero ei qui loquitur barbarus,sed addit, & qui loquitur apud me barbarus erit. Qui linguis in ecclesia Corinthiorū loquebantur,facile cōcessissent,barbaros esse idiotas illos, à quibus loquentes non intelligebanť,dixissentq;,quid ad nos imperitia ac ruditas barbarorū? Verū quod addit:Et qui loquitur,apud me ἐν ἐμοί,id est,in me,meo iudicio,barbarus erit,magis aliquanto habebat acrimoniæ,ad perstringendū illorū stultitiam & inflationē.Quàm enim facile ferebant idiotas uocari barbaros, tam ægre audiebant se illis uicissim esse barbaros. Romani quoq; cæteras,præsertim Germanorū,nationes pro barbaris iam olim habere cōsueuerunt.Qui lingua illorum in ecclesijs Germanorū utuntur,haud grauatim admittent,si dicas omnes eos esse barbaros,à quibus Latinè murmurantes ac boantes non intelligunť. Quid enim hic grauarenť, cum non dubitent eos uocare bestias? At si dixeris omnes eos,q in ecclesia lingua utuntur incognita,esse populo Christianorum barbaros, id demū prorsus inferendū esse clamabunt. Piaculū quippe ducēt latinā linguā,Romanā illā,uocari barbarā.

Ita & uos, quandoquidem sectatores estis spirituum,ad ædificationē ecclesię, quærite ut excellatis. Quapropter qui loquitur lingua,oret ut interpretetur.

Eras. uertit:Itaq; & uos,quasi sit in Græco, καὶ ὑμεῖς οὖν. Vulgata uero habet:Sic & uos.Atq; sic est in Gręco,οὕτως καὶ ὑμεῖς.Quemadmodū paulò suprà,cum similitudinē tibiæ,citharę,ac tubæ induxisset,ut illam accōmodaret,subiecit: Sic & uos per linguā loquentes. Q.d. Similes estis tibijs,citharis ac tubis, nisi significantem sermonē dederitis,&c.consimili modo & hic, ubi dixit,si nesciero uim uocis,ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus,ut id illis applicet,subiūgit:Ita & uos,subaudi,si nescieritis uim uocis, barbari estis illis qui loquunť,& qui loquuntur apud uos, sunt barbari.Ista quidem nō expressit, nisi sub sua persona,ne morosiores illorū offenderet,interim tamen cogitanda esse significauit, dicens: οὕτως καὶ ὑμεῖς.Sic & uos. Scio alios aliter exponere,uerum hæc expositio, mea sententia, apparet esse simplicior.

QVANDOQVIDEM sectatores estis spirituum,inquit,ad ædificationē ecclesię quærite ut excellatis.] Subijcit argumētationi parænesim,adhortās eos, ut linguis utilitatē interpretationis adiungant. Huius rei studiū poscit,dicēs:quærite ut excellatis.Itē,oret ut interpreteť.Cum dicit:quærite ut excellatis, intelligit de prophetia & interpretatione, quibus excellentiā supra linguas hactenus tribuit.Suprà dixit:Æmulemini spiritualia,magis tamē ut ꝓphetetis.Idem hic alijs uerbis inculcans dicit: Quandoquidē ęmulatores estis spirituū,quęrite ut excellatis.Æmulabantur spiritualia, id est,charismata spiritus, quare eos appellat æmulatores spirituū, donorū uidelicet spiritus. Et ex hac illorū æmulatione occasionē sumit, hortandi eos ad studiū prophetiæ & interpretationis,per quas excellenter spirituales redderenť.Perinde facit Apostolus, ac si quis eos qui umbratili doctrina ad ostentationē tantū acquisita impense delectanť,hortaturus ut solidiorē quærant dicat:Quandoquidē sectatores estis bonarum literarū,quærite ut excellatis,hoc est,ei uos doctrinæ tradite, in qua singularem eminentiam inueniatis.

Ne uero simpliciter eos ad studiū excellentiæ ac supereminentię prouocare uideatur, cū dicit:quærite ut excellatis,præmittit scopum ac finem,ad quē eo studio collimare debeant, nempe,ad ædificationē ecclesiæ.Hic scopus alienissimus est à studio carnis,quæ non hoc fine excellere cupit,ut prosit alijs,sed ut gloriosa appareat. Ad gloriam eminentiæ aspirabāt alioqui, quos tota hac disputatione perstringit.Et hoc illorū studium oblique perstringēs dicit, ad ædificationē ecclesiæ quærite ut excellatis,quasi dicat,non ad inanem ostentationem & gloriam,cuius facti estis auidi.

Est ergo studiū excellentię in ijs rebus, quę uel prodesse possunt alijs,uel religionis ac pietatis nostræ professionē concernūt, tam non uituperabile,ut apostolica quoq; dignū sit adhortatione,modo absit affectatio inanis gloriæ,adsit uero propositū iuuandi alios,& faciēdi quod Christianæ fidei professionē deceat. Tale est quod 1.Timo.3.dicit: Qui episcopatū desyderat,bonū op⁹ desyderat. Sed refert admodum quo proposito & ad quē finē desydereť,ne episcopalis illa ambitio quæ obtinuit, proh dolor,in ecclesia probāda uideať. Luctādum nobis est, ut excellamus in uera iusticia, in spe, in opere dn̄i, in quouis opere bono,in charitate fraterna, &c. Huc uocat nos dominus Matth.5.dicens: nisi abundauerit,uel,excelluerit iusticia uestra plus quàm Scribarū & Pharisæorum,non intrabitis in regnum cœlorū.Et Apostolus Rom.15. Vt excellatis in spe. Et infrà ca.15. Excellētes in opere dn̄i semp.Et 2.Cor.9. Excellite ad omne op⁹ bonū.Et Phil. 1.Vt charitas uestra magis ac magis excellat.

QVAPROPTER,inquit, qui loquiť lingua, oret ut interpreteť.] Illatio est parænetica pariter & expositoria. Quod non simpliciter dicit: Qui loquitur lingua,sed: Quapropter qui loquitur lingua, oret ut interpreteť, illationē habet qua ex pręmissis infert adhortationem ad studiū interpretationis. Q. d.Quapropter cum hæc sit linguarum & uocum conditio,ut

nisi intelligantur, inanes sint ac barbaræ, qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.

Deinde quod dicit, qui loquitur lingua, oret ut interpretet, trinam habet expositioné. Primum eius quod in præcedenti generaliter dixit: quãdoquidem sectatores estis spirituũ, deinde eius quoq; quod adiecit, quærite, tertio & eius quod sequit, ut excellatis. Quid uoluerit dicens, quandoquidem sectatores estis spirituũ, in eo exprimit quod hic dicit: qui loquitur lingua. Ad hoc studiũ linguis loquendi respexerat, cũ uocaret eos sectatores spirituũ. Deinde quomodo uelit eos quærere ut excellant, aperit dicens, oret. Tertio, qua in re uelit eos excellere, exponit cũ dicit, ut interpretet.

Quod nõ simpliciter dicit, qui loquitur lingua interpretet, sed, oret ut interpretet, adimit illis tergiuersationé, ne dicant, quomodo interpretabimur, nisi sciamus? Oret, inqt, ut interpretari sciat, hoc est, ut donũ interpretandi accipiat, qui lingua loquitur, postulet à domino, qui non negabit. Cum enim ultro dederit donũ linguarum, quomodo petentibus negaret donũ interpretationis, tam ad ecclesię ædificationem necessarium? Efficaciam orationis huius promisit ipse dominus, dicés: Petite, & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperiet. Matt. 7. Et Iacobi 1. sic legimus: Quod si cui uestrũ deest sapiẽtia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Verũ postulet cum fiducia nihil hæsitans. Hinc tamẽ nõ est ut ociosis ac ignauis uentribus patrociniũ permittamus, qui neglectis sacræ scripturę studijs exercitijs ac disciplinis, uotis, nescio quibus, cum Deo agendũ esse putant, ut docti euadant. Cũ Apostolus ista scriberet, uigebant in ecclesia miraculosa illa spiritussancti charismata, donec sparsum esset in orbe, & confirmatũ Euangeliũ, quæ postea cessarũt, studijsq; disciplinis & exercitijs legẽdi ac discendi scripturas locũ dederũt. Haud quidẽ excludẽda est orationis sedulitas, uerũ coniungenda illi sunt necessaria studia, & ignauum excludendum ocium.

Nam si orem lingua, spiritus meus orat, at mens mea fructu uacat. Quid igitur est? Orabo spiritu, sed orabo & mente. Canã spiritu, sed canã & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locũ idiotæ, quomodo dicturus est, amẽ, ad tuã gratiarum actionẽ? Quandoquidẽ quid dicas nescit. Nam tu quidẽ bene gratias agis, uerum alius nõ ædificatur.

Dixit: Quapropter qui loquitur lingua, oret ut interpretet. Hic subiungendũ erat: nam qui loquitur lingua, spiritus quidem eius loquit, at mens eius fructu uacat. Verũ quoniam illi non modo mysteria Dei linguis in ecclesia loquebant, sed & linguis orabant, canebãt & gratias agebant, ut eius quoq; rei inutilitatem perstringat, mutata psona seipsum inducit, dicés: Nã si oré lingua, spirit⁹ me⁹ orat, &c. Quid sit aũt orare, canere ac benedicere spiritu, suprà dictũ est, ibi: Spiritu uerò loquit mysteria.

NAM si oré lingua, inquit.] Per occasionem eius quod dixit: Qui loquitur lingua, oret ut interpretet, abusum illum corrigit, quo lingua incognita in ecclesia orabant. Et cõcedit quidem orare eũ, qui sic orat, uerũ annectit, quid in hoc orationis genere desyderetur. Spiritus quidem meus orat, inquit, uerũ mens mea fructu caret. Q. d. Concedo quidem si lingua oré, orare me spiritu, hoc est, spiritus afflatu, per qué linguis loquor. Verũ quoniã hoc orationis genus intellectu audientiũ destituit, fit ut mens mea, id est, sensus mentis meæ, qui est in ui uerborũ, nihil adferat fructus. Quomodo enim fructũ nõ intellecta cuiq̃ adferret? Chrysost. sic exponit: Ostendit, non modo alijs eũ qui lingua orat, sed & sibijpsi esse inutilé, quod nec ipse intelligat ea quæ orat. Sic exponunt istam particulã, at mens mea fructu uacat, & Hiero. & Ambro. de fructu non aliorũ audientium, sed eius qui lingua orans, non intelligit sensum uerborũ quæ orando loquit: ad quem modum orant Nonnæ, & ij qui dominicã orationé Latine exprimunt, cum sint idiotę, nihil Latine scientes. Priori tamen expositioni sequentia magis fauent. Quicquid sit, improbat hactenus qui lingua incognita orat, quatenus sine intellectu uerborũ orat. Obsecro an non omnium uerissime orationes illas Papisticas, quas Latino sermone profundũt in templis, ἀκάρπους, id est infrugiferas & inanes uocabim⁹? quod ueros uerę pietatis fructus attinet, quãtumuis sint simoniacis uentriculis admodum quæstuosę? quorũ pars maxima sine mente orat, reliqua multitudo plebis prorsus nihil ex illis intelligit, pro quibus tamen nunquã non numerare cogit. Quid quod superstitio eidololatrica accedit, qua aures Dei irritantur magis quàm placãtur. Quàm est parũ, quod dicit hic Apostolus, menté incognita lingua orãtis uacare fructu, si respicias quantum hodie accedat imposturæ, quæstus & impietatis?

QVID igit est, inquit,] Intellige faciendũ? Hoc est: Quomodo igitur orabo, ne mẽs mea fructu uacet? Sic animati sunt pij, ut ubi admonent inania & infrugifera esse quæ faciũt, præsertim in operibus religioné ac pietaté concernentibus, confestim de emendatione consultent ac dicant: Quid igitur faciendum? Non delectantur uanis & inutilibus, nedum noxijs & abominandis. Clamat Christus: Frustra colunt me docẽtes doctrinas & mandata hominum, at quotusquisq; eorũ est, qui partim hæc imponunt humeris fidelium, partim imposita superstitiose portant, qui dicat: Quid igitur faciendum? Tam multis disputat hoc loco Apostolus contra eos qui linguis incognitis in ecclesia Christi utuntur, at quis ex illis est, qui dicit: Quid igitur faciendum?

ORABO,

ORABO, inquit, spiritu, sed orabo & mente. Canam spiritu, sed canam & mente.] Sic docet quid sit faciendum. Quoniam donum linguarum uigebat in ecclesia, ne illi propter quorundam glorias iniquus esse uideatur, dicit: Orabo & canam spiritu, hoc est, utar linguis & orando & canendo, uerum sic illud faciam, ut & mens accedat, hoc est, quæ linguis orauero ac cecinero, intelligenter etiã orabo ac canam, lingua uidelicet cõmuni & usitata.

ORABO spiritu, inquit, sed orabo & mente.] Dices. Cum oratio fiat ad Deum, idq; secreto, quorsum attinet lingua uulgari orare, quasi non intelligat Deus aliam? An non satis intelligenter orat, qui ipse quid dicat & petat intelligit? An qui Latine sciens Latine orat, etiamsi patriam linguam non ignorat, non orat sufficienter, nisi quæ Latine dicit, dicat & lingua uulgari?

Respondeo. In oratione priuata & secreta satis est mentis, si orans suaipsius uerba intelligit, quacunque tandem lingua ad omnia intelligentem Deum utatur. Verum non loquitur hic Apostolus de priuatis orationibus, sed de ecclesiasticis, quæ in cœtu fidelium linguis incognitis absq; omni fructu fiebant. Hic poscit, ut qui palàm orat in ecclesia, oret non lingua tantũ, sed & mente, quo cum fructu oret.

CANAM spiritu, inquit, sed canam & mente.] In Græco est ψαλῶ, id est, psallam. Credibile est, nonnullos in ecclesia Corinthiorum Psalmos Dauidis Ebraico idiomate cecinisse. Illos sub sua persona monet, ut Psalmos suos lingua canant, quæ intelligi posit ab ecclesia. Siue Psalmos Dauidis, siue alia quædam cecinerint, puto satis constare morem fuisse in ecclesia, ut Deo canerent. Non est autem ut uerbum psallendi ad ea cantica restringamus, qui bus ad instrumenta musica, siue citharam, siue Psalterium, siue lyram cantare nonnulli solẽt. Licet enim psallere proprie sit ad tale instrumentum canere, nihil tamen impedit, quo minus, præsertim in ecclesia, de quouis cantico accipiatur. Nec uerosimile est primos Christianos musicis instrumẽtis usos esse in ecclesia.

Alioqui si benedixeris spiritu, inquit, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est, Amen, ad tuam gratiarumactionem?

Vulgata uersio habet: Cæterum si benedixeris spiritu. In Græco est, ἐπεὶ, quod sane sonat alioqui, uerum uulgatus interpres legisse uidetur ἔπειτα, id est, præterea, deinde, cęterũ, quę lectio haud uidetur inconueniens. Et sic Ambrosius quoque legit. Quod si omnino legendum uideẽ, Alioqui, referenda sic est hæc particula ad præcedentia, ut rationem illorũ adferat. Solenne est ecclesiæ, ut publicis precibus ac Psalmis gratias agat Deo, offeratque illi sacrificium laudis. Plebs rudis & indocta uotis astipulabatur, & ad finem orationis aut Psalmi succinebat illud, Amen, cuius hodie quoq; magnus est usus in ecclesia. Cum ergo admonuisset, & orandum & psallendum esse nõ spiritu tantum, sed & mente, subiecit hanc rationem dicens: Alioqui si benedixeris, id est, gratias egeris spiritu, intellige, tantũ, & sine mente, quid consequetur? Hoc uidelicet, ut plebs imperita, cuius uos nullam rationem habetis, quamuis adstet, & sonitum uocis strepitumq; labiorum audiat, nesciat tamen animo & ore consentire in ea quæ dicis. Hoc intelligit cum dicit: quomodo dicturus est, Amen, ad tuam gratiarumactionem? Est enim, Amen, uox Ebræa, idem quod ueraciter ac certo. Hac consentiens & adstipulans ecclesiæ populus confirmabat publicas preces, Psalmos & gratiarumactiones. Sic Hieronymus in prologo secundi libri in epistolam ad Galatas de populo Romano dicit: Vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat? Vnde facile conijcitur non clerum duntaxat, sed totam ecclesiam ad finem orationum succinuisse illud Amẽ, idq; tantæ multitudinis reboatu, ut instar cœlestis esset tonitrui.

IS qui implet locum idiotæ, inquit.] Sic est in Græco. Erasmus uertit, is qui implet locum indocti. Idiota, uox Græca, sonat hominem priuatum, nullo fungentem publico officio, unde uulgares ac plebeij idiotę uocantur. Et quia plebeij homines plerunque sunt indocti, fit ut nonnunquam idiota pro indocto accipiatur. Meo iudicio idiotas uocat Apostolus plebem ecclesiæ, quæ in cœtum uenit, ut audiat, discat, & in fide ædificetur. Et huius potissima est à doctoribus habenda ratio, perinde atq; in scholis habenda est maior ratio rudium, eorumq; qui tardo sunt ingenio, & in domibus paruulorũ, & in grege omnium imbecilliorum. Ideo non simpliciter hic dicit, is qui audit, sed, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est, Amen, ad tuam gratiarumactionem?

Quid est autem quod non simpliciter dicit, is qui idiota est, sed, is qui implet locum idiotæ? Primum, non est philosophandum in uerbo implendi uel supplendi. Quemadmodum supplere locum ministri in ecclesia, est esse ministrum ecclesiæ, locum implere magistratus, est esse magistratum, ita implere locum idiotę est esse idiotam. Vtitur autẽ singulari pro plurali, ut sit sensus, qui idiotæ sunt in ecclesia. Deinde innuitur alium esse locum, id est, conditionem, ordinem & gradum ministrorum & alium idiotarum, id est plebis. Qui hic idiotæ uocantur, aliàs auditores appellari solent. Locus ministrorum est locus pastorum, plebis uero, locus est gregis. Templa communiter in duas separatas stationes diuiserunt, quarum superiorem, quæ sit in conspectu populi, sacerdotibus ac clero, inferiorem uero plebi deputarunt. De huiusmodi locis non intelligit Apostolus. Potest fieri ut in statione chori sit minister, qui tamen locum suum non impleat,

pleat, hoc est, officium suum non faciat, & in statione idiotarum sit idiota, qui tamen idiotæ locum non impleat, hoc est, non cogitet, in quem finem appareat in cœtu, dum non est animo ad audiendum ac discẽdum intentus ad ea quæ dicuntur & geruntur.

QVOMODO dicturus est, Amen, inquit.] Omnino requiritur, ut concordia sint, & consentientia fidelium uota, dũ oratio ad Deũ dirigitur. Haud est insitatũ ecclesiæ, ut publice oret unus pro omnibus. Et multa sunt quæ omnes communiter concernentia recte unius ore petuntur à domino. Verum admonet nos hic præsens Apostoli locus, eiusmodi preces claudẽdas esse & confirmandas idiotarum, id est, auditorum succlamatione, qua se hæc ipsa in uotis habere testentur, quæ unus ipsorum nomine ad Deũ orauit. At hodie nec qui orat, nec qui audiunt admodum in uotis habẽt quę uerbis inter orandum proferuntur. Dum oratur in ecclesia unius ore ministri, & per pueros ad mensam, quotusquisq; est, qui respondeat, Amen, cum id ex animo fieri conueniat ab omnibus? Clerus Papistarũ satis fortiter clamat, Amen. At interim non facit hoc ex cõsensu ac uoto cordiũ, sed pro more recepto, magis gaudens de fine orationum, quàm de principio, ideoq; inuenias qui pro Amen, dicant, *Am end*: præterquam quod plerunq; non animaduertunt, quibus nam petitionibus Amen hoc succinant. Quid igitur mirũ, quod tot sęculis iam maiori ex parte frustra oramus ad Deum?

AD tuam gratiarum actionem inquit.] Quare nõ dicit, ad tuam benedictionem, cum periodum hanc sic cœperit: Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen, ubi sane subiungendum uidetur, ad tuam benedictionem?

Respõdeo. Si de alio quopiam benedictionis genere loqueretur, quàm quod idem est cũ gratiarum actione, utiq; benedictionis uerbũ retinuisset. Iam uero, quoniam de publica benedictione ecclesiæ loquitur, quæ nihil est aliud quàm laus & gratiarum actio, ut seipsum declaret, maluit dicere ad tuam gratiarum actionem, quàm ad tuam benedictionem. Sunt & alia quædam loca scripturæ, in quibus uerbum εὐλογεῖν, id est benedicere, pro gratias agere ponitur, de quibus alibi diximus.

QVANDOQVIDEM, inquit, quid dicas nescit.] Ratio est, quare idiotæ nequeát ad eiusmodi gratiarum actionem dicere, Amen, quæ lingua peregrina profertur in ecclesia. Quomodo, inquit, qui implet locum idiotæ dicturus est, Amen, ad tuam gratiarum actionem? Quid impedit, quo minus uno uerbo dicat Amen? Quia, inquit, quod dicas nescit. Ergo qui non intelligit uerba orantis, & gratias agẽtis, nõ potest ad illius orationem & gratiarum actionem respondere Amen. Atqui hodie satis est intelligere sonum, quo oratio uel gratiarũ actio clauditur, quo respondeas Amen, ut non sit opus totius orationis uerba, ac sensus intel-

A ligere. Verum Apostolo non est satis, si sciat plebs ex usu quo fine consueto terminetur oratio, qualis est apud Gręcos in oratione dominica, illud εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, & in Missa papistica, Per omnia sæcula seculorum, & illud per Iesum Christum, sed requirit, ut intelligat ea quæ dicuntur, & ex corde consentiat, eodemq; illa uoto confirmans dicat Amen.

Quare admodum alienum est à doctrina Apostoli, & prioris ecclesiæ consuetudine quod Lyranus hic adfert dicens: Quid proficit populus simplex & non intelligens? quasi dicat: Nihil, aut modicum, quia nescit se conformare tibi qui es minister ecclesiæ, respondẽdo Amẽ. Propter qđ in primitiua ecclesia benedictiones & cætera communia fiebãt in uulgari. Sed postquam populus multiplicatus fuit, & consueuit se conformare ministris ecclesiæ, utpote, stando, quando dicitur Euangelium, deposito caputio, adorando Eucharistiam, & consimilibus, fiunt in Latino in ecclesia Latina, & sufficit, quod clerus respondeat pro toto populo. Expeditius enim fit hoc modo quàm in uulgari. Hæc ille. Non hoc quærit Apostolus ut expeditius, sed ut ad ædificationem populi utilius oretur in ecclesia, nec sufficit illi ut clerus pro populo, sed ut quilibet idiota pro sui cordis uoto exprimendo dicat Amen, nec requirit à populo, ut religionem suam stando ad Euangeliũ deposito caputio & adorando Eucharistiã profiteatur, sed ut audiat, intelligatq;

B quæ in ecclesia dicuntur, & ex animo consentiat, quo in fide Christi ædificetur. Verum sic coguntur exponere scripturas, qui omnes ecclesiæ abusus religionis loco defendunt.

NAM tu quidẽ bene gratias agis, inquit, uerum alius non ædificatur.] Rationi rationem subijcit. Dixit fieri nõ posse, ut idiota dicat, Amen, ad gratiarum actionem lingua peregrina prolatam. Et huius rationem hanc posuit, quod quæ dicuntur non intelligat. Iam quasi quæratur, quare ignorantia eorum quæ dicũtur impediat idiotam, quo minus ad gratiarũ actionem non intellectam quidem, uerum bene prolatam uno uerbo, Amen, respõdere nequeat, subijcit: Nam tu quidem bene gratias agis, uerum alius non ædificatur. Quibus uerbis significat in ecclesia non quęri quid utcunque dici ac fieri, sed quid ad ædificationem dici fieriq; possit. Non potest idiota ad orationẽ non intellectam dicere Amen, intellige, ad ædificationem. Quid ad me, aiebant, quod idiota non intelligit quæ dico? Ego interim gratias ago domino. Respondet. Tu quidem bene gratias agis, uerum alius non ædificatur. Refert igitur non quàm bene loquaris & ores in ecclesia, sed quàm ad ædificationem aliorũ. Non loquitur, ut id iterum admoneam, de priuata gratiarum actione, quę tacite fieri potest, sed de publica. In priuata satis bene gratias agit, qui hoc ex animo facit, quacunque lingua utatur, modo ipse illam intelligat, in publica uero non quæritur quàm bene, sed quàm utiliter

liter & ad ædificationem hoc fiat. Ideo ut admoneat inanem esse eiusmodi obiectionē, dicit: Nam tu quidem bene gratias agis, uerum alius non ædificatur. Admonemur ergo friuolum esse omnem illum bonæ intentionis, & nescio cuius deuotionis prætextum, quo Latinarum cantionum & orationum strepitum defendunt, qui in ecclesia Christi negociātur. Quantūuis illas in precio haberi uolunt, interim plebs fidelium per eas non ædificatur.

Gratias ago Deo meo quod magis q̃ omnes uos linguis loquor. At in ecclesia uolo quinq; uerba mēte mea loqui, ut & alios instituam potius quàm decē millia uerborum lingua.

Vulgata lectio habet: Gratias ago Deo meo, quod omnium uestrum lingua loquor. At in Græco est, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, id est, magis quàm omnes uos linguis loquens. Voculam μᾶλλον, id est magis, interpres ille neglexit, & perinde uertit, ac si esset πάντων ὑμῶν γλώσσαις λαλῶν. Et uerosimile est, sic illum legisse in exemplari Greco unde uertit. Nam & Ambrosius ad hunc modum legit. Meo tamē iudicio, non conuenit ea lectio mēti Apostoli. Is enim non Corinthiorum duntaxat, sed omniū aliarum quoq; Gentium linguis loquebatur, quibus Euangelium regni prædicabat. Neq; conuenit ut de linguis intelligamus, quibus nonnulli in ecclesia Corinthiorum ad ostētationē magis q̃ ædificationē loquebantur. Neq; enim illis tantum, sed adhuc pluribus alijs loqui poterat, sicubi necessitas postulasset. Hoc siquidē linguarum dono nō modo Corinthios, sed & reliquos oēs excellebat. Quare existimo hanc esse germanam lectionem: Gratias ago Deo meo, quod magis quàm omnes uos linguis loquor. Hoc est, loqui possum, ubi id aliqua ratio postulat.

Dices. Quorsum hoc iactat, cū in cæteris ab omni sit ostentatione alienus? Non habēt ista inanem gloriationem, sed necessariā doni Dei professionem, ad retundendā & corrigendam uanam quorundam inutiliter linguis loquentium ostentationem. Quoniam tantopere urget, inutile studiū esse, quo in ecclesia linguis incognitis coram multitudine loquebātur, orabant, psallebant, ac benedicebant, ne id uel odio charismatis huius, uel inuidia linguis loquentium ob id facere uideatur, quod ipse dono hoc destituatur, in hæc uerba prorumpit dicens: Gratias ago Deo meo, quod usque adeo non destituor dono hoc linguarum quod nōnulli apud uos tantopere ostentant, ut magis etiam quàm omnes uos linguis loqui possim, ne me quisquam illud propter ignorātiam insectari putet.

GRATIAS ago Deo meo, inquit.] Agnoscit donū Dei, ne quid suæ uideatur tribuere industriæ. Et facit illud plurimi, ne quæ dicit ad illius dicere contemptum existimetur. Magna quippe erat illius utilitas, ubi in tēpore ac pertinēter usurpabatur. Simul illos suo exemplo monet, ut gratias potius agant doni huius largitori Deo, illoq; bene utantur, quàm ut de illo pueriliter glorientur. Sane quisquis gratus agnoscit dona Dei, magna ratione cohibetur, ne de illis inaniter glorietur, quæ non de suo habet, sed ex largitate diuina gratuito accepit. Poterat simpliciter dicere, Linguis loquor & ipse, idque magis quàm uos omnes, uerum ut ista innuat de quibus iam diximus, maluit dicere: Gratias ago Deo meo, quod magis quàm uos linguis loquor.

Nec ociosum est, quod nō simpliciter dicit: Gratias ago Deo, sed, Gratias ago Deo meo. Solemus suaui affectu agnoscere eos ꝑ nostris, quorū in nos singularia beneficia experimur. Et hic affectus peculiaris est omnibus illis qui ex animo benefactori suo Deo gratias agunt, ut uocent eum suum Deum. Sic dicit: Gratias ago Deo meo, quasi dicat, qui me singulari sua gratia sic reddidit etiam hoc linguarum dono instructum, ut nō minus, sed magis etiā quàm uos omnes linguis loquar, ne dū eos corrigo, qui tam insigni charismate ad ostentationem abutūtur, ex ignorātia ac penuria illius adeoq; & liuore id facere uidear.

QVOD magis, inquit, quàm omnes uos linguis loquor.] Cōsyderemus hic primum prouidentiam Dei, quæ quos ad singularia ministeria obeunda eligit ac destinat, singulari etiā necessariæ gratiæ eminentia sic reddit instructos, ut obeūdis ministerijs pares esse possint. Cum uellet Apostolatu Pauli uti, nō ad unam aliquam, sed ad multas, uarias, ac remotas Gētes ad fidem in Christum conuertendas, quēadmodū illi quoq; Act.22. cap. dixisse legitur: Vade, quoniam ego in nationes lōge mittam te, ideoque necessarium esset, ut omnium illarum linguis loqueretur, quibus erat prædicaturus, hoc illum charismate multo uberius instructum reddidit, quàm reliquos.

Deinde obseruandum etiam est, quàm non sit alienum à sanctis agnoscere, profiteri, ac gloriari palam de donis à Deo acceptis, ubi id certa ac necessaria ratio poscit, sicuti in hac & sequenti, & in ea quæ ad Galatas est epistola poscebatur. Sic dicit hic: magis quàm omnes uos linguis loquor. Et suprà, per Euangelium ego uos genui. Et cap. sequenti, gratia Dei, inquit, in me uacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Et. 2. Corinth. 11. & 12. de ijs quę propter Christum pertulit, deq; singularibus reuelationibꝰ gloriatur. Et illic dicit: Nihil minus feci quàm illi qui sunt uehemēter apostoli. Et Galat. 2. gloriatur, se nihil accepisse ab hominibus, ne apostolis quidem, imò Petro restitisse in faciem, quod non recte ambularet ad ueritatem Euangelij. Nihil horum non coactus dixit, propter pseudapostolos, quo Apostolatus sui authoritatem tueretur.

AT in ecclesia, inquit, uolo quinque uerba mente mea loqui.] Postquā meminit, qua sit

linguarum facultate prę ipsis omnibus prędi-tus, iã subijcit de illarũ usu. Loquor & ipse linguis, inquit, magis q̃ uos omnes, uerũ nõ in ecclesia ad ostentationẽ, sed ubi necessitas postulat. In ecclesia quippe nõ requirunt̃ linguę, sed ꝓphetia, ꝑ quã qui audiunt ædificẽtur. Quare in ecclesia malo quinq; uerbis mentẽ meã intelligibiliter exprimere, quo alios instituam, q̃ decẽ millia uerborũ lingua incognita inutiliter profundere. Sic discernit inter ecclesiasticũ cœtũ, & alias extraordinarias loquendi, docẽdi, orãdi & psallendi occasiones. Qui hic uerbi sunt ministri, ubi per eos cõueniuntur qui Germanice nesciunt, Latine uero sciunt, loquũtur illis nõ Germanice, sed Latine, uel Gallis Gallice, si Gallice loqui poterunt. In ecclesia uero, ubi loquendũ est populo, lingua utunt̃ patria, non exotica & ignota. Cõsimili modo Paulus cũ loquẽdũ esset Ebræis, Ebraice, Gręcis, Gręce, Syris, Syriace, Romanis, Romane, Persis, Persice loquebatur. In ecclesia uero nõ alia lingua utebatur q̃ quæ illi esset patria & usitata. Iam Papistæ cũ extra ecclesiã uulgari loquantur idiomate, in ecclesia, ubi potissimum erat intelligentiæ studendum, malunt decẽ millia uerborum exotica lingua loqui, quàm unum saltem uerbulum patria & usitata.

AT in ecclesia, inquit, uolo quinq; uerba mẽte mea loqui.] Ambr. pro διὰ νοός μου, id est, per mentẽ meã, legit διὰ νόμου, id est, per legẽ. Suprà dictum est quid sit loqui mente, & quid loqui lingua, ut nõ sit denuo explicãdũ. Poterat simpliciter dicere: In ecclesia malo loqui mente, q̃ lingua, uerũ ut declararet, quãto sit prophetia præstantior & utilior linguis, maluit per collationẽ dicere, uolo quinq; uerba mente mea loqui, q̃ decem millia uerborũ lingua, quod perinde est ac si aurum supra plumbum extollere uolens dicas, malo quinq; põdo auri q̃ decem millia plumbi. Nihil autem refert utrũ quinq; uerba, & decẽ millia uerborum, uel quinq; sermones, & decem millia sermonũ legas. Quod enim in Gręco est πέντε λόγους, & μυρίους λόγους, utroque sensu accipi potest. Deinde manifestũ est non esse philosophandum in numero quinario ne & in eo qui sequitur philosophari cogamur. Quinq; uerba simpliciter pro paucis posuit, quasi dicat: Volo uno & altero uerbo, tribus quatuor uerbis, &c. mentẽ meã explicare potius q̃ innumeris frustra & inutiliter garrire. Et Ambr. sic exponit: utiliꝰ dicit paucis uerbis in apertione sermonis loqui, quod oẽs intelligant q̃ prolixam orationem habere in obscuro. Nec Hiero. nec Chrysost. nec hic Ambr. uiderunt hoc loco quod uidit Aquinas, q̃ per quinq; uerba perfectã orationem exposuit, in qua sint subiectũ, prædicatũ, copula uerbalis, determinatio subiecti, & determinatio prædicati, uel si id nõ placeat, significari iudicauit ꝑfectã doctrinã, cuius quinq; sint partes, prima prędicare credẽda, secũda docere agẽda, tertia mõstrare uitãda, quarta indicare sperãda, quinta comminari timẽda. Posterior hæc sentẽtia

A placuit Lyrano. Huiusmodi cõmẽta uisa sunt monachis tantũ nõ Canone digna. Mirũ quod non sunt in numero decẽ millium quoq; philosophati, in quo de inani tẽplariorũ boatuũ strepitu facillime admoneri poterant, quem quomodo insectetur Erasmus hoc loco, in annotationibus illius uidere licet.

VT & alios instituã, inquit.] Inhæret ꝓposito, urgens institutionẽ & ędificationẽ fideliũ quod id sit primariũ fidelis Apostoli opus, & unicus scopus, ad quẽ collimãdi sunt ecclesiastici cõuentus. Est autem in Græco uerbũ κατηχήσω, quod uoce aliquẽ instituere significat, ad quam rem opus est sermone intelligibili, eoq; nõ uerboso & cõfuso, sed succincto ac methodico. Qui sic in ecclesia instituebãt rudes, catechistę, & id genus institutiones catechismi uocabãtur, quorũ nullus usus in papatu remãsit.

Quod autem non simpliciter dicit, ut alios, sed, ut & alios instituam, eo sensu accipiẽdum est, quo suprà dixit: Qui loquit̃ lingua seipsum ædificat, qui prophetat, ecclesiam ædificat. Sic dicit: uolo quinq; uerba mẽte mea loqui, ut & alios, hoc est, ut non me duntaxat, sicuti faciũt qui linquis loquuntur, sed & alios qui me audiunt instituã. At hodie qui Latine inter Germanos, Gallos, Hispanos, Britãnos, Bohemos, Danos, Suedos, Hungaros, &c. in ecclesijs loquuntur & cãtillant, maxima ex parte, nec seipsos nec alios instituunt.

POTIVS, inquit, quàm decẽ millia uerborũ

B lingua.] Solet numerus myriadis, quãuis decem millia comprehendat pro innumera plerunq; & infinita multitudine in scripturis poni, quo sensu omnino positus est hoc loco. Nõ est autem illo Apostolus ociose usus. Si simpliciter prophetiã linguis aliquousq; pręferre uoluisset, poterat dicere, potius quàm decẽ uerba lingua. Verum maluit dicere, potius q̃ decẽ millia uerborũ lingua, quo primũ uanissimã illorũ ostentationẽ perstringeret, qui nec modum ullum seruabant, nec finẽ faciebant, cum linguarum donũ in ecclesia ostentarẽt, deinde & eiusmodi loquacitatis & exoticarũ orationum uanitatẽ carperet, admoneretq; hoc esse illas uaniores quo sunt uerbosiores. Quicquid enim uanum est & inutile, quo magis multiplicatur operosiusque ac sumptuosius geritur, hoc uanius & auersandum magis redditur, tã abest, ut multiplicando cõmendari possit. Nõ est numerus, non est modus, non est finis, intolerabilis est sumptus cantionum, orationum, missarum, cæremoniarum papisticarum, quæ in conspectu domini hoc sunt abominabiliores, quo plures ac sumptuosiores.

Fratres, ne sitis pueri sensibus, sed malicia pueri sitis, sensibus uero perfecti sitis. In lege scriptum est: Varijs linguis & labijs uarijs loquar populo huic, & ne sic quidem audient me, dicit dominus. Itaq; linguæ signi uice sunt, non ijs qui

credunt,sed incredulis, prophetia uero non incredulis,sed credentibus.

Occurrit falsæ persuasioni, qua multitudo persuasa erat,abunde sibi sufficere, si simpliciter crederent,etiamsi non omnia quæ in ecclesia dicebantur,intelligerent.Non est nostrum, aiebāt,omnia intelligere ac scire,quod ad præpositos ac doctos pertinet,sed satis est,si simus instar puerorum,ambulemusq; simpliciter.

Quare non est opus,ut intelligamus omnia quæ linguis in ecclesia dicuntur.Sufficit agnoscere miraculosum spiritussancti donū,illudq; cum admiratione uenerari.Ad quem modum plane in papatu persuasum est plebeijs, sciētiā rerum spiritualium, & lectionem intelligentiamq; sacrarum scripturarum competere non ipsis,sed doctorib⁹, monachis, & sacerdotib⁹. Nos sumus,inquiunt,laici ac sæculares,nostrū non est nisi simpliciter credere,quēadmodum crediderunt nostri maiores,ingredi ecclesiam, ibiq; orare, missam audire,& aliquid offerre.

Huiusmodi cogitationi occurrit Apostolus subacri correptione dicēs:Fratres,ne sitis pueri sensibus, sed malicia pueri sitis. Quasi dicat: Quid hoc rei est? Dum patiēter auditis ea quæ nō intelligitis,nec ullam curam intelligentiæ, unde instituamini,impenditis,quid aliud esse uultis quàm pueri spiritualium rerum ignari? Instar puerorum ingredimini ecclesias,nec curatis quomodo ædificemini. Ad strepitū linguarum incognitarum obstupescitis, & sic loquentes admiramini,de prophetia uero,p quā intelligētes reddi possetis, nulla est cogitatio. An sic iubet ppetuo similes esse pueris? Quod si uultis esse pueri,sitis pueri,uerū malicia non sensibus. Aliud est esse puerū sensibus,& aliud puerum esse malicia.In pueris sunt ignorantia rerum utilium,& innocentia nulla dum malicia imbuta. Quod ignorantiam attinet, non conuenit Christiano,ut sit instar pueri,nescius eorum quæ cum primis scire debebat. Quod uero innocētis animi simplicitatem à maliciæ duplicitate alienam concernit,omnibus competit fidelibus nō plebeijs modo, sed & doctorib⁹ ac præpositis,ut similes sint pueris, alieni à malicia,nequitia,uersutia,iniqtate & iniusticia,arrogantia & superbia, &c. Magna itaque peruersitas est,puerorū uelle amplecti ac profiteri inscitiam,in rebus salutem nostram cōcernentibus,innocentiæ uero ac simplicitatis cādorem auersari,& in malicia præstare adultos & exercitatos ueteratores. Sic faciebāt Corinthij. Quod sensus rerum spiritualiū attinebat, plane erant pueri,nec appetebant illarū scientiā.In malicia interim nihil erant minus quàm pueri,carnales, contentiosi, uoluptuarij,arrogantes, iniurij in fratres, apud ethnicos iudices litigantes,scortantes,&c. Erat igitur tempestiuum,ut hanc in illis peruersitatem correptione hac corrigeret dicens : Fratres, ne sitis pueri sensibus,sed malicia pueri sitis, sensibus **uero perfecti sitis.**

A Chrysost.hāc particulam sic exposuit.Pueri sic sunt animati,ut res ludicras ac plerunq; nullius momenti admodum appetant,magniq́ue faciant,eas uero quę potiores sunt,ipsisq; utiliores esse possent,nec affectent,nec alicuius faciant. Cōsimili modo Corinthij,linguas unde nihil erat ædificationis, admirabantur, inq́ue precio habebāt, at prophetiam interea, multo utiliorē longe uilioris æstimabant.Hoc in illis repræhendens Apostolus monet, ne sensibus sint pueri,sed potius pfecti. Si respicias ea quę populariter in ecclesijs papistarū magno serio exercentur,cum sint res nihili, plane depręhēdes maximam in illis multitudinem admodū esse pueriliter animatam.Pueris facillime persuadetur,ut uera esse credant,quæ omniū sunt falsissima. Obsecro quid non puerili prorsus credulitate uulgo receptum est in papatu?Nihil tam absurdum, nihil tam superstitiosum, nihil tam impium, nihil tam ludicrum ac ridiculum, nihil tam alienum à sanctis scripturis excogitari potuit, quod non sint maiores nostri pro uero & indubitato, proq; pio & Christiano amplexi.Pueri impensissime delectantur puppis,imagūculis qualicunq;ornatu splēdidis.Sic illi nullis sumptibus pepercerūt,quo omnia fierent imaginibus mortuorū sanctorū referta. Pueri, quæ admirantur ac magnificiunt,ipsis etiā parentibus suis magnifica uideri putant,eaq; illis deprædicant,ostentant,& offerunt. Plane consimili modo in papatu fieri

B uidemus. Aurum,argentū, uestes sericas,imagines, magnificas templorū structuras & quæ alia sunt eiusmodi magnifaciunt, quia arridēt carni,ideoq; in illis cultū diuinum constituūt, quod iudicāt ea perinde atq; sibi apprime placere Deo.Pueriles omnino sunt hi sensus. Dicamus ergo illis : O fratres,ne sitis pueri sensibus, sed malicia pueri sitis sensibus uero curate ut sitis perfecti.

FRATRES, inquit, ne sitis pueri sensibus, sed,&c.] Quod igitur erant & esse uolebāt Corinthij repręhēdit in illis Apostolus,ac dehortatur ne id esse uelint dicens:Ne sitis pueri sensibus. Deinde quod nec erāt nec esse curabāt, ut id sint & esse curent hortatur cum dicit: sed malicia pueri sitis.Quod perinde est ac si populo Israëlis stulto & insipiēti dixisset Deus, Ne sitis sapientes ad faciēdum mala, sed ad benefaciendum sapientes sitis,ad mala uero faciendū sitis insipientes & inepti, ubi Hiere.4.queritur illos esse sapientes ad faciendū mala, bene uero facere prorsus nescire.

SENSIBVS uero,inquit,perfecti sitis.] Dices hic,quis nā est ex mortalib⁹ omnibus, qui sensibus posit esse perfectus & cōsummatus? Quid enim est perfectū esse aliud,q̄ sic esse consummatum,ut nihil sit quod adhuc desyderari posit? At hoc solius est Dei. An non cap.præcedēti:ex parte nos cognoscere,& per speculū in ęnigmate cernere dixit, donec ueniat tēpus illud perfectionis, in quo cognoscemus quēadmodū iam cogniti sumus,&facie ad faciem cernemus?

cernemus? Quomodo igitur hortatur Corinthios, ut sensibus sint perfecti, cum nondū adesset perfectionis tempus? Respondeo. Nō loquitur de omnimoda sensuū perfectione, quę in futura demum uita continget, sed de ea quę uirilis est ætatis, cui respectu pueritiæ pfectio tribuitur. Quare quod dicit: Ne sitis pueri sensib⁹, sed perfecti, perinde est, ac si dicat, ne sitis pueri, sed uiri sensibus. Vtit̃ enim similitudine pueritiæ & uirilis ætatis, qua usus est, & cap. præcedenti dicēs: Cū essem puer, loquebar ut puer, sentiebā ut puer, cogitabā ut puer. At ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Vt ruditas & imperfectio adhæret pueritię, ita perfectio ad uirilē pertinet ætatē, intellige, qualis in hac uita contingere potest. Sic etiam Eph. 4. similitudine hac puerilis ac uirilis ætatis utitur dicēs, donec perueniamus omnes in unitatē fidei & agnitionis filij Dei in uirū perfectū in mēsurā ætatis plene adultę Christi, ut non amplius simus pueri qui fluctuemus & circumferamur, quouis uēto doctrinæ per uersutiam hominū. Et ad hāc uirilem perfectionem consequendā dicit à Deo datos esse apostolos, euangelistas, prophetas & doctores. Consimili modo urget etiā Corinthios, ut prophetiæ ac doctrinæ dēt operam potius q̃ linguis, quo possint institui & ædificari in cognitione Christi, ne perpetuo sint pueri sensibus, sed aliquādo ad uirilē perfectionem promoueant. Chrysost. exponens dicit: ἐβούλετο ἄνδρας αὐτοὺς εἶναι καὶ παῖδας, τὸ μὲν ἐν τῇ κακίᾳ, τὸ δὲ ἐν τῇ φρονήσει. Ambros. exponit ad hūc modum: Perfectos illos uult esse, ut sciāt quid ad instructionē ecclesiæ sit necessarium, ut recedētes à malicia & erroribus his studeāt, quæ proficiant ad utilitatem fratrum. Hic est enim sensu perfectus, qui agit ut prosit alicui, maxime fratri. Hęc ille, qui aliter etiam particulam hanc legit, quàm & Græcus contextus & ęditio uulgata habeat. Sic nanq; legit. Sed malicia paruuli estote, ut sensibus perfecti sitis. Quasi fieri nō possit, ut perfectus sit sensibus, qui nō est malicia paruulus. Sane licet inuenias nimis multos, qui in uirili ętate & sensibus ualeāt & malicia, in causa tamen ueræ pietatis fieri non potest, ut ualeat sensibus qui non est malicia paruulus, qua de re uide Chrysostomū hoc loco. Sed pergamus.

IN lege, inquit, scriptū est: uarijs linguis & labijs uarijs loquar populo huic, &c.] Accidere illis significat, quod olim De⁹ Israëli euenire cōquestus est, uel, si mauis, euenturū prædixit. Quod uidelicet uerbum suū missum ꝑ prophetas, haud secus absq; iusto intellectu audirent, q̃ si quis lingua incognita & barbara loquentē audiat. In lege, inquit, scriptum est. Nusquā in libris Mosaicis reperies ea quę citat. Imo si uerba exacte spectes, nō inuenies ullum in omni scriptura locum, in quo scriptum sit: uarijs linguis & labijs uarijs loquar populo huic, & ne sic quidem audiēt me. Et tamen necesse est, ut alicunde sint ista ex lege desumpta, nisi daturi sumus Apostolo, quod è lege citet, quę nusquā

A sint in lege scripta. Non inuenio autem locum aliquem, unde uerosimilius hæc uideātur desumpta, præter eum qui est Esa. 28. Non debet uero insolens uideri, quod scripta prophetarū uocat legem, & quę in illis sunt, in lege scripta esse dicit: Etenim dictione legis nōnunquam in genere utitur de ijs quæ ad uetus pertinent testamentum, siue sint pentateuchon, siue libri Iudicum, siue Samuel, siue libri Regū, siue Psalmi, siue prophetæ, &c.

Habet autem locus Esaiæ in Ebræo ad hūc modum. Et illi quoq; præ uino errant, & præ sicera errāt, sacerdos & propheta errant, sicera absorpti sunt, prę uino errant, præ sicera errāt, in uisione errant, in iudicio impingunt. Nam omnes mensæ repletæ sunt uomitu, ut non sit locus. Quem docebit scientiam? & quē intelligere faciet auditū? ablactatos ne à lacte? auulsos ne ab uberibus? Quoniam præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum, regula ad regulam, regula ad regulam, modicū hic modicum hic. Quoniam balbutiētibus labijs, & lingua alia loquitur ad hunc populum, qui dicit ad eos, hæc requies est, refocillate lassum & hæc refocillatio, & nolunt audire. Et est eis uerbum domini, præceptū ad præceptū, præceptum ad præceptum, regula ad regulam, regula ad regulam, modicū hic modicū hic, propterea uadent & cadent retrorsum, & cōterentur, & illaqueabūtur & capiētur. Propter hoc audite uerbū domini uiri illusores, dominatores populi huius, qui estis in Hierusalem, &c.

B Hæc omnia cohærent, nec facile germanus 𝔭phetæ sensus patebit, nisi totus hic cōtextus inspiciatur, qua de re tamen non est, ut hic dicamus. Inspiciantur ea quę in Cōmentarijs nostris super hunc prophetā diximus, in quibus præsentē locum qua potuimus diligentia explicuimus. Apostolus quædam ex illo truncatim excerpsit, & proposito suo accōmodauit, quæ uidelicet ad summam propheticæ repræhēsionis facere, & causæ quā agebat cōformia esse iudicauit. Summa autē est. Israëlitis præsertim sacerdotib⁹ & pseudoprophetis una cū maioribus erat uerbū domini, quod prophetę prędicabāt, usq; adeo obscurum & barbarum, ac si lingua aliena & labijs balbutiētibus proponeretur. Non quod prophetæ peregrina lingua uaticinando & corripiendo uterentur, sed quod animi illorum essent aliò auersi, & plane à uerbo domini abhorrētes, ac studio scientiā Dei fugiētes. Hactenus idē accidit Corinthijs, in eo quod malebant audire linguis loquētes, quas non intelligebant, q̃ prophetantes, quos intelligere, & unde ędificari potuissent. Et hoc sensu prophetæ locū citat dicens: In lege scriptū est, Varijs linguis, & labijs uarijs, uel, ut in Græco est, alijs linguis, & labijs alijs, sicut & uulgata habet, loquar populo huic, & ne sic q-dē audient me. Non inhæret uerbis, sed libere citat, quatenus 𝔭posito accōmodare iudicat. Primum, in Ebręo nō est in prima persona loquar populo huic, sed in tertia, loquit̃ ad hunc

populum, deinde nõ uarijs, uel alijs labijs, sed balbutiẽtibus labijs, tertio, illud, & ne sic quidem audient me, in Ebręo est, & nolũt audire, & ponitur demũ post ista qui dicit ad eos, hæc requies est, refocillate lapsum, & hæc refocillatio, quarto, quod addit, dicit domin9, in Ebręo nõ est. Adiecit hoc, ut significaret uerba ista dicta esse sub persona domini. Admonemur hac cõsyderatione q̃ sint ea scripturæ loca quæ citantur ab apostolis & euangelistis uigilanter exponenda, ne omnia uidelicet illorũ ad causas quibus adaptantur contorqueantur, sed ea tantum applicetur, quæ ad propositum faciũt, ne uis inferatur scripturis. Ambrosius exponit hunc locum bifariam. Primo ad hunc modũ. Hoc dominus de his dixit quos præsciuit, nec Saluatori credituros. In alijs enim linguis & in alijs labijs loqui, Nouũ test. est prędicare, &c. hoc est, immutata ratione aliter loqui q̃ legis ueteris uerba habeant, dum audiũt sabbatum solui, neomenias euacuari, circũcisionem cessare, sacrificia immutari, &c. hoc est, alijs linguis & alijs labijs loqui. Et nec sic perfidi Deũ audire uoluerũt. Deinde, putat etiam id fuisse alijs linguis loqui, quãdo Euangelium Iudæis est per parabolas prædicatum, Matth. 13.

Lyranus existimat hunc locũ fuisse impletũ Hierosolymis in die Pẽtecostes, cum discipuli omnis generis linguis loquerẽtur. Et sane nõ est inconueniens illius sententia, si quæ ex ꝓpheta citantur uaticinium habẽt de re futura, quemadmodũ nonnulli sentiunt. Nos exposuimus ea tanquam Iudaicæ obstinationis repræhensionẽ qua tẽpore prophetæ uerbũ Dei sic auersati fuerint, ut perinde nõ intellexerint audiendo, ac si linguã prorsus alienã audirent. Quod si magis placet, ut per modum uaticinij ab Apostolo accepta sentiamus, nõ est impertinens, ut de Iudæis intelligamus quibus dominus per discipulos in die Pẽtecostes, alijs atq; alijs est linguis loquutus, qui tamẽ ne sic quidem ad fidem sunt conuersi. Quicquid statuamus de sensu prophetæ, haud grauatim adducor, ut sentiã Apostolum uerbis istis respexisse ad miraculum linguarũ, eoq; illa per catachresim deflexisse, quasi dicat: Quid accidit Iudęis? An nõ illis quoq; alijs atq; alijs linguis loquutus est Deus, ita ut stuperent? Quid inde utilitatis consequuti sunt? Non audierunt Deum, neq; Euangelio crediderunt, ut impletum sit in illis quod in lege scriptum est: uarijs linguis ac uarijs labijs loquar populo huic, & ne sic quidem audient me.

ITAQVE linguæ signi uice sunt, inquit, nõ ijs qui credũt, sed incredulis, &c.] Aperit quid ex loco ꝓphetæ colligat. Nõ enim simpliciter dicit, Linguæ signi uice sunt, sed per notã illationis. Itaque linguæ signi uice sunt, uel, ut in Græco est, εἰς σημεῖόν εἰσιν. i. in signũ sunt, ut intelligas colligi hoc ex præmisso ꝓphetę loco, uel ex historia linguarũ, cui illũ accõmodat. Quoniã autẽ dictio signi iã pro indicio, iã pro sacramento, ut uidere est Ro. 4. iã pro miraculo in

A scripturis sumitur, dubitari potest, quo sit hic sensu dictũ ab Apost. qđ linguæ sint in signũ. Verũ expeditius est, ut intelligamus eas fuisse uice miraculi, uel, ad miraculũ datas, ut essent argumẽto quæ gerebãtur geri diuinitus, quo mẽtes audiẽtiũ obstupescerẽt, & ad credendũ ꝓmouerentur, sicuti in historia diei Pẽtec. patet.

NON ijs qui credunt, inquit, sed incredulis, ꝓphetia uero nõ incredulis, sed credẽtibus.] Arguit ex ratiõe linguarũ & ꝓphetiæ quo cõprobet puersum esse ipsorũ studiũ, quo neglecta ꝓphetia linguis tãtopere inhiabant. Ratio linguarũ erat ratio signorũ. Quẽadmodũ signa ædebãtur diuinitus propter eos qui nõ facile credebãt uerbo, quo manifesto diuinæ operationis argumento permoti uerbum audirent & crederent, ita & linguæ propter eosdem & in eundem finẽ erant datę. Hoc est quod dicit: Linguæ in signũ sunt, nõ ijs qui credũt, sed incredulis. Hoc est, nõ ijs qui uerbo Euangelij iã credunt (illis quippe nõ est opus ut miraculo quopiã ad credẽdũ inducãtur) sed ἀπίστοις, id est nõ credentibus ad prædicationẽ uerbi, sed aliquo ueritatis argumento certificari uolẽtibus quale erat quod Thomę accidebat, cũ diceret: Nisi uidero in manib9 eius uestigiũ clauorũ, & mittã digitum meum in uestigiũ clauorum, & mittã manũ meã in latus eius, nõ credã: cui dictũ est à dño: Infer digitũ tuũ huc, & uide manus meas, & admoue manum tuã & immitte in latus meum, & noli esse ἄπιστος ἀλλὰ πιστός. i. nõ credẽs, sed credẽs. Propter eiusmodi homines

B facta sunt signa & portẽta, & datũ omniũ linguarum charisma, quo ad fidẽ perducerentur. Non est igitur quod Apost. linguas in signum incredulis esse dicit, de ijs intelligendum, qui neq; uerbo neq; signis ad fidem unquam perducuntur, sed prorsus manent increduli, quales erant obstinati Iudęi, sed de ijs tantum, qui uerbo sine signis non credunt.

PROPHETIA uero nõ incredulis, inquit, sed credẽtibus.] Pertinẽt hæc ad rationẽ ꝓphetię, quę hactenus diuersa est à ratione linguarum, quod data est nõ incredulis, sed credẽtibus. Hi nanq; uerbo, cui credũt instituuntur & ædificãtur, illi uero nequaquam, quia nõ credũt. Et hactenus rationẽ linguarũ ac ꝓphetiæ expressit, in eo diuersam, quod illę incredulis, ista uero credẽtibus cõpetit. Iam addendũ erat, uos autẽ non estis increduli, sed credẽtes. Pertinet igitur ad uos prophetia, potius q̃ linguę. Verũ nõ erat necessariũ, ut minorẽ & conclusionem subijceret, quod hæc ultro ex maiori paterẽt & cõsequerẽtur. Neq; enim timẽdũ erat, ne seipsi ꝓ incredulis potius q̃ ꝓ credẽtibus haberent. Quare abunde satis erat rationem explicuisse linguarum & prophetiæ, ac monuisse, illas nõ ad credentes pertinere, sed ad incredulos, hãc uero in usum & ædificationem esse datam nõ incredulis, sed credentibus.

Ergo si cõuenerit ecclesia tota simul, & oẽs linguis loquãtur, ingrediãtur autem idiotæ

idiotæ aut increduli, an nõ dicēt uos insanire? Si uero oẽs prophetetis, ingrediatur autẽ incredulus, aut idiota, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnib⁹, & sic occulta cordis eius manifesta fiũt, atq; ita ꝓcidẽs in faciẽ adorabit Deum, prõnũciãs quod De⁹ reuera sit in uobis.

Arguit ab euẽtu, iuxta diuersam linguarũ & ꝓphetiæ rationẽ diuerso, indeq; adhuc ampli⁹ urget, ut magis ꝓphetię q̃ linguis operã impẽdant. Vtitur aũt argumẽto hypothetico ponẽs cõditionalẽ, unde colligat euentũ. Cõditionalis particula gemina est. Prior sic habet. Ergo si cõuenerit ecclesia tota simul, & oẽs linguis loquãtur, ingrediãtur autẽ idiotæ aut increduli. Altera est. Si uero oẽs ꝓphetetis, ingrediatur autẽ incredul⁹ aut idiota. Et hinc geminũ colligit ac diuersum euentũ. Prior est: an nõ dicẽt uos insanire? Posterior est, coarguitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita procidẽs in faciem adorabit Deum, pronunciãs quod Deus reuera sit in uobis. Hic inferendũ erat: An non igitur satius est & utilius, ut prophetetis, q̃ ut linguis in ecclesia uestra loquamini? Nisi dictu ri estis, meli⁹ esse, ut ꝓ insanis habeamini, q̃ ut incredulos & idiotas lucrifaciatis domino: At erat adeo manifestũ, utrũ esset utilius, & malle contrarium illius adeo absurdum, ut non esset necesse huius expresse meminisse.

ERGO, inquit, si conuenerit ecclesia tota simul.] In Gręco est, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod uulgata habet, in unum. Et Eras. suprà cap. 11. transtulit, in eundem locum. Significat se loqui, nõ de quibusuis sermonibus, quibus Christianus homini peregrino, & nõdum fideli, peregrino illius uidelicet, idiomate loquatur, sed de illis qui in cõuentibus ecclesiasticis exoticis linguis inter Corinthios ostẽtationis gratia fiebãt. Ideo ponit nõ quoduis colloquiũ, quod inter paucos fiat, sed plenũ ac iustũ totius ecclesiæ cõuentũ, dicẽs: Ergo si cõuenerit ecclesia tota simul.

ET omnes, inquit, linguis loquantur.] Hoc est, & quotquot in ecclesia loquuntur, linguis incognitis loquãtur oẽs, ut nemo sit ex omnibus qui prophetet. Posset in genere de omnibus fidelibus in ecclesiã uenientibus exponi, uerum satius esse uidetur, ut id sentiamus perstringi quod in ecclesia Corinthiorum fiebat, in qua non omnes, sed ij qui loquebantur, linguis incognitis utebantur. Quanquam nõ admodũ repugnarim, si quis de omnibus in uniuersum exponat atq; ita maiorẽ eiusmodi ecclesiæ confusionem exprimi sentiat. Q. d. Apostolus: Quid si quemadmodũ omnes estis charismatis linguarum æmulatores & admiratores, ita omnes linguis in ecclesia loquamini? Quid inde consequetur?

INGREDIANTVR autẽ idiotæ, inquit, aut increduli.] Hoc Apostolus nisi euenire cõsueuisset, frustra posuisset. Solebant dubio procul in cœtum ecclesiæ, non modo fideles quidẽ ac rudes adhuc idiotę, sed & infideles ingredi, illi pro more ecclesiæ, isti ut uiderent & audirent, deq; fide ac religione Christianorum cognoscerent. Vnde obtinuit in ecclesia, ut cum mysteriorum instaret communio per diaconũ iuberentur discedere prophani, & accedere sancti, id est fideles.

AN non dicent uos insanire, inquit?] Ponit euentum qui sequuturus esset ex confusione pręmissa. Q. d. Age, si omnes linguis in ecclesia loquamini, q̃d utilitatis inde uel ad uos, uel ad rudes idiotas, uel ad infideles, qui subinde cœtum uestrum ingrediũtur, prouenire poterit? Iudicate uosipsi, an non magis pro insanis habebimini? Etenim sani hominis non est in cætu hominum ea dicere quæ à nemine possunt intelligi, sed magis mẽte moti. Et hæc insania quo plures simul corripuerit, hoc plus stuporis incutit spectantibus.

Ergo cauendum est ecclesiæ fideliũ, ne quid admittat quod speciẽ aliquam stulticiæ & insaniæ uel rudibus uel infidelibus obijciat. Ipsa quidem fides in Christum ipsa spes, ipsa patiẽtia crucis ac tribulationum, ipsa mundi & carnis nostræ abnegatio, stulticiæ damnãtur à filijs huius sæculi, id quod patienter est & fortiter ferendum, uerum in rebus alijs, quæ possunt cum ratione cũ decoro & utiliter agi, cauendum est, ne insensate, inutiliter, & sic agantur, ut risum magis & contemptum, quàm laudem & commendationem mereantur. Huc refer ineptos ac portentosos monachorum in medio sæculi, ac frequentia populorum passim obambulantium cucullos, & barbaros templariorum boatus, ac ridiculas missantiũ gesticulationes, & quæ alia sunt eiusmodi.

Nec est ut per impudentiam, ut sunt magna ex parte perfrictæ frontis, dicãt: Quid ad nos, quod ridemur ac pro insanis habemur? An nõ hoc ipsi quoque Paulo accidit? cum diceretur ipsi: Insanis Paule. Nemo nos pro insanis habet, præter eos, qui irrisores sunt religionis. Quod Paulo accidit, in re accidit necessaria, ipsam nostram salutẽ fidemq; ac religionẽ Christi concernente. Quare & immerito pro insano habebatur. At quæ isti faciunt, nulla necessitate, nec religionis, nec salutis nostrę faciunt, & in se sic sunt comparata, ut si superstitionẽ illam inueteratã spectantibus abstuleris, nequeant non ridicula & insana uideri.

Deinde non est Christiani hominis in eiusmodi rebus dicere quid est quod rideor, & insanire uideor? Nam etiamsi hoc faciant homines parum sobrij ac religiosi, melius tamen est, ne illis quidem occasionem ridendi & obloquendi obijcere, quando Apostolus ne infideles quidem offendendos esse censeat. Non enim dicit: ingrediantur autem sapientes, ac pij homines, sed ingrediãtur autem idiotę aut increduli, an non dicent uos insanire?

An nõ potuissent hic regerere Corinthij: age dicãt nos insanire infideles & idiotæ, quid ad

 nos?

nos? Infideles sunt & idiotæ. Si saperent non riderent donum Dei.

Puto illos aliquanto maiore potuisse cũ ratione hoc pacto studium linguarũ, cui nimiũ dediti erant, defendere, quàm isti qui res in se ridiculas hodie defendunt. Et tamẽ, statim, & recte, audissent ab Apostolo. Ergo ne uos idiotarum putatis & infidelium nullam esse in ecclesia Christi habendam rationem, cum id sine detrimento doni Dei fieri possit? Quid putas illum hisce nostris barbaris, morionibus, & gesticulatoribus dicturum?

SI uero omnes prophetetis, inquit.] Intellige, per uices, & ordine, sicuti mox docebit. Alioqui grandis & absurda prorsus esset cõfusio, non minus insaniæ damnanda, si oẽs absq; ordine ac simul in conuentu ecclesiæ prophetent, quàm si omnes linguis loquantur.

INGREDIATVR autem incredulus, aut idiota.] Iam secundo idiotas & incredulos cõiungit. Nam illi potissimum sunt qui & facile offendãtur, si quid absurdi in ecclesia uiderũt, & in quibus maxime locũ habeat studiũ ædificationis, si ꝓphetia recte administretur. Lõge alia ratio est sapientiũ ac prudentiũ, eorumq; qui exercitatos sensus habẽt in rebus spiritualibus. Hi nec leui momẽto offendunt, nec multa opus habent institutione, qua ædificentur. Cæterum hoc loco non est incõmodum, si cũ Erasmo per idiotam intelligamus indoctum, eum uidelicet qui sciẽtiæ respectu parũ differt ab eo qui adhuc est infidelis, nisi quod in rudimentis Christianæ fidei institutus & sacro baptismate initiatus est ecclesiæq; incorporatus.

COARGVITVR ab omnibus, dijudicat̃ ab omnibus, inquit.] Euentum à priori diuersum ponit, qui sequuturus sit ex studio prophetãdi in idiotis aut infidelibus, ecclesiæ conuentum ingressis. Recenset autem triplicem euentũ. Primus, ipsum idiotam aut infidelem, secundus Deum, tertius ecclesiam concernit.

1 De primo sic dicit: coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt. De secũdo, atq; ita procidens in faciem, inquit, adorabit Deum. De tertio, pronuncians, inquit, quod Deus reuera sit in uobis. Prima itaq; utilitas, quæ ex ꝓphetia cõtingit idiotę & infideli, in eo est quod arguitur & iudicat̃, hoc est, quod de errore deq; peccatis in conscientia sua per doctrinam ueritatis & iusticiæ conuincitur, idq; non ab uno tantum & altero, sed ab omnibus, intellige ꝓphetantibus.

Argui & iudicari, depræhendi est & conuinci, perinde ac si quis in iudicio depræhendatur & conuincatur esse reus.

Non est autem præter rationem, quod hæc particula priore loco ponitur. Est enim prima in opere cõuersionis, nec fieri potest, ut sine illa quisquam ad dominum conuertatur. Et hinc est principium resipiscentiæ. Nisi conscientia primum de errore ac peccatis conuincatur, ut quàm erret ac deliquerit intelligat, non habet

A locum resipiscentia, sine qua saluari potest nemo. Nihil autem huius euenit illis qui nihil audiunt in ecclesia, nisi boatum quendam, & missas, unde nihil intelligunt, nec in conscientijs suis arguuntur & iudicantur.

Et hanc ob causam tantopere uidemus hodie defendi Latinas illas cãtiones & missas ab illis potissimũ, qui in superstitionibus & peccatis sunt immersi, quod per illas nec arguuntur, nec iudicantur, & interim secure in peccatis pergunt, falso persuasi, nihil fore periculi in causa salutis, si seduli sint missarum auditores. Vtinã hanc pestem intelligant principes, quibus in una missa omnis est posita salutis anchora, prophetia uero ob id est exosa quod cõscientias de peccatis & erroribus cõuincit, inquietasq; reddit. Quare malunt centum missas, quàm unam audire iustam ac necessariam prophetiam, & centum alere missatores sacrificulos, quàm unum uerbi Dei ministrum ueraciter & legitime prophetantem.

COARGVITVR, inquit, ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.] Obseruãdum est, quod non simpliciter dicit: arguitur & dijudicatur, sed utrobiq; addit ab omnibus. Tantus uidelicet est ueræ ac legitimæ prophetiæ consensus, ut à quocunq; administretur cõscientias errãtium ac delinquentium arguat & dijudicet.

Quare falsarios eos esse prophetiæ oportet, qui sic prædicant, ut neminem peccati conuincant, accommodantes se foro quo placeãt magnatibus, & odia populi quoque uitent. Quẽadmodum enim luminarium quamuis multorum, ex ipsa lucis natura idem est splẽdor, & eadem uis illuminandi, ita in ministris uerbi, ueris ac fidelibus quamuis multis, tãtus est ex ipsa natura ꝓphetię consensus, ut omnes prophetando conscientias auditorum de peccato conuincant ac dijudicent.

B ET sic occulta cordis eius, inquit, manifesta fiunt.] Exponit, quomodo arguatur idiota aut infidelis, si audiat in ecclesia prophetantes. Sic uidelicet, ut occulta cordis eius manifesta fiant. Intelligit autem per occulta cordis, errores, superstitiones, & omnis generis impietatem & iniusticiã, quæ ab illo non intelliguntur, donec per prophetiam, quasi quãdam lucem, illuminetur, ac conscius propriæ miseriæ reddatur. Infidelis enim, priusquam ad lucem ueritatis peruenerit, ignorat se esse impiũ, tenebras cordis sui non uidet, quæ in illo sunt prorsus sunt à conscientia ipsius occulta. Et in hac cęcitate errat, impingit, & in omnis generis delicta labitur, periturus omnino, nisi luce ueritatis à tenebris hisce conscientię suæ liberetur. Ecclesiam igitur ingressus, auditu prophetiæ arguitur & dijudicat̃, & manifesta ipsi redduntur q̃ antea fuerãt in corde illius occulta.

Hæc uidelicet est uis & operatio lucis propheticæ. Quæ manifeste sunt mala in moribus infideliũ, utpote adulteria, homicidia, odia, superbia, luxus, furta, rapinæ, &c. ab ipsis philosophis, ac naturæ quoque lege repræhenduntur.

tur. At occulta illa impietatis, superstitionum, errorum, & corruptæ naturæ mala, quæ iudicium humanum effugiunt, non reuelantur, nõ arguuntur ac dijudicantur, nisi luce Euangelicæ ueritatis, quæ sic est accensa & candelabro imposita, ut luceat omnib9, qui ecclesiam uerorum Christianorum ingrediutur, ac prophetias audiunt.

Tria sunt manifestarum rerum genera. Primum earum quæ Deo soli, secundũ earũ quæ Deo & conscientijs nostris, tertium uero earũ quæ & Deo, & nobis, & alijs quoq; sunt manifestæ. Occultarum uero sunt duo genera tãtum. Vnum earum quę ab aliorum, alterũ earũ quæ à nostris quoq; sunt conscientijs abscondite. Cum igitur Apostolus dicit: & sic occulta cordis eius manifestantur, nõ est intelligendũ de ijs quę manifestentur corã Deo. Huic enim ut nihil est occultum, ita nihil potest per prophetiam manifestari. Restat igitur, ut de ijs intelligamus, quæ uel nostris uel aliorum conscientijs, per lucem prophetiæ manifestari possunt. Priorem sensum exponendo sequuti sumus, q plus uidetur habere simplicitatis & nõ illorum tantũ, sed nostrorũ quoq;, imò omniũ tẽporum prophetijs cõuenit. Posteriorem sequitur Chrysost. quemadmodum & nonnulli recẽtiores. Exponũt de reuelatione occultorũ qualis erat qua factũ Ananię ac Sapphirę ab Apostolo Petro in cœtu fideliũ manifestatũ est, & qua Daniel regi Nebucad Nezar, & somniũ quod habuerat, & sensum illius manifestauit, & Christus Samaritanæ mulierculę secreta ad fontem exposuit. Sic sentiũt occulta infideliũ & idiotarum, ubi ecclesiam ingresi sunt miraculoso spiritus instinctu corã omnibus fuisse manifestata. Verum an hoc recte tribuatur prophetiæ, quatenus illa præfertur linguis, & an generale & perpetuũ sit opus hoc prophetiæ, & an fecerit ad ædificationem idiotarũ & cõuersionẽ infidelium, & an mox omnes prophetãtes hoc reuelationis genere, quorũlibet idiotarum & infideliũ occulta corã ecclesia manifestare potuerint, uiderint qui hunc sensum sequuntur. Si diceret, arguitur à nonnullis, dijudicatur à nonnullis, à quibus occulta cordis eius manifestãtur ecclesiæ, facilis esset intellectus, quem isti perhibent, uerum cum dicat, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnib9, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, nec uero simile sit, omnib9 fuisse prophetãtibus miraculosum illud reuelandorum secretorũ donũ concessum diuinitus, puto & simplicius, & securius, mẽtiq; Apostoli uicinius, & usui prophetiæ, de quo disputat conuenientius esse, ut priorem sensum tenentes, exponamus de manifestatione occultorum, quæ ante prophetiæ auditum cõscientias idiotarum & infidelium lateant, postea uero ipsis per lucem prophetiæ reuelantur.

ATQVE ita procidens in faciẽ, inquit, adorabit Deum.] Postquã exposuit quid accidat idiotæ aut infideli ex auditu prophetiæ ecclesiasticę, subiungit de secundo euentu qui Deũ concernit, exponẽs, quo affectu idiota aut infidelis de impietate, iniusticia, & erroribus suis admonitus ad Deũ rapiatur, uel si mauis, quo pudore uelut ad tribunal Dei cõstitutus percellatur. Sic est cõmuniter cõparata quęuis cõsciẽtia de peccatis suis conuicta, ut mox uelut in cõspectu Dei cõstituta, uel metu uel pudore corripiatur, cũ antea fuerit admodũ secura. Hoc est quod dicit: atq; ita procidẽs in faciem adorabit Deum. Per externum gestum exprimit internum perculsi animi affectum pudorẽ & humiliationem. Procidere non modo in genua, sed & in faciem gestus est conscientiæ in conspectu Dei prostratæ ac confusæ.

Illud, adorabat Deum, in Græco est, προσκυνῆ ει τῷ θεῷ. i. humiliabit se suppliciter ac subijciet Deo, perinde atque solent catelli, ubi ab heris suis increpãtur. Est enim uox ista à more canũ desumpta, quo se pedibus dominorũ suorum humiliter aduoluunt. Et quoniã hic gestus inclusam habet supplicationem, solet προσκυνεῖν, & Ebræum illud השתחוה per uerbum adorãdi transferri. Huiusmodi autẽ conuictæ cõscientię cõfusio, humiliatio, submissio, ac supplicatio acceptior est in cõspectu Dei q̃ sit omnis iusticiariorum iusticia, & omnis sapiẽtum sapiẽtia, qua securi nec humiliantur corã diuina Maiestate, nec agnoscũt sua delicta, quibus illam quotidie offendunt. Sic plus reuerentiæ & gloriæ accedit ad Deum ab idiotis & infidelibus conscientia peccatorum perculsis, quàm à pharisæis, iusticiarijs, & hypocritis.

PRONVNCIANS, inquit, quod Deus reuera sit in uobis.] Hoc tertium habet euentũ ac fructum prophetiæ, qui redit ad ecclesiã, dum per prophetiã illuminati ac de peccatis suis cõuicti agnoscunt, & testantur esse in illa Deũ. In Græco est ἀπαγγέλλων. Significat ea uox renunciare ac recitare uisa & audita, quẽadmodũ solent legati ad heros suos reuersi. Et hoc sensu dixit Seruator ad discipulos Ioannis ad se missos. Euntes ἀπαγγείλατε, id est, renunciate Ioanni quæ auditis & uidetis. Sic dicit hic Apostolus idiotam aut infidelem ad Deũ per prophetiã cõuersum renunciaturum suis, & alijs quoque esse Deũ reuera in ecclesia Christianorũ. Quare pertinenter reddidit Eras. renuncians quod Deus reuera in uobis sit, quod & uerti potest, inter uos sit. Dices. Atqui cũ sit ubiq; Deus, repleatq; cœlum, terrã & omnia, & recte dictũ sit illud, Est Deus in nobis, agitãte calescimus illo, & ab hoc ipso Apost. quod nõ absit longe ab unoquoq; mortalium, & quod per ipsum uiuam9 & moueamur, quomodo singulariter in ecclesia fideliũ esse prędicat, aut quid magni etiam est, esse in Christianis Deum, qui esse cõuincitur ubiq; & in omnibus? Respondeo. Quod diuinã potentiam & generalem quoq; prouidẽtiam attinet ubique est Deus moderans, gubernans, & cõseruans ea quę cõdidit omnia. Et hoc pacto est in mortalib9 omnib9. Quod uero singularem illius gratiã, dignationem

Act. 17.

nem ac beneuolentiam concernit, per quam non sæculariter tantum, sed & spiritualiter ad ueram ac sempiternam salutem sanctificamur ac dirigimur, singulariter est per uirtutem & operationes spiritussancti in medio sui populi & in cordibus fidelium. Et hæc illius præsentia uarijs modis in ecclesia fidelium manifestatur, utpote, per signa & portenta, quibus olim Euangelij doctrinam confirmauit, per lucem ueritatis, quæ est euangelica prophetia, qua corda fidelium conuertuntur, & rudes idiotæ in fide Christi instituuntur, per omnis generis pietatem, iusticiam, uitæ innocentiam, beneficentiam, mansuetudinem spiritus, fraternam charitatem, & infractam quantumuis tribulationum tolerãtiam. Arguunt enim hęc omnia diuinam & cœlestem uirtutem in hominibus ea operantem, quæ à cõmuni sunt naturæ nostræ consuetudine, & cursu aliena.

Cum igitur conuersus infidelis, Deum esse in ecclesia Christianorum renunciat ac deprędicat, agnoscit & testatur doctrinam, fidem, ac religionem illorum esse diuinam, esse uerací, & nihil minus quàm erroneam & hæreticam, quo quid maius & augustius de illa prædicari poterit? Interea hostes ueritatis, iusticiarij, hypocritæ, sapientes huius mundi, damnant illã hæreseos, uocãt erroneam ac seductricẽ, quia opus gratiæ Dei nõ agnoscunt. Offenduntur simplicitate illius & humilitate, deinde & diuersitate illa, qua disidet à splendore ac superstitione falsorum cultuum, & aliena est ab opinione & fiducia ꝓpriæ iusticiæ, & à gloria mũdanæ sapientiæ.

Hactenus ergo ꝓphetia utilior est linguis, quod cum illæ ecclesiam reddant ridiculã, & nec fidelibus, nec infidelibus intẽpestiue usurpatæ prosint, ipsa utilis est omnibus, seruit gloriæ Dei, & cœlestis gratiæ testimoniũ confert ecclesię Christi. Contemnunt ista, qui malunt exclusa ꝓphetia, quotidianis & barbaris boatibus, ac missarum gesticulationib⁹, oculos & aures fascinare rudium & imperitorum.

Priusquam progrediamur ad sequentia, respondendum est ad quæstiones quę hoc loco moueri possunt, & à Chrysostomo attingunt. Dixit Apostolus, linguas esse uice signi non ijs qui credunt, sed incredulis, prophetiam uero non incredulis, sed credentibus. Et hinc colligens subiungit: Ergo si cõuenerit ecclesia tota simul, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ, uel increduli, an non dicent uos insanire? Quæritur hic quomodo linguæ sint in signum, unde moueantur ad credendũ increduli, si auditis illis dicturi sunt increduli insanire eos qui linguis loquuntur? Deinde pergẽs: Si uero omnes prophetetis, inquit, ingrediatur autẽ incredulus uel idiota, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnib⁹, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita ꝓcidens in faciem adorabit Deum, renuncians quod Deus in uobis sit. Quæritur ergo quomodo prophetiam dixerit competere nõ incredulis, sed credẽtibus, si per illam nõ modo credentes ædificantur, sed & increduli illuminantur, & ad Deum conuertuntur.

Respondeo. Nihil hic contradictionis est, si quæ dicuntur recte consyderentur. Linguę in signum sunt incredulis, intellige, datę à domino, ut dum Græcus uirum Ebræũ Græce, Romanus Romane, &c. loquẽtẽ audiret, sicut accidit in die Pẽtecostes, obstupefactus intelligeret illũ ex instinctu spiritus Dei, lingua quã nõ didicerit, expedite loqui, eoq; facilius ad credendũ permoueret. Huic non repugnat quod dicit: Si cõuenerit ecclesia tota simul, & oẽs linguis loquantur, ingrediantur autẽ idiotæ aut increduli, an nõ dicent uos insanire? Primum enim q linguis in ecclesia Corinthiorũ loquebãtur, nõ loquebãtur illis quæ possent ab idiotis & incredulis qui illic erãt intelligi, sicuti fecerãt apostoli Hierosolymis, quos oẽs aduenę illic sua quisq; lingua loquẽtes audiebãt & intelligebãt. Deinde, nõ dicit: Si quidã inter uos sed si oẽs linguis loquantur, id quod nõ poterat fieri sine graui cõfusione. Tertio nõ loquitur de quibusuis incredulis, sed de illis q ecclesiam fidelium in dño collectã ad hoc ingrediebãtur, ut de ueritate Christianæ religionis cognoscerent. Hi si audissent omnes alienis & incognitis linguis loquẽtes, sic ut nec ipsi nec reliqua multitudo collecta quicquam intelligerent, utiq; recte eos insanire dixissent. Nec mirum, cũ Apostoli à nõnullis habiti sint pro ebrijs, in die Pẽtecostes, quãuis uarijs linguis loquẽtes, à uarijs nationib⁹ intelligerẽtur. Hęc puto ad priorẽ posse responderi quæstionem. Ad posteriorẽ quoq; facilis est responsio. Prophetiam dixit non esse datã incredulis, sed credentibus, hic uero tribuit illi, quod incredulis quoq; prosit ad illuminationẽ & cõuersionẽ. Distinguendũ est inter eos incredulos qui nõ sunt credituri uerbo nisi per signa & portenta moueantur, & eos infideles qui iam cœperunt de cognoscenda ueritate cogitare, eáq; ob causam conuentus fidelium ultro & cupide ingrediuntur, ut in illis audiant, quę nã sit & qualis Christianorũ doctrina, fides & religio. Prioribus nõ est destinata ꝓphetia, à quib⁹ nõ recipitur. Hic uerũ est quod dixit, prophetia uero nõ credulis, sed credẽtibus. Posteriorib⁹ uero admodũ est utile, si prophetiã audiant. In illis enim cõpletur qđ hic dicit: Coarguunt enim dijudicãtur, & in cognitionẽ occultorũ suorũ tam errorum quàm delictorum perducuntur. Nihil igitur hic quoq; cõtradictionis est, si inter incredulos & infideles distinguatur.

Tria sunt genera τ̃ ἀπίστων. Primum est eorũ, qui sic sunt obstinati, ut nullis nec signis, nec prophetijs ad fidem perduci queant.

Tria genera τ̃ ἀπίστων.

Secundum eorum qui uerbo non credunt, nisi signis & portentis ad credendum inducãtur. Ad illos pertinet quod linguas incredulis signi uice datas esse dixit.

Tertium eorum qui iam de ueritate cognoscenda facti sunt soliciti, ideoque in ecclesiam fidelium

fidelium ingrediuntur, ut audiant & intelligant. In istis uera sunt quae hic ab Apostolo dicuntur.

Quid igitur est fratres? Quoties conuenitis, unusquisque uestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguã habet, reuelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, fiat per binos, aut ad summũ ternos, idque uicissim, & unus interpretetur, quod si non est interpres, taceat in ecclesia, loquatur uero sibijpsi & Deo.

Hactenus argumentatus est contra abusum linguarum, discreuitq; inter illas & prophetiã, & hortatus est, ut prophetiæ, quoniã pręstantior est atq; utilior, maiori studio incumbant quàm linguis, iam uela cõtracturus subijcit ordinem, quo debeant donis Dei uti in ecclesia, & de fine præscribit, ad quem dirigenda sint omnia. Quid igitur est fratres, inquit? quasi dicat: Cum itaq; tam sint dispares linguarum & prophetiæ euentus, ut plurimũ referat, quo modo & ordine usurpentur charismata hęc in ecclesia, quid conuenit, ut faciatis? Hæc uidelicet.

QVOTIES conuenitis, unusquisq; uestrum psalmum habet, &c.] Omnia ad ædificationẽ fiant. Pertinent hæc ad finem omnium eorum quæ in conuentu ecclesiæ geruntur. Is est, ut omnia fiant ad ædificationem, fidelium, uidelicet, qui sunt in ecclesia. Hoc est, ut omnes in fide & cognitione Christi, ueraq; pietate & iusticia crescant, magisq; ac magis confirmẽtur. Hæc est uera ædificatio tẽpli domini. Qui sunt autem illius ędificatores? Vnusquisq; uestrum inquit. Ergo omnes tum temporis qui membra erant ecclesiæ, simul erant illius ædificatores. Sic infrà dicit: potestis omnes prophetare. Mirabilis sane structura in qua lapides & struebant & struebantur. Poterat hoc tum fieri propter ubertatem donorum Dei, quæ per spiritum Christi largiter in eos qui credebant effundebantur. Ea erant instar organorũ, quæ ad hoc erant accommodata, ut structuræ huic & ędificationi seruirent. De his admonens nõ simpliciter: Quoties conuenitis, omnia ad ædificationem facite, inquit, sed, Quoties cõuenitis, unusquisq; uestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet. Ergo ædificationis huius organa sunt, psalmi, doctrina, linguæ, reuelationes, & interpretationes. Hisce sic erat instructa prima illa ecclesia, ut in cœtũ cõuenientes fideles haberẽt & cõportarẽt alius psalmũ, alius doctrinã, alius linguas, alius reuelationem, alius interpretationẽ uel sacræ scripturæ, uel eorum quæ linguis dicebantur. Sic intelligendum est quod dicit, Vnusquisq; uestrum psalmum habet, &c. Hoc est, unusquisque uestrum aliquid adfert, alius psalmum, alius doctrinam, &c. uel, unusquisque uestrum uel psalmum habet, uel doctrinam, uel linguã &c. Non tribuit singulis omnia, quia nec spiritussanctus hæc dona sic distribuit, ut singulis conferret omnia, sed alij aliud, quẽadmodum & suprà cap. 12. commemoratum est. Neq; recenset omnia dona spiritus, sed ecclesiastica tantum quæ in conuentibus ecclesiæ usurpari poterant. Itaq; sic donis spiritus alij alijs instructi fideles, & in cœtum congregati, perinde sese mutuo poterant in unũ illis ueluti symbolis collatis ædificare, atq; membra corporis dũ corpori sustentãdo & alendo singula suas uires, suaque officia impendunt, sese mutuo sustentant & alunt. Nunc uero postquam cessantib⁹ donis illis in ecclesia facta sunt omnia cõtractiora, redijt ædificatio ecclesiæ ad paucos ministros, pastores, & doctores, qui utinã nusquam non sint domino fideles & necessarijs organis ad structuram tẽpli domini instructi.

VNVSQVISQVE uestrum, inquit, psalmũ habet.] Erasmus uertit canticum. Nos notam & usitatam in ecclesia uocem retinemus. Habebãt aliqui psalmos, id est, dono & instinctu spiritus componebãt cantica spiritualia, quibus magnalia ac laudes Dei decantabant. Poterant illa facere ad ædificationem ecclesiæ, si idiomate patrio & uulgo intelligibili decantarentur. Valent enim plurimum ad excitandos audientium spiritus, præsertim si communiter à plebe fidelium decantentur, quẽadmodum in reformatis ecclesijs fieri uidemus.

DOCTRINAM habet, inquit.] Dupliciter exponi potest. Primum in genere, ut doctrinã habere, idem sit quod præditum esse facultate docendi, quæ sane non est omnium. Reperias qui intelligentia rerum docẽdarum destituti, quod ipsi nesciunt alios docere nequeãt. Rursus inuenias qui etsi apprime sint scientia rerũ instructi, dicendi tamen facultate destituti, quę sciunt exprimere non ualeant. Quare singulari dono opus est, ut & scias & eloqui ualeas, si munere docendi functurus sis in ecclesia. Deinde specialiter, de parte aliqua doctrinæ, quæ utilis sit & necessaria ecclesiæ, ut doctrinã habere, aliquid sit habere, quod speciali de causa proponendum sit ecclesiæ. Hoc sensu legendum esset, dũ conuenitis, unusquisq; uestrum uel psalmum aliquem, uel doctrinã aliquã habet. Vterq; sensus probabilis est, at mihi posterior germanior esse uidetur.

REVELATIONEM habet, inquit.] Id est, rẽ aliquam ecclesię reuelandam habet. Est autem reuelatio secreti alicuius manifestatio. Et sunt duo secretorum genera. Præsentium unum, futurorum alterum. Posterius ad uaticinia pertinet sensu communi, prius uero ad pręsentium secretorum manifestationem. Quanquam reperias ubi futurorum quoq; prædictio, reuelatio uocatur, quemadmodum uidere est in libro Apocalypseos.

LINGVAN habet.] Id est, donum linguarũ habet, siue unius aut plurium.

INTERPRE-

INTERPRETATIONEM habet, inquit.] Puto hoc intelligendum esse non de re quapiã specialiter interpretãda, sed de dono interpretationis. Est autem gemina interpretatio. Vna qua sacræ scripturæ, altera qua linguę, id est, ea quæ peregrinis linguis in ecclesia, uel psalluntur, uel orantur, uel dicuntur, uulgari idiomate exprimuntur, de quo genere interpretationis suprà est cap. 12. facta mentio.

OMNIA ad ædificationem fiant, inquit.] Id est, omnia hęc sic gerãtur in ecclesia, ut possint facere ad ædificationem fidelium. Duo requirit ab ijs qui aliquid in ecclesia, uel dicunt uel faciunt. Vnum est, ut quod agunt, ex proposito ædificationis agant. Alterum, ut eo modo agant, quo ad ædificationem facere posit. Hic refert qualia in se sint, quę geruntur in ecclesia. Etenim si natura sic sint cõparata, ut ad ueram ædificationem facere non posint, inane erit propositum, & intentio frustranea, nec utilis erit ullus agendi modus. Cauendum ergo est ne particulam hanc sic intelligamus esse generalem, quasi decernat omnia posse geri in ecclesia, modo ad ædificationem. Loquitur Apostolus non de omnibus omnium adinuentionibus, somnijs, ritibus ac cæremonijs, quæ à superstitiosis hominibus in ecclesiã post Apostolorum tẽpora induci cœperunt, sed de psalmis, linguis, doctrina, reuelatione, & interpretatione. Post horum catalogum subiecit: omnia ad ædificationem fiant. Quare non conuenit, ut quod dicit, extra limites materię de qua loquitur extẽdatur. Cum igitur fiunt in ecclesia, quæ diuinitus sunt ad ædificationem fidelium tradita, fiuntq; & proposito ędificationis & modo legitimo ac utili, secundum qualitatem ecclesiæ, inculpabiles erunt ministri ecclesiæ, siue ędificentur per illa fideles, siue minus. Est enim incrementum, non in manu ministri, sed in manu Dei.

SIVE lingua quis loquitur, inquit.] Post pręscriptum scopi ac finis, ad quem sunt collimãda omnia, iam subiungit expositionem modi & ordinis, quo geri debeant, quæ geruntur in ecclesia.

1 Et primum præscribit illis qui linguis loquebantur. Non dicit: Ne quis linguis loquatur. Neq; enim prohibet loqui linguis. Nec iubet linguis loqui, sed liberum hoc illis permittens, de modo & ordine præscribit dicens: Si lingua quis loquitur, fiat ꝑ binos, aut ad summum (in Græco est τὸ πλεῖστον, id est, ut plurimum) per ternos, idq; uicisim, ut unus interpretetur. Tria præcipit.

Primum est, ne ultra ternos linguis loquantur. Non uetat, ne unus tantum, sed ne plures tribus ad loquendum linguis admittãtur. Sic cauere uoluit, ne si plures loquantur omne tẽpus, quo congregata est ecclesia, sic linguis detur, ut non uacet audire prophetias. Hac restrictione numeri innuitur, quàm non fuerit modus ullus linguis in ecclesia Corinthiorum loquentium, usque adeo inualuerat inanis ostẽtatio, quemadmodum in Papatu quæstus Missaticus, per quem fit, ut cum ueteres uno tantũ Eucharistię sacro contenti fuerint, iam omnes templorum angulos multitudine Missarũ impleri uideamus.

2 Deinde præcipit, ut uicisim loquantur, ad uitandum uidelicet confusionem. Ergo illi sic inhiabant ostentationi quisq; suæ, ut omnis moræ impatientes, haud expectarent tantisper, dum prior loqui desineret: sed simul alius alia loquerentur, atq; ita speciem quãdam insaniæ spectantibus obijcerent. Etenim quis non dicat meram esse insaniam, si in eodẽ conuentu plures simul ad populũ diuersa diuersis linguis alius Latine, alius Gallice, alius Germanice concionentur? Sic Missatores papistæ plures eadem hora diuersis locis palã in templis, sub unius conuentus spacio, alius de spiritusancto, alius de beata uirgine, alius pro defunctis, alius de nescio quo diuo, alius de tempore missant.

3 Tertio, constituit, ut unus interpretetur ecclesiæ quæ linguis dicuntur, ne donum spiritus maneat inutile, & citra ædificationem ecclesiæ euanescat in auram. Ideo addit dicens, quod si non est interpres, taceat in ecclesia. Igitur illi sine interprete, alijs atq; alijs linguis multi ac simul magna cum confusione ad populum fidelium loquebantur, magis inanem admirationem ac stuporem, quàm utilem ædificationem quærentes. Ecquid aliud faciũt in templis Papistarum, ubi omnibus illis Missis & boatibus, ne unus quidem interpres adhibetur, & tamen nemo est, qui sic insanientes tacere iubeat in ecclesia. Neq; sic sunt Apostolici, ut constitutionem hanc Apostoli alicuius faciant, quantumuis nomina & imagines apostolorum iactent & ostentent.

LOQVATVR uero sibijpsi & Deo, inquit.] Hoc est, loquatur intra se tacite sic ut ipse tantum audiat & Deus, cui secreta patent omnia. Refert omnino cui loquaris. Est enim sermo personæ accommodãdus, ad quam dirigitur. Quisquis loquitur, aut Deo loquitur, aut hominibus, aut bestijs, aut sibijpsi. Qui Deo loquitur, nullis expresis uerbis, ac nullius linguæ idiomate opus habet. In auribus illius cogitatio cordis manifestus est sermo. Ad homines loquenti curandum est, ut idiomate illis noto utatur, quo posit intelligi. Aliàs frustra loquitur. Ad bestias loquenti nonnunquam necessarium est, ut notis illis uocibus utatur. Qui sibijpsi loquitur, sola cogitatione quod uult expedire potest. Cum ergo inutilis sit alienę linguæ sermo ad homines factus, recte constituit Apostolus, ut qui nec ipse potest intelligibiliter loqui in ecclesia, nec aliquem habet interpretẽ, taceat in ecclesia, & uel Deo, uel sibijpsi loquatur, ubi nõ refert quibus uerbis, aut quo idiomate modo ipse intelligat, loquatur.

Prophetæ uero duo aut tres loquantur, & cęteri dijudicent. Porro si alij fuerit

rit reuelatum asidenti prior taceat. Potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant. Et spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. Non enim est confusionis author Deus sed pacis, ut in omnibus cõgregationib. sanctorũ.

Post linguas transit ad prophetiam, deque illa quoq; pręscribit, ne uel modus excedatur, uel iustus ordo confundatur in re omniũ utilissima. Licet enim præstantissimum sit illius donum, poterit tamen sic administrari, ut reddatur inutile, si citra modum & ordinem usurpetur. Nihil nanq; tam est in se bonum ac diuinum quod non inter ipsas nostras manus corrũpatur, quod si agnoscerent qui prælati sunt ecclesiarum facile consuleretur ecclesijs & corrigerentur innumeri errores & abusus.

PROPHETAE uero duo aut tres loquantur inquit.] Præscribit illis hic quoq; modũ, ordinem, & finem administrãdæ prophetiæ. Ad modum & ordinem pertinet quod dicit: Prophetæ uero duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicẽt. Non addit hic τὸ πλεῖστον, id est, ut plurimum, quod de linguis præscribens adiecit. Non enim in eo est, ut numerũ prophetãtium in ecclesia Corinthiorum restringat, sicuti linguis loquentium restrinxit. Etenim maluisset omnes esse prophetię deditos, quemadmodũ mox dicet: Potestis omnes prophetare. Nec ita erant animati Corinthij erga prophetiam, ut metuendum esset ne modum in illa excederent, sicut excedebant in linguis. Quod igitur dicit: Prophetæ duo uel tres loquantur, non sic dicit, quod nolit plures, sed quod totidem prophetis uelit esse contentus, quot illis linguis loquentes permisit. Neq; enim ob eam rationem numerum eundem utrobiq; posuit, quod par esset linguis loquentium & prophetantium ratio & utilitas, sed quod sic animatis sic conueniret.

Cum anno millesimo quingentesimo tricesimo primo Augustam uocatus uenissem, accidit in ecclesia quam sancti Vdalrici uocant, ut dominica quadã die tres Anabaptistæ ad prophetandum propria temeritate surgentes ab hora duodecima ad tertiam usq; per uices ad populum loquerẽtur, è quibus postea duo recantarunt, tertius è carcere aufugit. Illi putabant se numero hoc ternario pulchre satisfacere constitutioni Apostolicæ. Sic ad scindendum ecclesiam pro se rapiebant quod ab Apostolo ad tollenda erat schismata secũdum statum ecclesiæ Corinthiorum præscriptũ. Deinde sumpserant sibi tres horas, quo quisq; ipsorum ad spacium unius horæ ad populum diceret, ne minus ad dicendum instructi uiderentur, quàm essent ij qui ex officio & pro cõsuetudine ad horam in ecclesia loquuntur. At Apostolus conuentum ęcclesiæ non astrinxit ad certum temporis spacium, nec ideo binos uel ternos ad prophetandum constituit quod nequeat unus satisfacere concioni, uel piaculum sit si plures tribus loquantur, & quisque tantisper dicat, dum quod uolebat sermone breui ac perspicuo expresserit.

PROPHETAE uero duo, inquit, aut tres loquantur.] Quærunt hic, an liberum illis hac sentẽtia fecerit, ut absq; certa uocatione quolibet ecclesiæ conuentu ad dicendum duo uel tres surgerent, uel, an fuerint duo uel tres è numero fidelium eligendi, qui singulis conuentibus prophetarent. Meo iudicio, quoniam Apostolus hic amans erat ordinis, uerosimilius est præscripsisse illum hoc ecclesiæ Corinthiorum, ut è numero fidelium duos uel tres deligerent, qui dono prophetiæ pręditi in conuẽtibus ipsorum prophetarent ex ordine, quos etiam ob id prophetas uocat, non simpliciter dicens, duo uel tres prophetent, sed, prophetę uero duo uel tres loquantur. Etenim nõ mox propheta uocari meretur, qui semel atq; iterũ in ecclesia loquitur, sed cui munus est prophetandi iusta uocatione commissum.

CAETERI, inquit, dijudicent.] Per cæteros, intelligit omnem eam multitudinem ecclesiastici conuentus, quæ prophetãtes audit. Diuidit ecclesiam in loquentes & auditores & ne sint auditores instar stipitũ, tribuit illis iudicium eorum quæ dicuntur. Non dicit: cæteri audiant, nec dicit cæteri assentiantur, aut cæteri applaudant, sed, cæteri dijudicent. Requirit igitur ab auditoribus, ut attente audiãt prophetantes, & quæ dicuntur sano cum intellectu probent, uera ne sint & ex spiritu Dei, uel falsa & humanitus in medium allata, atq; ita quæ uera sunt amplectantur, quæ falsa reprobent. Et utinam eiusmodi iudicij discretio libera fuisset auditorib⁹ in ecclesia relicta. Hac enim per episcoporum dominationem sublata, summa est prophetantibus facta securitas quæuis somnia & commenta ad quęstum faciẽtia oppressæ multitudini proponẽdi. Quid enim metuerent nemine non modo reclamãte sed contrà ne hiscere quidem audẽte? Hinc sunt in ecclesia falsa dogmata, hinc eidolomania, cum omnis generis falsis cultib⁹, hinc quęstuosissimus ille non Petrus sed Simon, hinc dominatus episcoporum, hinc plebis stupiditas & sacrarum scripturarum ignorantia, omnium errorum mater. Reddatur liberum ecclesiæ iudicium, prouocẽtur auditores ad intelligentiam sacrarum scripturarum, unde sensus acquirant exercitatos, & ad iudicandum instructos, & uidebim⁹ breui omnia hęc quæ per oppresionem liberi iudicij in ecclesiam irrepserunt, prorsus concidere. Plurimum refert, quem audias in ecclesia loquentem, fratrẽ ne, cum quo libere de rebus fidei conferre liceat, uel eum qui sit uel dominus ipse ad opprimendum contradicentes paratus, uel à tali domino ad dicendum constitutus & certo iuramento astrictus cui nemo impune cõtradixerit. Non est ecclesiasticum, si non loquatur frater

ter in medio fratrum, propheta in medio libere dijudicantium, Christi minister in medio membrorum Christi, sed magnus dominus in medio seruorũ, lupus in medio ouium, uafer & uersutus sophista in medio insipientiũ. Tyrannicum est nolle libera ferre populi iudicia. Omnis tyrannus osor est legitimæ libertatis. Omnis male agens, amans est tenebrarum, & osor lucis. Hasce notas utinam possint excutere episcopi, ecclesiarum domini.

Hinc tamen non est ut patrocinium sibi petant homines contentiosi, ad diuexandũ omnia & ad turbãdas ecclesias parati. Non dicit, cæteri diuexent, altercentur, & temere contẽdant, sed, & cæteri dijudicent. Aliud est ad intelligendum ac dijudicãdum audire docẽtem in ecclesia, & aliud spiritu contẽtionis omnia quãtumuis bene dicta in quæstionem rapere. Hoc ad lites & disturbationem, illud uero ad ędificationem facit. Ad dijudicandum non est opus ut in ipso cœtu contradicat auditor docenti, sed satis est si dijudicet in corde suo de ijs quæ audit, & post conuentum si quid desyderat seorsum de illo quærat. Nisi hæc moderatio custodiatur nihil expectandum est aliud quàm inanis, imò noxia, altercatio cœtui Christiano dedecorosa.

PORRO si alij fuerit reuelatũ asidẽti, prior taceat, inquit.] Quod in Græco est καθημένῳ, Erasmus uertit asidenti, cum simpliciter uertendum sit, sedenti, quemadmodum & uulgata habet. Sedentes autem uocat auditores, ne quis per asidentem intelligat eum qui sit ex ordine prophetarum. Hieronymus tamen diuersum exponit. Ille per sedẽtes intelligit prophetas, & per auditores stãtes. At Ambrosius sedẽtem refert ad inferiores in ecclesia, id est, ad auditores. Probabilius est sedentes uocare Apostolum eos qui in ecclesia quiescũt & ad audiendum sedendo se composuerũt. Sic Paulus sedit ad pedes Gamalielis, & Maria ad pedes Christi docentis. Sic erat consuetudo synagogæ, ut auditores sederent. Ideo ad eum qui manum habebat aridam dicebat in synagoga dominus, surge & sta in medio. Et ipse cũ inter auditores in synagoga sederet, ac legere uellet, surrexit ad legendum Lucæ 4. Quę cõsuetudo in prima quoq; ecclesia fuit, sicuti uidere est in epistola Iacobi. Et admodum cõuenit, ut sedeant in ecclesia, qui ad audiẽdum ac discendum ueniunt, ubi audiuntur prophetię, adhortationes & cõsolationes. Secus uero fieri uidemus in templis eidolorum, in quibus non sonant prophetiæ, sed prostãt ad cultum eidola diuorum, muti libri ut uocãt laicorum, ad quorũ aras plebs cæca cum oblationibus discurrit & adorandi gratia in genua prouoluitur. Sic ipsa facies, ipsi gestus, ipsi mores ecclesiam quæ nunc est prorsus à priore mutatam esse demonstrant.

Marci 3.

PORRO, inquit, si alij fuerit reuelatum sedẽti.] Constituit de casu contingenti nõnunq̃, propter quem certo ordini ac numero prophetantium stari non possit. Præscripsit quidem, ut prophetæ duo uel tres loquãtur, cæteri audiant ac dijudicent. Verum quoniam libera erat reuelatio spiritus nulli nec ordini nec personę alligata, ideoq; subinde eueniebat, ut interea dum ordinarij prophetæ loquerentur, uni ex sedentibus per spiritum ea reuelarẽtur, unde uel corrigerentur, uel magis elucidarentur iam dicta, constituendũ erat, quid in eiusmodi casu fieri conueniret, & utile esset ecclesiæ. Sic dicit igitur: Porro si alij fuerit reuelatũ sedẽti, prior taceat. Non dicit, significet loquẽti, ut ille hoc ecclesiæ proponat, nec dicit, surgat & ipse & loquatur, neq; dicit, seruet sibijpsi, sed, prior taceat, ne uidelicet illicitũ putetur ei loqui in ecclesia qui nõ sit in ordine prophetarum, sed de numero sedentium & auditorum, uel ne simul ambo loquantur & sit cõfusio, uel, ne ecclesia reuelatione spiritus priuetur. Hisce rationibus permittit cuiuis sedenti, si quid reuelationis acceperit, ut in medio fratrum surgat & reuelata sibi ecclesię proponat, sed ea moderatione ut prior, qui tum loquitur taceat, quo omniũ animi & aures haud distrahantur sed uni sint loquenti audiẽdo addicti.

PRIOR, inquit, taceat.] Quisquis loquitur aliquando est finito sermone taciturus. Quod si hoc sensu capiẽdum est, quod hic dicitur, ut qui prior dixit tum demũ taceat, quãdo quod uolebat ad finem usq; est eloquutus, ut tantisper expectandum sit ei, qui nouam reuelationem accepit, dum ille sermonem suum finiat, uidetur hoc clarius fuisse exprimendum dicẽdumq;, expectet, donec prior taceat. Alioqui non erat ratio constituendi, ut prior taceat. Si uero sic tacere iubetur prior, ut mox atq; alius accepta reuelatione ad dicendum in ecclesia surrexerit, ipse abrupto sermone taceat, illiq; dicendi locum & copiam faciat, non immerito quæritur, quur id fieri cõueniat. Quod si nõ aliud aliquid sed idem quod prior, uel si aliud quidẽ uerum nõ melius, aut si tale quid quod non lateat ecclesiam, utpote iam antea ab alijs dictum allaturus est in medium qui reuelationem accepit, nulla uidetur esse ratio, propter quam sermonẽ suum propheta qui ex officio loquitur, illius gratia abrumpere ac tacere debeat. At nihil inane adfert reuelatio spiritus. Quare necesse est, ut quod audienti per spiritũ reuelatur, cuius gratia tacendum sit loquenti prophetæ, tale quid sit, quod nec sit ociosum, nec inane, nec antea ecclesiæ cognitum, ut uere possit esse reuelatio. Non simpliciter dicit: Si alius quicquam cogitauerit, aut, dicendum sibi putauerit, sed: Si alij reuelatum fuerit sedẽti, prior taceat. Quare uerbo reuelandi satis significat Apostolus non esse leuẽ causam propter quam iubeat tacere priorem, si ex auditoribus quisquam reuelationem spiritus acceperit. Et simul excluditur omnis audaculorum, contentiosorum dicaculorum & phanaticorũ hominũ temeritas, cui nõ est ut cedat ꝓpheta.

POTESTIS enim, inquit, singulatim omnes

nes prophetare.] Rationé reddit eius quod iam dixit. Poterat dicere: Licet enim ei qui reuelationem accepit surgere ac prophetare. Verum ut asserat hanc communem omnibus libertaté, maluit dicere: Potestis enim omnes prophetare. Et alioqui sic poterat colligere ex præcedenti constitutione: Si licet uni sedenti accepta reuelatione surgere in ecclesia & prophetare, licet & reliquis, si reliquis, ergo & omnibus. Recte ergo uelut occupans dicit: Potestis enim omnes prophetare. Sane quod licet omnibus, licet & singulis, in causa cōsimili, omnes & singulos concernente.

Non possum autem eorum probare sententiam, qui hæc referūt non ad auditores sed ad ordinem prophetarum, doctorum, ac pastorū. Videtur illis inconueniens, si laicis, ut uocant, libertas detur in ecclesia loquendi. Et interim ne clericis quidem concedūt quod hic constituitur ab Apostolo, atq; ita doctrinā spiritussancti prorsus reddūt inanem. Belli homines existimant gratiam ac sapientiam spiritus alligatam esse oleo ac rasuræ, & negari plebi sanguine Christi redemptę. Illud autem tenendū est, non loqui Apostolum simpliciter de omnibus, sed cum cōditione reuelationis, quā prǽmisit dicens. Quod si sedēti reuelatum fuerit, prior taceat. Quod uero addit καθ᾽ ἕνα, id est, secundum unum, quod reddūt singulatim, per singulos, non est ad ius ac libertatem singulorum fidelium, sed ad ordinem referendū, quo constituitur, ne duo uel tres uel plures simul prophetent, sed alius post alium, si adsit reuelatio spiritus.

Locus hic palam adstipulatur ei doctrinæ, qua initio renouatæ religionis nostræ doceri cœpit, Christianos omnes esse sacerdotes etsi non ordine ministerij, dignitate tamen cœlestis uocationis, quemadmodum 1. Pet. 2. legimus: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius qui uos de tenebris uocauit in admirabile lumen suum. Propter hanc dignitatem potestas est fidelibus omnibus, annunciare uirtutes Dei ac prophetare in medio ecclesiæ, quantumuis pseudoepiscopi reclament. Omnino quod Corinthijs est ab Apostolo dictum, potestis omnes prophetare, ad omnes Christianos pertinet.

Interea tamen non infringitur ordo ministeriorum, quibus carere non potest ecclesia, quia communis hæc omnium potestas nō debet usurpari à quoquam nisi in casu necessitatis, ubi officium non faciunt uel contrariū magis faciunt episcopi, pastores ac doctores, & ubi certa fuerit facta reuelatio spiritus, qué casum hic ponit Apostolus: In eiusmodi casibus ꝓphetare possunt, quorū ad id animi per spiritum Dei excitantur. Quod si prophetare possunt omnes, possunt utiq; & reliqua facere in ecclesia quæ minoris sunt momenti, utpote administrare utraq; baptismatis & cœnæ dominicæ sacramenta, psallere, orare, & gratias

A agere in ecclesia, uisitare ac cōsolari infirmos, catechisare rudes, &c. Nec est, ut quæratur uocatio titularium episcoporum ac malorū seruorum, ubi diuina uocatione necessitati succurritur ecclesiæ, & impletur quod hic dicit Apostolus: Potestis enim omnes prophetare. Huius nō frustra admoneo hoc loco, propter infirmos fratres, quorum conscientiæ in eiusmodi casibus hæsitant, putantes nō licere prophetare in ecclesia, nisi ordinaria electione ad id muneris uocatis. Vbi officium non facit œconomus, munꝰ eius recte obit in domo quisquis hero suo ac familiæ fidelis inueniri cupit, etiamsi œconomus reclamet. Vbi uero nō deest ille suo officio non conuenit cuipiā ex domesticis in id se muneris ingerere, nisi specialiter ab ipso sit patrefamilias iussus. Consimilis est in ecclesia Christi seruanda ratio. Vbi ministri domino sunt fideles ac mysteria regni Dei rite dispensant, non est ut extra ordinem quisquam se fidelium in munus prophetandi ingerat, nisi singulari aliqua spiritus reuelatione accepta quam debeat proponere ecclesiæ, ubi uero uel nulli sunt ministri, uel sunt quidé uerum officium aut non faciunt, aut perfide faciunt populum domini non rite docentes sed seducentes, in eiusmodi casu potestas est fidelibus omnibus prophetare & reliqua necessaria officia obire in ecclesia. Quod si plebs ipsa nō est corrupta sed fida adhuc & pietate sana, potest sibi deligere pastores ac ministros, qui B domino fideliter seruiant. Agnouit hoc & Cyprianus, q libro primo epistola quarta sic scribit. Propter quod plebs obsequens præceptis dominicis & Deum metuens à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cum ipsa maxime habeat potestatem uel eligendi dignos sacerdotes uel indignos recusandi. Hæc ille. Sed redeamus ad Apostolum.

VT omnes discant, inquit, & omnes consolationem accipiant.] Hic est finis ad qué dirigenda sunt omnia in ecclesia. Eundem paulo suprà una uoce expressit dicés: Quoties cōuenitis, unusquisq; uestrum Psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ędificationem fiant. Ergo doctrina & consolatione ædificatur ecclesia. Duas hic ponit ædificationis partes cum dicit: Vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant. Discēdo ad cognitionem ueritatis ac uoluntatis Dei peruenimus. Per cōsolationem confirmamur, ne ullis modis, tentationibus, ac tribulationibus à cognitione accepta, & sancto proposito auelli nos patiamur.

Obserua uero, quod non dicit: Vt imperiti discant, & infirmi cōsolationem accipiāt, sed: Vt omnes discant & omnes consolationé accipiant: Ergo discendum est omnibus in ecclesia, & cōsolationibus opus habent omnes. Nemo hic excipitur, ne illi quidem quorum est alios docere & cōsolari, siue sint episcopi, siue

 presby-

presbyteri siue pastores & doctores. Sic omnes perpetuo sumus discipuli spiritussancti, semper opus habentes doctrina & consolatione. Mirabilis sane fidelium conditio. Potestas docendi & consolandi est omnibus, & tamen simul incumbit omnibus discendi & consolãdi necessitas. Potestis, inquit, omnes prophetare, ut omnes discant & omnes consolationẽ accipiant. Quod perinde est ac si membris corporis dicas: Potestis omnia sustentare corpus, ut omnia sustẽtemini ac seruemini. Idem propheta qui docet in ecclesia opus habet ut discat, qui consolatur alios, opus habet, ut & ipse consolatione mutua confirmetur. Qui iam reuelationem spiritussancti accepit, & per hãc alios docet & consolatur, nõ ideo mox est omnem scientię ac fortitudinis perfectionem cõsequutus, sed opus habet & ipse, qui discat ab alijs, & cõfirmetur. Nemini quippe simul omnia per spiritumsanctum reuelãtur. Neq; mox perpetuo firmus est in aduersis tolerandis, qui hodie consolationem per ministeriũ prophetiæ consequitur, sed ut sumus in bono instabiles, ita fit, ut cras denuo opus habeat consolatione, perinde atque cibo cras opus habet, qui hodie comedit ac bibit.

VT omnes discant, inquit.] Quid est quod non dicit: Vt omnes credant? Est quidem potissimus scopus uerbi Dei, quod in mũdo prędicatur, ut ad fidem perducatur increduli, nec fieri potest, ut citra fidem saluemur. Verum Apostolus loquitur de prophetia quæ proponitur non ad fidem perducẽdis, sed illis qui iam antea facti sunt fideles, ut in fide Christi crescãt & confirmẽtur, ad quod opus est, ut quotidie discãt hoc est, in scientia Dei magis ac magis instituantur. Sic puto duas esse prophetæ partes. Vnam, ut incredulos ad fidem conuertat, qua de paulo suprà meminit. Alteram, ut credentes in scientia Dei instituat qua de hic loquitur. Illam plantationi, istam rigationi suprà cap. 3. asimilauit. Et posterior hæc non est priore inferior. Neque enim minor est uirtus quàm quærere parta tueri.

ET omnes cõsolationem accipiãt, inquit.] Ergo homo hominem & docet & cõsolatur? Atqui Iohan. 6. dictũ est à Christo: Scriptũ esse in prophetis, futuros omnes doctos à Deo, uel discipulos Dei, & omnem eum qui à patre audiuit ac didicit ad se uenturum. Et 2. Cor. 1. uocat Apostolus Deum, patrẽ Domini nostri Iesu Christi, Deũ totius consolationis, qui cõsoletur nos in omni tribulatione nostra.

Respondeo. Vtrunq; uerum est. Deus solus docet, solus consolatur. Docet & consolatur per suum spiritum. Verum homines interim ministros spiritus sui & cooperatores suos cõstituit. Admonemur hinc, ut cogitemus quãta sit philanthropia Dei, qua hominem in id dignitatis assumit, ut cooperetur sibi in opere omnium clarissimo cum omnia sine illius opera suapte posit uirtute perficere. Docet hominẽ doctrina qua posit ille docere & alios,

A consolatur hominẽ consolatione spiritus, qua ille consoletur & alios. Sic Apostolus cum dixisset: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius cõsolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, subiecit, ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per consolationem, qua nosipsos consolatur Deus. Deo sic docente & consolante, uere docent & consolantur ac uere discunt & consolationem accipiunt homines. Deo neq; docẽte neq; consolante frustra docet & cõsolatur homo hominem. Quare nemo propheta docere ac consolari præsumat, nisi prius dominum ipsum inuocauerit, si modo efficaciter ac cum fructu ministerium suũ obire uoluerit. Et hac ratione solennis est & laudabilis ecclesię consuetudo, ut doctrinę & exhortationi precatio non modo præmittatur sed & subijciatur.

ET spiritus prophetarum prophetis subijciuntur, inquit.] Vulgatus interpres uertit in singulari, & spiritus prophetarum prophetis subiectus est, uerum in Græco non est, πνεῦμα, sed in plurali πνεύματα. Quod autem non est ὑποτάσσονται, sed ὑποτάσσεται, Græca est cõstructio, qua uerba singularia nominibus neutrius generis in plurali positis iunguntur.

Locus hic uarijs modis exponitur. Alij referunt ista ad proxime præcedens: potestis enim omnes prophetare. Quasi dicat. Nam spiritussanctus donis suis subseruit ecclesiæ, atq; ita subditus est & obsequens prophetãtibus, nec inuidet sua dona cuiquam fideliũ. Alij referunt ad id quod dixit: Quod si cui sedenti reuelatum fuerit, prior taceat, sed alio atq; alio sensu. Primo, sunt qui sic. Spiritus prophetarum, id est, charismata spiritus, prophetis concessa, prophetis alijs subiecti sunt, ut de illis cognoscant ac censeant. Quare non debet quisq̃ propheta sic insolescere, ut tacere nolit, si alius ad dicendum surrexerit, quasi nullius sit cẽsuræ subiectus. Deinde quidam ad hunc modum. Spiritus prophetarum prophetis subijciuntur, hoc est, ueri prophetæ non sic loquũtur, ut tacere non possint, si id postulet certa ratio. Neq; enim mẽte sunt moti, arreptitij, ac lymphatici, sicut diuinatores, prophetæ Satanæ, qui more insanorum uaticinantur quę nõ intelligunt, & nolint uelint loquuntur secundum uim spiritus mali à quo rapiuntur & agitãtur, sic ut neq; principium, neq; cursum, neque sensum neq; finẽ sermonis habeant in sua potestate. Veri prophetæ tacere possunt ubi uolũt. Non enim cogũtur sed in potestate sua habent donũ spiritus. Sic quod dicit. Spiritus prophetarum prophetis subijciũtur, idẽ esset, quod, dona prophetarum ipsis subijciũtur, id est, sunt in ipsorum potestate.

Ambro.

B

Tertio, nonnulli sic exponunt. Spiritus, id est, animi ac mentes prophetarum, subijciũtur alijs prophetis, ut illis ad ecclesiam dicturis haud grauatim cedant, non sunt præfracti sed submissi, agnoscentes in alijs quoq; ac uenerã

tes

tes dona spiritus. Quare non erit molestũ ulli prophetæ, si surgat ex sedentibus aliquis, reuelationem spiritus propositurus ecclesiæ, ut taceat & cum alijs audiat. Et hæc sententia simplicior mihi præq; alijs retinenda uidetur. Reprimit igitur Apostolus fastum eorum qui in ecclesijs Corinthiorũ spiritu arrogãtiæ inflati quosuis præ se fastidiebãt, & haud facile cuiq cedebant, & simul admonet, q̃ sint alieni, qui eiusmodi sunt, ab ingenio & modestia uerorũ prophetarum, quibus hoc unũ in uotis est, ut ædificetur ecclesia, per quoscunq; tãdem hoc fiat, ideoq; parati sunt omnibus cedere, & tacere, modo sint qui uerbum domini rite administrẽt. Sic olim spiritus episcoporũ episcopis subijciebantur, & alius alij cedebat, ubi maior erat futuræ ædificationis expectatio. Hodie citius Sol Lunæ cedet, q̃ episcopus episcopo.

Et obserua quale sit hoc genus subiectionis. Spiritus prophetarum prophetis, inquit, subijciũtur. Ergo ne propheta dominiũ habet in prophetã tanq̃ superior in eũ qui ipsi subijcitur? Absit. In sæculo sic fieri uidemus, ut ubi subiectio est, ibi sit & superior aliquis cui qui inferiores sunt subijciantur & obediant. Inter prophetas, episcopos, & reliquos ecclesiæ ministros, non habet locum pontificiũ illud, ubi maioritas, ibi mandandi est potestas, reliquos manet obediendi necessitas. Hic frater fratri, propheta prophetæ, Apostolus Apostolo, minister ministro subijcitur, sic ut neq; sit minor qui se fratri subijcit, nec maior cui ille subijcit. Est enim subiectio ista non coacta sed spontanea, nõ externa tantũ sed & spiritualis, & pręterea mutua, sic ut cui hodie propheta subijcit, cras ipse eidẽ uicissim subijciatur. Quare non potest hic inferri. Ergo spiritus prophetarum prophetis dominantur. Nihil hic est dominij, ubi donis spiritus inseruitur, & pari ab omnibus studio ecclesiæ ædificatio quęritur. Nihil, inq̃, dominij est, ubi nemo quę sua sint quęrit, sed fratres fratribus spiritu charitatis uicissim subijciuntur.

NON enim est cõfusionis author Deus, inquit, sed pacis.] Ratio est, unde fiat quod spiritus prophetarum subiecti sunt prophetis. Est aũt ratio hæc gemina. Prior tribuit hoc Deo, per cuius spiritũ spiritus prophetarum sic diriguntur ut prophetis ultro subijciãtur. Cum dicendum uideatur. Non enim sunt arrogantes & præfracti, sed humiles & submissi, reijciens causam subiectionis huius in ipsum Deum dicit: Non enim est Deus author cõfusionis sed pacis. Hoc est, non reddit spiritus Dei prophetas contentiosos qui omnia in ecclesia cõfundant & pacem turbent, sed placidos & pacis amantes, fieret aũt confusio, & dissidium in ecclesia, si non cederet alter alteri sed uel prohiberentur alij dicere, quibus reuelatum est, uel simul omnes prophetarent. Deus aũt non potest esse cõfusionis author. Hinc uidelicet est, quod spiritus uerorũ prophetarum prophetis subijciuntur. Tales non reddit sapientia, eruditio, potentia, & opulentia carnis. Quare nõ

A posset ueraciter dici: Spiritus sapientũ sapientibus, eruditorum eruditis, potentium potentibus, opulentorũ opulentis subijciuntur. Etenim spiritus carnis & mundi huius non est amans pacis & subiectionis sed cõtentionis & inanis gloriæ. Et reuera magna pars doctorũ hominum nostra hac ętate nimis palam declarant, quo spiritu ferantur, dum omnia contentionibus admodum acerbis turbant, ac turpe sibi fore putant, si alijs subijciantur ac cedant.

Posterior ratio declarat, quare Deus tales spiritu suo prophetas reddat, q prophetis subijciantur. Propterea, uidelicet, quod ut non est amãs contentionũ, ita suis ministris ac fidelibus non est author cõfusionis sed pacis & cõcordiæ. Et hanc ob causam, qui spiritu Dei diriguntur, non sunt amantes confusionũ ac disturbationum sed pacis seruandæ gratia fratribus facile cedũt. Prophetæ spiritus subijcitur prophetæ, quia sic à Deo dirigitur, interea uero non subijcitur cuipiam ueritatis hosti, quãtumuis potenti, nec tacet, etiãsi uitæ discrimẽ loquendo incurrat. Est hæc sententia generalis, ideoq; non ad præsentem duntaxat causam sed & ad reliquas consimiles accommodanda. Confusionem hic uocat Apostolus ἀκαταστασίαν. Sonat κατάστασις rectam rerũ dispositionem, statum & ordinem, & hinc est, ἀκαταστασία status & ordinis dissolutio & confusio. Vulgatus interpres uertit dissensionẽ. Ex dissensione nascitur ista ordinis ac status dissolutio ac

B cõfusio. Quàm magnum autẽ est recti ordinis bonum tam magnum est cõfusionis malum. Ordine recti status seruãtur omnia, dissolutione ac confusione dissipantur. Cum ergo Deus sit conditor ac seruator omnium, cõdideritq; omnia in pondere, numero, & mẽsura omniũ sapientissime, consequitur nihil ab illo magis esse alienum, quàm rerum confusionem.

Sunt uero uaria genera cõfusionis, secundũ uarietatem rerũ, quæ certo sunt ordine dispositæ, & certo quodam statu firmatæ. Habent cœlestia & terrena, habent ecclesiastica, politica, & domestica suam catastasim, ut priuata taceam. Author huius est Deus, & per hũc in ordine ac statu suo seruantur omnia. Satan uero tanq̃ aduersarius Dei, totus in eo est, ut dissoluat opera Dei. Quare perpetuo huc incũbit, ut κατάστασιν rerum quæ à Deo sunt subuertat, & ἀκαταστασίαν inducat, potissimũ in ecclesiam, gloriæ Dei & salutis humanæ officinã. Nos igitur, ubi rerum confusionem uidemus agnoscamus opus nõ Dei sed Satanæ. Nisi eueniat, ut quę male sunt iuncta, uel, male geruntur, cõfundantur. Eiusmodi cõfusio non est à Satana sed ab ipso Deo, qualis erat cõfusio linguarũ, ædificãtium turrim Babel. Hanc imprecemur omnes Antichristianæ Babyloni, quę se in cœlum usq; erexit, Deoq; & ecclesię iam olim repugnare cœpit. Illud obseruet pius lector, quod pacem opponit cõfusioni. Cum enim dicendum esset: Non est Deus author confusionis sed ordinis, dixit: Non est Deus author cõfusionis sed pacis. Ergo per dissidia, contẽtio-

nes & rixas confunditur ecclesia, dum pax & trãquillitas illius subuertitur, per pacem uero seruatur ordo quo omnia competenter gerũtur & opus Dei feliciter promouet, hoc est, ecclesia salubriter ædificatur. Hæc pax, Deũ habens authorem, qua cuncta legitime ac recto ordine geruntur, spiritus prophetarũ prophetis subijciuntur, & ecclesia per doctrinã & cõsolationem in uera fide ædificatur, non conuenit ecclesiæ Antichristianæ, dignæ quæ cõfundatur, sed ecclesiæ Christi. Et hanc quærimus ex animo, eã uero, qua fideles Antichristo quasi mancipia tyranno, subijciantur, auersamur ac detestamur.

VT in omnibus, inquit, congregationibus sanctorũ.] Desyderatur uerbum aliquod, quo sensus perficiatur. Vulgata uersio habet, sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Sic legit & exponit Ambrosius, & Chrysostomus quoq; addidit διδάσκω, id est, doceo, quemadmodũ exemplar habet, quod mihi est ad manum. Et sic Theophylacti quoq; uersio habet. Sunt qui legendũ esse putãt, sicuti fit in omnibus ecclesijs sanctorum. Interest quò referas hãc particulã. Si ad ea quæ præscripsit Corinthijs dicens: Prophetæ uero duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicẽt. Si uero alij fuerit sedenti reuelatum prior taceat. Potestis enim omnes singulatim prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationẽ accipiant, & spiritus prophetarũ prophetis subijciuntur, sensus erit. Hæc uobis præscribẽs nihil noui pręscribo. Nam sic doceo, & sic fit, in omnibus ecclesijs sanctorum, à quibus non est quur uos in hac causa segregetis. Quod si hic sensus placet, illud: Non est enim confusionis author Deus sed pacis, includẽdum est parenthesi, ac sic legẽdum. Potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant & omnes cõsolationem accipiãt, & spiritus prophetarũ prophetis subijciuntur (non enim est confusionis author Deus sed pacis) sicut in omnibus ecclesijs sanctorum fit, uel, doceo. Si uero referas ad proxime præcedens: Non enim cõfusionis author est Deus sed pacis, sensus erit, quẽadmodum id comprobatur, uel, uidere est, in omnibus sanctorũ ecclesijs, in quibus paci studetur ab omnibus sanctis, nec locus datur dissidijs & confusioni. Quare si sancti estis & ipsi, operam dabitis, ne in uobis solis confusionis author uideatᵉ esse spiritus Dei, cuius donis abutimini. Dubio procul erant & in alijs ecclesijs sanctorũ dissidia, quibus maleuolorum, ac reproborum improbitate exercebantur, uerum hoc genus confusionis, quod ex donis Dei in abusum raptis nascebatur peculiare erat ecclesiæ Corinthiorum, ac speciẽ quandã imperitis obijciebat, quasi author illius esset spiritᵘ Dei, quod charismata linguarum & prophetiæ in homines cõtentiosos effudisset. Cum ergo dicit: Non enim cõfusionis author est Deus sed pacis, sicuti patet in omnibus ecclesijs sanctorum, hoc sensu perinde est ac si dicat, quod ecclesia uestra tantoperę confunditur non est dã dũ spiritui Dei, sed uestris studijs quibus alij charismata hæc imprudenter æmulantur, alij inutiliter iactant & ostentãt. Neq; enim sic est comparatus Deus, ut eiusmodi uelit esse confusionis author id quod abunde patet in reliquis omnibus sanctorũ ecclesijs, quarũ nulla hac confusione turbatur, turbarentur autẽ illæ omnes, si Deus cõfusionis esset author per id, quod charismata linguarũ & prophetiæ credentibus uobis elargitus est. Nam effudit hũc suum spiritũ non in uos solos, sed & in cæteros fideles, qui tamẽ ordini, ac paci, & ædificationi charismata ista accommodant.

Vtro hæc sensu accipiamus, omnino improperat illis repręhensibilem hanc singularitatẽ, qua se ab omnibus alijs ecclesijs sanctorũ separabant, & ordinem donorũ Dei inuertebãt, quo utebantur alij omnes. Quantum autẽ dedecoris habeat eiusmodi singularitas, haud opus est ut admoneam. Sed obsecro, quid aliud facere iã olim cœpit ecclesia Romana, ubi ab hoc cõmuni præscripto Apostoli deficiẽs, omnium aliarum ecclesiarũ sanctarum & apostolicarum consuetudinẽ contempsit, inq; ea singularitate etiamnũ perdurat, imò, quod peius est, eos qui ad consuetudinem priorũ ecclesiarum redire cupiunt, hæreseos dãnat. Percurre lector omnia pontificum decreta canones ac cõstitutiones, & uide num in illis inuenias aliquid ex tota hac materia sumptum, quã Apostolus singulari diligentia tam multis tractat & inculcat. In ecclesijs sanctorũ omnibus, ab Apostolis uidelicet institutis, pluris fiebant quinq; uerba lingua intelligibili & uulgari, q̃ decẽmillia idiomate incognito prolata. Si in hisce ecclesijs, cũ scriberet ista Apostolus, Romana quoq; fuit, quę est illa temeritas qua cõtrã catholicã ecclesiarũ consuetudinẽ, cõtraq; catholicam Apostoli doctrinam, peregrinã & ignotam linguam, Latinam uidelicet ecclesijs Occidentalibus obtruserũt? Quomodo hodie hæresis est, quod Apostolus tãto serio docuit, quod ratio ædificandæ ecclesiæ poscit, quod communis sensus requirit, quodq; catholica sanctarũ ecclesiarum cõsuetudo in tam uarijs Orientalium nationibus seruauit?

Respondeant ad ista, qui nobis uicium singularitatis, hæreseων matris, obijciunt, propterea quod à cultibus ac ritibus aliarũ ecclesiarũ defecimus, & Romanæ sedis dominatum respuimus. Cõprobent ea quorũ gratia cum Romanis ecclesijs haud cõmunicamus, ecclesijs esse sanctorũ ab apostolis tradita, & usu catholico seruata, sicuti nos comprobare possumus, quę ipsi contra uerbum Dei sectantur adulterina esse, & à doctrina Apostolica, usuq; ecclesiæ catholicæ aliena. Magnum sane præiudicium est in catholica ecclesiarũ consuetudine. Et utinam illa sic sit hodie comparata ut recedentes ab ea merito hęreticæ queant singularitatis argui. Verum non habet locũ hoc pręiudicium nisi in ecclesijs rite institutis. Ab illis citra necessitatẽ studio singularitatis dissentire, omnino dignum est repræhensione. Quàm autem

tem uelim ab hoc singularitatis uicio omnes eas alienas esse ecclesias, quæ in Romana Babylone discesserunt. Laudabilis est ab illa discessus, uerum non posse in rebus licitis & utilibus conuenire cum ecclesijs reformatis, nemo, puto, cordatus probauerit. Priusq̃ ad sequentia transeamus, respondẽdum est Eccio, qui in locis suis uerba hęc Apostoli sic citat, ut ex illis comprobet, intelligentiã scripturæ magis quærendam esse apud Romanã ecclesiam, concordẽ & unitã, q̃ apud Lutherũ, uel Zuinglium, uel Osiandrum, eo quod non sit dissensionis author Deus, sed pacis, isti uero inter se dissentiant. Non cogitauit ille, neminem esse fidelium, qui S. scripturæ intelligentiã quærat apud ecclesiam uel hominẽ aliquem quantũuis doctũ, & non magis apud eum, qui clauẽ habet scientiæ & mentes fideliũ aperit, ut scripturas intelligant. Quod uero attinet dissidia nostrorũ temporum, non est nouũ quod in ecclesia oriuntur schismata. Vetus hoc est, etiã temporibus apostolorũ cognitum, præsertim in ecclesia Corinthiorũ, quã nihilo secius uocat Apostolus ecclesiã Dei, & membra illius uocatos sanctos, ablutos, sanctificatos & iustificatos. Quàm autẽ unita sit Rom. ecclesia, & qualis sit quaq; in re ipsius unitas, quid attinet meminisse?

Mulieres uestrę in ecclesijs sileãt: neque enim permissum est illis ut loquantur, sed ut subditæ sint, quemadmodũ & lex dicit: Quod si quid discere uolũt, domi suos uiros interrogẽt. Nam turpe est mulieribus in ecclesia loqui.

Supererat adhuc corrigenda muliebris temeritas, qua mulieres Corinthiorũ in ecclesijs haud secus atq; uiris prophetandum sibi esse censebant, aliàs poterat iam pręsentem materiam claudere. Quoniam autem dixerat: Potestis enim omnes prophetare per uices, ut omnes discant & consolationẽ accipiant, ne hoc sic generaliter acciperet̃, ut ad mulieres quoq; pertinere putaretur, consulto de illis subiecit ac temeritatem illarum hoc canone coërcuit.

MVLIERES uestræ in ecclesijs sileant inquit.] Poterat uerti, uxores uestræ in ecclesijs sileant. Quod enim de uxoribus præcipue loquatur ex eo satis patet, quod dicit, sed ut subditæ sint, quemadmodum lex dicit: Quod si quid discere uolunt, domi uiros suos interrogẽt. Etenim licet ad uirgines quoq; & ad uiduas pertineat hoc pręscriptum, quia tamen uxoratæ plus sibi licentiæ ut domi erga maritos & domesticos ita in ecclesia quoq; in cœtu publico uindicabãt, q̃ uirgines & uiduę, quarũ illæ uirginali pudore, istæ uiduali solitudine affectæ submissius agere solent, haud præter rationẽ præcipue illarũ licentiã restringit. Prudenter autẽ facit, quod non dicit, pauca, uel moderate, uel submisse ac uerecunde, in ecclesijs loquantur, sed, ne quid quouis modo ausint, in uniuersum eas compescit dicens, sileant. Vno uelut ictu omnem muliebrẽ garrulitatẽ amputat, unde plurimũ fuisset altercationũ & rixarum exortum in ecclesijs.

NEQVE enim permissum est illis ut loquãtur, inquit.] Reddit rationem huius constitutionis, non quod id poscat res ipsa, quã cõmunis ubique sensus approbat, sed quod Corinthiorũ esset leuitati ac uanitati occurrẽdũ. Reddit aũt geminã rationẽ, illiciti unam, turpitudinis alterã. Illicitũ esse mulieribus loqui monet dicens: Neq; enim permissum est illis ut loquãtur. Non licet illis quod nõ est permissum. Dupliciter aũt nõ est illis permissum ut loquãtur. Primũ, dum contrariũ ipsis est diuina lege præceptum. Hoc exprimit dicens, sed ut subditæ sint, quẽadmodũ lex dicit. Deinde, quatenus in omnibus gentibus, ubi aliquis est honestatis publicæ sensus & utriusq; humani sexus decorũ seruatur, à publicis actionibus muliebris sexus remouetur. Scio quid hac de re apud nonnullos philosophos legatur, uerũ nihil hinc est præiudicij contra communes gentium ac populorũ mores. Cum ergo mulieri nec diuina lege, nec catholica omnium sit populorum consuetudine ac publica honestate permissum ut loquatur, restat illicitum illi esse ut loquatur. Non est autẽ uerbum loquendi simpliciter hic positum ab Apostolo, quasi mulieri nihil omnino loqui liceat, sed de eo loquẽdi genere, quo publicæ actiones uel causæ ex officio proponuntur ac tractantur in conuentibus uirorum in ecclesijs, & in foro, quod uiris competit non mulieribus. Quemadmodũ & uerbũ currẽdi nõ est de quolibet cursu usurpatũ in eo quod pseudaprophetis exprobrat dominus dicẽs: Cucurrerunt & ego non misi eos, sed de cursu legationis, qui non competit nisi delectis ac missis.

SED ut subditæ sint, inquit.] Subintelligẽdum est, præceptũ, ac legendũ, neq; enim permissum est illis ut loquantur, sed præceptũ ut sint subditæ. Non enim recte dixeris, permissum esse mulieribus ut sint subditæ, cum ea sit illis subiectio non sic permissa, ut non peccẽt obediendo, sed sic pręcepta, ut peccẽt nisi subdantur & obediant suis uiris. Ergo non esse permissum mulieribus ut loquãtur, ex eo probat, quod præceptum ipsis est, ut sint subditę. Valeret argumentũ, si pręceptũ esset illis ut sileant. Cui præceptũ est silentium, utiq; nõ est permissum ut loquatur, quemadmodũ cũ pręceptũ esset Apostolo ut euãgelizaret, permissum illi non erat ut sileret. Quare dicebat: Væ mihi si non euangelizauero. Iam cum pro eo quod dicẽdum erat, sed ut sileant, dicit, sed ut subditæ sint, uidendũ est quomodo ex eo q[d] subditæ sunt uiris mulieres, consequat̃ nõ licere illis ut loquant̃, cũ tamẽ, spiritus prophetarum haud ideo loqui uetent̃, quod prophetis subijciũtur. Sciendũ hic est, aliter subditã esse mulierem uiro & aliter spiritus prophetarum prophetis. Mulier subdita est uiro, propter illius eminentiam, qua primum est ad imaginem Dei conditus, deinde iudicio & facultate mentis, corporis quoque uiribus præ-

ſtantior caput mulieris conſtitutus, ipſa uero, A tanquam in hiſce omnibus inferior, non eſt apta ad regendum, ſed opus habens ut regatur. Prophetæ uero prophetis non ſic ſubijciũtur, quod alij alijs ſint præſtãtiores ac ſuperiores, ſed quod hoc poſtulat ratio ſeruandæ pacis, uitandæq; confuſionis, & ædificandi eccleſiã. Quare Apoſtolus recte colligit ex ſubiectione mulieris nõ eſſe illi ꝑmiſſum, ut loquaꝶ, quod tamen ex ſubiectione ſpirituũ propheticorũ non colligit. Reſpicit enim illic non tam ſubiectionem, ꝗ ſubiectionis cauſas, propter quas mulieri negatur, uiro autẽ datur, ut publicas actiones & cauſas loquendo & agendo obeat. Quanquam & prophetarum ſubiectionem loco ſilentij ac ceſsionis poſuit. Tantiſper enim propheta prophetæ ſubijcitur, dum loquens loquuturo ad tempus cedit ac tacet.

QVEMADMODVM, inquit, & lex dicit.] Non modo lege naturæ & conditionis, ſed & lege Dei ſingulariter poſt præuaricationem lata, ſubiecta eſt uiro mulier. Lex iſta legiꝶ Gen. 3. ad hunc modum: Ad uirum tuum, hoc eſt, in poteſtate uiri tui erit deſyderium tuũ, & ipſe dominabitur tibi. De hac lege loquitur, nõ de tota lege Moſis, cum dicit: quemadmodũ & lex dicit. Non ſimpliciter, inquit, quẽadmodũ lex, ſed, quemadmodũ etiã lex dicit. Q. d. Prẹter alia quæ mulieris ſubiectionem cõprobãt, præcipitur illa etiam lege diuina. De lege autẽ hac non eſt ut hic annotemus. Diximus de illa in Comment. noſtris ſuper Geneſim.

Illud conſyderandum eſt, quod legem Dei citat Apoſtolus in cauſa omnibus non modò Chriſtianis, ſed & reliquis populis ac gentibꝰ cognita & indubitata. Quæ eſt enim natio, in qua non ſubſit mulier uiro? ut uideri poſsit ocioſum ac ſuperfluum, quod cauſam omnibꝰ notam, in qua nulla eſt controuerſia, lege Dei comprobandam putauit. Verum non eſt hoc citra rationem factum. Homini Chriſtiano ſatis nõn eſt propterea facere quæ recta ſunt, ꝙ communi uſu ac ſenſu comprobentur, ſed facienda ſunt illi ex fide ac conſcientia Dei. Mulier Chriſtiana non ob id tantum ſubdit ſe uiro, quod ea ſit omnium gentium conſuetudo, ſed quod ſciat ita placere Deo, eaq; ſit fide erga illum & obedientia prædita, ut quod facit ex animo faciat. Huc autem ſeruit ſcientia diuinæ legis, unde uoluntas ac placitum Dei cognoſcitur. Quare magna illam ratione Apoſtolus hoc loco citauit.

QVOD ſi quid diſcere uolunt, inquit.] Occupatio eſt. Poterat enim obijci. Ergo mulier ſedebit in cœtu eccleſiaſtico inſtar ſtipitis, nec diſcet ea, quæ ignorat, nec quæret ſicubi hæſitauerit? Quomodo enim quæret ac diſcet, niſi interroget? Quomodo interrogabit niſi loquatur? Reſpondet. Non prohibeo, ne diſcat. Poteſt audiendo ac tacendo diſcere in eccleſia. Quod ſi eccleſiaſtica illi doctrina non ſatisfecerit, ſed eſt in quo hæſitet, uirum ſuum domi interroget. Hoc dicens, non uetat mulieres diſcere in eccleſia, quę perinde atq; uiri ædificandæ ſunt in cognitione Dei ac uerę pietatis ſtudio, ſed cauet ne prætextu diſcendi decorum muliebre excedant, & pudorem ſexus altercando abijciant. Sic uerbo diſcendi uſus eſt hoc loco ſenſu interrogandi, quod ex eo patet quod adijcit dicens: domi uiros ſuos interrogent. Q. d. Si quid interrogare uolunt, interrogent non in eccleſia prophetas, ſed domi ſuos ipſarum maritos. Prætextum interrogandi ac loquendi tollit, quo ipſam publicam interrogationem tollat. Poterant enim ſtudiũ diſcendi prætexere, eoq; prætextu licenter quiduis interrogare. Hoc quippe ingenio curioſo pleræq; ſunt ex illis, præſertim ditiores, quales erant de quibus 2. Tim. 3. meminit dicens: Ex his enim ſunt qui ſubeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiſcentijs uarijs ſemper diſcentes, hoc eſt, ſemper interrogantes, nec unquam ad cognitionem ueritatis uenire ualentes. Nec alienum eſt à phraſi Græcorum, ſi diſcere pro interrogare ſumpſerimus hoc loco. Nam & illis μαθῶμαι idem nonnunquam eſt quod ζητῶ, id eſt, quæro & interrogo.

DOMI, inquit, ſuos uiros interrogent.] Nõ dicit, extra eccleſiam prophetas accedãt & interrogent, ne det illis occaſionẽ prophetas curioſis quæſtionibus diuexandi, uel tandẽ ſucceſſu tẽporis minus honeſta ſub prætextu cõſtitutionis Apoſtolicæ tentandi, qualia in Papatu ſub ſpecie cõfeſsionis, aut cõſilij quærendi innumera fieri cõſtat. Domi, inquit, ꝓprios B uiros interrogẽt. Hic nihil ſiniſtræ ſuſpicionis oriri poteſt. Deinde facile poterit maritus curioſitati uxoris authoritate ſua imponere modũ, & inutiles illius quęſtiones graui & matura repræhenſione multo abſcindere melius, ꝗ quiſꝗ alius, ꝗuis accurate illis & ſubtiliter reſpondens. Puto aũt non dare illis Apoſtolũ occaſionẽ maritos ſuos de quibuslibet inutilibus rebus interrogandi, cũ dicit, ſi quid diſcere uolunt, domi uiros ſuos interrogent. Quomodo enim permitteret illis, quod nemo poterit probare cordatus? Loquitur de ijs rebus de quibus dictum eſt à prophetis in eccleſia. Hic, inquit, ſi quid diſcere uolunt, non interrogẽt in eccleſia, ſed quærãt domi à ſuis maritis. Nec eſt ꝙ dicas: quomodo poterit uxoratus laicus & idiota docere ſuã uxorẽ domi? Nõ enim intelligit de qbuslibet abſtruſis rebꝰ, ſed de ijs quas oẽs audierũt in eccleſia, de quibus facile fuerit uiro pio & auditori haud oſcitãti reſpõdere uxori interrogãti. Verũ in Papatu, ubi multa eidola habent loco librorũ ac doctorũ, q̃d reſpõdebit uxori ſuę laicꝰ? imò de qbus illa domũ è tẽplo eidolorũ regreſſa interrogabit, cũ nihil quod diſcẽdũ ſit in tẽplo audierit?

NAM turpe eſt, inquit, mulieribus loqui in eccleſia.] Reddit adhuc aliam rationẽ, quã ſuprà diximus eſſe alteram, quare nõ debeat mulier loqui in eccleſia, ſed domi, ſi quid interrogare uelit, interrogare ſuum maritum. Hanc ſumit à turpitudine, dicens: Nam turpe eſt mulieribus loqui in eccleſia. Turpitudo eſt, quan-

quando quid præter decorum uel personæ, uel officij, uel naturæ, uel sexus, uel loci uel tẽporis admittitur. Oppositum huius est honestas, quando omnium istorum seruatur decorum. Decorum autẽ muliebris sexus est submissio & silentium in publico. Turpitudo igitur illius est, si sit mulier audacula in publico, sic ut abiecto pudore prosiliat ad dicendum in medio uirorum.

Turpitudo hæc merito repræhenditur ab Apostolo. Sed obsecro, si repræhensibilis est turpitudo, quæ dedecorosa est mulierculæ in cœtu ecclesiastico quid interroganti, quanto est ea repræhensibilior, qua ad dedecus uirilis sexus ac dignitatis uiri, imò integra nonnunq̃ regna reguntur à mulierculis? Iurisdictiones datæ sunt monialibus, & nonnullis illarum titulus est principalium abbatissarum. Sit hoc leuiculum, an non illud dedecus est ecclesiæ Christi omnium maximum, quod mulier scortum non modo loquuta est, sed & dominata uniuersali ecclesiæ sub titulo & persona pontificalis eminentiæ? imò tot iam sæculis meretrix purpurata tyrannidẽ exercet in ecclesia?

Sed ualeant ista, donec corrigantur iudicio domini. Nos interim qui uiri sumus, maxime dignitate, iudicio, & potestate præstantiores, colligamus ad hunc modum. Si turpe mulieri est loqui in ecclesia, quomodo non est turpius uiris episcopis non loqui in ecclesia, cum loquendum sit ipsis ex officio? quomodo non est turpius uiris doctoribus nugari in ecclesia, & fictis uerbis negociari? Si turpe est mulieri aliquo pacto sexus ac personæ suę decorũ excedere, quid censendum de uiris est, nullam sui sexus suæque personæ rationem habentibus? Turpe mulieri est obire uelle in ecclesia, quæ nonnisi uiros concernunt, & non est turpe episcopis, prælatis, pastoribus ac doctoribus muliebrem sectari molliciem, leuitatem ac uanitatem? Natura mulier rixatrix. Quomodo non turpe est doctoribus quauis leui de causa muliebriter contendere ac rixari in ecclesia? Vicia mulierum quàm sint turpia, uidemus, uerum non ita diligenter cauemus, ne in turpiora incidamus.

An à uobis sermo Dei profectus est, aut in uos solos incidit?

Ambrosius ista & quæ ad finem usque capitis sequuntur, immediate subiungit pręcedentibus hisce uerbis: Non est enim confusionis author Deus, sed pacis, ut in omnibus congregationibus sanctorum, & quę de silentio mulierum immixta sunt, in calcem capitis locat. Cur id faciat, facile cogitari potest. At, meo iudicio, nõ erat opus seriẽ contextus diuellere.

AN à uobis, inquit, sermo Dei ꝓfectus est?] Stomachum nonnihil resipiunt ista aduersum arrogantes, qui, ut apparet, cum philosophia essent turgidi, fideles ex Iudæis, & ipsos quoque apostolos, quod Iudæi essent, contemnebant, eoque confidentius abusus, qui in ecclesiam Corinthiorum irrepserant, tuebantur. Hi perinde insolescebant, ac si uel primi uel soli essent Christiani. Cũ ergo doctrina regni Dei, quam hic uocat sermonem Dei, profecta esset non ex Gentibus ad Iudæos, sed ex Iudæis ad Gentes, quemadmodum & Christus salutem ex Iudæis esse dixit, & Iesaias uerbum Dei è Zyon & Hierusalem egressurum uaticinatus est, deinde non ad solos Corinthios, sed & ad reliquos populos uenisset, atque ecclesias constituisset, à quibus ipsi dissidebant, insultat illis, & exprobrat utrunque, quod neque primi neque soli essent Christiani, non quod ob eam essent causam culpandi, sed quod cæteras ecclesias præ se haud secus fastidiebant, quàm si ipsi uel primi uel soli essent Christiani, cum tamẽ neutrum sibi uendicare possent. Dicit itaque: Vnde uobis tantum est supercilij, ut cæteras ecclesias omnes contemnatis, dum ordinẽ quem illæ sibi traditum religiose seruant, soli respuitis, & uestro arbitratu cuncta in ecclesia uestra geritis, illamque non ædificatis, sed cõfunditis? An putatis sermonem Dei à uobis egressum uenisse ad alias ecclesias? Sic sane putatis uestra exempla imitanda esse alijs ecclesijs, haud secus, quàm si quod habent, à uobis acceperint, ideoque à uestris debeant pendere placitis. Verum non est sermo Dei à uobis ad alios, sed à Iudæis ad uos quemadmodum & ad alios profectus. Vel, putatis uos solos esse Christianos, quasi non & aliæ sint ecclesiæ ad Christum pertinentes, in quibus spiritus sanctus charismata sua, non minus quàm in uos, in eos effudit qui crediderunt, quæ tamen omnes acceptum à nobis ordinem seruant. Sic perstringit singularitatis ipsorum superbiam & arrogantiam.

Interea cogitemus quàm ista Apostolus, uel quiuis Christianus, multo iustius exprobret Romanis, quàm tum exprobrauit Corinthijs. Hi nanque perinde primatum sibi uendicant in omnes Christi ecclesias, ac si principium Christianæ fidei & ecclesiæ sit ab ipsis, nec possit esse ecclesia Christi, quæ nõ sit ipsis incorporata, hoc est, ab ingluuie ipsorum absorpta, cum nec primi sint Christiani, nec soli. Quid non auderent, si scriptum legeretur: Salus ex Romanis est: &, E Roma exibit lex & uerbum domini?

Præter Romanos sunt & alij nostra hac ætate, qui propterea quod apud ipsos primum Papistici abusus reuelari taxarique cœperunt, conuenire sibi putant, ut sint magistri reformandarum ecclesiarum, nec aliunde posse rectius normam instituendæ reformationis peti iudicant quàm ab ipsis. Ab his, nisi ad omnia ipsorum consentias, mox audies: Quid habes, quod nõ à nobis acceperis? Quare & istis recte obieceris: An à uobis profectus est sermo Dei? uel in uos solos incidit? Fatendũ quidem est, aliquid deberi honoris illis ecclesijs, quæ ueluti primitiæ fuerunt renascentis ueritatis, uerum probari non potest, si sibi supercilium

lium primatus in reliquas ecclesias hoc nomine uindicent. Licet enim primus uideas auroram sequuturi Solis prænunciam, non conuenit tamen ut eam ob causam sic insolescas, ac si totus ille Sol uelut ex oculis tuis progressus reliquo orbi illucescere cœperit. Non fert Apostolus, ut Iudæi contra Gentes superbiant, licet primum ad illos, deinde ex illis sermo Dei prouenerit ad Gentes. Thessalonicēsibus hoc laudis adscribit, quod ab ipsis sermo domini personuerit in Macedonia & Achaia, imò fides ipsorum in omnem locum dimanauerit, ita ut exemplo fuerint omnibus credentibus in Macedonia & Achaia. Hinc tamen nec ipsi sese supra cæteras ecclesias extulerunt, nec tulisset Apostolus si id fecissent. Et quomodo non summæ damnandū est impudētiæ, quod supra cæteras ecclesias primatum ac dominiū ambiunt, qui nec authores sunt Christianæ fidei, nec soli illam profitentur?

Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat q̄ scribo uobis, quod domini sint præcepta.

Priusquam materiam hanc concludat, uindicat ijs quæ dixit authoritatem præceptorū dominicorum, ne quis ea susque deque facienda esse putet. Non dicit autem simpliciter, quę scribo uobis, domini sunt præcepta, sed, ut notet eos, quorum potissimū gratia motus fuit, ut hæc scriberet: Si quis, inquit, uidetur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quod domini sint præcepta, hoc est, quantumuis propheta aut spiritualis esse uideatur, haud tamen eam ob causam contemnat quæ scribo, nisi domini uelit contemnere pręcepta. Si quod charisma accepit, non debet propterea eximere se ab obedientia dominicorum præceptorum, sed quo plus accepit donorum Dei, hoc magis dominicis obedire pręceptis & studiose cauere, ne confusionem inducat in ecclesiam.

Nec ociosum est, quod non dicit: Si quis propheta est, aut spiritualis, sed: Si quis uidetur propheta esse aut spiritualis, quo perstringat illorum ostentationem, qui charismata spiritus in ecclesia ostentabant, & opinione illorum inflati minus erant erga Apostolicam doctrinam morigeri. Erat autem uertendum si quis sibijpsi uidetur esse propheta, hoc est, si quis sibijpsi donum uindicat prophetiæ, & hac opinione sibijpsi belle placet. Non enim loquitur de illis qui aliorum opinione habebantur pro spiritualibus & prophetis, sed de inflatis illis, qui seipsi pro talibus uenditabāt. Et hoc pacto Germanicus interpres uertit: *so sich yemands laßt duncken*. Atque ita suprà cap. 3. eandem phrasim, εἰ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι. Vertit Erasmus: Si quis sibi uidetur esse sapiens. Et capite 8. εἰ δέ τις δοκεῖ εἰδέναι τι, reddidit: quod si quis sibi uidetur aliquid scire, ubi & uulgata uersio habet: Si quis autē se existimat scire aliquid. Et Gal. 6. εἰ δοκεῖ τις εἶναί τι, transtulit: Si quis sibi uidetur aliquid esse, & uulgatus interpres: Si quis existimat se aliquid esse, ubi additur, cum nihil sit, suum ipse fallit animum, quod in eo non potest habere locum, qui ab alijs magni quid esse putatur, sed ad eum est referendum, qui seipse aliquid esse censet. Haud opus est, ut admoneam quātum referat, an seipse quisquam habeat pro spirituali ac propheta, uel ab alijs talis esse putetur. Augustinus dicit Apostolum hisce uerbis coërcere, & in ordinem reuocare inquietos tanto ad seditionem faciliores, quanto sibi uidebantur spiritu excellere, cum superbiendo cuncta turbarent. Qualē autem intelligat per spiritualem, nō est ut admoneam, cum de hac uoce suprà initio cap. 12. quantum sufficere iudicauimus, dixerimus.

Epist. 112.

Nos admonemur hoc loco, quodnam genus hominum Apostolicæ doctrinæ præ cæteris aduersetur, & ecclesiam corrumpat, τῶν δοκούντων uidelicet, id est eorum, qui sibi uidentur esse cæteris præstantiores, haberique uolunt pro prælatis, pro dominis, pro doctis, pro sapiētibus, pro spiritualibus, pro religiosis, &c. Hi dum omnia proprio arbitratu in ecclesia non constituunt, sed confundunt, tam abest, ut præuaricari se sentiant, ut magis quę faciūt pro officio se facere iudicent, & pro authenticis haberi uelint. Cum hoc hominum genere luctatur Apostolus, sed in hunc usque diem frustra. Omnes ecclesias corruperunt, nec unq̄ tulit medicam ista podagra manū. Sed uideamus quid illis objiciat, quod reuereri debeāt.

AGNOSCAT, inquit, quæ scribo uobis, qđ domini sint mandata.] Quid est quod non dicit: agnoscat me esse apostolū Christi, per quē credidistis, & reuereatur apostolicam authoritatem, sed ipsius domini authoritatem prætexit, dicens: agnoscat quæ scribo uobis quod domini sint mandata? Quoniam intelligebat personam suam sordere magnis illis prophetis ac spiritualibus, non objicit suum Apostolatum, sed authoritatem dominicorum præceptorum. Pio ac fideli laico satis est, si de apostolica authoritate & doctrina admoneatur. Verum illis qui se prophetarum, apostolorum & spiritualium loco haberi uolunt, non ita. Illis hodie nec ipsa dominicorum præceptorū authoritas satisfacit. Si de plebeijs & idiotis fidelibus loquens dixisset: Qui inter uos idiotę habentur, satis utiliter adiecisset: agnoscant suū Apostolum, per quem credere cœperunt, & ijs quæ scribo obtemperent. Verum malū quod corrigebat, non erat ex illis, sed ex ijs qui se prophetas & spirituales esse iudicabāt, ideoq; omnia in ecclesia propria temeritate audebāt. Quare non illis, sed istis objicit, dominica esse præcepta quæ scribit.

Et obserua, quod non simpliciter dicit, cogitet aut reputet, uel credat, sed, agnoscat quę scribo, quod domini sint præcepta. Quasi dicat. Si sunt prophetę, aut spirituales, quemadmodū uideri uolunt, non sunt multis instruendi in

di in hac causa, sed absque ullo negocio agnoscent, quæ scribo non mea esse commenta, sed ipsius domini præcepta. Declarent ergo esse se prophetas & uere spirituales, & agnoscant hæc esse præcepta domini. Quod perinde est ac si dicas de Romanis apostolis. Si quis uidetur esse uicarius & apostolus Christi, agnoscat quæ in medium ad repurgandam religionem adferimus, esse doctrinam Christi & apostolorum. Probemus ergo ueros prophetas & spirituales hac nota quam proponit Apostolus. Si agnoscunt doctrinam & constituta domini, nec agnoscunt tantum, sed & fideliter ecclesiæ proponunt, agnoscamus eos esse ueros domini prophetas, & spirituales. Si uero ne agnoscunt quidem, imò reijciunt & damnant, tam abest, ut agnoscendi sint pro spiritualibus & prophetis domini, ut magis habendi sint pro ministris, prophetis & organis Satanæ.

Dices. Quæ sunt illa domini præcepta, de quibus hic se scribere dicit? Respondeo. Quæ de recto ordine linguis in ecclesia loquẽdi, de interpretatione, de prophetia, de ædificatione ecclesiæ, de mulierum silẽtio, &c. scripsit. Hæc uocat præcepta domini, quamuis nusquam ab ipso domino expresse præcepta legantur, propterea quod ea ex euidenti spiritussancti instinctu tanquam necessitatem instituendi ecclesiam domini concernentia scripsit. Quẽadmodum enim charismata illa quæ fideles per ministerium apostolicum acceperant, non ipsius erant Apostoli, sed domini, ita & præcepta, quibus de usu, modo, ordine, & utilitate charismatum præscribebat, non erant ipsius, sed domini præcepta, non minus quàm uerbũ gratiæ ac fidei quod ipsis prædicauerat, non ipsius erat, sed domini. Duæ erant Apostolici muneris partes. Vna, per Euangelij prædicationem acquirere & congregare domino ecclesiam, altera, acquisitam ecclesiam præceptis & constitutionibus instituere & ædificare. Quemadmodum prioris opus, ita & posterioris non erat hominis docentis ac præcipientis sed ipsius domini, cuius spiritu & mandato fiebat utrunq;. Quare omnium iustissime hoc genus præcepta, ad alteram Apostolicæ dispensationis partem pertinentia, agnosci uoluit nõ pro suis, sed pro ipsius domini præceptis.

Hinc tamen non est ut patrocinium dominio suo quærant ecclesiarum principes, qui sibi quiduis præcipiendi potestatem sic uindicant, ut conscientias fidelium præceptis suis constringant, perinde ac si domini sint præcepta. Apostolus non est ea quæ de uirginibus suprà cap. 7. & de imparibus coniugijs in medium attulit, ausus referre in classem præceptorum domini, sed expresse illic dixit: De uirginibus præceptum domini non habeo, consiliũ tamen do, hic uero: Reliquis, inquit, ego dico, non dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hęc assentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam, &c. Et isti ecclesiarum domini, omnia sua uolunt esse authentica, quorum etiam obseruantiam maiori serio requirunt, q̃ præceptorum domini. Tantam uidelicet uindicant sibi mandandi authoritatẽ in ecclesia.

SI uero quis ignorat, ignoret.] Sic est in Græco, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. Vulgata uersio habet: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Sic legunt & Ambrosius & Augustinus. Ambrosius exponit ad hunc modum. Recte, quia qui nescit domini esse quæ loquitur Apostolus, & ipse à domino ignorabitur in die iudicij, dicente domino: Amen dico uobis quia nescio uos. Augustinus epistola 102. Si quis, inquit, ignorat, ignorabitur, id est, improbabitur. Non enim Deus, si ad scientiam referas, ignorat eos quibus dicturus est: Non noui uos, sed eorum improbatio hoc uerbo insinuata est. Consimili modo exponit & Hieronymus. Verum non conuenit hæc ut lectio ita & expositio cũ uerbis Pauli, quæ Chrysostomus rectius legit & exponit, quemadmodum & Theophylactus. Dixit: Si quis uidetur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quod domini sint præcepta. Iam quoniam consyderabat, non defore ex illis quos perstringebat, qui nõ essent ea pro præceptis domini agnituri, sed magis reclamaturi, quo significaret se suo functum esse officio, nec quenquam reluctantem contentiosius in ordinem coacturum, subiunxit dicẽs: Si quis autem ignorat, ignoret, quod idem est ac si dicat, εἰ δέ τις οὐκ ἐπιγινώσκει οὐκ ἐπιγινωσκέτω, id est, si quis autem non agnoscit, non agnoscat. Quasi dicat. Per me licet non agnoscat, qui hæc domini esse præcepta non uult agnoscere. Puto enim ἀγνοεῖν idẽ hic esse quod οὐκ ἐπιγινώσκειν, quo uerbo in præcedenti est particula usus. Quare nõ est ut multis hic de ignorantia disputemus, cum Apostolus de illa nõ loquatur, nec respiciat ad auditores simplices ac rudes, multa adhuc ignorantes, sed ad eos qui prophetæ ac spirituales uideri uolentes, magis suum ipsorum magisterium in ecclesiã introducere, quàm Apostolicæ doctrinæ acquiescere studebant.

Pertinet hic locus ad eos Christi ministros qui officium suum fideliter obeuntes in ecclesia, quosuis delinquentes admonent, ut resipiscant, & præceptis dominicis obediant. Illi, quoniam neminem cogũt, sed quosuis ad uoluntariam emendationem uocãt, ubi reluctantes inueniant, bona possunt cum conscientia dicere, qui obedire detrectat, detrectet, qui ueritatem respuit, respuat, qui perire mauult q̃ seruari, pereat, qui sordet, sordeat, ego quod meum erat feci, uiderint qui pręceptis domini obedire detrectant. Horum uero uox ista non debet esse, qui officium suum nõ rite obeunt. Non conuenit ut qui non docet, nõ hortatur, non reuocat errantes ac delinquentes in uiam, dicat, qui ignorat ignoret, qui perit pereat. Sic animatus proprij oris indicio perfidus esse cõuincitur. Si pastor, neglectis ouibus res alias agat, & interim errantibus ac pereuntibus illis dicat: quæ errant errent, quæ pereunt

pereant,

pereant, non facto modò, sed & proprio ore infidelem se ac talem declarat, qui nulla prorsus cōmissarum ouium curam gerat, sed susq; deq; faciat, quicquid illis acciderit.

Proinde fratres ad id enitamini, ut prophetetis, & loqui linguis ne uetueritis.

Concludit omnia ea quæ hactenus de linguis & prophetia disputauit. Collectionis nota est in uocula ὥστε, id est, proinde, itaq;. Quasi dicat. Quandoquidem sic est comparata prophetia, ut multo sit linguis præstantior, & utilior illius usus, ζηλοῦτε, id est, æmulamini ac studiose contendite, ut prophetetis. Et quoniam linguarum aliquis potest esse usus in ecclesia, si interpretatio accesserit, neminem linguis loqui prohibueritis. Sic proposito inhęrens, hortatur quidem eos, ut primas tribuant prophetiæ, illiq; studiose incumbant, interea tamen aliquid loci permittit linguis, ne charisma spiritus reprobare uideatur.

PROINDE fratres, inquit.] Rursus mitigat animos eorum, quos semel atque iterum nonnihil acrius perstrinxerat, dum eos fratres appellat. Aliena est omnis adhortatio à suspicione dominationis, quæ non domini ac præceptoris sed fratris animum spirat. Quare iam aliquoties fraternam hanc appellationem studiose adhortationibus suis immiscet.

AD id enitamini, inquit, ut prophetetis.] Non simpliciter dicit: prophetate, sed, ad id enitamini ut prophetetis. Studio linguis loquēdi tenebantur, monet igitur, ut id ad prophetandi facultatem conuertant. Sic quod initio cœpit, in fine conclusionis uice repetit. Dixit enim initio: æmulamini spiritualia, magis tamen ut prophetetis. Et: Volo autē omnes uos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. Iam concludens idem inculcat dicens: Proinde fratres æmulamini ut prophetetis, & loqui linguis ne uetueritis.

ET loqui linguis, inquit, ne uetueritis.] Quorsum istud? An non aliàs plus æquo dediti erant linguis? Timebat uidelicet, ne sic acciperent quæ scripsit, ut putarent in uniuersum abstinendum esse à linguis. Sane sic comparati sumus, ut de corrigēdis rerum abusibus admoniti, citius res ipsas abijciamus, quàm rectū illarum usum amplectamur.

1 Abusus sanè magnus est in Papatu, quod peregrina & exotica lingua psallunt in ecclesia. Hunc nonnulli sic abstulerunt, ut iam nullum prorsus habeant in ecclesijs suis psallendi usum, cum utiliter possent fideles lingua patria secundū Apostolicā institutionē psallere.

2 In Papatu nimia est ordini ministrorum permissa rerum ecclesiasticarum ac religionis potestas, unde in dominium inferendū exorbitarunt. Iam inuenias qui ministros ecclesiarum suarū in seruilissima mancipia redigant, sibique ipsi omnem in ecclesia potestatem uindicent. Vsqueadeo difficile est in medio ac recto consistere. Sic non abusus rerum corrigit, sed rectus usus prorsus è medio tollitur.

3 Excommunicatione iam sæculis aliquot uehementer abusi sunt pontifices. Id mali sic reiecimus, ut iam nullus nobis sit, imò, nec qđ peius est, esse possit rectæ ac legitimæ excommunicationis usus. Et uereor ne laterem nōnulli fratres lauent, qui in restituendo illo laborant. Verum hac de re suprà quædam in calce capitis quinti annotauimus.

Dicet hic è numero Romanistarum quisquam. Apostolus diserte præcipit, ne linguis loqui prohibeatur quisquam in ecclesia. Loqui linguis, inquit, ne uetueritis. Peccant igitur Euangelici, quod Latina lingua psallere in ecclesia uetant. Respondeo. Primum, distingue frater inter illos qui in ecclesia Corinthiorum linguis psallebant & loquebantur, & inter Romanistas tuos qui Latine psallunt & murmurant in ecclesia non Latina, sed Germana. Quod illi faciebant, erat ex dono spiritus miraculose concesso, & aliqua ex parte ad id faciebat, ut operatio spiritus Dei in ecclesia declararetur. Deinde psallebant non uentris, id est præbendæ ut uocant, & præsentiæ acquirendæ gratia. Romanistæ uero tui non ex dono spiritus, sed ex arte linguæ in scholis acquisita, Latine psallunt, cum Germanice melius sciant, nec hodie Latina lingua aliquo pacto ad declarandum spiritussancti operationem seruit, nec alio fine psallunt, quàm ut uentri consulant.

Præterea quod hic Apostolus dicit: & loqui linguis ne uetueritis, non est aliter, quàm secundum præcedentis institutionis præscriptum accipiendum, quo dixit. Quod si non sit interpres, taceat in ecclesia. Neque enim dissentit in conclusione ab eo quod in præmissis constituit. At tui Romanistæ ne cogitant quidem de adhibenda interpretatione. Quare nō potest quod faciunt hoc Apostoli loco defendi, ut omnium consultissime sit factum ab illis Germanis, qui Latinas psalmodias in Germanicas mutarunt, quorum exemplum utinā & aliæ nationes sequantur.

Quod si linguis delectantur Romanistæ, sequantur suos canones, quibus in cōcilio Viennensi, & postea Basiliensi constitutum est, ut propter intelligentiam sacrarum scripturarū & Iudæorum faciliorem conuersionem, professores Ebreæ, Chaldææ, Arabicæ & Græcæ linguæ alantur in scholis. Hoc genus exercitij quod utile poterat esse ecclesijs, iam olim neglexerunt, quod uero nonnisi superstitioni & saginandis ociosis uentribus seruit, fortiter retinuerunt. Verum redeamus ad textum huius capitis absoluendum.

Omnia, inquit, decēter & secundum ordinem fiant.

Quoniam monet, ut enitantur ad prophetandum, & ne linguis loqui uetēt, ne quid horum confuse & indecenter fiat, particulā hanc adie-

adiecit, qua quod suprà speciali modi & ordinis seruandi præscripto tã de linguis q̃ de prophetia expressit, generali summa cõplectitur.

OMNIA, inquit.] Intellige, de quibus hactenus, non hoc præsenti tantũ capite sed & præcedentibus disputauit. Vtpote de capitibus uirorum in ecclesia orantium ac prophetãtium nudandis, mulierum uero uelãdis, deq; cœna domini rite seruanda, de quibus cap. undecimo præcepit, postea de usu uariorum charismatum, præcipue linguarum & prophetiæ de quibus egit cap. 12.13. & hoc præsenti quartodecimo. Sunt quidem non hæc tantum, sed & cætera cuncta decenter & ordine obeunda in ecclesia, imò non in ecclesia tantum sed & domi ac foris. Verum Apostolus de illis intelligit hoc loco, quæ in ecclesijs à se institutis secundum ipsius erant præscriptum facienda. Refert plurimũ non modo quàm decenter & ordinate, sed & quid geratur in ecclesia. Quare non est uniuersalis uocula trahenda ad omnia quæ temere sunt in ecclesiam introducta. Neq; enim uult Apostolus ut omnia agantur in ecclesia, cum dicit: Omnia decenter & secũdum ordinem fiant, sed ut quę legitime ac necessario gerenda sunt in ecclesia, decẽter & ordine competenti gerantur.

OMNIA, inquit, decenter & secundum ordinem fiant.] Gręcè est εὐσχημόνως. Vulgata uersio habet, honeste. Honeste ac decenter aguntur, quæ secundum decorum tam personarũ agentium quàm rerum agendarum aguntur. **B** Habet unaquæq; ætas, quisq; sexus, quisq; status suum decorum. Aliud est iuniorum, aliud uirorum, aliud senum, aliud mulierum, aliud coniugatarũ, aliud uiduarum, aliud uirginum, aliud superioris, aliud inferioris ordinis hominum. Aliud porro decorum est rerum domesticarum, aliud publicarum, aliud lætarum, aliud tristium, aliud pacis, aliud belli, aliud politicorum, aliud ecclesiasticorum & ad religionem pertinentium. Qui itaq; & suæ personæ & eorum quæ agenda sunt πρέπον seruat, decẽter agit. Requirit hoc à fidelibus Apostolus, præsertim in ijs quę in ecclesia sunt obeunda. Quare ferre nõ potuit, ut uiri in ecclesia tectis & mulieres nudis capitibus orarent, nec permisit mulieribus loquendi in ecclesia potestatem, quod hæc decorum excederẽt, quemadmodum & id quod in cœna dominica alij esuriebant, alij ebrij erant, & suam quisq; cœnam non expectatis alijs præsumebat.

Deinde requirit, ut agãtur omnia secundũ ordinem, hoc est, ut nihil confuse & pro cuiusque temeritate. Quamuis autem generaliter loquitur, intelligit tamẽ specialiter de ordine seruando in linguis & prophetia quem suprà præscripsit, quemadmodum iam antea memini. Ordo, si tã facile posset in rebus & actibus humanis seruari, quàm facile est definire quid sit, multo minus esset dissidiorũ, cõfusionum, ac perturbationũ, essent omnia magis unita, certa, tranquilla ac firma.

A Ordo est, naturalis quædam rerum omnium series ac dispositio, per quam partes ad totius complementum uel perficiendum, uel seruandum, rite disponuntur. Et hęc dispositio admirabili sapientia Dei constat, qui omnia in numero pondere & mensura condidit, ac cõdita seruat. Per illã disposita sunt loca, summa, media, infima, uel, si mauis, cœlestia, terrestria, & inferna, tẽpora quoq;, prima, intermedia, nouissima, quibus omnium sęculorum ordo decurrit, res etiam cœlestes, terrestres & infernę, uices deniq; temporum ac rerum.

Ordo quid sit.

Ordinem hunc locorum, temporum, rerũ, ac uicissitudinis, qui cæteris sunt sapiẽtiores in rebus uel dicendis uel agendis studiose obseruant, unde ordinem habemus artificialem, qui nihil est aliud quàm imitatio quædam ordinis naturalis, qua curatur, ut quod primum est natura, uel dignitate, uel tempore, uel constitutione, uel necessitate, uel operatione, uel occasione, primo, & quod secundum secũdo, quod tertium tertio loco usurpetur. Et per huiusmodi ordinis obseruantiam primam fidẽ, reuerentiam, dilectionem, obedientiam, &c. tribuimus Deo, secundariam hominibus, & ipsam quoq; competenti ordine distributam, ea quæ spiritus sunt corporalibus, quæ cœlestia terrenis, quę sempiterna temporarijs, quę diuina humanis præponimus, res ecclesiasticas, politicas, domesticas & priuatas rite disponimus, & ubiq; confusionem ac disturbationem uitamus.

Ordine igitur aguntur omnia, quãdo nihil confuse, sed suis ac certis quæq; uicibus, nihil præpostere, sed quod prius prius, quod posterius posterius, nihil modis inconuenientibus, sed singula pro cuiusque conditione decenter aguntur. Quanta uero sit ordinis utilitas ac necessitas haud facile quisquam mente conceperit, nedum uerbis expresserit. Tolle ordinem, miscebis cœlum terra, dissolues uniuersam hanc cœli terræq; machinam ut res humanas taceam, quæ quo sunt imbecilliores, & organis imbecillioribus agunť, hoc magis opus habent ordine. In rebus tam dicẽdis quàm agendis iuuat ordo dicentis memoriam, & audientium intellectum, expedit operantium labores, & secundat operationũ effectus, ornat etiam ac uenusta reddit tam diuina quàm humana, rapit ad se spectantium oculos & mentes, quemadmodum de regina Saba 1. Reg. 20. legitur, quod cum inter cætera ordines ministrantiũ corã Salomone uidisset, obstupuerit.

Quare præter rationem nõ est, quod Apostolus pręcipit ut in ecclesia agãtur omnia decenter & ordine. Spectat enim tam honestatẽ rebus diuinis ac cœlestibus competentem, q̃ ædificationis utilitatem, saluti nostræ necessariam. Et reuera admodum est inconueniẽs & noxium, si in ecclesia, officina illa gratiæ ac gloriæ Dei, humanę deniq; salutis, quę diuinitus exercenda accepimus, citra ordinem agamus, cum ordinẽ amet ac constituerit Deus in omnibus,

nibus,& totus ille rerum, periturarum quoq;, cursus ordine pulcherrimo & cōstāti regatur.

Eccius in locis suis, titulo de traditionibus humanis, citat uerba hæc Apostoli, omnia honeste & secundum ordinem fiant, ut comprobet, traditiones episcoporum, quibus in immēsum aggrauata est ecclesia, & religionis nostræ puritas polluta, esse authenticas & cum conscientia obedientiæ seruandas, nisi uelimus honestatem & ordinem ecclesiæ dissipare. Verum non est præscriptum hoc Apostoli ad quasuis episcoporum traditiones referendum, sicut & antea monui, sed ad ea quæ ipse ecclesijs tradiderat. Neq; nos adeo insanimus, ut decorum & ordinē ex ecclesijs auferamus, sed ut potius utrunq; legitimum restituamus, idque non ad nostrum ipsorum arbitrium, sed ad sacrarum scripturarum præscriptū. Quare locum hunc Eccius inconsyderate aduersum nos adduxit.

Chrysostomus relicto Apostoli sensu expatiatur suo more ad philosophiam rectæ rationis, & concupiscentiæ carnis, ac multis exponit, quamque sit turpis ac noxia confusio, qua recta ratio loco suo deijcitur, & concupiscentia in sedē ipsius locatur, ut illa supremas, ista uero infimas habeat. Sane sic habet, uerum cōuenientius ac pertinentius fuisset exponere ordinem in ecclesia seruandum, ac seruire materiæ, qua de loquitur Apostolus.

CAPVT XV.



NOtum autē uobis facio, fratres, Euangelium quod euāgelizaui uobis quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

Manifestum est capitis huius argumētum. Resurrectionem mortuorum nonnulli apud Corinthios negabant. Huic malo fortiter occurrit, ne si moras nactum fuisset totam ecclesiam inficeret, & summam salutis nostræ subuerteret. Non excutimus, unde malum hoc in ecclesia illa pullularit, ex Saducęis ne uel philosophis, & quatenus resurrectionem, negauerint. Annotarunt hac de re alij. Simpliciter dicit Apostolus: Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidā inter uos, resurrectionem mortuorū non esse? Ex resurrectione Christi, & assertione, qua ex illa mortuos resurrecturos asserit, satis patet, negasse illos resurrectionem carnis.

Sunt autem capitis huius septem membra. Principio, reuocat illis in memoriam traditā à se Euāgelij doctrinam. Deinde, uelut obiter, commendat laborem & efficaciam Apostolatus sui. Tertio, ex resurrectione Christi refutat eos, qui resurrectionem mortuorū negabant. A Quarto, asserit resurrectionem mortuorū ex uirtute resurrectionis Christi. Quinto, contendit omnem esse pietatem frustraneam, si mortui non resurgant. Sexto, modum & ordinem, & gloriam resurrectionis futuræ ponit. Septimo, materiam hanc parænesi concludit.

NOTVM aūt uobis facio, fratres, inquit, Euāgeliū, &c.] Hoc primū est capitis huius mēbrū. Poterit autem quæri, quomodo se Euangeliū illis hoc scripto demum notum facere dicat, cum mox subiungat, quod euangelizaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis. Si iam antea prædicauerat illis Euangelium, & hoc illi acceperant, inq; eo stabant, quid est quod hic dicit: Notum uobis facio fratres Euangelium? quasi ad id usque temporis fuerit hoc illis incognitum? Si nondum cognouerāt, quomodo illud acceperant, & quomodo in eo stabant? Videntur ista haudquaquam cohærere. Aut cognouerant iam antea Euangelium, aut non cognouerant. Si cognouerant, frustra dicit se hoc illis facere notum. Neq; enim fieri potest, ut rem notam iam antea, notam facias. Si non cognouerant, neq; etiam acceperant, neque in eo stabant.

Expedita est quæstionis huius solutio in uerbo γνωρίζω, quod Chrysostomus exponit ad hunc modum. ὁ γνωρίζων, τὸ ἤδη γνωσθὲν εἶτα εἰς λήθην ἐμπεσὸν γνωρίζει, πάλιν εἰς μνήμην ἄγων, id est, γνωρίζων, id γνωρίζει quod cum antea cognitum fuerit obliuione excidit, dum id rursus ad memoriā reducit. B Ergo γνωρίζειν non est hoc loco simpliciter aliquid notum facere, sed rem antea notā, ubi obliuioni tradita est, ad memoriam reuocare. Cognouerant quidem Corinthij Euangelium ab Apostolo pręedicatum, uerum quoniā fidem resurrectionis Christi ex mortuis primarium illius caput obliuioni tradidisse uidebantur, dum resurrectionem mortuorū in dubium uocabant, dicit se illis in memoriam reuocare Euangelium quod ipsis prædicauerat, ipsi etiam acceperant, atque in illo dum stabant. Vtinam liceat hodie totum Christanum orbem ad Euangelium reuocare quod ab initio est per apostolos pręedicatum, & abducere ab omnibus additamentis, imò corruptelis, quę à spiritibus errorum habentur in ecclesia.

EVANGELIVM, inquit, quod euangelizaui uobis.] Vulgata habet, quod prædicaui uobis. Aptissime coniunxit Euangelium & uerbum euangelizandi. Multum refert, quàm cōuenienter prædicetur Euangelium, id est, bonum illud regni Dei ac ueræ salutis nuncium. Paucos inuenias qui ex animo ac sic pręedicēt, ut uere euangelizent. Est enim euangelizare rem lætam alacri & exultabundo spiritu, affectuque charitatis erga eos ardente, quibus illa nuncianda est, depręedicare, extollere, ac commendare. Quare qui non afficitur sensu gratię quam nunciat, nec appetēs est salutis eorum quibus illam nunciat, etiam si quod loquitur ipsum sit Euangelium, euangelizare tamen Euangelium dici non potest, quemadmodum ueraci-

ueraciter ille non cantat canticum, qui nõ corde sed uoce tantum cantat.

QVOD & accepiſtis, inquit.] Verbum accipiendi Latinis auribus aliud atq; aliud ſonat. Aliquando idem eſt quod audire, nonnũquam ſonat intelligere, eſt quando ſignificat rem auditam non modo audire & intelligere ſed & probare & amplecti. Verũ hoc loco poſteriori ſenſu accipiendum eſt, cui & Græca uox παρελάβετε competit. Neque enim Corinthios Apoſtolus Euangelium quod ipſis euãgelizauerat audiſſe tantum & intellexiſſe ſed & probaſſe & amplexos eſſe dicit. Probare autem & amplecti Euangelium nihil eſt aliud q̃ credere & credito ſeſe addicere.

Non eſt autem ocioſum quod nõ ſolum dicit, euangelizaſſe ſe illis Euangelium, ſed eos illud etiam credendo accepiſſe. Hinc enim magnæ leuitatis eos accuſat, qui tã cito ab ea doctrina deficiebant, quam non audierant tantũ ſed & approbarant & credendo acceperant. Quaſi dicat. Recogitate quid initio uobis prędicauerim, quam doctrinam ex me non audieritis tantum ſed & tanquam ueram amplexi ſitis, à qua ſi defeceritis, leuitatis uoſipſi damnabitis. Qui à iugo ſeruitutis quod ſemel ſubierunt, onere illius preſſi reſiliunt, habẽt quod prætexant, quid uero prætexent, qui ab Euãgelio deficiũt, quod antea nemine cogẽte ſed ſponte ſua acceperant.

IN quo & ſtatis, inquit.] Hoc eſt, in hunc uſq; diem perſeueratis. Ergo licet reſurrectionem mortuorum nonnulli ex ipſis negarent, ipſum tamen Euangelium adhuc profitebantur, inque illo ſtare uideri uolebant. Plus hinc roboris habiturum erat argumentum, quod paulo pòſt eſt cõtra negatores reſurrectionis illaturus. Non poterant dicere, accepimus quidem Euangelium quod nobis prædicaſti, uerum doctrina hac penitius introſpecta ſententiam mutauimus, quandoquidem in eo quod acceperant adhuc perſtabant. At hinc erat eos fortiter redarguturus. Quaſi dicat. Quid hoc rei eſt? Si falſum eſt quod uobis prædicaui, & uos accepiſtis, ut quid adhuc in eo ſtatis? Si uero nihil eſt in eo falſi, eamq; ob cauſam ad hũc uſq; diem in eo perſiſtitis, qua fronte nõnulli ex uobis reſurrectionem mortuorum negant, quam uobis in Chriſto domino prædicaui?

Videmus hoc exemplo nõ eſſe nouum, q̃d nonnulli ſic Euangelium accipiunt, inque eo publica profeſsione perſtant, ut tamen quę in illo minus ad ipſorum rhombum faciunt, & à ſapientia carnis diſcrepãt, non obſcure ſed palam reijcere non dubitent.

Chryſoſtomus quærit hic, quomodo dicat eos ſtare in Euangelio, qui nutabãt ac fluctuabant. Et reſpondet, quod ſimulet ſe ignorare illorum inconſtantiam, ideoque ſic ſcribat. Verum, meo iudicio, duplex modus eſt ſtandi in Euangelio, externæ profeſsionis unus, conſtantis fidei alter. De poſteriore non loquitur hoc loco ſed de priore. Quatenus nondũ Chriſtianę fidei profeſsionem abiecerant, ſed in ea perſeuerabant, hactenus eos in Euangelio ſtare dicit. De priore ſtãdi modo infrà cap. ſequẽti dicturus eſt: Vigilate & ſtate in fide. Et Eph. 6. induite uos armaturam Dei, ut poſsitis ſtare, &c. Sic eccleſiæ hodie in Euangelio Dei ſtare uident, è quibus tamẽ pars magna à ſyncera illius fide & obſeruãtia iã olim prolapſa iacet.

PER quod & ſalutẽ conſequimini, inquit.] Adiecit hanc particulam ad commendationẽ utilitatis, quam ex Euangelio conſequebãtur, admonens, quàm non temere in accepto illo ſtarent, quo magis eos perſtringat, qui primarium illius caput negare audebant.

Non eſt autem abſq; conditione accipiendum quod ſalutem eos per Euangelium conſequi dicit. Neq; enim ſeruantur per illud niſi credentes. Quare nõ eſt intelligendum de omnibus in uniuerſum. Erãt enim inter illos, qui ſeipſi ſalute hac reddebant indignos, quos ſuprà perſtrinxit dicens: An neſcitis quod iniuſti regnum Dei non poſsidebunt? Ne erretis: Neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulacrorũ, neq; adulteri, neq; molles, &c. regni Dei hæreditatem accipient. Cum hic dicit: per quod & ſalutem cõſequimini, idem eſt, atq;, per quod ſalutem conſequi poteſtis, intellige, ſi uos illi rite accommodaueritis. Vel, refer ad electos & uere credentes, qui ſane per Euangeliũ ſaluabantur. Perinde facit Apoſtolus, ac ſi medicus dicat ęgrotis: Recogitate, quam uobis initio medicinam tradiderim, qua & uſi eſtis, & in cuius uſu etiamnum perſeueratis, qua & ſanamini, ac iudicate quàm non ſit futurum è re ueſtra, ſi ab illa uos abduci permiſeritis.

Cogitet de eo lector, quod non in pręterito dixit, per quod & ſeruati eſtis, ſed in præſenti, σώζεσθε, id eſt, ſeruamini. Etenim licet morte Chriſti parta ſit nobis ſalus perfecta, eaq; per Euangelium annuncietur, & à credentibus appræhendatur, reipſa tamen nondum perfecte à nobis poſsidetur, donec in fide ac ſpe uerſamur, quare nondũ perfecte ſeruati ſumus, ſed ſeruamur quotidie, inſtar ægroti, qui donec eſt ſub cura medici, curatur ac ſanatur, cui curationis efficacia, qua ſe morti ereptum ſanari ſentit, perfectæ ſanitatis ſpem facit, eoq; mouet, ut è cura ſe medici haudquaquam ſubducat, nec quicquam contra illius præſcriptum faciat. Sic uidetur Apoſtolus Corinthios uerbo hoc, σώζεσθε admonere, ut in accepto ſalutis Euangelio perſeuerẽt, niſi cœptum in ipſis ſalutis opus irritum reddere, & perficiẽdi illius ſpem omnem amittere uelint. Quemadmodũ ægroto omnium eſt acceptiſsimum, ſi dicat medicus, bono eſto animo, ſanaris, ſic conuenit nobis quoq; nihil poſſe acceptius contingere quàm quod ſummi medici Chriſti Apoſtolus credentibus affirmat, quod per Euangelium à nobis acceptum ſeruemur.

QVO pacto annũciarim uobis, inquit.] Gręcè eſt, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν. Quod uerti poteſt, quo ſermone, quibus uerbis, qua doctrina euã-

na euangelizauerim uobis. Chrysostomus exponit, ποίῳ τρόπῳ εἶπον τὴν ἀνάστασιν γίνεσθαι, id est, quo modo resurrectionem futuram esse dixerim. Simplex est sensus. Reuoco uobis in memoriam fratres Euangelium quod uobis euãgelizaui, &c. quo uobis illud sermone euangelizauerim. Hoc enim erat de quo illos cõmonefacere uolebat. Quod Euangelium illis prędicauerat, nondum erãt obliti, uerum quoniã ex ipsis nonnulli resurrectionem mortuorum negabant, uidebantur obliti eorum, quae de illa ex ipso audierãt, ideoque parum memores quo sermone, qua doctrina, & quibus capitibus Euangelium ipsis praedicasset.

Accidit hoc frequenter, ut licet in genere summam eorum quę audiuimus retineamus, in partibus tamen, unde totum cõstat, memoria retinendis deficiamus, atq; ita paulatim eò prolabamur, ut uel ea quorum obliti sumus negemus, uel contraria asseramus, per quae ueritas totius subuertit. In genere fatemur omnes esse Christum nostrum redemptorẽ, perq; corporis illius oblationem cõstare nobis peccatorum remissionem & ueram salutem. Verum dum aduersarij de circumstantijs huius summae in scriptura traditis non cogitant, inducunt oblationem missae suae, eique uirtutẽ tribuunt, qua pro peccatis uiuorũ ac mortuorum placetur Deus, atque ita quod in genere nobiscum fatentur in specie subuertunt. Tale quid accidebat & Corinthijs, resurrectionem mortuorum negantibus, primariam uidelicet eius Euangelij partem, quod acceperant & in quo stabant.

SI tenetis, inquit, nisi frustra credidistis.] Ambrosius legit, debetis tenere. Apparet illũ, pro εἰ κατέχετε, legisse δεῖ κατέχειν uel, ἔδει κατέχειν, id est, oportet tenere, uel, oportebat tenere. Vulgata tamen habet, si tenetis. Commodius uideretur si legamus ὃν κατέχετε, id est, quem tenetis ut referatur ad proxime pręcedens, τίνι λόγῳ, id est, quo sermone euangelizauerim uobis, & sequatur, quem, uidelicet sermonem, tenetis, nisi frustra credidistis. Verum non est discedẽdum à lectione recepta, nisi de errore manifesto constet. Quicquid sit, appellat ipsorum cõscientiam, cui adhuc in memoria hęreat, quomodo praedicauerit ipsis Euangelium, nisi sic obiter ac supremis, ut aiunt, digitis sermonem Euangelij receperint, ut quae audierant leui postea momento obliuioni dederint. Et hoc est, quod dicit: nisi frustra credidistis. Frustra credit, qui quod fide recipit non retinet in corde, sed per obliuionẽ amittit, quemadmodũ tellus frustra accipit semẽ, quod receptũ mox proculcatur, uel à uolucribus aufertur, uel spinis suffocatur, uel ęstu Solis ubi natum est cõburitur, ut est in parabola Euangelica.

Non est autem diuexãdum, quod dicit: nisi frustra credidistis. Non loquitur de uera illa fide quę electorum est & neq; inanis neq; irrita reddi potest, sed simpliciter & communi modo de assensu quo initio Euangelium acceperant, cuius & meminit dicens: quod & accepistis. Electi non credunt frustra, quia uerbum fidei retinent corde bono, & ferunt fructum cum patientia. Reprobi uero non credunt salubriter & efficaciter, quia uerbũ non retinent in corde, neq; fructus adferunt nouae uitę. Credunt igitur frustra, quia in ueritate nõ permanent, sed in omnis generis errores exorbitant.

Tradidi enim uobis in primis quod & acceperam, quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundũ scripturas, & quod sepultus fuerit, & quod resurrexerit tertio die secũdum scripturas, & quod uisus sit Cephę, deinde duodecim illis, postea uisus sit plus ꝙ quingẽtis fratribus simul, ex quibus plures manent ad hunc usq; diem, quidam autẽ & obdormierunt. Deinde uisus sit Iacobo, post apostolis omnibus. Postremo uero omniũ uelut abortiuo uisus sit & mihi.

Rememorat expresse, quo nam sermone praedicauerit ipsis Euangelium. Poterat haud necessariũ uideri ut capita illa rememoraret, in quibus potissimum summa Euangelij constat, quod illos accepisse, inq; eo stare dixit, si constanter in illis perstitissent. Verum quoniã à fide resurrectionis deficere cœperãt, refricat illa propter articulũ à mortuis resuscitati Christi, ut & illũ confirmet, & ex illo futurae resurrectiõis argumentũ omniũ firmissimũ ducat.

TRADIDI enim uobis in primis quod & acceperã, inquit.] Non simpliciter dicit: Tradidi uobis, sed addit, in primis, deinde quod & acceperã, quę utraque non carent emphasi. Cum dicit: Tradidi uobis in primis, significat prima Euangelij capita esse de morte ac resurrectione Christi, deinde hęc se illis mox initio praedicasse, & quasi fundamenti loco futuro aedificio praeiecisse. Dubio ꝓcul haud de hisce tantum capitibus praedicauit Gentibus eidololatris, quibus opus erat ante omnia, ut ab errore τῆς πολυθεΐας per doctrinam unius ueri Dei abducerentur, uerum id genus doctrinae, quoniam & Iudaeis à Christo alienis usitatum est, non est ex ijs capitibus quae proprie Euangelium Christi concernũt, quare se in primis de morte & resurrectione Christi praedicasse cõmemorat, quandoquidem de Euangelio à se praedicato loquitur, atque ita accommodat se causae quam agit.

Interea diligenter obseruãdum est, quo debeat nobis esse loco doctrina de morte ac resurrectione Christi. Primario uidelicet, ideoq; curandum, ut ecclesiae in primis tradatur. In illis nanq; situs est thesaurus gratiae Dei ac salutis nostrae. Deinde cum dicit: quod & acceperam, significat se non tradidisse ipsis nisi qđ sibi traditũ esset, à domino uidelicet. Neq; enim acceperat Euangelium suum ab ullo homine, sed ab ipso domino. Sic Galat. 1. dicit: Notum uobis facio fratres, Euãgelium quod euange-

euangelizatum est à me, non esse secundũ hominem. Neq; enim ego ab homine illud accepi, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. De illa autem uidere est in Actis. Quemadmodum igitur suprà cap. undecimo cum abusum cœnæ dominicæ corrigere uolens traditam sibi à domino institutionem authoritatis loco induxit, eamq; se ipsis tradidisse commemorauit dicens: Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis, ita & hic, uolens secundum normam Euangelij errorem eorum corrigere, qui resurrectionem mortuorum negabat, authoritatẽ diuinæ traditionis proponit, ad cuius præscriptũ Euãgeliũ ipsis tradiderit.

Sit igitur hæc norma corrigendi doctrinã ecclesiæ ut quæ posterius illi sunt proposita, uel magis etiã obtrusa, conferamus cum Euãgelio, quod apostoli à domino acceptum in primis tradiderunt ac prædicarũt in orbe. Etenim ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum & uerum, quod sit prius apostolis à domino, & orbi ab apostolis fideliter traditũ, id autẽ falsum & adulterinũ, quod posterius introductum & immissum ad quemcunq; tãdem referatur authorem.

QVOD Christus mortuus fuerit, inquit, pro peccatis nostris, secũdum scripturas, & quod sepultus fuerit, & quod resurrexerit tertio die secundum scripturas.] Hic est ille sermo, quo se Corinthijs Euangeliũ tradidisse dicit: Christum uidelicet mortuũ fuisse pro peccatis nostris, sepultumq;, ac tertio die à mortuis resurrexisse. Breui summa complexus est res magnas, de quibus dubio procul copiose ac multis sæpenumero disseruit, uideamus igitur singula. 1 Principio, nõ dicit: quod Iesus Nazarenus, sed quod Christus mortuus fuerit. Prędicauit nõ simpliciter hominis Iesu Nazareni, sed Christi mortem. Hic erat exponendum, quicquid oracula diuina de ꝓmisso Messiah, id est, Christo habẽt. Erat declaranda illius tãquam unigeniti Dei diuinitas, erat exponendum illius regnum ac sacerdotium, erat aduẽtus illius, præsertim Iudæis, testificandus, erat comprobandum Iesum Nazarenum, à Iudæis crucifixum, esse hũc Christum, deinde mortis illius ratio & utilitas explicanda, ubi necesse erat, ut de cõmuni totius generis humani corruptione conscientias mortalium cõuinceret, & quæ alia huic sunt causę annexa, de quibus omnibus in epistolis ipsius, præsertim ea quę ad Romanos est, uidere licet, ubi summæ Euãgelij, quã hic ponit, partes fusius explicantur.

Cum itaq; dicit: Quod Christus mortuus fuerit, idẽ est ac si dicat quod unigenitus Dei, uerbum incarnatũ, uerus Deus & homo, rex & sacerdos noster, unctus à Deo patre dominus mediator ac redemptor noster mortuus fuerit. Sunt enim hæc prædicata, quibus persona Christi describitur, de his nobis cogitãdũ est, quoties de morte domini admonemur.

2 QVOD Christus, inquit, mortuus fuerit.] Secundo loco quærendum est, quare non di- A cat, quod Christus crucifixus fuerit, cum sit aliàs frequens in commẽdatione crucis Christi, sed, quod Christus mortuus fuerit. In prõptu causa est, quia argumẽtum struit, unde resurrectionem mortuorum asserat. Ideo conuenientius erat, ut Christum mortuũ quàm crucifixum fuisse diceret. Etenim uis argumenti non est tã in genere mortis, quàm in ipsa mortis ueritate, unde resurrectionis erat comprobanda ueritas.

3 PRO peccatis nostris, inquit.] Tertio, expressit hac particula rationem mortis Christi & redemptionis nostræ utilitatẽ propter quã annunciandam missi sunt in orbem apostoli. Cum enim dicit Christum mortuum esse pro peccatis nostris, significat mortẽ illius ad hoc fuisse diuinitus destinatam, ut à cõdemnatione mortis æternæ cui propter peccata nostra eramus obnoxij, ueluti redemptionis precio dato liberaremur, & omnis illa Satanæ potestas, cui subiecti eramus, destrueretur. Sic Ebr. 2. dicit: Quia pueri communicauerũt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, ut per mortẽ destrueret eũ qui habebat mortis imperium, id est, diabolũ, & liberaret eos qui timore mortis per omnem uitã obnoxij erant seruituti. Ergo ut condẽnationi ac morti æternæ propter peccata nostra iusto sumus iudicio Dei obnoxij, ita sumus propter peccatorum nostrorum remissionem morte Christi partam æternæ uitę per gratiã Dei participes.

B Si quæris quomodo à reatu peccatorũ nostrorum liberemur, parata responsio est: Christum esse mortuũ pro peccatis nostris. Mors autem eius uel est efficax uel inefficax. Si efficax, liberati per illam sumus à peccatis. Ergo remissio peccatorum est per mortem Christi. Si inefficax, ergo inane fuit consilium Dei & sumus adhuc peccatis & morti æternæ obnoxij. Sed absit, ut sanguis unigeniti Dei frustra sit effusus in cruce, & plus possit peccatũ hominis ad condemnationem quàm sanguis filij Dei ad redemptionem. Vnica igitur hæc particula, Christus mortuus est ꝓ peccatis nostris, primum arguit nos peccati & meritæ cõdemnationis, deinde reprobat omnia merita, opera, satisfactiones & expiationes omnium gentium & populorum, quibus sibi persuadent, placari ac reconciliari Deum, uel iusticię illius satisfieri. Etenim si his medijs fieri potest, ut uel nõ fiat reus peccati homo, uel si fiat à reatu peccati liberetur, frustra omnino est Christus pro peccatis nostris mortuus.

Consequitur & illud, fieri non posse, ut ullo genere doctrinę seruemur, ne uel peccemus uel in peccatis pereamus. Aliàs consultũ fuisset mũdo si non per patriarchas Mosen & prophetas, certe per Christum tanquam doctorẽ ueritatis. Verum ne Christus quidem docẽdo Seruator noster est factus, sed pro peccatis nostris moriendo. Aliàs quorsum opus erat mortem pro nobis subire, si luce doctrinæ opus salutis nostrę perfici potuisset?

Dicis: Quid ergo est quod iam primum de Euangelio à se prędicato dixit: per quod & saluamini? Respondeo. Non seruat nos Euangeliū, sed mors Christi, qua pro peccatis nostris satisfactum est in cruce. At salutis huius non reddimur participes, nisi credendo in sanguinem mortui pro nobis Christi. Vt autem credamus missum est Euangelium in mundum, per quod gratia hæc salutis nostræ per mortē Christi partæ prædicaretur. Et hactenus uerū est quod suprà capite 1. dixit: placuit Deo per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. Et suprà: per quod & saluamini. Omnis tamen salutis nostræ cardo uertitur in hoc uno, quod unigenitus Dei Christus ꝓ peccatis nostris est mortuus. In hoc credētes iustificamur, Deo reconciliamur, in filios Dei adoptamur, & in sempiternum seruamur.

4 SECVNDVM scripturas, inquit.] Quarto, quo fidem faciat Euangelio suo, quod Christus non sit temere humana aliqua uoluntate, cui resistere nequiuerit, sed secundum propositū Dei mortuus in cruce, dicit eum mortuū esse pro peccatis nostris secundum scripturas. Intelligit autē non Noui, cuius tum forte nullæ adhuc erant, sed Veteris testamenti scripturas in quibus oracula Dei uaticinia ꝓphetarū & præcedentes figuræ tanq̃ umbrę, moriturū pro nobis Christum ante multa sæcula & prędixerunt & præmonstrarunt. Quanti autē faciendum sit S. scripturarū de Christo testimoniū, non solum per apostolos & Euangelistas sed & ipsius ore Christi admonemur. Scrutamini, inquit scripturas, &c. & illæ sunt, quę testificantur de me. Iohan. 5. Et Lucæ 24. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriā suam? Et incipiens à Mose & ab omnibus prophetis interpretabať illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et. Hæc sunt uerba, inquit, quæ loquutus sum uobis, cum adhuc essem uobiscum, quod necesse esset impleri omnia, quę scripta sunt in lege Mosi, & prophetis & Psalmis de me. Tūc aperuit illis sensum, ut intelligerēt scripturas. Et dixit eis. Quoniā sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remisionē peccatorum in omnes Gentes.

Scripturæ autem de morte Christi prædicētes facile possunt ex Euangelistarū & apostolorum scriptis colligi. Ex his illustriores sunt prophetiæ Esa. 53. Dan. 9. Psal. 22. Figuræ sunt, in agno Pascatis Exo. 12. in immolatione Isaac Gen. 22. in uacca rufa pro peccatis secundū legem oblata Num. 19. & in exaltatione serpentis ænei Num. 21. & Iohan. 3.

Non est uero ut dicat quisquam: Quorsum opus est scripturis ad probandum rem omnibus Iudæis & Gentibus manifestam, quā nemo negat? Etenim mortuum esse Christum in cruce sciunt & Iudæi & Romani, à quibus est utrisq; crucifixus. Iesum Nazarenum esse mortuum in cruce non negant Iudæi, imò hinc argutantur, non esse eum Christum, quod in cruce mortuus est, cum de Christo testentur scripturæ, quod maneat in æternum, id quod & ipsi Christo Iohan. 12. obiecisse leguntur, dicētes: Nos audiuimus ex lege, quod Christꝰ maneat in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? de quibus uerbis uide in Commen. nostris super Iohan. Gentes, pręcipue Romani, facile agnouerūt crucifixū esse Iesum Nazarenum regem Iudęorū. At Christum, unigenitum Dei, Seruatorē mūdi, pro peccatis totius mundi esse mortuum, mysterium est absconditum à mundo quod nec Iudæi nec Gentes compræhendunt, quia ratione nō possunt, & fide nolunt. Quare magna ratione factum est à spiritu sancto primū, quod in scripturis propheticis de morte Christi prędictū est, deinde, quod & Christus & Apostoli scripturas huc citarunt, quo conscientiæ fidelium in fide mysterij huius confirmentur, quod Iudæis est offendiculum, Græcis uero & sapientibus huius mundi stulticia.

5 ET quod sepultus fuerit, inquit.] Quinto usq; adeo non pudebat Apostolum prædicare mortuum Christum, ut & sepultū prædicare non dubitaret. Fecit hoc magna ratione. Etenim sepultura Christi nō modo seruit ueritati mortis illius, sed & ad maiorē facit resurrectionis illius gloriam & uirtutem. Detestabilis est Manichęorum uesania, qui Christū uere secundum carnē fuisse mortuum negarunt. Contra hanc muniēda est fides nostra primū sacris ꝓphetarum scripturis, deinde nō modo mortis sed & sepulturæ Christi historia, quæ ob id etiam non est clanculū ac furtim ab ipsis apostolis sed cum conscientia & permissu Pilati, postq̃ de morte illius cōstitit, à uiris honestis, senatoribus, ac fide dignis, Iosepho ab Arimathia & Nicodemo, officioso & honesto sepeliēdi modo facta, ne qua dubitādi relinqueretur occasio. Scriptura uero, in qua de sepultura illius prædictum est, habetur Psalmo sextodecimo, & citať ab Apostolo Petro in Actis cap. 2.

ET quod resurrexerit tertio die, inqt, secundū scripturas.] 6 Sexto. Hoc faciebat ad propositum. Hinc enim erat argumentū inducturus contra eos, qui resurrectionē mortuorum in ecclesia Corinthiorū negare cœperāt, sicut in sequēti disputatione uidebimꝰ, ubi etiā de utilitate resurrectionis Christi admonebimur.

Quod autē nō simpliciter dicit: & quod resurrexerit, sed addit, tertio die, admonet nos de consilio Dei, quo filium suum nō mox illo die quo mortuus erat ac sepultus sed tertio demum è monumento resurgere uoluit. Quod non uoluit ut de cruce uiuus descenderet, uel statim depositus reuiuisceret, uel post unā & alteram sepulturæ horam resurgeret, sed tertio demū die è monumento rediuiuus prodiret, totū ad hoc faciebat, ut luculētior esset resurre-

surrectionis illius uirtus, & plus haberet momenti ad confirmandam futuræ resurrectionis fidem. Tertius siquidē sepulturæ dies non modo ueræ mortis certitudinē, sed & graueolentis putrefactionis principium habet sicut in historia Lazari memorat, quæ tamē in Christo iuxta Psal. 16. locum habere non potuit.

Plausibilis quidem est eorum cogitatio, qui totius mundi spacium inde ab initio ad finem usq; sex annorū millenarijs sic cōpræhendūt, ut duo millia assignent inani, quod fuit ante legem, duo millia legi, duo millia Christo, idq; sex diebus creationis præfiguratum fuisse uolunt, ita ut quisq; ex illis mille annos præsignarit. Hi per biduum quo Christus in sepulcro fuit, annos bis mille Noui testamenti, & per principium tertij diei, in quo resurrexit, tempus futuræ resurrectionis futuriq; sæculi principium significari, atq; ita post finem sexti millenarij in principio septimi Christū denuo appariturum mundo, & nouū sæculum inchoaturum sentiunt. Verum quoniam nostrum nō est indagare tempora & momenta futuræ resurrectionis, satius est, ut illa domino cōmendantes indesinenter uigilemus, ne ex improuiso per aduentum iusti iudicis dormitantes, & imparati obruamur.

SECVNDVM scripturas, inquit.] Existimo hoc non solum ad resurrectionem, sed & ad sepulturam esse referendum, ut cōiunctim legamus, & quod sepultus fuerit, & quod resurrexerit tertio die secundum scripturas. Scriptura autem de resurrectione habetur Psalmo 16. & in figura Ionæ prophetæ, cuius Christus ipse meminit Matthæi 12. dicens: Sicut Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

ET quod uisus sit Cephæ, inquit.] Alia ratio est cōprobandæ resurrectionis quàm mortis & sepulturæ Christi, quæ non modo scripturis, sed & ipso manifesto facto comprobātur. Mors & sepultura illius non egent testificatione, qua mortuus & sepultus comprobetur, sed satis testimonij habent ex scripturis propheticis, quod sic Christum mori ac sepeliri oportuerit. Resurrectionis uero comprobatio non pendet à solis scripturis quibus prædictum sit, resurrecturum à mortuis Christū, sed requiritur, ut resurrexisse comprobetur. Neque enim manifesta fuit omnibus illius resurrectio, sed paucis tantum quos habuit discipulos ac fideles. Quare de morte ac sepultura illius non adduxit testes, quibus sit in cruce mori, ac postea sepeliri uisus, adduxit uero quibus post resurrectionem rediuiuus apparuerit. Poterat enim obijci, etsi scripturæ de Christo prædixerint, quod sit à mortuis resurrecturus, haud tamen cōstare, quod Iesus iste à mortuis resurrexerit, ut inde Christum eum esse, ac scripturas ad ipsum pertinere comprobetur. Citat itaque testes resurrectionis eius, dicens:

A ET quod uisus sit Cephæ, &c.] Sex uisiones rediuiui ex mortuis Christi recitat, non q, non sit sæpius post resurrectionem uisus, sed quod hæ ad faciendam resurrectionis fidem sufficiant. Cum primis uisus erat Mariæ Magdalenæ ac reliquis mulierculis, eas tamen apparitiones non citat, ne testimonio muliercularum in causa tam magna niti uideatur. Quare non dicit: & quod nunciatum sit Cephæ à mulieribus, quod resurrexerit, sicuti mandatum fuerat ab angelo: Ite & dicite Petro, &c. neque memorat uacuum esse sepulcrum à Petro uisum, sed quod certius est, quod ipse dominus uisus sit Petro. In historijs quatuor Euangelistarum septem apparitiones domini, quibus post resurrectionem fidelibus suis apparuit, recitantur, quarum prima facta est mulieribus à uisitatione sepulcri in urbē redeuntibus: secunda Mariæ Magdalenæ separatim in ipso loco sepulcri: tertia Petro, qua de Lucæ ultimo, cuius hic ab Apostolo fit mentio: quarta duobus discipulis euntibus in Emaus: quinta decem apostolis, Thoma absente. Et hæ apparitiones factæ sunt in ipso resurrectionis die. Sexta undecim apostolis, Thoma uidelicet præsente: septima, ad lacum Tiberiadis piscantibus Petro, Thomæ, Nathanaëli, filijs Zebedæi, & duobus alijs discipulis. His apparitionibus potest adijci octaua, quæ in ipso est ascensionis die facta, qua de Act. 1. legitur. Nō quod illa sit numero octaua, cum quædam hic B à Paulo recitatæ, & multæ aliæ non scriptæ, pcesserint, quibus suis dominus per dies quadraginta loquens de regno Dei, cum in Iudæa tum in Galilæa frequenter apparuit, sed quod ex ijs quæ ab Euangelistis conscriptæ sunt, octaua reperiatur.

Quod autem Apostolus eam quæ Petro cōtigit, primo loco recitat, propterea factum est, quod illa ex ijs quæ post mulieres factæ sunt uiris discipulis & apostolis prima fuit, quod nō caret ratione. Volebat enim hoc pacto dominus tristissimum Apostoli sui animum singulari studio erigere, ne se propter trinam negationem neglectum iri iudicaret.

Cogitet autem hic pius lector, quantus sit Apostolici pectoris candor. Quamuis uidisset Petrum cum nonnullis alijs haud recto pede ingredi ad ueritatem Euangelij, ideoq; illum coram omnibus repræhendisset. Gal. 2. deinde nomine & existimatione illius nonnullos contra synceram Euangelij doctrinam, & contrà se abuti cerneret, haud tamen dissimulauit hanc illius gloriam, sed candide primo loco memorauit, quod uisus sit illi dominus. Faciebat enim hoc ad gloriā Christi, & resurrectionis illius confirmationem.

DEINDE, inquit, duodecim illis.] Vulgata habet, & post hoc undecim. Sic legit & Ambros. & sic habēt Cōmentarij Hiero. adscripti. Verū Græca cōstāter habēt duodecim. Sed ibi quærit, quomodo uisus sit duodecim, cum Iudah è medio sublato, essent dūtaxat undecim,

 donec

donec accederet Mathias, qui autē post ascensionem demū in locum Iudæ electus numerū duodenariū denuo cōpleuit. Chrysost. sentit hanc uisionē demum esse post ascensionē factam, idq; in gratiam Mathiæ duodecimi apostoli. Mihi uero non apparet necessarium esse, ut sic sentiamus. Primū enim Mathias ille iam antea uiderat dominum rediuiuum ex mortuis, ut non esset illi opus separata post ascensionem uisione. Sic enim habent uerba Petri Act. 1. Oportet igitur ut ex ijs uiris qui nobiscum uersati sunt toto tempore, quo dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscū, exorsus à baptismo Ioannis ad eum usq; diem, quo receptus est à nobis, unus quispiam constituatur, qui sit unà nobiscum testis resurrectionis eius. Et statuerūt duos, Iosephū, qui uocat Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Mathiam, &c. Ob eam itaq; causam electus fuit Mathias, quod assiduus fuerat sectator Christi, & in comitatu illius persistens uiderat ipsum etiam post resurrectionem cum alijs discipulis & apostolis, usq; ad diem ascensionis, quo cum ipsis esset testis resurrectionis eius. Quare non erat ratio ut singulari uisione post ascensionem demum de resurrectione domini instrueretur. Deinde, non est præter morē receptum, ut uel undecim apostoli, uel decem uel nouem propter numerū duodenariū, quo fuerant initio electi à domino, duodecim uocentur. Cum Romæ olim, & hodie quoque in nonnullis Imp. ciuitatibus, tredecemuiri conuenirent, nemo ita ineptus erat, ut cum diceretur, conuenisse tredecemuiros, recte id dici negaret, si unus & alter defuisset. Sunt hęc minuta quidem, uerum ad hoc facientia, ut lectio Græca non ita facile reprobanda uideatur.

POSTEA, inquit, uisus sit plus q̄ quingentis fratribus simul.] Voces istæ ἔπειτα, quas repetit, & ἔσχατον, nō sic sunt accipiendæ, quasi ordinem apparitionum Christi constanter exprimant, sed simpliciter illis usus est Apostolus, memorans uisiones quasdam dñi, quemadmodum scribenti occurrebant. Apparet autem uisionem hanc factā esse in Galilæa. Nam illò discipulos & fideles suos colligi post resurrectionem uoluit. Sic dicebant angeli: Pręcedet uos in Galilæā, ibi eum uidebitis. Chrysostomus aliorum sententias adfert. Quidam, inquit, illud ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς, idem esse uolunt, quod ἄνω ἐκ τῶν οὐρανῶν, id est, superne ex cœlis, quasi non in terra ingrediens illis, sed in aëre supra capita ipsorum apparuerit, ut non modo resurrectioni suæ, sed & ascensioni fidē faceret. Quidam uero idem esse uolunt, quod pluribus quàm quingētis fratribus. Et hic posterior sensus recte est ab interpretibus redditus. De hac uisione nulla est mētio in reliquis scripturis. Quare Ambrosius hic annotat, dicere hoc Apostolum sua fide.

Puto autem uisionem hāc factam esse cum in unum esset multitudo illa quingentorum fidelium congregata. Non enim simpliciter dicit: postea uisus est plus quàm quingentis fratribus, sed addit ἐφάπαξ, id est simul, uel semel, Germanice, vff ein mal, una uidelicet uisione. Sic animatus est dominus, ut procliuis sit ad inuisendum eos qui suo nomine congregant.

EX quibus plures, inquit, manent ad hunc usque diem.] Memorat hoc, quo plus fidei dictis suis conciliet. Apparet autem epistolam hanc diu esse post dominicam resurrectionem scriptam. Alioqui non fuisset ratio commemorandi, quod ad eum usque diem quo hæc scribebat, plures adhuc de quingentis illis fratribus superessent. Poterat dicere, ex quibus multi sunt qui hac de re testari possunt. Verū quoniam multum temporis effluxerat, utitur uerbo manendi dicens: Ex quibus plures manēt ad hunc usque diem. Non est autem sine singulari consilio Dei factum, quod plures ex testibus resurrectionis Christi in multos annos perdurarunt in hac uita, quo uidelicet ad confirmationem credentium diutius de apparitionibus Christi testarentur.

QVIDAM autem & obdormierūt, inquit.] Quoniam non poterat dicere quingentos illos adhuc superesse omnes, posseque de apparitione domini testari, ideoq; dixit, ex quibus plures manent ad hunc usq; diem, consequēs erat nonnullos ex illis uel à fide Christi defecisse, uel in domino obdormiuisse.

Vide autem q̄ competenter usurparit uerbum obdormiscendi, in materia hac qua de resurrectione mortuorum est disputaturus. Significat enim mortem corporis non esse mortem, sed obdormitionem, propter futurā scilicet resurrectionem. Sic usus est conuenienter hoc uerbo & Matthæus cap. 27. dicens: Multa corpora eorum sanctorum qui obdormierant surrexerunt. Quemadmodū & Christus Ioan. 11. de Lazaro mortuo, quē die quarto excitaturus erat: Lazarus, inqt, amicus noster dormit.

DEINDE, uisus sit, inquit, Iacobo.] Cum duo fuerint Iacobi inter apostolos, Zebedæi unus, frater Ioannis, & Alphæi alter, & præterea adijciant tertium, cognomento Iustum, quem uocant fratrem domini, eò quod sit filius Mariæ, sororis matris domini, & constituunt episcopum Hierosolymorū, incertū est quem ex his intelligat hic Apostolus. Chrysostomus exponit de tertio. Nec de hac uisione quicquam habent Euangelistę, quare & illam sua fide posuit.

POST, inquit, apostolis omnibus.] Cum suprà dixerit, dominum uisum esse duodecim, utiq; apostolis, consequens est, ut cum hic dicit, pòst, apostolis omnibus, non esse de duodecim tantū intelligendū. Ergo pręter illos & alij fuerunt apostoli. Apparet intelligendū esse de septuaginta discipulis, quos dominus elegisse, binosq; ac binos ante faciē suam misisse legitur, ob quam causam recte & ipsi uocari possunt apostoli, id est missi. *Lucæ 10.*

Non est aūt pręter rationem factum à domino, quod se post resurrectionem manifestauit haud

haud solum duodecim selectioribus apostolis sed & reliquis, quos ad hoc delegerat, ut & ipsi de se testificarentur in mundo & Euangelium regni prædicarent. Horum omnium fidē non uoluit constare aliorum relatu sed certitudine uisus, quo possent ueraciter dicere, q͂d uidimus testamur.

Alia est certitudo fidei, quæ est ex auditu, per operationem spiritussancti & alia quæ est ex ipso rerum gestarum ac prædicendarum uisu. Prior satisfacit simpliciter credentibus, posterior requiritur in illis, qui ad hoc erant destinati, ut de morte, sepultura, resurrectione, et reliquis gestis domini testificarentur in mundo. Quare conueniebat, ut non duodecim tantum sed & reliqui discipuli testes domini futuri de resurrectione illius nō crederent alijs, sed ipso domino uiso certam illius caperent experiētiam possentq; dicere, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ cōtrectauerūt, annūciamus uobis.

POSTREMO uero omnium, inquit, uelut abortiuo, uisus sit & mihi.] Ne dicat quisq͂. Citas alios, qui dominum post resurrectionē uiderint, deq; illa testari queant. Quid hoc ad te, qui perinde te atque illos uis haberi Apostolum cum dominum non uideris? tādem se quoq; illis cōnumerat, qui non ex aliorum relatu resurrectionem Christi prædicent, sed ex certitudine uisus de illa testificentur. Prædicaui uobis, inquit, resurrexisse Christum ex mortuis, citaui'q; huius rei testes eos uidelicet qui αὐτόπται fuerunt, non alios tantum sed & meipsum, qui ipse quoq; dominum uidi. Quando autem uiderit illum, suprà annotauimus initio capitis noni, ubi dicit: An non sum Apostolus? An non sum liber? An non Iesum Christū dominum nostrum uidi?

POSTREMO uero omnium, inquit, uisus est & mihi.] Intellige post eos omnes, quos recensuit, quibus uisus est dominus post resurrectionem, ut de illa certo testificari possent. Nam ipse dominum haud cum illis ante sed aliquanto post ascēsionem uidit. Aliàs, dubio procul, etiam post Paulum nonnullis alijs apparuit dominus.

Magnæ autē modestiæ & humilitatis est, quod non simpliciter dicit, tādem uisus est & mihi, sed: Postremo omnium uelut abortiuo, uisus est & mihi. Vocat se non abortiuum, sed uelut abortiuum, id est, abortiuo aliqua ratione similem. Abortiuus fœtus est, qui non iusto ac maturo partu nascitur, sed nondum maturus, nondum ad consuetum usque tempus rite fotus & iustis incremētis auctus modis insolitis ac uiolētis utero materno eijcitur. Grȩci uocant abortiuum ἔκτρωμα quasi uulnere accepto læsum ἀπὸ τοῦ ἐκτιτρώσκω, id est, uulnerando ac lȩdendo eijcio. Significat eiusmodi se fuisse abortiuo similem, propterea quod post aliorū apostolorū omnium partum, quos gratia diuinæ prouidentiæ in Christo conceperat, iustis diuinæ institutionis incrementis uelut in utero finxerat & ad iustum partum prouexerat, ipse quasi simul conceptus & utero eiectus in itinere Damasceno cœlitus prostratus, uocatus, & in Apostolatū emissus fuit. Solent eiusmodi abortiones accidere postremis fœtibus. Huc alludit cum sibi dominum postremo omnium uelut abortiuo fuisse uisum dicit.

Interea tamen cum se similē facit abortiuo respectu præcedentium apostolorum, unà cū illis eiusdem se uteri, id est, gratiȩ Dei unde nati sunt apostoli fœtum esse significat, quemadmodum abortiuus & immaturus infans eodē patre utero & sanguine prouenit, unde præcedentes ipsum pueri sunt prognati. Sic omnino hic Apostolus licet postremus sit ac subito insolitoq; modo productus à Christo, eundem tamē habet conuersionis suæ & Apostolatus authorem, quem habēt Petrus, Iacobus, Iohannes, & cæteri omnes.

Sunt qui synagogam Israëlis uterum constituant unde nati sunt apostoli, & Paulus hic uelut abortiuus eiectus. Verum hanc illorum sententiam amplectatur qui uelit. Nec apostolorum matura natiuitas nec Pauli abortio ex synagoga est, sed utraque ex singulari dispensatione gratiæ Christi, per quam illi primum mox initio Euangelij ad fidem uocati, deinde à uocatione ad tēpus usq; Apostolatus obeūdi cōpetentibus sunt instructionibus per ea quȩ uiderunt & audierunt foti ac confirmati, ipse uero sero tandem post omnes, subito conuersus, obiter per Ananiam instructus ac baptizatus, ac confestim non expectatis iustæ parturitionis mensibus ad Apostolatū est expulsus.

Ego enim sum minimus apostolorū, qui nō sum idoneus ut dicar Apostolus, propterea quod persequutus sum ecclesiā Dei, sed gratia Dei sum id quod sum. Et gratia eius quæ profecta est in me nō fuit inanis, sed copiosius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest.

Pertinent ista ad secundum capitis huius membrum, quo Apostolatum suum commendat. Postremi fœtus & abortiui minores præcedentibus esse solent. Cum ergo dixisset: postremo omniū uelut abortiuo uisus est & mihi, cur se abortiuo similem faciat, exponit dicēs: Ego enim sum minimus apostolorum, id quod non de duodecim tantum ad quorum numerum referri non potest, sed de omnibus apostolis in genere, quibus dominum uisum esse dixit, intelligendum esse puto. Neque enim ponit se medium inter duodecim apostolos & septuaginta discipulos, ut minorem quidem se duodecim illis, maiorem uero cæteris esse sentiat, sed postponit se apostolis omnibus tam secundarijs quàm primarijs. Nec puto hoc illum dicere tanq͂ non suo, sed pseudapostolorum sensu, quasi non de seipse, sed illi sic

sic senserint, eumque contemptum sui reprimere uelit. Longè diuersus est Apostoli spiritus ab illis, qui se omnium minimos ac seruos seruorum Dei uocant, quoniam Christus dixit: Si quis uult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister, &: Qui minor est inter uos omnes, hic maior est, &: Qui maior est in uobis, fiat sicut minor, & qui princeps est, sicut qui ministrat, ut hoc prætextu potiores obtineant in ecclesia. Verum consuluerim fidelibus omnibus, ut sibi nō ab humilitate, sed ab humilitatis specie, hypocrisi uidelicet fratrum minorum, minimorum, ministrorum, ac seruorum seruorum Dei uigilanter caueant.

Marci 9. *Lucæ 9.22.*

QVI non sum idoneus, inquit, ut dicar Apostolus.] Non solum dicit se esse minimū apostolorum, sed & indignum, inidoneum, insufficientem, οὐκ ἱκανὸν, qui dicatur Apostolus. Qui minimus est in manu digitus, recte digitus uocatur, & satis est ἱκανὸς suo loco, quem habet postremum in manu. Sic qui minimus est in ordine apostolorum, non est ob id indignus, qui uocetur Apostolus, nisi sit prorsus ad id muneris inidoneus. Quare cum dixisset: ego enim sum minimus apostolorum, quasi nondum satis expresserit, quàm se infra alios abijciat, addit, qui non sum idoneus, ut dicar Apostolus. Non dicit, ut sim Apostolus, sed, ut dicar Apostolus, quod minus tamen est, quàm esse apostolū. Etenim q nomine apostoli indignus est, magis est ipso apostolatu indignus.

PROPTEREA quod persequutus sum, inquit, ecclesiam Dei.] Exponit quare se inidoneum esse iudicet, qui dicatur Apostolus. Potest enim dicere quisquam: Ecquid magni est, quod se nomine Apostoli dicit esse indignū, hoc est, inidoneum & insufficientem, cum nemo sit piorum, qui se dignum & idoneum ad munus tam arduum esse glorietur, & ipse epistola sequenti cap. 2. dicat, καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; Sciendum igitur est posse hoc, nō sum dignus, trifariam, hoc est, triplici respectu dici. Primū, personæ, secundum quam dicebat Saul: Nunquid non filius Gemini ego sum de minima tribu, &c. Deinde mali meriti, quo respicit hic Apostolus dicens: non sum dignus qui dicar Apostolus, propterea quod persequutus sum ecclesiam Dei, tertio facultatis insufficientis ad exequutionem muneris suscepti, ad quem respectum pertinet quod dicit: Et ad ista quis idoneus? Et 2. Cor. 3. Non sumus idonei à nobisipsis ad cogitandum aliquid tanquam ex nobis. Nec priori igitur nec posteriori, sed medio respectu dicit se inidoneum & indignum esse, qui uocetur Apostolus, propterea uidelicet, quod persequutus sit ecclesiā Dei, id quod non potest competere cæteris apostolis, sed singulariter à Paulo dicitur, quo se singulariter præ cæteris omnibus indignum esse fateatur, qui Apostolus dicatur. Omnino autē indignus est persequutor ecclesiæ, qui constituatur Apostolus. Quis lupum, hostem ouium, di-

A gnum censuerit, qui fiat ouium pastor? & hostem regni dignū qui efficiatur regis legatus?

Obserua uero persequutionis huius genus, qua Saulus persequutus est ecclesiam Dei. Erat Israël adhuc ecclesia Dei, cum ille fideles Christi persequeretur, & erat catholica ecclesia, & habebat templum, sacerdotium, cultus, ac legem à Deo, habebat patres, habebat promissiones, habebat temporis, multorum uidelicet sæculorum præscriptionem. Eius ecclesiæ membrum erat Saulus, enutritus in lege Dei, & paternarum traditionum uehemēs æmulator, magis quàm ipsius coætanei. Interea Christiani ex Israële nihil uidebantur aliud moliri quàm schisma ecclesiæ, & sapere nouam hæresim, dignam quæ modis omnibus extirparetur. Hoc respectu primores ecclesiæ catholicæ persequebantur omnes eos qui se nouæ sectæ addixerant, & iudicabāt se causam habere omnium iustissimam, Deoq; præstare obsequium. Huiusmodi zelo persequebatur Christianos & Saulus, ignorans persequi se ecclesiam Dei, quod postea cognouit, & palàm est fassus frequenter. Ergo qui potiores erant in ecclesia catholica persequuti sunt schismaticam quidem & nouā, at interim Dei ecclesiam. Videmus itaq; in hac imagine quàm nec nouum sit nec rarum, quod hodie ecclesiam Christi persequuntur ij qui catholicæ ecclesiæ capita uideri uolunt, iactantes nomen ecclesiæ, patres, præscriptionem temporis, catholicam consuetudinem, & alia consimilia,

B quæ ecclesia Israëlis fratribus suis in Christū credentibus æque probabiliter obijcere potuit ac dicere, existis ex nobis, quia non estis ex nobis, sciinditis ecclesiam Dei, inducitis nouam doctrinam, contemnitis odinem sacerdotij, deficitis à lege & cultu Dei, irritam redditis circumcisionem, fœderis Dei symbolum, uiolatis sabbata, in summa præuaricamini à Deo, à fide maiorum nostrorum & ab ecclesia Dei, quare uos merito tanquam schismaticos, defectores, hæreticos & impios persequimur. Quid autē contra hæc omnia habebant Christiani à fratrib⁹ suis catholicis exagitati, quàm unam ueritatem Christi, oraculis ac testimonijs scripturarum, multisque miraculis & portentis tanquam diuinæ operationis argumentis comprobatam? Hac nitentes in fide Christi perseuerabāt, ac propter illam aduersa & probra à carnali ecclesia illata fortiter tolerabant. Hoc se exemplo solentur, quotquot hodie à catholicis propter Euangelicam ueritatē proscribuntur, damnantur & neci traduntur.

Deinde & illud consyderemus. Plerunq; fit, ut secundum dictum huius Apostoli carnalis persequatur spiritualem, Cain Habelem, Ismaël Isaacum, Esau Iacobum, filij Iacob Iosephum, &c. & non uiceuersa spiritualis carnalem. At hic uidemus persequutorem ecclesiæ de quo nō possumus dicere, quod perinde atque Cain fuerit ex maligno. Erat enim ex electis Dei atq; ex utero matris electus in organum

num Dei omnium selectissimum. Ergo admonemur ne mox de quoquam desperemus, ne illis quidem, qui ecclesiam Christi persequuntur, quandoquidem fieri potest, ut faciant hoc electi, donec ueritatem Dei ignorantes zelo ecclesiæ catholicæ citra scientiã accẽsi ferunt.

PROPTEREA, inquit, quod persequutus sum ecclesiam Dei.] Christianos persequebatur, quos inueniebat, uiros & mulieres, & hic dicit se persequutum esse ecclesiam Dei, quéadmodum & Gal. 1. Audistis enim, inquit, cõuersationẽ quondam meam in Iudaismo, quo modo supra modum persequebar ecclesiam Dei, ac depopulabar illam. Ergo qui fideles persequitur, ecclesiam Dei persequitur. Perinde atque corpus persequitur, qui membra corporis, ciuitatem qui ciues, regnum qui filios regni persequitur.

Refert tamen quam ob causam Christianũ quis persequatur. Si ob priuatam aliquam iniuriam qua est ab illo læsus, uel ex officio iudicis ac magistratus tanquam sontem ac noxiũ persequitur, non potest dici persequutor ecclesiæ Dei. Si uero propter fidem ac religionem, quam ille habet cum ecclesia Dei communẽ, tum recte persequutor ecclesiæ censebit, quã totã in membris ipsius si posset extingueret.

SED gratia Dei sum, id quod sum.] Humilitati & indignitati suæ subijcit cõmendationem gratiæ Dei, ne quid hinc detrimenti Apostolatui ipsius nascatur. Quàm sese deijcit & humiliat, tam gratiam Dei sibi collatam extollit & amplificat. Sed gratia Dei sum id quod sum, inquit. Quasi dicat. At quamuis sum apostolorum postremus, minimus, uelut abortiuus, & indignus qui dicar Apostolus, sum tamen id quod sum per gratiam Dei in me collatam. Quid erat autem per gratiam Dei? Non modo Apostolus, sed & insignis Apostolus, nullis alijs inferior. Modeste adhuc, non dicit, sed gratia Dei sum Apostolus Christi, nulla in re cæteris minor, sed, gratia Dei sum id quod sum. Ergo quod dignitati suæ tribuere nõ potest, tribuit gratiæ Dei, & agnoscit se aliũ esse personę ac meriti sui indignitate, & alium per gratiam Dei. Sit nobis omnibus hæc regula, secundum quam discernamus inter id quod sumus naturæ nostræ indignitate & malicia, & quod sumus per Dei gratiã. Natura sumus uani, multis modis corrupti, infirmi, peccatores & filij iræ, gratia uero Dei Christiani, alijs atq; alijs donis Dei ornati, filij Dei, & hęredes uitæ æternæ. Augustin. libro de Ecclesiast. dogmatib. cap. 43. locũ hunc Apostoli sic contra Pelagianos citat: Si quis sine gratia Dei credentibus, uolentibus, desyderantibus, conantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit cõferri diuinitus, non aũt ut credamus, uelimus, uel hæc omnia sicut oportet agere ualeamus per infusionẽ & inspirationẽ sancti spiritus in nobis fieri confitet, & aut humilitati, aut obediẽtiæ humanæ subiungit gratiæ adiutoriũ, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donũ esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid enim habes quod nõ accepisti? Et gratia Dei sum id quod sum. Hæc ille. Sane Apostolus gratiã hanc & fidei & Apostolatus nec quęsierat, nec uoluerat, nec desyderauerat, nec petierat. Quare omnino nihil illius libero debet arbitrio, aut uiribus ac meritis humanis.

Solenne est episcopis Romanis & alijs illis adhærẽtibus, ut in bullis suis ac rescriptis glorient se esse per gratiã Dei episcopos, archiepiscopos, patriarchas, & cardinales, cum uerius sint quod sunt per indignationem Dei quàm per gratiam. Qui per gratiam Dei constituunt apostoli, episcopi, & pastores ecclesiarũ, donis etiam ad apostolatum, episcopatum & pastoratum necessarijs per eandem gratiam instruuntur, quo posint prodesse ecclesijs. Quibus isti sint modis instructi, & prosint ne ecclesijs uel obsint, me tacente res ipsa clamat.

ET gratia eius quæ profecta est in me, inquit, nõ fuit inanis.] Græcè est, & gratia eius, ἡ εἰς ἐμὲ, id est, quæ in me, & subintelligendum est, uel, collata est, uel, data est, aut, ut Erasmus uertit, profecta est. Cõmendat Apostolatũ suũ ab effectu gratiæ Dei, quã sibi collatã dicit nõ fuisse inanẽ, id est, sterilẽ & infrugiferã. Ego, inquit dñs, elegi uos, ut eatis & fructum adferatis. Fructũ adferre, est domino lucrifacere populum, & multos conuertere ad cognitionem ueritatis, quo salui fiant. Significat igitur Paulus prædicationẽ suam fuisse frugiferã ac plurimos ad fidem conuertisse, cum gratiã à Deo acceptam haud inanem fuisse dicit.

Vt id obiter annotem, tres sunt Apostolicę gratiæ partes. Voco aũt Apostolicam gratiam non quã conferat cuiq; Apostolus, sed quam à Deo accipiat. Prima est, qua eligitur, uocat, & constituitur Apostolus. De hac Rom. 1. dicit: per quem accepimus gratiã & Apostolici muneris functionẽ. Et Gal. 1. Ast ubi Deo placuit, qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam ut reuelaret filium suum per me, &c. Secunda est, qua donis spiritus instruitur & ornat, ut munus Apostolicũ obire posit. Hanc cõmendat 2. Cor. 3. dicens: Sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros Noui testamenti. Vtranq; innuit cum dicit: Gratia Dei sum id quod sum. Tertia est, qua datur prædicanti ac laboranti Apostolo efficacia incremẽti quo multum fructus adferat. Hanc intelligit, cum hic dicit: Et gratia eius quæ in me collata est, inanis nõ fuit. Et suprà cap. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. Commendat igitur Apostolatum suum in hisce tribus, primũ quod sit ex gratia Dei, deinde quod sit donis Apostolicis ornatus, tertio quod sit non inanis, sed efficax ac ferax Apostolici fructus. Eant Romani apostoli, & apostolicas suas eminentias cum hisce ueri Apostoli notis conferant.

SED copiosius, inquit, q̃ illi omnes laboraui.]

raui.] Poterat simpliciter dicere, & gratia eius q̃ in me collata est, non fuit inanis, sed efficax, nisi abundanté ac singularé efficaciam gratiæ Dei in Apostolatu suo declaratā extollere uoluisset. Sic dicit: Sed copiosius q̃ illi omnes laboraui. Non simpliciter περισσότερον, id est, abundantius, sed, abundantius q̃ illi omnes. Neque enim abundātius q̃ conueniebat Apostolatui suo, sed q̃ cæteri omnes laborauit. Nemo potest simpliciter abundātius diligere dominū, quantumuis enim diligas illum, supra q̃ cōuenit diligere non poteris, abundantius uero q̃ multi alij poteris, quemadmodum Petro non simpliciter dicebat dn̄s: Simon tu me plus diligis, sed: Simon, diligis me plus q̃ hi? Consimili modo nō potuit Paulus abundantius q̃ cōueniebat in Apostolatu suo laborare, potuit uero per gratiam Dei abundantius quàm cæteri.

SED copiosius, inquit, q̃ illi omnes laboraui.] Dicendum fuisse uidetur, sed copiosiorē fructum attuli q̃ illi omnes. Siquidē non laborando tantū, sed multum fructificando declarabatur, quàm non esset in Apostolatu ipsius gratia Dei inanis. Quare uerbum laborandi non simpliciter de laboribus suis, sed simul & de fructibus illorum posuit.

QVAM illi omnes, inquit.] Quoniam non simpliciter dicit, quàm omnes, sed, quàm illi omnes, ut certos quosdā intelligat, existimāt nōnulli intelligēdū esse de pseudapostolis Corinthiorum, quasi illorum iactantiā reprimere uoluerit, qua se supra ipsum extollebant, & Apostolatum suum floccifaciebant. Vt sit sensus: Glorientur contra me uestri illi sapientes ac doctores, & Apostolatum meum contemnant quantum uolunt, ego licet postremus & minimus Apostolorum, & olim ecclesiæ Dei persequutor, ideoq; indignus qui dicar Apostolus, in Apostolatu meo per gratiam Dei in me collatam, plus laboraui quàm ipsi omnes, idque apud uos, ubi fundamentum structuræ Dei posui. Quantulum est, quod illi omnes præstant apud uos, si laboribus meis cōferat̄?

Licet hic sensus nihil habeat incommodi, existimo tamen cōuenientius esse, ut quod dicit, quàm illi omnes, referamus ad apostolos, nō duodecim tantum, sed & reliquos omnes, quorum se minimum esse dixit, ut quorum se dixit esse minimum propter meriti indignitatem, & postremam uocationem, supra horum omnium labores Apostolatum suum extollat, propter fructuum copiam ac pręstantiam. Nec debet arrogantiæ tribui, quod non dicit: quàm nonnulli, uel, quàm multi ex illis, sed, q̃ illi omnes. Etenim reuera sic habet. Cursus Apostolatus Pauli tam est amplus, tantorumq; successuum, ut inde à Hierosolymis & regionibus circumiacentibus ad Illyricum usque impleuerit Euangelium Christi (qua de re si cui lubet, inspiciat Peregrinationem Pauli ab Erasmo congestam) ideoq; merito præferatur cæteris omnibus. Quod sane non facit contendens contra ipsos apostolos, sed improbitatem eorum retundens, qui Apostolatum ipsius prætextu cæterorum apostolorū, præcipue Petri, Iacobi & Ioannis, uilem & abiectum reddere moliebantur. Non erat propositum ipsius apostolos reliquos reddere contemptibiles, sed huc adigebatur per maleuolentiam pseudapostolorum, ut quod uerum erat pro Apostolatus sui defensione obijceret. Sane constat Petrum, Iacobum & Ioannē diu, hoc est, annos plus minus decem ac septē post conuersionem Pauli mansisse Hierosolymis, cum interea circumiacentes ille regiones Arabiam, Syriam & Ciliciam Euangelio Dei impleret. Et cum post annos decem ac septem Hierosolymam denuo uenisset, sic inter ipsos conuenit, ut ipse cum Barnaba in Gentes, ipsi uero in circumcisionem Apostolatu fungerentur. Vnde facile colligit̄, tam esse labores Pauli copiosiores laboribus istorum apostolorū, quàm tam multæ Gentium regiones, quibus ille Christum prædicauit, unam Iudæorū Gentem superant. Et præterea, sic illi sese in apostolatu suo gesserunt, ut repræhensibiles essent, quod non recto pede incederent ad ueritatem Euangelij. Quare & Petrum coram omnibus repræhendit, dicens: Si tu cum sis Iudæus, gentiliter uiuis, & non Iudaice, cur Gentes cogis Iudaissare? Igitur hac quoq; ratione merito labores Pauli, laboribus reliquorum apostolorum pręferuntur, quod dexterius Euangelium Christi quàm ipsi propagauit.

Rom. 15. | Vide Gal. 1. | Gal. 2.

De reliquis apostolis, Andrea, Philippo, Bartholomæo, Thoma, Matthæo, Iuda fratre Iacobi, & Simone Zelota, denique de septuaginta discipulis, illorumque omnium laboribus, quid sentiendum sit certo, non uideo. Quamuis credibile est, non fuisse eos ociosos, sed prædicasse alios in Persia, alios in India, alios in Mesopotamia, alios in Ægypto, alios in Aphrica, probabile tamen est tantum lucis, tantum successus, tantumque dexteritatis nō fuisse in illorum omnium quantum in unius Pauli apostolatu. Sane quicquid sit de regionibus illis, quibus cæteri apostoli Christū prędicarūt, totus ille tractus à Hierosolymis in Occidētem usq; laboribus Pauli debet, quod ad cognitionem & fidem Christi peruenit.

NON ego tamē, sed gratia Dei, inquit, quæ mihi adest.] Quoniā non dixit: Et gratia eius quæ collata est in me, non fuit inanis, sed copiosius per me quàm per illos omnes laborauit, sed, copiosius quàm illi omnes laboraui, ne sibi hoc tribuere uideatur, particulam hanc correctionis loco adijcit, dicens: Non ego tamen, sed gratia Dei quæ mihi adest, quibus omnino uerbis totius Apostolatus sui labores ac fructus uni gratiæ Dei tribuit, quam idcirco tertio nominat, ne quid sibi arrogare uideatur. Quare friuolum est & præter mentē Apostoli, quod Eccius in locis suis, de libero arbitrio, ex his uerbis probare molitur, liberum hominis arbitrium, & gratiam Dei operari simul, propterea quod in uulgata uersione est,

ne est,non ego auté sed gratia Dei mecum.Nō est in Græco,& ego,& gratia Dei,sed : Nō ego sed gratia Dei neq; οὐκ ἐγὼ δὲ μόνος, id est, nō ego uero solus,sed simpliciter: οὐκ ἐγὼ δὲ, id est,non ego autem,sed gratia Dei. Sic loquendo non facit se socium sed organum gratiæ Dei, cui uni tribuit omnia. Quemadmodum & Christus cum dicit:Nō uos estis qui loquimini,sed spiritus patris uestri loquetur in uobis,non coniungit liberum arbitrum & spiritum sanctum, sed omnem sapientiam ad respōdendum pro Euangelio tribuit spiritu sancto.Deinde, non est in Græco,gratia Dei mecum,sed,gratia Dei ἡ σὺν ἐμοί, id est,gratia Dei quæ mecum est.

Matth.10.

Aliud est,si dicas,non ego laboraui,sed gratia Dei quæ mecum est, & aliud, si dicas non ego tantum laboraui, sed gratia Dei mecum. Sic enim illud σὺν ἐμοί,id est, mecum referretur ad uerbum laboraui,& tribueretur pars laboris Paulo & pars gratiæ. Verum Paulus nō dicit de gratia quod secū laborauerit, sed quod secum existens ipsa laborauerit ac perfecerit omnia. Ipsam gratiam Dei specificat dicens, quæ est mecum,uel quæ mihi adest,non labores inter se, & ipsam diuidit. Videmus hic qd faciat interpretis,uel scribarum neglectus. Vnius enim articuli, ἡ, omissio ansam præbet sophistis, ut mentem uerborum Apostoli ad patrocinium falsi dogmatis statuendum peruertant.

SIVE igitur ego, siue illi sic prædicamus, & sic credidistis.] Quomodo? Quod,uidelicet mortuus sit Christus, secundum scripturas, quodque sepultus sit & resurrexerit secūdum scripturas,& quod suis sit apostolis & discipulis post resurrectionem uisus. Sic,inquit,prædicamus,& sic credidistis. Quid est auté quod non dicit : Sic igitur euangelizaui uobis, & sic credidistis, ut ingressum sermonis huius seruet.Neq; enim in principio dixit: Notum uobis facio Euangelium, quod siue ego, siue cæteri apostoli euangelizamus, sed, quod euangelizaui uobis. Quoniam incidit in mentionem reliquorum apostolorum, quorum existimatione pseudapostoli contra Apostolatum ipsius abutebantur, sic loqui uoluit : Siue igitur ego,siue illi sic prædicamus, ut conatus illorum reprimat, asseratque doctrinæ huius de morte, sepultura & resurrectione Christi conformitatem,quæ seruetur tam in sua quàm cæterorum apostolorum prędicatione. Vt sit sensus : Itaque siue ego prædicem, siue illi, quos nonnulli tantopere iactant,sic cōcorditer prędicamus,nihil hic est discrepantiæ. Quare qui meam doctrinam reijcit, simul & reliquorum apostolorum omnium eadem opera reijcit. Seruit hoc dicens argumento quod est contra negatores resurrectionis illaturus.

Cogitemus hic de consensu doctrinæ Apostolicæ, quàm sit ille ualidus ad destruenda pseudapostolorum dogmata, dū non permittit illis ullum patrocinium ex cuiusquam apostoli authoritate. Siue Petrus, siue Paulus, siue

A Ioannes, eundem Christum, & eandem salutis uiam prædicarunt.

Addit : ET sic credidistis.] Quemadmodum suprà dixit, quod & accepistis, sic hic, & sic credidistis, inquit. Nisi quod hic admonet quod quemadmdum non prædicauerit ipsis aliud Euangelium, quàm quod ab alijs quoq; sit apostolis omnibus prædicatum, ita fidem ipsorum, qua prædicationi suæ crediderunt, haud esse aliam ac diuersam à fide reliquorum Christianorum omnium. Sic parat argumentum ad futuram disputationem, tam à concordi apostolorum omniū prædicatione, quàm à catholica Christianorum omnium fide.

Obiter obserua, quod dicit : Sic prædicamus,& sic credidistis. Chrysostomus rationes annotauit,quare non dicat in præsenti,sic creditis,sed in pręterito,sic credidistis,nec in pręterito : sic prædicauimus, sed in præsenti, sic prædicamus.Ex qualitate prædicationis quidem qualitas est fidei,ut quemadmodum prędicatur sic credatur, uerum uidemus hoc Corinthiorum exemplo, ut nonnunquam fides auditorum mutetur,dum interea doctrina Apostolica in se non mutatur, sed eadem constanter permanet. Sic possumus hodie dicere: Sic prædicant apostoli, & sic initio maiores nostri crediderunt.Eadem etiamnum est apostolorum prædicatio, qua etsi non uoce literis tamen Euangelicā ueritatem concorditer docent: Verum utinam usque adeo nihil præuaricationis in fidem Christianam irrepserit, ut B ueraciter dicere possimus omnes : Sic prædicant apostoli & sic credimus.

Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos non esse resurrectionem mortuorum? Si resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Si uero Christus non resurrexit, inanis igitur est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra. Reperimur auté & falsi testes Dei, quoniam testificati sumus de Deo, quod excitauerit Christum quem non excitauit, si uidelicet mortui non resurgunt. Etenim si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus nō resurrexit, superuacanea est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris. Igitur & qui obdormierunt in Christo perierunt. Si in uita hac spem in Christo tātum fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus.

Hactenus duobus primis membris reuocauit Corinthijs in memoriam, quod nam & quomodo prædicauerit ipsis Euangelium de morte, sepultura, ac resurrectione Christi, ac simul Apostolatum suū, contra pseudapostolos

asseruit, & Euangelium suum per id quod & ab alijs apostolis omnibus concorditer prędicaretur, & ab ipsis fide esset acceptum confirmauit, iam inde colligit tertio membro ex resurrectione Christi, quantum absurditatis ex eo consequatur, quod nõnulli resurrectionem mortuorum negabant, id quod diligenter argumentãdo facit, quo magis errorem illorum confutet. Seruat hac in re decorum fidelis Apostoli, qui non statim excommunicat, & Satanæ tradit errantes, sed curat & satagit quomodo eos ab errore liberet ac seruet, idq; per declarationem ueritatis & cõfirmationem erroris. Ad hunc igitur scopum collimans argumentatur ex resurrectione Christi ad hunc modum.

Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos resurrectionem mortuorum non esse? Statim initio argumentationis aperit, quorsum præcedentia de morte, sepultura, ac resurrectione Christi in medium attulerit. Ad confutandum uidelicet eos qui resurrectionem mortuorum negabant. Poterat dicere: Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, consequitur & mortuos esse resurrecturos. Verum, ut errorum illorum tanquam manifestè prędicationi Euangelicæ, de resurrectione Christi repugnantem admodum impudentem esse significet, uelut admirans dicit: Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicũt quidam inter uos resurrectionem mortuorum non esse? Quasi dicat: Mirum est, quomodo non uideant hãc suam opinionem pugnare cum doctrina & prædicatione Euangelij, qua communiter non à me tantum, sed & ab omnibus alijs apostolis de Christo prædicatur, quod sit mortuus ac sepultus, & quod tertio die resurrexerit à mortuis. Quomodo admittunt errorem, inquit, qui tam manifestè Apostolicæ prædicationi aduersatur?

QVOMODO dicunt quidam, inquit, inter uos resurrectionem mortuorum non esse?] Non dicit: quomodo dicitis uos, sed, quomodo dicunt quidam. Ergo non omnes sic dicebant, sed nonnulli tantũ. Parcit itaq; reliquis.

Neque dicit: quomodo cogitant quidam, sed, quomodo dicunt quidam. Ergo errorem suum non premebant in pectore, sed palam spargebant. Et hanc ob causam non agit cum illis separatim, sed publico scripto, cum tota ipsorum ecclesia, quo uirus noxiũ, quod spargebatur, cohibeat, ne totum corpus corripiat & inficiat.

Nec dicit simpliciter: quomodo dicũt quidam, sed, quomodo dicunt quidam inter uos. Si illud ἐν ὑμῖν, id est, in uobis, referas ad, quidam, significatur negatores istos resurrectionis pertinuisse ad ecclesiam fidelium. Si uero referas ad uerbum, dicunt, perstringitur illorum impudentia, qua non sunt ueriti articulum hunc de resurrectione mortuorum negare palam in medio fidelium. Quocunque referas, Christiani fuerunt, & resurrectionem mortuorum, magno cum offendiculo palam negarunt.

QVOMODO dicunt quidam, inquit, inter uos resurrectionem mortuorum non esse?] Quare non dicit: futuram non esse, sed in prę senti, non esse. Si de communi omnium resurrectione loquitur, qua in die nouissimo resurgemus, utique illa nec tum erat, neque nunc est. Quid igitur falsi erat, quod nonnulli eam non esse dicebant, cum id hodie quoq; ueraciter dici queat ab omnibus?

Respondeo. Aliud est si dicas, resurrectio mortuorum nõdum est, & aliud si dixeris, resurrectio mortuorum non est. Qui dicit illam nondum esse, futuram non negat. Qui uero simpliciter illam non esse dicit, negat huic fidei, qua mortuos resurrecturos credimus, aliquid inesse ueri, quod rem credamus esse ueram, quæ sit falsa.

Quare qui dicit, resurrectio mortuorum nõ est, perinde est, ac si dicat: resurrectio mortuorum nihil est, nomen est sine re, atque ita non modo in præsenti illam esse negat, sed & futuram non esse contendit. Si dixeris, iudicium quo mundus olim iudicandus creditur, non est, non solum in præsenti nondum esse, sed & futurum non esse dices. Sic sentiunt impij, finis mundi non est, resurrectio mortuorum non est, iudicium non est, aliud sæculum non est, hoc est, mundus hic nunquam finietur, mortui non resurgent, iudicium mundi non erit, aliud sæculum post hoc præsens non erit. Hanc impietatem in pectore fouentes, imò ipso ore spargentes Corinthij, dicebãt resurrectionem mortuorum nõ esse, hoc est, nũquam fore ut mortui resurgant, sed hunc illius articulum merum esse figmentum, & impostu ram ad id excogitatam, ut opinione futuri iudicij, & noui cuiusdam sæculi retineatur mun dus in officio, & cohibeantur hominum mentes, ne quid admittant scelerum ac flagitiorum, unde olim sint graues daturi pœnas. Vtinam non sint hodie inter sapientes huius mundi, qui impietatem hanc in pectore foueãt, eoque securius huic sese mundo accommodent.

SI resurrectio mortuorum non est, inquit, neque Christus resurrexit.] Quasi dicat: Recogitent illi, qui resurrectionem mortuorum non esse dicunt, quid ex eo sequatur. Si resurrectio mortuorum nõ est, sicut ipsi dicunt, con sequitur omnino, neq; Christum resurrexisse à mortuis. Argumentatur nõ affirmatiue à resur rectione Christi, ad generalem nostrã resurrectionem, hoc est, à particulari ad uniuersalem, sed negatiue ab uniuersali resurrectione, quã Corinthiorum quidam negabant, ad particularem Christi, quam communiter omnes apo stoli per Euangelium Dei prædicabant. Ideo non dicit: Si nanque Christus resurrexit, resurgent utique mortui. Hanc etenim consequentiam à particulari, ad uniuersalem, tanquam

quam parum dialecticam, nullo modo recepissent. Perinde nanque est, ac si dicas: Maria mater domini peperit uirgo, ergo omnes uirgines pariunt.

Item, Asinus Bileam loquutus est humana uoce, ergo omnes asini humana uoce loquuntur. Non sequitur. Priuatum ac singulare miraculum non parit generalē sui cōsequētiam. Quod Christus tertio die resurrexit à mortuis, miraculum est priuatum ac singulare, unde dialectica consequentia non sequitur sic omnes esse mortuos resurrecturos. Recti⁹ ergo negatiue ab uniuersali, quam negabant, ad particularem Christi resurrectionem, quam & prędicabant apostoli concorditer omnes, & ipsi catholica fide credebant argumentatur dicēs: Si resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Maluit colligere argumentando quid ex ipsorum negatione sequatur absurdi ac falsi quàm quid ex communi Apostolorum prædicatione sequatur ueri.

Omnino autem firma est consequentia, ab uniuersali ad particulare, qua dicit: Si resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Etenim & mortuus fuit Christus & sepultus. Si impossibile est resurgere hominem mortuū, ergo nec Christus resurrexit. Qui infideles sunt, consequētiam hanc: Si resurrectio mortuorū nō est, neq; Christ⁹ resurrexit, plane recipiunt ac dicunt: Sic est: Nec mortui resurgunt, nec Christus uester resurrexit.

Tam enim probandum est Christum uestrum resurrexisse, quàm mortuos esse in fine mundi resurrecturos. Quare quod per resurrectionem Christi futuram mortuorum resurrectionem astruitis, infirmum est. Nil etenim ualet exemplum quod litem lite resoluit.

Apostolus uero quoniam non agit cum infidelibus, sed cum Christianis, argumentatione utitur, quæ illis sit fortissima. Hi nanque sic resurrectionem Christi credūt, ut propter illius firmitudinem retinendam resurrectionem mortuorum facile recipiāt. Alijs plane argumentis usurus erat, si infidelibus resurrectionem mortuorum comprobandam suscepisset.

Cogitandum igitur nobis, uniuersam capitis huius argumentationem ac doctrinam sic esse comparatam, ut fidem Christianam requirat, quæ resurrectionem Christi, tanquam Christi, unigeniti Dei, ac unici nostri Redemptoris, indubitato teneat. Nam huic tanquam fundamento omnis hæc structura innititur.

Verum pseudochristiani, qui mysterium mortis Christi, ac redemptionis nostræ, non tenentes sic credunt resurrexisse Christum, ut interim futuram mortuorum resurrectionem iudicium ac finem mundi, uitamque futuri sæculi non credant, argumentationem hanc Apostoli: Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit, quoniam in causa miraculosa est, & præter seriem naturæ insolita, non recipiunt, sed dicunt, Christus est

A non homo tantum, sicuti nos sumus, sed simul & uerus Deus, & unigenitus Dei, expers omnis peccati, quare à morte teneri non potuit. Nos uero nec dij sumus, sed homines, nec peccati expertes sicut ipse, sed peccatores ideoque mortis mancipia, quare longe alia est nostra, quàm ipsius conditio, ut non sequatur, Si resurrectio mortuorum non est, ergo nec Christus resurrexit, quemadmodum non sequitur, si uirgines non pariunt absque uirili semine, ergo nec Maria mater domini uirgo sine uirili semine peperit. Huiusmodi miraculosæ ac singulares prærogatiuæ non euincunt uniuersalem in omnes homines consequentiam.

Huiusmodi elusio retundenda est fortiter. Resurrexit enim Christus, quatenus est mortuus. Mortuus est autem, primum non ut Deus, sed ut homo, morte tam uera quàm qua nos morimur, quare non resurrexit ut Deus, sed ut homo.

Quod autem per diuinam potentiam morti exemptus resurrexit, nihil demit huic argumentationi. Etenim per eandem nos quoque resurgemus. Nec Apostolus cum dicit: Si resurrectio mortuorum non est, sic de illa loquitur, ut potentiam Dei excludat, ac dicat, si homines mortui suis ac naturæ uiribus non resurgunt, neque Christus resurrexit, sed potius hoc sensu: Si Deo possibile non est, ut mortuos excitet, ut resurgant, neque Christum excitauit ut resurgeret. Et hactenus B firma est consequentia.

Deinde mortuus est Christus, non modo ut homo, sed ut mediator inter Deum & homines, nec mortuus est sine peccatis. Nam etsi per se ab omni fuit peccato alienus, nostra tamen uniuersa delicta & peccata, cum debita omnium condemnatione, in se suscepit, portauitque in corpore suo super ligno, quo Deo patri pro illis satisfaceret, nosque ab æterna morte & condēnatione liberaret, & cum Deo reconciliatos uitæ æternæ participes redderet. Quod itaque resurrexit, resurrexit non ut homo simpliciter, sed ut mediator, redēptor, ac Seruator humani generis, deleto in cruce peccatorum nostrorum chirographo, uictor peccati & mortis, & æternæ uitæ per Adamū amissæ restitutor. Quod si peccata nostra non potuerūt ipsum retinere in morte, quam propter illa subijt, sed tanquam uicta & deleta liberū ac solutum dimiserunt, multo minus nos retinere poterunt, in quos nihil iuris habent amplius.

Quare Christi resurrectio non modo exemplum est futuræ nostræ, sed ipsissima uirtus & causa. Necesse est igitur ut resurgamus. Verum hac de re in sequentibus. Hoc mortis ac resurrectionis Christi mysterium, si pseudochristiani inspicerent, & fide tenerent, haudquaquam argumentationi huic Apostoli contradicerēt.

Nos admonemur, quàm aliter sit argumentandum cum ueris Christianis, quàm uel cum

 falsis,

falsis, uel cum infidelibus. Habet fides nostra certa quædam ac fundamentalia principia, cōtra quæ nihil sit recipiendum, nec disputandum cum illis, qui aliquod ex eis negare præsumunt. Tale est, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris. Ergo non debemus eam recipere doctrinam, quæ humana merita aut satisfactiones statuit, quibus à peccatis liberemur. Potest enim hic tam firmiter colligi: Si nondum sumus à peccatis liberati, uel, Si pro peccatis nostris satisfaciendum nobis est, ergo Christus non est pro peccatis nostris mortuus, quàm firmiter colligit hic Apostolus: Si resurrectio mortuorum non est, Christus non resurrexit. Si quis neget mundum hunc esse factum, non est recipiendū quod tradit. Pugnat enim cum principio fidei nostræ, qua Deum credimus esse factorem cœli & terræ, ut recte argumentemur: Si mundus hic non est factus, ergo Deus non fecit cœlum & terram. Si quis dixerit: Deus non habet filios, argumentabitur Christianus: Si Deus non habet filios, ergo Christus non est filius Dei.

Argumētum ridiculum quidem iudicio infidelium, uerum haud aspernādum fidelibus, quorū fides est, Christum esse filium Dei. Hæc argumentandi ratio, per omnia est fidei nostrę capita ducenda.

SI uero Christus non resurrexit, inquit, inanis igitᵉ est prędicatio nostra, inanis est & fides uestra.] Pergit argumentando colligere quā absurda nascantur, & quanta subuersio religionis ac salutis nostræ sequatur, si Christum non resurrexisse concesserimus.

Primum, Si uero Christus non resurrexit, inquit, inanis igitur est prædicatio nostra. Intelligit non de ea tantum Euangelij parte, qua Christus resurrexisse prædicatur, sed de tota Euangelij prædicatione & doctrina. Totam summam Euangelicæ prædicationis inanem esse dicit: Si Christus non resurrexit. Tū enim frustra prædicatur de Deo, de uerbo incarnato, filio eius unigenito, de doctrina illius & miraculis, de morte ac sepultura, de pœnitētia & remisione peccatorum, & quæ alia in doctrina Euangelij continentur.

Nam hæc omnia pendent à resurrectione mediatoris, qua mors est uicta, & iustificatio nostri impetrata. Poterat dicere: Si Christus nō resurrexit, ergo adhuc claustris mortis detinetur, nec est uictor mortis, sed à morte uictus. Si Christus non resurrexit, ergo pater deseruit suum filium, ac permisit, ut corruptionem uideret, uanusq; uates fuit Dauid in persona illius dicens: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionē. Verum maluit argumentari ad ea absurda quæ in re tū omnibus nota cōsequerentur prædicatione uidelicet Apostolica, magnis signis ac portentis declarata & confirmata.

Neque enim de sua tantum, sed simul omnium apostolorum concordi prędicatione loquitur, cum dicit: inanis igitur est prædicatio nostra.

A

Est autem prædicatio bifariam inanis. Primum, si non recipiatur fide. Tū enim non prodest audisse sermonem, quod is non sit cum fide coniunctus. Et hactenus potest prædicatio Euangelij, quantumuis uera in se & efficax ad saluandum credentes, inanis dici. Deinde, si quæ prædicantur sint inania figmenta de rebus nihil ueri habentibus. Hoc sensu inanis esset prædicatio Apostolica in uniuersum, si Christus non resurrexisset.

Ebr. 4.

Et hanc potissimum ob causam probro nobis uertitur doctrina Christiana à Gētibus & Iudæis, & Turcis, quod prædicatur nobis de quodam crucifixo & mortuo Iesu Nazareno, esse illum Seruatorem mundi, cū seipsum seruare nequiuerit. Quoniam resurrectionem illius non credunt, existimant eum morte absorptū, nihil minᵘ esse posse quàm quod per Euāgelium Dei prædicatur.

INANIS, inquit, est & fides uestra.] Consequitur hoc ex præcedenti. Etenim secundum qualitatem prædicationis est & qualitas fidei. Nam ex auditu est fides Roman. 10. Quare necesse est, ut ex inani prædicatione sit inanis fides. Est autem fides inanis, quando uel uanum est quod creditur, uel etsi uerum sit, opinione tamen magis quàm efficaci fide recipitur. Fides mortua, ociosa, & inefficax, plane est inanis.

B

Verum priore sensu loquitur hic Apostolus significans eos, qui prædicationem inanem fide recipiunt, fidem habere non ueram, sed falsam & inanem. Erant hæc dura auditu coram ecclesia Dei, prædicationem uidelicet de Christo Euangelicam & Apostolicam, & fidē Christianam utranque reddi inanem per eos, qui resurrectionem mortuorum negabāt. Verum sic oportebat fidelium mentibus perniciosi dogmatis horrorem incutere, malumque illius statim initio detegere.

Sic faciendum est & illis, qui hodie non uerentur dicere: Homines fuisse qui libros Veteris ac Noui testamenti conscripserunt, ideoque sacram scripturam non esse diuinam, sed humanam, nec plus mereri fidei, quàm quatenus certis rationibus ac demonstrationibus posit probari. Dicatur hic. Si sacra scriptura non est diuina, sed humana, inanis est prædicatio Apostolica, inanis est fides Christiana, & Christus cum suis apostolis merito sunt, tanquam seductores orbis reprobati & occisi. Sic impij homines quo dogmata, errores, ac superstitiones Papismi sui tueantur uniuersum Christianismum, doctrinam, fidem, Christum ipsum cum prophetis & apostolis subuertūt. Inculcandum est hoc ecclesiæ Dei, ueris ac synceris fidelibus, quo ad huiusmodi uoces aures ambas & pectus occludant, ac uirus Satanæ detestentur. Regeramus illis: Si satisfaciendum, satispatiendum, ac satisdandum nobis est pro peccatis nostris, secundum dogmata

Papistica,

Papistica, ergo Christus uel non est uel frustra est pro peccatis nostris mortuus, & inanis est prædicatio ac fides apostolica.

Verum absit. Christus uere est & efficaciter pro peccatis nostris mortuus, ideoque inanis est & prædicatio & fides Papistica. Sacra scriptura non ex hominibus, sed ex Deo ac uera est, ergo contraria illi Papismi doctrina & fides uera esse non potest, sed inanis sit oportet.

Quæsierit hic quisquam, an omnino inanem oporteat esse fidem in illis locis, ubi inanis est publica prædicatio. At facilis est responsio. Inanem esse oportet, qua inani prędicationi creditur. Verum reperias illic quoque electas Christi ouiculas, quæ uocem falsorum pastorum repudiantes uocē ueri sui pastoris audiant & sequantur, ideoque publicæ prædicationi non credāt, sed sanctas scripturas potius legant, illisq; uera fide nitantur. Horum fides non est inanis, quantumuis inanis sit publica prædicatio.

Reperimur autem & falsi testes Dei, inquit, quoniam testificati sumus de Deo, quod Christum excitauerit, quē non excitauit, si uidelicet mortui non resurgunt.

Deinceps hæc duo absurda, inanis est prædicatio nostra, &, inanis est fides uestra, nonnihil exaggerat. Et primum de prædicatione: Reperimur autem & falsi testes Dei, inquit, &c. Quasi dicat: Non solum autem inanis est prædicatio nostra, si Christus non resurrexit, sed & hæc cōsequitur impietas, quod de Deo falsò simus testificati, quod uidelicet excitauerit Christum, quem non excitauit, si mortui non resurgunt, simusque adeo non solum seductores mundi, inania prædicantes, sed & falsi testes Dei, falsum de illo testificantes, atq; ita duplici nomine digni, quos ipsa terra aperto ore absorbeat.

Illud, quoniam testificati sumus de Deo, in Græco est κατὰ θεοῦ, quod uetus interpres reddidit, aduersus Deum, quemadmodum & Ambrosius & Augustinus legunt, & Germanicus interpres uertit, *wider Gott*. Erasmus tamen uertit, de Deo. Sane nonnunquam, præsertim apud dialecticos, reperitur præpositio κατὰ hoc sensu genitiuo iungi, ut cum dicimus animal prædicari κατ᾽ ἀνθρώπου, id est, de homine. Aliquando κατὰ θεοῦ sensu iurandi idē est quod per Deum. At non conuenit ut sic accipiamus hoc loco.

Nascitur ergo alia atque alia particulæ huius expositio. Qui legunt: quoniam testificati sumus aduersus Deum, sic sentiunt culpari apostolos hac consequentia, ut extra culpam sit Deus, ipsi uero in illum impij depræhendantur. Et hinc est, quod colligitur ex hoc loco, impium esse testificari de Deo quod fecerit quæ non fecit, aut quod faciat quæ non fa-

A cit, uel, quod facturus sit, quę facturus non est, non mala modo ac uituperanda, sed & bona ac laudanda, quale est, excitasse Christum filium suum à mortuis.

Sic Augustinus Episto. octaua ad Hieronymum loco præsenti utitur dicens: Possunt uideri etiam de laudibus Dei esse officiosa mendacia, ut apud homines pigriores dilectio eius ardescat, atque ita nusquam certa erit in libris sanctis castæ ueritatis authoritas. Nónne attendimus eundem Apostolum, cum ingenti cura commendandæ ueritatis dicere: Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei, quia testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauit Christum quem non suscitauit?

Si quis huic diceret, quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod etiamsi falsum sit, ad laudē Dei maxime pertinet? Nónne huius detestatus insaniam, quibus posset uerbis & significationibus in lucem penetralia cordis sui aperiret, clamās, non minore, aut fortasse etiam maiore scelere, in Deo laudari falsitatem, quàm uituperari ueritatem?

Hæc ille, quæ ex eo argumentatur, quod legit: quia testimonium diximus aduersus Deū quod suscitauit Christum quem non suscitauit. Plane sic habet. Quoniam & ueracissimus est Deus & simul iustissimus, non potest aduersus illius ueritatem & iusticiam, grauius

B peccari, quàm si quis de illo falsum ferat testimonium.

Est autem falsum testimonium quod contra Deum fieri potest, quadruplex. Etenim per illud aut qđ uerū est in Deo negam⁹, aut quod falsum est asserimus, uel quod malum est tribuendo illi laudamus, uel quod bonum est uituperamus. Quare late patet hoc malum, in quod incurrant necesse est, qui de Deo docere ac prædicare præsumunt, quæ nullis sacris scripturis tradūtur, sed uel ab alijs uel ab ipsis humanitus sunt excogitata. Vtrum autem grauius sit peccatum laudare in Deo quod est falsum, uel, uituperare quod est uerum, iudicent alij. Existimo multum referre, quomodo hæc, & quibus circumstantijs, quoque proposito fiant.

Qui uero legunt: quoniam testificati sumus de Deo, fugiunt hanc sententiam, qua testimonium falsum de Deo, etiam in re laudabili, aduersarium esse Deo colligitur.

Nonnulli etiam sic exponunt, ut Deū ipsum hoc falsi testimonij peccato inuoluant, quasi author fuerit apostolis rem falsam de se, laudis gratia testificandi. Sane sic fuerint apostoli testes Dei, ut haud proprio arbitratu munus hoc de morte ac resurrectione Christi testificandi usurparint, sed ad hoc diuinitus sint electi ac constituti, unde & Christus dicebat ad eos, uos eritis mihi testes, &c. Et Petr⁹. Act. 10. Hunc Deus suscitauit tertio die, & dedit eum

 manife-

manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, &c. Quare si testimoniũ apostolorũ quod cõstitutione diuina de Christo tulerunt, falsum fuit, non illi tantum, sed cum primis Deus ipse tanquam illius author, falsi testimonij reus est. Habet hic sensus uim magnam ad incutiendum horrorẽ contra impiam pręsumptionem eorum, qui resurrectionem mortuorum negabant, unde absurda hęc & impia colligi potuerunt. Nihil uideo periculi, utram expositionem accipiamus.

Obserua quod non simpliciter dicit: Reperimur autem & falsi apostoli Dei, quoniã prędicauimus de Deo, quod excitauerit Christũ, &c. sed: Reperimur autem & falsi testes Dei, quoniam testificati sumus de Deo, quod excitauerit Christum, &c. Verbum testificandi cõsulto usurpauit. Erat enim hoc peculiare apostolorum munus, ut essent testes Dei, testificantes de Deo ac Christo filio eius quæ uiderant, & contrectauerant. Aliud est simpliciter prædicare de Christo, quod mortuus ac sepultus tertio die resurrexit, & aliud ista de illo testificari. Prius est omnium uerbi ministrorũ usq; ad finẽ mũdi, posterius uero apostolorũ tantũ, qui dicere potuerũt: quod uidimus testamur.

QVEM non excitauit, inquit, si mortui non resurgunt.] Non dicit: si mortui non resurgẽt, sed in præsenti, si mortui nõ resurgunt, quemadmodum & suprà non dixit, quomodo dicunt quidam inter uos resurrectionem mortuorum non esse futuram, sed simpliciter in pręsenti, resurrectionẽ mortuorũ non esse, ubi rationẽ reddidimus, quare sic loqui uoluerit.

Etenim si mortui non resurgunt, inquit, neque Christus resurrexit. Quoniam dixit, quem non excitauit, si mortui non resurgunt, reddit illius rationem, imò suprà redditam repetit dicens: Etenim si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Sic supra dixit: Si resurrectio mortuorum non est neque Christus resurrexit. Sensus suprà est expositus. Si Deus non excitat mortuos, mortui non resurgunt, atque ideo nec Christus resurrexit, quia Deus illum non excitauit, quod mortuos non excitet.

QVOD si Christus nõ resurrexit, inquit, superuacanea est fides uestra.] Resumit alterum absurdũ, nempe, inanis est fides uestra, si Christus non resurrexit, illudque quemadmodum prius, penitus explicat. Ideo subiungit: adhuc estis in peccatis uestris. Quẽadmodum enim uera in Christum fides liberat credentes à peccatis, uirtute uidelicet mortis ac resurrectionis Christi, ita si Christus non resurrexit, & fides in illũ prorsus est inanis, consequitᷣ esse nos adhuc in peccatis nostris. Neq; enim fieri potest, ut inani quisquã fide à peccatis liberetur.

ADHVC estis, inquit, in peccatis uestris.] Ergo, quia Christus à mortuis resurrexit, sic non

A est fides credentiũ in ipsum inanis, ut non sint ampliꝰ in peccatis. Quid igitur est quod .1. Io. 1. dicitur: Si dixerimus quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Et quod hic ipse Apost. Rom. 7. de eo tantopere queritur, quod peccatum habitet in ipsius carne? An soli Corinthij propter fidem in Christum non erant amplius in peccatis suis, erat uero adhuc ipse Apostolus, & sũt reliqui fideles omnes donec uiuũt in peccatis?

Respondeo. Aliud est esse in peccatis, & aliud habere peccatum, uel, peccatum esse in nobis. Esse in peccatis Apostolo est, esse in reatu peccatorum, ac cõdemnationi obnoxium. Sic in peccatis est omne genus mortalium, extra Christum. Credentes uero in Christum, habẽt quidem adhuc peccatum in carne sua, uerum quoniam liberati sunt à reatu peccatorum & condemnatione per sanguinem Christi, non sũt amplius in peccatis, sed fide iustificati. Qui alieni sunt à fide Christi, sunt in peccatis omnes, & peccatum in ipsis regnat ac dominatur. Fideles igitur, quamuis non sunt amplius in peccatis & condemnatione, agnoscunt tamẽ adhuc in carnẹ sua peccati malitiam, deq; illa cum Apostolo dolenter queruntur, tam abest, ut dicant se non habere peccatum.

IGITVR & qui obdormierũt in Christo, inquit, perierunt.] Sic incommodum ex incommodo nascitur. Si Christus non resurrexit, inanis est Christianorum fides. Si fides inanis est, B sumus adhuc in peccatis nostris. Si adhuc in peccatis sumꝰ, cõsequitᷣ perire eos qui moriuntur in Christo. Retinentᷣ enim æternæ mortis uinculis, ꝓpter peccata in quibꝰ sunt mortui.

Cauendum uero est, ne uerbum, perierunt, idem esse sentiamus quod, in nihilũ abierunt, prius anima & corpore extincti sunt, ut nihil de illis maneat reliqui. Nam animæ mortuorum tam fidelium quàm infidelium supersũt, licet impari sorte, donec in die iudicij corporibus suis reddantur. Pereunt tamen infideles, dum moriuntur, propterea quod æternæ sunt morti & condemnationi obnoxij.

Quod fideles attinet, qui in Christo, hoc est, in fide, & si ita uisum sit Deo, propter fidẽ Christi moriuntur, non moriuntur illi sed obdormiunt, propter sequuturam resurrectionẽ non animarum sed corporum, nec pereunt, sed spiritu transeunt à morte in uitam, licet corpore quiescant in terra. Quare uigilãter factum est, quod loca sepulturæ Christianorum uocarunt κοιμητήρια, id est, dormitoria, nõ propter animas, quæ non in sepultura cum corporibus condũtur, sed in cœlestia deportãtur sed propter corpora in sepulcris quiescentia, indeq; uelut è cubili in die Domini proditura.

Consulto itaq; non dixit: Igitur qui mortui sunt, sed, qui obdormierũt in Christo. Quamuis enim resurrectionem mortuorum nõnulli negabant, quorum dementiam præsenti argumẽtatione corrigit, nihilo tamen secius incon

cussa

cussa erat Christianæ doctrinæ pariter ac fidei ueritas, ideoq; qui obierant in Christo obdormierant, non perierant.

Dicet hic quisquam de numero eorum qui Romano Papatui adhęrēt. Maiores nostri crediderūt Christum resurrexisse à mortuis, & in ea fide, in qua nos sumus, obdormierunt, ergo non perierūt. Siquidem uirtute resurrectionis Christi credentes in ipsum nō pereunt sed seruátur. Seruabimur itaq; & nos in fide hac Romanæ ecclesię manētes, in qua ipsi obdormierunt & salui facti sunt.

Respondeo. Verum est, qui credunt in Christum pro peccatis nostris mortuū, sepultum, & tertio die à mortuis excitatum, nō pereunt, sed seruátur. Deinde, facile credimus fuisse in Papatu tot iam elapsis sæculis multos fideles ab initio ad uitam in Christo electos, quibus symbolū apostolicæ fidei cordi fuerit, & Christus totius fidei, spei ac salutis anchora. Tertio de illis recte credimus, quod propter fundamentum Christum, cui innixi fuere credētes, in cuius etiam fide obdormierunt, non perierint, sed saluti sint & uitæ æternæ participes. Hinc tamen nō potest recte colligi, quod propter Papisticæ religionis non fidem, sed superstitiones salui sint facti, uel quisquā ob id debeat in Papatu manere, q maiores nostri in illo sunt mortui. Aliud est enim manere in fide mortis ac resurrectionis Christi, in qua sola est salus & uita, & aliud manere scienter ac prudēter in Papatu, per quem nemo saluatur, innumeri uero perdūtur. Singulari ope Dei multi seruantur in mari, & licet in naufragium incidant, eripiūtur tamen. Nemo tamē sic insanit, ut dicat, manebo in mari. Nā multi in illo sunt hactenus seruati. Mare quoddam est Papatus, innumeris procellis, uoraginib9, syrtibus, scyllis, charybdibus, & alijs errorum, falsorum cultuum, superstitionum, tenebrarū, captiuitatis conscientiarum, tyrannidis & improbi dominatus periculis refertū, in quo innumera millia falsorum Christianorū perierunt ac pereūt, qui uero seruati sunt & adhuc seruantur, admirabili ac singulari gratia Dei per fidem in Christum seruati sunt, perinde atq; septem illa millia fideliū, qui tēpore Eliæ singulariter sic fuerūt seruati à Deo, ut genua sua nō incuruarunt ante Baal, quorū mētio in Ro. cap. 11. facta est.

SI in uita hac tantum spem positam habemus in Christū, inquit, miserabiliores sumus omnibus hominibus, uel, ut quidā uertūt, miserrimi sumus omnium hominum.] Postremum hoc est absurdum & incōmodum. Si resurrectio mortuorum non est nulla nobis post hanc erit uita futura. Si nō uiuemus post hanc uitam, ergo fides nostra ac spes de Christo concepta præsenti hac uita sic terminatur, ut nihil nobis post illam inde sit emolumenti futurū, etiamsi ille à mortuis resurrexerit. Quid hinc cōsequetur aliud, quàm spem Christianorum esse temporariam ac præsentis tantū uitę, atq; ita Christianos omnium esse mortalium infelicissimos? Sic puto particulā hanc habere occupationem, ne obijciat quisquam. Etsi nō credimus futurā esse mortuorū resurrectionē, credimus tamen Christum esse à mortuis excitatum, illiq; tanquam nostro domino spe ac fiducia adhæremus. Ergo, inquit, in hac tantum uita habemus dominū Christum, & spes nostra quæ in illum est, huius tantum uitæ bona spectat. Nam etiamsi ille à mortuis excitatus non est moriturus amplius, sed uicturus in sempiternum, nobis tamen prodesse nō poterit, nisi uiuamus & ipsi. Itaque si totam spem nostram in Christum præsentis tantum uitæ bonis & commodis metimur, nemo nobis ex omnib9 est mortalibus infelicior.

MISERABILIORES sumus, inquit, omnibus hominibus.] Quare? An ob id quod pręsentis tantū uitæ bona acciperemus, si nō esset alia uita post hāc pręsentem futura? At hac ratione nō essemus reliquis hominibus miserabiliores. Nam & illorum eadem est conditio. Qui extra Christum sunt accipiunt bona temporaria in uita sua, secūdum exemplū diuitis epulonis. Si Christianus quoq; propter Christum, uel per Christū nonnisi huius uitæ bonis fruitur, non uideo quare ob id cæteris sit infelicior. Inspice totum illum ordinē ecclesiasticū pontifices, Carnales, episcopos, prælatos, abbates, canonicos, sacerdotes, monachos & monachas, quorum pars maxima temporaria tātum in Christo bona, dominia, dignitates, præbendas, beneficia, &c. sectatur, atq; ita temporariū tantū Christū amplectit̃, an illos cæteris mortalibus omnib9 miserabiliores esse cēsebim9? Vsq; adeo felices sunt, ut fortunas suas ne cū regum quidem felicitate commutēt. Quid est igitur, quod Apostolus hic dicit: Si in hac tātū uita speramus in Christum, omniū sumus hominū miserrimi? Quomodo & in quibus hoc Christianis uerū esset, si nulla nobis in Christo spes esset, nisi præsentis huius uitæ? In carnalib9 sane ac falsis nihil haberet loci, sicuti patet in illis quorū memini, qui se norunt accōmodare sæculo, & quibus nulla prorsus est de futura uita cogitatio. Relinquit̃ ergo cōcernere hoc ueros Christianos, q quoniā pie uolūt uiuere in Christo Iesu, seipsi abnegāt, crucē suam tollūt, & Christum crucifixū sequētes à mūdo, cui sunt crucifixi, innumeris modis exagitant̃, suntq; uelut oues occisiōis, quos hanc ob causam sapiētes hui9 mūdi ꝓ insanis habēt ac deploratis. Tolle istis futuræ uitæ spē, & uide, an nō oīm sint censendi miserrimi, ꝓpterea q ne præsentis quidē uitæ cōmodis utunt̃ cū alijs, sintq; perinde post mortē perituri atq; cæteri omnes. Huc accedit, quod in carne sua ꝓpter peccati reliquias multis sunt tētationibus obnoxij, & assiduo certamine contra Satanam pugnando fatigantur. Præterea magna illis est afflictio spiritus cum propter irremissum desyderium, quo dissolui & cum Christo esse cupiunt,

cupiunt, tum propter perditionem mortaliũ, quos Satan cæcitate mentis percussos captiuos habet, & in barathrum perditionis præcipitat. Hoc genus hominũ, si nulla sit expectanda futuræ uitę felicitas, quis non duxerit omnium esse miserrimum?

Tam igitur Christianismi gloria & felicitas non sunt præsentis huius uitæ, ut si futuræ uitæ spes tollatur, nihil sit homine Christiano in mundo magis inglorium & infelicius. Hic enim palæstra tantum est, frequens pugna, irremissus labor, indesinens tentatio, passio & afflictio spiritus, odium Vatinianum à Satana & mundo sustinendum, auiditas desyderij, fidei ac spei exercitium, probatio per patientiam & quæ alia sunt huiusmodi, in quibus est gloria nulla, miseriarum & ærumnarum multum. In futura uero uita horum omnium finis erit cũ gloria & felicitate non modo magna, sed & prorsus infinita. Hic cum innumeris molestijs peregrinamur à Domino, absentes à facie gloriæ eius, illic cum gaudio exultabimus ac refocillabimur in patria. Sic diuisus est Christianismus in præsentem hãc & futurã uitam ut pręsenti deputatum sit exercitiũ probationis per omnis generis tentationes ac passiones, futuræ uero corona uictoriæ, cum gloria & felicitate sempiterna. Quare si quis ordinẽ hunc peruerterit, quęrens in prima Christianismi parte, quod expectandum demum est in altera, omni suo conatu frustrabitur. Sunt enim priores passiones posteriores gloriæ. Rursus si qui primæ se parti accommodant, spe alterius frustrẽtur, omnium necesse est sint mortalium miserrimi, felicissimi uero, si illius fuerint facti compotes.

NVNC autem Christus surrexit ex mortuis, inquit.] Hactenus ex falsa propositione eorum, qui resurrectionem mortuorũ inter Corinthios negabãt, falsa, absurda & incommoda collegit, quæ errorem illorum consequuntur, ut de his erubescentes errorem relinquerent, uel si nollent, etiam consequentia absurda tenere, atque ita totum Christianismum subuertere cogerentur.

Non sunt enim uera absurda, sed falsa, q̃ ex falsa quidem sententia, uera tamen connexione & argumentatione colligit dicens: Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides uestra, &c. quorum nihil est uerum. Surrexit enim Christus, & neque prædicatio apostolorum, neque fides Christianorum inanis est, neque sunt apostoli falsi, sed ueracissimi testes Dei. Nam filium suum Deus uere excitauit, neque sunt in Christum credentes adhuc in peccatis, neq; pereunt qui in illo obdormiunt, sed omnino seruantur, & Christianorum spes non præsentis tantum, sed futuræ potius est uitæ, suntq; ideo omnium mortalium non miserrimi, sed felicissimi.

A Et tamen absurda hęc quæ obiecit Apostolus, præcedentem propositionem, qua resurrectionem mortuorum non esse dicebant, necessario sequuntur. Itaque cum illa fuit falsa, consequitur & propositionem illam, quam ea ueraci argumentatione sequuntur, necessario esse falsam.

Etenim ubi consequentia falsa sunt & absurda, quo magis firmiore ratiocinatione consequuntur, hoc magis præcedentem propositionem unde colliguntur falsam esse conuincunt, quare relinquitur falsum esse, quod resurrectionem mortuorum nõ esse dicebant, ideoque omnino futurum, ut mortui resurgant. Cum igitur Apostolus euidentissima id ratiocinatione collegisset, mox subiungit dicens: Nunc autem Christus surrexit à mortuis. Vbi uocula, nunc, non temporis habet connotationem, sed præmissæ argumentationis conclusionem. Neque enim Christum tum resurrexisse dicit, sed sic ex præmissa argumentatione concludit. Quasi dicat: Iam uero nihil ueri habet hæc omnia. Surrexit enim Christus ex mortuis, quare sequitur, mortuorum esse resurrectionem.

Non dicit: Nunc autem mortui resurgunt, sed, Nũc autem Christus surrexit ex mortuis, quia in quæstione erat, an mortui resurgerẽt, de eo uero, quod Christus ex mortuis resurrexisse prædicatur, nulla erat in ecclesia controuersia. Id ergo conclusionis uice ponit, unde quod illi negabant, uerum & præmissa absurda falsa esse comprobantur.

B

Primitiæ eorum qui dormierant fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur: unusquisq; autem in proprio ordine, primitię Christus, deinde ij qui sunt Christi, in aduentu ipsius.

Refutauit errorem eorum, qui resurrectionem mortuorum negabant inter Corinthios, fecitque hoc argumentis, non apud Gentes, sed apud Christianos authenticis. Horum autem primum & potissimum est, quod de resurrectione Christi attulit, ex quo reliqua deducuntur, & unde resurrectio mortuorum constat, quam in fine mũdi futuram expectamus. Consequenter igitur quarto capitis huius mẽbro docet resurrectionem Christi causam esse nostræ resurrectionis. Et facit hoc simili & exemplo. Simile habet, qđ dicit: Primitiæ eorũ q dormierãt fuit. Notũ est, qs usus primitiarũ fuerit in lege. Offerebãtur illæ & cõsecrabantur domino, ad hoc, ut in illis omnia reliqua quoq;, unde erant desumpta, sanctificarentur.

Sic primitiæ frumenti, uini, & olei, sanctificatio erãt reliquorum fructuum omniũ, quos de manu

de manu Domini acceperant. Consimili modo resurrectio Christi instar primitiarum fuit, per quam corpora nostra ad futuram sunt resurrectionem sanctificata.

Etiam hoc nomine primitiæ resurrectionis Christo dantur, quod is ex omni dormientiũ numero primus resurrexit, intellige, resurrectione plena ac perfecta, quam nõ est mors ulla sequutura, qua ante ipsum nemo surrexit unquam. Hoc sensu Colloss.1. & Apocalyp.1. Vocatur primogenitus ex mortuis. Non est tamen primogenitura hæc ex mortuis excitati Christi ad ordinem tantum simpliciter referẽdum, quo primus omnium ex mortuis resurrexit, quemadmodum primogenitus primus de numero sequuturorum fratrum ex utero matris sic nascitur, ut tamen non sit illis causa nascẽdi, sed simul ad dignitatem capitis, quod sic primum in partu uterum egreditur, ut & omnia corporis sui membra post se trahat, sitq; illis non modo exemplum sed & causa nascendi. Sic Christus primitiæ dormientium & primogenitus ex mortuis fuit. Hoc sensu collimat Apostolus ad resurrectionem nostram cõmunem, facitque causam, principium spem ac fiduciam illius ex resurrectione Christi.

Quid est autem quod in præterito dicit, primitiæ κεκοιμημένων, quod Erasmus uertit, eorũ qui dormierant. An eorum tantum primitias habet Christi resurrectio, qui tum cum ipse resurgeret, mortui fuerant, & non omnium etiã ad finem usque mundi sequentium? Si non omnium, sed illorum tantum, ergo non omnes mortui, sed illi tantum resurgent. Si uero resurrecturi sunt omnes, ergo non illorum tantum sed & futurorum omnium primitiæ in Christi resurrectione præcesserunt. Quid igitur est, quod non simpliciter dicit: primitiæ dormiẽtium, sed, in præterito, primitiæ eorum qui obdormierant.

Potest bifariam responderi. Primum illud κεκοιμημένων idem esse, quod, somno sopitorum, obsoporatorum, adeoque & dormientium, quemadmodum & uulgata habet uersio, ut non sit referendum ad eos specialiter, qui ante mortem Christi inde ab initio mundi mortui fuerant, sed in genere ad omnes etiam ad finem usque mundi morituros. Deinde, si omnino sensus præteriti, & Erasmi uersio retinenda uidetur, existimo sic loquutum esse Apostolũ, ut significet ante Christum, neminem mortalium, ne patriarcharũ quidem, nec Mosen nec prophetarum quempiam plena & perfecta resurrectione resurrexisse, quo gloriam primitiarum ac primogenituræ ex mortuis soli Christo destinatam fuisse intelligamus, ut ipse primus omnium ad cœlestem gloriam & immortalitatem resurgens omnibus esset futuræ resurrectionis princeps & author. Et hoc sensu nihil demitur nobis, qui post resurrectionem Christi obdormimus. Etenim si illorũ potuit esse mortuorũ primogenitus, qui ante ipsum mortui erant, multo magis eorum esse potest,

A qui post illum mortui sunt, & ad finem usque mundi moriuntur.

Postquam enim per hominem mors, etiam per hominẽ resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur.

Reddit rationẽ quare & quomodo sit Christus primitiæ dormientium resurgẽdo factus. Et facit hoc per contrarium exemplum inductæ per hominem mortis. Mors occupauit uniuersum genus humanum, inducta per hominem. Sic igitur constitutum est diuinæ bonitatis consilio, ut quoniam per hominem mors est, sit etiam per hominem resurrectio mortuorum. Hoc est quod dicit: Postquam enim, uel, Quoniam enim. Græce ἐπειδὴ γὰρ, per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Non dicit: quoniam inter homines mors obtinet, uoluit Deus ut sit etiam inter homines resurrectio mortuorum, sed, quoniam per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Confert utriusque & mortis & uitæ originem & refert illam ad duos homines, quorum primum mortis, alterum uitæ facit authorem.

PER hominem mors inquit.] Rom.5. locus hic fusius explicatur. Ibi mortẽ nõ simpliciter per hominẽ, sed per unum hominẽ esse dicit. Deinde quomodo id factũ sit explicat dicens. B Propterea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit. Ergo mors est per unum hominẽ & per peccatum. Necesse igitur est per unum hominem peccatorem uenerit mors in mundum. Sed ea de re fusius diximus in ea quæ est ad Romanos. Modum hic Apostolus non explicat, quia non agit de peccato & iustificatione sed de morte & resurrectione, idque non in uniuersum, sed quatenus concernebat propositum asserẽdæ resurrectionis mortuorum, quæ est per uirtutem ex mortuis resuscitati Christi.

ETIAM per hominem resurrectio mortuorum inquit.] Vt homo per peccatum mortuus à peccato & morte liberaretur ac seruaretur, cum id diuina constitueret clementia, potuitne aliter fieri quàm per hominem? Si hominẽ condidit solo uerbo, quem uerbo condidit, nõ potuit solo uerbo uitæ quã amiserat restituere? Quid necesse erat, ut hoc faceret per hominẽ? *Quæstio.*

Respondeo. Arcanum consilij Dei non est temere scrutandum sed religiose adorandum. Satis sit, quæ salutis nostræ sunt scire, redemptos uidelicet nos esse per gratiam, & quemadmodum mors per unum hominem introijt in mundum, ita uitam nobis per unum hominem contigisse. Quare per hominem contigerit, & num aliter contingere nequiuerit, nec scrutari debemus, nec etiamsi scrutemur capere poterimus.

Est enim abyssus quædã consilij huius quo Deus

Deus hominem ad imaginem suam condere & post lapsum restituere ac philanthropiam suam non solum restituendo sed & ipso restitutionis modo declarare uoluit. Lapsus est angelus, uerum usque adeo φιλάγγελος non est, ut angeli assumpta natura prolapsos restitueret angelos. Lapsus est homo, & morti per peccatum factus obnoxius. Hic quo declararetur quàm esset Deus φιλάνθρωπος, non modo restituit prolapsum ac mortuum, sed & communicatione hoc utriusque naturæ diuinæ & humanæ per hominem communicationis huius mediatorem facere uoluit. Hic ne ego quæram, quare ad hunc modum uoluerit, & num aliter fieri nequiuerit, & non magis obstupescam erga tantam diuinæ Maiestatis dignationem?

Si quæras, quare non angelum sed hominem ad imaginem suam cōdere uoluerit, quid responderi poterit aliud, quàm quod sic dilexerit hominem magis quàm angelum.

Rursus, si quæras, quare hominem peccatorem morti eripere uoluerit, cū angelum prolapsum non restituat, iterum recte respondebitur, quia hominem diligit magis quàm angelum.

Tertio, si quæras, quare ut hominem redimeret humanam in se naturam suscipere uoluerit, cum angeli naturam non susceperit, etiam hic non potest responderi melius, quàm quia magis diligit hominem, quàm angelum.

Si uero pergens tantæ philanthropiæ causam quæsieris, quare hominem magis diligat Deus quàm angelum, hic non habemus quod respondeatur aliud quàm tātæ philanthropiæ mysterium adorandum esse religiosissime, nō scrutandum curiose.

PER hominem mors, inquit, & per hominem resurrectio mortuorum.] Mors per hominem peccatorem propter peccatum. Resurrectio igitur per hominem iustum, propter illius iusticiam. Ergo quàm diuersa sunt à se inuicem peccatum & iusticia, mors & resurrectio ex mortuis, tam diuersos hos duos à se inuicem oportet esse homines, & tamen uere homines. Etenim peccatorem esse, uel iustum esse, nec demit quicquam, nec addit humanæ naturæ. Quàm uerum est quod dicit: per hominem mors, tam uerū est quod addit, & per hominem resurrectio mortuorum. Erat Adā uerus homo, tam ante, quàm post peccatum. Sic Christus propterea non est non uerus homo, quod nō est nobiscum peccato obnoxius. Et nos ubi à peccato erimus prorsus liberi, ueri utiq; homines adhuc erimus.

PER hominem mors, inquit, &c.] Sic est mors per hominem, ut non in alios tantum sit ab illo propagata, sed ipsum quoque corripuerit ac mortuum reddiderit. Sic nanque par erat, ut malo suo ipse conficeretur illius author. Iam si resurrectio mortuorum perinde est per hominem, atque per hominem mors est, consequitur illum, non alijs tantum debuisse fieri

A

resurrectionis authorem, sed ipsum quoque à mortuis resurgere. Resurgere autē à mortuis non potest, nisi antea mortuus. Sic paucis uerbis mysteria magna compræhenduntur.

QVEMADMODVM enim per Adam omnes moriuntur, inquit, ita & per Christum omnes uiuificabuntur.] Specificantius exprimit quod dixit: per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.

Primum enim specificat duos illos homines, unum uocans Adamum, alterum Christum. Quomodo per Adamum sit mors, cum mulier prima peccarit, diximus in Romanis.

Deinde explicat collationem utriusq;, non simpliciter dicens, per Adam morimur, & per Christum uiuificamur, sed, Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur.

Quod omnes moriamur manifestū est per quotidianam experientiam

Deinde quod omnes mortales ab Adamo primo homine generis propagatione descendamus, nihil habet controuersiæ.

Tertio, quod communem mortalitatem ex illo hæreditaria lue nascendo contrahamus omnes, sacris literis docetur, & aliàs facili ratione compræhēditur. Cui nanque tam commune, tam perpetuum, tamque hęreditarium malum deputabimus, quàm primo parenti, à quo omnes descēdimus? Ergo cōsimili modo nō pauci aliquot, sed omnes per Christū uiuificabuntur, sicut omnes per Adam moriuntur.

B

Est hic locus admodum insignis. In eo nanque maxime, sicut & Augustinus annotauit, fides Christiana consistit. Primam illius partem de communi omnium mortalitate per Adamum contracta, humana ratio facile agnoscit, alteram uero de uiuificatione quæ est per Christum, non ratio sapientium, sed fides credentium capit & agnoscit, quam qui negat, nullo modo ad gratiam hanc pertinet, quę per Christum communicatur credentibus. Quod uiuificabimur, quod omnes, quod per Christū nulla humana ratione capitur. Quare propter fidem hanc in Christum à sapientibus huius mundi ridemur.

Sed quæritur hic, quomodo dicatur ab Apostolo, omnes esse uiuificandos per Christū, perinde atque omnes moriuntur per Adamū? Cum constet ex alijs sacræ scripturę locis non omnes per Christum, sed electos tantum & credentes uiuificari, ac saluari. Malum enim quod est per Adamum uniuersale est non potentia tantum, sed & actu omnes in uniuersum mortificans. At gratia quæ est per Christum, licet potentia sit uniuersalis, ut posit saluare omnes, actu tamen non est nisi fidelium, ideoque ad latitudinem uniuersalis mali non perueniēs. Quare uidetur non fuisse dicendū, ita & per Christum omnes, sed, ita & per Christum multi uiuificabuntur.

Quæstio.

Respondeo. Non hoc agit Apost. ut omnes in uniuersum saluos fore dicat, sed quoniā in

præsenti disputatione, fidē resurrectiōis mortuorū per Christi resurrectionē astruit, ut hāc illustret, utitur hac collatione Adæ & Christi, docens Christum esse uitæ autorem, quemadmodum Adam est mortis, ut sicut extra Adamum nemo hominum moritur, in Adamo nemo constitutus non moritur, ita extra Christum nemo uiuificetur, & in illo nemo non uiuificetur. Hic non conueniebat ut diceret, ita & in Christo aliqui, pauci, multi uiuificabuntur. Mox enim inferri posset, ergo non est ille communis omnium uiuificator, sed fieri potest, ut aliunde etiam uiuificemur, qui sensus plenitudinem collationis huius infringeret. Recte ergo non dixit, ita per Christum multi, sed, ita & per Christum omnes uiuificabūtur. Siue enim uiuificationem hanc de ea quæ electorum & fidelium est tantum, siue de communi omnium mortuorum resurrectione intellexerimus, uerissimum est, quod dicit, nec potuit melius particulam hanc exprimere. De resurrectione communi omnium intelligi posse non abnuit Ambrosius dicens: Quamuis & generalem tribuet resurrectionem, ut sicut in Adam omnes siue iusti siue iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes, tam credentes quàm diffidentes resurgant, licet ad pœnam increduli, uiuificari tamen uidentur, quia corpora sua recipient, iam nō morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quod credere noluerunt. Hæc ille. Et Chrysostomus hac de re annotans dicit: Quid autem, dic quæso, num omnes in Christo uiuificabuntur? Et ubi erunt, qui in gehennam abducentur? Quod si de corpore fuerit hoc dictum, perstat sermo, si de iusticia uero & peccato, non item. Hæc iste. Sane uerbo uiuificādi usus uidetur Apostolus, pro uerbo resurgendi. Cum enim dixisset: Posteaquā per hominem mors, per hominem & resurrectio mortuorum, subiecit explicandi gratia. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christū omnes uiuificabuntur, cum dicendū esset, resurgent. Deinde non dixit, uiuificantur, in præsenti, sed, uiuificabuntur, in futuro. Ea autē uiuificatio quæ electorum est per spiritum Christi, non demum erit in futuro, sed in hac uita incipit per fidem. At hic non de illa, sed de resurrectione mortuorū loquitur, quam quidam ex Corinthijs negabant, corporum utiq; non animorum uiuificationem negantes. Transit quidem peccatum Adæ in omnes, non autem iusticia Christi consimiliter omnibus est concessa, uerum hinc nō est argutandum hoc loco, sed permanendum in proposito, quo Apostolus causam resurrectionis mortuorum tueri uoluit. Quod si hūc sensum acceperimus, nō debuit dicere Apostolus, ita & per Christum multi, sed, omnes uiuificabuntur. Nam omnino ut omnes in Adam moriuntur, sic in Christo omnes in die iudicij boni & mali, electi ac reprobi resurgent, idq; non nisi Christi uirtute, quem pater ad hoc est missurus, ut iudicium ferat in omnes.

Quod si nō de communi resurrectione, sed de electorum ac fidelium uiuificatione intellexerimus, quod dicit: ita & per Christum omnes uiuificabuntur, retinenda est Græca lectio, quemadmodum in Adā omnes, id est, quotquot communicatione carnis sunt in Adam, moriūtur, ita & in Christo omnes, id est, quotquot sunt in Christo, in communicatione uidelicet spiritus, uiuificabuntur. Illic omnes, & hic omnes. Illic omnes homines, hic omnes electi & credentes. Adam suis omnibus author est mortis, Christus uicissim suis omnib⁹ qui sibi sunt incorporati, author est uitæ.

Hanc sententiam Augustinus sequutus est, illamque sic exposuit Epistola uigesimaoctaua. Per hanc enim Apostolicam diuinam claramque sententiam, satis euidenter elucet, neminem ire in mortem nisi per Adam, neminem ire in uitam æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe, omnes & omnes, quia sicut omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam, sic omnes homines ad secundam, id est, spiritualem regenerationem ueniunt, quicunque ad Christum perueniant. Ideo ergo dictum est, & hic omnes, & ibi omnes. Quia sicut omnes qui moriuntur, nonnisi in Adam moriuntur, ita omnes qui uiuificabuntur, nōnisi in Christo uiuificabuntur. Hæc ille. Sane sic habet electorū uiuificatio. Atq; ita ne hoc quidem sensu conueniebat ut diceret, ita per Christum multi uiuificabuntur.

Annotationes quæ Hieronymo dantur, sic habent: Omnes quidem resurgent, sed soli hi uiuificabuntur in Christo, qui Christi merebūtur copulari corpori. Item, de cōmuni morte, & de communi resurrectione dicit. Hæc ibi leguntur, quibus utranq; sententiam posuit.

Augustinus loco suprà citato, hæc de paruulis adijcit: Quisquis dixerit quod in Christo uiuificabūtur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de uita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem uenit, & totam cōdemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis paruulis, festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo uiuificari omnino nō posse. Qui autem nō uiuificatur in Christo, restat ut in eadem damnatione maneat, de qua Romano. 5. Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. Hæc ibi, quibus gratiam salutis quæ per Christum est, sic alligat sacramento, ut priuationem illius, etiam eam quæ necessitate fit, non uoluntate, ad condemnationem facere, uel certe in condemnatione paruulos fidelium retinere asserat, cum non priuatio sed contemptus baptismi damnet. Eadem incogitantia de Eucharistia scripsit, faciēs eam necessariam usq; adeo, ut si qui de illa non communicent, uitam habere nequeant.

Sane uerum est, nemo prorsus uiuificatur, nisi in Christo constitutus. At in Christo esse cum non sacramentaliter tantum cōtingat

sed

sed alijs etiam modis, ijsq; uerioribus & efficacioribus puto incogitanter asseri, paruulos in Christo nisi per baptismum esse nō posse. In Christo sunt electi, quos illi pater dedit ab æterno & ad salutem prædestinauit. In Christo sunt credentes, in Christo sunt credentium liberi, uirtute fœderis, secūdum illud: Ego sum Deus tuus & Deus seminis tui. Vnde & Christus ipse dixit: Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Hos omnes propter baptismi priuationem tanquā à Christo alienos habendos esse pro damnatis, non uideo quomodo firmis argumētis posit probari. Quod ecclesia cū infantibus hanc ob causam ad baptismum festinat & currit, quod credat eos alia nō posse ratione uiuificari in Christo, non magis est probandum quàm quod olim eadem ratione cū paruulis suis ad Eucharistiæ communicationem festinādum & currēdum esse credidit, quam tamen opinionem & consuetudinem tanquam erroneam, postea abiecit.

Quod uero Apostolicam prędicationem citat, si de præsenti loco intelligit, non probat quod ex eo colligit. Neq; enim aliud Apostolus docet, quàm ut in Adam omnes moriūtur, ita in Christo omnes esse uiuificādos. Dogma autem hoc, quod fidelium paruuli in Christo esse ac saluari nisi per baptismum nō possunt, nemo Apostolus unquam tradidit. Paruulos fidelium scimus in Adam morti esse obnoxios propter originale peccatum in quo concipiuntur & nascuntur, atq; ita nisi per Christum saluari non posse, id quod Pelagiani non agnoscentes, merito sunt reprobati. Iuxtà tamen scimus illos esse in fœdere Dei, pertinere ad regnum cœlorum & esse in Christo, ideoque illi adferendos & per baptismum, tanquam initiationis ac regenerationis sacramentum corpori illius etiam sacramentaliter inserendos, si id nulla necessitate impediatur. Sacramentale signum non facit, ut sint in Christo, sed quoniam ad illum pertinent, inq; illo sunt uirtute electionis ac fœderis Dei, ideo sunt ecclesiæ Dei sacramento baptismatis incorporandi. Quod si id fieri non potest, solentur se fideles parentes certitudine diuinæ electionis ac fœderis Dei, nec dubitent omnium esse certissimum quod dictū est à domino: Ego sum Deᵘ tuus, & Deus seminis tui, & quod Christus regnum cœlorum talium dixit esse paruulorum, quæ duo oracula sic sunt firma & fideli homini indubitata, ut etiamsi mille Augustini diuersum disputent, ne unum quidem ex illis apicem irritum reddere posint.

VNVSQVISQVE autem in proprio ordine, primitię Christus, deinde ij qui sunt Christi, in aduētu ipsius.] Ne confusam fore resurrectionem putemus, cum dixisset, ita & in Christo omnes uiuificabuntur, hoc est, è mortuis resurgent, particulam hanc adiecit dicens: Vnusquisq; autem in proprio ordine. Quibus uerbis admonet, causam resurrectionis esse à Deo

A certo quodam ordine dispositam. Non quo sit alius aliter, & alijs alij temporibus resurrecturi, sed quo inter communem & eam quæ Christi est, resurrectionem discrimen sit constitutum. Quare quod dicit: unusquisq; autem in proprio ordine, non est præter sensum Apostoli diuexandum, quasi ea quisque ætate qua est mortuus, uel ea cōditione qua erat cum in uiuis ageret, sit resurrecturus. Etenim mox exponit de quo ordine loquatur, cum subijcit dicens: Primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, in aduentu ipsius. Resurrexit Christus triduo post mortem suam primus omnium, quo primitiæ esset resurrectionis & primogenitus ex mortuis, id quod suprà exposuimus.

Hic erat illi ordo dispositus à patre. Cæterorum resurrectio in alium est ordinem destinata, etiam eorum qui sunt Christi membra. Is est, ut in aduentu ipsius demum è mortuis excitentur, quod fiet in fine mundi. Sic dicit: deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius. Non soli resurgent qui sunt Christi. Resurgent omnes. Sed ij primi. Sic. 1. Thessal. 4. dicit: & mortui in Christo resurgent primum, post illos surgent & reliqui. At horum mentionem non facit, quia quæ scribit ad fidem ac spem Christianorum confirmandam scribit.

Illud: in aduentu ipsius, in uulgata uersione est, qui in aduentu eius crediderunt. At uerbum, crediderunt, in Græco non est. Nec legitur ab Ambrosio, nec à Chrysostomo. Ambrosius refert ad utrunq; Christi aduentum, quod
B in secundo resurrecturi sint sancti communiter, & in primo nonnulli resurrexerint specialiter. Verum rectius ad secundum dūtaxat refertur, sicut & Chrysostomus facit. Loquitur enim nō de speciali paucorum resurrectione, sed de ordine quo communiter in aduētu domini resurgemus.

Non est autem præter rationem quod ordinis huius meminit & temporis, quo futura est mortuorum resurrectio. Quoniam enim magna ea est humani ingenij curiositas & impatientia periculum erat, ne propter tot sæculorum moras diceremus: Si Christus primitiæ fuit resurrectionis mortuorū, qui fit quod non statim resurgunt, qui ad illum pertinent? Occupans igitur, primus quidem resurrexit, inquit, Christus tanquam primitiæ dormientiū, uerum non mox resurgent qui ad illum pertinent, sed constitutus est illis certus certi temporis ordo, quem præuenire non poterunt. Is autem erit in illius aduentu.

Quare uero differatur communis resurrectio fidelium in aduentum Christi secundum, qui futurus est in fine mundi, facile cogitari potest. Tunc enim præsentis mundi status terminabitur, & completus erit electorum numerus. Deinde ea erit resurgentium conditio, & corporum qualitas, quæ non pręsentis mūdi corruptioni, sed futuri claritati & incorruptioni cōueniat. Possunt & aliæ esse causæ, sed hæ sunt manifestæ.

Quomodo

Quomodo per aduentũ Christi excitandi sunt mortui, Matthæi 24. memoratur ad hunc modum: Et uidebũt filium hominis uenientẽ in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cũ magna uoce tubæ, & congregabunt electos eius à quatuor uẽtis à terminis cœlorum usq; ad terminos eorum. Et Iohan. 5. ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocẽ eius (filij hominis) & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Et 1. Thess. 4. Ipse dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum.

Mox finis, cũ tradiderit regnũ Deo ac patri, cum aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatẽ ac uirtutẽ. Nam oportet eũ regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis aboletur mors. Nã omnia subiecit sub pedes illius. Atqui cum dicit, quod omnia subiecta sint, palã est excipiendum eum qui subiecit illi omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit oĩa, ut sit Deus oĩa in omnib.

Habent ista occupationẽ qua respondetur illis, qui dicturi erant: Si futura est mortuorũ resurrectio, quis erit post illam rerũ status in hoc mundo? Necesse est turbentur & confundantur omnia. Vbi redierint maiores conabũtur occupare suas sedes, suas facultates, suas dignitates, quas olim possederunt. Volent usurpare rerũ gubernacula & subijcere sibi eos quos uiuos in mundo reperient. Illi contradicent, uolentq; retinere omnia, ut necesse sit statum rerum omnium maximam esse incursurũ confusionem ac perturbationẽ. Deinde, si reuersurus est Christus in hunc mundum, resurrecturiq; omnes qui ad illum pertinent, quomodo in tanta rerum confusione excipietur? Minus loci habebunt quàm antea. Sic exagitabuntur, ut satius fuerit haudquaquam resurrexisse. Huiusmodi cogitationes necessario occurrunt illis qui uirtutem Dei, finem præsentis mundi & qualitatem futuri sæculi non intelligũt. Hac illis igitur occupatione occurrit, qua finem mundi, ac mutationem præsentis status in longe alium fore dicit.

MOX finis, inquit.] In Græco est: ἔπειτα τὸ τέλος, id est, postea finis erit. Erasmus magis suum sensum, quàm uerbum Apostoli hoc loco expressit. Quasi interrogatus, quid sit post resurrectionem futurum, uno uerbo respondet. Finis erit. Dixit: Per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisq; autem in proprio ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, in aduẽtu ipsius. Poterat cogitari Christũ propterea denuo aduenturum ut suos è mortuis excitet & unà cum illis in hoc mundo regnet. Verum non esse tale quid expectandum significat, cũ dicit: postea finis erit. Hoc est, postea terminabitur & consummabitur hic mũdus, præsens hic rerum omnium status auferetur è medio. De hoc fine loquitur apostolus Petrus dicens: Omnium finis appropinquabit. Qualis autem futurus sit hic mundi finis, alijs scripturæ locis memoratur. Terminabitur mundus non temere sed cum iudicio, quo separabuntur boni à malis, & in utrosq; finalis sententia pronunciabitur, sic ut illi uitæ æternæ, isti igni sempiterno adiudicentur: deinde totus hic orbis & quicquid in illo est igne cõcremabitur, qua de re uide 2. Pet. ult. Hæc erit præsentis mundi catastraphe, mox resurrectionẽ mortuorum subsequutura. Hanc uidebimus omnes, pars cum horrore ac tremore incredibili, pars cum gaudio inedicibili, quandoquidem resurrectionem non præcedet sed subsequetur. Qui hæc fore credunt, haudquaquam accommodabunt se perituro mundo, cuius finem appropinquare sciunt, sed ei potius, qui aduẽtu ac iudicio suo hæc omnia terminabit. Si scias domum, quam inhabitas, totam igne conflagraturam, & nescias quando id sit futurum, poteris ne secure in illa morari? poteris illam magnifacere? poteris illi quos habes thesauros tuto concredere? poteris eam operosius ac sumptuosius cõstruere & ornare? Si sapias nihil horum poteris, sed cogitabis potius de alia in qua securius agas. Atqui sic habitamus nos in hoc mundo de quo usq; adeo certum est, quod sit igne concremandus ut ea de re non modo sacræ sed & ethnicorum literæ ante Christi natum prædixerint, unde est illud Ouidij Metamorph. 1.

Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tẽpus
Quo mare quo tellus correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Obseruet uero pius lector, quomodo Apostolus hæc duo tribuat futuro Christi aduẽtui. Primum quod sit fideles suos ad uitam excitaturus, alterum, quod post illorum excitationẽ finem sit huic mundo impositurus. Vnde pulchre admonemur, quod mundus hic etiamnũ durat, deberi electis ac pijs, propter quorum numerum complendum protrahitur Christi aduentus, ad quem usq; præsentem mundi statum durare oportet. Habentur fideles in hoc mundo uelut expurgamenta quædam. Verũ nisi essent hæc expurgamenta mox terminaretur omnis huius sæculi impietas, malicia, superbia, & contumacia. Donec adhuc est triticum in agro tolerantur zizania, quæ tum demum colliguntur & in ignem inijciuntur, quãdo triticum maturitate accepta in horreũ est collectum. Vt ager aratur ac seritur non propter zizania sed propter triticum, ita zizania tolerantur in agro usq; ad messem, nõ propter se sed propter absoluẽdam tritici maturitatẽ. Consimili modo conditus est hic mundus nõ propter impios illius filios sed propter electos

1. Pet. 4.

 & tan-

& tandiu per tolerantiã Dei durat donec numerus electorum compleatur, quorum complementum finem adferet mundo.

CVM tradiderit, inquit, regnum Deo ac patri.] Dixerit quisquam. Si post resurrectionẽ fidelium finis erit mundi, quid fiat cum illis & Christo? quorsum excitabũtur? Cogitationis huius gratia docet iã de mutatione regni Christi, ad quam sequentia pertinent, imò de illius complemento, ad quod est destinatum. Post resurrectionem fideliũ, inquit, finis erit mũdi, sed ita, ut primum Christus, qui iam sedens à dextris Dei regnũ suũ habet in electis, in hoc mũdo, inq; illis per spiritũ suum, fidem ac spẽ regnat, regnũ hoc suum, regnũ spiritus fidei ac spei Deo ac patri tradat, hoc est, remotis oĩbus impedimentis corruptæ naturæ, imperfectionis, mortalitatis, Satanę, mundi, tribulationũ, & quicquid horum est, Deo ac patri plenum ac perfectum sistat, ut nõ amplius sit in electis suis ac filijs regni tanq̃ mediator & sacerdos per uerbum ac spiritum suum in fide ac spe regnaturus, sed illos ad perfectam uisionem, cognitionem, præsentiã, fruitionẽ & claritatem Dei perducturus. Vsq; ad tempus consummationis omnium regnat Christus rex noster sacerdos ac mediator in suo populo, docens ac regenerans nos uerbo ac spiritu suo, & nos in illum credẽtes recõciliamur Deo, accedimusque ad ipsum fide tanq̃ ad thronum gratiæ, ut misericordiam inueniamus, tandem per illũ à mortuis excitamur, & ad ueram æternæ uitæ felicitatem trãsferimur. Hoc regnum Christi regnum est gratiæ, quod post resurrectionem in regnum glorię mutabitur, in quo clarificati ac præsentes, coram, absq; ullis inuolucris faciem Dei patris nostri, perfecte felices contẽplabimur. De hac mutatione regni Christi intelligit Apostolus cum dicit: cum tradiderit regnum Deo ac patri.

Sunt autem hic duo absurda cauẽda. Vnũ, ne dum audimus Christum regnũ Deo ac patri traditurũ, sentiamus illũ postea non regnaturum amplius. Alterũ, ne cogitemus iam non regnare Deum patrem, sed tum demũ regnaturum, ubi regnum à Christo filio suo acceperit. Non separantur pater & filius. Regnat pater in filio, regnabit filius in patre. Qualitas tãtum regni Dei mutabitur. Quemadmodũ Moses dispensationem suam tradidit Christo, dũ à litera facta est ad spiritum Christi œconomię Dei translatio, ita Christus regnũ suum tradet Deo ac patri, cum nos à moderatione spiritus & conuersatione fidei ad manifestam cœlestis patris uisionem ac fruitionem transferet. Tũc fulgebunt iusti sicut Sol, inquit Christus, Mathæi 13. in regno patris eorum. Et Lucæ 22. tamen idem illud regnum gloriæ uocat suũ regnum, dicens: Dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Iohan. 14. dicit. In domo patris mei mansionis multę sunt. Si quo minus, dixissem uobis, quia uado parare uobis locũ. Et si abiero & præparauero uobis locum iterũ ueniam, & accipiã uos ad me ipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Ergo sic tradet Christus Deo ac patri regnum ut nos inducat in domũ patris sui, simusq; ibi cum ipso in uera uita ac felicitate sempiterna. Domus patris ipsum cœlũ est. Huc nos trãsferet Christus, ut cum ipso simus uideamusq; claritatem ipsius, quam à patre ante mundi constitutionem accepit. Iohan. 17.

Non est inconueniens sensus, quo nonnulli regnum hoc loco exponunt populum regni, electos uidelicet & fideles ut tradere regnum Deo ac patri sit illi tradere populum electorũ. Et sic August. lib. 1. de Tri. ca. 7. accepisse uidetur, cum dicit. Quid ergo est: Cũ tradiderit regnũ Deo ac patri, quasi modo non habeat regnum Deus & pater? Sed quia omnes iustos, in quibus nunc regnat ex fide uiuentibus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus perducturus est ad speciem, quam uisionẽ dicit idẽ Apostolus facie ad faciẽ, ita dictum est: Cũ tradiderit regnum Deo ac patri, ac si diceret, cum perduxerit credentes ad contemplationẽ Dei & patris. Et aliquanto pòst: Cõtemplabimur enim inquit, Deũ patrẽ & filium & spiritũ sanctum, cum mediator Dei & hominum homo Christus Iesus tradiderit regnũ Deo ac patri, ut iã nõ interpellet pro nobis mediator & sacerdos noster filius Dei & filius hominis, &c. Hæc ille. Ambros. sic exponit: Traditio hęc est regni, ut cum omnia filio fuerint subiecta, & adorauerint illum ut Deum, destructa morte, tunc filius ostendet illis se non esse ex quo omnia, sed per quem sunt omnia. Et hoc erit tradere regnũ Deo ac patri, ostendere ipsum esse ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Hæc ille.

August.

Chrysost. exponit: Cum tradiderit regnum Deo ac patri, id est, cum regnũ Dei uelut è manu Satanæ, mundi & aduersariorum omnium uindicauerit, illisq; deletis omnibus plenũ ac integrũ Deo & patri restituerit. Satan sane per inductionem peccati regnũ Dei inuasit deq; illo usq; adeo magnam sibi partẽ uindicauit, ut à Christo princeps mundi & ab hoc Apostolo Deus huius mundi sit dictus. Huic seruit ipsa nostra caro, per peccatum illi mãcipata, seruit illi quicquid sublime est in hoc mundo, sapiẽtes, principatus, potestates ac uirtutes, ac totus reliquus mundus in maligno positus. Seruit illi mors per peccatum inducta, unà cum omnis generis calamitatibus & corruptione. Cũ sic regnaret in genere humano hostis antiquus cũ suis satellitibus, missus est filius Dei in mũdum, factusq; carnis nostræ particeps, pro peccatis nostris moritur, quo per mortem debellaret eum qui mortis habebat imperiũ, resurgit, ut esset primitiæ mortuorũ, cœlos ascẽdit sedetq; ad dexteram patris, quo & suos in mũdo uirtute spiritus ac uerbi sui regat, & inimicos regni sui uelut scabellũ pedibus suis subijciat, id quod & facit, nec facere desinet, donec

omni

omni aduersaria potestate Satanæ, peccati, mortis, mūdi, &c. sublata regnum Deo ac patri in integrū, quale fuit ab initio, imò multo adhuc augustius ac perfectius, restituat. Futurum hoc est per ipsius aduētum, ubi mortuos excitauerit, mundum iudicauerit ac terminauerit, electos sibi coniunxerit & in cœlestem gloriam ac felicitatem transtulerit, Satanā uero cum omni suo satellitio, impiorumq; multitudine ignibus sempiternis adiudicauerit, & omnem hanc cœli ac terræ machinā, rebellione malorum spirituum & hominum inde ab initio prçuaricationis prophanatam ac pollutam immisso cœlitus igne repurgauerit, cœlumq; nouum ac terrā nouam, in qua iusticia in sempiternum habitet, reddiderit. Hçc utiq; pertinent omnia ad regni Dei plenam ac perfectam restitutionem, qua fiat, ut Deus sit omnia in omnibus, cuius pars magna per primū Christi aduentum cœpit, perfectio uero in secundum est reseruata. Ad hanc certe regni Dei plenitudinem, propter quam filius Dei uenit in hunc mundum, iam in cœlis regnat, ac tandem in fine est rediturus, extendi debent cordium nostrorum uota, cum in oratione dominica dicimus: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, ueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.

2. Petri ult.

CVM aboleuerit, inquit, omnem principatum, & omnem potestatem & uirtutem.] Exponit quomodo & quando sit Christus Deo ac patri regnum traditurus. Cum aboleuerit, inquit, omnem principatum, potestatē, & uirtutem. Hoc est, cum effecerit ut nō sit amplius ullus princeps, ulla potestas, ulla uirtus, nec in cœlo nec in terra, nisi Deus unus, omnia existens in omnibus. Alij de ordinibus archangelorum & angelorum, alij de principatu, dominio, ac uirtute malorum spirituū, alij de principatibus, potestatibus, ac uirtutibus huius mundi exponunt. Quid de omnibus istis futurum sit in fine mundi, satis patet credentibus. Manebunt quidem angeli, uerum non erit illorum usus is qui in hac est uita. Mali spiritus pœnis æternis dabuntur. Principes ac potentatus huius mundi alij sunt regno Dei inimici & aduersarij, alij seruant usum magistratus à domino constitutum. In fine mundi nec iusti nec iniusti principes & magistratus manebūt, sed abolebuntur omnes. Iustorū non erit amplius ullus. Quia non erūt mali qui puniātur, nec ea erit conditio bonorum, ut opus habeāt defensione magistratus. Iniusti cum principe suo Satana exterminabuntur. Ergo in uniuersum abolebitur omnis principatus, omnis potestas & uirtus. Verum, meo iudicio, loquitur hic Apostolus de principibus, potestatibus, & uirtutibus regno Dei aduersarijs & inimicis, qualis est principatus malorum spirituum, & impiorum tyrannorum, Deo ac Christo eius aduersantiū, de quorū rebellione finaliq; exterminio Psalmus secūdus canit ac uaticinatur.

Non est autem ut anxie quæramus, quomodo principatum potestatem, & uirtutem distinguamus. Qui referunt ista ad magistratus sæculares, sic diuidunt, ut ἀρχὴ, id est, principatus sit eorum qui merum habent imperium, ἐξουσία uero, id est, potestas, eorum qui quam habent potestatem à principe aliquo acceperūt, quales sunt præsides, præfecti, iudices, œconomi, &c. Δύναμις uero, id est, uirtus, ministrorum, satellitum, militum, lictorum, &c. Verum hæ uoces nonnunquam accipiūtur de cœlestibus ac bonis spiritibus, ut Eph. 3. aliquando de malis spiritibus ut Eph. 6. & Coloss. 2. aliquando de magistratibus huius sæculi ut Tit. 3. Quare simplicius esse puto, ut sentiamus per eas significari quicquid potens & sublime est, siue inter spiritus aduersarios, siue inter impios huius sæculi tyrannos.

NAM oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos.] Reddit rationem prçcedentis, quare tum demum traditurus sit Deo ac patri regnum, ubi aboleuerit omnem principatum, potestatem ac uirtutē, & non magis quod in fine mundi facturus est, mox à mortuis excitatus fecerit. Quia sic, inquit, constitutum est, ut ipse filius regno potiatur, donec omnem aduersariam potestatē & potentiā, omnes regni Dei inimicos pedibus suis subijciat, hoc est, prorsus opprimat, ac tū demum perfectum Deo ac patri regnum tradat. Omnimoda autem inimicorum abolitio ante finem præsentis mundi futura non est. Quare nec regnum Deo ac patri tradet, donec durat hic mundus.

Respicit autem ad id quod de regno Christi Psalmo 110. prçdictum est ad hunc modum: Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorū, propter quam irrefragabilē diuini consilij constitutionem dicit Christū oportere regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. De oraculo autem Psalmi huius diximus in Commentarijs nostris super Psalmos Dauidis.

Obserua uero quod nō dicit: Nam oportet Deum ac patrem expectare, uel, nam oportet eum patienter agere, donec superatis inimicis omnibus regnum tradere possit plenū & integrum, sed: Nam oportet eum regnare. Ergo non est impotētiæ uel patris uel filij, quod nō mox omnes inimici abolentur, regnumq; ad perfectionem suam perducitur, sed certæ dispensationis, qua regnare filiū oportet, & inimicos pedibus suis non ferendo donec aliàs intereāt, sed regnando per diuinam uidelicet potentiam subijcere. Quare quod Ebr. 10. legitur, de cætero expectans donec ponātur, &c. caute legēdum est. Habemus enim Christum non ociose uel per impotentiam in cœlis quiescentem & expectantem sed regnātem, idq; non in cœlis tantū inter angelos, sed & in terris inter omnes suos inimicos, iuxta illud Psalmi iam citati, dominare in medio inimicorū tuorum. Ex illorum numero erat & Iulianus

Apostata, qui cum aboleretur clamabat uicisti Galilęe. Quotquot hactenus nō osculari filiū, illiq; seruire, sed aduersari magis uoluerunt, sub pedes illius prostrati iacent, nec hanc regnantis Christi potentiam effugiēt quotquot adhuc ad finem usq; mūdi supersunt illius inimici & hostes. Quis enim solio deijciet eum, quem regnare oportet, idq; tandiu, donec omnium inimicorum suorum uictor euadat? Sit hoc Apostoli dictum: oportet Christū regnare, pijs omnibus memori menti infixum, quo se aduersus omnes afflictiones, tētationes, & persequutiones firma regnantis Christi fide solentur. Est illius regnum absconditum quidē ab oculis mundi, quia non est mundanum sed cœleste, uerum uirtus illius dominatur tyrannis & omnibus inimicis, qui licet regnare ad tempus, & Christi populum prorsus extincturi uideantur, reipsa tamen perduntur ipsi & extinguūtur, id quod in fine uidetur, dum exitus acta probat.

DONEC posuerit, inquit, omnes inimicos sub pedes suos.] Nam oportet eū, inquit, regnare. Quādiu? Donec, inquit, posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Ergo ubi posuerit inimicos omnes sub pedes suos, non oportebit Christū regnare amplius? Sic sonant uerba. Nec est sensus incommodus, si ad qualitatem regni & rationem hic adiectam respicias. Non enim erit necesse, ut postquam posuerit inimicos omnes sub pedes suos, Satanā cum membris suis æternis pœnis mancipauerit, fideles suos à mortuis excitauerit, mundum iudicauerit ac terminauerit, atq; ita restitutis omnibus Deo ac patri regnum integrū ac perfectum tradiderit, adhuc eo modo quo nunc, & ad eum finem ad quem nunc, post hæc omnia regnet. Hinc non sequitur, fore illum postea regni hæreditate & gloria exclusum. Regnabit cum patre in sempiternum, uerum alio regnandi modo, quàm quo nunc in medio inimicorum regnat. Quare quod Apostolus dicit: Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos, non sic est accipiendum, quasi propter uoculam, donec, cōcludendum sit, ergo postea omni regno destituetur. Sed hac de re in Commentarijs nostris super Psal. 110. nonnulla diximus.

DONEC posuerit, inquit.] In Psalmo est עַד אָשִׁית, id est, donec ponam. Sic loquitur pater filio. Sede ad dexteram meam (quod Apostolus hic regnare uocat) donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorū. Apostolus uero: Nam oportet eū regnare, inquit, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos, quibus uerbis ipsi Christo opus subijciendi inimicos tribuit, quod Dauid tribuit patri. Et tamē nihil est diuersi. Pater enim in regno filij sui operatur, & simul operatur ipse filius. Pater meus usq; modo, inquit, operatur, & ego operor. Regnat pater, regnat cū patre filius. Subijcit inimicos pater filij sui pedibus, subijcit cū patre filius.

OMNES inimicos, inquit.] Quoniā particula hæc rationis uice subiecta est præcedēti, qua dixit, cū aboleuerit omnē principatū, potestatem & uirtutem, consequēs est, ut potissimū de illis inimicis Christi loquatur, qui sunt potentes, utpote principes, potestates, & uirtutes. Subijciet sibi quidem omnes inimicos, at istos potissimum, qui & plus regno illius aduersantur, & quorum subiectio plus habet argumēti de diuina regnantis Christi uirtute. Ex minutorum hostium oppressione parum est cœlesti regi laudis & gloriæ. Ipsum Satanam & ipsos principes & potētatus huius mūdi uicisse, ac pedibus substrauisse, id demū cœlestis habet uirtutis argumentum.

Non debemus autē in classem inimicorum Christi eos tantum reijcere qui sunt illius hostes ex professo, qualis est ipse Satan, & mūdi huius tyrāni, Nero, Maximinus, Diocletianus, Iulianus, Iudæi, Turci & consimiles alij, sed & apostolos Satanæ transfigurantes se in apostolos Christi, falsos pastores, falsos doctores, falsos episcopos, & cum primis Antichristū, qui cum se pro uicario Christi uenditet, ex diametro Christo aduersatur, cuius ueritatē & ecclesiam olim hypocrisi, nunc quęstu & tyrannide opprimit. Si diligis me, inquit ad Petrum dominus, pasce oues meas. Ergo amicus Christi esse declaratur, qui oues illius fideliter pascit. E cōtrario igitur inimicus Christi comprobatur, qui oues illius uorat & perdit. Nocentissimum hoc est inimicorū genus, quod sub specie amicitiæ gerit ea quæ sunt inimici, ac nomine Christi cōtra Christum abutitur. Merito infra alios Christi inimicos ad ima inferorum detrudentur, cuius supplicij uates iam olim in ecclesia cœperunt esse pictores, qui in pictura extremi iudicij Papas, cardinales, episcopos, prælatos, abbates, &c. in ipso fundo inferorū spectandos omnibus proposuerunt.

SVB pedes suos, inquit.] Non dicit simpliciter, donec uicerit, sed donec sub pedes suos posuerit inimicos suos omnes. Ergo non simpliciter reprimentur inimici Christi ut non possint efficere quæ uolūt, sed & in ipsam Christi potestatē tradentur, imò sub pedes illius abijcientur ac proculcabūtur, unde in sempiternū consurgere nō poterunt. His enim uerbis omnimodam suppressionē notat Apostolus. Cogitet ergo pius lector, q̄ pacatus sit ac tranquillus futurus post resurrectionem electorū ac fidelium status. Ibi nemo erit qui noceat in mōte sancto Dei, propterea quod deleti erūt omnes impij, reprobi, & inimici, qui nūc non terrā modo sed & ipsum cœlū subuersuri uidentur.

NOVISSIMVS aūt hostis aboletur mors.] Non loquitur de morte æterna, quæ uitæ est æternæ opposita, sed de morte corporis, quæ post resurrectionē non habebit locū amplius. Dixit Christum aboliturū omnē principatū, potestatem, & uirtutem. Illis adiungit & mortem, cōnumerans eam inimicis Christi.

Quomodo mors sit hostis.

Sed quęri poterit, quomodo eam uocet hostē Christi, cum sit à Deo tanq̄ pœna ac stipendium

diũ peccati iustissimo iudicio imposita. Quis nam adeo desipit, ut lictorem & supplicia sceleratorum inter hostes regis iudicium & iusticiam exercentis connumeret? Respondeo. Est quidem à Deo mors homini peccatori iusto iudicio imposita, uerũ haud ab illo facta, secundum illud Sap. 1. Deus mortem non fecit. Nec delectatᷓ illa Deus. Dicit enim: Nolo mortem peccatoris Ezech. 18. Et. Nec delectatᷓ perditione filiorum hominum Sap. 1. Quare nihil hinc est impedimẽti, quo minus certis de causis habenda sit inter hostes Christi. Primum, si originem illius inspicias, per inuidiam diaboli introducta est in mundum, Sap. 2. & per peccatũ, Rom. 5. Igitur ipsa illius origo ea quę hostis sunt spirat. Deinde si consyderes illius naturam & opus, aduersatur operi cõditoris. Destruit enim eos, quos Deus ad gloriam nominis sui condidit. Quã ob causam filius Dei missus est in mundum, ut & causam & opus illius, unà cum ipsa aboleret. Quare & hactenus recte hostis Christi censetur. Tertio, accedit & iniquitas, qua seruit imperio diaboli, hostis & aduersarij Dei, dum interimit innocentes & iustos. Vnde & Apostolus Ebr. 2. Christum carnis nostræ participem esse factum dicit, ut per mortẽ destrueret diabolũ qui mortis habebat imperiũ. Sic diabolo seruiuit mox initio in parricidio Cain, cum ille fratrem suũ Habelem iustum ac pium occideret. Sic seruiuit illi interimendo prophetas, Christum, apostolos, martyres, & innumeros alios iustos & innocentes. Itaq; propter originem suam, naturam, & iniquitatem hostis Christi est. Ergo uicissim Christus illius quoq; est inimicus.

Quomodo mors sit nouissimus hostis.

Deinde, quærendum est, quomodo uocet eam Apostolus nouissimum hostem. Vulgata habet aduerbialiter: Nouissime autem inimica destruetur mors, quasi in Græco sit ἐσχάτως, id est, nouissime, postremo, cum sit nominaliter ἔσχατος, id est, nouissimus hostis aboletur mors. Esse autem mortem nouissimum hostẽ, à Christo abolendum, bifariam exponitur.

Primum, propterea quod sit post diabolũ, & peccatum, omnisq; generis ęrumnas postremo loco inducta. Deinde, propterea quod cessante peccato, carnis nostræ malicia, Satana, mũdo, mors sola omnes nos sub claustris suis ad ipsum usq; resurrectionis diem captiuos tenet. Sane dũ morimur qui sumus in Christo, liberi sumus ab omnibus infestationibus Satanæ, peccati, carnis nostræ, & mundi, ut nihil in nos possint amplius. Verum nondum sumus liberi ab ultimo hoste, morte uidelicet, q nos tenet captiuos usq; ad ultimum diem, qui resurrectionis est & iudicij. Vtroq; sensu mors est ultimus hostis. Vltimus exortu, ultimus post alios perdurando. Potest de eo quoq; cogitari, quod omnium eorum quæ homini cõtingunt in hoc mũdo ultimum locum sortita mors est. Vnde ille recte dixit: Mors ultima linea rerum est. Et philosophus, ultimũ terribilium mors est. Si ultimum terribilium, igitur & ultimus hostis. Tertio, nec illud transeundum est, quod cum dicendum uideretur, abolebitur mors, dicit in pręsenti, aboletur mors.

Quomodo aboleatur mors.

Est enim in Gręco καταργεῖται, id est, aboletur, q̃uis uulgata habet in futuro, destruetur. In posteriore ad Timotheum cap. 1. legimus in pręterito, qui mortẽ quidem aboleuit, uitam aũt in lucem produxit. Et infrà hoc pręsenti capite. Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in uictoria. Ergo mortẽ Christus, ultimum hostem, & aboleuit, & abolet, & abolebit. Aboleuit in cruce pro peccatis nostris moriẽdo, non ut amplius nõ esset, sed ne posthac fideles perderet, abolet quotidie, dũ suos per mortem traducit in uitam, & abolebit in uniuersum in fine mundi. Quæ abolitio bifariam fiet. Primum mortuos omnes ex ipsis mortis claustris ac penetralibus eruẽdo & excitãdo quod per mortuorũ resurrectionẽ fiet.

Deinde, excitatos ad uitam immortalitatis gloria induendo, ut in sempiternum uiuentes mortem nunq̃ sint gustaturi amplius, impleaturq; illud Apoc. 21. Mors ultra non erit. Neutrum possibile est ulli humanæ potentię, imò ne angelicæ quidẽ. Nemo mortuus ad uitam redire, & si redeat per impossibile, efficere potest ne denuo moriatur. Omnia hæc, quæ ad abolitionem mortis pertinent unius Christi uiribus facta sunt, fiunt quotidie, & perficientᷓ prorsus in fine mũdi. Hæc est fides Christiana, qua à cunctis totius orbis nationibus diuidimur, quæ nec Christum, nec uirtutem eius agnoscentes resurrectionem mortuorũ & mortis abolitionẽ irrident. Quare quod illis merũ uidetur esse nugamẽtum, nobis credẽtibus in omni humanæ uitæ miseria contra omnis generis afflictiones, contra Satanam, peccatum mortẽ ac mundũ, summũ est & unicũ solatiũ.

NAM omnia subiecit sub pedes illius.] Suprà usus est oraculo Dei, quod habetᷓ Psal. 110. quo comprobaret futurum, ut omnem principatum, potestatẽ, & uirtutẽ aboleret Christus. Hic eiusdem argumenti gratia, cum dixisset: Nouissimus hostis aboletur mors, inducit sententiam hãc generalẽ ex Psalmo octauo: Nam omnia subiecit sub pedes illius, quæ quomodo Christo competat, cum Psal. ille de dignitate primi hominis à Deo concessa canat, in Comment. nostris super Psal. annotauimus. Si uerba Psalmi sequentia & præcedentia inspicias, & ad argumentum quod tractat Apostolus cõferas, uidebitur hæc particula uel per catachresim adducta, uel nõ esse ex dicto Psal. desumpta, sed libero spiritu ab Apostolo prolata, id quod nonnullis recentioribus sentiẽdum esse uidetur. Habent enim uerba Psal. ad hunc modum. Constituisti eum dominatorẽ super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedes eius, oues & boues omnes, & pecudes agri, uolucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Hæc Psal. quæ si

sola uelis Christo tribuere, haud faciet ad plenitudinem potestatis à patre acceptę exprimẽdam. Apostolus uero disserit, hic de potestate Christi in cœlo regnantis, & ad iudicandum uiuos & mortuos in fine mundi redituri, qua sit omnem principatum, potestatem, & uirtutem, aboliturus, & omnes inimicos pedibus suis subiecturus, quibus & mortem tanq̃ ultimum hostem cõnumerat. Huc uidetur impertinenter adduci subiectio operum Dei, ouiũ, boum, pecudum agri, uolucrum cœli, ac pisciũ maris quæ in usus sunt humanæ sustentationis diuina dignatione primo homini subiecta. Inimici Christi, quos pater illius pedibus proterendos & abolendos subijcit, non pertinent in classem operum manuum Dei, sed ad opera Satanę. Quare, quemadmodũ diximus, aut per catachresim Apostolus generalem hãc particulam relictis pręcedentibus & sequẽtibus ex memorato Psal. aut de suo attulit. De suo autem attulisse haud apparet, propter sequentia, quibus dicit: Atqui cum dicit, quod omnia subiecta sint, palam est excipiendũ esse eum, qui subiecit illi omnia, unde, puto, satis liquet quod locum scripturæ adduxerit. Quomodo autem in ea quæ ad Ebræos est capi.2. locum hunc Psal. iam dicti Christo accommodet, diximus in ipsius Psal. Commentarijs.

Obseruet autem pius lector, quàm pertinẽter accommodetur præsenti causæ generalis hæc particula: omnia subiecit sub pedes eius. Data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra & tradita sunt ei à patre omnia. Verum diuersimode, alio uidelicet atq; alio fine. Quędam tradita accepit ut tanquam redemptor, mediator, ac Seruator seruet. Sic oues habet acceptas à patre, quas nemo, inquit, de manu mea, non dicit, de pedibus meis, rapiet. Iohan. 10. Quædam accepit, quæ prorsus supprimat, & aboleat. Hæc recte pedibus illius subiecta dicuntur, tanquam hostilia ac proterenda. Verum ubi generaliter de potestate Christi fit mẽtio, quæ competat Seruatori, dicuntur illi omnia esse tradita, uel simpliciter absq; specificatione, uel, in manus. Vt Iohan.3. Pater diligit filiũ & omnia dedit ei in manus. Et ca.13. Scies, quod omnia dederit sibi pater in manus, &c. Habet ergo Christus ouiculas suas, electos & fideles, uitamq; & salutem illorũ in manu sua, ad seruandum, & contra omnem uim aduersariam asserendum, inimicos uero suos Satanã, peccatum, mundum, tyrannos, & mortem, pedibus suis subijcit & tandẽ prorsus abolebit.

Deinde & illud obseruandum est, quod patrem hic omnia pedibus filij subiecisse dicit, intelligendo de illius inimicis, cum dixerit: Nam oportet eũ regnare donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos, id quod sane de re adhuc futura est dictum. Ergo pater subiecit iã olim inimicos regni sui sub pedes Christi, & Christus in fine mundi demum illos est pedibus suis omnino subiecturus. Subiecit pater, omnem filio potestatem destinando ac tradendo. Subijciet filius potestatem à patre acceptam exequendo & in effectum perducendo. Consimili modo, quemadmodum Eph.2. legimus, conuiuificauit nos pater unà cũ Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Et tamen in fine mundi demum uiuificabimur per filium, uiuificati resurgemus, & ad cœlestia unà cum illo collocabimur. Pater hæc fecit, dum Christum mediatorẽ nostrum è mortuis uiuificauit excitauit, & in cœlos ad dexteram suam euexit, quia hæc omnia nostra sunt gratia facta. Filius uero in fine mundi facturus est ista, dum opus redemptionis nostrę in cruce cœptum, & à patre ante sæcula destinatum, ad suam est perfectionem perducturus.

AT cum dicat quod omnia subiecta sint, palam est eum esse excipiendum, qui subiecit illi omnia.] Redit ad propositum, quod erat mutationem pręsentis rerum status in longe aliũ desituri exprimere, de quo dicere cœperat, post resurrectionem fore finẽ mundi, & Christum regnum iam perfectum & integrũ Deo patri traditurum quem sermonem parenthesi de regno Christi ad omnium usq; inimicorũ subiectionem & abolitionem regnaturi inter ruperat. Cum ergo ex Psalmo octauo generalem hanc sentẽtiam. Nam omnia subiecit sub pedes illius, Christo regnãti accommodasset, ex illa occasionem sumit ad propositum reuertendi, colligens ad hunc modum: At cum dicat, intellige, propheta Dauid, quod omnia subiecta sint, filio uidelicet, manifeste consequitur, intelligẽdum hoc sic esse de omnibus, ut excipiatur ipse pater, qui subiecit illi omnia. Neq; enim conueniebat, ut pater in classem se conijceret eorũ quæ filio inter se & homines mediaturo, & genus humanum sibi recõciliaturo subijciebat. Subiecit illi omnia quę in cœlo sunt & in terra, quo illa reconciliaret & pacificaret: Coloss.1. In ordinem autem reconciliandorum ac pacificandorum non est reponẽdus pater cui erant omnia per filium mediatorem reconcilianda. Seruãda erat ipsi suprema diuinę maiestatis & paternę authoritatis pręrogatiua, ex qua sunt omnia & ad quam omnia tendere necesse est. Imago huius rei præcessit in Pharaone rege Ægypti, qui Iosepho omnem & domus & regni sui potestatẽ subijciens dicebat: Tu eris super domum meam, & ad os tuum cibabitur omnis populus meus, tantum hoc solio maior te ero. Vide, pono te super omnem terram Ægypti, &c. Gen.41. Sic igitur Iosepho subijciebantur omnia, ut interim exciperetur Pharao, qui subijciebat illi oĩa.

Quorsum autem hæc patris exceptio ponitur ab Apostolo? Ne uidelicet diuinitatis unitas, cuius origo & caput est pater (quatenus ex illo est filius) per id quod filio subiecta sunt omnia, uel diminuta, uel mutationem passa uideatur. Subiecit pater filio suo omnia, nõ ut ipsius authoritas & regnũ detrimenti aliquid pateretur, sed magis ut opere diaboli destru-

cto,

cto, & restitutis omnibus, secundum ea quæ loquutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum, regnum ipsi integrum ac perfectum restitueretur, ac ueræ diuinitatis unitas in sempiternum illibata redderetur. Cauendum scilicet erat Apostolo, tanquam doctori gentium, ne sic de materia ista scriberet, ut aliquid ethnico errori confine tradere uideretur, & totam Israëlis gentem quasi fidem unius Dei labefactaret, offenderet. Poterat enim ex ijs quæ de subiectione omnium qua pater filio cuncta subiecit, in medium attulit, colligi & inferri. Ergo interea dũ regnat Christus in cœlo, & subiectis sibi omnibus, omnẽ habet potestatem in cœlo & in terra, exauthoratus est pater, & ociosus in omnibus regnanti filio subiectus. Absit inquit. Qui filio subiecit omnia, authoritatem diuinitatis suæ non imminuit, nec se illi cum creatis omnib⁹ subiecit, sed paternam suam ac diuinam maiestatem & ante incarnatum filium, & illo iam regnante integram seruat, integramq; post perfectum susceptæ à filio dispensationis opus in sempiternum omnia existens in omnibus seruabit. De filio quidem dici potest, quod cum in forma Dei esset, Deoque æqualis, semetipsum exinaniuerit, forma serui sumpta, inque similitudine hominum constitutus, ac figura ut homo repertus, humilem se præbuerit ipsum, obediensque factus sit patri usque ad mortem, eamque ob causam pater illum extulerit in summam celsitudinem, & ad gloriam suam collocarit. Verum de patre nihil tale cogitandũ est, cuius diuinitas & paterna authoritas nullam est unquam intercapedinem regnandi passa, aut interpollationis alicuius capax facta. Quin ipse filius tanquam mediator nôster, interea dum omni potestate in cœlo & in terra potitur, ad hoc in cœlos ascendit, ut appareat uultui patris sui, & interpellet pro nobis. Ebr. 7. 9. Agatque nostrum aduocatum. 1. Iohan. 2. Vsqueadeò scilicet, non est pater filio subiectus, per hoc quod illi subiecit omnia.

Act. 3.

Phil. 2.

Cum autẽ subiecta fuerint illi omnia, tũc & ipse filius subijcietur ei qui illi subiecit omnia, ut sit deus omnia in omnib.

Quemadmodum timendũ erat Apostolo, ne ex eo quod patrem omnia sub pedes Christi filij sui subiecisse dixit inferretur, ergo & se ipsum illi pater subiecit, cui cogitationi particula præcedenti occurrit, ita timendum erat, ne ex eo quod patri suam paternæ diuinitatis authoritatem saluam uindicans, negat illũ filio regnanti, & omnem potestatẽ habenti, factum esse subiectum, inferat aliquis, ergo regnabit pater, & simul regnabit filius, ubi subiecerit sibi omnia, atque ita futuri sæculi status duobus erit ueluti capitibus hinc patri, illinc filio, partita inter ipsos rerum summa, regnantibus subiectus. Futurũ hoc negans dicit: Cũ autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse

A filius subijcietur ei qui illi subiecit omnia. Q. d. Vbi in fine mundi omnibus inimicis, omni principatu, potestate, & uirtute abolitis, ipsa quoq; morte deleta, subiecta erunt Christo filio Dei omnia, non seruabit sibi eam regni gloriam, quo ueluti diuiso imperio cum patre regnet, sed tradito patri regno pleno ac perfecto, erit illi subiectus, quo sit ille Deus omnia in omnibus. Non sic Iupiter, qui cum Saturno patri suo deuictis illius hostibus regnum restituisset, nihilo secius ipse regnauit, imò postea patrem regno pulsum profligauit, tam aberat ut illi subijceretur.

Sed dices. Atqui suprà dixisti, cauendũ esse, ne dum Christum Apostolus regnum Deo ac patri suo traditurum dicit, inde non esse illum amplius postea regnaturum colligamus. Si postea quoq; regnaturus est cum patre, quomodo hic dicit Apostolus, quod subijciendus sit illi, postquam ipsi subiecta fuerint omnia? Etenim regnare cum patre, & subiectum esse patri, haud uidentur eidem posse competere tẽpori ac personæ. Basilius hac de re sic annotauit: εἰ θεϊκῶς ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ ὑποταγήσεται, ἐξ ἀρχῆς ἂν ὑποτέτακτο, ἐξ οὗ καὶ θεὸς ἦν, εἰ δὲ οὐχ ὑποτέτακτο, ἀλλ' ὕστερον ὑποταγήσεται, ἀνθρωπίνως ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ οὐ θεϊκῶς ὑπὲρ ἑαυτοῦ. Hoc est. Si secundum diuinitatem filius patri subijcietur, subiectus illi fuit inde à principio, ex quo & Deus erat. Si uero non fuit illi subiectus, sed postremo subijcietur, subijcietur illi secundum humanitatem pro nobis, nõ

B secundum diuinitatem pro seipso. Hæc ille. Recte quidem inter diuinitatem & humanitatem Christi distinguit. Verum secundum humanitatem non in futura tantum uita, sed & hic in carne constitutus subditus fuit non modo Deo patri in omnibus, sed & parentibus secundum carnem. Sic enim illum Lucæ 2. dixisse legimus: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt uerbum quod loquutus est ad eos. Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Si loquitur Apostolus simpliciter de subiectione hominis Christi, ille certe ab ipsa incarnatione subditus fuit, & etiamnum est Deo ac patri. Verum cum dicat: Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui subiecit illi omnia, puto manifestũ esse, loqui ipsum non simpliciter de subiectione humanitatis, sed de tali, quæ sit in futura demum uita post mundi huius finem, & inimicorum omnium abolitionem futura. Existimo nihil aliud hac particula ab Apostolo dici, quàm quod suprà dixit: Cum tradiderit regnũ Deo ac patri. Si recte intellexerimus, quomodo sit post finem mundi filius regnum Deo ac patri traditurus, haud erit intellectu difficile, quod hic illum subijciendum ei dicit, qui ipsi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Inspiciendũ est regnũ Christi, quale ad dispensandã nostrã redemptionẽ ac salutẽ, psiciedãq; omniũ restitutionẽ, à patre mediator,

 redem-

redemptor, seruator, sacerdos & rex constitutus accepit, cuius regni dispensatio non sic est comparata, ut sit in futuro sæculo post horum omnium adimpletionem locum habitura. Durat adhuc illud: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea, & tanq̃ uas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filiũ, ne pereatis de uia, &c. Et illud: Virgã uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Adhuc regnat in cœlis, dans spiritum suũ electis, regenerans ac seruans eos in hac uita. Adhuc purgat & seruat ecclesiam suam in terris constitutam. Adhuc est aduocatus & sacerdos noster, interpellãs pro nobis in cœlis. Adhuc uenturus est cum gloria & potentia in fine mundi ad excitandũ mortuos, ad iudicandum totum mundum, ad colligendum ad se electos, ad abolendum & perdendum Satanã & omnes reprobos. Hoc genere regni regnat adhuc Christus. Vbi hæc omnia perfecta erũt, mutabitur huius regni forma, in eam quę proprie est futuro sæculo reseruata, cuius qualitatem uelle exprimere admodum temerarium esse iudico. Terminans hoc genus regni in fine mundi, tradet Deo patri regnum plenũ ac perfectũ. Et hactenus illi subiectus erit & ipse, non regnans amplius sicuti regnauerat antea, & tamen tanq̃ unigenitus Dei, uerus Deus, ac patri æqualis æterni cum illo regni particeps erit, potieturq; uera ac sempiterna eiusdem diuinitatis gloria, quã habuit ante constitutionẽ mundi, habet toto sæculorũ omniũ decursu, habiturusq; est post finẽ mũdi in sempiternũ.

Augustinus de Trinit. lib. 1. cap. 10. sic exponit. Cum mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, tradiderit regnũ Deo & patri, ut iam nõ interpellet pro nobis mediator & sacerdos noster filius Dei & filius hominis, sed & ipse, in quantũ sacerdos est, assumpta ꝓpter nos serui forma, subiectus sit ei qui illi subiecit omnia, ut in quantũ Deus est, cum illo nos subiectos habeat, in quantum sacerdos, nobiscũ illi subiectus sit. Hæc ille. Et hic sensus nihil demit ei quod angelus Lucæ 1. de Christo dixit: Dabit illi dñs Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis. Licet enim finita dispensatiõe propter nos suscepta traditurus sit Deo patri regnũ, seq; illi, modo quo diximus, subiecturus, secundum diuinitatem tamen regnũ habebit cum patre sempiternum & infinitũ.

VT sit Deus omnia in omnib⁹, inquit.] Potest hæc particula multifariam exponi.

1 Aut ut sit idem quod, ut omnes omnia habeãt ex Deo solo. Quasi dicat. Vt det Deus omnibus omnia solus. Sic nonnulli exponunt: ut commoda quæ nunc per creaturas nobis à Deo subministrãtur, tunc ab ipso Deo immediate accipiamus. In hac uita sustentamur ci- A bo & potu, mutua opera uicissim iuuamur, ꝑ magistratum protegimur, uerbo & sacramentis in fide & cognitione Christi instituimur, fide ac spe futuræ uitæ ambulamus. Verum in futuro sæculo pro his omnibus erit omnibus unus Deus summa sufficientia.

2 Aut ut idem sit quod, ut faciat Deus omnia in omnib⁹. Qui sensus cũ priore coincidit.

3 Vel ut habeatur Deus ab omnibus pro omnibus. Hoc est, ut nihil extra Deum appetatur à quoquam. Sunt quidem hæc uera, & sic post resurrectionem futura, uerum quoniam Apostolus non simpliciter dicit: Et erit Deus omnia in omnibus, sed, ut sit Deus omnia in omnibus, puto particulam hanc eo sensu exponẽdam esse, qui ex præcedentibus rite sequatur. Dixit Christum in fine mũdi traditurum Deo ac patri regnum, postquam aboleuerit omnes inimicos, omnem principatum, potestatem et uirtutẽ, sibiq; subiecerit omnia, & concludens adijcit: Tunc & ipse filius subijcietur ei qui illi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnib⁹. Ergo ad hunc finem tradet Christus Deo ac patri regnum, seq; illi subijciet, ut sit in futura uita Deus omnia in omnibus. Quod idem est atq;, ut regnet Deus solus unice ac perfecte in omnibus, plenum & perfectum habeat in omnibus imperium, una illius uoluntas locũ habeat in omnibus, ab ipso pendeant omnes, nemo aliò respiciat nedũ declinet, nemo sit amplius qui aduersetur, &c. Hieron. ad hunc sen- B sum accedit. Sic enim exponit: Cum morte & omni malicia deuicta, omniq; errore sublato, solus regnabit in omnibus. Omnino loquitur de regno Dei, quale futurum sit post hanc uitam, quàm scilicet plenum & perfectum. Sic de eo dicimus, in cuius potestate sunt omnia, quem omnes obseruant, & qui unus agat omnia, esse illum totum in toto. Sic Deus erit in omnibus omnia, quando unus ac solus omnia pro uoluntate sua faciet in omnibus, adeoque regnum habebit prorsus absolutum ac perfectum id quod non habet, donec sumus in hac uita, donec Satan cum suis membris nondum est prorsus pedibus Christi subiectus, donec mundus hic in maligno positus est, donec caro nostra concupiscit aduersus spiritum, donec bonum quod uolumus non facimus, facimus uero malum, quod odimus, donec spiritus noster à corpore per mortem separatur, corpus uero mortalitati & corruptioni est obnoxium, donec locum in nobis habent fames, egestas, morbi, & omnis generis afflictiones, donec cognoscimus ex parte, per speculum & in ęnigmate, donec peregrini sumus in hoc mundo, donec carnalis spiritualem, malicia innocentiam, iniusticia iusticiam, impietas pietatem, & mendacium ueritatẽ persequitur, donec omnis adhuc creatura uanitati subiecta ingemiscit ac parturit, in summa, donec nondum prorsus extinctum est regnum Satanæ, peccati, mortis & mundi. Donec, inquam, hæc omnia durant, sicuti durabunt

bunt ad finem usq; mundi, nondum est Deus omnia in omnibus, quia nondum regnum habet plenum & absolutum. Habet quidem, sed potentia non actu, habiturus post finem mundi & potentia & actu. Potest semper omnia esse in omnibus absoluta sua potentia, uerum inscrutabili sua sapientia cursum regni sui sic disponit, ut perfectio illius ad futurum sæculum seruetur, sequaturq; præcedentis noctis tenebras splendor Solis diurni.

Vbi hæc omnia, quæ recensuimus, erunt è medio sublata, tunc erit Deus omnia in omnibus, regnum habens omnium perfectissimū. Ad perfectionem enim regni Dei requiritur, non modo perfectū ius, & absoluta potestas, sed & perfecta iuris & potestatis exequutio, perfecta iusticia, perfecta filiorum regni obedientia, & perfecta felicitas.

Hunc sensum puto esse germanum. Nec est ut quæramus, quæ omnia, & in quibus omnibus futurus sit Deus. Est enim omnia esse in omnibus, plenam omnium habere potestatem. Quare frustra laborant, qui de eo disputant, quænam sint illa omnia in futuro sæculo, quæ Deus erit in omnibus. Etenim, si futuræ uitæ bona intelligunt, non sunt illa nobis scrutabilia. Nec oculus ea uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ diligentibus se pręparauit Deus. Et illi frustra contendunt, qui ex hoc loco generalem omnium, etiam Satanæ, salutem post finem mundi futuram colligunt. Neque enim illud, in omnibus, ad homines siue bonos siue malos referēdum est, sed ad uniuersitatem eorū, quæ in regno Dei erunt gerenda & perficienda.

Hinc igitur accidit, quod nemo in hac uita perfectam potest uel iusticiam, uel sapientiā, uel felicitatem acquirere, propterea quod nōdum est Deus omnia in omnibus. Ea nanque uera demum erit felicitas, quando solus Deus omnia erit in omnibus.

Alioqui quid facient ij, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Cur & baptizātur pro illis?

Ab eo loco quo dixit: postea finis, cum tradiderit regnum Deo ac patri, argumentationē de resurrectione mortuorum digressiuncula de fine mundi, & statu futuri sęculi inserta interruperat. Ad hanc igitur reuertens, aliud adhuc absurdum post pręcedentia ijs objicit qui resurrectionem mortuorum negabant. Suprà dixerat: Quemadmodū in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabunt. Huc respiciens dicit: Alioqui, quid facient ij, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Quasi dicat. Dixi fore ut omnes uiuificentur in Christo: nisi hoc sit, omnium uidentur esse stultissimi, qui baptizantur pro mortuis. Quid enim faciunt, nisi rem prorsus inanem, si, quemadmodum nonnulli ex uobis dicunt, mortui non resurgunt? Et ad tantam stultitiam & absurditatē perstringendam, quæ ex errore illorum consequeretur, adijcit inculcans: Cur & baptizantur pro illis? Quasi dicat. Si mortui non resurgūt, quorsum illis baptismus? Quoniam ex hac uita migrarunt, &, si uerum est quod illi dicūt, nulla post hanc consequitur alia, ad quam mortui resurgant, quæ potest utilitas ex baptismi communicatione redire ad mortuos, nec pręsentis amplius nec futuræ uitæ capaces? Omnis utilitas aut præsentis est aut futurę uitæ. Ad mortuos nulla pertingit, nisi uitæ restituantur. Quod si aliqua baptismi utilitas est, quæ possit redire ad mortuos, necesse est, ut aliquando ad uitā resurgant. Testantur ergo de se, qui pro mortuis baptizātur, quod futurum sperent, ut resurgant mortui, fiantque utilitatis quæ ex baptismo est in futura uita capaces. Saltem igitur istorum factum inspiciant, qui resurrectionē mortuorum negant.

Huiusmodi apparet esse argumentationē Apostoli, si sequamur sententiam eorum, qui existimant fuisse nonnullis in usu, ut pro mortuis amicis, cognatis, fratribus, & liberis baptizari se facerent, si illi sine baptismate discessissent. Quam consuetudinem Chrysostomus tribuit Marcionitis, recitans, quomodo sub lectum mortui hominem uiuum abdāt, qui pro mortuo respondeat, ac baptismum petat, illumq; loco mortui baptizent. Quod illorum factum, an ex eiusmodi consuetudine Corinthiorum quorundam orginem duxerit, affirmare non possum. Est enim incertum, an Apostolus de illa loquatur, quod alij negant, alij asserūt, sicut in re incerta fieri solet. Qui negāt, habent suas rationes haud aspernandas quas sequuntur. Qui asserunt, inhærent uerbis, quę pro ipsis facere uidentur. Et quoniam non est satis aliorum reijcere sentētiam, nisi quam ueram putes in medium adferas, qui negant receptam expositionem, alij aliam, suam quiq; pro germana adferunt. Quamuis enim in eo consentiunt, quod nō loquatur Apostolus de quibusdā, qui se pro mortuis amicis baptizari fecerint, in assignanda tamen expositione, quæ uera sit & germana diuiduntur.

2 Alij siquidem de clinicis exponūt, hoc est, catechumenis, morti iam uicinis, ideoq; pro mortuis habitis, quod de uita illorum desperaretur, qui se, ne sine baptismate ex hac uita discederent, uelut in ipsis mortis faucibus constitutos baptizari fecerint. Sane notum est usitatum fuisse in ecclesia hoc genus clinicorum baptismum, quamuis an tempore Pauli fuerit in usu, nescio probari ne possit. Nec admodū firmum uidetur quod baptizari pro mortuis, idem esse dicūt quod baptizari iam moriturū.

3 Alij exponunt de ijs, qui se super uel ad sepulcra mortuorum propterea baptizari fecerint, ut hoc facto fidem futuræ resurrectionis profiterentur. Illis quod in Græco est ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, pro mortuis, idem quod ὑπὲρ τοὺς νεκρός, id est, super mortuos. Ebraicè על המתים supra

ſupra uel iuxta mortuos, hoc eſt, mortuorum ſepulcra. Hic quoque nec de hiſtoria conſtat, quod ego ſciam, nec de mente Apoſtoli, quod de eiuſmodi baptiſmate hoc ſcripſerit.

A

4 Chryſoſtomus & Theophylactus aliud adferunt. Quoniam in conſueto apud ipſos erat, ut baptizandi ſymbolum fidei palàm pronunciarent, & ubi ſe reſurrectionem mortuorum credere in calce ſymboli profeſsi eſſent, mox baptizarentur, ſentiunt idem eſſe baptizari pro mortuis, quod in fidem reſurrectionis mortuorum baptizari, & exiſtimant hunc eſſe ſenſum Apoſtoli. Alioqui, quid facient, qui dum baptizantur, mortuorum ſe reſurrectionem credere profitent, ſi mortui nō reſurgūt?

Verum unde conſtat morem hunc de reſurrectione mortuorum poſtremo loco interrogandi, & ad illius fidem mox baptizandi, tempore Pauli fuiſſe in uſu, ut in illum hic reſpexiſſe credi poſsit?

Deinde ſi ad communem eiuſmodi baptiſmum, quo non aliqui tantum, ſed omnes baptizari conſueuerint reſpexiſſet, non dixiſſet: Alioqui quid faciunt, qui pro mortuis baptizantur? ſed magis ad hunc modum: Alioqui quid facimus, qui pro mortuis, id eſt, propter fidem reſurrectionis mortuorū baptizamur?

5 Commētarij Hieronymo aſsignati ſic exponunt: Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in mortem ipſius baptizati, id eſt, cum illo iam quaſi commortui ſumus. Huc reſpiciens carnem noſtram mortuam uocat, ideoque increpando dicit: Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt, id eſt, quid baptizari opus eſt carnem, ſi non reſurgat? Ad hanc expoſitionē reſpondemus idem quod ad præcedentem. Baptizamur omnes in mortem Chriſti. Debebat igitur dicere, quid facimus dum pro mortuis baptizamur? potius quàm, quid faciunt, qui pro mortuis baptizantur? Ad hoc, non eſt idē baptizari mortuum peccatis & mundo, quod baptizari pro mortuis.

B

6 Lyranus ſic. Pro mortuis, id eſt, pro peccatis mortalibus, quæ ſunt opera mortua, pro quibus abluendis accipitur baptiſmus. At ſic baptizari non eſt quorundam tantum, ſed cōmuniter omnium. Loquitur autem Apoſtolus de baptiſmate quodam quo non omnes, ſed aliqui tantum utebantur. Deinde hoc ſenſu non ſtabit argumentum Apoſtoli. Etenim ſi per mortuos, pro quibus nonnulli baptizabātur, intelligenda ſunt peccata mortalia, quod ſequitur ſi mortui non reſurgunt, uel idem erit, quod, ſi peccata mortalia non reſurgunt, quod eſt abſurdum, uel ſi de mortuis hominibus accipiatur, uis argumenti Apoſtolici eneruatur. Poterat enim reſponderi. Etiam ſi mortui non reſurgunt, utile tamen eſt, & ad præſentem hanc uitam conducibile, peccata mortalia per baptiſmum abluere, quo conſciētias ſaltem quietiores habeamus, & præſentis uitæ bonis digniores reddamur.

7 Ambroſius ſic exponit. In tantum ratā & ſtabilem uult oſtendere reſurrectionem mortuorum, ut exemplum inducat de eorum facto, qui tam erant de reſurrectione mortuorū ſecuri, ut etiam pro mortuis baptizarentur, ſi quem forte mors præueniſſet, timentes ne aut male aut non reſurgeret, qui baptizatus non fuerat, atque ita uiuus nomine mortui tingebatur. Vnde ſubiecit: Quid & baptizantur pro illis? Exemplo autem hoc nō factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectionem oſtendit. Hæc ille. Vbi has omnes expoſitiones pro mea mediocritate inſpicio, ad primā, quæ & Ambroſij eſt, magis inclino. Nec impedit me, quod exemplum hoc eorum qui pro mortuis baptizantur, repræhenſibile factum habet, quando & Chriſtus œconomum iniquū fidelibus ſuis non iniquitatis, ſed prudentiæ reſpectu propoſuit & laudauit. Et huic ſententiæ fauere uidetur, quod non ſimpliciter dicit: Cur baptizantur, ſed, cur & baptizantur pro illis? Hoc eſt, cur non ſepeliunt eos ſimpliciter, & auferunt è medio tanquam mortuos, & nunquam reuicturos, ſi mortui non reſurgunt, ſed baptiſmum etiam illis impendunt. De ſententia Tertulliani, quæ eadem eſt, annotarunt alij.

Quicquid ſit de hoc ſenſu, omnino conſtat ſuperſtitionem illam, qua uiui, neſcio quibus cæremonijs ſaluti mortuorum conſuli poſſe in Papatu putant, non eſſe recentem, ſed antiquam, & tam inter Chriſtianos, quàm Iudæos & Gentes uſitatam. Qualis eſt quod aqua luſtrali ſepulcra mortuorum in Papatu aſpergunt, quem morem ex Gentium ſuperſtitionibus ſuperſtitem eſſe crediderim, & qualis eſt, quod Græci mortuos ſuos oleo inungunt, & quod ſacrificulus Papiſta Euchariſtiā pro mortuis comedit. Sic Satan mox ab initio uſum ſacramentorum baptiſmi & Euchariſtiæ uarijs ſuperſtitionibus cōſpurcare & peruertere cœpit. Quid autē intereſt, inter eos qui pro mortuis baptizabantur, & eos qui Euchariſtiā pro illis comedunt? Quàm non procul ab eorum ſunt ſuperſtitione, qui aquam luſtralem ſepulcris mortuorum inſperſam ad ablutionē peccatorum illorum facere putant?

Quid & nos periclitamur omni tempore? Indies morior, per noſtram gloriationem, quam habeo in Chriſto Ieſu domino noſtro. Si ſecundum hominē cum beſtijs depugnaui Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui non reſurgunt? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne decipiamini. Mores bonos corrumpūt colloquia praua. Expergiſcimini iuſte, & ne peccetis. Nam ignorationē Dei nōnulli habent. Ad pudorē uobis loquor.

Inſtat, obijciēs adhuc aliud abſurdum, quod ſibi cum primis naſcatur, ſi mortui non reſurgant.

gant. Hinc enim sequebatur frustra ipsum tot discrimina propter Euangeliũ subeundo quotidie periclitari. Quidã & apostolos reliquos Paulo hic coniungunt, quoniam pluraliter loquitur. Quid & nos periclitamur, inquit, omni tempore? intellige, si mortui non resurgãt. Non dicit simpliciter, quid & nos affligamur, sed, quid & nos periclitamur? Periclitari non est simpliciter affligi, sed periculum amittendæ uitæ subire. Nec simpliciter dicit: Quid & nos periclitati sumus aliquoties? sed, quid & nos periclitamur omni tempore? Quasi dicat. An non prorsus insani essemus, tam crebra & indesinentia discrimina mortis subeundo, & præsentis huius uitæ usuram nobis ipsis citra rationem frustra amputando, si mortui nõ resurgant? Quàm autem crebris fuerit periculis obnoxius, in posteriore epistola ad Corinth. cap. 11. luculentius exponit, ubi sic legitur: Ministri Christi sunt? Desipiens loquor, excellentius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi. Ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus, sæpe in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, &c. Tot modis, tamq; frequenter uitam in discrimen propter Euangelium, fide ac spe resurrectionis frustra ponere, si nulla sit mortuorum resurrectio, ipsissimæ fuerit dementiæ.

Sed dices, quid hoc magni est? An non passim in historijs occurrunt eorum exempla, qui sine spe resurrectionis uel amore patriæ ac suę gentis, uel studio inanis gloriæ, uitam suã certissima morte scienter commutarunt? Vnde nemo certo poterit colligere, nihil eos horum fuisse subituros, nisi futurum crederent, ut è mortuis aliquando ad futurã gloriã resurgãt.

Respondeo. Longè alia erat Apostoli, quàm illorum & causa & conditio. Etenim qui rebus patriæ suæ periclitando consulebant, & sibi gloriam, & patriæ salutem conciliabant, ideoque non frustra periclitabantur. Qui gloriæ studio uitam suam periculo exponebant, habebant & ipsi quo respicerent, sequuturam uidelicet nominis celebritatem. At Apostolus nec profuisset cuiquam periclitando, si nulla esset mortuorum resurrectio, imò innumeros frustra secum perdidisset, nec poterat aliquid sibi gloriæ polliceri, in causa toto terrarum orbe omnis generis ignominiæ, probris, & odijs obnoxia, cuius uniuersa commoda à futura uita pendent. Quare nõ sine ratione dicit: Quid & nos periclitamur omni tempore, si mortui non resurgunt?

Et hinc non probat contentiosis resurrectionem mortuorum. Poterat enim ab illis audire: Sane nisi motę mentis esses, nec teipsum nec alios uana resurrectionis spe in discrimina uitæ conijceres. Verum interim Christianis hominibus cogitandũ relinquit, quàm oporteat ipsum firma fide ac spe, ab indubitata mortuorum resurrectione tot ac tam indesinentia uitæ pericula propter Euangelium subeundo pendere. Et reuera uix potest fortius comprobari ab Apostolo doctrinam suam de futura uita per Christum, haud esse uanam, quàm si illã non uerbis tantum proponat & asserat, sed & propter illam, quoties opus est, uitã suam periculo incunctãter exponat. Facile quippe est, uerbis asserere uitam post finem mundi futuram, uerum illius fide ac spe præsentem hanc susque deque facere, & in discrimen propter Euangelium Christi adducere, non est quorũuis, sed eorum tantum qui de certitudine futuræ felicitatis in cordibus suis persuasi, quod certo futurum sciunt, cupidissime appetunt. Quis credat prælatos ecclesiarum episcopos, canonicos, presbyteros, abbates, &c. ulla esse futuræ resurrectionis fide ac spe præditos, cũ Sole clarius puppim ac proram ad præsentis uitæ commoda, gloriam, ac delicias totis uiribus conuertant ac dirigant? proque illis mordicus retinendis cœlum ac terram miscere parati sint, citius quàm latum ungué de possessione illorum cedere sustineant.

INDIES morior, inquit.] Idem dicit quod in præcedenti particula. Nihil enim hic aliud est, quotidie mori, quàm omni tempore de uita periclitari. Quanquam sunt qui exponant non de externis uitæ periculis, quorum suprà catalogum ex undecimo capite posterioris ad Corinthios epistolæ adduxi, sed de lucta quotidiana, quam in animo sustinuerit, certãtibus inter se uita & morte, peccato & iusticia, gaudio & tristicia, spe ac desperationis tentatione, fiducia ac diffidentia, &c. Nemini dubium sit, eiusmodi internas in animo suo pugnas frequenter esse Apostolum hunc expertum. Nec inconueniens est, si quis eas mortem uocet. Mors quædam erat, quod bonum non faciebat, ut uolebat, malum uero faciebat quod odio magno prosequebat. Mors itẽ erat, quod omnes quæ sua erãt, nõ quæ Iesu Christi quęrere cernebat. Mors erat, quod ecclesias, quarum solicitudine tantum non enecabatur, per subintroeũtes fratres ac pseudapostolos post discessum suum inspersis falsorum dogmatũ zizanijs corrumpi uidebat. Mille huiusmodi mortis genera expertum esse hunc Apostolũ ex scriptis illius abunde patet, si quis diligenter illa inspiciat. Attamen quoniam in causa hac resurrectionis mortuorum de eo mortis genere loquitur, quo uita corporis in discrimẽ inducitur, existimo simplicius ac conuenientius esse, ut de illo intelligamus. Non moriebatur quotidie, uerum quotidie mortis reddebatur periculis obnoxius. Etenim quo plus cæteris in opere domini laborabat, hoc pluribus sese

sese periculis inuoluebat. Haud enim indesinentem ipsius zelum princeps huius mundi ferre poterat.

PER nostram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu domino nostro.] Græcè est, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, quibus uerbis iuramento quod dicit confirmat. Iurat autem per gloriationem suam, eamq; non quamuis, sed quam habebat in Christo Iesu, cuius se gloriabatur esse Apostolum, & propter quem omnia illa discrimina ferebat, sciens eum esse dominũ uitæ & mortis, regnare ad dexteram patris, rediturumq; ad aboledos omnes inimicos, ipsam quoque mortẽ, & ad excitandum suos è mortuis, &c. Huiusmodi puto gloriationem intelligit, quæ ipsi adeò erat certa & firma, ut non dubitet per illam iurare. Quid non pateretur animus eiusmodi pro Christo? Quęnam discrimina pro ueritate illius subire detrectaret?

Chrysostomus legit, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, id est, per uestram gloriationem. Existimo tamẽ eam lectionem non esse germanam. Primo nanque, non est uerosimile, uoluisse Apostolũ iurare per eam gloriationem, quam de Corinthijs habebat in Christo, cuius meminit in epistola sequenti cap. 7. dicens: Multa mihi fiducia erga uos, multa mihi gloriatio de uobis. Erat enim illa incerta. Deinde, non dicit, quam habetis, sed, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. Quare neque de ipsorũ gloriatione loquitur, quam habuerint in Christo Iesu. Neque enim per illam, utpote incertam sibi, rectè iurasset. Cum ergo necesse sit ut per suã gloriationem iuret, quam in Christo habebat, puto manifestum esse, lectionẽ Chrysostomi nõ conuenire menti Apostoli.

Colligunt ex hoc loco, non esse iuramentũ Christiano illicitum per se, modo non accedãt illicitæ circumstantiæ, quandoquidem Apostolus Christi non hic tantum, sed alijs locis illo uti non dubitauerit. Verum de iuramento si quis pleraq; cognoscere uoluerit, uideat tractatum, quem de illo Commentarijs nostris in Psalmos appendicis uice adiecimus.

Vulgata æditio aliter habet, uidelicet ad hunc modum: Quotidie morior propter uestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro: quasi sit in Græco non, νὴ, quæ iurantis est uocula, sed διὰ, id est, propter, neque καύχησις, id est, gloriatio, sed δόξα, id est, gloria. Et sic Ambrosius quoque legit & exponit. Ad hoc festinabat, inquit, Apostolus, semper solicitus, ut gloria illi accresceret apud Deum acquisitæ salutis multorum. Verum si hoc uoluisset Paulus, non dixisset propter uestram gloriam, quam habeo, sed simpliciter ꝓpter gloriã quã in Christo Iesu habere cupio.

Augustinus tamen de doctrina Christiana lib. 3. cap. 4. sic annotat. Ait quidam interpres: Quotidie morior, per uestram iuro gloriam, quia in Græco uox iurantis manifesta est sine ambiguo sono.

Et epistola 89. ad Hilarium, paulò ante calcem sic dicit. Sed etiam illa ibi contra eos inuenta est, quam confitentur esse iurationem, ubi ait Apostolus: Quotidie morior per uestrã gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. In Græcis enim codicibus reperitur omnino esse hanc iurationem, ne quis in Latina lingua hoc sic intelligat dictum, per uestram gloriam, quomodo dictum est, per meum aduentum iterum ad uos, & multa similia, ubi dicitur per aliquid, & non est iuratio. Hæc ibi.

Et lib. 1. de Sermone domini in monte: Nisi forte quis dicat, inquit, tunc cauendam esse iurationem, cum per aliquid dicitur quod iuratur, ut non iurauerit Apostolus, quia non dixit, per Deum, sed dixit, testis est mihi Deus. Ridiculum est hoc putare: tamen propter contẽtiosos ac tardiores, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo iurasse Apostolũ, dicentem: Quotidie morior per uestram gloriam, quod ne quis existimet ita dictum, tanq̃ si diceret: Vestra gloria me facit quotidie mori, &c. Græca exemplaria dijudicãt, in quibus scriptum est, νὴ τὴν καύχησιν ὑμετέραν, quod nõ nisi à iurante dicitur. Hæc ibi. Volui ista lectionis gratia annotare.

Apparet hic, meo iudicio, quemadmodum & multis alijs locis, in Commentarijs qui Hieronymo adscribuntur, Hieronymi desyderari eruditionem, ideoque illos nihil esse minus q̃ Hieronymi. Sic enim, quisquis illorũ author est, annotauit. Per gloriã uestram fratres. Per, non semper significatio iuramenti est. Nam si dicam, per puerum misi, non statim per puerũ iurasse rectè putabor. Hæc ille, quasi Apostolus non Græcè νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, sed Latinè per uestram gloriationem, scripserit. Quis credat Hieronymum tam pueriliter fuisse hallucinaturum?

Si secundum hominẽ cum bestijs depugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas, si mortui non resurgunt?

In genere dixerat, periclitamur omni tempore, & indies morior. Iam ex tam multis suis periculis, unum, exempli uice memorat, ut in illo cõsyderandum proponat, quàm oporteat se omnino esse dementem tam horrenda discrimina subeundo, cum illa uitare posset, & præsenti se uitę accommodare, nisi certo esset de futura mortuorum resurrectione persuasus, ac sciret cui nam crederet, quamq; ille potens sit ad reddendum in illo die, quicquid ipsius fidei deponeret & concrederet.

SI secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, inquit.] Hoc est, si cum essem Ephesi, ibique Christum prædicarem, depugnaui cum bestijs, neque Dei spiritu & uirtute adiutus, neque fide ueritatis impulsus, sed humano aliquo cõsilio, temeritate ac præsumptione motus, quid utilitatis ex tam horrendo periculo expectare potui, in quo non certa modò, sed & infamis & horrendissima mors ipso

ipso primo bestiarum aspectu in oculos incurrere solet, siquidem mortui non resurgunt? Etiãsi eo facto integrũ regnum sperassem, quorsum regnum, imò totus hic mundus, homini à bestijs discerpto ac consumpto? siquidẽ non est post hanc uitam expectanda alia?

Quod Christiani ad bestias damnari cõsueuerint, ex Tertulliano patet. Si qua cõmunis calamitas pœnas de impio mũdo sumpsisset, tribuebatur id Christianis, & clamabat, Christianos ad leonem. Vide in illius Apologetico cap. 39. De eo cum nemine disceptarim, armati ne ad pugnandũ, uel nudi ad hoc ut mox discerperentur, bestijs fuerint obiecti fideles. De cæteris, præsertim gladiatoribus, non est dubium, quin armati in arenã cum bestijs spectante populo pugnaturi descẽderint. Verum quod Paulum attinet, controuertitur, cum bestijs ne, leonibus, leopardis, ursis, &c. uere depugnasse se, uel cũ impijs hominibus quauis bestia ferocioribus pro ueritate Christi decertasse dicat. Postremũ sensum Theophylactus sequitur, exponens de Iudæis incredulis, & Demetrio aurifabro, qui sane leonum instar Paulum discerpere ac prorsus deuorare satagebant. Qui sic sentiunt, ex eo mouentur, quod nusquam fit in Actis mentio, quod Ephesi fuerit Paulus bestijs obiectus. Qui uero priorem sensum tenent, existimant non esse temere ex propria loquutione faciendam metaphoricã, nisi cogat uel aliqua propriæ loquutionis absurditas, uel imposibilitas, uel manifesta ueritas. Quod Lucas nihil de bestijs meminit, tã non impedit simplicem sensum, quàm nõ impedit illum in epistola sequenti, ubi cap. undecimo grauissimorum periculorum catalogus ponitur, quod nullam illorum mentionem in Actis factam legimus. Quare in cõfesso est, nõ omnia esse in Acta relata q̃ uel gessit uel passus est Apostolus. Si Lucas Apostolum Ephesi cum bestijs depugnasse narraret, crederemus id ita fuisse factum, etiamsi Paulus de illo tacuisset. Iam cum ipse Paulus hoc de se scribat, quur non credam sic esse factum, quantumuis nihil huius à Luca scribatur. Sic puto non esse satis pregnãtes causas, quare à simplici ac proprio uerborum sensu hoc loco discedamus.

Act. 19. Quod si quis historiam Demetrij & artificum quos ille aduersus Paulum cõcitauit, diligenter inspiciat, non inueniet Apostolũ cum illis ne uerbo quidem depugnasse, imò in ipsorum seditione ne comparuisse quidẽ. Sic enim Act. 19. legimus. His auditis, repleti sunt ira & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerũt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Paulo autem uolẽte intrare ad populum, non permiserũt discipuli. Quidam autem & ex Asiæ primoribus qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum, &c. Ergo non pugnauit cum bestijs illis Demetrio ac socijs eius, in quorum furen-

A tium ne conspectum quidem uenit, nisi quod accidit illius comitibus in ea seditione, ipsi deputetur. Verũ quorsum attinuisset in hac causa aliena citare pericula, cum de suis haberet abunde multa, quæ commemoraret?

QVAE mihi utilitas, inquit, si mortui nõ resurgant?] Quid hic illi, qui etsi resurrectionem corporum negant, animarum tamen immortalitatem sic concedunt, ut per hãc omnia quę Christianismi sunt saluari posse putent. Si nulla utilitas est ei qui propter Deum mori non dubitat, nisi corpora mortuorum resurgant, ergo omnis illa pietas, quæ in scripturis traditur, prorsus à resurrectione mortuorum omnem suã expectat utilitatẽ? Desinant ergo esse Christiani, uel fidẽ resurrectionis amplectant̃.

QVAE mihi utilitas, si mortui nõ resurgãt?] Nulla. Ergo quoniam resurgent mortui, proderit Paulo ad bestias depugnasse pro ueritate Christi in hac uita. Firma est hæc consequẽtia. Habebitur igitur ratio in futuro sæculo eorum quæ iam gerimus in præsenti, & quod quisq; seminat in hoc mortali corpore, metet in immortali, à mortuis excitato.

Ex opposito possumus colligere ad hunc modum. Si secundum hominem, pro ingenio meo, uixero in hac uita & nullam prorsus pietatis & iusticiæ rationem habuero, quid inde erit detrimenti ac damni, si mortui non resurgant? Nihil. Et hic sensus hæret in multorum animis, id quod ipsa uita proclamat. Ergo, si B tollas resurrectionẽ mortuorum, Paulo nihil proderit, ad bestias depugnasse propter Euangeliũ Christi, & innumera alia illius gratia fecisse ac pertulisse, & Neroni nihil oberit Paulum, nec Iudæis incredulis Christum ipsum occidisse. Tanti uidelicet momenti est in articulo hoc resurrectionis mortuorum. Quare haud præter rationem tantopere Apostolus in asserendo illo laborat.

EDAMVS & bibamus, cras enim morimur.] Chrysostomus sic legit. Si secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, quę mihi utilitas? Si mortui nõ resurgunt, edamus & bibamus, cras enim morimur. Verum nihil refert, siue præsenti particulę siue sequenti coniungamus illud, si mortui non resurgunt, unde omnia hæc absurda colliguntur. Si mortui non resurgunt, cogitat uoluptuarius. Ergo post mortem mihi non erit ulla uoluptas. Et breuis hæc uita est, mors ultima linea rerum, Cras aderit, cur nõ igitur prẹsentib[9] utor Delitijs? cur non edo? cur non suauia quæuis, Vina bibo? ingenio cur non indulgeo totus? Hæ sunt cogitationes uoluptuariorũ, ubi audiunt non resurgere mortuos, quas hic Apostolus duobus tribus uerbis expresit, sub ipsorum persona dicens: Edamus & bibamus, cras enim morimur.

Quo autem significet se metuere ne Corinthijs fidelib[9] id accidat, quod olim accidit Hierosolymitanis, uerba hæc uoluptuariorum, edamus & bibamus, cras enim morimur, haud

Esa. 22. de suo sed ex uicesimo secundo capite Ieshaię desumpta ponit, ubi post grauem futuræ uastationis ac cladis comminationem subijcitur ad hunc modum. Et uocabit dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & planctum ad caluicium & ad cincturam sacci, & ecce lęticia & gaudium, cædendo boues, mactando oues, edendo carnes & bibendo uinum, אכל ושתו כי מחור נמות, id est, edendo ac bibendo cras enim (dicetis) moriemur. Hęc ibi, de quibus, si cui lubet, uideat commentarios nostros in Ieshaiam.

Erant Hierosolymitani, præsertim primores, non solum carnales & impij, sed & diuinarum admonitionum & comminationum irrisores. Cum exitium & uastationẽ minaretur illis per prophetam dominus, nisi resipiscerẽt, illi usq; adeo nullam ne cogitationem quidẽ resipiscentiæ animo concipiebant, ut magis quàm antea uoluptatibus operam darent cõmessationibus & compotationibus indulgentes, & alius alium ad irridendum prophetam prouocantes ac dicẽtes, edamus & bibamus, cras enim morimur, cras Hierushalẽ tota corruet, sic enim futurum propheta noster minatur. Et hæc irrisio usque adeo displicuit domino, ut iureiurando affirmauerit, huic se illorũ iniquitati haud ignoturum nec quieturũ donec morte absumerentur. Cum igitur acciderit hoc in populo Dei, non immerito metuit Apostolus, ne idem & Corinthijs fidelibus accideret, præsertim cum adhuc uiuerent inter impios, & in ipsa ecclesia sua multos haberent carnales.

Nos hic obseruemus, quo euadat caro, fide resurrectionis destituta, & quàm insensate scientia mortalitatis suæ abutatur. Edamus, inquiunt, & bibamus. Edere ac bibere per se nihil habet repræhensibile, quandoquidem natura sic est ut utrunq; requirat. Sed refert quo fine edas ac bibas. Edamus & bibamus. Quare? Cras enim morimur inquiunt. Ergo ne dictat hoc ratio, ut quoniã cras morituri sumus, hodie edamus & bibamus, & non magis ob id comedamus & bibamus, ne si cibum necessarium naturæ nostræ negemus cras moriamur? Quod si cras moriẽdum est, quorsum hodie comedes ac bibes? Cum finis cibi ac potus sit non mors sed uitæ huius sustentatio. Etiãsi non sit futura resurrectio, conuenit ne homini hæc stulticia, ut comedat & bibat non ut uiuat, sed quia moritur ne non satis ebrius & bene curata cute distentoq; aqualiculo moriatur? Quæ bestia sic est animata, ut quo citius moritura est, hoc plus edat ac bibat? Animalis homo, quãtumuis futurę resurrectionis ignarus, non dicit, edam & bibam, cras enim moriar, sed, edam & bibã ne moriar. At caro, crassis istis Bacchi & Veneris uoluptatib⁹ immersa, & ad hoc tantum uiuens, ut edat & bibat, non edens & bibens ut uiuat, ubi de mortalitate sua admonetur, in hanc uocem erumpit. Age edam ac bibam, cras enim moriar. Inde

A sumit causam uoluptuãdi, unde debebat causam sumere à uoluptatibus abstinendi. Sic refert in quem hominem scientia & cogitatio mortalitatis incidat. Si in uoluptuariũ, dicit: Edam & bibam, cras enim moriar. Si in animalem ac qualicunq; humanæ rationis sensu pręditum, dicit: quorsum uoluptatibus operam dabo? Cras enim moriar. Quorsum opes colligam potentiamq; & honores appetam? Cras enim moriar. Si in Christianum ac fidelem, cauebo, inquit, ne peccem, cras enim ex hac uita migrabo ad dominũ. Odit ac persequitur me mundus? Non faciet hoc diu. Cras enim obdormiam in domino, & de manibus omnium inimicorum meorũ liberabor. Caro mea reluctatur spiritui? An non faciet hoc in sempiternum. Cras enim morietur, & mortua non reluctabitur amplius. Premunt me omnis generis ærumnę, paupertas, fames, morbi? Bene habet. Non modo mortalis sum, sed & breui moriar & beneficio mortis ex hisce miserijs omnibus liberatus mortalitatem istam immortalitate commutabo. Hæc & consimilia multa proferet homo fidelis de morte sua breui uentura admonitus. Quare bonũ quidem est, nũquam obliuisci, quàm cito pede mors ultima rerum linea immineat. Verum multũ refert, in quem hæc cogitatio incidat. Inspice Germaniam nostram, & uide an non hæc illi uox cõpetat: Edamus & bibamus, cras enim morimur. Siue pestis grassatur, siue gladius hostilis

B sæuit, editur ac bibitur, imò hoc amplius gulę indulgetur, quo magis intentant omnia mortem. Quid hoc aliud est, quàm, edamus & bibamus, cras enim morimur? Vide Sap. 2. quomodo cogitationes carnalium & uoluptuariorum exprimantur. Adeste, inquiunt, bonis præsentibus fruamur, uino precioso & unguẽtis nos repleamus, nullum pratum sit expers nostræ luxuriæ, &c. Quare? Quia breuis est uita nostra & umbræ transeunti similis. Nemo est qui non moriatur, nemo qui ex morte reuertatur. Vnde hæc cogitant? Quia excæcati sunt, & neq; mysteria Dei norunt, neq; futurã hominis immortalitatem credunt.

NE decipiamini. Mores bonos corrumpũt colloquia mala.] Immiscet succinctam admonitionem propter imperitiores & minus cautos. Ne decipiamini, inquit, Græcè est μὴ πλανᾶσθε, quod suprà capite. 6. uertit: Ne erretis. Verum quoniam de errore loquitur Apostolus qui ex prauis impiorum colloquijs concipi potest, recte uertit hoc loco: Ne decipiamini. Et uulgata habet: Nolite seduci. Hoc est, ne credite seductoribus illis, qui resurrectionem mortuorum negantes, præsentis uitę delicias sectantur, & quosuis à studio pietatis abducere conantur, ne soli in barathrum perditionis descendant. Et quod nam est seductionis huius periculum? Mores bonos, inquit, colloquia corrumpunt mala. Colloquium prauum est, uenite edamus & bibamus, cras enim morimur. Post mortẽ nulla uoluptas. Non enim resur-

resurgũt mortui. Quorsum attinet frustra studere rebus, in quibus nihil est ueri, nihil utilitatis, & interim nec pręsenti uita frui, nec post mortem ulla alia potiri? Hoc genus praui colloquij omnium est perniciosissimum. Corrũpit enim bonos mores, mores uidelicet pietatis, iusticiæ, religionis, honestatis, probitatis, modestiæ, temperantiæ, & humanitatis. Hoc est, reddit ex pijs impios, ex iustis iniustos, ex religiosis ac timentibus Dei irreligiosos & cõtẽptores Dei, ex honestis inhonestos, ex probis improbos, ex modestis & temperantibus immodestos & intemperantes, ex humanis inhumanos, &c. Etenim ubi sermonibus impiorum seducti, nullam nobis post mortem reliquam fore uitam, sed esse hominem similẽ bestijs & iumentis, ac morte cõsummari illius omnia & transire in nihilum, credimus ac sentimus, quid aliud consequi potest, quàm ut & ipsam hanc uitam nostram bestialem & impiã reddamus, & omnibus carnis nostræ affectibus indulgeamus?

CORRVMPVNT bonos mores colloquia mala, inquit.] Est hæc sententia generalis ac latissime patens, ita ut species eius omnes adnumerari nequeant. Accommodauit illã Apostolus causæ quam agebat. Vir prudens, præsertim minister uerbi, usurpabit eã contra omnis generis corruptelas. Sermo delatoris malum est colloquium. Corrumpit amicorũ concordiam, & inflammat animos eorum ad inimicitias & odia mutua. Sermo eius qui patiẽtiam iniuriarum dissuadet, & ad uindictam incitat, malum est colloquium, suaues ac placidos patientis animi mores corrumpens & in sæuos hostilesq; peruertens. Assentatoris adulatio, & illud aulicum EVGE, malum est colloquium modestiam animi corrumpens & in pessimam superbiæ inflationem mutans. Impudicorum hominum sermo malum est colloquium, pudicos adolescentum mores corrumpens. Sermo dehortans à studio sapientiæ, sciẽtiæ, & bonarum artium, à laboribus & sedulitate disciplinæ, malum est colloquium. Reddit enim ignauos desides & inertes. Sunt eius generis corruptelæ innumeræ.

Sed unde est ista uis mali colloquij, cũ uerbis tantum ijsq; non Dei sed hominis cõstet? An uox humana eius est efficaciæ ut animum hominis mutet ac transformet? Nisi esset, malum colloquium bonos mores non corrumperet. Corrumpit autẽ. Est igitur efficax. Hæc illius efficacia tam est certa, indubitata ut & ethnicis hominibus per quotidianam sit experientiã cognita, unde sentẽtiã hãc senario uersiculo compræhensam Menander poëta comicus tanquam omnibus notam affirmanter posuit, dicens: φθείρουσιν ἤθη καλὰ ὁμιλίαι κακαί. Si quęras causam, cur inter homines ab homine prolatum malum colloquium tantum habeat efficaciæ, ut non modo bonas cogitationes piaq; & honesta proposita, sed & bonos mores, qui propter consuetudinem uelut in habitũ ducti

A sunt, ut iam nihil illis timẽdum esse uideatur, non leuiter tantum tentent & ad corruptionẽ solicitent sed omnino corrumpant, in promptu responderi potest, uim eam esse non ex loquente sed ex uiciosa audientium natura, qua fit ut per peccatum in carne nostra latens ad uicia ꝓni simus omnes. Quæ impietatis sunt, iniusticiæ, iniquitatis, superbiæ, impatientiæ, uindictæ, inuidiæ, impudicitiæ, carni nostræ sunt agnata, & in illa locũ inueniunt facillime. Et hinc est malis colloquijs uis tãta, ut bonos mores leui momento corrumpãt, bonis uero colloquijs tantum uirium non est, ut malos mores emendent, nisi singularis gratia Dei in animis audientium operetur, id quod in pijs facere solet. Prauum colloquium est instar uenti, qui si focum prorsus uacuũ & ne minimam quidem scintillam habẽtem afflet, ignẽ in illo prorsus nullum excitabit. Sic colloquiũ malum si incidat in angelum, nihil erit periculi. Angelicos mores haudquaquam corrumpet. Si uero incidat in hominem, in cuius corde sunt adhuc peccati scintillæ, magnum est periculum, ne mores illius etiamsi sint optimi corrumpantur. Quare quemadmodum cauemus ne focus, in quo abditus est igniculus, uẽto sit expositus, ne nobis dormientibus excitetur incendium, ita, imò multo magis cauendum nobis est, ne sensus nostri, in quibus adhuc latent peccati reliquiæ, prauis colloquijs exponantur, unde noxia pietatis & uerę B probitatis corruptio excitetur, atque ita ad quæuis scelera sensim abducamur. Vidit hoc Basilius, cum diceret, ἡ γὰρ πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθεια ὁδός τις ἐστὶν ἐπὶ τὰ πράγματα.

Similé.

Quod autem Apostolus senarium hunc ex Menandri comœdia Corinthijs consyderandum proponit, documento nobis esse debet, quàm conueniat ministro Christi, ut undequaque sit non è sacris tantum sed & ethnicorum scriptis munitus, quo se accommodet illis, quos uel emendare uel ad ueram pietatem ædificare debet. Gentilium poëtarum præsertim comicorum scripta Corinthijs erant uulgo nota. Cum ergo scriberet illis de uitandis malis colloquijs, possetque ex sacris scripturis adferre, quæ huc facerent, maluit illis comicam sententiam omnibus notissimam & celeberrimam obijcere, quo citius ex antea cognitis & tritis ad cauendum praua colloquia permouerentur. Possunt igitur in religionis quoque causa Gentilium scripta citari, uerum nõ ad stabilienda fidei nostræ dogmata, sed ad mores uel bonos commendandos uel malos repræhendendos, præsertim si sint indubitato ac communi sensu uera, & uulgo trita, qualis est hic Menandri senarius.

Non est autem hic locus inani eorum ostentationi, qui non aliam ob causam Gentilium poëtarum, comicorum, historicorum & philosophorum scripta lucubrationibus suis etiam sacris frequenter inspergunt, quàm ut multa legisse, ac sæculariter quoque eruditi

 uidean-

uideantur. Probanda quidem est multijuga bonorum authorum lectio, uerum ostentationem illius nemo cordatus probauerit, maxime in causa religionis.

EXPERGISCIMINI iuste, & ne peccetis.] Cœptæ admonitioni immiscuit metum periculi quod est ex malis colloquijs. Iam illa resumit & absoluit. Dixit: Ne decipiamini, mores bonos colloquia corrumpunt mala. Ne id Corinthijs eueniat, inter quos erãt nugatores resurrectionis, excitat eos uelut è somno in quo negligẽtiæ & nimiæ securitatis uicio inebriati iacebant, dicens: expergiscimini iuste. Vox Græca ἐκνήψατε ad sobrietatem euigilare significat. Ratio humana inebriat, doctrina ueritatis sobrios reddit in causa fidei. Quoniam calicem rationis humanæ, quem negatores resurrectionis biberãt ipsi & alijs porrigebãt, securi & incauti gustauerant, excitat eos ad sobrietatem, hoc est ad cautionem ac studium permanendi in doctrina sanæ fidei, quam per Euangelium acceperant. Ex qualitate admonitionis, quasi medicinæ, de qualitate morbi iudicare possumus.

EXPERGISCIMINI iuste, inquit.] In Gręco est δικαίως, quod Græcis aliquando idem est quod ἀξίως, id est, digne ac competẽter. Et hoc sensu capiendum existimo in præsenti. Admonet enim eos cõditionis ac professionis Christianæ, quæ homines requirit in hoc sæculo non ebrios ac dormitantes sed uigiles ac sobrios. Et utinam prælati ecclesiarum pastores ouium Christi è tam graui ueterno tandem δικαίως expergiscantur, quo uigiles & sobrij pascendo gregi dominico incumbant. Verũ sic sunt inebriati & obsoporati, ut citius sint in die domini è claustris mortis resurrecturi, q̃ ab hoc lethargo ad sobriã mentẽ euigilaturi.

ET ne peccetis, inquit.] Vocula καὶ, id est, &, pro, ut, est posita, ut sit idẽ quod ἵνα μὴ ἁμαρτάνητε, id est, ut nõ peccetis. Significat quorsum expergefieri debeant, ad hoc uidelicet, ut sibi prospiciant ne dormitantes ad peccandũ abducantur. Qui uoces Syrenarum audiunt, nisi sint oculis ἀκοιμήτοις, facile soluũtur in somnũ, ut pereant. Consimili modo ubi sonant mala colloquia quibus resurrectio mortuorum, futura uita, & iudicium mundi in dubium uocãtur, periculum est ne qui incauti sunt obdormiscant & in omnis generis peccata pelliciãtur. Quod si ex peccatorũ multitudine, enormitate, ac securitate certum de cuiusq; fide ac spe argumentum colligi potest, uidetur prorsus impleri illud Christi, tardante uero sponso dormitauerunt omnes ac dormierunt. Quid est tardante sponso dormitare aliud, q̃ partim reiecta dominici aduẽtus expectatione in quod-uis peccati genus ueluti grauem somnũ solui, partim tædio superatum negligentius sese in causa pietatis gerere? Hic somnus occupat ꝓpe omnes tam prudentes quàm fatuas uirgines sicut est in parabola.

Matth. 25.

NAM ignorationem Dei nonnulli habẽt.] Reddit rationem, quare ad id eos excitet, ne peccent. Quia sunt inter uos, inquit, nonnulli, qui quoniam uirtutem Dei non cognoscunt, resurrectionem mortuorum quasi prorsus sit impossibilis negare non uerentur. Sic reijcit illorum incredulitatem in ignorantiam Dei, perinde atq; Christus ad Saducæos dicebat: Erratis, neq; scripturas neq; uirtutem Dei sciẽtes. Ab illis erat periculum incautis quemadmodum apud Iudęos ita & apud Christianos. Ergo articulus hic de resurrectione mortuorũ incompræhensibilis est illis qui Deum ignorant. Non enim capitur humana ratione, quæ prorsus impossibile cẽset, ut mortui resurgãt, contraq; eam fidem multum disputat. Qui uero nec potẽtiam Dei nec uirtutem uerbi eius ignorãt, illis habetur mortuorum resurrectio & facillima & certo futura. Cum credant illũ ex nihilo condidisse cœlum & terram, & quæ in illis sunt omnia, sciantq; hominem ab illo initio esse ex puluere terræ conditum & spiraculo uitæ animatũ, quomodo dubitarent esse illi facillimum, ut corpora nostra in puluerem terrę soluta, unde primum sunt desumpta, ubi uoluerit excitet ac denuo uiuificet? Nisi putare debemus accidisse hoc illi præ senio ut pristinas uires amiserit, scientiamq; creandi ac uiuificandi obliuioni tradiderit, deinde sic esse cõparatam Christi doctrinam, ut quo antiquior est hoc minus mereatur fidei. Absit. Diuina potentia ac ueritas ut sunt sempiternæ ita nullo quis multorũ sæculorũ decursu labefactant.

Matth. 22.

AD pudorem uobis loquor.] Cõmuniter exponũt de pudore quem hæc scribendo Corinthijs ad hoc uoluerit incutere, ut ad se reuersi minus auscultarent mala incredulorum colloquia. Hoc genus pudoris non ad ignominiam sed ad resipiscentiam inducens, recte uocat ἐντροπὴ, à uerbo ἐντρέπομαι, quod reuereor ac solicitus fio significat. Verum quoniam nõ dicit, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῶν, id est, ad pudorem uestrũ, sed, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, id est, ad pudorem uobis loquor, posset exponi de pudore quẽ ipse Apostolus hæc dicẽdo in seipso senserit. Q. d. Confundor in uobis hæc dicendo, pudorem mihijpsi gigno, dum hæc ad uos loquor, quæ tamen necessitate salutis uestræ compulsus scribo. Pudefaciebat Apostolum, quod ignorationem Dei nonnullis obijcere cogebatur, cum esset illorum Apostolus, quod perinde erat, ac si præceptor discipulis suis, quos iã sperauerit admodum profecisse, ignorationẽ primorum elementorũ opprobrare cogatur. Etenim fides omnipotentię Dei, & resurrectionis mortuorum, & resipiscentia ab operibus mortuis, ad prima pertinent doctrinæ Christi rudimenta, sicuti uidere est Ebr. 6. Meo iudicio, quoniam suprà cap. 4. diserte dixit, non ut pudore uos suffundam hæc scribo, haud incõueniens est, si de suoipsius q̃ illorum pudore loqui intelligatur. Quanquam cum nemine cõtenderim. Simpliciter quid hic cogitari posit admoneo, liberum sit alijs iudicium.

AT dicet aliquis: Quomodo resurgēt mortui? Quali uero corpore uenient?] Hactenus resurrectionem mortuorum sic futurā affirmauit, ut nisi illa sit, uniuersa Christianæ religionis doctrina, fides, & patientia tribulationum prorsus inanis existat, simusq; adhuc in peccatis nostris perditioni obnoxij, & omniū mortalium miserrimi, quotquot fidem in Christū profitemur. Iam per occupationem respondet illis, qui quoniam impossibile iudicabant ut resurgant aliquando mortui, hęc incredulitatis uerba frequenter in ore habebāt. Quomodo resurgent mortui? Et. Quali cum corpore ueniēt? Hoc est: Quomodo fieri poterit, ut qui inde ab initio mundi mortui, & ad finem usq; adhuc morituri sunt resurgant, cum corpora mortuorum alia igne in cinerem sint redacta, qui mos multarū est nationum præsertim Orientalium, alia à piscibus in mari, alia à bestijs absumpta, alia putredine corrupta. Quomodo quod absumptum & uel in cinerē uel puluerem redactum uel in carnem ac sanguinem bestiarum conuersum est, uitæ restitutum resurget? Iam esto, resurgant mortui quali nam cum corpore prodibūt? cum alijs atq; alijs modis mortuorum corpora defœdentur, ac præsenti uitæ prorsus non modo inutilia, sed & abominanda reddantur. Sane cum tali uenire non poterūt, quali iam utimur. Nam eam corporum qualitatem mors & corruptio prorsus auferunt. Cum igitur eò deueniant mortuorū corpora, ut nec qualia fuerunt ante mortē, nec qualia facta sunt post mortem redire queant, quid restat aliud q̄ impossibile esse ut resurgant? Hunc apparet esse sensum obiectionum istarum. Nolim tamen admodum repugnare, si quis tribuat eas nō negatoribus resurrectionis, sed fidelibus imperitioribus quidē, ipsam tamen resurrectionem non negantibus, ut sit sensus: At forsan aliquis resurrectionem quidem mortuorum non negans, at interim modum illius, & futuram corporum qualitatem intelligere cupiens dicet: Quomodo resurgēt mortui? Et quali cum corpore uenient? Vtra sententia probabilior sit, lectoris esto iudiciū.

Stulte, tu quod seminas non uiuificatur nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas, non corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, utputa, tritici aut alicuius ex cæteris, sed Deus illi dat corpus, ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus.

Si respondet impijs & incredulis, fidem resurrectionis non simpliciter negātibus sed & irridentibus, dicendū magis erat: Impie quàm stulte. Etenim non est stultus simpliciter sed impius qui rationis suæ calculis magis q̄ uerbo Dei acquiescens quod non credit irridet etiam ac diuexat. Accidit hęc stulticia subinde & fidelibus, ut modum earum rerum quas futuras credunt scire cupiant & inquirant. Maria dicebat: Quomodo fient ista, quoniam uirum non cognosco? Quare apparet respōdere Apostolum non impijs negatoribus resurrectionis sed rudioribus & minus exercitatis fidelibus. Quod si non istis sed incredulis & impijs respondet, moderatur responsum, ne magis offendat quàm ædificet.

Græca uox est ἄφρον, quæ amentem significat. Innuit huiusmodi quæstiones eorum esse, qui quantumuis sapientes uideri uolunt, hinc tamen errant, quod mente sunt excæcati, non uidentes & intelligentes ea unde de ueritate cognoscenda instrui poterant, sicuti patet hoc loco ex subiectis similibus.

TV quod seminas non uiuificatur, inquit, nisi mortuum fuerit.] Vt & comprobet esse eum, qui sic quærat, demētē, & simul id quod quęritur declaret, inducit simile de re non modo nota sed & ipsi ad hunc modum quærenti usitata, unde nisi demens sit facile intelligere poterit, quid ad hęc quęsita possit responderi. Inducit autem simile sationis & cōmunis eorum quæ seminantur conditionis. Tu, inquit, quod seminas. Non dicit simpliciter: Quod seminatur, sed, quod tu seminas, ut irrefragabilem reddat dementiæ huius redargutionem, qua ne ea quidē intelligimus & obseruamus quæ ipsis nostris manibus non semel atq; iterum sed frequenter perficimus. Quasi d. Quid quęris quomodo resurrecturi sint mortui? Inspice semina tua quæ seminas. Dic primū qua spe seminas? An non ut quod seminas multo cum fœnore surgat & fructificet? Vtiq;. Deinde dic quomodo surgat & fructificet? An non ita ut primum putrescat emortuum sub terra, postea uero uiuificetur. Plane sic habet. Ergo quod seminas nō uiuificatur, ut uotis tuis respondeat, nisi prius fuerit emortuum, tam abest ut mortuum esse uiuificationem illius impediat. Cuius autem potentiæ est mortuum semen uiuificare ac frugiferū reddere? An non Dei, qui solus potest omnia? Qui igitur mortuum semen uiuificat, quomodo non uiuificabit emortua nostra corpora?

Sic igitur respondet Apostolus ad primam quæstionem: quomodo fieri possit, ut quod mortuum est resurgat, ut non modo possibile hoc esse doceat, sed & quod amplius est, euincat, fieri nō posse, ut uiuificetur quod nō prius est mortuum. Ergo mors corporum nostrorū tam non impedit illorum resurrectionem, ut magis futuræ illorū uiuificationi seruiat, quēadmodum seminis mortificatio ad frugiferā illius uiuificationem facit. Seminantur corpora nostra dum mortua sepeliuntur, ut locus sepulturæ illorum omnium iustissime agri loco habeatur à fidelibus, quemadmodū Augustæ Vindelicorum, quam Deus in ueritate sua ad finem usq; custodiat, uulgo ager Dei, *der Gottes acker*, uocatur. Iudicio rationis probabilius est ut ex uiuo corpore quàm ex mortuo proueniat uita. Respicit illa nō uirtutem & consiliū Dei, qui uitam è morte producit, sed qualitatē

creaturarum. Verum reipsa innumeris exemplis gloriam omnipotentiæ Dei in eo declarari uidemus, quod è morte uitam producit, è quibus Apostolus unum hic de semine in terram proiecto adfert in medium. Mirabile consilium Dei. Præsens hæc uita nostra nullo nisi mortis & corruptionis cibo cōseruatur. Mortua sint & corrumpantur oportet, quæcunq; ad sustentandam uitam nostram faciūt. Dum uiuunt, aut corruptionis sunt expertia, cibare non possunt. Nec Christus ipse cibus esset animarum nostrarū, nisi pro nobis in cruce mortuus esset. Ex morte illius pascimur ad uitam.

ET hoc quod seminas, inquit, non corpus quod nascetur seminas, sed nudū granū, &c.] Respondet ad alteram quæstionem, quali corpore surrecturi sint mortui. Est autem responsio bimembris, de eodem, unde prior, sationis simili sumpta. Primum negat mortuos corpore quali moriūtur surrecturos, deinde indicat illos nouo corpore secundum uoluntatē Dei uenturos. Et hoc inquit, quod seminas, nō corpus quod nascetur seminas, sed nudum granū. Resipsa manifesta est, non egens expositione. Scimus quid seminetur, & quid ex eo quod satum est nascatur. Granū nudum seminatur, & ex illo nascitur uel arbor caudice, ramis, folijs & fructibus ornata & cōpleta, uel culmus cum spica sua & arista, uel aliud quoddam corpus secundum seminis sui naturam ac speciē. Quod ex grano sato nascitur nō est diuersum ab illo secundum naturam ac substantiam sed prorsus idem. Quare quod dicit: non corpus quod nascetur seminas, sed nudum granū, nō est intelligendū de substātia & natura utriusq; & seminis quod seminatur, & corporis quod ex illo nascit͂, sed de qualitatis diuersitate. Tale corpus non seminatur quale ex sato semine nascitur si circumstantias utriusq; inspicias. Quod seminatur granum est, unicū, & nudū. Quod ex illo nascitur, nō est nudum granum, sed corpus competenti uestitu ornatū, nec est unicum granū sed pro natura speciei suę multiplicatum, quo simili usus est & Christus dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuū fuerit ipsum solū manet, si uero mortuum fuerit multum fructū adfert. Erat ipse instar grani frumentarij cum pro nobis moreretur. Vbi surrexit prodijt non unicum & nudum granum sed corpus multorum granorū, quæ cum ipso surrexerūt. Consuscitauit enim cum illo nos Deus Eph. 2. Sed ad propositum.

Cum morimur seminantur corpora nostra tanquam unica & nuda grana, at ex illis per resurrectionem nascētur non amplius nuda grana, quæ denuo possint seminari, sed corpora plena, & cœlesti ornatu, immortalitate ac claritate cumulata. Et hoc discriminis est inter resurrectionem Lazari & consimilium, & eam quæ Christi fuit & futura est nostra in fine mūdi. Quale corpus Lazari mortuum fuit ac sepulcro traditum tale postea & surrexit, iterum uidelicet mortale, corruptibile & omnibus, ut antea, miserijs obnoxium. Hic locū nō habuit quod Apostolus dicit: non corpus qđ nascetur seminas sed nudum granum, habuit uero in corpore Christi, & habiturū est in nostris. Duo sunt igitur resurrectionis genera q̃bus mortui aliter atq; aliter resurgunt. Vnum expressum est in Lazaro alterum in Christo. Vtriusq; imagines in muscis & bombycibus uisuntur. Muscę omni hyeme cauernis abditę moriuntur, & tamen ad initium æstatis uiuæ prodeūt corpore non modo eodem quo mortuę fuerant sed & nullis uel accessionibus uel detrimentis in diuersum mutato. Bombyces uero noti uermes sepulcris suis quæ contexūt immoriuntur, & è carne corrupta resurgūt nō amplius uermes quales fuerant antea sed candidæ auiculæ, cute pristina, uermis speciem retinente, in sepulcris relicta. Sic in illis quoq; nō resurgit corpus quod, id est, quale mortuū fuit, sed multo agilius ac præstātius, dum ex mortuo & corrupto uerme surgit albicās auicula. Quid magis terrenū uerme? Cōtrà, quid conformius cœlestibus quàm candida auicula? Qui hæc oculis suis uidet, poterit ne adeo esse stupidus, ut nō admoneatur de qualitate corporum nostrorū, qua in fine mundi ad imaginem clarificati capitis nostri Christi resurgemus? Vermiculum Deus mortuum & corruptum suscitat, uiuificat, & in candidam auiculum transmutat, & hominem quem ad imaginem suam condidit uel non potest, uel dedignabitur à mortuis excitare & ex terreno cœlestem reddere?

SED nudum granum, inquit.] Dum uiuimus in hoc sæculo uestiti, opibus cumulati, & alius alio personę genere ornati conspicimur. Verum ubi exeundum est è mundi huius fabula, omnem illius personam & ornatum exuti quales huc uenimus, tales hinc recedimus, & instar nudi grani telluri committimur. Quid igitur in hac mundi fabula tantopere personati insolescimus, quæ breui finietur, & nudos nos omni decore spoliatos dimittet? Regē esse, principem, comitem, baronem, equitē auratum, nobilem, ac ducem esse, magistratum, cōsulem, senatorem, judicem, præfectum, ciuē, patremfamilias, episcopum, pastorem ac doctorem esse, ad figuram huius mūdi pertinet, quam ueluti scenicam personā ubi uisum est dn̄o ponere oportet, uno hoc cōmuniter manente, quod sumus initio nati, singulariter uero quod sumus per gratiam Christi regenerati. Grana sumus, telluri, ubi sationis tēpus est, nuda committēda. Quod homines sumus id manet in omnibus, quod Christiani, in electis ac fidelibus, cætera accessoria destituent nos ac nudos relinquent.

Bene tamē habet quod quamuis nudi spoliati ac mortui sepelimur, grana tamen sumus, idque non spiritu, qui morti nō est obnoxius, nec in terram reconditur, sed corpore, quod prorsus in oculis mundi in nihilum abire uidetur & testimonio diuinæ sententiæ in pul-

uerem terræ conuertitur. Nemo agricola, nemo hortulanus, grana sua telluri cunctanter concredit, communi experientia edoctus, nõ perire illa dum seminantur, sed magno esse cum fœnore suo tempore progerminatura. Hac cogitatione animos nostros contra mortis tentationẽ obfirmemus, horumq; memores simus, quoties uel bello uel peste grassante, magnam hominum multitudinem in terram proijci uiderimus. Cogitemus cœlestem agricolam Deum egressum esse ad seminandum, suaque grana plena manu spargere in terram, quæ postea tempore suo magno cum lucro proferat in lucem.

VTPOTE tritici, aut alicuius ex cæteris, inquit.] Non in uno, sed quocunque genere granorum, quæ seminantur, imaginem nobis futuræ resurrectionis proponit. In omnibus quippe diuinæ uirtutis operatio declaratur. Diuersa est & multifaria forma, conditio, qualitas, natura, quantitas, & utilitas seminũ in terra, suntq; alia alijs uel potiora uel minoris momenti, uel rariora uel uulgatiora. Et tamẽ nullum est inter omnia, quod dedignetur Deus interuentu mortis renouare multiplicare & ab interitu uindicare. Vnde & subdit.

Sed Deus illi dat corpus, ut uoluit, & unicuiq; seminum suum corpus.

Quid ergo de corporibus nostris dubitamus? Sunt illa quidem & magnitudine, & sexu, & ætate, & existimatione quoque diuersa. In eo tamen conuenit omnibus, quod sunt instar seminum, per mortem à perpetuitate mortis diuina uirtute uindicanda, & in præstantioris uitæ gloriam asserenda.

SED Deus illi dat corpus, inquit, ut uoluit.] Non dicit: sed natura, aut terra, uel æstas, sed quo illos diuinæ uirtutis admoneat, per quam corpora nostra uiuificabũtur ac surgent, sed Deus, inquit. Qui semẽ in terra emortuum uiuificat, idem & corpora nostra uitæ restituet. Quare non debemus uel corporũ nostrorum qualitatem, uel naturæ uires, sed uirtutem Dei, cui nihil est impossibile, in hac causa consyderare.

Deinde non simpliciter dicit, Deus dat corpus, sed: Deus dat illi corpus. Si aliud, prorsus ab eo quod seminatur alienũ, dat corpus, quomodo dat illi corpus? Ergo corpus quod ex grano seminato nascitur, ipsius grani corpus est, eiusdem cum illo naturæ & substãtiæ. Sic corpus nostrum quod olim resurget, corpus erit eius quod mortuũ in terra sepelitur. Quid autem aliud est corpus dare grano seminato, & corpori sepulto, quàm aliam quàm habuerat antea dare qualitatem & conditionem?

Tertio, non dicit: Deus creat aut facit, sed: Deus dat illi corpus. Verbo dandi & facilitatem resurrectionis, & donum Dei expressit. Donum Dei est omnis illa quorumcunq; seminum annua conseruatio & multiplicatio, usibus nostris seruiens. Et futura corporũ nostrorum resurrectio donũ Dei erit infirmis nostris & mortalibus corporibus concessum. Laborat agricola arando ac seminando, uerũ corpus frugiferum ei quod satum est non est nisi ex dono Dei. Sic & de corporibus nostris sentire debemus.

VT uoluit, inquit.] Restringit curiositatem eorum qui obnixe de qualitate corporũ nostrorum, qua resurrecturi sumus, quærunt. Cogimur uoluntati illius permittere qualia det corpora seminibus in terram proiectis. Licet enim unicuique speciei suam proprietatem conseruet, potest tamen singulis annis plus uel minus liberaliter donum fructificationis dispensare. Hoc quidem sensu uidetur intelligendum quod dicit. Verum quoniam non dicit, ut uult, sed in præterito καθὼς ἠθέλησε, id est, quemadmodum uoluit, apparet accipiendum esse de prima creationis uolũtate, qua initio mundi unicuique speciei ex terræ nascentibus suum corpus destinauit ac tradidit. Vnde & subijcit uelut exponens.

ET unicuique seminũ suum corpus.] Non dicit: & unicuique semini corpus, sed, & unicuique semini τὸ ἴδιον σῶμα, id est, suum propriũ corpus. Quemadmodũ igitur non datur grano tritici corpus auenæ, aut alterius cuiuspiã speciei sed propriũ ipsius corpus, tritici uidelicet, ita dabunt nobis, ubi resurgẽdum erit, nõ aliena quædam sed suum unicuique propriũ corpus, quod cum ipso uel gloria filiorũ Dei fruatur uel pro meritis impietatis pœnas luat æternas. Si compassi fuerimus, dicit alibi Apostolus, unà etiam regnabimus. Non potest hoc accidere corporibus nostris, quæ propter Christum tristia quæuis patiuntur, si sic sunt moritura, ut non ipsa resurgãt, sed aliena substituantur. Et alio in loco: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit siue bonum siue malum. Quomodo poterit iusto hoc iudicio fieri, ut peccatorum pœnæ inferãtur non corpori, in quo sunt admissa, sed alieno ac nouo, in quo nihil est peccatum? Et alibi. Qui transfigurabit, inquit, corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Surrexit Christus ac clarificatus est in eodem suo corpore, in quo fuerat crucifixus ac mortuus, cuius rei argumenta prębebant stigmata manuũ ac pedum. Huic suo corpori quomodo humilia nostra corpora cõformia reddet, si non ea ipsa sed aliena ab ipsis in resurrectione sumus accepturi? Quare uigilanter Apostolus ne errori huic locum per id daret quod dixit: Et hoc quod seminas non corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, Deus uero illi dat corpus ut uoluit, subiecit: Et unicuique seminum proprium suum corpus.

2. Cor. 5.

Phil. 3.

Non omnis caro, inquit, eadem caro, sed alia quidem caro hominum, alia uero caro pecorum, alia uero piscium, alia

uero uolucrium. Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria. Verum alia quidem cœlestium gloria, alia uero terrestriũ. Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum.

Exponitur hic locus aliter atque aliter. Alij referunt duo hæc carnis & corporum similia, ad differentiam gloriæ quæ futura sit post resurrectionem in corporibus resuscitatis, qua alij alijs sint illustriores secũdum meritorum præstantiam futuri. Vt sit sensus. Non modo alia erit in resurrectione corporis nostri qualitas ab ea quam habet mortuum ac sepultũ, sed & ubi resurrexerimus, erit magna inter resuscitatos differentia, quod gloriam attinet clarificatorum corporum. Quemadmodum enim in hac uita alia est qualitas humanæ, alia pecuinæ, alia piscinæ, alia uolatilis carnis, quamuis, quod substantiam attinet, eadem sit omnis caro, & sicut differunt inter se corpora, quorum alia sunt cœlestia, & alia terrestria, licet in eo conueniat omnibus quod sunt corpora, & ut alia est atque alia gloria cœlestium, sic ut stella differat à stella in gloria, & Luna præstantior sit stellis, Lunam uero Sol splendore suo excellat, quamuis substantia sint eadem, ita erit in resurrectione mortuorum. Ibi alia erit gloria Christi tanquam Solis, alia gloria patriarcharum, alia prophetarum, alia apostolorum, alia pastorum ac doctorũ, alia martyrum, alia reliquorum fidelium, licet eadem sit omnibus futura resurrectionis, felicitatis, & immortalitatis communicatio.

Chrysost. Et hunc sensum sequuti sunt patres, Chrysostomus, Ambrosius & Augustinus. Chrysostomus quippe sic exponit: ὅτι μὲν γὰρ τὰ σώματα ἀνίσταται, ἔδειξε διὰ τοῦ σίτου, ὅτι δὲ οὐκ ἐν τῇ αὐτῇ δόξῃ πάντα, δείκνυσιν ἐντεῦθεν. ὥσπερ γὰρ τὸ ἀπιστεῖν τῇ ἀναστάσει ὑπτίους ποιεῖ, οὕτω πάλιν ῥαθύμους, τὸ νομίζειν πάντας τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι. διόπερ ἀμφότερα διορθοῦται, καὶ τὰ μὲν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἀπήρτισε, τοῦτο δὲ ἄρχεται νῦν.

Ambros. Ambrosius sic: Quemadmodum ergo ex una impensa diuersa animantium caro est, ita & unius carnis homines diuersi erunt dignitate in resurrectione, ut talis unusquisq; appareat qualis fuerit meriti.

Augustinus. Augustinus epistola centesima quadragesimasexta, exponit ad hunc modum: Iam uero quod adiungit, ad differentiam pertinet resurgentium, propter diuersas glorias fidelium atque sanctorum. Non omnis, inquit, caro eadem caro. Alia quippe hominum, alia autem caro pecorum, alia uolucrium, alia piscium, & corpora cœlestia & corpora terrestria, sed alia est cœlestium gloria, & alia terrestrium, & alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum. In his omnibus iste sensus est. Si genera carnis cum sint

A

cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diuersitatibus animantium, & si corpora cum sint omnia uisibilia, differunt tamen pro diuersitatibus locorum, unde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium, & si in locis sublimibus cum sint cuncta cœlestia, differunt etiam ipsa claritatibus luminum, non mirũ est quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum. Hæc ille.

Theophyl. His astipulatur & Theophylactus qui sic exponit. Non omnis caro eadem caro. Hoc est. Nequaquam omnes pari honore resurgent, sed iustorum corpora tantum different à corporibus impiorum, quantum à terrenis hisce cœlestia. Erit præterea & inter iustos ipsos haud paruum graduum discrimen, sicut in sequentibus dicturus est. Quinetiam uel inter improbos ipsos distabit plurimum. Inquit enim, quemadmodum caro humana à pecorum & reliquorum brutorum est longè diuersa, sic erit peccantibus & damnatis, uel in ipsis supplicijs magna diuersitas. Quæ autem dicta in præsentia sunt, peccatorum duntaxat exprimunt differentiam. Est nanque de iustis paulò pòst dicturus, cum de cœlestibus ipsis faciet corporibus mentionem. Hæc iste. Et horum patrum expositionem maior etiam pars recentiorum sequitur.

Alij referunt ista non ad differentiam resuscitatorum corporum, qua uel electi à reprobis, uel etiam electi inter se dispari claritate discriminentur, sed ad eandem, de qua in præcedenti simili corpus quod nascitur à suo grano, unde nascitur qualitate differre significauit, quæ expositio mihi quoque probatur. Et Lyranus eam ponit, usque ad eum locum, ubi Apostolus dicit: alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarum, &c. quæ uerba refert ad differentem electorum gloriam, qua illi secundum diuersa merita uarie sint de lumine gloriæ post resurrectionem participaturi.

B

NON omnis caro, inquit, eadem caro, sed alia quidem caro hominum, &c.] Quoniam dixit: non hoc corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, Deus uero dat illi corpus ut uoluit, significans corpora nostra in futura resurrectione licet substãtia manente qualitate tamen à mortuis ac sepultis fore diuersa, ne quis dicat: Si diuersa erunt non erunt uera corpora, subiungit dicens: Non omnis caro eadem caro. Et ut id declaret, sed alia, inquit, caro hominum, alia pecorum, alia pisciũ, alia uolucrium. Quasi dicat. Nec mirum uideri debet, quod corpora nostra diuersa ab ijs quæ nunc habemus in resurrectione fore significo. Neque enim illa diuersitas substantiæ erit, sed qualitatis, unde non consequitur haud fore illa uera & uere nostra corpora. An non uidemus magnam esse diuersitatem in carne, quam Deus condidit? Alia nanque est non eadem caro hominum, & alia caro pecorum, & alia caro piscium, & alia caro uo-

ro uolucrium, si qualitatem illius admodum diuersam in diuersis istis speciebus inspicias. Et tamen diuersitas ista non facit, quo minus caro hominum sit uera caro, propterea quod non est pecorum, uel pecorum, quia non est hominum. Cum ergo diuersitas qualitatis in diuersarum specierum carne ueritatem & unitatem substantiæ carnis non auferat, quomodo auferret illam in una & eadē generis nostri specie, faceretque, ne corpora nostra in resurrectione futura sint eadem substantia, propterea quod à qualitate illorum, quam habent in hac uita, diuersa erunt? Lyranus sic exponit: Ex hoc concluditur, quod cū hoc fiat uirtute naturæ, uirtute Dei fieri poterit, quod caro morientis ac resurgentis erit eadem identitate naturæ, sed alterius gloriæ.

Notáter ergo non dicit Apostolus: Non omnis caro caro est. Haberet enim hæc loquutio contradictionem, sed, non omnis caro eadem caro. Cum negat eandem esse omnem carnē, non negat substantiam, qua est caro, sed qualitatem diuersam constituit, per quā alia est hominum, alia pecorum, alia piscium, alia uolucrium caro. Sic possumus dicere, alia est caro moriens, & alia resurgens, moriens corruptibilis, ignobilis, infirma, & animalis, resurgens uero incorruptibilis, gloriosa, fortis ac spiritualis, cuius mentionem paulò infrà faciet. Et tamen sub utriusq; conditionis quamuis diuersa qualitate non est diuersa, sed eadē caro.

Non fuit igitur infinita illa potentia Dei cōditoris omnium uni tantum qualitati carnis alligata, ut nequiuerit aliam dare homini, aliā pecori, aliam pisci, aliam uolucri, quemadmodum nō est uni seminum qualitati obstrictus, ut nequeat aliud corpus dare tritico, aliud hordeo, aliud auenæ, &c. Sed pro incompræhensibili sua uirtute singulis tam animalium quàm seminum speciebus suum proprium corpus dedit ut uoluit. Eadem sua uirtute dabit etiā nobis in die resurrectionis uerum quidem & unicuiq; proprium corpus, diuersum tamen & præstantius multo, q̄ sit quod in hac uita circumferimus. Dat unicuiq; seminum suū corpus. Non dat tritico corpus auenæ. Est enim illud à natura tritici diuersum. Non dat homini carnem pecoris, aut piscis, uel uolucris. Est enim alia caro pecoris quàm sit hominis, sed dat homini carnem hominis, quæ illi est propria, pecori carnem pecoris, &c. sic dabit nobis in resurrectione corpora non aliena, sed propria, non pecorum uel angelorum, sed hominum. Obsecro, si in carne non hominū tantum, sed & pecorū, piscium ac uolucrium, eaq; mortali, corruptibili, infirma, & ignobili tantas uirtutis suæ diuitias in pręsenti hoc & trāsituro sæculo declarare dignatus est, quomodo non est illas multo præstantius in corporibus nostris ad æternæ uitæ felicitatem ac gloriam excitatis declaraturus?

ET sunt corpora cœlestia, inquit, & sunt corpora terrestria, uerum alia quidem est cœlestiū A gloria, alia uero terrestrium.] Ad idem argumentum pertinet & hoc simile. Corpora nostra sunt adhuc terrestria. In resurrectione uero erunt nō amplius terrestria, sed cœlestia, uera quidem corpora, sed interim à qualitate pristina quam nunc habent diuersa. Quare alia erit illorum post resurrectionem gloria q̄ nunc sit. Est enim in hoc præsenti quoq; sæculo omnium oculis expositū, quàm sit alia gloria terrestrium corporum, & alia cœlestium. Non est ullius terrestris corporis gloria tanta, ut cœlestium splendorē adæquare possit. Siue argentum, siue aurum, siue lapides preciosos proferas, longè sunt infra cœlestium corporum gloriam. Sic quamuis magnam corporum nostrorum gloriam, quæ illis in præsenti est sæculo concessa, inspicias, prorsus euanida est, & nihili ad eam collata quam habebunt post resurrectionem, ubi non erunt amplius terrestria, sed cœlestia. Et nihilo secius erunt adhuc corpora. Veritatē enim corporū non adimet illis mutata conditio, & cœlestis gloriæ præstātia.

Et huc facit quod dicit: Alia est gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarū. Stella siquidem à stella differt in gloria. Quasi dicat. Quid confero inter se corpora terrestria et cœlestia? Ipsa cœlestia quoq; & uera sunt corpora, & tamen aliud alio præstantiorē est gloriam sortitū, quod in Sole, Luna & stellis cernere licet. Potuit Deus stellam stella, deinde Lunam stellis, tertio Solem & stellis & Luna illustriorem reddere, tantumq; differentiæ in B corporibus cœlestibus ostendere, quomodo non multo potest facilius corpora nostra post resurrectionē sic reddere cœlestia ut illustriori gloria decorentur, quàm habeant in præsenti, & tamen uera & nostra corpora maneant? An ideo Sol nō habet uerum corpus, quod iubare suo reliqua corpora cœlestia excellit? An ideo minores stellę nō sunt uera corpora, quod præstantioribus non sunt in gloria pares? Ergo nec humilitas nec singularis præstantia ueritatem corporum tollit. Sic puto Apostolum respondere illis, qui dicere poterant: Si mortui in resurrectione non sunt uenturi tali corpore, quale habuerunt in hac uita, ergo non habebunt uerum corpus, ideoque nec uere resurgent.

SIC & resurrectio mortuorū, inquit.] Particula hæc referenda est ad similitudinem seminati grani, & corporis ex illo nati, in qua dixit: Nō corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, Deus uero illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; semini suum corpus. Huc pertinet quod hic dicit: Sic & resurrectio mortuorum. Etenim quæ de carne in diuersis speciebus diuersa, & de differenti corporum terrestrium & cœlestium gloria subiecta sunt, ad illustrationem materiæ huius faciunt, & cogitationi quæ hic nasci poterat occurrunt. Post illa redit ad simile sationis, illudq; applicat ad propositum dicens: Sic & resurrectio mortuorum. Quasi dicat. Quemadmodum non corpus

pus quod nascetur seminas sed nudũ granũ, Deus uero dat illi corpus ut uoluit, et unicuiq; semini suum corpus, ita non moritur ac sepelitur corpus illud quod resurget, sed caro infirma, mortalis, & corruptibilis, Deus uero dabit illi corpus ut uolet. Et sic continuans applicationem adijcit: Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, &c. Quare particula ista: Sic & resurrectio mortuorũ, magis ad sequentia, tanquam præmissæ similitudinis applicationẽ, q̃ ad præcedentia de carne & corporibus, diuersaq; illorũ gloria pertinet.

Patres tamen, quoniã futuræ uitæ gloriam secundum diuersa iustorum merita diuersam fore sentiunt, exponunt ad hũc modum: Alia est gloria Solis, alia gloria Lunę, alia gloria stellarum, stella siquidem à stella differt in gloria, sic & in resurrectione mortuorum erit. Alia erit gloria Solis, id est Christi, alia gloria Lunæ, id est beatæ uirginis (sic Lyranus) alia gloria stellarum, id est sanctorũ, & stella differt à stella in gloria, id est sancti alij alijs erunt illustriores propter præstantiora merita. Quæ sententia plus habet disputationis quàm certitudinis & utilitatis, præsertim in eo quod differentiam futuræ gloriæ filiorum Dei secundũ prę̃sentis uitæ merita metiuntur, id quod nescio q̃ gloriæ gratiæ Dei conueniat. Si secundum præcedentia merita distribuetur gloria futurę uitæ, non debebat Apostolus in simili præmisso dicere: Deus uero dat illi corpus ut uoluit, sed, ut debuit. Nisi sic est uita æterna ab illius gloria separanda, ut donum Dei sit uita æterna, hominis uero meritum uitæ æternæ gloria, quod quomodo sacris scripturis confirmari posit uiderint alij. Et si omnino concedendum est, alios alijs fore in futura uita clariores, periculosum tamen dogma est, dare id nostris meritis. Petrus Martyr uir in sacris scripturis apprimè exercitatus, materiam hanc in præsenti loco fusius tractauit, ad quem lectorem mitto.

Petrus Martyr.

Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, seminatur in ignominia, resurgit in gloria, seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale.

Cœpit applicationem præmisso sationis simili subijcere dicẽs: Sic erit & resurrectio mortuorum. Eam prosequitur istis uerbis, quibus exponit quod in simili dixit, non hoc corpus quod nascetur seminas, sed nudum granum, Deus uero dat illi corpus ut uoluit. Quod dixit, sed nudum granum seminas, explicat dicẽs: Seminatur in corruptione, in ignominia, in infirmitate, hoc est, sepelitur corpus corruptibile, ignominiosum, infirmum & animale. Quod uero dixit, sed Deus dat illi corpus ut uoluit, & unicuique semini suum corpus, sic applicat, resurget in incorruptibilitate, in gloria, & in potentia, hoc est, resurget corpus incorruptibile, gloriosum, potens, & spiritu ale. Sic inculcat longè aliam fore corporum nostrorum qualitatem post resurrectionẽ, quàm sit ea in qua moriuntur ac sepeliuntur. Quantum enim discriminis est inter corruptionem & incorruptionem, inter ignominiam & gloriam, inter infirmitatem & potentiam, inter animale & spirituale, tantum erit differentiæ inter corpora nostra, qualia iam sunt, moriuntur ac sepeliuntur, & qualia in fine mundi resurgent.

SEMINATVR, inquit.] Dicendũ erat proprie, sepelitur, uerum metaphoricum seminandi uerbum studio retinuit, nec semel tantum, sed quarto hic ponit, ut appareat esse illo impense delectatum. Voluit uidelicet inculcare fidelibus, sepulturam mortuorum nostrorum corporum magis esse seminationem, unde futura sit resurrectionis messis speranda, q̃ sepulturã, unde timẽdus sit ꝑpetuus interit⁹.

SEMINATVR, inquit, in corruptione.] Corruptionis uocabulũ Græcè φθορά, hoc loco destructionis est sensu positum. Est autem gemina in corpore nostro corruptio. Vna, qua corpus nostrum conseruatur, altera qua destruitur. Prior cibi est & potus, qui in corpore nostro ab integritate sua corrumpuntur, ideoq; perire à Christo dicuntur, Iohan. 6. nosque nisi corrumperẽtur alere non possent, quorũ pars necessaria in carnem ac sanguinem conuertitur, pars superflua in secessum abit. De hac corruptione non loquitur hoc loco Apostolus. Posterior est ipsius corporis, quod morte interueniẽte corrumpitur ac destruitur. Destructionis huius duæ sunt partes. Prior est κατάλυσις, id est, dissolutio illa, qua spiritus à corpore separatur, quam Paulus optabat dicens: Cupio dissolui & esse cum Christo. Hãc mortem uocamus. Posterior est corporis putrefactio, qua illius omnia corrumpuntur, destruuntur, & secundum conditoris sentẽtiam in terram unde sumpti sumus conuertuntur. Posterioris huius prior causa est, uel, si mauis principium. Philosophantur nonnulli de hac corruptione sic. Quatuor, inquiunt, elementa sunt, philosophis quoque nota & medicis, de quibus omnes res & corpora humana compacta sunt, terra, aqua, aër, ignis. Terrã in carnibus, aërem in halitu, aquam in humore, ignem in calore intelligi. Cum ergo anima caducũ hoc frigidumq; corpusculum Dei iussione dimiserit, paulatim omnia redire ad matrices suas substantias, carnes in terram relabi, halitũ in aëra misceri, humorem reuerti ad abyssos, calorem ad ęthera subuolare. Sic philosophãtur illi qui licet corporum nostrorum resurrectionem confiteantur, carnis tamẽ negant, atq; ita & corporum destruunt. Nos simpliciter corpora nostra per corruptionem in terram unde sumpta sunt, redire dicimus, nec distribuimus illius partes in cœlum, terram, aërem & abyssos.

Gemina in corpore nostro corruptio.

SEMINATVR,

SEMINATVR, inqt, in corruptione.] Obserua diligentiam Apostoli. In re eadem, sepultura uidelicet emortui corporis, seminationem & corruptionem coniungit, quarum altera communi omnium mortalium experientia omnibus est notissima, altera fidei tantum sensu capitur. Quod corpora nostra in corruptione sepeliantur, notum est omnibus, fidelibus & infidelibus, qui posteriores usqueadeò non sunt corruptionis huius ignorantes, ut ex illa argumenta colligant negandæ resurrectionis. Etenim quo illam magis inspiciunt, hoc magis fieri posse negant, ut corpus corruptum uiuificetur ac resurgat. Quod uero sepultura corporum nostrorum sit illorum non interitus, sed seminatio, nō est probabile infidelibus, sed certum & indubitatum fidelibus. Quare omnium consultissime, sic nō dissimulauit corporum nostrorum corruptionem omnibus manifestam, ut iuxtà non dubitauerit sepulturam illorum uocare seminationē, quo certitudinem fidei nostræ de futura resurrectione, manifestæ corruptionis experientiæ coniungeret.

Imò, nisi cæcitas infidelium corda in causa salutis nostræ occuparet, non esset adeò difficile cognitu, tam non impedire corruptionem corporum nostrorum, quo minus suo tempore resurgant, ut hinc magis sperari debeat, fore ut resurgant, quod in terra corrumpuntur. Ipsorum quippe philosophi, unius corruptionem alterius generationem esse dicunt. Non nitimur illorum dicto, ne naturæ uiribus futuram corporum nostrorum resurrectionem tribuere uideamur, sed aliquo hinc pacto mentes infidelium quoq; ad fidem resurrectionis induci posse sentimus.

SEMINATVR, inquit, in corruptione.] Cogita hic de singulari prouidentia Dei, qua corruptionem corporum nostrorum ante mortē fieri noluit, sed tum demum inchoari illam facit, quando per mortem facta spiritus & corporis dissolutione nullo illius uel alterius incommodi sensu tangimur. Quãtum molestiæ cum ipsis ęgrotantibus, tum alijs adstantibus accidat, ubi singulari genere morbi uel externa aliqua uel interna membra in corpore adhuc uiuo corrumpuntur, putredinisque fœtorem emittunt, sępenumero experimur. Quod si uniuersę corruptionis fœtor & aspectus abominabilis, qualis est post mortem, ad finem usque ferendus sit, quis nam tam est firma corporis ualetudine ac patientia, ut ferendo esse possit? Quem habemus usqueadeò charum in hac uita, cuius demortui corruptionē ad quartum aut quintum diem usque aspicere & olfacere possimus? Hanc ob causam charissimos quosq;, ubi mortui sunt, sepulturæ properanter damus. Et sic parcit infirmitati nostrę cum ægrotantium, tum ægrotantibus ministrantium diuina prouidentia, ut priusquam intolerabilis ille corruptionis fœtor è corpore nostro prodeat, morte dissoluamur, & corpus

A mortuum sepeliatur, & ad futuram messem, in qua cum gloria resurgat, seminetur.

RESVRGIT, inquit, in incorruptibilitate.] Resurgit, inquit. Secundum metaphoram seminandi dicendum erat, nascitur, ut metaphora sationis ac messis integra poneretur. Verũ maluit uerbum resurgendi ponere, quoniã de illo erat contentio inter Corinthios. Resurgit. Quid nam resurgit? Quod seminatur in corruptione, corpus uidelicet mortuum, & propter corruptionem sepulturæ traditũ. Si aliud corpus non qualitate tantum, sed & substantia diuersum resurget, non stabit quod Apostolus hic dicit: Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate. Ergo hoc ipsum corpus quod seminatur, resurget.

Quale corpus resurget? Resurgit, inquit, in incorruptibilitate. Resurget ergo corpus incorruptibile, quod seminatur in corruptione. De semine non potest hoc dici. Quod ex grano tritici mortuo & corrupto nascitur, quantumuis multiplicatum & ornatum nascitur, perinde tamē corruptibile est, atque granum erat unde nascitur. Nondum enim liberata est creatura à seruitute corruptionis. Rom. 8. Et hoc usibus ac necessitatibus nostris attemperatum est. Alioqui nisi corruptibile esset quod ex grano uel tritici uel hordei, &c. nascič, nec cibo nostro conduceret, nec ad conseruationem speciei suæ seminari posset. Verum longe alia est ratio corporum nostrorum. Resurgent illa

B ad uitam omnis corruptionis expertem. Quare necesse est ut & ipsa fiant incorruptibilia. Vetus interpres non satis expressit Apostoli mentem, dum uertit, surget in incorruptione. Non modo sic surgent corpora nostra ut sint incorrupta, sed magis ut sint incorruptibilia. Rectius ergo legitur: Resurgit in incorruptibilitate, hoc est, tale resurget corpus, quod amplius corrumpi nequeat. Si autem incorruptibiles erimus post resurrectionem, cōsequitur fore nos & immortales, & inuulnerabiles, & nullarum passionum, siue famis, siue sitis, siue morborum capaces. Sic erunt corpora nostra, ut nullis passionibus lędi nedum destrui possint. Potientur ergo non solum uita, sed & incolumitate & integritate sempiterna. Possent hinc multa disputari, uerum satius est ut ociosis illa hominibus relinquamus, & magis hac fide corruptionis nostræ molestiam solemur, qua futurum credimus, ut superata illius seruitute ad ueram sempiternæ felicitatis uitam ac gloriam incorruptibiles resurgamus. Multũ nobis erit solatij, si fuerit spes ista reposita in sinu nostro.

SEMINATVR in ignominia, resurgit in gloria.] Quod dixit: seminač in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, commune erit omnibus, tam impijs & iniustis, quàm pijs & iustis. Nam non soli pij incorruptibiles resurgent, sed & impij, quo in ipsis pœnis sic perdurent, ut tamen haud absumantur. Si corrumpi possent, in sempiternum puniri non possent.

Punien-

Punientur autem in sempiternum. Ergo, &c. Quod uero hic subiungit, dicens: Seminatur in ignominia, resurget in gloria, piorum ac iustorum tantum est, qui soli resurgēt in gloria, cum impij interim resurgent in maxima & indelebili confusione.

SEMINATVR, inquit, in ignominia.] Gręcè est, ἐν ἀτιμίᾳ, quæ uox neglectum & contemptum, uel si mauis honoris priuationem significat. Ignominia, nominis est nota & infamia, quæ non mox quosuis mortuos comitatur. Inuenies enim multos, quorum nomen post mortem magis adhuc gloriosum reddat. Verum in sepultura corpus emortuum eam gloriam non retinet, qua potitum fuerat dum uiueret, & in precio haberetur. Excluditur à conuictu & commercio pristino, ab aspectu & à contactu uiuentium, uestitu consueto spoliatur, uili panniculo obuoluitur, non conclaui modò, sed & ipsis prorsus ędibus exportatur, & ne fœtore suo abominationi sit transeuntibus, terræ infoditur, quæ omnia si uiuo homini fierent, quis non grauissimam uocet contumeliam & abiectionem? Quamuis autem ista faciant mortuis suis etiam charissimi amici, faciantq; non ex contemptu, sed necessario, ipsa tamen sic est cadaueris cōditio, & sic sunt hæc comparata, ut alienissima sint à pristino honore, quo paulò antea cum uiuerent, fuerant potiti. Quare non immerito dictum est ab Apostolo: seminatur in ἀτιμίᾳ, id est, absq; honore. Ipsa corporis nostri uita, cum omnis generis dotibus, quibus cohonestatur, diuinum quiddam spirat. Verum ubi instar iumenti moritur, & per mortem uita cunctisq; suis dotibus priuatum, inutile imò abominabile ac fœdū cadauer redditur, & in corruptione sepelitur, utiq; ἐν ἀτιμίᾳ sepelit̃. Etenim honore suo spoliatum per mortem & corruptionē simile redditur bestijs & iumentis. Vnde est illud Ecclesiast. 3. Dixi in corde meo de filijs hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs, idcirco unus interitus est hominis & iumenti, & æqua utriusq; conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, &c. Et hanc ἀτιμίαν non euadūt ulli mortales, ne reges quidem ac principes. Imò hanc illi plus cæteris incurrunt. Quanto enim plus gloriæ cōsequuti sunt in hac uita, tanto plus moriendo amittunt, ideoq; maiore cum ἀτιμίᾳ sepeliuntur, etiamsi auro ac lapidibus preciosis onusti sepeliantur. In summa communis hęc sors est mortalium omnium, ut quamuis in honore uiuant in hoc sæculo, hinc tamen exeant & sepeliantur in ἀτιμίᾳ. Quod uero alibi legitur: Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius, non communis nostræ mortalitatis, sed singularis gratiæ Dei respectu dicitur, qua & uitam & mortem חסידיו, id est eorum quibus beneuult, prosequitur.

RESVRGET, inquit, in gloria.] Simpliciter quidem dicit, in gloria, uerum non loquitur simpliciter de gloria per mortem amissa, quasi illam tantum per resurrectionem recuperaturi simus, sed de gloria cœlestis claritatis, qua fulgebunt corpora nostra ad imaginem corporis Christi clarificata, quo sensu paulo suprà claritatem Solis, Lunæ, ac stellarum, gloriam uocauit. Hic tamen non excludimus gloriam illā, quæ ex eo nobis futura est, quod coram toto mundo reuelabitur ac declarabitur, quod simus filij Dei. De utroque cœlestis gloriæ genere competenter intelligi potest, quod dicit: resurget in gloria. Ante resurrectionem sumus adhuc inglorij, quia nondum apparet illa filiorum Dei gloria, quæ in nobis à resurrectione reuelabitur, & corpora nostra non minus quàm aliorum morti sunt & corruptioni obnoxia, à qua ἀτιμίᾳ tum demum uindicabuntur, quando cœlestis claritatis splendorem à mortuis excitata sortientur, cuius imago quædā in Christo capite nostro in monte mōstrata est, ubi facies eius instar Solis splēduit, ac uestimenta eius candida facta sunt sicut lumen, Matth. 17.

SEMINATVR in infirmitate, resurgit in potentia.] Infirmitatem corporis nostri uocat non eam qua communiter ante mortem ægrotamus, in qua quidem morimur, uerum non sepelimur, sed eam quæ naturæ est nostræ, per quam fit, ut nec morbis, nec passionibus, nec morti, nec corruptioni resistere queamus. Eam & Christus in se transtulit, unde & 2. Corinthiorum decimotertio legimus: Nam quamuis crucifixus fuit ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute Dei. Infirmitatem utique uocat susceptæ nostræ carnis imbecillitatem, qua esurimus, sitimus, algemus, calescimus, fatigamur, dormimus, ægrotamus, morimur, & corrumpimur. Et propter hanc comparatur caro nostra gramini & flori leui momento flaccescenti ac decidenti, etiam ubi in flore est ac robusta uidetur, infirma est adeò, ut leui febricula tacta languescat ac procidat, quanto magis ubi mortua sepelitur, & putredini ac uermibus exponitur? Bene tamen habet, quod infirmitas illius nō impedit, quo minus aliquando resurrectura seminetur.

RESVRGIT, inquit, in potētia.] Potest hoc bifariam exponi. Primo, de potentia Dei, qua corpora nostra è puluere terræ excitabuntur, ut sit sensus. Seminatur in infirmitate propria, resurget in potentia Dei. Huic potentiæ Dei omnis omnium etiam Christi resurrectio tribuitur, qua de ad Ephesios capite primo, sic legimus: Et quæ sit superueniens magnitudo potentiæ eius in nos qui credimus, secundum operationem roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, &c.

Deinde, de potentia qua corpora nostra in resurrectione donabuntur, ut simus non amplius infirmi sicuti fueramus antea, sed potentes. Potētia hæc erit, nō esse amplius necessitatibus edendi, bibendi, dormiendi, quiescendi, ac uestiendi, & passionibus morborum, mor-

mortalitatis & corruptionis obnoxium. Erit enim opposita infirmitati qua circũdamur in hac uita, ne quis nescio quam potentiam hic somniet. Quemadmodũ infirmitatis est quod esurimus, sitimus, lassamur, dormimus, quiescimus, uestimur, edim⁹ ac bibimus, algemus, sudamus, ægrotamus, morimur ac corrumpimur, ita potentiæ erit nullius horum amplius esse necessitati obstrictum. In hac potẽtia nemo surrexit ante Christum, qui resurrectionis huiusmodi primitias habet. Quamuis autem uterq; sensus uerus est, in loco tamẽ posterior magis probatur, propterea quod ad propositum Apostoli propius accedit, quo non simpliciter resurrectionem astruit, sed illis respondens, qui quærunt, quali nam cum corpore uẽturi sint mortui postquam resurrexerunt, futuram corporum nostrorum qualitatẽ sic describit, ut doceat, haud fore illa amplius corruptibilia, ingloria, infirma & animalia, sed incorruptibilia, gloriosa, potentia ac spiritualia, ad quod propositum conuenientius est, ut intelligamus, resurgere in potentia idem hic esse, quod resurgere corpus potens, quod seminatum fuerat infirmum.

SEMINATVR corp⁹ animale, resurgit corpus spirituale.] Quæ de discrimine corporis emortui, & è mortuis excitati dixit, uelut in summa complectitur dicens: Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale, quasi dicat: In summa, corpus hoc nostrum, quod moritur & sepelitur, animale est, ubi uero resurget, non erit amplius animale, sed spirituale. Animale corpus corruptibile est, inglorium & infirmũ, spirituale uero incorruptibile, gloriosum & potens.

Vocat autem corpus nostrum ψυχικόν, id est animale, propterea quod perinde atq; bestiæ ratione destitutę, uitam habet per infusionem animæ, illaq; adempta moritur & corrũpitur, ut recte corpus animatum dicatur. Et hanc ob causam Ebræi nonnunquam uocem נפש quę animam significat, pro corpore animato usurpant. Huiusmodi autem animalis corporis cõditio est, ut opus habeat alimonia & protectione, qua & sustẽtetur & conseruetur. Est enim infirmum, ut facile lędatur, & habet in se igneam quandam consumendi uim, quæ nisi cibo & potu alatur ipsum corpus conficit, unaq; cũ illo perit & ipsa, ac morti corruptionique locum permittit.

RESVRGIT, inquit, corpus spirituale.] Quemadmodum corpus nostrum quatenus uitã habet ex anima, animale uocatur, ita post resurrectionem quatenus spiritu cœlesti uiuificabitur, non erit amplius animale, sed spirituale. Iam anima corpus nostrum sic firmũ & immortale reddere nõ potest, ut nullis op⁹ habeat alimentis, nullisq; sit passionibus obnoxium, qua in re æquam habet cum iumentis conditionem, quæ & ipsa corpora habent animata, in resurrectione uero sic firmabitur ac uiuet cœlesti spiritu, ut sit immortale & incorruptibile. Obseruã uero, quod non dicit: Seminatur corpus, resurget spiritus, sed, seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Tam illic resurget corpus, quàm hic seminatur corpus. Illic quidẽ spirituale, attamen corpus. Qualitas spiritualis tam non extinguet corporis nostri ueritatẽ, quàm animalis qualitas non facit in nobis, ut corpus nostrum nõ sit corpus, sed anima. Corpus nostrum in resurrectione nec mutabitur in spiritum, ut spiritus iungatur spiritui, nec in nihilum redigetur, ut nonnisi spiritus futuri simus, sed ueritatem substantiæ suæ retinebit, ut cõueniat illi quoque quod de suo corpore Christus post resurrectionem ad discipulos dixit, cum illis spiritus esse uideretur, palpate & uidete, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicuti me habere uidetis. Luc. 24. Augustinus epistola. 146. sic exponit corpus spirituale, quoniã, inquit, spiritui inseparabiliter copulatũ est. Et libr. 13. de ciuitate Dei cap. 22. Spiritualia erũt, inquit, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu uiuificante subsistent. Et libro eodẽ cap. 20. Sicut spiritus carni seruiens, inquit, non incongrue carnalis, ita caro spiritui seruiẽs recte appellatur spiritualis, non quod in spiritum conuertetur, sicut nõnulli putant ex eo quod scriptum est: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, sed quia spiritui summa & mirabili obtemperãdi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam uoluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate & tarditate detracta.

Hæc ibi. Ergo tria ponit Augustinus, quorum gratia corpus nostrum, quale post resurrectionẽ habituri sumus, non amplius futurum sit animale, sed spirituale. Primum est, quod spiritui inseparabiliter copulabitur. Secundũ, quod illo uiuificante subsistet. Tertium, quod illi mirabili quadam obediendi facilitate subdetur. Possent & aliæ rationes assignari, uerũ quod me attinet, hæ sufficiant.

Posset etiam quæri de spiritu, quo uniuscuiusq; corpus spirituale reddetur. (Necesse nãque est, ut propter spiritum spirituale sit futurum) quis nam sit ille spiritus, idem ne quem quisq; in corpore suo mortali habuit, uel alius quisquam, uel spiritus Dei. Erit quidem Deus omnia in omnibus, uerum quoniam de spiritu nostro scriptum est, quod reuertatur ad eũ qui dedit illum, nec cogitandum est, quod uel extinguatur in cœlestibus, uel in locum illius alius substituatur, in quo corpus nostrũ resurgat, puto indubitatum esse, eodẽ nos spiritu spirituales futuros, qui corpus nostrum in hac præsenti uita inhabitat, & morte ab illo separatur, inq; cœlestia ad Deum reuertitur. Hic non est quærendum quomodo ille tantæ futurus sit potentię post resurrectionem, ut corpus nostrum reddat spirituale, immortale, incorruptibile, potens & gloriosum, cũ nihil horum præstet in hac uita. Omnis enim illa potentia,

tentia, qua corpora nostra è mortuis excitabũtur, spiritualiaque immortalia, incorruptibilia & gloriosa reddentur, non erit alicuius creati spiritus, sed ipsius Dei. Per hũc habebit omnẽ spiritualem efficaciam spiritus noster, ea præstandi in nobis, quæ in corpore animali præstare iam non potest. Huius efficaciam nõ debemus omnipotentem futurã credere. Quare moderate de illa disputandum censeo. Satius est ad ueram illam felicitatem spiritualem corporũ fide syncera, & spe infracta aspirare, q̃ de facultatibus illorum temere disputare.

Est corpus animale, & est corpus spirituale, quemadmodum & scriptum est: factus est primus homo Adam in animã uiuentem, extremus Adam in spiritum uiuificantem.

Erat Corinthijs inusitata loquutio, qua dixit: Seminatur corp⁹ animale, resurgit corpus spirituale. Imò ne hodie quidẽ admodum est trita in ecclesia, & perspicua etiam magnis doctoribus. Quare ad illius declarationẽ resumit eam explicandam.

EST corpus, inquit, animale, & est corpus spirituale.] Nõ dicit: Si est corpus animale, est etiam corpus spirituale, quemadmodũ habet uulgata uersio. Non enim propterea est corpus spirituale, quod est corp⁹ animale, quasi unumquodq; corpus animale ob id sit & spirituale, quod est animale, sed simpliciter tanquam de duabus diuersis corporum qualitatibus: Est corpus animale, inquit, & est corpus spirituale. Nõ dicit: & erit sed & est corpus spirituale. Erit quidem corpus nostrum spirituale in futura uita, quod animale est in præsenti, uerum non de illo iam loquitur, sed collimat ad illius exemplar, quod in glorificato Christi corpore per resurrectionem ex mortuis esse cœpit.

QVEMADMODVM, inquit, scriptũ est.] Ne nouæ loquutionis author esse uideat, præsertim in eo quod homini animale corp⁹ tribuit, scripturæ testimonium adducit, idque ex ipsa creati primi hominis historia, quæ Genesis secundo istis uerbis repetitur. Et formauit Dominus Deus Adamum puluerem de humo, & inspirauit in nares eius, באפיו, flatum uitæ, & factus est Adam in animam uiuam. Huc respiciens dicit: Quemadmodum scriptum est: factus est primus homo Adam in animam uiuẽtem. Illud, primus homo, non est in uerbis scripturę quam adducit, quæ simpliciter habet & factus est Adam in animam uiuã. Adiecit hoc de suo, primum gratia specificationis, de quo Adamo loquatur scriptura, deinde propter collationem duorum principalium capitum Adę uidelicet & Christi, quorum alterum extremũ, alterum primum Adamum uocat. Extremus Adam, inquit, in spiritum uiuificantem. De primo quidem Adamo loquitur citata scriptura, de extremo uero, id est Christo, non loquitur. Quare ergo de primo scripturam inducit, de altero, id est Christo, non inducit? Meo iudicio, quoniam auribus illorum Christianorum, qui philosophicis loquutionibus assueuerant, insolẽs uideri poterat, quod homini corpus animale tribuebat, quasi similis sit bestijs, eius loquutionis authoritatem assignat ex ipsa sacra scriptura, quod de Christo extremo Adamo nõ facit, quoniam non erat insolens, quod illi corpus spirituale tribuebat.

FACTVS est primus homo Adam, inquit, in animam uiuentem.] Qualis est primus homo Adam, tales sumus & nos omnes illius posteri. Quare illius creationem & facturã inducit, unde probet, quod plerique in nobis ipsis non agnoscimus dum pro semidijs haberi uolum⁹, deq; acumine & præstantia intelligentiæ & sapientiæ humanæ, & de libero nostro arbitrio, ac nescio quib⁹ uirtutib⁹ admodũ gloriamur.

Vocat autem Adamum primum hominem non modo tempore & ordine, quo primus est à Deo conditus, quemadmodum primus dies in septimana, uel primus regni alicuius annus uocari solet, sed originali poti⁹ principio, quo factus est totius humanę posteritatis caput & fons. Prima est arbor in horto, quę prima in illo plãtatur. Ea uero duplici nomine prima est, quæ & tempore est & propagatione prima, sic ut ex ipsa cæteræ omnes propagẽtur. Hoc duplici pacto primus homo est Adã. Sic uero uocatur ab Apostolo, non prioris, sed posterioris gratia, tanquam omnium mortalium ex ipso descendentium exemplar.

Et quid factus est ille primus homo Adam? In animam, inquit, uiuentem. Ebr. לנפש חיה. Germanicus interpres uertit in Genesi cap. 2. *Ein lebendige seel,* hic uero in Paulo, *ins naturlich leben.* Gen. cap. 1. ubi de creatione pisciũ legitur, habetur prorsus idem: Et dixit Deus: Producant aquæ reptile נפש חיה, id est animã uiuentem. Et: Creauit De⁹ cete grãdia & omnẽ נפש החיה, id est, animã uiuentẽ. Deinde ubi creatio bestiarũ ac pecorũ memoratur. Et dixit Deus inquit: Producat terra נפש חיה id est, animam uiuentem in genere suo, iumentum, & reptile, & bestias terræ, &c. Et ubi de cibo hominũ & bestiarũ fit mentio: Et dixit Deus, inquit, Ecce dedi uobis omnem herbã, &c. & omni bestiæ terræ, & omni uolucri cœli, & omni reptili terræ in quo est נפש חיה id est, anima uiuens. Et cap. 9. ubi memoratur pactum quod cõstituit Deus post diluuium inter se & Noah & cũcta animantia terræ, non semel, sed quarto tribuitur bestijs נפש חיה anima uiuẽs. Et cap. 7. pro anima uiuẽte ponitur רוח חיים id est, spiritus uitæ daturq; bestijs, & addit uox נשמה id est, flatus, ad hunc modum. Et expirauit omnis caro repens super terram, &c. omne in cuius naribus erat נשמת רוח חיים id est flatus spiritus uitæ. Vnde apparet idem esse נפש חיה quod רוח חיים & רוח חיים quod נשמת חיים id est, flatus uitæ, qui & homini à Deo inflat⁹ ideoq; ille in נפש חיה factus legitur hoc loco quem Apostol⁹ citat. Vbi sermo est de bestijs, reddidit Ger-

dit Germanicus interpres, *Ein lebendigs thier*. Est ergo primus homo Adã, per id quod inflauit in ipsum Deus flatũ uitæ factus לנפש חיה id est, in animam uiuentem, uel, si mauis, in animal uiuum. Poterit hic quæri, quare Apost. non potius dixerit: Et factus est primus homo Adam ad imaginem ac similitudinem Dei, Cũ & illud habeat sacra scriptura, quàm, Et factus est primus homo Adam in animã uiuẽtẽ, præsertim cum sciret prædicatũ hoc, נפש חיה toties in scripturis tribui bestijs terræ, ideoq; nihil habere, in quo homo pisces maris & bestias terræ excellat. Responsio facilis est. Nõ faciebat ad propositum prærogatiua imaginis Dei homini in scripturis tributa. Loquitur enim de homine, quatenus est instar iumẽti, infirmus, mortalis & corruptibilis, non quatenus singulari est honore prę bestijs à Deo ornatus. Quare conuenientius erat ut hoc prædicatũ, נפש חיה quod homini cõmune est cũ bestijs, ex scripturis adferret in medium, indeq; authoritatẽ faceret suæ sententiæ, qua dixit: Seminatur corpus animale. Non est autem præter rationem, quod scriptura idẽ prædicat de homine quod de bestijs. Facit enim plurimũ ad reprimẽdum humani ingenij typhũ. Et hãc ob causam probari non debet, quod Thargum Onkelos prędicatum hoc primi hominis Adę: Et factus est Adam נפש חיה sic trãstulit והות באדם לרוח ממללא hoc est, & factus est (intellige flatus ille uitæ quem Deus formato à se Adæ inflauit) in Adamo in spiritum loquentem. Neq; enim נפש חיה idem est quod spiritus loquens, nisi & bestias terræ in spiritum loquentem factas esse dicturi sumus.

EXTREMVS Adam, inquit, in spiritum uiuificantẽ.] Hactenus de eo, quod corpus animale seminari dixit, ad cuius declarationẽ exẽplum Adę primi hominis induxit, iã ad declarationem eius quod dixit: resurget corpus spirituale, illius quoq; exemplar proponit dicẽs: Extremus Adam in spiritum uiuificantẽ. Quis ille sit extremus Adam, August. dubitãter exponit dicens: Nouissimus Adam in spiritũ uiuificantẽ, siue intelligatur primus Adã, qui de puluere antẽ formatus est, nouissimus autem Adã qui de uirgine procreatus est, siue in unoquoq; homine utrunq; cõpleatur, ut primus Adã sit in corpore mortali, nouissimus Adam idẽ ipse in corpore immortali. Hæc ille. Verũ posterior sentẽtia nõ cõuenit sequẽtibus præsertim ei quod dicturus est Apost. Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse dñs de cœlo. Seduxit August. uulgata lectio quæ sic habet, secũdus homo de cœlo cœlestis. Ambrosius, quamuis & ipse legit, secũdus homo de cœlo cœlestis, de Christo tamen constanter exponit. Quanquã quæ in Ambrosio à pręsenti loco ad finem usq; Epistolæ leguntur, ad uerbum habentur in Cõmentarijs, quę Hieronymo tribuuntur. Sic parum certitudinis habẽt, qui scripta patrum prope canonicis scripturis adæquant. Vocat autem Christum Adã, eo sensu

Aug. Epistola. 146.

quo uox אדם hominem significat. Extremum appellat, non quod omniũ sit mortaliũ extremus, sed quod inter duo principalia humani generis capita, alterũ ipse locũ habet post Adamũ. Sic uocat eum mox infrà secundũ hominẽ. Parum honorificum uidetur, quod Christũ uocat non modo Adamum, sed & extremũ Adamũ, nisi quo hoc sensu faciat diligenter cõsyderes. Cõmuni sensu diminutionis notam habet esse nouissimum. Sic Saul, cum se coram Samuele humiliaret, indignumq; esse honore regio diceret: An non filius Iemini ego sum, inquit, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? 1. Sam. 9. & de Hieroboã legitur quod fecerit sibi sacerdotes de extremis populi. Et. 2. Reg. 17. Fecerunt autem sibi, inquit, de nouissimis sacerdotes excelsorum, quod de uilissimis est intelligendum, quales hodie quoq; cum inter Papistas tum inter σαρκευαγγελικούς ministerijs ecclesiasticis præfici uidemus. Verum nõ hoc sensu uocat Apost. Christum extremum Adã, sed lõge alio, tali uidelicet, quo plus est prerogatiuę postremum esse quàm esse primũ. Neq; enim mox præstantius est quod primũ, neq; statim deterius quod postremum est. Prior pars naturalis diei, uespera est cum nocte, posterior subsequens dies. Priorẽ locum diei habẽt Luna & stellæ, posteriorẽ Sol. Dum homo in utero matris cõcipitur, prior est caro, posterior spiritus. Cum Adam formaretur, priorem locum habebat puluis, posteriorem spiritus. In uita nostra prior est infantilis ætas, posterior ea quæ usu rationis est instructa. Prius est esse discipulum, posterius esse doctorẽ. Priores sunt huius uitæ passiones, posteriores futuri sęculi gloriæ. Innumera sunt exempla, in quibus uidere est, nõ mox potius esse, quod primũ, neq; statim deterius, quod postremum existit. Quare nec hic quicquam glorię Christi incõmodat quod extremus Adam, nec ad prærogatiuã Adæ facit, quod primus Adam uocatur. Imo pręstantius hic est, postremum esse quàm primũ. In primo siquidẽ ruditas est, infirmitas, & imperfectio, in postremo maturitas, firmitudo & perfectio. In primo peccatũ, perditio, mors & corruptio, in postremo iusticia, salus, uita & incorruptio. Hanc præstantiam extremi Adę exprimens dicit: Extremus Adam in spiritum uiuificãtem. August. Epistola paulo suprà citata sic exponit. Inter animã uiuẽtẽ & spiritũ uiuificantẽ hoc interesse uoluit, ut illic sit corpus animale, hic spirituale. Anima quippe in corpore animali uiuit quidẽ, sed nõ uiuificat usq; ad auferendã corruptionẽ. In corpore uero spirituali, quoniã perfecte adhærẽs dño, unus spiritus est, sic uiuificat ut spiritale corpus efficiat, absumẽs omnẽ corruptionẽ, nullã metuẽs separationẽ. Hęc ille, quibus extremũ Adamũ in spiritũ uiuificantẽ factũ corpus nostrũ spirituale intelligit, quale in resurrectione acquiremus. Verum, quemadmodum diximus, duo nobis exemplaria proponit, unũ animalis corporis,

quod morti est & corruptioni obnoxiū, alterū spiritualis, qd' immortale erit & incorruptibile. Primum facit Adamū, alterum Christū. Vt Adam exemplar est animalis, ita Christus spiritualis, quem in spiritum uiuificantem factū dicit, propterea quod non modo ad immortalitatem & incorruptibilitatem pro sua persona resurrexit, sed & omnia sua mẽbra uiuificat & immortalia reddit. Quare non dicit: in spiritū uiuentem, sed, in spiritum uiuificantem.

Dices, an non ipse quoq; Christus factus est in animā uiuentem, perinde atq; nos? Respondeo. Quatenus ex Adam est, animā uiuentem accepit, quẽadmodum & nos. Quatenus uero dominus de cœlo est, factus est in spiritū uiuificantem. Cauendum est, ne cum Apollinaristis spiritū illi uiuificantem pro anima demus, uel cum Manichæis sic in spiritū uiuificantē factū esse dicamus, ut ueritatem corporis illi auferamus. Quemadmodnm nō ideo corpus non habebat Adam, quod factus esset in animam uiuentem, ita non ideo spiritus est sine corpore Christus quod in spiritū uiuificantē est factus.

At non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secūdus homo ipse dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt. Et qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. Et quemadmodū gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginam cœlestis.

Pergit declarando diuersitatem corporum nostrorum qua post resurrectionem præsentē illorū qualitatē superabunt. Declarationē illorum in duobus originalibus hominibus Adamo & Christo propositam prosequitur. Dixit: Est corp⁹ animale, & est corp⁹ spirituale. Huic adiecerat scripturā. Iam ut ordinem inculcet, quo Deus nec simul illa esse, nec aliter ordinari uoluit, quàm ut præcedat animale, subsequatur uero spirituale, dicit:

AT non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.] Dices. Quibus nā rationibus sic constitutum est, ut non simul sit animale & spirituale corpus, sed animale prius, spirituale posterius? Respondeo. Pio homini satis est, si intelligat sic esse cōsiliū prouidentiæ Dei. Possunt tamen certe aliquot causæ assignari. Prima est, q̄ animalis & spiritualis qualitas non prædicantur ab Apostolo de corporib⁹ natura & substātia diuersis, alijs atq; alijs, sed prorsus eodē. Idē corpus utriusq; qualitatis capax inducit. At non potest utrāq; simul capere ut sit & animale & spirituale, mortale & immortale, corruptibile & incorruptibile, inglorium & gloriosum, infirmū & forte, terrenū & cœleste, sed necesse est ut cōpetenti mutatione, ab una qualitate transeat ad alterā, & quale fuit antea tale non sit amplilo. In corporibus natura & substantia diuersis diuersæ

A simul possunt esse qualitates. Eodem momento terreni terrena, cœlestis cœlestis potest esse qualitas. In corpore nostro id fieri non potest. Quare necesse est ut per mutationem alio tempore sit animale, alio fiat spirituale. Secunda ratio est, quod sapientiæ Dei cōuenientius est ac multis modis melius, ut quoniā mutationi destinatum est corpus nostrum, primū sit animale, ac postea mutetur in spirituale, q̄ ut præcedat spiritualis qualitas, quæ postea mutetur in animalē. Indignū opus diuina maiestate est, spiritualē prestantiā mutare in animalē humilitatem & infirmitatē. Ea demū spectabilis est mutatiōis ratio, qua deterius mutatur in melius, non qua melius in deterius. Imò sic cōparatum erit corpus spirituale, ut quoniā immortale erit & incorruptibile, in animale mutari nō possit. Animale uero nihil habet, unde nequeat mutari in spirituale, cū sit natura sua mutationi & alterationi obnoxium. Tertia ratio est ista. Ordo sæculorū, præsentis & futuri, seriem hanc requirit, ut prius sit corpus nostrum animale, deinde fiat spirituale. Est enim sic cōditū à Deo, ut utriusq; fieret sæculi particeps. At presens hoc, in quo iam uiuimus, & ordine præcedit (quod nos attinet) & iuxtà est terrenum ac transitoriū nō cœleste & sempiternm. Futurum uero transitoriū nō est, sed sempiternum, nec terrenū, sed cœleste. Cōuenit igitur, ut in transitorio ac terreno corpus habeamus animale, in sempiterno uero ac cœlesti corpus

B accipiamus spirituale. Hasce ob causas nō primum est spirituale, sed animale, deinde quod spirituale. Cum igitur cōsilio Dei omnium sapientissimo sit cōstitutum, & simul utilissimū sit, ut primū animale sit corpus nostrū, postea spirituale, imò diuersum fieri nequeat, cogitādum nobis est, q̄ sint inconsulta carnis nostræ uota, quibus ordinem hūc inuersum iri uellemus, sic ut ea quæ futuri sunt seculi, & ad uerā felicitatē pertinent, in hac uita constitutis contingant, nascamurq; primum, nō animales, sed spirituales, ne uidelicet subeundę sint animalis hominis infirmitas, miseriæ & ærumnnæ, mortalitas & corruptio. Corrigēda sunt in nobis huiusmodi stulta uota, dicēdumq; cū Apostolo, Non primū quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale, ac ferendum patienter, quicquid ad animalem hāc nostram uitam necessario pertinet.

PRIMVS homo de terra terren⁹, inquit, secundus homo ipse dominus de cœlo.] Continuat cœptā collationē Adę & Christi, tāquam duorum diuersæ conditionis capitū, ut in illis declaret quod dixit: Seminat̄ corpus animale resurget corpus spirituale. Erat autē nonnihil obscurius, quod initio collationis huius dixerat: Primus homo Adam factus est in animam uiuentē, extremus Adā in spiritū uiuificātem. Quare adiungit ista, quibus collationē hanc & absoluat & intelligibiliorem reddat.

PRIMVS homo, inquit, de terra terrenus.] Vocat Adamum primum hominē terrenum, propter

propter originẽ illius quæ est de terra, qua de legere est, Gen. 2. Formauit Deus, inquit, hominem puluerẽ de terra. Et ca. 3. donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Quia puluis es & in puluerẽ reuerteris. Huc respiciens Apost. dicit: Primus homo de terra terren⁹. Exprimit illius & originẽ & conditionẽ. Origo de terra, & cõditio terrena sibi inuicẽ correspõdẽt. Sic Io. 3. Qui de terra est, de terra est. i. terrenus est, & de terra. i. terrena loquitur. Terrenus igitur est primus homo Adam, & origine & cõditione. Vt è terra est, ita & in terra uiuit, terrenis alitur, terrena sapit, terrenis afficitur, terrenis est passionibus mutationibus & corruptionibus in corpore terreno obnoxius. Cũ dicit eũ in animam uiuentẽ esse factum, respicit ad cõditionẽ animæ, quã inflauit illi Deus cõditor. & eam ob causam uocat eum animalem. Cum hic eum terrenum uocat, respicit ad originem corporis è puluere terræ formati. Atq; ita tam in anima quàm in corpore illius inuenit, unde inter ipsum & Christum dominũ discriminet.

SECVNDVS homo, inquit, ipse domin⁹ de cœlo.] Poterat dicere, Secũd⁹ homo Christus, uerũ utitur hac periphrasi, ut alterã collationis partẽ priori cõformiter exprimat, & cœlũ terræ, cœlestẽ hominẽ terreno opponat, quo declaret, quãtũ discriminis sit inter corp⁹ animale, quali nũc circũdamur, & spirituale, quali ad futurã uitã resurgemus. Suprà monui aliter habere lectionẽ uulgatã, uidelicet, secundus homo de cœlo cœlestis. Verum Græca habent, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. id est, dominus de cœlo. Suspicor tamen ὁ κύριος, corruptum esse per antiquarios & ab Apostolo scriptum fuisse οὐράνιος ἐξ οὐρανοῦ. Facili negligẽtia οὐράνιος mutari potuit ĩ ὁ κύριος. Et præterea magis respondet præcedenti collationis parti, si legas, secundus homo de cœlo cœlestis. Sic quidem suspicamur, uerũ non est tutum recedere à lectione Græca, nulla causa necessario urgente.

SECVNDVS homo, inquit.] Quod Christũ paulo antè Adã, & hic hominẽ uocat, fidẽ nostrã cõfirmat, qua uerum illũ hominẽ, perinde atq; nos, ꝓ nobis factũ esse credimus. Nec est, ut quisquam in eo philosophetur, quod uocat eum secũdum hominem, quasi sentiat eũ alterius esse generis hominem, ꝙ̃ simus quotquot ab Adamo descendimus. Ex eodẽ quippe generis nostri fonte originẽ carnis suæ ducit, ex quo uniuersum genus humanũ descẽdit. Hoc uolebat Lucas, cum generationẽ illius ad Adamum usq; deduceret. Secundum eum hominẽ uocat, propter dispensationem redimendi generis humani, ac restitutionem omnium, quæ per ipsum erat perficienda, & propter opus regenerationis nostræ, qua ut in Adamo uetus, ita in ipso noua creatura reddimur. Hanc ob causam recte secundus & nouus homo uocatur, licet in humana nobiscum natura ueraciter communicet.

IPSE dñs de cœlo, inquit.] Tria de Christo prædicat, ad causam hãc facientia. Primum est

A quod sit secundus homo, nouũ quid humano generi post primum Adamũ adferẽs. Deinde quod sit dñs, tertio quod sit de cœlo. Nõ simpliciter dñs, sed dñs de cœlo. Sũt aliàs domini multi, uerum unus est uerus ac cœlestis dñs, unigenitus ille Dei, cui pater omnẽ potestatem dedit in cœlo & in terra. Neque simpliciter, de cœlo, sed ipse dominus, inquit, de cœlo. De cœlo ac cœlestes sunt & angeli, uerũ non sunt domini de cœlo, sed administratorij spiritus. Neque sunt humanæ naturæ nobiscũ participes, ideoq; nequeunt nos ex terrenis reddere cœlestes. Homines quidem sunt Adam, patriarchę & prophetæ, at neq; sunt de cœlo, sed de terra perinde atq; Adã, sicuti ipse Baptista de se prędicare nõ dubitat, Ioan. 3. neq; sunt domini, sed serui. Quare nec per illos ad cœlestem corporum nostrorum qualitatem & gloriam peruenire possumus. Vnus igitur est Christus, uerus nobiscum homo, uerus omnium dominus, & de cœlo cœlestis. In homine cõmunicatio est naturæ nostræ, quę nõ est in angelis. In domino, potestas est & authoritas omnium, per quã in eo quod de cœlo est, cœlestis est conditio & gloria, ad quam terrenam nostram originẽ, naturam & conditionem in resurrectione sua in seipso transtulit, in nobis uero in generali mortuorũ resurrectiõe, quod in se cœpit absoluet.

Non est autem ut locũ hic quærant, qui carnem Christi cœlitus allatam, non ex uirgine ac semine Abrahę desumptam dogmatizant. Cũ

B Apost. Christum hic dominum de cœlo uocat, non de origine carnis, sed de gloria ac prærogatiua cœlesti loquitur, quam habet unigenitus Dei, à patre in hũc mundum missus. Si carnis origo quæritur, notatur illa in eo quod Adam & homo uocatur. Si excellentia & prærogatiua unigeniti Dei, exprimiť illa in eo quod dominus de cœlo uocatur. Tertullianus in libro de resurrectione carnis, in hunc locum sic annotat: Primus homo de terra choicus, id est limatius, hoc est Adã. Secũdus homo de cœlo id est sermo Dei. i. Christus, nõ aliter tamẽ homo licet de cœlo, nisi quia & ipse caro atq; anima, quod homo quod Adam. Itẽ. At substãtia nullo modo separatur choici & cœlestes semel ab Apostolo homines dicti. Hæc ille. Cæci nõ uident, quid agat Apost. ideoq; uerba illius in eum sensum detorquent, qui proposito illius incommodat. Etenim quæ nobis spes carnis nostræ è mortuis excitandæ, & in cœlestẽ gloriam transmutandæ reliqua erit, si Christi carnem è communione nostræ naturæ excluserimus? Non uidet, quo consilio Christum uocet extremum Adamum, & secũdum hominem. Nec animaduertũt tam non negari ueritatem carnis Christi, è carne Adæ & Abrahæ desumptæ, per id quod domin⁹ de cœlo prædicatur, quàm non negatur cœlestis animæ in Adamo origo, per id quod de terra terrenus uocatur. Quomodo Adam de terra? Nõ anima, sed corpore. Animæ origo non est de terra, sed de cœlo. Et tamen de terra ac terrenus uocatur.

Distingue inter animam & corpus, ne res diuersas confundas. Quomodo Christus de cœlo? Non carne corporis sed diuinitate & conditione unigeniti Dei. Origo carnis illius non è cœlo sed ex Adamo, unde est caro uniuersi generis humani. Sētiamus igitur, sic esse Christū dn̄m de cœlo, ut simul sit homo de terra, & sic esse hominē de terra, ut simul sit dn̄s de cœlo.

QVALIS terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt, & qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes erunt.] Hactenus duos principales homines Adamum & Christum proposuit, tanq̃ duo exēplaria animalis unū, spiritualis corporis alterū, præsentis uitae unum, futuræ alterū. Iam aptat utrunq; ad propositum, ne quis dicat, quid ad nos cōditio Christi domini de cœlo? Id nanq; in quæstionem uenire poterat. De Adami posteris, quod illi respondeant origini unde descendunt, nulla erat quæstio. Ipsa nāq; uniuersalis in omnibus experiētia omnē quęstionem excludit. Facit tamen & primæ huius partis, quæ Adamum cōcernit, mentionē, quo integra sit collatio, & facilis paretur ad fidem posterioris inductio. Qualis terren⁹ ille, inq̄t, id est Adam primus homo, de terra terrenus, tales & hi qui terreni sunt, hoc est, omnes ab illo descendētes. Qualis autem terrenus ille Adam? Suprà hoc est memoratum. Terrenus erat & origine & conditione, tam corporis q̃ uitæ. E terra fact⁹, terrena sapiebat, in terra uiuebat, terrenis afficiebatur, terrenis erat mutationibus & corruptionib⁹ obnoxius. Tales sunt & hi qui terreni sunt. Qui sunt autem terreni? An soli reprobi? Nequaquam, sed mortales omnes, etiā pij, donec in carne hac uiuunt. Circumferunt enim pij quoq; terrestrem domum, corpus uidelicet terrenū, infirmū, mortale & corruptibile, suntq; necessitatib⁹ illius & molestijs obnoxij, quamuis animo conuersentur in cœlis, ubi Christus est ad dexterā patris. Terrenam illis originem & terrenæ uitae conditionem non adimit innouatio mētis, regeneratio è supernis, & studium pietatis. Regeneratione quidem de cœlo sunt, & ex Deo spirituales & cœlestes, quod nouum in illis & internū homiem attinet, carnis uero origine, & externi corporis cōditione, de terra sunt, & terreni, perinde atq; reprobi esuriunt, sitiunt, edunt, bibunt, dormiunt, uestiuntur, fatigantur, morbis corripiuntur, moriuntur, & corrūpuntur, nec alieni sunt à reliquis terrenę huius uitæ circūstantijs ac necessitatibus. Laborant, uxores ducunt, prolem gignunt & alunt, legibus & magistratibus subduntur, &c. Sic sunt terreni & ipsi qualis fuit Adam terrenus.

2.Cor.5.

Reprobi uero duplici nomine terreni sunt. Terreni sunt eo modo quo pij carne uidelicet, cum quod originem, tum quod conditionem illius attinet. Terreni sunt & mente & uniuersæ uitæ suę studio. Nonnisi terrena sapiūt, terrenis tantum delectantur & student, uoluptatibus immerguntur, uentri seruiunt, uel certe, si quo pacto crassas illas carnis uoluptates cō-

A temnunt, terrenæ tamen sunt glorię mācipia. Reperit eiusmodi terrenos Apost. inter Christianos quoque, deque illis flens conqueritur, Philip.3. dicens. Multi ambulāt, de quibus sæpe dicebam uobis, nunc autem & flēs dico, ut inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorū, qui terrena sapiunt. Nostra aūt conuersatio in cœlis est, &c. Verū de hoc terrenorum hominū genere, quo pij terreni non sunt, in præsenti non loquitur Apostolus, sed de eo tantum, quod commune est mortalibus omnibus, in carne hac mortali uiuentibus. Quare cum dicit: Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt, non discriminat inter præsentis sæculi homines, sed inter præsentem corporū nostrorum, & eam quæ post resurrectionē futura est qualitatem, & hanc in Adamo illam in Christo declarat. Non confert inter se pręsentis uitę homines, quatenus alij terreni sunt, alij spirituales ac cœlestes, sed confert eos omnes pios & impios, quatenus terreni sunt ex terreno, cum omnibus qui in futura uita omni terrena conditione exuti corpus habebunt spirituale & cœleste.

ET qualis ille cœlestis, inquit, tales & hi qui cœlestes erunt.] In Græco simpliciter est: tales & cœlestes. Quoniam uero nondum tales sumus, sed in futuro demū erimus, existimo conuenientius esse, ut legamus, tales & hi qui cœlestes erūt, quàm, tales & hi qui cœlestes sunt.

B Nam mox dicturus est: quemadmodum gestauimus imaginē terreni, gestabimus & imaginem cœlestis.

QVALIS ille cœlestis, inquit.] Christ⁹ uidelicet. Loquit̄ aūt de illo, nō quaten⁹ uixit in carne nostra, infirma & mortali, edit, bibit, esurit, sitijt, fatigatus est, dormiuit, cōtristatus fleuit, & tandem mortis dolores unà cum morte expertus est, neq; quatenus uerbum est patris ac uerus Deus. (Neq; enim erimus hactenus illi similes) sed quatenus tertia die gloriosus, & corpore clarificato ac cœlesti surrexit, in cœlos ascendit, inq; cœlestibus ad finem usq; mundi manet. Tales uidelicet erimus, & nos post resurrectionem, non iam amplius terreni, sed cœlestes. Corpus nostrum uerum quidem erit & proprium nostrum corpus, quemamodum & suprà monuimus, iuxtà tamen liberum erit & repurgatum ab omni terrena fece, purum, clarum, firmum, immortale & incorruptibile, & reliquis cœlestibus dotibus ornatum, & hactenus non terrenum, sed cœleste.

Obseruet uero diligens lector, q̃ incōsyderantes sint, qui quoniā Apostolus Christū hic uocat dominum de cœlo & cœlestē, colligunt ex eo, carnē illius nō esse ex uirgine matre desumptam, sed cœlitus delatā. Si recte colligūt, ergo nec nostra caro de terra est, sed originem habet de cœlo. Sic enim erimus cœlestes, quēadmodum dominus ipse cœlestis existit. Si cœlestem esse post resurrectionem terrenam carnis originem tollit in Christo, tollit & in illis qui &

qui & ipsi cœlestes erunt, ac cœlesti corpore præditi. Si uero in illis non tollit, quę necessitas est, ut tollat in Christo? An terrenũ nostrũ corpus per resurrectionis gloriam cœleste fieri potest, ut iam non amplius terreni simus, sed cœlestes, Christi uero non potest, nisi sit initio cœlitus delatum?

ET quemadmodum gestauimus imaginẽ terreni, gestabimus & imaginem cœlestis.] Nihil aliud dicit à pręcedenti. Idem est gestare imaginẽ terreni, quod esse qualis est terrenus, & gestare imaginem cœlestis, quod esse qualis est cœlestis, ne quis in dictione imaginis philosophandum putet. In Græco est εἰκόνα, quæ uox usurpata est ab Apostolo pro ὁμοιότητα. Imago aliàs rei nõ præsentis repręsentatio est, qui sensus in prima similitudinis huius parte constat. Etenim quotquot ex Adamo sumus, terreni hominis, iam olim non præsentis imaginem gestamus & exprimimus, uerum post resurrectionem cœlestis hominis, Christi uidelicet, non ita absentis, sed prorsus præsentis, nõ imaginem, sed similitudinẽ gestabimus. Quare uox εἰκὼν in posteriore parte, non ita locum habet sicut in priore, nisi pro similitudine accipiatur, ut idem sit gestare imaginem cœlestis aut terreni, qđ similẽ esse cœlesti uel terreno.

QVEMADMODVM gestauimus, inquit.] Quid est, inquies, quod in præterito dicit, gestauimus, cũ etiamnum gestemus terreni hominis imaginẽ, simusq; gestaturi illam ad eũ usq; diem, quo ex mortuis resurgemus. Neque enim ab illa liberabimur, nisi per eam quę erit cœlestis hominis Christi. Nã & ipsa corruptio corporum nostrorum ad imaginẽ terreni hominis pertinet, quæ durabit usque ad tempus resurrectionis, quo incorruptibiles reddemur. Respondeo. Si sententiam hanc sic ordinaueris: Gestabimus olim ubi resurrexerimus, cœlestis hominis imaginem, quemadmodum antea gestauimus imaginem terreni, nihil erit incommodi. Sap. 5. sic legimus: Tunc stabunt iusti in magna cõstantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Atqui etiamnum angustiantur iusti à reprobis. Verum in fine mundi locũ habebit præteritũ hoc uerbum, angustiauerunt. Tum enim non amplius angustiabũtur. Sic est cogitatio nostra extendenda ad diem resurrectionis, in quo non poterit dici: gestamus, sed gestauimus imaginem terreni hominis. Quãdo cœlestes erimus, qualis & cœlestis dominus noster de cœlo, tũc quemadmodum antea gestauimus imaginem terreni hominis, gestabimus & imaginem cœlestis.

GESTABIMVS & imaginem cœlestis, inquit.] Vulgata lectio habet per modum hortãdi, portemus. Et Chrysostomus legit φορέσωμεν, id est, portemus. Verum cum Græca exemplaria habeant φορέσομεν in futuro, portabimus, & non φορέσωμεν portemus, sitq; pręter scopum Apostoli, loqui hic per adhortationem, ubi de futura resurrectione loqués adhuc in eo est, ut ad propositã quęstionẽ, quali corpore resurrecturi sint mortui, respondeat, doceatq; q̃ sit diuersa futura in resurrectione corporũ nostrorum qualitas ab ea quã habemus in hac uita, existimo lectionem hãc, portemus imaginem cœlestis cum expositione Chrysost. sicut mala fecimus, sic bona faciamus, alienã esse à mente Apostoli. Nõ enim loquitur hic de innouatione mentis nostræ, qua ad imaginem eius qui creauit ipsum nouus homo in nobis formatur, Colo. 3. sed de qualitate corporis nostri, qua in hac uita terreni Adę imaginẽ portamus, in futura uero cœlestis, Christi uidelicet, portabimus.

Sumus diuersarum imaginũ capaces, secũdum diuersitatem duorum nostrorũ principũ & capitum, unius à quo carnis origine descendimus, alterius ad cuius imaginem reformamur. Carne terreni Adæ, spiritu uero eiusdem peccatoris imaginem gestamus. Loquor autẽ de spiritu nondum regenerato. Spiritu regenerato, uel si mauis innouato, Christi innocentis ac iusti, in hac uita portamus imaginem, quotquot in illum ueraciter credimus, corpore uero eiusdem cœlestis ac glorificati imaginem in futura uita portabimus. Sic quadruplices imagines inuenio, quarũ primã cõmuniter portamus omnes, secundã nõ portare, sed per gratiã regenerationis abijcere debemus, tertiã quotidie magis ac magis assumere iubemur, postremam per resurrectionẽ corporum nostrorum acquiremus, & in futura uita in sempiternũ portabimus. De prima & postrema loquitur hic Apostolus, non de secũda ac tertia. Prima & secũda abolẽtur, tertia & quarta in Christo perfectę sunt, in nobis uero mox à resurrectione perficientur.

Hoc autem dico fratres, quod caro ac sanguis regni Dei hæreditatem cõsequi non possunt: neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit.

Ne aberremus à scopo Apostoli, curandum est ut in sensu simplici constanter maneamus. Exponunt nonnulli ad hunc modum.

1 Caro & sanguis, id est, animalis homo cum omni sua sapientia, regni Dei hęreditatem cõsequi, id est, intelligere & cognoscere non possunt. Quare cauete, ne audiatis pseudapostolos carnis resurrectionem negantes. Sunt homines carnales, non possunt ea quæ Dei sunt intelligere. Et huc citant illud Christi, Matt. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Et illud suprà cap. 2. Animalis homo non percipit ea quę sunt spiritus Dei. Verum aliud est non posse κληρονομῆσαι, id est, hæreditario possidere, & aliud, non posse intelligere regnum Dei. De hæreditaria acquisitione ac possessione, nõ de intellectu regni Dei loquitur Apostolus.

2 Alij per carnẽ & sanguinem intelligũt corpus peccati, ueneno peccati infectũ & uitiatũ, sceleratã peccatorũ ac uitiorũ cõuersationẽ, & p regnũ Dei futurę uitę felicitatẽ, ut sit sensus: Caro & sanguis, id est homines dediti uitijs &

 delitijs,

delitijs, regnũ Dei possidere nõ possunt, quia ad illud nõ intrabũt. Vterq; sensus nihil habet in se falsi, uerũ neuter facit ad Apost. ꝓpositũ.

3 Alij non modo abludunt à scopo Apostoli, sed & sensum prorsus cõtrariũ & falsum adferũt. Colligũt enim, Si caro & sanguis regnum Dei possidere nõ possunt, ergo spiritualis erit resurrectio, qua nõ resurget caro nostra, sed spiritus. 1 Quicquid enim regnum Dei possidere nõ potest, non resurget. 2 Caro regnũ Dei non possidebit. 3 Ergo caro nõ resurget. Quorsum enim, inquiunt, resurgeret caro, regnum Dei possidere non ualens? Referunt hæc uerba ad substantiam carnis, quæ ad qualitatem illius pertinent, non ad substantiam.

Verum relictis illis partim impertinẽtibus, partim falsis expositionib9 germanã ac simplicẽ retineamus, quæ sic habet. Dixit gestaturos nos imaginẽ cœlestis hominis Christi, quẽadmodum gestauimus imaginẽ terreni Adæ: dixit fore cœlestes qualis est cœlestis dñs de cœlo: seminari corpus animale, resurrecturũ corpus spirituale. Iã rationẽ reddit quare alia futura sit corporis nostri qualitas, ꝗ nũc sit, cœlestis uidelicet & spiritualis. Sic dicit: Hoc autẽ dico fratres, quod scilicet futuri sumus cœlestes, cœlesti dño similes. Quare? ὅτι.i. quia, caro & sanguis regnũ Dei hæreditario possidere nõ possunt. Hoc est, ꝗa impossibile est, ut in tali corpore quale nũc habem9, regnũ Dei, statũ uidelicet & felicitatẽ regni Dei cœlestẽ ac spiritualẽ possideamus. Nõ cõueniet corp9 mortale, infirmũ, mutabile, & corruptibile, carne ac sanguine corruptibili cõstãs, ei statui qui prorsus est cœlestis, spiritualis, ac sempiternus. Quare necesse est, ut caro & sanguis mutẽtur in aliam non substantiã, sed qualitatẽ. In nouissimo die surrecturus sum, inquit Iob, de terra, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deũ: ca. 19. Intellige, nõ qualis nũc est, sed qualis est ꝑ resurrectionẽ futura. Atq; ita cõueniet utriq; sẽtẽtiæ, Iob & Aposto. Caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebũt, & tamẽ pelle nostra rursum circundabimur, & in carne nostra Deũ Seruatorẽ nostrũ uidebimus. Christ9 carnẽ & ossa, ꝗ post resurrectionẽ discipulis in argumẽtũ ueræ resurrectionis palpãda dedit, cœlo secum intulit, & tamẽ nõ modo possidet regnũ Dei, sed & à dextris patris sedẽs regnat. Haud igitur caro nostra regno Dei excluditur per id quod Apostolus dicit: Caro & sanguis regnũ Dei non possidebunt, sed terrena illius qualitas in cœlestem mutanda significatur.

Iob.

NEQVE corruptio, inquit, incorruptibilitatis hæreditatẽ accipit.] Adhuc clari9 exprimit quod dixit. Exponit enim, quare caro & sanguis regnũ Dei possidere nõ possint, dũ carni ac sanguini corruptionẽ, regno Dei uero incorruptibilitatẽ assignat. Significat fieri nõ posse, ut caro nostra, donec corruptioni est obnoxia hæreditatẽ regni Dei cõsequat᷑, in quo locum corruptio habere non potest, sed necesse est, ut corruptibile mutet᷑ in incorruptibile. Admodum caute loquitur. Nõ dicit: neq; corruptibile incorruptibilitatis hęreditatẽ accipit. Futurum enim est, ut corpus nostrũ corruptibile hęreditatẽ illã incorruptibilitatis accipiat, sic tamen ut incorruptibile reddatur. Ipsa uero corruptio nihil illic loci habere poterit, sed prorsus excludet᷑. Recte ergo dicit: neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Verũ infrà exprimit hoc clarius. 1 Si per carnem ac sanguinem sensus animalis hominis intelligendus esset, dicẽdum potius fuisset Apostolo neq; stultitia sapientię Dei profunditatẽ capit, quàm, neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. 2 Sic de ea quoq; expositione sentimus, qua per carnem & sanguinem alij maliciam & peccatum carnis ac sanguinis intelligunt. Ei sensu conuenientius dixisset Apostolus: Neq; iniusticia iusticiæ, ꝗ, neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. 3 Et illi quoq; qui sẽtẽtia hac Apostoli: caro ac sanguis regnũ Dei non possidebunt, ad negandam carnis nostræ resurrectionem abutũtur, de errore suo satis poterãt particulæ huius adiectione admoneri, ut intelligerent, à resurrectione futura, non substantiã, sed corruptionem carnis nostræ excludi.

A

B

Ecce mysterium uobis dico: Nõ omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto tẽporis, in momento oculi, per extremam tubã. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Priusquam materiam hanc de resurrectione mortuorum absoluat ac terminet, appẽdicem hanc adiecit præcedentibus, qua modum futuræ corporum nostrorũ mutationis paulo clarius cum distinctione exprimat. Ecce, inquit, mysterium uobis dico. Mysterium absconditum quid ac secretum est, quod sub intelligentiam communem non cadat, ne fidelium quidem, sed selectis duntaxat per reuelationẽ patefiat. Sunt autem duplicis generis mysteria.

Mysteriũ.

1 Primum est eorum quorum intelligẽtia & fides ad salutem est omnibus necessaria. Horũ dispẽsatores sunt Apostoli. Huc pertinẽt omnia Christianæ fidei capita, quæ mysteria sunt, ꝓpterea quod rationi humanæ sunt incõpræhẽsibilia. De his extãt testimonia & oracula in sacris scripturis. 2 Alterum eorum est, quæ citra salutis dispẽdiũ à fidelib9 quoq; ignorãtur, & de quib9 nihil est manifeste in scripturis traditũ. Ad primũ genus ꝑtinet ipsa mortuorũ resurrectio, cuius fides necessaria est omnibus, & testimoniũ habet ex scripturis. Ad posterius uero ꝑtinet ꝑsens hoc mysteriũ, de modo futuræ resurrectionis & immutationis, cuius nulla fit mentio in scripturis, & cuius scientia sine detrimento salutis ignorari potest.

Quemad-

Quemadmodũ enim satis est, si credã Deũ omnipotẽtẽ, cœlum, terrã, mare & omnia uirtute uerbi sui condidisse, etiãsi nesciã modum creationis huius, & reliquas circũstãtias, si credã uerbum illud incarnatum esse propter nostrã salutẽ, & natum ex uirgine, uerum Deum esse & uerum hominẽ, licet ignorẽ omnes eius rei circũstãtias, &c. sic satis est, si credamus futurã esse corporum nostrorum resurrectionẽ, & uitã nos habituros æternã & cœlestẽ, etiãsi modos & circumstãtias, tã resurrectionis q̃ perennis uitæ ignoremus. Sed dices. Quorsum igitur attinebat mysteriũ hoc patefacere fidelibus Corinthiorum, idq; non secreto selectis aliquot, sed cõmuniter omnib⁹ scripta ad oẽs Epistola, quæ corã omnibus erat legẽda, & ad posteros quoq; transmittẽda, si cognitio illius non est ad salutẽ necessaria? Respondeo. Non fecit hoc Apost. temere aut iactãter, sed fideliter & utiliter. Quoniam de fide resurrectionis periclitabantur, propter sermones eorum qui illam negabant, uel saltẽ in dubium uocabant, deinde & propter quæstionẽ eorum, qui qualinã simus corpore surrecturi quærebãt, uoluit appendicem hanc adijcere de modo alterãdorum nostrorum corporum, non quod per se sit necessaria illi⁹ cognitio, sed quod illis esset utilis, qui de ipsa resurrectione dubij reddebantur à reprobis, quo in fide illius cõfirmatiores redderentur. Consimili modo & Rom. 11. cum eos qui ex Gentibus crediderant de non contemnendo Israëlitarum populo multis admonuisset, tandem mysterium cæcitatis & futurę cõuersionis illius subiecit dicẽs: Nõ uolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quod excæcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo Gẽtium aduenerit, & sic totus Israël saluus erit. Mysterium hoc poterat à fidelibus ignorari citra salutis dispendium, quemadmodum eiusmodi adhuc multa ignoramus, nisi per ignorantiam illius Israëlem contemnendo, ac prorsus abijciendo contra dominum peccassent.

Quæstio.

Vt autem animos Corinthiorum attẽtiores ad percipiẽdũ mysterium hoc reddat, nõ simpliciter rem ipsam ponit dicẽs: Haud quidem dormiemus oẽs, &c. sed cũ præfatiuncula, ad excitandum illorum animos accõmoda: Ecce inquit, mysteriũ uobis dico. Vocula, Ecce, uim habet excitãdi aliàs negligẽti⁹ auscultaturos. Deinde auidi sumus ad percipiendũ mysteria hacten⁹ abscõdita. Ea est nostra curiositas, qua utitur Apost. ad suum propositum. Accedit & illud, quod amicitiæ argumẽtum habet secretorum cõmunicatio. Sic Christus: Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia quęcũq; audiui à patre meo nota feci uobis. Ioan. 15.

NON omnes quidem dormiemus, omnes tamen, inquit, immutabimur.] Exponit secretum. Legitur autem hæc particula bifariam.

1 Primo, quemadmodũ est in Græco, Haud quidẽ oẽs dormiemus, omnes tamẽ immutabimur, quã lectionẽ retinendã esse iudicamus.

A 2 Deinde, sicut uulgata habet æditio. Oẽs q̃dẽ resurgemus, sed nõ omnes immutabimur.

3 Tertio. Omnes quidẽ dormiemus, sed non oẽs immutabimur. Prima quidem & tertia lectio in Grecis codicibus inuẽta est, quarũ prima hodie quoq; in illis inuenitur ac legitur, secundã uero Latini tantũ habẽt Greci nequaq̃, quod & Hierony. in calce Epistolæ ad Minerium & Alexandrũ annotauit. Sensu tamẽ illa cũ tertia coincidit, dũ oẽs resurrecturos esse affirmat, immutãdos negat. Quomodocũq; acciderit hæc uarietas, qua alij legũt: haud oẽs dormiemus, sed oẽs immutabimur, alij: oẽs quidem dormiemus, sed non oẽs immutabimur, unius uoculę οὐ.i. nõ, trãspositione accidit. Verum de lectione hac inspiciatur Eras. cuius annotationibus non est quod quicquam addã.

NON omnes quidem dormiemus, inquit] intellige, in aduẽtu dñi, tẽpore futuræ resurrectionis. Vtitur autẽ uerbo dormiendi in significatu mortis. Ergo ubi dñs aduenerit in die iudicij, ad excitãdum mortuos, neq; erimus oẽs mortui ac dormientes in sepulcris, sed inueniemur quàmplurimi adhuc superstites ac uiui, neq; qui uiui inueniemur obdormiemus moriendo, quẽadmodum hodie morimur, ac dormimus. 1 De priori abunde satis est testimoniorũ. In priore ad Thess. 4. sic scribit Apostolus: Hoc enim dicimus in uerbo dñi, quod nos qui uiuemus & reliqui erimus in aduentu dñi, nequaq̃ præueniemus eos qui dormiunt.

B Ergo, non dormiemus omnes, si adhuc Christiani aliquot in uiuis erimus. De illis nanq; loquit̃, tãetsi innumera futura sit in toto terrarũ orbe uiuentium hominum multitudo.

Deinde, cũ dñs diẽ illũ sic inexpectatũ & ex improuiso edẽtibus, bibẽtibus, nubẽtib⁹, ædificãtibus & plãtãtibus hominibus adfuturum dicit, ut similis sit futurus furi clanculum, ubi minus putatur subintroeunti, an non satis innuit, non dormituros omnes? Tertio cum dicit: Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquet̃. Duæ molẽtes in mola, una assumetur, altera relinquet̃. Vigilate ergo, &c. manifeste significat, multos adhuc fore in uiuis. Non cõuenit itaq; hoc sensu, ut legamus: Oẽs quidẽ dormiemus, sed legendũ est: Haud quidem oẽs dormiemus. Nec impedit illud parabolicũ, Matth. 25. Tardãte uero spõso dormitauerũt oẽs ac dormierũt. Haud enim de morte corporis dictũ est, sed de omnimoda securitate, quæ mẽtes omnium sic est tẽpore aduẽt⁹ dñi occupatura, ut similes sint dormiẽtibus, nihiloq; pl⁹ indicia p̃currẽtia, q̃ q dormiũt auroram aduentantis diei prænunciam obseruent.

Matth. 24.

2 Alterum illud eos uidelicet, qui uiui in aduentu domini inuenientur, non esse dormituros, id est, morituros, negatur à nõnullis, propterea quod Ebr. 9. legitur: quatenus illud manet omnes homines ut semel moriantur, post hoc autem iudicium. Et suprà, quemadmodũ in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificabuntur.

Ideo

Ideo legunt illi: Omnes quidē dormiemus. Verū non satis firmo nituntur argumento. Etenim cōmunis quidē lex est ut moriamur oēs, uerū illa non infringitur paucorū exceptione, nec diutius locū habet, q̄ constitutū est à dn̄o, nec sic illi alligata est potentia & prouidentia Dei, ut nequeat aliter agere cum illis quos iudicij dies uiuos reperiet, quàm cū reliqua multitudine, quæ inde ab initio ad finem usq; fuit & etiamnum est in mundo.

Duo hæc omniū sunt certissima. Vnū quod aduentus dn̄i inexpectatus ac subitus uiuos inueniet eos oēs qui tū erunt in mūdo superstites, id quod suprà satis est cōprobatū. Alterum, quod fideles qui in uiuis erunt, quicquid de reliquis futurum sit, in puncto temporis, in ictu oculi immutabūtur, quēadmadum hic testatur Apostolus, & simul cum illis qui è mortuis surrexerunt, rapient in nubibus in occursum domini in aëra. An in ista subita immutatione & raptu uirorū fidelium, mors corporis, quali reliqua iam multitudo moritur, habitura sit locū, nō uideo quomodo possit certo doceri. August. quidem sic sensit, ut uidere est lib. de ciuit. Dei. 20. cap. 20. Verum nō solide probat. Quod enim lectionem illam, omnes quidem dormiemus, sequitur, infirmū est, quādoquidē ueteres Græci eā sequuti sunt, quæ iā in Græco legitur, è quibus est & Chrysostomus.

1. Thess. 4.

Quicquid sit, dormiendi uerbū, nō cōuenit illis, quos dies domini uiuos, & puncto tēporis, in ictu oculi immutādos inueniet: etiamsi secundum opinionē Augustini mutatio illorū qualicunq; sit morte intercedēte futura. Haud enim recte eiusmodi mors, quæ subito terminatur, & in uitam ęternam mutatur, dormitio uocari poterit. De mortuis qui sepeliuntur sic loquitur scriptura, quod in terrę puluere dormiant. Quis eum dormire dicet, qui in ictu oculi ex alio mutatur in alium? An oculi ictum somnū esse dicemus? Quare, meo iudicio, simplicius est ac certius, ut legamus: Haud quidē omnes dormiemus, quàm, omnes quidē dormiemus, uel, omnes quidem resurgemus. Resurgent quidem omnes, uerum intellige de illis quos dies domini non uiuos, sed mortuos inueniet. De uiuis non potest dici quod resurgant, dicitur autem quod immutantur. Diserte nanque inter mortuos ac uiuos discriminat Apostolus. 1. Thessal. 4. cum dicit: & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus simul cū illis rapiemur in nubibus in occursum domini in aëra.

NON omnes quidem dormiemus, inquit.] Verum hoc erit non in pijs modo & fidelibus, sed & in reliquis omnibus, quos aduentus domini uiuos in toto mundo inueniet. Verū apparet Apostolum loqui de fidelibus, & per occupationem occurrere cogitationi, quæ ex eo nasci poterat, quod suprà dixit: Quemadmodum in Adam omnes moriūtur, ita in Christo omnes uiuificabūtur. Et: Stulte, tu quod seminas, non uiuificatur nisi fuerit mortuū. Ne cogitarēt fideles, Ergo in aduentu domini ac tēpore resurrectiōis nemo erit amplius in uiuis, sed dormient omnes, quo possint è mortuis excitari oēs. Non dormiemus, inquit, oēs, sed multi erimus adhuc in uiuis, ubi dominus aduenerit. Nos hinc recte colligim⁹ ecclesiā Christi duraturā in terris usq; ad finē mūdi. Vbi dominus ad iudiciū uenerit, inueniet adhuc fideles suos uiuos ac superstites, toto terrarū orbe dispersos. Quare fieri nō potest, ut prorsus deleantur de terra uiuentium, quātumuis sæuiat in illos, & mundus & mundi princeps.

OMNES tamē immutabimur, inquit.] Rursus colligi poterat: ergo non resurgemus omnes, si nō dormiemus omnes, sed multi adhuc uiui ac superstites erimus. Si non resurgemus, qui tum uiui erimus ergo gloriæ illius, immortalitatis, incorruptibilitatis & felicitatis, quā acquirent, qui è mortuis resurgent, atq; ita & regni Dei, participes non erimus. Dicis enim carnem & sanguinem regni Dei hereditatē, & corruptionem incorruptionis gloriam possidere non posse. Quid ergo de nobis tū uiuentibus fiet? Respondet. Ita quidē habet. Nō resurgemus oēs, quia non dormiemus omnes, uerum est & illud, quod carnem & sanguinem regnum Dei possidere non posse dixi. Hinc tamen non consequitur, fore nos, qui tum uiuemus, à futuræ gloriæ, immortalitatis, incorruptibilitatis, adeoq; & regni Dei consortio exclusos. Non enim qualitatē hāc animalis mortalis & corruptibilis corporis retinebim⁹, quā nunc circūferimus, sed immutabimur & ipsi, nō minus q̄ qui ex mortuis resurgent, reddemurq; ex animalibus, mortalibus & corruptibilibus, spirituales, immortales, incorruptibiles, & in summa cœlestes. Et hoc est mysterium illud quod se dicturū meminit. De uiuis loquitur, nō de dormiētibus. Illos subita metamorphosi immutandos esse, res erat occulta, mysterium fidelibus tum adhuc incognitū. Quod oēs morimur ac dormimus, nihil habet obscuri. Quare lectio illa: Oēs dormiemus, nō modo aliena est à uero, sed & inconueniens ei qđ præmisit dicēs: Ecce mysteriū uobis dico.

OMNES tamen immutabimur, inquit.] Quęrunt quò referēda sit uniuersalis hęc, oēs. De eo quidem constat, quod tam ad mortuos ac resurgentes, quàm ad uiuos pertineat. Omnes enim immutari oportet, sicuti mox est dicturus. Immutatio corporum nostrorum communis erit omnibus mortuis ac uiuis, resurrectio uero nō ita, sed dormiētibus tantū. Quoniam uero & mortuorum & uiuorum pars maxima ex reprobis erit & impijs, quæritur, an perinde sint immutandi impij, atq; pij, ideoq; quod Apost. hic dicit: oēs tamē immutabimur æque ad impios atq; ad pios ptineat. Qui negāt ptinere ad impios, legūt hic, sed nō oēs immutabimur. Iudicāt enim Apostolū cōiter de omnib⁹ loqui mortalib⁹, tā ī pijs q̄ pijs, & sentiūt nō impios, sed pios tātū esse immutādos.

Verum de fidelibus illum loqui ipsa uerba satis

ſatis conuincūt. Cum autem illi abſq; controuerſia ſint immutandi omnes, patet nō eſſe legendū, non omnes immutabimur. Interea tamen quod quæſtionem hāc de impijs attinet, licet de illis nō loquatur Apoſtolus, nō uideo tamen quomodo nō ſint, uel cum mortuis reſurgētes, uel uiui in aduētu domini, ab ea corporum qualitate, quam in hac uita communiter geſtamus, in eam mutādi, quæ capax ſit incorruptionis & immortalitatis, nō ad id ut gloria & felicitate regni Dei cum copijs potiatur, ſed ut pœnas ſempiternas cū diabolo & angelis eius patiatur. Quemadmodum enim caro & ſanguis regnū Dei non poſsidebunt, donec mortalitati & corruptioni ſubiacent, ita nec indeſinentes inferorū pœnas ſine fine pati poterunt, ſi eandem mortalitatis & corruptionis qualitatem quam in hac uita habēt, in futuro ſæculo retinebunt. Non eſt præter rationē igitur quod Valla magnā corporum immutationē fore dicit, qua fiet, ut non poſsint ullis ignibus cremari, neq; ullis ſupplicijs ab anima ſeiungi. Et Theodorus Heracleotes, citante Hierony. Canet enim tuba, inquit, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile iſtud induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatē ut poſsit in utranq; partē, uel in pœnis, uel in cœlorū regno manere perpetuo. Hæc ille. Nō eſt itaq; ut impios ſimpliciter immutādos eſſe negemus. Licet enim non mutabuntur in claritatem & gloriam filiorū Dei, cum pijs & iuſtis, hactenus tamē mutabuntur, ut ex mortalibus immortales & ex corruptibilibus incorruptibiles reddantur, id quod ſine mutatione fieri non poteſt. Si angelus ex immortali mortalis, & ex incorruptibili corruptibilis in die iudicij fieret, quis adeo ſtupidus eſt, qui mutari illum negēt? Iam cū conſtet impios ex mortalib⁹ futuros immortales & incorruptibiles, admodum inconſulte faciunt, qui mutandos eos eſſe negant.

IN puncto tēporis, inquit, in momēto oculi.] Græce eſt ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Atomos eſt eſt punctus indiuiſibilis. Ponitur hic pro momento, tempore ſic ſubito, ut in partes diuidi nequeat. Et quoniam non ab omnibus ſtatim capitur quid ſit pūctus indiuiſibilis, adiecit in ictu oculi, qui omnibus eſt notiſsimus. Significat igitur immutationem corporum noſtrorū fore ſubitam, ne quis illam per gradus temporum perficiendam eſſe putet. Nec eſt ut per hyperbolam dictum hoc putemus ab Apoſtolo, quaſi impoſsibile ſit omnipotēti Deo carnem à ſe ſola uerbi uirtute conditam eadē potentia in momento temporis in eam mutare qualitatem, ad quam illam ab æterno deſtinauit. Qui dicit, & fit quod dicit, nō habet opus mora tēporis, qua per gradus quod dicit fiat, ſed ut iubet ita mox eſt quod fieri iubet. Multa quidē in oculis noſtris facit, non ſubito, ſed per gradus & ſpacia temporum, quod in æſtate ſingulis annis cernimus, uerum facit hoc, nō ex de- A fectu potentiæ, ſed certo conſilio prouidētiæ, quo ſeſe captui noſtro ſic attemperat, ut nō ſolum facta iā, ſed & fieri uideam⁹, dumq; principia, media & fines rerū ipſis noſtris oculis cernimus, in potentiæ, ſapientiæ ac prouidentiæ ipſius cognitionē, ueluti manu ducamur. Alia erat ratio creandi initio omnia ex nihilo, quēadmodum & futura eſt alia creaturam hactenus uanitati ſubiectā in fine mundi reformandi. Sicut illic ſubito cōdidit omnia uirtute uerbi ſui, ita tum corpora noſtra eiuſdē uerbi ſui uirtute ſubito excitabit mortua, & immutabit uiua.

PER extremam tubam, inquit.] Modū exprimit, per quem immutabimur. De illo dominus ipſe, Matth. 24. ſic loquit̄. Et tūc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filiū hominis uenientem in nubibus cœli, cum uirtute multa & maieſtate, & mittet angelos ſuos cum tuba, & uoce magna, & cōgregabūt electos eius, &c. Et Apoſt. 1. Theſſ. 4. Quoniam ipſe dn̄s, inquit, cum iuſſu & uoce archangeli & cum tuba Dei deſcendet de cœlo. Ergo non erit aduētus domini placidus ac māſuet⁹ qualis fuit prior, ſed uehementer terribilis, qualis eſſe ſolet aduentus potētiſsimi regis, inſtructiſsimo cum exercitu aduerſum hoſtes ſuos ac rebelles mouētis, ubi etiam bellicarum tubarum ſonitus, nedum Maieſtatis ipſius excellētia, & uis exercitus terrorem incutit rebellibus.

B Tubam autē hanc alij aliter accipiunt. Mihi ſimpliciter ac rectius ſentire uidētur, qui iudicant omnino ſoniturum horribilem clangorē ueluti tubæ regiæ ac bellicæ, cū quo ſit dominus deſcēſurus de cœlo, ac mortuos excitaturus. Huius exemplum olim præceſsit in mōte Sina, cum in illum deſcenderet dn̄s legē populo ſuo laturus, qua de re Exo. 19. ſic legimus: Et ecce cœperūt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem, clangorq; tubę uehemētius perſtrepebat, & timuit populus qui erat in caſtris. Item: Eratq; omnis mons terribilis, & ſonitus tubæ paulatim creſcebat in maius & prolixius tēdebatur. Qualis autem futura ſit uox archāgeli, & uox filij Dei, qua de Ioan. 5. meminit ipſe dn̄s dicens: Venit hora, in qua omnes qui in monumētis ſunt audient uocem filij Dei, & procedent, &c. nō eſt temere ſtatuendum. Veroſimile tamen eſt, ut quemadmodum uox præconis, uox eſt regis, ita uox archangeli mortuos è ſepulcris iuſſu domini euocantis uocetur uox filij Dei.

Non eſt uero ocioſum, quod non ſimpliciter dicit: per tubam, ſed, per extremā tubā. Ergo præceſſuræ ſunt aliæ quædā, quas extrema ſit ſubſequutura, ad quam cogantur ad iudicium omnes & uiui & mortui. Quales autem futurę ſint præcedentes, nō eſt ut pronūciemus. Siue futuræ ſunt angelicæ cœlitus clangētes & aduentū domini prænunciātes, ſiue humanę per miniſteriū ſelectorum quorūdā prophetarum aduentū domini inſtar tubæ pręnunciantium admini-

administrãdæ,id constat ad extremam tubam resurrecturos esse mortuos,& uiuos immutãdos,quemadmodum subiũgitur.

CANET enim, inquit, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur.] In Græco est, σαλπίσει γάρ, quod recte uerteris,clãget enim. Vulgata habet: Canet enim tuba. At tuba non est in Gręco. Satis tamen expressa est in uerbo, clanget. Angelos suos emittet cum tuba dñs. Illi sic clangent tuba cœlesti,ut in toto sint terrarum orbe audiendi. Ad hunc clangorem enim mortui,inquit, resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Sic rationem reddit,quare tubæ mẽtionẽ fecerit. Propterea uidelicet, quod ad clangorem illius omnium penetrantissimum excitabuntur mortui. Non erit uis excitandi mortuos in externo clangore,uerũ adiuncta erit illi potentia spiritus Dei, per quam uiuificabuntur mortui.

Obserua uero quantum sit discriminis inter tubam bellicam terrenorum regum,& hãc cœlestis regis Christi. Illa: Vbi classicum sonat, occidit uiuos. Ista uero, ubi clanxerit,uiuificabit mortuos.

Non dicit autẽ simpliciter: & mortui resurgent,sed,addit,incorruptibiles, & nos,intellige,q uiui erimus adeoq; cũ mortuis resurgere haud poterim⁹,immutabimur, hoc est,ex corruptibilibus & mortalibus incorruptibiles & immortales diuina uirtute reddemur. Sic distinguit inter mortuos & uiuos, illisq; resurrectionem,istis immutationem, utrisq; uero incorruptibilitatem promittit. Per hanc enim utriq; regni Dei & sempiternę felicitatis ac gloriæ simul poterunt esse capaces.

Obseruandum uero est, quod rursus in prima persona loquens, cum dicit,& nos immutabimur,de fidelibus se loqui significat. Nã horum gratia mysterium hoc exponit, quemadmodum & in ea facit quæ prior est ad Thessalonicẽses. Nec facit hoc præter rationem. Ipse siquidem resurrectionis ordo,quem illic exprimit, satis innuit:singulari cura discriminaturũ dominum inter pios & impios,sic ut pios primum uelut à fece impiorum separaturus sit,& in gloriam suam asserturus. Horum igitur rationem habens Apostolus, ne semel quidẽ de impiorum resurrectione meminit, non quod non illi quoq; sint resurrecturi, sed quod satis esse censuit si mysterium hoc probe teneãt fideles, quomodo mortui q in Christo sunt,resurrecturi sint primum, deinde fideles adhuc uiui immutandi subito,& una cum illis in occursum domini in aëra rapiendi. Quare nimis curiosi sunt, qui de reprobis anxie quærunt, qualibus nam illi resurrecturi sint corporibus, similes illis qui,ubi in ædificationem fidelium rectus est & germanus Cęnæ Dominicæ usus tradendus, contentiose disputant de impijs quid illi de mensa Domini accipiant & manducent. Sciat triticum quę sit sors tritici,finem palearum permittat agricolæ. Sciat fidelis quę sit uocatio & spes fidelium,iudicium reprobo

A rum permittat iusto iudici.

OPORTET enim corruptibile hoc, inquit, induere incorruptibilitatẽ,& mortale hoc induere immortalitatẽ.] Pro ratione eius quod nõ simpliciter dixit, Canet tuba & mortui resurgent,sed,& mortui resurgent incorruptibiles,& nos immutabimur, necessitatem ponit dicẽs: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem,&c. Quæ est autem illa necessitas, propter quam hoc fieri oportet? Hanc suprà posuit dicens: Caro & sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt, neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Quod illic carnem & sanguinem, hic corruptibile & mortale uocat, notans carnis nostræ qualitatem,qua mortalis est & corruptibilis,ideoquè regni Dei hæreditati prorsus,nisi mutetur,inconueniens. Cum ergo ad illam electi,prædestinati,& uocati simus,omnino necesse est,ut quicquid in nobis est,quod capax illius esse non potest,auferatur. Mortalitas autem & corruptibilitas carnem nostram occupant, quæ utræque regni Dei felicitatem ac perpetuitatem recipere non possunt. Necesse est igitur,ut à carne nostra auferantur. Auferentur autem non ablatione, qua caro nostra redigatur in nihilum, sed mutatione, qua præstantiorem & regno Dei conuenientem qualitatem sortiatur. Ea est,qua ex mortali immortalis & ex corruptibili incorruptibilis euadat. Quemadmodum enim corruptibilitas &

B mortalitas excludunt è regno Dei, ita incorruptibilitas & immortalitas aptos reddũt regno Dei,si non impediat ira Dei & merita cõdemnatio. Nam alioqui & mali spiritus immortales sunt & incorruptibiles,& tamen regni Dei participes esse non possunt propterea quod sub condemnatione sunt,quæ nũquam est habitura finem.

Quod itaq; dicit Apostolus: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem, necessitatem habet geminam. Prima est æternæ electionis & prædestinationis, quæ irrita fieri non potest, propter quam necesse est, ut caro nostra consors fiat regni Dei. Altera est causa,quam uocant sine qua non. Sine immortalitate & incorruptibilitate fieri non potest, ut caro nostra regnum Dei possideat, quamuis immortalem & incorruptibilem esse per se non reddat illius hæredem ac possessorem. Oportet reddi non modo immortalem quo sempiternæ,sed & cœlestem quo cœlestis uitæ cum angelis Dei cõsortio frui possit. Nõ possumus cum uolucrib⁹ cœli circũuolitare in aëre, propter terrenam corporis nostri molem, prorsus ab auium leuitate & agilitate alienam,& quomodo in cœlestibus cũ angelis Dei uiuemus, nisi quod terrenum, mortale,corruptibile, ac ponderosum est in corpore nostro in qualitatem cœlo,angelis Dei & perpetuę felicitati cõuenientem mutetur?

Obseruandum autem est,quod non simpliciter

citer dicit: oportet autem accipere incorruptibilitatem, ſed, oportet autē corruptibile hoc induere incorruptibilitatem. Cum connotatione dicit: corruptibile hoc, tantum non digito carnem hanc noſtram commonſtrans. Deinde aptiſsime utitur metaphora induendi in qua duo ſunt, unum quod induit, alterū quod induitur. Induens hic eſt corpus noſtrum corruptibilem habēs qualitatem ueluti ueſtem. Induendum, eſt ipſa in corruptibilitas. Mutatio hæc, qua corruptibile induet incorruptibilitatem, continget non ſubſtantię corporis, ſed ueſti. Ponet ueterem ac laceram ueſtem & induet nouam nūquam corrumpendā. Ipſum corpus non eſt inſtar ueteris indumenti ponēdum ac nouo mutandum, ſed noua ac cœleſti incorruptibilitatis ueſte induendum ac ornādum. Quare non eſt, ut alia nos corpora, in die reſurrectionis ſumpturos putemus. Ipſum noſtrum corpus mortale hoc & corruptibile, immortalitate ac incorruptibilitate ueſtietur.

Deinde & illud obiter obſerua. Dixit, & nos immutabimur. Vt autem immutationis huius neceſsitatem exprimat, ſubijcit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Ergo immutari, in hac cauſa, eſt ex mortali & corruptibili fieri immortalem & incorruptibilem. Vtrunque autem ſunt ſpiritus illi mali & condemnationi ſempiternæ obnoxij. Quare non uideo, quare reproborum corpora poſt reſurrectionem ab hac debeam immutatione excludere, qua tam abeſt, ut felices reddantur, ut quo magis erunt immortales & incorruptibiles, hoc futuri ſint magis ſempiterni ſupplicij capaces, & malorum ſpirituum conſortes.

Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem & mortale hoc induerit immortalitatē, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in uictoriā. Vbi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria? Aculeus autem mortis peccatū, potentia uero peccati lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriā, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Hactenus reuelauit Corinthijs myſterium de corporum noſtrorum immutatione, quam ſic neceſſariam eſſe dixit, ut oporteat per illam quod mortale & corruptibile in nobis eſt, induere immortalitatem & incorruptibilitatē. Iam ne hoc ſine ſcripturis dicere uideať, ſubiūgit teſtimonium ex uaticinijs prophetarū dicens: Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem (Sic utraq; particula habetur in Gręco) tūc fiet ſermo qui ſcriptus eſt. Quaſi dicat. Tunc ſcriptura, quæ quod hic dicimus futurum eſſe prædixit, quando corporum noſtrorum mortalitas & corruptibilitas in immortalitatem & incorruptibilitatem muta-

A buntur, ueraciter & prorſus implebitur, atque ita tum erit factum, quod iam eſt ſermo ſcriptus. Quemadmodum enim impleri oportet ſcripturam ita quod futurum eſſe dico, in corporibus noſtris fieri oportet. Conſimili modo & Rom. 11. cum myſterium de futura Iſraëlis conuerſione expoſuiſſet, teſtimonium propheticæ ſcripturę, quam impleri oportet, ſubiecit dicens: Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentū, cum abſtulero peccata eorum. Sic prudens & fidelis Apoſtolus, non contentus authoritate Apoſtolica, adiūgit illi propheticas ſcripturas, ne quid temere de ſuo eccleſię Dei proponere uideať. Et qui ſe apoſtolorum gloriantur eſſe ſucceſſores, ſine ſcripturis loquētibus omnia ſibi credi uolūt.

Quis eſt autē ſermo ille ſcriptus, in futura corporum noſtrorū immutatione implēdus? Abſorpta eſt mors, inquit, in uictoriam. Vbi tuus mors acule⁹? Vbi tua inferne uictoria? Si uerba hæc præciſe & expreſſe quæſieris non inuenies ea, ut poſita ſunt ab Apoſtolo, uſpiā in ſcripturis uno & eodem loco. Prior illius pars uaticinium habens de morte abſorbenda Eſaię cap. 25. ſic habetur, בלע המות לנצח, quæ ſi cum punctis legas, ut habētur in Ebręo, ſenſum hunc habent. Deuorauit mortem in ſempiternum, uel, in uictoriā. Verbum בלע quod deuorare & abſorbere ſignificat, legitur in Ebræo in Piel בִּלַּע, in qua forma ſonat actiue, deuorauit, abſorpſit. Apoſtolus uero legit nō בִּלַּע, id eſt, arbſorpſit, ſed בָּלַּע, id eſt, abſorpta eſt, deuorata eſt. Sic & Germanicus interpres uertit, niſi quod præteritum mutauit in futurum. *Dann der todt wyrt gar verſchlungen werden.* Illud, εἰς νῖκος, id eſt, in uictoriam, in Ebræo eſt לנצח. Significat autem נצח aliquando æternū, aliquando uictoriam & triumphum. Poſteriorem ſenſum amplexus eſt Apoſtolus, ideoque legit: Abſorpta eſt mors in uictoriam. Quanq̈ æque conuenienter poterat legere, in ſempiternum. Sic puto conſtare particulā hanc deſumptam eſſe ex dicto Eſaiæ loco. Quis autē ſit in illa prophetæ ſenſus, expoſuimus in Cōmentarijs noſtris ſuper hunc prophetā. Apoſtoli ſenſus planus eſt. Vbi quod mortale & corruptibile eſt in corporibus noſtris, immortalitate & incorruptibilitate mutabitur, utiq; tum prorſus erit abſorpta mors, ſic ut nihil de illa ſuperfuturum ſit amplius. Donec mortales ſumus & corruptibiles, obtinet adhuc illa in corporibus noſtris. Vbi uero cœperimus eſſe immortales & incorruptibiles, abſorbebitur prorſus in uictoriam. Victoriā mortis intelligit, non qua illa uincat ſed qua uincatur, & abſorbeatur mortalitas à uita 2. Cor. 5. idq; uirtute uiuificantis nos Chriſti. Victoria hæc immortalitas eſt. Perinde enim atq; nocturnę tenebrę per Solis exortum, ita mors per donum immortalitatis abſorbebitur ac uincetur.

Eſa. 25.

B

Obſerua uero, quàm nihil loci relinquatur illis qui carnis reſurrectionem negantes, ſcri-

pturas huiusmodi de morte spirituali exponunt. Mortem sentiunt absorptam esse, quatenus spiritus credentis ab æterna morte & cõdemnatione per mortem Christi liberatus est. Pars hæc est redemptionis nostræ nõ totum. Non modo spiritus nostri sed & carnis redemptor est Christus. Non dicit: Cum iniusticia induit iusticiam, sed: Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, &c. tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam. Manifestum est non loqui Apostolũ de morte spirituali sed corporali, q̃ dono immortalitatis & incorruptibilitatis absorbebit.

Hæc de prima scripturæ huius particula, absorpta est mors in uictoriam, uideamus iã de reliqua. Vbi tuus mors aculeus, inquit? Vbi tua inferne uictoria? Leguntur hæc in Hoseah cap. 13. ubi sic habetur, מיד שאל אפדם ממות אגאלם. אחי דבריך מות אחי קטבך שאל., id est, de manu inferni (sepulcri) liberabo eos, de morte redimam eos. Ero pestis tua mors, ero exterminium tuum inferne. Illud de manu inferni liberabo eos, de morte redimam eos, omisit Apostolus. Deinde uoculã אחי, accepit pro איה. Sonat autem אחי, aliàs אהיה, ero, איה, uero ubi. Nec fecit hoc pręter rationem, & mẽtem prophetę. Nam ille paulo suprà uoculam hanc אחי, posuit pro, איה, id est, ubi. Sic enim dicit: אחי מלכך אפרא, quod & Septuaginta uerterunt ποῦ. Et uulgatus interpres, ubi. Vbi, inquit, est rex tuus nunc. Litera ה, in איה, est accessoria. Alias אי, significat, ubi. Hoc autẽ loco posita quidem est in medio, uerum nihil aliud facit, quàm in uoce איה. Quare præter rationem non est, quod Apostolus legit, non, ero, sed, ubi. Tertio illud דבריך, accepit pro aculeo, & קטבך, pro uictoria. Significat autẽ דָּבָר, causam, דֶּבֶר, uero cum sex punctis, pestem. Septuaginta uerterunt, ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη;, id est, ubi plaga tua mors? Vbi stimulus uel aculeus tuus inferne? At uox קטב, exterminium sonat. Quod דבריך, uertit, aculeus tuus, respexit ad aculeos uenenatorũ animalculorum, qui uim habent mortiferæ pestis. Quod קטב reddidit uictoriam, factum est propter præcedentem particulam, qua mors absorpta dicitur in uictoriam. Et alioqui exterminium quod mors infert, est illi loco uictoriæ. Hæc de præsenti testimonio scripturæ ex Esaiah & Hoseah desumptę puto esse certa, ut non sit causa, propter quã anxie inquiramus, unde nam sit ab Apostolo desumptum. Laborant citra necessitatem, qui totum ex Hoseah desumptum esse censent.

VBI tuus mors, inquit, aculeus? Vbi tua inferne uictoria?] Habet hæc particula propheticam insultationem, qua morti tãquam prorsus deuicto & exterminato hosti insultatur. Nondum illa penitus est deuicta. Quare insultatio ista fidei est in id quod certissime futurũ est prospicientis, deq; illo haud secus quàm si iam sit factum gloriantis & exultãtis. Citat illam Apostolus ad causam quam agit omniũ

A appositissime. Etenim si futurum est, ut mors & corruptio funditus extirpentur, ita ut insultatio hæc locum habere queat, necesse est, ut quod mortale & corruptibile in nobis est, immortalitate & corruptibilitate mutetur.

Vtitur autem propheta prosopopeia, personam tribuens morti, dum illi tanquam deuictæ insultãs dicit: Vbi est mors aculeus tuus? quemadmodum & inferno. Est ista personæ fictio prophetis solennis, pulchre conueniens illis qui singulari futurarum rerum fide ac certitudine sic mouentur, ut de illis haud secus q̃ si iam præsentes sint exultent. Monet nos Apostolus qua debeamus fide corporũ nostrorum resurrectionem & immutationem expectare, imò de exterminio mortis quantumuis adhuc regnantis gloriari. Tam abest scilicet, ut ulla resurrectionis nostrę dubitatio locum in animis nostris habere debeat.

VBI tua inferne uictoria, inquit?] In Ebręo est שאול, quæ uox foueam ac sepulcrum significat, ne quis de infernali gehenna intelligat, quæ nunquam est habitura finem. Accipit hãc uocem Apostolus in præsenti de corruptione corporum nostrorum, quæ perinde atq; mors absorbebitur, & amissa uictoria, qua adhuc de corporibus nostris triumphat, prorsus deuicta iacebit. Et ipsa quidem gehenna debellata est per Christum, uerum non in uniuersum, sed quod electos ac fideles attinet tantum, impijs uero ac reprobis durabit in sempiternũ.

B At mors & corruptio corporum nostrorum penitus tam ab electis quàm à reprobis auferentur & in nihilum redigentur.

ACVLEVS autem mortis peccatũ, inquit, potẽtia uero peccati lex.] Exponit uerba prophetæ, quid sit per aculeum mortis intelligendum. Comparat Satanam bestiæ uenenatę, cuius aculeus est lethalis. Satan inflixit humano generi uirus suum per peccatum, quasi quendam aculeum, atq; ita intulit illi mortem. Sic aculeum mortis, id est, mortiferum aculeum dicit esse peccatum. Mors nõ habet aculeum, sed infertur per aculeum. Per mortem non est peccatum, sed per peccatum est mors. Sic Augustinus lib. 3. de peccat. meritis & remissione cap. 11. Aculeum, inquit, quo mors facta est, nõ quem mors fecit. Peccato enim morimur, nõ morte peccamus. Sic itaq; dictum est, aculeus mortis quomodo lignum uitæ, non quod hominis uita faceret, sed quo hominis uita fieret, & quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis, non quod per suã sciẽtiã fecerit homo. Sic ergo & aculeus mortis, quo mors facta est, nõ quem mors fecerit. Sic enim dicemus & poculũ mortis, quo aliquis mortuus sit uel mori possit, non quod moriẽs mortuus ue confecerit. Hæc ille: Ergo per peccatum est mors.

Cum itaq; morti deuictæ insultat propheta dicens: Vbi est mors aculeus tuus, & mortẽ & peccatum exterminio subijcit, significans deleto primum peccato, tanquam mortifero aculeo,

aculeo,ipsam quoq; mortem interiturā. Quomodo autem mors per peccatum peruenerit in omnes homines,uidere est Rom. 5.unde & mortem uocat finem peccatorum, & peccati stipendium,cap.6.Hanc mortis causam ignorant philosophi. Mortalitatem uident obtinere in omnibus,causam illius non uident.

Illud admonent & alij, loqui hic Apostolū non de peccato,ut uocant, actuali, sed originali,quod latet in carne nostra & regnat in membris nostris, in quo concepti sumus & nati, & lethaliter infecti. Vnde & infantes priusquam aliquid peccati actualis admiserunt, mori uidemus, quod non fieret nisi mortifero essent peccati aculeo in ipso conceptu percussi.

POTENTIA uero peccati lex,inquit.] Exponit unde peccato tantum sit potētiæ, ut instar uenenati aculei pungendo occidat. Vno uerbo tribuit hoc legi, dicens: Potentia uero peccati lex. Primum,quod peccatū illud primorum generis nostri parētum attinet, unde sumus omnes facti mortales, potētia illius ad occidendum fuit lex in paradiso de non edendo ligno scientiæ boni & mali lata.Esus enim illius per se nec peccatum fuisset, nec mortem intulisset, quod utrunq; debetur legi ac legis transgresioni. Non legi simpliciter , sed legi per inobedientiam uiolatæ. Deinde quod peccatum attinet in carne nostra latens, factū est illud adhuc fortius per legem,primum naturæ, quæ naturaliter conscientijs nostris est indita,deinde & literæ,qua de Apostolus Ro. 7.copiose disputat. Hāc in præsenti intelligit, cum dicit:Potentia uero peccati lex. Est autē hæc potentia, quam peccatum sumit ex lege, impropria. Primum,ubi non est lex ibi non est trāsgresio.Deinde,ubi non est lex ibi peccatum est mortuum,ubi uero lex est,ibi peccatum reuiuiscit & fortius insurgit. Sic de lege loquitur loco iam citato. At neutrum propriū est legis opus, sed per accidens & impropriū. Neq; enim per se gignit transgresionem, neq; peccatū corroborat, sed magis prodit, uetat, & damnat. Ipsum uero peccatum pro ingenij sui malicia, unde debebat corrigi inde magis occasionem maioris sibi potentiæ accipit. At ea de re,si cui lubet,Commēt.nostros in epist. ad Romanos consulat.

Videtur autem Apostolus legis mētionem fecisse, illiq; peccati potentiam tribuisse propter Iudæos Mosaicæ legis æmulatores,quorum etiam inter Christianos multi erant, præsertim Hierosolymis ac reliqua Iudæa,sub apostolatu Iacobi ac Petri, sicuti uidere est in Actis cap.21. ubi Iacobus ad Paulum dixit: Vides frater quot millia sunt in Iudęis, qui crediderunt,& omnes æmulatores sunt legis. Obiter igitur uno uerbo admonet, tam abesse, ut lex aculeum mortis auferat,hoc est,peccatum è carne nostra tollat, ut magis illi ad ampliorē potentiam seruiat. Quare necesse esse,ut uictoria contra peccatū & mortē aliunde acquiratur. Atq; ita mox unde illa sit subiungit dicēs.

A

SED Deo gratia,qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum.] Sic quod per legem fieri non potuit, tribuit Christo. Nō autem simpliciter dicit:at uictoria per Christum,sed quoniam omnis illa salutis nostræ & futuræ immortalitatis gratia in hac est uictoria sita, cū affectu gratitudinis, sed Deo, inquit, gratia, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Primū, dicit Deum nobis dedisse uictoriam. Non simpliciter dicit illum uicisse peccatum, mortem & infernum, sed nobis dedisse uictoriam. In uerbo dandi, agnoscit uictoriam hanc esse donum Dei. Loquitur autem in præterito de re nondum in nobis in uniuersum impleta, sed in futuro demum implenda. Qui dedit nobis, inquit, uictoriam. Ergo deuicta sunt peccatū mors & infernus. Atqui peccamus adhuc, & morimur, & corrumpimur. Verum,sed omne peccati dominium & ius quo nos æternę red debat condemnationi obnoxios, extinctum est,ut nihil supersit, nisi reliquiæ quædā quæ tamen nos nec in morte nec in corruptione retinere possunt. Plena uictoria erit, ubi prorsus absorpta erit mors cum suo aculeo. Et ea tam est certa ut iam nobis illam à Deo datam esse dicat.

Deinde non dicit: qui dedit ut uictores euaderemus, sed qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Ergo ille uicit Satanam,peccatum,mortem,& infernū, atq; per hunc nobis hæc est uictoria parta. Vicit autem in cruce ubi chirographum decreti quod contrarium nobis erat de medio sustulit deleuit ac cruci affixit, deque potestatibus inferorum triumphauit & mortem destruxit. Sic uicit mediator noster, uicitq; non sibi sed nobis. Ad hūc modum totum uictoriæ huius opus soli gratiæ Dei quæ est per Christum assignatur. Quare ex animo & merito dicit, Deo sit gratia, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum . Hæc gratiarumactio non potest reddi ex animo, nisi ab illis, qui & agnoscunt, & fatentur, donum esse Dei prorsus gratuitū, quod à peccato sunt & morte liberati, nec esse hic quicquā, quod propriæ suæ iusticiæ meritis posint adscribere, agnoscunt, inquam, mortem deberi peccato, uitam uero & uictoriam mortis solius esse gratiæ Dei per Christum. Hæc est sana & Christiana doctrina, quam nec Iudæi, nec Turci, nec pseudochristiani, sed ueri tantum fideles recipiunt, & gratias agunt Deo, & domino Iesu Christo, unico mediatori ac redemptori.

B

Itaq; fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere domini semper, scientes, q̃d labor uester non est inanis in domino.

Hac paræneſi omnem hanc de resurrectione disputationem sic concludit, ut simul exprimat, quid Corinthijs à prauo eorū colloquio

timuerit, qui resurrectionem mortuorum alij A prorsus negabant, alij in dubium uocabãt. Timebat uidelicet, ne si illis aures præberẽt redderentur in fide Christi instabiles, & in opere domini remissi ac desides, propterea quod cogitarent, ergo uanum est quicquid propter Christum uel fecerimus uel passi fuerimus, quandoquidem mortui non resurgent. Vt igitur ei periculo occurreret, finalem hanc parænesim attemperauit ad hunc modũ. Itaq; fratres mei dilecti stabiles sitis, &c. Quasi dicat. Cum itaq; certo sit futurum, ut resurgant mortui in die domini, nosq; qui tum superstites erimus immutemur, hoc est, immortales & incorruptibiles & peccato & morte deuictis reddamur, sitq; ea nobis uictoria per Christũ iã parta & à Deo patre dono gratuito omniũ certissime data, etiam atq; etiã cauete, ne prauis sermonibus eorum, qui resurrectionẽ mortuorum negant, seducti, tam insigni hac gratia uosipsi priuetis, quod facturi estis, si de illa dubitantes instabiles, immobiles ac desertores operis domini facti fueritis. Quare curate potius, ut sitis stabiles, immobiles abundantes in opere domini semper, &c.

ITAQVE fratres mei dilecti, inquit.] Obserua affectum fraternæ charitatis, cuius emphasis est nõ modo in persona Apostoli, sed & in qualitate eorũ quibus scribit. Carnales adhuc erant ac multis nominibus culpabiles. Et tamen haud dedignatur eos diligere & habere pro fratribus, qui uix idonei erant, ut essent discipuli.

STABILES, inquit, sitis, immobiles.] Cogitemus hic, quàm non sit satis ab errore uenire ad cognitionem ueritatis, participemq; fieri cœlestis gratiæ, nisi in ueritate & gratia Dei firmi persistamus. Natura sumus instabiles, præsertim in bono. Quare crebris est adhortationibus opus, ut in bono ad finem usq; perseueremus. Nisi enim perseuerauerimus salui fieri non poterimus. Imò, si defecerimus, peiora erunt posteriora prioribus. Multo nanq; melius est nõ cognoscere uiã iusticiæ quàm post illius cognitionem retro à sancto proposito auerti. Quare Apostolus non minore cura ad perseuerantiam hortatus est fideles, quàm ad gratiam Christi uocauit infideles.

2. Pet. 2.

STABILES, inqt, estote.] In Gręco est, ἑδραῖοι γίνεσθε. Sonat autem ἕδρα Græcis firmam basim ac fundamentum unde est ἑδραῖος fundatus. Requirit ergo non simplicem ac uulgarem stabilitatem, sed qualem habent bases ac fundamẽta. Nec immerito. Est enim ueritas Christianę fidei omnium in se firmissima, instar petrę cõtra quam ne portæ inferorum quidem quicq̃ poterũt. In illa firmi esse possunt fideles, quod in mendacio fieri non potest.

IMMOBILES, inquit.] Græcè est, ἀμετακίνητοι. Est autem ἀμετακίνητος non simpliciter immobilis, sed is, qui de loco in quo est in alium, uel de sententia quam tenet in aliam transmoueri non potest. Tales autem sunt ἑδραῖοι homines in sententia sua firmiter fundatĩ. Et in hũc finem hortatur eos ut sint in fide fundati ac firmi, ne uidelicet instar harũdinis in aliam atq; aliam sententiam ad quemuis seductionis uẽtum transmoueri se sinant. Quicquid leue est, ac superficiei tantũ inhæret, ἀμετακίνητον esse nõ potest. Quæ fundo innituntur, haud facile cuiuis uento cedunt. Vtinam eiusmodi stabilitatem ostendant in fide ac ueritate Dei, qui de uerbo & Euangelio Dei gloriantur.

ABVNDANTES, inquit, in opere domini semper.] Ergo non hoc tantũ requirit, ut sint in fide stabiles & immobiles, sed & ut in opere domini semper sint abundantes. Vocat autem opus domini, nõ quod ipse dominus per uerbum & spiritum suum in ipsis cœperat, & ministerio Apostolico perficiebat de quo capite sequenti loquitur cum dicit: Quod si uenerit Timotheus, uidete, ut absq; metu sit apud uos, opus enim domini operatur, quemadmodum & ego. Laborabat enim & ipse in Euangelio Dei, quẽ laborẽ uocat opus domini, sed uocat hic opus domini opus charitatis mutuæ, quo frater fratri ac fideli & tribuẽdo quæ necessaria erant, & consolando adhortandoq; seruiebat. Idem epistola sequenti capite nono sic exprimit: Vt abundetis in omne opus bonum. Loquitur autem ibi de eleemosyna quæ facienda erat in pauperes.

Non est uero ociosum, quod opus Christianæ charitatis uocat opus domini. Præterquã B enim quod fit ex spiritu domini, etiam hoc nomine recte uocatur opus domini, quod in mẽbra domini confertur, adeoq; ipsi domino impenditur. Sic enim dicturus est in nouissimo die: Quicquid fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis Matthæi 25. Sic cohonestat opera pietatis & misericordiæ, uocans ea, opera domini. Quemadmodum enim si uolens absterrere fideles ab odio fratrum & malefaciendi studio, uoces illud opus diaboli, sic Apostolus fraternam charitatem & studium beneficentiæ mutuæ opus domini ad hoc uocat, ut animos nostros respectu domini ad quęuis bona opera plus aliquanto accendat.

Vide autem quid à fidelibus in hoc opere domini requirat. Non simpliciter dicit: operãtes opus domini, sed, abundantes in opere domini semper. Vulgata habet, in omni, hoc est, in quouis, opere domini. Requirit ergo non simpliciter, ut quod bonum est qualitercunq; & semel atq; iterum operemur, sed ut in opere domini copiose ac largiter deinde indesinẽter laboremus. Qui non ex fide sed ne non religiosi ac pij uideantur aliquid boni operis faciunt, faciunt hoc primum non larga manu & abundanter, sed parce ac tenuiter, utcunq; & perfunctorie, deinde non semper ac indesinẽter, sed semel atq; iterũ, & postea cessant. Duabus hisce notis iudicare poteris de bonis illorum operibus, qui nõ ex fide & corde integro quod bonum est faciunt, sed uel ad ostentationem, uel ad cauendum ne habeantur pro minus

nus Christianis. Quare cum timeret Apostolus ne Corinthij de futura resurrectione dubitantes parcius ac rarius quod bonum est facerent, quemadmodum eos hortatur, ut in fide sint stabiles & immobiles, ita hortatur etiam, ut abundantes sint in opere domini semper, significans eos qui nihil prorsus de futura resurrectione ac uita dubitant, haud parce & incõstanter sed abundanter ac iugiter in opere domini uersari.

Non est autem eò rapiendum, quod dicit, abundantes, quasi requirat, ut fideles plura faciant in opere domini quàm debeant sitq; locus supererogationi, quam doctores meritorum & nundinatores indulgentiarum comminiscuntur. Simpliciter requirit, ut copiose non parce laborent in opere domini, sicut in epistola sequenti cap.9.hortatur. Abundare in opere domini, est uel respectu aliorum qui minus operantur exuberare, quo sensu usus est hac uoce Christus Matth.5. dicens: Nisi abundauerit iusticia uestra plus quàm scribarũ & pharisęorum, uel de die in diem crescere in studio benefaciendi, quemadmodum fideles numero indies abundasse Act.16.legũtur, uel simpliciter non tenuiter & parce, sed copiose ac largiter, sicuti solent qui quod faciunt faciunt ex animo, bonis operibus studere. Abundantia quæ iustum ac debitum beneficentiæ modum excedat, in Christiana pietate locum nõ habet, in qua synceritas cordis totum sese in usus proximi effundentis, & dilectionis perfectio requiritur, qua & inimicos diligamus, & animas nostras pro fratribus, si ita necesse sit, tradere non dubitemus.

SCIENTES, inquit, quod labor uester nõ est inanis in domino.] Magnæ emphasis est hęc particula. Triplex est labor fidelium in domino. Primus ministrorum Euangelij. Secundus ac tertius fidelibus omnibus & ministris communis. Primus in prædicatione Euãgelij, secundus in charitate fraterna. Tertius in seruanda fidei integritate & Christianæ uitæ sanctimonia. Nec primus, nec secũdus nec tertius est inanis. Inanis est labor, ubi frustra laborat. Frustra laborare, est laboris finem nõ assequi, uel in eo laborare, unde nullus potest prouenire laboris fructus. Labor ministrorum & fidelium in domino, inanis esse non potest, non laborantiũ merito, aut laboris respectu, sed propter bonitatem ac ueritaté domini, qui labores suorũ contemnere ac frustrare non potest. Quare locum hic non habent, qui fiduciá operum ac laborum docẽt in ecclesia. Quod labor noster inanis non est, domino adscribit Apostolus non nobis. Ideo non simpliciter dicit: quod labor uester non est inanis, sed addit, in domino. Nec cuilibet labori, sed labori, qui sit in domino, hoc est, in causa ueritate ac spiritu domini fact⁹, nec in nobis sed in domino, hoc est, in gratia & uirtute domini, hoc tribuitur, quod non sit inanis. Nihil igitur tribuitur ab Apostolo laboribus nostris, quod non totum pẽdeat à gratia & uirtute domini. Quod nos attinet, inania sunt q̃ molimur omnia. Quid enim aliud præstiterit homo qui uanitas uanitatum uocatur à propheta? Quod uero bonitatem, gratiam, & uirtutem domini attinet, non est labor noster in ipso inanis.

Obserua uero quod non simpliciter dicit: quoniam fieri potest, ut nõ sit labor uester inanis in domino, sed, scientes quod nõ sit labor uester inanis in domino. Verbum sciendi opponit diffidentiæ ac dubitationi. Qui hæsitat, fluctuat inconstans, nec firmo gradu in opere bono pergit. Qui uero scit se non in uanũ operari, constanter in bono opere perseuerat.

Ergó ne Apostolus respectu fructus, ex bonis operibus prouenturi, animos Corinthiorum ad bene operandum incitat? Cum dicit: scientes quod non sit labor uester inanis in domino. Respondeo. Generalis hic est laborantium omnium scopus, ut sperent se non laborare inaniter, ut quid enim facias quod scias esse inane? Verum alius atq; alius est laborum nostrorum fructus. Alius laboranti, alius illis propter quos laboratur cedit. Si sciam laborẽ meum in usus uel gloriæ Dei, uel proximi, uel meæ ipsius salutis cedere posse, cur non inde reddar in illo alacrior, quàm si dubitem ac fluctuem? Quis seruus, imò quis filius, non plurimum inde ad iustam obedientiam permouetur, si sciat se hero uel patri uolũtati ipsius obtemperãdo, posse gratificari? Cum diceret hic Apostolus: Scio cui credidi & certus sum, q̃d potens sit depositum meum seruare in illum diem, 2. Timot. 1. Et illud capite ultimo eiusdem epistolæ: Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui, quod reliquũ est, reposita est mihi corona iusticię, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex, nõ est ut iusticiarius ac mercenarius Apostolus loquutus, sed non modo laborum suorum solatium exprimere, sed & Timotheum suum & alios Christi ministros in opere domini, sicut hic Corinthios, animare uoluit.

CAPVT XVI.



Aeterum de collatione in sanctos, quemadmodum ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite. In una sabbatorum unusquisq; uestrũ apud se seponat, recondens quicquid commodum fuerit ne cum uenero, tunc collationes fiant.

Hactenus Apostolus mala in ecclesia Corinthiorum in moribus uitæ in ritibus sacris, in donis spiritus, & fide resurrectionis mortuorum pullulantia diligenti correctione amolitus, iam consequẽter ad opus fraternę charitatis dirigendum progreditur dicens: Cæterum de collatione in sanctos quemadmodum ordinaui

dinaui ecclesijs Galatię, ita & uos facite. Quã-uis multis ecclesia illa uicijs laborabat, nõ contentus tamen illorum repræhensione & correctione adhortationem annectit, qua fideles illius ad opera Christianæ dilectionis rite prosequenda dirigat.

Loquitur autem de sanctis ecclesiæ Christi quæ erat in Iudæah. Hi potissimum opus habebant subsidio ecclesiarum, quæ erant inter Gentes, partim propter insignem illam famẽ, quam propheta Agabus futuram prædixerat, quæ & sub Claudio imperatore euenit, sicut Actorum undecimo legimus, partim propter grauissimas persequutiones, quibus à sua gẽte affligebantur, quarum meminit hic Apostolus 1. Thess. 2. dicens: Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quia eadem passi estis & uos à contribulibus uestris sicut & ipsi à Iudæis, &c. Quare & apostoli Iacobus, Cephas & Iohannes, Paulo & Barnabæ, cum cõstituerent, ut illi inter Gentes Christum annunciarent, iniunxerũt ut memores essent pauperũ, quod etiam diligenter fecerunt, sicut ipse Paulus Gal. 2. meminit, & hoc præsenti loco uidere licet, quemadmodum & in ea quæ ad Romanos est capite 15.

CAETERVM, inquit, de collatione.] Grecè est, περὶ δὲ τῆς λογίας, λογίαν posuit pro συλλογῆ, uocem simplicem pro composita. Sonat collectionem, quam aliàs uocãt collectam, συλλέγειν, quippe colligere significat. Vsus est Apostolus hac uoce tantum hoc loco. Ad Romanos cap. 15. κοινωνίαν, id est, communicationẽ uocat, quã hic uocat collectionem. Colligebantur tributa fidelium, quæ communicarentur fratribus egenis in Iudæah. Quare illa hic collectam, illic communicationem uocauit. Colligunt & sacrificuli in missis suis, retinẽtq; ipsum adhuc collectę nomen, uerum collecta ipsorum non potest uocari cõmunicatio, quia in priuatos ipsorum non in communes egentium fratrũ usus cõuertitur. Quemadmodũ igitur fractionem panis habent in missis suis sine cõmunicatione, ita & collectas habent à cõmunicatione alienas. In epist. sequenti cap. 9. ubi de eadem hac causa secũdo scribit, quam hic uocat λογίαν uocat εὐλογίαν, ubi Eras. uertit, bonam collationẽ cum aliàs sonat benedictionem, uerũ de ea uoce illic, uolente domino dicemus.

Ergo subsidiũ quo leuatur inopia egẽtium fratrum, uocat Apostolus λογίαν, εὐλογίαν, & κοινωνίαν, collectionem uidelicet, benedictionem, & communicationem. Collectionis uoce etiã Germani utimur, dũ eleemosynã in usus pauperum collectam uocamus, *samlung*. Quemadmodũ enim fructus feracis agri tempore messis colliguntur, ita in ecclesia, ueluti feracium arborum agro, colligitur à fidelibus eleemosyna, qua sustententur egeni.

Agrum hũc ecclesiasticorũ fructuũ ingressi sunt collectores monachorum mendicantiũ, hominum ociosorum, subsidia uerorum pauperum interuertentium, deinde & stationarij, & quæstionarij, & indulgentiarij, &c. qui omnes deuotione, ut uocãt, simplicium Christianorum in quæstum suum ad saginandos ociosos uentres hactenus sunt abusi utinã uel nũc tandem uere Christianæ collectæ per fraternę charitatis spiritũ post tot imposturas luce uerbi Dei proditas in ecclesijs obtineant. Habeãt ueri pauperes suos collectores, homines pios ac fideles, qui sciant se seruiendo pauperibus Christi ipsi seruire Christo. Ad hanc collectionem requiritur à Christianis, ut dent largiter cũ benedictione, ut quod quisq; dat uere possit uocari benedictio, qua de re in epist. sequẽti diligenter admonemur. A collectoribus uero requiritur ut quod ex liberali fidelium charitate collegerunt, fideliter & competenter egenis fratribus secundum cuiusq; necessitatẽ distribuant, ut sit non solum larga fidelium benedictio, & sedula collectio, sed & fidelis distributio, & fraterna communicatio.

DE collatione, inquit, in sanctos.] Colligit in sanctos & diabolus, uerum nõ subsidia sed uim aduersariam, ecclesiam uidelicet malignãtium. Colligimus in hostem copias militum. At hoc loco colligere in sanctos, est colligere subsidium in usus sanctorũ, quod perinde est ac si te dicas æstate colligere in hyemẽ, & parentes colligere in liberos.

Obserua uero, quales habeat ecclesia sanctos. Tales uidelicet, in quos possint, imò necesse sit, corporalia uitę huius colligi subsidia. Hoc genus sanctorum, pauperum esurientiũ, sitientium, nudorum, infirmorum, exulum, & captiuorum non agnoscit papatus, in quo nõ habentur sancti, nisi canonizati diui, quibus nullus est collectæ subsidiariæ usus. At ueris sanctis neglectis, in diuos colligunt opes regias. Et interim accusant nos quod contemnamus sanctos, propterea quod Deum colimus non diuos, & in ueros sanctos non diuos colligimus. Quod autẽ pauperes uocat sanctos, cum posset dicere: De collectione in pauperes, ad hoc facit, ut commendet illis pauperũ fidelium necessitates, reddatq; illos ad conferendum propensiores, dum admonet, nõ esse contemnendos pauperes Christi, qui licet iuxta sæculum egestate premantur, & propter egestatem, quæ ridiculos solet homines reddere in hoc sæculo, contemptibiles appareãt, propter gratiam tamẽ cœlestis uocationis sint uere sancti & in precio habendi. Paupertas non reddit sanctum. Inuenias passim pauperes impios & prophanos. Verum si fideles sint pauperes, Christianæ fuerit mentis respicere in illis non quid appareant in sęculo, sed quid sint in regno Dei, ideoq; uocare eos non pauperes cum sæculo, sed sanctos cum Apostolo.

QVEMADMODVM ordinaui, inquit, ecclesijs Galatiæ ita & uos facite.] Non solum docuit quid sit faciendum fidelibus in operibus charitatis, sed & ordinem faciendorũ præscripsit. Non dicit: Collectas in sanctos facite, sed,

ſed, de collectione aũt in ſanctos, quẽadmodũ ordinaui eccleſijs Galatię, ita & uos facite. Eſt igitur apoſtolici uiri nõ ſolũ facienda docere, ſed & modos & ordinẽ faciendorũ conſtituere, quo quæ facienda ſunt, rite, cõpetenter & utiliter fiant. Ipſius quidẽ domini eſt leges ſtatuere faciendorũ, quas miniſtri & interpretes ipſius proponant eccleſiæ. Verũ ut illæ decenter & ordine ſeruentur, miniſtrorũ eſt ordinare, ſicut hic in Apoſtolo uidemus. Præceptum domini eſt, nõ Apoſtoli, ut nos inuicem diligamus, & hoc facientes inuenimur diſcipuli nõ Apoſtoli, ſed ipſius domini, ut uero charitas iſta in certis caſibus cõpetenter exerceatur, ad officium pertinet Apoſtoli ac miniſtri Chriſti, ut plebi fidelium uias & modos faciendorum ordinet ac diſponat. Neq; enim ſatis eſt homini Chriſtiano, ſi bonis operib⁹ ſtudeat, niſi qđ faciendũ eſt rite & utiliter, ſecundũ circũſtantias temporũ, locorũ, perſonarũ & cauſarũ faciat, ad quam rem prudens Chriſti miniſter eccleſiæ diſponendo & ordinando ſubſeruiet.

QVEMADMODVM ordinaui, inquit, eccleſijs Galatiæ.] De Galatia ſi quid dicendũ eſt, uidebiť in epiſtola quã ad Galatas ſcripſit, ſi ꝑ gratiã dñi ad explicationẽ illius ꝑuenerimus.

Quæſtiones duæ.

ITA & uos facite, inqt.] Duo ſunt hic quęrenda. Primum, quare eccleſiarũ Galatiæ mẽtionem facere, & non ſimpliciter rem ipſam, de qua mox ſubiuncturus eſt, proponere uoluerit. Alterum, quare non hac de re diſpoſuerit, cum eſſet præſens apud Corinthios.

1 Ad primum facilis eſt reſponſio. Galatarũ mẽtionem facere uoluit, ne ipſis noui aliquid ordinare uideretur, & ut ſimul exemplo illorũ quaſi quodam ſtimulo, ad obtemperandũ inducerenť. 2 Ad alterũ exiſtimamus reſpondendum eſſe ad hunc modum. Apparet in dubio eſſe an cum apud Corinthios eſſet, collectam hanc in eccleſia illorum inſtituerit, de cuius hic modo & ordine præſcribit. Si non inſtituit præſens, parcebat illis, tanquam adhuc in fide recẽtibus, & ſimul cauebat ne ſuſpicionẽ quæſtus incurreret, & maleuolis cauſam obtrectandi obijceret. Si uero inſtituerat, ſimpliciter ut occaſio tulerat, nullo dum certo ordine præſcripto quæ dabãtur collegerat. Poſtea uero, cũ iam eſſent paulò in fide maturiores, communem eccleſiæ ordinem præſcripſit, cuius initio non ita fuiſſent tolerãtes. Vtrum fecerit, dubio procul ſingulari & uere Apoſtolica prudentia fecit.

IN una ſabbatorum, inquit, unuſquiſq; ueſtrum apud ſe ſeponat, &c.] Hoc erat ſcilicet, quod eccleſijs Galatiæ ordinauerat, & ab ea quoq; quę Corinthi erat fieri uolebat. Summa eſt. Nolebat collationem in ſuum uſq; aduentum differri, ſed expediri priuſquam ad ipſos ueniret. Deinde modum tradit, quomodo id commode fieri poſsit.

Principio, quibus ordinẽ hunc præſcribat, in eo exprimit, quod dicit: unuſquiſq; ueſtrũ. Veſtrũ, inquit, id eſt, qui Chriſtiani eſtis, & fidẽ A in Chriſtum profitentes ad eccleſiã illius pertinetis, ueſtrum, inq̃, unuſquiſq;. Ergo in genere Chriſtianis omnibus qui erãt in eccleſia Corinthiorum præſcribit quæ hic ordinat.

Quæſtio.

At eleemoſyna cum ſit libera, uidetur non eſſe communis cuiuſdam pręſcripti capax, ſed uniuſcuiuſq; relinquenda uoluntati. Hilarem enim datorem diligit Deus, qui det non ex cõſtituto, ſed ex libera beneuolentia.

Reſpondeo. Chriſtianæ charitatis ſunt quę ordinat hic Apoſtolus. Lex aũt charitatis Chriſtianos conſtringit cõmuniter omnes. Quare præter rationem non eſt, quod de illa cõmuniter omnibus ac ſingulis præſcribit. Hoc enim faciens accommodat ſe legi Chriſti. Et tamen neminem cogit inuitum, nec cuiquam onus impoſsibile imponit, licet à ſingulis fructum ueræ & Chriſtianæ charitatis requirat.

Duo ſunt aũt genera ſubſidiorum, quibus pauperum in eccleſia neceſsitatibus ſubueniť. Vnum eſt eccleſiaſticũ, alterũ cuiuſq; priuatũ. De eccleſiaſtico loquitur hoc loco. Hoc cõmunẽ omniũ & ſingulorũ cõtributionẽ requirit, & opus habet cõmuni præſcripto & ordine. Alterũ arbitrariũ eſt, & in cuiuſq; uoluntate ſitũ, quid, quantũ, cui, quomodo & quãdo dare uoluerit. Quare cum 1. Tim. 6. de diuitibus moneret, dicens: His qui diuites ſunt in præſenti ſæculo pręcipe, &c. nullum certũ cõtributionis ordinẽ præſcripſit, ſed in genere dixit: ut benefaciãt, ut diuites ſint operib⁹ bonis, ut faciles ſint ad impartiendũ, libẽter cõmunicantes, &c. B Cum igitur eccleſiaſtica & publica collecta in omnibus debeat eccleſijs fieri, quo pauperũ fidelium ſuſtentatio nõ à priuata paucorũ cõtributione pendeat, haud probare quarundam poſſumus eccleſiarũ negligentiam, in quib⁹ & nulla eſt eccleſiaſtica collecta, & pauciſsimi ſunt qui priuata beneficentia pauperibus ſuccurrant. Etſi de ſtipendijs mortuorum certis temporibus aliquid in turbã pauperum erogatur, nõ poteſt hoc tamen uiuentium liberalitati adſcribi. Deniq;, etiamſi de publico aliquid ſubinde datur, nequit tamen eiuſmodi eleemoſyna pro fructu charitatis haberi, qui à ſingulis in eccleſia ferať. Non tam requirit hoc loco Apoſtolus publicam aliquam ſummam, quàm ſingulorum fidelium collectionem, notanter dicens: Vnuſquiſq; ueſtrum. Inuenias in nonnullis Euangelicis eccleſijs quàmplurimos, qui totius anni decurſu ne obolum quidem in uſus pauperum Chriſti expendant, quibus magnopere neceſſarius eſſet hic ordo, quem Apoſtolus præſcribit. Sane ſic conueniebat inſtitutas eſſe eccleſias, ut diſcerent omnes ac ſinguli fideles bonis operibus præeſſe ad neceſſarios uſus, ne eſſent infrugiferi. Tit. 3. In Papatu dandum eſt ſingulis, uerum quæ dantur, nõ cedunt neceſsitatibus pauperum, ſed libidini uoluptuariorum.

VNVSQVISQVE ueſtrum, inquit, apud ſe ſeponat recõdens quicquid cõmodũ fuerit.] Duo dicit. Primũ, quid quiſq; facere: alterum,

quantũ ſeponere debeat. Ad primũ pertinet, quod dicit,apud ſe ſeponat.Nõ dicit, apud paſtorẽ,doctorẽ,diaconum,hunc uel illum, ſed, apud ſe reponat.Reponere apud ſe,eſt aliquid à reliquo uſu priuato & domeſtico eximere, & in uſus ſanctorum cõferendum ſeorſim reponere & aſſeruare.Vnde quod in Græco ſimpliciter eſt παρ᾽ ἑαυτῷ τιθέτω,id eſt, apud ſe ponat. Eraſmus uertit,apud ſe ſeponat. Sic ordinaſſe uidetur ad hoc,ut & omnis defraudationis ac ſubtractionis ſuſpicio uitaretur,& ſimul pudori tenuiorum conſuleretur,ne modica conferentes erubeſcerent, ſi illa ſingulis cogerentur ſeptimanis in manus aliorum reponere.

Ad alterum referendum eſt quod addit, recondens quicquid commodum fuerit. In Græco eſt,θησαυρίζων.Significat autem θησαυρίζειν non ſimpliciter colligere ac recondere,ſed copiam quandã in futuros uſus ac tẽpus longinquum accumulare.Quod ſic accumulatur,theſaurus uocat̃. Mira aũt eſt Apoſtoli philoſophia,cui proprijs bonis adimere,& in alienos uſus reponere,theſaurum eſt colligere. Sane cõmuni ſenſu non theſaurizat, qui de bonis ſuis tollit quod ſuis uſibus adimat, & alienis deputet, ſed qui undecunq; acquiſita ſibi ac ſuis in futurum recondit. At Apoſtolo erogare in ſanctos,eſt theſaurizare.Hoc genus theſaurizandi depauperationi putatur eſſe confine. Verũ non eſt aliud quod ſit ad ueram opulentiã cõparandam cõpendioſius ac certius. Sic uſurpauit hanc theſaurizandi uocem, & Chriſtus Lucæ 12.& 18.ubi de bonorũ in pauperes erogatione loquit̃.Et Apoſtolus 1.Tim.6.cum dixiſſet: ut faciles ſint ad impartiendum, libenter cõmunicantes adiecit ἀποθησαυρίζοντας ſibijpſis fundamentũ bonum in poſterũ,ut appræhendant uitam æternã.Vbi appoſitiſsime uſus eſt hac uoce ἀποθησαυρίζοντας:ſignificat enim ἀποθησαυρίζειν de ijs q̃ quotidiano uſu abſumimus ſubinde aliquid ſeponere, & in futuros uſus theſauri loco recõdere.Multa inſumunt huius ſæculi diuites, quæ ipſo uſu, imò ſæpius abuſu intereunt,& ea deniq;, quæ poſt mortẽ relinquunt hæredibus ſaluti ipſorũ nihil commodant.Monet igitur Apoſtolus ut ſtudio impartiendi & cõmunicandi pauperibus indeſinenter de bonis ſuis alioqui perituris aliquid ſeruent,& in theſaurũ colligant,quo poſt hãc uitam fruant̃. Hoc idem & in præſenti monens dicit: Vnuſquiſq; ueſtrũ apud ſe ſeponat theſaurizans. Cum autẽ addit quicquid cõmodum fuerit, cauet ne cuiq̃ præſcribat, quantũ in uſus ſanctorum reponere debeat. Hic enim nihil certi poteſt ſtatui. Quare conſultiſsime hoc uniuſcuiuſq; & facultati & commoditati permittit dicens, quicquid commodum fuerit.Eſt autẽ in Græco,ὅτι ἂν εὐοδῶται.Valla uertendum putat,quod facile ſit, uel, quod leue ſit, aut,quod bene cedat.Eraſmus uertit: quicq̃d cõmodum fuerit. Vulgata ęditio habet,quod ei bene placuerit, quaſi ſit εὐδοκῆται. Germanic⁹ interpres reddidit, *was im leidlich iſt*. Sunt nonnulli qui uertendũ cenſeant, quod ſucceſſerit. Sane εὐοδοῦσθαι proſpere ſuccedere ſignificat.Verum nõ eſt in Græco,ὡς ἂν εὐοδῶται, id eſt, quatenus ſucceſſerit,prout cuiq; benedixerit Deus, ſecundum facultatũ uel copiam uel tenuitatẽ, ſed ὅτι ἂν εὐοδῶται,id eſt, quicquid ſucceſſerit.Germanice melius reddi poteſt ad hũc modũ: *was im nitt ybel kompt*.i.quicq̃d nõ fuerit moleſtũ ſed cõmodũ,ut idẽ ſit cũ eo quod Eraſmus uertit.

Mira Apoſtoli philoſophia.

Quomodocunq; legamus, manifeſtũ eſt cauere Apoſtolum,ne dum ab omnibus ac ſingulis requirit, ut apud ſeipſos reponant aliquid in uſus ſanctorũ, quenq̃ ex illis uel nimia uel coacta contributione grauare uideat̃. Sicut igitur in epiſt.ſequenti cap.8.dicit: nõ ut alijs ſit relaxatio,uobis autẽ anguſtia, ita & hoc loco nõ imponit illis tantã contributionem, unde quiſquã grauet̃,ſed permittit unicuiq; liberũ, ut tantum det quantũ ſine ſuo incõmodo dare poterit. Vtinam hęc duo manſiſſent in eccleſia,unum, ut quiſq; fidelium aliquid repoſuiſſet in uſus pauperũ, alterum ut cõtributionis huius quantitas unicuiuſq; fuiſſet facultati &cõmoditati libere permiſſa.Nihil prorſus in pauperum conferre ſubſidia, ſterilis eſt & infrugiferi Chriſtiani. Quare ſatagendum eſt ſingulis, ut contribuendo tanq̃ fructificando declarent ſe arbores eſſe in domo domini non ſteriles,ſed frugiferas. Quantum quiſq; conferat,nulla lege præſcribitur. Neq; arborum fructiferarum eadem eſt fertilitatis copia. Satis eſt unicuiq;,ad euadendum ſterilitatis culpã, ſi non ſit prorſus ἄκαρπος. Conſimili modo in eccleſia nemo de quanto cenſetur,ſed ij tantũ ſteriles habentur, qui prorſus nihil ad alimoniam pauperum conferunt.

Ad hunc collectionis ordinem pertinet & illud, q͛d dicit:in una ſabbati,ſicut habet uulgata æditio.Sic tẽpus quoq; pręſcribit,in quo debeat quiſq; penes ſe aliquid in uſus ſanctorũ reponere.Gręcè eſt κατὰ μίαν σαββάτων, id eſt,ꝑ unã ſabbatorũ.Chryſoſt.habet in ſingulari σαββάτου,id eſt,ſabbati.In hiſtoria reſurrectionis dominicæ nota eſt hæc loquutio,in qua una ſabbati more Ebræo pro prima eſt ſabbati poſita. Vocula nanq; אחד Ebræis ſępenumero ꝓ primo accipit̃, qua de re in Geneſi annotauimus cap.1.ibi. Et factũ eſt ueſpere & mane dies unus. Sic una ſabbati prima eſt poſt ſabbatum dies in ſeptimana,quæ nobis eſt dominica,ꝓpterea quod in ea domin⁹ à mortuis ſurrexit.

Si hũc ſenſum hoc quoq; loco acceperimus, quærendum uidet̃, quare uoluerit Apoſtolus, ut die dominica quiſq; ſeponeret aliq̃d apud ſemetipſum, in uſus ſanctorũ. Chryſoſt. dicit hoc eſſe propterea factũ, quod is dies plurimũ habeat incitamẽti ad cõtribuendũ egenis fratribus cum propter dñicæ reſurrectionis memoriam, tum propter myſteria Chriſti, quæ in cœtu ſacro dominicis diebus diſpenſantur, deniq; propter quietem, qua in illis fideles à laboribus ſuis feriantes aptiores reddũtur ad ueræ pietatis & charitatis exercitia.

Quæſtio.

Sunt

Sunt qui respectu forsan eius quod legitur uelut in plurali, in una sabbatorum, exponant ad hunc modum: Quisque uestrum per aliquã diem ex sabbatis, quam ipse uoluerit, aliquid apud se reponat, &c. quasi κατὰ μίαν σαββάτων idẽ sit quod per unum ex sabbatis, & non positũ sit pro prima sabbati. Verum utut accipiamus manet hæc quæstio, quare ad hoc ut quisque apud se reponeret aliquid in usus sanctorum, uel unum ex sabbatis uel diem dominicũ deputare uoluerit Apostolus, cum posset id quouis die fieri. Si requirere uoluisset, ut quisque in cœtum sacrum eleemosynam suam adferret, ibique illam fidei diaconorum concrederet, sane ad id instituti cõmodior cæteris fuisset dies dominicus propter cõuentus sacros. At cum dixerit, unusquisque uestrum apud se reponat recondens quicquid commodũ fuerit, apparet nulla ratione hunc esse ab illo diẽ ad id instituti designatũ. Hoc uero sentire de Apostolo admodum censemus esse temerarium. Quare, ut quid mihi hic cogitari posse uideatur, alijs proponam, puto illud in Græco, παρ᾽ ἑαυτῷ τιθέτω, non esse positum pro, apud se seponat, sed hoc sensu. In una sabbatorum quisque uestrum suapte sponte ponat, intellige, in cœtu sacro, thesaurizans, hoc est, in thesaurum qui colligendus est, conferens, quicquid commodum fuerit. Huic sensui pulchre conuenit dominicæ diei deputatio, deinde & illud qđ sequitur, ne cum uenero tunc collationes fiat. Etenim hoc dicens satis indicat uelle se, ut die bus dominicis in cœtu sacro fiant collectæ, priusquam ad ipsos ueniat, cui proposito non satisfecisset, si quisque apud se domi aliquid in futuram contributionem reposuisset. Eiusmodi nanque reposita tum demum colligenda fuissent, cum ipse ad eos uenisset, id quod uitari uolebat. Hæc cogitari possunt hoc loco, uerum an firma sint, aliorum esto iudicium.

NE cum uenero, inquit, tunc collectiones fiant.] Quare collectiones tum demum cum ad eos uenisset fieri noluerit, in epistola sequẽti uidere licet, ubi cap. 9. sic scribit: Misi tamen hos fratres, ne gloria nostra, qua glorior de uobis, inanis fiat in hac parte, ut quemadmodum dicebã, parati sitis, ne quo pacto fiat, ut si mecum uenerint Macedones, & offenderint uos imparatos, nos pudore suffundamur, ut ne dicam uos, in hoc argumento gloriationis. Hæc ibi. Ergo metuebat, ne negligentius agerent in hac causa, atque ita imparati in aduẽtu suo deprænhensi, gloriationem suam de ipsis redderent inanem, & non se tantum, sed & seipsos pudori & confusioni exponerent. Sic in posteriore epistola expresius ponit, quare collectionem hanc in aduentum suum differri noluerit, quàm in hac priore. Erat autem & hoc metuendum, quamuis illud non attingit, ne si tũ demum collectæ fierent, cum ad ipsos uenisset, uideret̃ ob id tantũ uenisse, ut pecuniã sub ꝓtextu eleemosynæ corraderet, qua ipsum suspiciõe maleuoli uehemẽter grauare poterãt.

A Admonemur hoc exemplo, quàm deceat nos non modò benefacere fratribus, sed & sic studere beneficentiæ, ut quod bene facimus, nulli reddatur uel negligentiæ uel tergiuersationis, hoc est, animi non satis ad benefaciendum prompti & alacris, culpæ ac pudori obnoxium, quo pudore non modò ecclesia negligens ac tergiuersatrix, sed & ipse minister suffunditur, qui si fidelis sit domino, & amans salutis eorum, quibus est in uerbo præpositus, non minus de illorum dedecore, quàm suoipsius contristatur, quemadmodum nõ minus de illorum gloria quàm suaipsius lætatur.

Vbi uenero autem, inquit, quoscunque probaueritis, per epistolas hos mittam, ut perferant munificentiam uestrã Hierosolymam. Quod si fuerit operæprecium ut & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.

Hactenus de modo collationis in sanctos colligendæ præscripsit, iam subiungit de modo quo sit illa Hierosolymam mittenda. Vbi uenero autem inquit, quoscunque probaueritis, per epistolas hos mittã. Nolebat eam mitti nec ante suum ad illos aduentũ, nec per quoslibet, neque suopte arbitratu absque illorum calculis. Ad prius pertinet quod dicit: ubi uenero autẽ. Ad posterius, quod subijcit, quoscunque probaueritis, &c. Vtrobique admonemur, quanti fecerit Apostolus curam egentiũ B sanctorum, & quàm fideliter, quantaq; cum diligentia uoluerit non modo colligi illorũ subsidia, sed & collecta dispensari.

VBI uenero autem, inquit.] Vide prudentiam Apostoli. Duæ partes erant collationis, de qua scribit. Vna colligendæ illius, altera dispensandæ. Priorem noluit in suum aduentũ differri. Posteriorẽ uoluit differri dum Corinthum uenisset. Prioris rationem paulò antè assignauimus. Posterioris licet nulla exprimatur ratio, res ipsa tamen admonet, quibus de causis illam in suum usque aduentum differri uoluerit. Primum haud parum referebat scire ipsum quàm liberaliter contribuissent fideles, & quomodo essent erga fratrum suorum necessitates affecti. Erat enim in eo magna pars efficaciæ uerbi ac laboris Apostolici uelut in fructu spectanda. Prudẽter igitur nolebat collectam hanc Hierosolymam mitti, priusquam ad ipsos uenisset. Deinde hoc cõsilio simul cauebat, ne parcius ac illiberalius contribuerẽt. Voluit igitur ut stimularet eos expectatio aduentus sui. Si quæ nanque collecta essent absque Apostoli conscientia Hierosolymam mittere licuisset, dubio procul multo pauciora cõtribuissent, quàm hac aduẽtus ipsius expectatione moti contribuerunt. Nolebant enim in præsentia illius pudefieri, sed magis approbari tanquam liberales in sanctos. Tertio cauendum erat, ne quo pacto, siue per negligentiã, si quibuslibet absq; delectu collecta hæc Hierosolo-

rosolymam deportanda cōcrederetur, siue sinistro studio à nonnullis cura hæc præsumeretur, dispensatio ista non satis diligenter ac fideliter expediretur. Præterea, non erat committendum, ut causam hanc singulari cura à cęteris apostolis commendatam, susq; deq; facere uideretur, si neq; collectionis illius, neq; dispensationis curam præsentia sua adornasset. Hisce rationibus, & alijs forsan uel consimilibus uel grauioribus uel secretioribus, apparet Apostolum hanc dispensandæ collectæ partē in suum distulisse aduentum. Nos eas indicamus, quæ uidentur esse probabiles, nihil interim de mente illius affirmantes, sed quid hic cogitari, & Apostolo in tali causa competere possit admonentes.

QVOSCVNQVE probaueritis, inquit, per epistolas hos mittam.] Ambiguum est quod dicit, per epistolas. Potest enim tam ad sequēs quàm ad præcedens referri. Ad pręcedens referūt utriq; interpretes, uulgatus & Erasmus, quemadmodum apparet in distinctione lectionis. Sic enim habent, quoscunq; probaueritis per epistolas, hos mittam. Sic coniungunt illud, per epistolas, uerbo probandi, & intelligunt de epistolis non Pauli, sed Corinthiorū ad Paulum. Ad sequens refert Chrysost. Non enim modo sic distinguit, οὓς ἐὰν δοκιμάσητε, δι᾽ ἐπιστολῶν τούτους πέμψω, sed & exponit ad hunc modū, εἶτα ἵνα μὴ αὐτὸς ἀπολιμπάνεσθαι δόξῃ, τὰ γράμματα προστίθησι λέγων, οὓς ἐὰν δοκιμάσητε, δι᾽ ἐπιστολῶν πέμψω. ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ὅτι κἀγὼ συνέσομαι αὐτοῖς καὶ κοινωνήσω τῆς λειτουργίας διὰ τῶν γραμμάτων. Sic ille de epistolis non Corinthiorum ad Paulum, sed Pauli, non ad Corinthios, ut Lyranus exponit, sed ad Hierosolymitanos scriptis intelligit, quibus operam suā quoq; pollicitus sit illis, quos ipsi essent Hierosolymam mittendos probaturi & electuri. Et hæc mihi sententia uerosimilior & causæ accommodatior uidetur. Etenim quorsum attinuisset per epistolas probare absenti Apostolo quos Hierosolymam mitti uellent, cum ad ipsos uenturum se significaret, possetq; hęc ꝓbatio breui momento in ipsius fieri pręsentia, idq; aliquanto melius quàm in absentia.

QVOSCVNQVE probaueritis, inquit.] Quoniam collecta illa Hierosolymam mittenda ipsorum erat, ex communi omnium liberalitate contributa, permisit ipsorum potestati, per quos illam mittere uellent. Non dicit, quoscunq; probauero, sed, quoscunque probaueritis. Sic cauet omnib⁹ modis, ne quā sinistram de se suspicionem concipiant, quasi in hac causa res agat non sanctorum egētium sed suas. Dispensationem communis collectę permittit ipsis, at nostri episcopi quàm egerint in hac causa fideliter, nemini non est omnium notissimum.

Obserua uero quàm prudenter non dicat: quoscunq; uolueritis, aut quicunq; inter uos uolent, hos mittam, sed, quoscunq; probaueritis. In Græco est δοκιμάσητε, quod uerbum certis experimentis aliquid quale nam sit probare & cognoscere significat. Quasi dicat. Quoscunq; uiros probatę fidei & huic negocio obeundo accommodos certo cognoueritis ac iudicaueritis, hos mittam. Igitur sic illorum potestati electionem eorum permittit, quos Hierosolymam sit missurus, ut simul prudentiam ac diligentiam requirat, qua nō quoslibet ad id instituti usurpent, sed cum iudicio eligant probatos. Sane requirebat res ipsa uiros & fideles & gnauos. Fideles qui pecuniā fidei suæ concreditam, nulla perfidia interuerterēt, sed pro uoluntate eorum qui illam contribuerāt, sanctis egentibus, fideliter subministrarent: gnauos, qui in peregrinatione & longinqua & periculosa, quæ subeunda erat, prudenter sese gererent, ne per imprudentiam & sibijpsis periculum accerserent, & necessitatibus sanctorum incommodarent. Sic Act. 6. cum uideretur apostolis eligendos esse uiros aliquot, qui eleemosynæ dispensandæ præficerentur, iusserunt circumspicere multitudinem discipulorum, & eligere uiros septem ei negocio idoneos, μαρτυρουμένους uidelicet, id est, qui bonū haberent probitatis testimonium, essentq; pleni spiritu sancto, & sapientia pręditi. Tanta scilicet cura uoluerunt apostoli prouinciam hāc concredi non quibusuis temere, sed selectis probatæ fidei ac prudentiæ hominibus.

PER epistolas, inquit, hos mittam.] Probationem mittendorum tribuit ecclesiæ, missionem uindicat sibi, quod non facit tuendæ authoritatis suæ gratia, sed ad hoc ut missa collecta sanctis Hierosolymitanis competentius assignetur & exhibeatur. Erat scribendum ad apostolos, uel eos saltem qui eleemosynæ erant in ecclesia Hierosolymitana præfecti. At hoc à nemine poterat melius ac magis authentice fieri quàm ab ipso Apostolo. Hoc innuens non simpliciter dicit, hos mittam, sed, per epistolas hos mittam. Quod autem non singulariter, per epistolam, sed pluraliter, per epistolas, dicit, intelligi potest de literis quarū erant aliæ scribendæ ad apostolos domini, Petrum, Iacobum & Ioannem, aliæ ad diaconos, aliæ ad ipsam multitudinem egentium sanctorū, quibus collectam Corinthiorum erat missurus. Hæ sunt ueræ Apostolicæ epistolæ, nō petaces & imperiosæ, sed uel sanctæ doctrinæ uel benedictionis, consolationis ac refocillationis feraces.

VT perferant, inquit, munificentiam uestram Hierosolymam.] Poterat Apostolus sic ordinare hanc causam, ut aliqui ex fratribus Hierosolymitanis circuirēt per ecclesias Christi inter gentes, & subsidia in usus sanctorum peterent, colligerent, & Hierosolymā perferrent. Verum ea ratio circueundi ac colligendi eleemosynam tam fuisset dedecorosa Christi ecclesijs quàm ad speciem mendicitatis accessisset. Quare honestius & Christianæ charitati conformius erat mittere ex ecclesia Corinthiorum uiros probos, honestos & gnauos, qui gratiam hanc Hierosolymam perferrēt, & sanctis

sanctis ἀδάπανον redderent. Obseruandum autem est, quod non dicit: ut perferant collectam, uel collationẽ, aut pecuniam, sed, ut perferant munificentiam uestram Hierosolymã. In Græco est τὴν χάριν ὑμῶν, id est, gratiã uestrã. Sic reddidit & uulgatus interpres. Vsurpat autem dictionem gratiæ pro beneficio gratuito & liberali, quem sensum Erasmus expressurus uertit, munificẽtiam uestram. Iterum eos hac quoque uoce prouocat ad liberalem collationem, quæ possit singularis munificentiæ loco haberi, ac simul cauet, ne quam erant Hierosolymam missuri pecuniam debiti loco haberetur, quo loco habentur quæ ex omni Europa sæculis iam aliquot non Hierosolymam, sed Hierosylimam, Romam illam omnis generis sacrilegiorum uoraginem mittuntur.

Obiter obserua, qualia Noui testamenti sacrificia Hierosolymam Apostolico missa sint instituto. In lege adferebantur undiq; hostiæ, uictimæ, oblationes, & holocausta, quibus Deo in templo illius sacrificaretur. Hoc genus Veteris testamenti sacrificia uidemus hic in philadelphiæ gratiam esse mutata, qua nõ pecudes Deo, sed collectæ in usus sanctorũ egentium distribuuntur. Et hanc gratiam reposcit dominus pro sua, quam nobis Apostolicæ literæ non satis possunt commendare. Per gratiam domini saluamur credentes, per nostram refocillantur esurientes ac sitientes. Si huic dominicæ gratiæ in nos, & nostrę in fratres egenos uicissitudini sacrificium laudis adiunxeris, compendium habes & nostræ salutis, & ueri cultus Dei.

QVOD si fuerit operęprecium, inquit, ut & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.] Tria agit hisce uerbis. Primum, ut significet Corinthijs, quàm sit sibi causa hæc cordi. Vsqueadeò uidelicet, ut quamuis sit Apostolus Christi missus ad Gentes, sitq; omnium occupatissimus, partim prædicando illis Euangelium, quibus Christus nondũ innotuit, partim eos qui crediderunt in fide Christi confirmando, paratus tamen sit inde Corintho Hierosolymam usq; proficisci, ac sanctis fratribus gratiã hanc ipsorum perferre. Secundum, ut rursus eos ad liberaliorem contributionem prouocet, dicit: Quod si fuerit operæprecium, ut & ipse proficiscar. Græcè est, ἐὰν δὲ ᾖ ἄξιον, id est, si uero dignum fuerit, hoc est, si tam largiter ac liberaliter contuleritis, si tanta fuerit collectæ uestræ gratia & copia, si ecclesiam sanctorum quæ Hierosolymis est, collatione uestra tam estis refocillaturi, ut dignum fuerit hãc uestrã gratiam per meipsum Hierosolymam perferri non grauabor ipse proficisci. Hoc dicens admodum excitat eos ad liberaliorem collationem, dum significat, si largiter contulerint, seipsum collectam ipsorum Hierosolymã perlaturum, sin minus, per alios missurum.

Tertium est, ut iterum caueat, ne quid mali de studio suo erga hanc causam suspicẽtur maleuoli, ex eo quod seipsum, si dignum fuerit, A Hierosolymam cum ipsorum collecta profecturum dicit. Ideo non simpliciter dicit, si dignum fuerit ipse proficiscar, sed, si dignum fuerit, ut ipse proficiscar, mecum proficiscentur, ij uidelicet quos probaueritis. Sic magno studio cauet ubiq;, ne quam sinistram in hac causa suspicionem incurrat. Non solum à malo, sed & à specie mali cauet sibi uir pius & probus, quanto magis faciendum hoc est Christi apostolis & ministris? præsertim in eiusmodi causa, in qua caro perfidiam suam studio quæstus exercere potest.

MECVM proficiscentur, inquit.] Non dicit, quod si dignũ fuerit, ut & ipse proficiscar, proficiscar cum ipsis, sed, proficiscentur mecũ. Seruat decorum eius, qui quod agendum est, in suam curam suscipit. Huic si qui adduntur, adduntur uel tanquam adiutores, uel tanquã testes. Hi cum illo, non ille cum ipsis proficisci dicitur. Hic ubi nihil est periculi à sinistra suspicione, seruat officij & personæ suæ decorũ. Poterat dicere, si dignum fuerit ut ipse proficiscar, non erit opus ut proficiscantur ipsi. Potero nanq; omnia sine ipsorum expedire præsentia. Verum ea res facile dedisset prauæ suspicioni occasionem. Ideo finit, imò constituit, ut probati ab ecclesia & ipsi proficiscantur, uerũ seruat interim personæ suæ decorum, dicens, proficiscentur mecum.

Ad id quoq; consilium hoc conducebat plurimum, ut fratres ex Gentibus & per hos ipsæ B ecclesiæ Gentium ecclesiæ Israëlis in domino arctius & familiarius per occasionem istã conglutinarentur. Magna difficultate Gentes in consortium Israëlis admittebantur, sicuti patet in Actis apost. Quare prudenti consilio Apostolus, doctor Gentium, per occasionẽ hãc collectarum Gentes ecclesiæ Israëlis magis ac magis commendare satagebat. Magna siquidem est beneficentiæ & gratiæ efficacia, præsertim ubi egestati & penuriæ rerum necessariarum in rebus afflictis succurritur.

Veniam autem ad uos cum Macedoniam transiero. Macedoniam enim pertransiturus sum. Apud uos autem forte permanebo, aut etiã hybernabo, ut uos me deducatis, quocunq; proficiscar. Nolo enim uos nunc in transcursu uidere, sed spero me tempus aliquantum mansurũ apud uos, si dominus permiserit.

De aduentu suo ad ipsos iam aliquoties meminit. Suprà cap. 4. Perinde, inquit, quasi non sim uenturus ad uos, inflati sunt quidam. Sed ueniam breui ad uos, si dominus uoluerit, & cognoscam non sermonem istorum qui inflati sunt, sed uirtutem. Non enim in sermone regnum est Dei, sed in uirtute. Quid uultis? cum uirga uenio ad uos, an cum charitate & spiritu lenitatis? Et cap. 11. Cætera, inquit, cum uenero disponam. Et capite hoc præsenti, ne cum uene-

uenero, inquit, tunc collationes fiant, ubi uenero autem, quoscunq; probaueritis, per epistolas hos mittam. Ipse Corinthiorũ ecclesiæ status admodũ deprauatus & corruptus aduentum Apostoli magnopere flagitabat, quo ut in absentia illius mala multa inualuerant ita per præsentiam quæ corrigenda erant corrigerentur. Ideo toties se uenturum ad eos non in hac tantum, sed & sequenti epistola scribit, ut & male inter eos agentes in ordinem reuocet, & synceros in ordine retineat.

VENIAM autem ad uos, inquit, cum Macedoniam transiero. Macedoniam enim pertransiturus sum.] De hoc Macedonię transitu meminit Lucas in Actis cap. 20. Non dicit se profecturum in Macedoniam, sed Macedoniam pertransiturum. Ecclesiæ nanq; Macedonum præsentiam ipsius non requirebant, quandoquidem adhuc in fide Christi immote perstabant. Quare pertransire tantum Macedoniam constituerat.

APVD uos autem forte permanebo, aut etiam hybernabo, inquit.] Ne cogitarent, etsi uenerit, haud tamen hærebit apud nos, sed ut per Macedones, ita & per nos transibit, nosq; in transcursu tantum est uisurus, cum dixisset: Macedoniam enim pertransiturus sum, subiecit: apud uos autem forte permanebo, aut etiã hybernabo. Sic erigit pios, & solicitos reddit eos, qui quoniam male agebant, malebant eũ uel nunquam redire ad ipsos, uel si rediret, nõ hærere, sed quàm citissime transire.

Quid est autem quod non simpliciter dicit: Apud uos permanebo, sed, apud uos forte permanebo? An scribebat hoc uoluntate non certa sed dubia? Etenim uocula τυχὸν, id est, forte, non est animi certo persuasi, sed dubitantis, qualis esse solet eorum, qui res incertas proponunt ac tentant, & secundum carnem pleraq; præsumunt, id quod est hominum uanorum ac leuium. At talem fuisse hanc suam cogitationem negat, capite primo epistolę sequẽtis.

Respondeo. Certitudo uoluntatis humanæ duplicem habet consyderationem. Vnam, qua secundum constans uolentis propositũ, alteram, qua secundum sequuturi effectus certitudinem censetur. Priore modo ipsa uoluntas in se, propter certam & firmam deliberationem, certa uocatur. Sic dicimus, certum nobis est excutere iugum Antichristi, id est, deliberatum ac certo decretum, etiamsi non omnino hoc ex animi sentẽtia succedat. Posteriore modo, id quod uolumus ac proponimus, certo futurum significatur. Sic ex opposito, uoluntas dubia dupliciter est consyderanda. Primo, in seipsa, quando uidelicet quæ uolumus, nõ cõstanter deliberamus ac proponimus, sed de illis hæsitando ac fluctuando cogitamus, uel etiamsi in pręsenti certo ea uelle uidemur, mox tamen sentẽtiam in diuersum mutamus. Deinde in effectu non certo sequuturo. Secundũ priorem consyderationem non erat dubia Apostoli uoluntas, quam significabat dicens: Apud uos autem forte permanebo, sed certa ac deliberata, quo pertinent ea quæ cap. 1. sequẽtis epistolæ hac de causa leguntur. Relinquitur ergo dubiam fuisse secundum posterioreẽ consyderationem. Non enim certus erat de cõsilio Dei, à quo omnium propositorum nostrorum effectus dependet, iuxta illud: Homo proponit, Deus uero disponit. Sciebat omnẽ Apostolatus sui cursum pendere ab immutabili dispositione diuinæ uoluntatis. Quare cũ hac in re nihil haberet de illa certi, non simpliciter dixit, permanebo, sed forte permanebo. Secus habet in rebus quæ uerbo Dei nitunẽ, de quibus si dixeris, forte sic erit, omnino animi non fidelis, sed increduli notã expresseris.

Ergo ne apostoli quidem in omnibus quæ uolũt, certi possunt esse de euẽtu. Sciunt quid uelint, at non ita sciunt futurũ ne sit quod uolunt uel secus, quare & ipsi ad euitandam falsitatis temeritatem, in multis illud τυχὸν usurpare coguntur.

AVT etiam hybernabo, inquit.] Dubio procul adiecta est hæc particula ad intendendum futuræ apud ipsos mansionis moram. Quasi dicat. Imò tota etiã hyeme manebo forsan apud uos. Ergo quod dixit, apud uos forte permanebo, non est de perpetua mansione intelligendum, qualis est episcoporum, ab ecclesijs suis haud discedentium, sed de mora quã apud illos aliquousq; nectere ad hoc cõstituerat, ut quæ delinquebant corrigeret.

AVT etiã hybernabo, inquit.] Molesta est & incommoda hyems itinerantibus, nauigantibus, & militantibus, propter frigora, niues ac pluuias. Quare in consueto illis est, ut hybernent, donec sublata hyemis incommoditate cœptum possint absoluere cursum. Ergo & apostoli ut molestias hyemales declinent, hybernis stationibus utuntur? Vtuntur sane, uerum sic, ut nihil ex eo decedat propagando Euangelio. Etenim si nõ minor est uirtus quàm quærere parta tueri, non est minor Euangelij in rigando quàm plantando profectus. Hyberna Apostoli statio nõ erat Euangelij apud Corinthios hyematio, sed sedula ꝓpagatio. Quẽadmodum capto Apostolo non erat captum Euangelium, ita hybernante Apostolo non hybernabat Euangelium. Hybernantibus militibus & nauigantibus, hybernat militia & nauigatio. At hybernantibus apostolis non hybernat ministerium Apostolicum, sed tam hyeme quàm æstate fructificat, ac perpetuo ad propositum scopum collimat. Sic sunt Apostolicæ stationes, quas imitari debebãt, qui se successores apostolorum esse gloriantur. At horum tam est hodie plus quàm mundanus fastus ac luxus, ut unius Romani pseudepiscopi hybernam stationem uix ferat ciuitas quamuis ampla, si sumptus illius sustinere debeat.

VT uos me deducatis, inquit.] Officiũ comitandi ac deducendi proficiscentes aliquot nobis scripturæ locis commendatur. Deducimus autem amicos, uiros honorabiles, & hospites.

ſpites. Amicos, quo ſignificemus nos ægre à diſcedentibus auelli, paratosq; eſſe, ſi ita res ferat, una cum illis proficiſci. Sic fideles olim deducebant diſcedentes à ſe miniſtros Chriſti & apoſtolos, ut uidere eſt Actorum 15. 20, & 21. Viros honorabiles, quo cum honore à nobis diſcedant. Sic olim Laconum iuuẽtus, ſenes domum è foro redeuntes honoris gratia deducebat, & à tergo proſequebatur. Sic comitatũ ſuum habẽt principes ac magnates. Hoſpites & peregrinos tanquam uiarum ignaros deducimus, & ne quid illis aduerſi contingat in itinere comitando cauemus. Habet hoc quoque deductionis genus officium humanitatis & honoris. Sic Abraham ſuos hoſpites angelos deducebat Gen. 18.

Cum ergo hic dicit Apoſtolus, ut uos me deducatis, ſignificat qua ſit erga eos ſingulari fiducia, promittẽs ſibijpſi omne de illis & charitatis & honoris obſequiũ. Et hoc pacto mitigat ea quæ ſuprà cap. 4. de aduentu ſuo nonnihil aſperius dixiſſe uideri poterat. Qua in re Apoſtolicæ nobis prudentiæ proponitur exẽplum, quo cum Samaritano oleum beneuolẽtiæ correptionis uino immiſceamus.

QVOCVNQVE proficiſcar, inquit.] Cogitabat quidem Iudæam, ſicuti patet capite primo epiſtolæ ſequentis. Verum quemadmodũ incertus erat, mãſurus ne apud ipſos eſſet uel ſecus, ita incertus erat, quò nam ab ipſis diſcedens eſſet profecturus. Quare ut illic incertitudinem euentus expreſſit dicens, apud uos forte permanebo, ita hoc quoq; loco indefinite dicit, quocunq; proficiſcar. Quod non alio ſenſu dicit ꝙ iſto: Vt uos me deducatis, quocũque me proficiſci uolet dominus. Etenim ſic erat omnino animatus, ut in quemcunq; locũ diuina ipſum eſſet prouidentia uocaturus, illò incunctanter proficiſceretur. Reuera autẽ qui ſic ſunt animati, digni ſunt, ut à fidelibus & amanter & honorifice deducantur, quocunq; proficiſcantur.

NOLO enim uos nunc in tranſcurſu uidere, inquit.] Rationẽ uidetur reddere eius quod dixit: Veniam autem ad uos cum Macedoniã pertranſiero. Macedoniã enim pertranſiturus ſum. Poterat uidere eos obiter, cum Macedoniam transeundam peteret, uerum id nolebat, propterea quod quæ apud eos erant corrigenda, in tranſcurſu corrigi non poterant, ſed diuturnas aliquas moras requirebant, unde & ſubdit, ſed ſpero me tempus aliquantum mãſurum apud uos. Et hoc ipſum quidem amicorum eſt uidere amicos & ſalutare in trãſcurſu, ſi diuturna non conceditur manſio, quemadmodum uiſurus erat Macedones, uerũ aliud poſcebat corrigendæ illius eccleſiæ neceſsitas. Quare ſi quis rationem poſcat, quorſum non magis inuiſeret Corinthios priuſquã Macedoniã peteret, cum id etiam ſitus regionum poſceret, exprimitur ratio, quur id facere noluerit, cum dicit: Nolo enim uos nunc in tranſcurſu uidere, &c. Scribit autẽ hoc eam, ut exiſtimo, ob cauſam, ne Corinthij, ubi audituri erant, trãſire Apoſtolum Macedoniam, ſiniſtri aliquid ex eo colligerent, quod in tranſcurſu illo ad ipſos non ueniſſet, atq; ita pij contemni ſe ab illo ſuſpicarentur, reprobi uero magis adhuc pro ingenio ſuo peruerſe agendi occaſionẽ ſumerent. Sic inquam uidentur hæc eſſe exponenda. Verum, meo iudicio, non erraueris, ſi non de trãſitu Macedonico ſed alia quapiam occaſione exponas, quæ tum fuerit illi in manibus per quam ad eos in tranſitu uenire potuerit. Nam in ſequenti epiſtola diſerte ſignificat, quod uoluerit per eos trãſire in Macedoniam, & inde redire ad ipſos.

Nec ocioſum eſt, quod non ſimpliciter dicit, nolo uos in trãſcurſu uidere, ſed, nolo uos nunc in tranſcurſu uidere. Vocula, Nunc, talẽ præſentem eſſe eccleſiæ ipſorum ſtatum ſignificat, qui non tranſcurſum ſed manſionem aliquam requirat. Sic non diſcriminat inter Macedones & Corinthios fideles, dum illos in tranſcurſu uidere, iſtos non in tranſcurſu uidere, ſed tempus aliquantum apud eos morari conſtituit, quaſi illos minus, iſtos plus diligat, ſed prudenter circumſtantias ſtatus utrorumq; cõſyderat, & quid ſalus Corinthiorum in præſenti poſcat perpendit, cum dicit: nolo uos nũc in tranſcurſu uidere, quaſi dicat, quẽadmodum Macedones, ſed aliquantũ me tempus apud uos manſurum ſpero. Diligebat utroſq; ex æquo, tanquam eos quos per Euangelium Chriſto genuerat, uerum ut mater maiore cura ægrotantem filium quàm incolumẽ proſequitur, licet utrunq; tenerè diligat, ita & Apoſtolus magis eſt de Corinthiorum quàm Macedonum ſalute ſolicitus, quamuis utroſque pari dilectione proſequatur. Sic in uno & eodẽ pectore par eſt charitas erga fideles omnes, cura uero ac ſolicitudo diſpar.

SED ſpero me, inquit, tempus aliquantum manſurũ apud uos.] Quid eſt quod non ſimpliciter dicit: ſed tempus aliquãtum apud uos manebo, cum hoc eſſet ipſius conſilium & cõcepta uoluntas? Si certo dicere potuit: Nolo uos nunc in trãſitu uidere, quomodo nõ ęque certo dixit, ſed manebo apud uos? Si certum non erat mãſurus ne eſſet apud eos uel ſecus, utiq; ne id quidem certum erat, quod nõ eſſet eos in tranſcurſu uiſurus. Quomodo ergo dicit: ſe nolle eos uidere in tranſcurſu, quod mãſurum ſe aliquandiu apud eos ſperet, & non magis ad hunc modum: Spero me non uiſurũ uos in trãſcurſu tantum, ſed manſurum apud uos aliquandiu? præſertim cum utrunq; ex ęquo penderet non ab ipſius uoluntate & propoſito, ſed à permiſsione diuina, de quã ſubiũgit dicens: ſi Deus permiſerit.

Reſpondeo. Aliud eſt uelle, & aliud perficere quod uolumus. Quid uellet ac nollet, ſciebat Apoſtolus, & expreſſit etiam in eo quod dixit: Nolo uos nunc in trãſcurſu uidere, quid uero futurũ eſſet non ita ſciebat, ſed ſpe à diuina permiſsione pendebat, in cuius poteſtate

situm erat utrunq;, cum uisurus ne esset ipsos in transcursu uel secus, tum mansurus ne esset apud eos aliquandiu, sicuti sperabat, uel minus. Quare, ut non dicit: Sed manebo apud uos, ita non præmisit: Non sum enim nunc uisurus uos, sed, nolo enim nunc uidere uos in transcursu, quibus uerbis non præiudicat permissioni diuinæ, sed uoluntatis suæ consiliũ exprimit, cuius tamen effectum mox se nõ scire sed sperare dicens, permissioni Dei subijcit.

Obseruet uero diligens lector, duo hæc uerba, nolo & spero, quomodo hic coniungantur & usurpentur. Duæ diuersę res sunt, transitus & aliquanti temporis mansio, quarum altera alteram excludit. Qui aliquandiu manet, non potest obiter transire, rursus qui obiter trãsit, non potest aliquandiu mansisse dici. Diuturnam ergo mansionem sperans Apostolus, nolebat Corinthios uidere in transcursu. Quod si mansionem hanc nõ sperasset, uidere eos in transcursu non recusasset, imò statuisset. Quis enim amicos nolit uidere uel in transcursu, apud quos se aliquãdiu mansurum sperare nõ potest? Quod igitur nolebat eos uidere in trãscursu, ex eo erat, quod se tempus aliquantum mansurum apud eos, ut necessarium ipsis iudicabat ita & sperabat. Sic maioris boni spes minoris uoluntatem excludit.

Consimili modo & electis ac fidelibus accidit. Nolunt oblectari trãsitorijs ac perituris huius mundi bonis. Quare? Quia sperant se mansionem habere paratam in cœlis, ubi omnia sunt perpetua & infinita. Hac spe freti non inhiant terrenis ac transitorijs præsentis uitæ bonis. Reprobi uero, quia spem hanc non habent, transitoria bona sectantur, cogitantes in cordibus suis. Fruamur bonis quæ sunt, de futuris enim nihil nobis est certi. Quid igitur quisq; speret uel non speret ex eo quod impẽse sectatur uidere licet.

Deinde obseruandum est, qualis sit hæc Apostoli spes, de qua dicit: Spero me mãsurum apud uos, si dominus permiserit. Videtur esse incerta prorsus. Alioqui diceret: Quoniam dominus permittet. Spes autem incerta quid aliud est, quàm ut Basilius alicubi scite dicet, uigilantis hominis somnium? At talis spes uidetur non competere fidelibus, multo minus apostolis. Non enim est Christiani hominis & ministri Christi, ut dicat: Spero me mansurum in cœlis, si dominus permiserit, sed potius ad hunc modum: Spero me mansurum in cœlis, quoniam dominus id credentibus in se promisit. Cogitandum est, cuius admonendum esse puto propter rudiores, duo esse spei genera, certæ unum, incertæ alterum. Prius ex certitudine fidei uerbo Dei innitẽtis nascitur, ad quod pertinet quod alibi dicit: Spes non confundit. Hoc spei genere dicit Christianus: Spero me mansurum in cœlis quia hoc in se credẽtibus promisit dominus. De spe eiusmodi nõ loquitur hic Apostolus. Posterius, ex consilio & proposito est cordis nostri, Et quoniam uerbo Dei certo & expresso niti non potest, certum esse nequit quod speratur. Huius generis est spes ista, qua se Apostolus sperare dicit fore ut aliquandiu apud Corinthios maneat. Id quoniam erat incertum, non dicit: quoniam dominus permittet, sed, si dominus permiserit. Ergo, inquis, ferebatur Apostolus in Apostolatu suo spebus incertis, non ex uerbo Dei sed consilio humano conceptis. Respondeo. Ipse Apostolatus Pauli ad Gẽtes, certo uerbo Dei nitebatur, quo dictum ipsi erat à domino: Vade, quoniam ego in nationes longe mittã te. Quò uero & quando iret, & quandiu singulis in locis hæreret, non erat uerbo Dei singulariter expressum sed à libera dispositione ac ductu spiritus Dei pẽdebat. Quare quãuis certo fungebatur Apostolatu, certo tamen de omnibus illius circumstantijs statuere non poterat, sed necessariũ erat ut se ductui spiritus totum permitteret. Sic sperabat multa sub hac conditione, si dominus permitteret. Ergo utrunq; spei genus locum habet in sanctis, qui ut fideles fide uerbi Dei sperant ea quę omniũ sunt certissima, & ut homines multa sperant sub hac cõditione, si dominus permittat, sciũt enim omnia pendere à diuinæ prouidentiæ consilio & permissione. Prius spei genus non est nisi fidelium. Alterum commune est fidelibus & infidelibus, sic tamen, ut infideles spem suam non subijciant permissioni diuinæ, sed uel sapientiæ uel uiribus carnis

SI dominus permiserit, inquit.] Conditionem hanc spei suæ adijcit, significans inane esse etiam sanctorum hominum propositum, si dominus illud permittere noluerit. Verũ existimo consyderandum esse hoc loco, quomodo uerbum permittendi diuinæ possit tribui prouidentiæ. Etenim aut mala sunt aut bona, uel indifferentia, quæ proponimus. Si mala, quomodo conuenit Deo, ut mala quæ uolumus permittat? Permittere nanq; malũ quod prohibendum est, & prohiberi potest, ei non uidetur couenire iusticiæ, quæ culpa est libera ab omni. Si bona, uidetur nõ esse satis permittere, quod præcipiẽdum etiam est, & cum singulari numinis auxilio perficiẽdum. Si indifferentia, quorsum attinet impedire ea quę propterea quod sunt indifferentia, libera sunt, ut absq; culpa uel omitti possint uel fieri?

Consyderationem hãc uideo esse geminã. Primum enim inspicienda est præsentis loci lectio, deinde transeundum ad id quod in genere de permissione Dei quæritur. Quod lectionem hanc, si dominus permiserit, attinet, in Græco est, ἐὰν ὁ κύριος ἐπιτρέψῃ. Verbũ ἐπιτρέπειν non modo permittere sed & committere nõnunquam significat quo sensu & Salustius uerbo permittendi subinde usus est. Quod si illũ hoc loco receperimus, ut legamus, si dominus commiserit, nulla remanet quæstio. Si uero legerimus, si dominus permiserit, cogitandum est triplex esse permissionis genus. Primum, quo uoluntarij permittimus ea quę impedire poteramus,

poteramus, nisi petẽtium uotis aſſentiremur. Sic legitur dominus permiſiſſe ſpiritibus immundis, ut ſicuti petebant, demigrarẽt in gregem porcorum Matth. 8. Secundum, quo coacti & inuiti permittimus ea potẽtioribus, quę impedire non poſſumus. Sic & nos & omnes noſtras fortunas hoſti permittimus, ubi reſiſtendi uiribus deſtituimur. Tertium, quo neq; probãtes, neq; coacti ſed certas ob cauſas permittimus ea fieri, quæ aliàs impedieñda, aut impedimus quę permitteñda fuiſſe uidentur. Iam quod primum permiſsionis genus attinet cõpetere illud Deo nemo cordatus inficias ibit. Quis enim adeo ſtupidus eſt, ut neget Deum precibus ſuorum permittere innumera, quæ omnium poſsit & iuſtiſsime & liberrime negare? Cõſimiliter quod attinet tertium genus exiſtimo ſine omni controuerſia recte tribui Deo, quod non modo permittat, id eſt, fieri ſinat mala, quæ certis de cauſis impedire, ſed & impediat bona, quæ in ſpeciem recte permittere poterat. Quod mala fieri ſinat, manifeſto teſtimonio ex uerbis Apoſtoli comprobatur, quę Actorum 14. leguntur ad hunc modũ: qui in præteritis ætatibus ſinebat omnes Gentes ingredi uijs ſuis. Poterat hoc utiq; prohibere & à uita humana auertere, uerum erant cauſæ quur omnes ſub incredulitatem concludens ea fieri permitteret, quæ abſq; ullo poterat impedire negocio. Quod bona in ſpeciem nonnunquam certas ob cauſas impediat, uel in eo manifeſtum eſt, quod aliquando prohibitus eſt Apoſtolus loqui ſermonem Euangelij, ſicuti uidere eſt Actorum 16. In ſe utiq; bonum eſt loqui ſermonem uitæ, in quo uirtus eſt ad ſeruandum credentes. Erant tamen cauſæ propter quas tum temporis nolebat illum prædicari ſpiritus Chriſti in Aſia. Secundũ uero permiſsionis genus, quod eſt impotentię & coactionis, nemo ſanæ mentis tribuerit Deo inuincibili & omnipotenti. Ergo quod hic Apoſtolus dicit: Sperare permanſurũ ſe apud Corinthios, ſi dominus permiſerit, recte, ut iudico, ad primũ genus referetur. Erat enim hoc illi in uotis, ideoq; petebat à domino, ut permiſsione ipſius quod ſperabat perficere poſſet. Recte igitur tribuit ſcriptura Deo non modo bonorum & indifferentium ſed & malorũ permiſsionem. Vbi uel mala permittit, uel bona impedit, cogitandum nobis eſt, eſſe illi cauſas & iuſtas & ſufficiẽtes. Cur hoc faciat. Vbi permittit bona, de bonitatis illius ingenio, ubi indifferentia permittit, de libera illius uolũtate, poteſtate, & prudentia cogitemus. Hactenus enim libera ſunt indifferentia, quatenus nullis redduntur circũſtantijs illicita. Hęc obiter de permiſsione diuina in gratiam imperitorum annotare uoluimus. Neque enim propoſiti noſtri eſt operoſam diſputationẽ ultra ea inſtituere, quæ homini pio tanquam uera & ſimplicia ſatisfacere poſſunt.

Commorabor autem Epheſi uſq; ad A Pentecoſten. Oſtium enim mihi apertũ eſt magnum & efficax, & ſunt aduerſarij multi.

Ambiguum eſt, Epheſi ne fuerit cum hæc ſcriberet, uel alio quodam loco conſtitutus Epheſum proficiſci, ibique ad Pentecoſten uſque commorari conſtituerit. Sunt qui priorẽ ſententiam ſequantur. Ad calcem tamen epiſtolæ ſubiecerunt Græci, ſcriptam eam fuiſſe Philippis, perque Stephanam, Fortunatum, Achaicum, & Timotheũ miſſam. Epheſi fuiſſe ſcriptam, non uideo quàm certo ex hoc ſtatui poſsit, quod illic ſe ad Pentecoſten uſque commoraturum dicit. Si diceret: cõmorabor autẽ hic uel nunc Epheſi uſq; ad Pentecoſten, nulla ſupereſſet ambignitas. Iam cum ſimpliciter dicat: Commorabor autem Epheſi, quẽadmodum & cap. præcedenti non dixit: Si ſecundum hominem cum beſtijs hic Epheſi depugnaui, ſed ſimpliciter: Si ſecundum hominẽ cum beſtijs Epheſi depugnaui, exiſtimo non poſſe hinc certo ſtatui, quod epiſtolam hãc Epheſi conſtitutus ſcripſerit. Hæc dicens, illic ſcriptam eſſe non nego. Nolim temere contradicere illorum ſententiæ, qui ſic ſentiunt, non ſolum recentiores ſed & ex ueteribus Græcis nonnulli, è quorum numero eſt & Chryſoſtomus, qui ſic dicit: ὅτι ταῦτα ἐπέστελλεν ἐν ἐφέσῳ ἦν χειμῶνος ὄντος. Et qui ex Græcis præfatus eſt, cõſimili modo, ταύτην, inquit, ἐπιστέλλει ἀπὸ ἐφέσου τῆς ἀσίας. B Vt non puto firmum eſſe ex præſentibus Apoſtoli uerbis quod ſentiũt, ita nõ aſſero eſſe falſum, ſed lectoris relinquo iudicio. Quid autem ſequuti ſint, qui è Philippis miſſam eſſe ſcripſerũt, ne Eraſ. quidem cõiectare potuit.

COMMORABOR autem Epheſi, inquit, uſque ad Pentecoſten.] Quoniam Macedoniã tranſiturum ſe, ac poſtea ad ipſos uenturum, ibiq; manſurum aliquandiu dixit, ne putarẽt ad id ſe itineris mox accincturum, particulam hanc adiecit dicens: Commorabor autem Epheſi uſq; ad Pentecoſten. Sic cauit, ne futura mora, quam Epheſi facere conſtituerat, inanis propoſiti ſuſpicionem gignens omnem aduẽtus ſui expectationem utriſq; & pijs & reprobis extingueret.

Chryſoſtomus particulam hanc amicitię indicium habere dicit, cuius hoc eſt proprium, ut conſilia rerum gerendarum amicis reuelet. Mihi uero cautionis potius ac circumſpectionis diligentiam ſpirare uidetur.

Illud, uſque ad Pentecoſten, Eraſmus uertit, uſq; ad diem quinquageſimum, quaſi ſignificarit ſe Apoſtolus quinquaginta dierum ſpacio Epheſi hæſurum. Meo tamen iudicio magis expreſsit anni tempus, quo relicta Epheſo Macedoniam tranſire conſtituerit, quàm moræ ſpacium, quo Epheſi manſurus fuerit, præſertim cum in Græco per articulum eius ſit tẽporis expreſſa ſpecificatio. Non enim ſimpliciter dicit: ἕως πεντηκοστῆς, ſed, ἕως τῆς πεντηκοστῆς, quod ſimpliciter de die Pentecoſtes intelligendum

est, nota & populo legali propter annuam solennitatem, & ecclesiæ Christi propter missionem spiritussancti.

Quam uero ob causam ad Pentecosten usq; Ephesi manere, ac tum demum proficisci constituerit, quoniam expressum non est, non est ut curiosius inquiramus, sed indubitato sentiamus, fuisse illi certas eius propositi causas, è quibus unam subiungit, qua tamen non tam singularem eius solénitatis, quàm propositæ moræ rationem reddit dicens: Ostium enim mihi apertum est magnum & efficax.

Quod autem Pentecostes diem attinet, puto illum tum temporis non Christianis sed solis fuisse Iudæis legaliter solennem ac festum. Quare si rationem illius aliquã habebat Apostolus, habebat illam aut propter temporis illius qualitatem proficiscẽtibus accommodã, aut propter Iudæos, qui legali diei illius obseruantia celeberrimos solebant habere conuentus, quorum ipse occasionem ad regni Christi propagationem captare consueuit, id quod & Actorũ 20. apparet, ubi memoratur, quàm cupide properarit ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Potest & illud cogitari. Erat natione Iudęus, inter Iudęos natus & educatus, atq; ita moribus illorum à puero assuetus. Iudæis autem in more erat, ut anni partes diuiderent secundum spacia & interstitia dierum solennium, Paschatis, Pentecostes, & festi tabernaculorum, & hac diuisione in rebus suis gerendis quoq; uterentur ad quem modum in Papatu quoque fieri uidemus, in quo uel actiones suas uel proposita, aut compromissa certis solénium dierum festis utpote Natalis domini, paschatis, Pentecostes, diuorũ quoq; beatæ uirginis, Georgij, Iohannis, Iacobi, Michaëlis, Galli, Martini, &c. terminare solent. Cum ergo educatus in hac esset Iudæorũ consuetudine Apostolus, uerosimile est Christianum quoq; factum esse illa usum, atq; ita hic simpliciter Pẽtecostes sibi diem proposuisse, ad quem usq; Ephesi in opere domini cõmoraretur, non quod dierum esset obseruantiæ ritu Iudaico obstrictus, sed quod eam sibi moram ad opus domini prouehẽdum necessariã fore iudicaret. Consimile est quod à nostris quoq; fieri uidemus, qui licet Papisticis superstitionibus ualedixerint, adhuc tamẽ anni spacia in rebus gerẽdis secundum diuorum festa metiuntur ac terminant. Quid cogitari posit hoc loco simpliciter admoneo. Iudicet lector.

OSTIVM enim mihi, inquit, apertũ est magnum & efficax.] Rationem reddit, quare nõ sit statim Macedoniam transiturus, & Corinthum uenturus, sed ad Pentecosten usq; Ephesi hæsurus. Cauet ne segniter ac negligenter in opere domini uersari, aut aliàs leuibus de causis tandiu Ephesi hærere uideatur. Neq; enim Apostolici muneris erat diutius eodem in loco sine causa moras nectere ac tempus inaniter perdere. Assignat ergo propositæ sibi moræ causam satis grauem ac prægnãtem, eamq; talem, quæ digna sit Apostolica diligentia & cura, cum dicit: Ostium enim mihi apertum est magnum & efficax, & sunt aduersarij multi. Causa hæc erat gemina. Prior concernebat aditum & accessum lucrifaciendi domino q̃ plurimos mortales. Posterior nascebatur ex improba impiorum hominũ contradictione & reluctatione, quibus erat fortiter ac dextre resistendum. Vtraq; præsentiam Apostoli diuturniorem requirebat.

Vtitur autem metaphorica dictione cum sibi ostium apertum esse dicit. Significat nõ modo rimam aliquam introducendi ad Ephesios salutis doctrinam, sed & ostium, id est, uiã & accessum esse factum, idq; non angustum sed amplum & magnum. Videbat multorum animos paratos esse ad audiendũ sermonẽ Euangelij, & non paucos illum iam fide acceptasse atque ita magno successu propagari illic regnum Christi.

Obserua uero, quod non dicit: Ostium mihi aperui, sed, ostium mihi apertum est. Non aperiebat ipse ostium sermoni Dei, cuius erat minister & Apostolus, sed aperiebat ille, qui & clauem habet cordium humanorum, & omnia obstacula potentiæ aduersariæ nutu suo amouere potest & tollere, unde & ad Coloss. 4. hortatur fideles ad orãdum pro se, ut Deus aperiat sibi ostium sermonis. Quasi quodam ostio occlusa erant mortalium corda cæcitate & obstinatione, sic ut nullus pateret ad illa scientiæ Dei aditus. Cum autem aperiret illa spiritus Dei afflatus, quid fiebat aliud, quàm q̃d aperiebatur Apostolo Dei ostium introducendi regni Dei, & excludendi regni Satanæ? Nec impedit hunc sensum, quod non dicit: ostium apertum est regno Dei, sed, ostium apertũ est mihi. Nõ erat ipse princeps, sed dux principis Christi, cui Apostolica functione militabat. Cum ostium aperitur duci, aperitur non duci sed principi. Sic cum ostium aperitur Apostolo, aperitur non Apostolo, sed principi apostolorum ipsi Christo.

MAGNVM, inquit, & efficax.] Magno ostio aperto magna datur introeundi copia. Quo maius aperitur ostium, hoc maiori datur multitudini ingrediendi facultas. Cum ergo significare uellet Apostolus per singularẽ Dei gratiam esse factum, ut multorũ essent animi ad recipiendum Euangelium patefacti, non simpliciter dixit: ostium enim mihi apertum est, sed adiecit, magnum & efficax.

ET efficax, inquit.] Quorsum hoc adiecit? Est ne magnum aliquod ostium quod non sit efficax? Plane licet inuenire magnam oblatam gerendæ rei copiam, cui tamen desit perficiendi efficacia. Significans igitur non modo magnum & patentem dari sibi accessum ad propagandum ueritatis doctrinam, sed simul dari & efficaciam, qua mentes multorum illuminentur, & magna lucrifiat domino credentiũ multitudo addit & efficax. Magnum ueluti ostium apertum est, quando ueritatis doctrinã audiunt

audiũt paſsim multi. Efficax uero tum demũ eſt, quando non ſolum audiunt multi, ſed & quod audiunt auide & bono corde recipiũt, atque ita ad cognitionem ueritatis perducti reſipiſcunt & conuertuntur. Cum hoc Epheſi ad initium Euangelicæ prædicationis fieret, magna erat Apoſtolo ratio, tam præclarã propagandi regni Dei occaſionem non negligendi, ſed magno diuturnioris præſentiæ ſuæ ſtudio proſequendi.

Quod lectionem attinet, habet uulgata ęditio, non efficax ſed euidens. Apparet interpretem legiſſe ἐναργὴς pro ἐνεργὴς. Sonat enim ἐναργὴς euidentem, ἐνεργὴς uero efficacem. Sed hac de re annotauit & Eraſmus. Si cum uulgata legerimus, euidens, ſenſus erit. Quoniam oſtium mihi apertum eſt non anguſtum ſed amplum, non obſcurum ſed luculẽtum & manifeſtum, manebo Epheſi uſque ad Pentecoſten, ut tam inſigni gratiæ Dei, tamq́ue luculenter declaratæ diutius ſubſeruiam. Eſt hic quoque ſenſus haud incommodus. Nec priorem excludit, imò neceſſario requirit. Prius enim eſt gratiam Dei eſſe efficacem in miniſterio Euangelij, deinde efficaciam hanc ſequitur ut fiat illuſtris, euidens, & luculenta, dum uirtus illius manifeſtiſsimis diuinæ operationis argumentis declaratur.

ET ſunt, inquit, aduerſarij multi.] Hæc erat illi altera diutius manendi cauſa. Quo enim plures oſtium illud regno Dei apertum denuo conabantur occludere, hoc magis Apoſtoli tanquam ducis præſiſtentia ac dexteritas requirebatur.

1 Sunt autem hic duo notanda. Vnum quæ ſit ſors Euangelij. Ea uidelicet, ut hoc plures ſortiatur aduerſarios, quo maius illi & efficacius aperitur oſtium. Huius rei exemplũ hoc loco proponitur. Quemadmodum enim non ſimpliciter dicit: Oſtium enim apertum eſt mihi, ſed, oſtium apertum eſt mihi magnum & efficax, ita non ſimpliciter ſubijcit, & ſunt aduerſarij nonnulli, ſed, & ſunt aduerſarij multi. Sic princeps huius mundi quo magis inualeſcit Euangelij curſus, hoc plures illi obijcit aduerſarios. Horum igitur multitudo haud mediocre ſed magnum ueritati oſtium apertum eſſe innuit. Quare tam abeſt, ut terreri debeamus, ſi plures aduerſarij contra doctrinam ueritatis inſurgant, ut magis id nobis conueniat eſſe ſolatio, propter certum inualeſcentis regni Dei argumentum. Si non agnoſcimus illius ſucceſſum in ſeipſo, agnoſcamus ſaltem in multitudine aduerſariorũ. Augeſcens quippe furor Satanæ tantum non uociferatur, augeri illi metum breui deſtruendi ipſius regni, quod uideat regni Dei uires quotidie magis ac magis inualeſcere.

2 Alterum eſt obſeruandum hoc loco, quod multitudo aduerſariorum cauſam dedit Apoſtolo non diſcedendi ſed potius diutius manendi. Carnalis homo cogitaſſet, fruſtra ſe mãſurum eo loco, ubi tam multi aduerſarij contra ſe inſurgant, quod unus tam multis retundendis ſufficere non poſſe uideatur. At Apoſtolus, quoniam non ſolum multitudinem cõſyderabat aduerſariorum, ſed ſimul, imò magis tam luculẽtam cœleſtis gratiæ efficaciam, imperterrito ſpiritu uim aduerſariorum ſuſtinebat, & hoc ſibi manendum ac pugnandum diutius ſtatuebat, quo plures Euangelio Chriſti contradicebant. Exemplum hoc fidelibus Chriſti miniſtris proponitur, ut & ipſi hoc minus à grege commiſſo diſcedãt, quo pluribus ille hoſtibus obiectus eſſe uidetur.

Dicet mihi quiſquam: quur ergo tu eccleſiam Auguſtanam in eo diſcrimine deſeruiſti, quo pluribus erat & ualẽtioribus aduerſarijs quàm unquam antea obiecta? Reſpõdeo. Abegit me ab ea eccleſia non terror aduerſariorũ, ſed horror accepti Interim, cuius pręuaricationis ne in minimo quidem conſors eſſe uolebam. Vbi lupus in ouile recipitur, & uoces illius pro uocibus paſtoris ſectandas eſſe decernitur, hic diſcedens paſtor non deſerit gregẽ, ſed à grege deſertus melioribus ſeſe uſibus, ſi domino uideatur, aſſeruat.

Qui uero fuerint aduerſarij illi multi, qui doctrinæ Apoſtoli reſiſtere moliebãtur, Actorum 19. uidere licet. Alij erant ex Iudæis, qui indurati non credebant, ſed male de uia domini coram multitudine loquebantur, alij erant ex Gentibus quorum uelut anteſignanus erat Demetrius faber argentarius, quæſtũ in cultu Dianæ, perinde atq; Papiſtarum ſacrifices in cultu diuorum, ſequens. Huius improbitate non modo eiuſdem quæſtus complices, ſed & tota ciuitas aduerſus Apoſtolum in furorẽ ſeditionis concitabatur. Quare non immerito multorum hic facit aduerſariorũ mẽtionem.

De eo uero, quod oſtium ſibi magnum & efficax apertum dicit, eodem capite legitur ad hunc modum. Ingreſſus autem ſynagogam libere loquebatur, ad tres menſes, diſputans & ſuadẽs de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur nec crederent male loquẽtes de uia domini coram multitudine, digreſſus ab illis ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola Tyrãni cuiuſdam. Hoc autem factũ eſt per biennium, ita ut omnes qui habitabãt in Aſia audirent ſermonem domini Ieſu, Iudæi ſimul & Græci. Sic magnum erat illi apertum oſtium. Quàm uero fuerit illud efficax, memoratur hoc pacto. Virtuteſq́ue non uulgares ædebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicincta, & recederent ab eis morbi & ſpiritus mali egrederẽtur. Item. Hoc autem innotuit omnibus Iudęis ſimul & Gręcis qui habitabant Epheſi, & incidit timor in omnes illos, & magnificabatur nomen domini Ieſu. Multiq́ue credentium ueniebant confitentes & annunciantes facta ſua. Multi autem ex eis, qui curioſas artes exercuerant cõportatos libros exuſſerunt coram omnibus, & ſupputatis precijs illorum repererunt pecuniæ

cuniæ quinquaginta millia. Ita fortiter cresce A bat sermo Dei & confirmabatur, &c. Hæc ibi, quibus satis perspicue exponitur, quod hic Paulus ad Corinthios scribit.

Quod si uenerit Timotheus, uidete ut absque metu sit apud uos. Opus enim domini operatur, quemadmodum & ego. Ne quis igitur eum spernat, sed prosequamini eum cum pace, ut ueniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.

Timotheum ecclesiæ Corinthiorum commendat. Hunc enim ad illos miserat priusquã epistolam hanc scriberet. Qua de re suprà capite quarto sic legimus. Hac de causa misi uobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in domino, qui uobis in memoriam reducet uias meas quę sunt in Christo, quemadmodum ubiq; in omni ecclesia doceo. Quãdo autem, & unde & cum quo hunc miserit, existimo Actorum decimonono memorari ubi sic legitur. His autem expletis proposuit Paulus in spiritu trãsita Macedonia & Achaia ire Hierosolymam, dicens: postquam fuero ibi, oportet me & Romam uidere. Missis autem in Macedoniam duobus ex ijs qui ministrabant sibi, Timotheo uidelicet & Erasto, ipse remansit ad tempus in Asia. Misit ergo Timotheum non solum, sed unà cum Erasto. Et Christo hoc in more erat ut binos discipulos mitteret ante faciem suam. Præterquam autem quod eiusmodi duorum missio exemplo Christi sanctificata est, commendatur etiam suaipsius commoditate. Quod uero & hic & suprà capite quarto solius facit Timothei mentionem, non ob id facit, quod hunc solum miserit, sed quod legationis onus in illum præcipue, tanquam singulari fide & dono spiritus præditum, incumberet. Qua in re rursus obseruanda est prudentia Apostoli, nõ in eo modo quod binos, sed & quod impares misit, de quo non est hic dicendi locus. Deinde apparet misisse eum ex Epheso, quãdoquidem Asiæ fit mentio. Tertio misit eum, cum Macedoniam & Achaiam transire constituisset, priusquam Hierosolymam proficisceretur.. Vbi hæ circumstantiæ consyderantur, uerosimile apparet loqui illum hoc loco & suprà capite quarto de eadem missione Timothei, qua unà cum illo Erastum transituro sibi Macedoniam ad hoc præmisit, ut quæ in ecclesijs cum Macedoniæ tum Achaiæ gererentur cognosceret, priusquam iter illud ingrederetur. Neque enim consultum erat, ut nescius horum ad illas ueniret.

cum quo. unde. quando.

QVOD SI uenerit, inquit, Timotheus.] Rursus non affirmanter sed cum conditione loquitur, non dicens: Venturus est ad uos, sed: Si uenerit ad uos Timotheus. Multa poterant illi in itinere impedimenta obijci, quibus impeditus non esset Corinthum uenturus. Erat enim iter illud nihilo facturus securius, quàm si agno uersandum sit in medio luporũ. Quare consulto dicit: Si uenerit ad uos Timotheus. Quasi dicat. Si uoluntas domini fuerit, ut quemadmodum proposui, in hac ad uos profectione ueniat.

Quod autem non in præterito dicit: Si uenit, sed in futuro, si uenerit, ex eo est, quod tametsi miserit eum priusquam literas istas scriberet, haud tamen sic misit, ut recta Corinthũ abiret, sed ut primum Macedoniam transiret, & ecclesias inuiseret, ac tum demum Achaiã & Corinthum peteret. Quare qui literas hasce perferendas acceperunt, priusquam ille tanquam recta absque ambagibus proficiscentes Corinthum appellere potuerunt.

VIDETE ut absque metu, inquit, sit apud uos.] Tria petit ab ecclesia Corinthiorum in hac commendatione Timothei. Vnum est, quod hic exprimit. Vt uidelicet sit apud eos, si uenerit absque metu. Poterit autem hic quęri, quomodo petat hoc à Corinthijs fidelibus, cum ne ipsi quidem contingere potuerit uspiam, ut sine metu secure Christum prædicaret. An non suprà capite secundo dixit: Et ego per infirmitatem & cum timore ac tremore multo apud uos uersat⁹ sum? Deinde, quomodo potuerunt curare fideles, ut absque timore ageret apud ipsos Christi minister, quũ & ipsi in medio impiorũ agerent, nec furias illorum compescere possent?

B Respondeo: Rem petit Apostolus à Corinthijs nec iniquam, nec inutilem, nec impossibilem. Duplex autem timoris genus poterat euenire Timotheo apud Corinthios constituto, ab infidelibus uidelicet unum, à falsis fratribus alterum. Vtrunque sæpius expertus fuerat ipse Apostolus. De priori autem non præscribit hic fidelibus, cui & ipsi erant obnoxij, nec resistere poterant. Aliàs perinde fecisset, ac si quis præscribat ouibus, quomodo curare debeant, ut pastor ipsarum absque timore sit luporum, leonum, & ursorum, quam securitatem ipsæ nec sibijpsis nec illi præstare possunt. Reliquum est ergo ut de posteriori loquatur, petens ut Timotheo apud ipsos secure sine metu falsorum fratrum agere liceat. Id erat & æquum, & utile, & ipsis præstitu possibile.

Non est autem ociose transeundum, quod hoc Timotheo suo procurare studet, ut apud Corinthios absque timore degat. Consyderat animum illius imbecilliorem adhuc quàm qui falsorum fratrum insidias dextre & intrepide sufferre ualeat. Et reuera magnę sit fortitudinis oportet quisquis illas animo infracto sustinere potest. Multo omnino facilius est homini pio contemnere furorem infidelium quàm insidias eorũ qui se fidelibus Christi annumerari & pro fratribus haberi uolũt. Dici non potest quàm cruciat animum fidelis ministri, & omnem illius alacritatem in obeundo ministerio deijciat, si se falsorum fratrum insidijs obnoxium esse uiderit, nisi singulari

gulari spiritus robore diuinitus suffulciatur. Non est animus ministri in ecclesia contentionibus, contradictionibus, obloquijs, contemptu, & insidijs deijciendus, sed obsequijs potius, consensu, obseruantia, & officijs dilectionis erigendus, quo ministerium suum alacri spiritu obire & indefesso studio ecclesiam ædificare posit. Abiectus enim animus nec est ad ferendos infidelium insultus, nec ad corrigenda ecclesię uicia, satis idoneus.

OPVS enim domini operatur, inquit, quēadmodum ego.] Reddit rationem, quare uelit eum secure agere apud Corinthios. Quo uidelicet liberius aberrantes à uia Apostolica in ordinem reuocet, dum non est quod sibi ab ullis fratribus metuat. Et hoc uocat opus domini operari. Opus enim domini operatur non ille modo, qui fundamenta illius iacit, sed & qui præuaricationes ædificij illius rite corrigit. Non dicit autem: opus domini nouit, sed opus domini operatur. Necessarium quidem est ministro, ut sciat opus domini, uerum sufficiens non est ad hoc ut sit fidelis, nisi quod nouit operetur etiam. Nec dicit: operabitur, in futuro, sed operatur. Hoc est, sic fidelis est in ministerio, ut quocunque uenerit operi domini rite perficiundo sit sedulo intentus. Quid tale de nostris hodie potest episcopis ac presbyteris dici? Opimas prælaturas ac dignitates sectantur, quicquid fiat de opere domini. Imò tam abest ut opus domini operentur ipsi, ut nec ab alijs hoc fieri sinant. Et quod adhuc detestabilius est, condemment etiam & horrendis pœnis obijciāt, si quis operi domini fideliter incumbat.

Quid est autem opus domini à fideli ministro obeūdum? An mitram gestare bicornem, anulis uincire digitos, pedum ostentare pastorale, pallio ueluti contra pluuias amiciri, lumbos in morem pascentium oues præcingere, semel atque iterum in anni spacio scenicam ludere fabulam, parietes ecclesiæ, calices, aras & campanas inungere? Hæ nugæ nō sunt opus domini. Opus domini est, ministerium prædicandi Euangelij, plantandi & rigandi ecclesias, & sedula cura saluti fidelium incumbere. Opus domini est, quod non humanitus est excogitatum, sed ab ipso domino apostolis & apostolorum successoribus impositum, quod & apostoli fideliter sunt operati. Operentur hoc opus episcopi, uel si ipsi hoc facere nesciunt, permittant idoneis hominibus, & sublata erit omnis nostrorum temporum controuersia.

QVEMADMODVM & ego, inquit.] Ergone Timotheus par erat Paulo in opere domini perficiundo, cum ille plus omnibus laborauerit? Non hoc dicit. Commendauit illum in eo, quod in opere domini non declinaret uel ad dexteram uel ad sinistram, sed eadem secum, regia uidelicet, uia ingrederet. Quod igitur dicit: Opus enim domini operatur quēadmodum & ego, idem est ac si dicat: Non

A præuaricatur in opere ministerij sui, sed operatur opus domini fideliter, idque secundum meas uias, de quibus uos admonebit. Clanculum hoc dicens pseudapostolos & pseudapostolorum discipulos perstringit, qui non recto pede ad Euangelium Christi accedebant, sed ecclesiam Corinthiorum à uijs Apostolicis quibus erat plantata, seducere moliebantur. Sic igitur commendat Timotheum tanquam fidelem operarium domini ac germanum suum discipulum, ut & morigeros illi reddat Corinthios & simul pseudapostolorum studia retundat.

Obiter obseruandum est bonæ conscientiæ ingenium, in eo quod tam confidenter nō solum de Timotheo sed & de seipso prædicat, quod opus domini operetur. Sciebat ad illud neminem esse per se idoneum, quemadmodum & epistola sequenti capite tertio scribit, uerum quoniam bona cum conscientia in opere domini uersabatur, non dubitauit hoc de se contra pseudapostolos prædicare, interim ab omni inani iactantia alienus.

NE quis igitur eum spernat, inquit.] Secundum hoc est, quod Timotheo suo apud Corinthios conciliare satagit, condignā uidelicet existimationem & authoritatem, tanquam ei, qui perinde atque ipse opus domini operetur. Vnde & non simpliciter dicit: ne quis eum spernat, sed, ne quis igitur eum spernat. Quasi dicat. Quoniam opus domini

B operatur perinde atque ego, dignus est quem in precio habeatis, & à nemine uestrum contemni sinatis.

Obserua hic, quos nam ministros & quam ob causam, in precio habere debeat ecclesia. Eos uidelicet qui similes sunt Timotheo, propterea quod opus domini operantur sicut operati sunt apostoli. Sic alibi dicit eos qui bene præsunt in uerbo, duplici esse honore dignos. Dubio procul non erat hic Timotheus iuxta sæculum spectabilis. Verum quoniam opus domini rite operabatur dignus erat & Apostolica commendatione & honore fidelium in ecclesia Christi. Qui huic sunt dissimiles, etiamsi mille canones prætexant, & huius sæculi principes adæquent, ut non commendātur nobis commendatione Apostolica, ita indigni sunt, qui habeantur in precio, dignissimi uero qui non modo contemnantur, sed & fugiantur.

Quid autem causæ erat, quur hoc peteret à Corinthijs ne Timotheum suum quisquam ipsorum sperneret, cum essent Christiani, quibus scribebat & ad quos illum mittebat? Vt hoc ab illis posceret in causa erant reprobi ac præuaricatores in ecclesia Corinthiorum, à quibus ipse quoque contemnebatur. Sciebat illis non placiturum discipulum fidum ac syncerum in causa in qua ipse ante illum displicebat & cōtemnebatur. Neque scribebat hoc propter illos, sed propter imbecilliores, qui sermonibus illorum facile poterant ad contemnen-

temnendum Timotheum induci. Admonemur hoc loco, quid expectandum sit ueris ac synceris uerbi Dei ministris, ab illis qui nec Christũ ipsum nec apostolos alicuius faciunt. Quomodo uenerabuntur discipulum qui pręceptorem contemnunt?

SED prosequamini eum cum pace, inquit, ut ueniat ad me.] Vulgata habet, deducite autem illum in pace, quæ lectio recte conuenit cum Græco uerbo προπέμψατε. Tertium hoc est, quod à Corinthijs Timotheo suo præstãdum poscit. De ratione & usu deductionis diximus suprà, unde facile uidere est, qur officiũ illius Timotheo impendi uelit. Hoc uero dicens, significat eum non ad hoc esse missum, ut apud ipsos maneat, sed ut in transitu quæ in ecclesia ipsorum gerãtur uideat, & quæ corrigenda sint moneat, ac postea deductus ab ipsis cum pace, ad se properet.

Dictione pacis monet eos charitatis & cõcordiæ, auocans à studio sectarum quo laborabant inter illos plerique. Vbi nanque obtinent studia sectarum, ibi contentiones & dissidia uigere necesse est. Vbi hæc uigent, periclitatur charitas, concordia & pax. Cum igitur deductionem Timothei ab illis poscit quę fiat cum pace, cum pace inquam non aliquorum tantum sed omnium simul fideliũ, simul monet ut relictis dissidijs & contentionibus studeant charitati, paci & concordiæ, sintque unum in domino.

VT ueniat ad me, inquit.] Etiam hac illos particula solicitat, ut amanter ac reuerenter Timotheum ab ipsis discedentem deducant, ut quem sciant recta ad se properare, & quæ acciderint sibi indicaturum. Sic legatos regũ honorifice non solum accipimus ob id quod à regibus suis ad nos missi ueniũt, sed & ideo potissimum honorifice tractamus ac dimittimus, quod à nobis ad reges suos omnia quæ cognouerunt exposituri discedunt. Sic Corinthios suos Apostolus in hac causa animatos esse uolebat.

EXPECTO enim illum, inquit, cum fratribus.] Verbo expectandi desyderium exprimit absentis discipuli, quem ut filium diligebat, & in omnibus fidelem ac syncerum experiebatur. Et hoc quoque dicens monet eos q̃ debeant illum amanter & honorifice accipere, tractare & à se dimittere tanquam sibi usqueadeo charum, ut absentiam illius, si diuturnior futura sit, ægre sit laturus.

Omnino significat se reditum illius auide expectare, siue expectationis huius desyderiũ ad personam Timothei, siue ad cognitionem eorum quæ in ecclesijs Macedoniæ & Achaię gerebantur, propter quam Timotheum hunc à se miserat, uel ad utranque referamus. Nota est solicitudo ecclesiarum, quæ pectus Apostoli noctes ac dies occupabat, per quam fiebat, ut quàm solicite mittebat à se discipulos, per quos de statu ecclesiarũ cognosceret, tam auide reditum illorum expectaret, id quod illi dubio procul in hac quoque causa accidit.

Illud, cum fratribus, amphibole ac sic positum est, ut tã ad eos possit referri fratres, qui cum Timotheo essent uel ab ecclesia Corinthiorum aut alijs missi uenturi, uel cum ipso in eam legationem amandati redituri, quàm ad eos qui unà cum Paulo reditum Timothei cupide ac solicite expectarint. Si priore sensu dictum est, significatur quo affectu fuerit Apostolus non modo erga discipulum charissimum, sed & erga reliquos fratres syncere in Christo affectos. Si posteriore, innuitur quàm charus fuerit Timotheus non Apostolo tantũ sed & fratribus reliquis, id est, toti ecclesiæ, in qua tum morabatur Apostolus.

Ergo hæc tria poscit Apostolus à Corinthijs, primum, ut Timotheum suum quem miserat, absque metu secure apud ipsos agere faciant, secundum, ut eum in honore ac precio habeant, tertium, ut in pace deducant, quo ad se ueniat eò quod ipsum auide unà cum fratribus expectet. An nõ Romanus quoque pontifex hæc ipsa Carnalibus suis, quos à latere suo legatos ad reges ac principes mittit, præstari poscit? Securitatem uidelicet honorem & pacificam deductionem. Poscit utique, idq; non simpliciter sed cum imperio, & comminationib⁹ grauissimæ maledictionis, nisi obtineat. Verum an suos legatos quæstuarios illos, deauratos, ac purpuratos sic commendare ueraciter possit, quod opus domini operentur, uiderit ipse. Potest quidem uerum si addat, sicut & ego ut enim ipse sic & illi opus domini operantur. Nam qualis ipse Apostolus est tales à se discipulos mittit.

Porro de Apollo fratre: multum hortatus sum illum, ut iret ad uos cum fratribus, & omnino nõ erat uoluntas nũc eundi. Venturus est autem cum opportunitatem erit nactus.

Particulam hanc non sine ratione adijcit. Est enim excusatoria. Apollos, de quo suprà capite 1. & 3. ecclesiam Corinthiorum à Paulo plantatam laboribus suis diligẽter post illius abitum rigauerat, quare nõ modo notus erat Corinthijs sed & in precio habitus, idque magis quàm Timotheus. Ne igitur indigne ferrent, quod hunc nõ misisset sed illius loco misisset hominem iuuenem, cuius nec eruditionem nec zelum pro domino per experiẽtiam perinde atq; Apollos cognouissent, deinde simultates inter se & ipsum obortas esse suspicarentur, atq; ita erga præsentiam Timothei animo parum æquo afficerentur, excusationẽ hanc ponit, qua non se modo sed & ipsum Apollo excusat, & simul spẽ aduẽtus illius facit. Sic oĩa uigilãter ac prudẽter agẽs, cauet ne qua sinistræ suspicionis occasio fidelibus objiciat.

Porro de Apollo fratre, inquit, intellige, sic accipite, uocat eum fratrẽ, significãs se illũ cõplecti amanter non ut discipulũ sed ut fratrẽ.

MVLTVM,

MVLTVM, inquit, hortatus sum illum, ut iret ad uos cum fratribus.] Significat usque adeo se non impediuisse, quo minus ad ipsos ueniret Apollos, ut conatus quoq; sit author illi esse, ut cum fratribus ad ipsos proficisceretur. Quasi dicat. Scio hunc uobis esse non immerito acceptum, idque sic probo, ut conatus sim persuadere ipsi, non modice & obiter, sed plurimum, ut unà cum fratribus quos misi, uos inuiseret.

Quid est autem quod dicit: multum hortatus sum illum? Quare illi non ut Timotheo legationem hanc Apostolica authoritate iniunxit? Erat συνεργός? Erat & Timotheus. Erat frater? Erat & Timotheus. Rigauerat ecclesiam Corinthiorum? Quid aliud faciebat Timotheus? Quur ergo illum hortatur multum ut faciat, ad quod Timotheum nō hortatur, sed cum mandato mittit? Videmus hoc exemplo quàm inter sanctos quoque seruanda sit personarum differentia. Erat Timotheus iuuenis, Apollos uir ætate maturus. Erat Timotheus à Paulo genitus in Christo, hoc de Apollo non potuit dicere Paulus. Quare ut nec discipulus nec filius illius erat in Christo, ita alia erat ratione tractandus quàm Timotheus. Ideo hortatu obnixo cum illo egit, nō mandato. Pontifex Romanus mandasset illi sub pœna excōmunicationis latæ sententiæ.

Nec transeundum est, quod non simpliciter dicit: Hortatus sum illum, sed, multum hortatus sum illum. Græcè est, πολλὰ παρεκάλεσα αὐτόν. Significat autem πολλὰ nonnunquam idem quod πολλάκις, id est, sæpenumero & frequenter. Deinde uerbum παρακαλεῖν, non hortari tantum sed & obsecrare significat, ut æque uerti potuerit, multum obsecraui illum, atque multum hortatus sum illum. Hæc annotamus, ut cogitet lector, quàm fuerit ardēs pectus Apostoli, in procurando opere domini, quàm non facile moleste tulerit repulsam, sed patienter hortando & obsecrādo animos recusantium flectere sategerit.

VT iret ad uos, inquit, cum fratribus.] Nō simpliciter dicit: Vt iret ad uos, sed addit, cum fratribus. Existimo autem loqui ipsum de fratribus quos unà cum Timotheo miserat. Et apparet hic quod supra expectare se Timotheum cum fratribus dixit intelligendum esse de ijsdem. Sicut Timotheum misit cum fratribus, ita uolebat mittere cum fratribus Apollo, si ille acquieuisset, quos sperabat acceptiores fore Corinthijs, si cum illo coniuncti Corinthum uenissent.

ET omnino, inquit, non erat uoluntas nūc eundi.] Hoc est, uerum quamuis multum hortarer & obsecrarem nihil tamen efficere potui, propterea quod nulla illi erat nunc ad uos eundi uoluntas. Non simpliciter dicit, & non erat uoluntas, sed, & omnino non erat uoluntas nunc eundi. Sic intendit utrinque ut suam hortandi instantiam, ita & illius recusationem.

A Videmus autem hoc duorum sanctissimorum uirorum exemplo, quàm etiam sanctis non sit eadem in omnibus uoluntas. Pauli uoluntas erat, ut Apollos unà cum fratribus ecclesiam Corinthiorum inuiseret. Et hoc illum impense ac multum ut faceret hortabatur. Voluntatis huius nihil prorsus erat in Apollo.

Deinde uidemus quàm nonnunquam & sancti non modo difficiles sint, sed & impersuasibiles ad obsequendum uoluntati fratrū, etiam in rebus nihil illiciti habentibus, idque haud aliam ob causam, quàm quod nolunt. Non dicit hic, & non erat illi facultas, sed, & omnino non erat illi uoluntas eundi nunc. Si recte Paulus & motu spiritussancti impulsus tam hortabatur obnixe Apollon, ut iret cum fratribus Corinthum, consequitur tam obstinatam huius recusationem non fuisse ex spiritu Christi. Contra, si hic ex spiritu Christi recusabat, nō erat ex spiritu Christi quod hortabatur Paulus. Atq; ita alteruter spiritu Christi in hac causa destituebatur, & humani quid patiebatur. Sic non sunt omnia sanctorum ex spiritu Christi, nec eadem semper sunt uoluntate præditi, nec in omnibus alij aliorum uoluntati obsequuntur. Nec est ut hæc in sanctis excusemus, ne excusemus & in nobis, rursus, non est ut propterea sanctos damnemus, ne consimili de causa damnemus & hodie fratres in ecclesia Christi. Perfectionem quæramus & speremus in cœlis, & sic persequamur in terris, ut imperfectionem nec in nobis excusemus, nec in fratribus damnemus.

B Vide autem quàm caute non dicat simpliciter: & omnino non erat uoluntas eundi, sed, & omnino non erat uoluntas eundi nunc, id est, hac anni tempestate, qua Timotheum misi. Significat hoc factum esse ab Apollo non ipsorum fastidio, quasi ipsos contemnat, sed fuisse illi causas alias propter quas induci nequiuerit, ut tum iret. Sic non modo seipsum, sed & Apollon excusat, ne quod de illo scribit, accusandi studio scribere uideatur. Huc pertinet quod subijcit.

VENTVRVS est autem cum opportunitatem erit nactus.] Non simpliciter dicit: Venturus est autem ubi uolet tempore alio, sed: Venturus est autem cum opportunitatē fuerit nactus. Ergo significat non fuisse illi tum opportunum ut iret, aliàs non fuisse detrectaturum quo minus iret. Vides candorem animi synceri. Obstinatā Apollos recusationē tā nō fert moleste ut etiā cōmode & candide interpretetur. Exemplū hoc singulare summopere necessariū est rebus humanis. Incidis in consimilem recusandi obstinationem sic, ut etiāsi multum horteris & obsecrādo obsecres fratrem, nihil tamē impetres, absit ut irriteris, & contemptum tui interpreteris. Quin magis exemplo huic Apostolico conformeris dicens: Nunc recusat frater. Est illi forsan nunc quod peto, incommodum & importunum.

Consen-

Consentiet ubi opportunitatem fuerit nactus, ac tum faciet ex animo, quod nunc facere detrectat.

Deinde uide quàm prudenter Corinthiorũ quoq; rationem habeat in hac causa. Poterat dicere: & omnino non erat illi uoluntas eundi nunc, quod esset illi importunum. Sic dixisset, si se & Apollon duntaxat excusare uoluisset. Verum quoniam curandum simul erat, ne spem Corinthiorum qua Apollon aliquando ad se uenturum expectabant, extingueret, sed potius lactaret, uisum est aduentum illius ꝓmittere, sic tamen ut hac conditione adiecta, cum opportunitatem fuerit nactus, quod pro mittebat non temere, sed circumspecte promitteret. Promittit autem hoc non ex certitudine futuri euentus, sed ex bona qua erat erga Apollon fiducia. Confidebat illum sic esse erga Corinthios affectum, ut si aliquãdo opportunitatem esset nactus eundi ad ipsos, non esset id officij detrectaturus amplius.

Ergo opportunitatis rationem in rebus gerendis habent & sancti, idq; ut in exemplo pręsenti patet, non in prophanis modò, sed & ecclesiasticis ac religionis negocijs. Etenim qđ Paulus Apollon tantopere hortabatur ut iret cum fratribus Corinthum, non erat prophanum negocium, sed pertinebat ad confirmandum ac moderandum Christi, quæ illic erat, ecclesiam. Et hoc ille facere nolebat, propterea quod non esset sibi tum temporis opportunum. Et id Paulus usqueadeò non damnat, ut etiam ad excusandum eum Corinthijs pro sufficienti causa adducat. Sane non est susque deque facienda gerendarum rerum opportunitas. Quicquid enim, dempta necessitate uel tempore, uel loco, uel modo importuno geritur, parum utiliter, nonnunquam etiam cum damno geritur. τὸ γὰρ καλὸν μὴ συνκαίρως γινόμενον οὐ καλόν.

Videndum tamen etiam atque etiam, ut opportunitati recte studeamus. Opportunitas gerendæ rei alia est temporis, alia loci, alia ipsius rei, alia nostræ ipsorum personæ, aut sententiæ. Respectu commodi temporis uocatur Græcis συνκαιρία. Loci uero, Latinis uocatur opportunitas, cuius uocis metaphora sumpta est à commoditate portus, in quem tam nauigaturi commode quæ uehenda sunt inferunt, quàm qui nauigarunt naues suas ex alto mari deducunt, ad quod utrunque magna est portus commoditas, ut recte quæ cõmode geruntur, opportune geri dicantur. Accidit sæpenumero ut res ipsa talis offeratur in se, ut sit apta ad gerendum, modo respondeat temporis uel loci commoditas. Sed hæc sunt permittenda iudicio prudenti ac gnauo. Id uero probandum non est, quod sæpenumero gerendæ rei opportunitatem secundum nostram molliciem ac socordiam tum esse iudicamus, quando uel nullo potest, uel admodum modico geri negocio. Sic enim animatis importunum est & incommodum, quicquid cum labore aliquo gerendum esse apparet, quemadmodum pigris ac desidibus nullum est opportunum iter, quàm quod uel naui uel uehiculo confici potest. Hæc obiter per occasionem præsentis loci de opportunitate annotanda esse duximus. Nolle obire in præsenti, quod incommodum & importunũ esse uidetur, non damnatur, sed probatur sanctorum exemplis, modo absit sinistræ mentis pigricies ac socordia.

Vigilate, state in fide, uiriliter agite, estote fortes, omnia uestra cum charitate fiant.

Epistolam terminaturus priusquam commendationem quorundam selectorum fidelium ac salutationis officia subiungat, succincta hac & summaria parænesi ferè omnia complectitur, quæ ecclesiæ illi cum primis erant necessaria. Principio, uigilate inquit. Hoc est, cauete somnolentiam animi, estote in causam salutis uestræ uigiles, intenti ac circumspecti. Si uigilassent, tantum seductionis in ecclesiam ipsorum haudquaquam irrepsisset. Si uigilassent unquam, locum sectis ac pseudoapostolis haud permisissent. Vnde est quod in ecclesijs Christi passim obtinuerunt errorum, superstitionũ, Simoniæ, falsorũq; cultuũ magistri, una cum toto Antichristianismo, quàm ex eo quod dormitare cœperunt omnes, seque ductoribus cæcis totos permittere? Quę nam mala in ea domo locum habere non possunt, in qua uigilat nemo, dormitãt omnes? Quare Christus quoque tam diligenter suos hortatur ut uigilent. Cum dux exercitus milites suos monet ut uigilent, an non satis significat imminere ipsis periculum ab hostibus? Sic Apostolus Corinthios hoc loco ad uigilandũ hortatur, cum uideret eos per incuriam obnoxios pseudapostolorum esse insidijs factos.

Deinde ut in cœpta metaphora pergat, addit, state in fide. Excubantium est neque iacere humi prostratos, neque ociose sedere, sed stare paratos ad obseruandum & excipiendũ insidias hostis, neque esse muliebriter perterritos, sed agere uiriliter, & esse fortes, neque dissidere inter se odijs & simultatibus, sed esse inuicem alius in alium amanter & concorditer affectos. Sic cœptam excubandi metaphorã prosequens dicit: state in fide, uiriliter agite, estote fortes, oĩa uestra cũ charitate fiãt.

STATE in fide, inquit.] In fide parum firmi stabant, cum resurrectionem mortuorum negarẽt. Hoc in illis perstringẽs, in genere hortatur, ut stent in fide. Stare in fide, est in nullam partem, nec ad dexteram nec ad sinistram à uera ac syncera Christi fide uacillare, sed immote contra quosuis Satanæ ac ministrorum illius insultus persistere. Quàm steterint ecclesiæ post Apostolorum tempora in uera Euangelij Dei fide, non est ut examinemus. Clamat res ipsa. Quàm difficile sit in illa stare, etiam

tiam adhuc uiuentium apostolorum tempora docuerunt.

VIRILITER agite.] Græcè est ἀνδρίζεσθε, id est, uiros præstate. Viri est animo esse non pusillo, sed hosti uiriliter resistere, ac dextre pugnare. Sic in religione Christi Christiani hominis est, siue uir sit siue mulier, uirili, id est, maturo & infracto præditũ esse animo. Et tales reddit uiua & efficax fides, nõ modo uiros, sed & fœminas, nõ iuuenes modo, sed & puellas, cuius rei innumera sunt exempla ædita in Christianismo, & nostra quoque ætate æduntur quotidie.

ESTOTE, inquit, fortes.] Vt uiriliter agat, fortitudo requiritur, sine cuius dono nemo uiriliter agere poterit. Hanc requirit à fidelibus dicens: Estote fortes. Atque ita uelut exponit, quid uelit cum dicit, ἀνδρίζεσθε, id est, uiri estote, id uidelicet, ut sint fortes. Loquitur autem nõ de robore corporis quo destituunt senes, paruuli, ægroti, & sexus muliebris, sed de fortitudine spiritus, quæ sit in fide Christi, apta & instructa, non modo ad operandum opera fidei, sed & ad quæuis aduersa propter Christũ fortiter ferenda, & ad resistendum Satanæ circueunti, ac quem deuoret quærenti.

Sed dices: Vnde carni nostræ hæc poterit esse fortitudo, quæ ipsius quoq; Christi testimonio admodũ infirma est & imbecillis? Respõdeo. Scribit Apostolus Christianis, in Christum credentibus, ac spiritu Christi regeneratis, & poscit ab illis nõ quod carnalium est & animalium hominũ, sed quod est Christianorum ac regeneratorum, quod habent nõ ex natiuitate carnis, sed ex dono & regeneratione spiritus. Si fortitudinem hanc requiras à primę natiuitatis carne, perinde feceris ac si aquã requiras à pumice, & robur eundi, operandi, edendiq; & bibendi ab ægroto. A spiritu uero è supernis regenerato si requiras, requiris non quod habeat ex seipso, sed quod accepit, & quotidie accipere potest dono Dei, modo ex fide petat. Et Paulus homo erat, & tamen dicebat: Omnia possum per eum qui me confortat, dicebat autem non ut animalis homo, sed ut spiritualis, per spiritũ Christi regeneratus. Nihil possumus, inquis, uerum est, sed adde, ex nobis ipsis. Omnis autem nostra sufficientia ex Deo est. Discipulis suis dicebat dominus, inquis: Nihil potestis facere. Dixit quidẽ, sed præmisit, Sine me. At Christiani non sunt sine Christo. Deus est, inquis, teste Apostolo hoc ipso, qui operat & uelle & perficere. Quid ergo nos poterimus? Verũ est, operatur in nobis Deus, ut & uelimus & perficiamus: at hinc non sequitur Christianos homines nec uelle nec perficere posse quod bonum est, sed magis sequitur contrarium. Quis enim nõ uolet & perficiet quod Deus in ipso operatur ut uelit & perficiat? Si Deus operatur in nobis & uelle & perficere, utiq; poterimus & uelle & perficere, etiam si ex nobis nihil horum poterimus. An non possumus quod etsi non ex no-

A bis, ex Deo tamẽ in nobis operãte possumus? Num recte dicet corpus animatum: caro sum, nihil possum, spiritus enim est qui uiuificat, qui sapit, intelligit, iudicat, uidet, audit, sentit & operatur omnia? Verum quidem, facit hæc omnia spiritus, at interim facit hæc partim in corpore, partim per organa corporis, ut corpus harum operationum spiritus expers dici non possit. Vt ergo recte dixerit corpus animatum, ex me ipso quidem nihil horum potero quæ facio, uerum est in me spiritus, per quẽ uidere, audire, sentire, stare, sedere, ire, edere, bibere, operari, intelligere, uelle, nolle, amare, odisse, gaudere, tristari, timere, sperare, &c. secũdum mensuram operationum illius ualeo, ita & Christianus, per spiritum Christi regeneratus, ut gloriam det gratiæ Dei, recte quidẽ negabit boni se quicquam ex seipso posse operari, at simul recte fatebitur se quod per seipsum non potest posse per operationem habitantis in se spiritus Christi, idq; etsi non perfecte, secundum mensuram tamen donationis Christi. Sic itaq; Christiani infirmi sumus & fortes, infirmi per carnem, fortes per spiritum Christi. Quoniam autem spiritus Christi non operatur in nobis ea serie & continuatione naturali, qua spiritus noster operat in corpore nostro, sed ut uult & quando uult, orandum nobis est, ut sufficientiam nobis operationum suarum quoties illam & gloria redemptoris nostri & salutis nostræ ratio & fratrũ necessi-

B tas poposcerit. Cum igitur hortatur Apostolus, ut fidamus, speremus, diligamus, uigilemus, stemus in fide, uiriliter agamus, fortesq; simus, non requirit hæc à nobis quasi ex nobis, sed monet ut ad dominum conuersi, quæ deesse nobis sentimus, suppliciter & instanter ab illo petamus, & acceptis fideliter & constãter utamur.

OMNIA uestra, inquit, cum charitate fiãt.] Græcè est πάντα ὑμῶν, non πάντα ὑμῖν. Quare cũ uulgata malo legere omnia uestra, quàm cum Erasmo: omnia uobis, præsertim ob id, quod amphibolum est, si legamus: omnia uobis cũ charitate fiant. Nam æque id sonat: omnia uobis fiant ab alijs cum charitate, atq;, omnia fiãt à uobis cum charitate. At in uulgata lectione nihil est amphiboli.

OMNIA uestra, inquit.] Quæ omnia? In summa, omnia quæ cogitatis, constituitis, dicitis & facitis. Sic omnẽ nostrã uitã duabus dictionibus cõplectit dicens: Omnia uestra. Docet igitur, quomodo omnis uita nostra institui debeat, cum dicit: Omnia uestra cum charitate fiant. Quid est autem omnia facere cum charitate? Obsecro, ignoramus ne quid sit omnia facere cum liuore & odio? uel, cum inanis gloriæ studio? uel, cum auaricia? Qui odit proximum, quicquid agendum cum illo est, agit ex odio, animo iniquo, iudicio sinistro, studio malo, hoc unum spectans, ut rebus illius quoad eius poterit incommodet. Econtrario, qui diligit proximum, agit cum illo omnia ex charitate,

ritate, animo beneuolo, iudicio syncero, studio bono, nihil quærens aliud, quàm ut rebus illius commodet pro uiribus. Sic est comparata charitas, & hoc est illius ingenium. Non inuidet, non est procax, non inflatur, non fastidit, non quærit proprium commodum, nō irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniusticia, sed congaudet ueritati, patiens est, benigna est, suffert, credit, sperat & sustinet omnia. Sed de hoc charitatis ingenio uidimus suprà cap. 13.

OMNIA uestra, inquit, cum charitate fiāt.] Quare non dicit: Omnia uestra cum fide, cum timore domini, cū iusticia fiāt? Quid est quod charitatē poscit in omnibus? Respondeo. Accommodat se ecclesiæ cui scribit. Illa quātum deficeret ab ingenio charitatis, plus satis declarabat studio sectarum, contentionum ac dissidiorum, & reliquis carnis operibus. Quare illam præcipue reuocat ad studium charitatis, quemadmodnm & suprà cap. 13. fecit. Quod ergo dicit: omnia uestra cum charitate fiant, non est sic in uniuersum ad omnia referendū, quæ nobis sunt agenda, partim cum Deo, partim cum hominibus, siue hi sint impij siue pij, siue superiores nobis, siue pares siue inferiores, siue cognati & cōiuncti siue alieni, partim cum nobisipsis, ut fidem, spem, iusticiam, iudicium, timorem Dei, &c. excludamus, sed simpliciter hoc loco secundum mentem Apostoli de ijs intelligendum, quæ agenda sunt cum proximo. Diligendus est & Deus, idq; cū primis, ac præ omnibus. Verum de hac parte cogitationum, studiorum, uerborum & operum uitæ nostræ quæ Deum concernit, meo iudicio non loquitur hoc loco Apostolus, sed respicit ad morbum quo Corinthij laborabant, & plurimum à fraterna charitate deficiebant, illiq; hoc ueluti remedium apponit, ut curet. Vbi nanq; charitati fraternæ studetur in omnibus, ibi sane dissidia, contentiones ac sectæ, si obtinuerunt antea, cessabunt & euanescent, ut pax & concordia restituatur, si nō obtinuerunt, ne obtineant in posterum, impedientur & arcebunt, ne pax & concordia labefactet.

Et utinam beneficio Christi detur hoc nostræ ætatis ecclesijs, ut uel inter fratres, eiusdē fidei & doctrinæ consortes, fiant omnia cum charitate, uel si minus sperandum hoc est, ea saltem cum charitate fiant, quæ cum primis singulare charitatis studium poscūt, è quibus est mysteriorū Christi cōmunicatio, qua unū nos corpus esse in dño declarari cōueniebat.

Obsecro autem uos fratres: nostis familiā Stephanæ esse primitias Achaiæ, & quod in ministerium sanctis ordinarunt seipsos, ut & uos subditi sitis talibus, & omni adiuuanti & laborāti. Gaudeo uero de aduentu Stephanæ, & Fortunati & Achaici, quoniam id quod mihi deerat uestri hi suppleuerunt. Refo- A **cillauerunt enim spiritum meum ac uestrum. Agnoscite itaq; eiusmodi.**

Habent ista singularem commendationem trium selectarum personarum de ecclesia Corinthiorum existentium, Stephanæ uidelicet & Fortunati, & Achaici. Obsecro, inquit, uos fratres. Quamuis æque uerti poterat: Hortor autem uos fratres, placet tamen legere: obsecro uos fratres, propter Apostolici pectoris affectum, ad obsecrandum magis quàm ad hortandum propensum. Licet nihil inde emolumenti ad ipsum, multum uero ad illos esset rediturum, perinde tamen obsecrat, ac si ipsius essent bono obsecranti sibi obtemperaturi. Qua in re ipsissimum exprimitur ueræ charitatis ingenium.

NOSTIS familiam Stephanæ, inquit, esse primitias Achaiæ.] Commendaturus hanc meminit singularis gratiæ Dei, qua præ alijs erat Achaiæ fidelibus ornata. Hanc exprimit dum uocat eam primitias Achaiæ, propterea uidelicet quod ex omni Achaia cū primis crediderat Euangelio Dei, atq; ita domino instar primitiarum oblata & cōsecrata fuerat. Quod salutem quidem attinet, nihil decedit illis qui non primi, sed postremi credunt, nec Deo illi minus sunt accepti, cuius rei admonemur in Paulo, qui postremus inter apostolos ad fidē est Christi conuersus, & in parabola dominica, ubi dicit: uolo autem huic nouissimo dare B sicut & tibi, Matth. 20. Singularem tamen merito sortiuntur prærogatiuam, qui ex omni regione, uel ciuitate, uel gente primi honorem hunc Deo tribuunt, ut uerbo eius credant, & uocanti obediant, simulq; alijs ad eandem gratiam quoad eius possunt uel operam suam uel occasionem, saltem exemplo suo offerūt. Quare quemadmodum communi omnium sensu admodum est execrabilis, qui publici alicuius mali primus ex omnibus est uel author uel ꝑpagator, ita communi conuenit omnium sensu singulariter in precio habere eos, qui publici boni primitiæ constituti sunt à domino, modo in ea gratia perseuerēt. Aliàs ex primis fiūt nouissimi. Hoc nomine commendat Apostolus ecclesiæ Corinthiorum familiam Stephanæ dicens: Obsecro autem uos fratres, nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ.

Vulgata autē lectio coniungit in hac prærogatiua familię Stephanę, Fortunatum & Achaicum. Sic enim habet: Nostis domum Stephanæ, Fortunati & Achaici, quoniā sunt primitiæ Achaiæ. Verum de duobus hisce posterioribus non fit mentio in Græcis exemplaribus hoc loco, & nec à Chrysostomo quoq;.

Obseruandum est hoc loco, quod non simpliciter dicit: Nostis Stephanam, sed, nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ. Patrifamilias domesticam suam adiungit familiam. τὴν οἰκίαν, inquit, στεφανᾶ. Verosimile est Stephanam hunc credidisse primum, & ubi credere cœpit familiæ suæ fuisse authorē, ut & ipsa ad fidem

ad fidem induceretur. Et tamen non solum ipsum nominat, sed simul & ipsum & domesticos eius complectitur dicens: Nostis familiam Stephanę esse primitias Achaię. Facit hoc non ut patremfamilias gloria sua priuet, quasi credente familia non crediderit ipse, sed magis ut singularem gratiam Dei deprędicet, qua concessum illi erat, ut concordem haberet in uera religione amplectenda non unam & alteram domesticorum personam sed totam familiam. Qua re obsecro quid nam poterit homini pio accidere iucundius? An non hic implebatur illud Psalmistæ: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unū? Contrà quàm triste est & molestum, si fidelis paterfamilias dissentientem habeat familiam, uxorem pietati reluctantem, filios ueritatem Dei blasphemantes, familiam & honori & saluti suæ perfide insidiantem? ut impleatur illud Christi: Erūt quinque in una domo diuisi, &c. Triste hoc est per comparationem, respectu eius felicitatis, qua & paterfamilias & familia unanimes dono Dei ueritatis doctrinam amplectuntur. In se uero si consyderes, multo iucundius est domesticum hoc dissidium propter regnum Dei exortum, quàm pax domestica tenebris ignorantiæ inuoluta.

Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: Familia Stephanę primitiæ sunt Achaiæ, sed: Nostis familiā Stephanæ primitias esse Achaiæ. Quod in Græco est οἴδατε, uerti quidem potest, uel, Scitote, uel scitis ac nostis, uerum ubi consyderamus, non hoc agere Apostolum ut hortetur Corinthios, ut familiā Stephanæ primitias esse Achaiæ sciant, aut agnoscant, cum hoc illi non ignorarent, sed consciētiam ipsorū appellare de re omnibus ipsis nota, quod uidelicet familia Stephanæ primitiæ sint Achaiæ, atq; hinc illos admonere, ut subditi sint talibus, existimamus conuenientius esse, ut legamus, nostis, quàm noueritis uel scitote. Sic cauet, ne præter rationem familiam hanc illis commendare, & magis suos in illam affectus, quàm iustam aliquam causam sequi uideatur, pręsertim cum ea familia amanter ac reuerenter in se esset affecta, idq; multis modis declararet. Vos ipsi, inquit, nostis familiā Stephanæ primitias esse Achaiæ. Non est ut mihi hac in re gratificemini. Testimonio consciētię uestræ conuicti æquissimum esse fatebimini, ut quod moneo faciatis.

Consyderandum hic est Christi ministris, quæ sit uis earum admonitionum, quarum argumenta sumuntur ex rebus cognitis, de quibus ipsæ possunt eorum appellari consciētiæ, qui admonēdi ueniunt. Siue doceant, siue corripiant, siue hortentur, & admoneant, curandum est, ut conscientiæ auditorum conuincantur, quarum συμμαρτυρία uel urget fortiter ad obediendum ueritati, uel adimit omnem excusationem immorigeris.

ET quod in ministerium sanctis, inquit, ordinarunt seipsos.] Non solum id in illis commendat, quod cum primis crediderunt Euangelio Dei, sed & hoc consyderandum proponit, quod posteaquam credere cœperant, omnem suam quam poterant operam credentibus fratribus pio ac diligenti studio impenderunt. Eos qui Christo credebāt, pauperes, exules, & afflictos, uocat iam secundo, sanctos, simul admonens, quo loco habuerit eos, & quo respectu ministrarit illis familia hęc Stephanę. Reputabat & agnoscebat eos esse sanctos Domini, & hoc illos respectu suscipiebat hospicio, alebat, uestiebat, & omnis generis quibus poterat refocillationibus & consolationibus afficiebat, inq; fide Christi corroborabat. Hæc omnia dictione, ministerij, complectitur Apostolus, ne quis aliud ad hanc causam non pertinens cogitet. Discant hic cultores Diuorum, quos in Papatu sanctos uocant, quibus sanctis, & quo ministerij genere, ministrare nos doceat Apostolica doctrina. Colite Deum, ô fratres, per fidem ac seruite illi soli, sanctis uero, hoc est Christi fidelib⁹, multis in hoc sęculo modis afflictis per charitatem quæ necessaria sunt ministrate: Hoc facientes legitimi eritis cultores ac serui Dei & uerorum sanctorum ministri.

Obserua uero, quod non simpliciter dicit, & quod ministrarunt sanctis, sed, & quod in ministeriū sanctorū ordinarunt seipsos. Aliud est ministrare, & aliud in ministerium ordinare seipsum. Prius sine uolūtatis proposito per occasionem fieri potest, posterius uero propenso ac beneuolo corde perficitur. Sic Christus non simpliciter ministrauit nobis redimendis ac saluandis, sed seipsum ad ministrandum nobis ordinauit, & hac uoluntate carne nostra assumpta uenit in hunc mundū. Hoc igitur Apostolus in familia Stephanæ commendat, quod non modo cum primis crediderunt, sed & singularem erga fratres egenos charitatis zelum non simpliciter ministrando illorum necessitatibus, sed & seipsos ex animo totos in id misterij ordinādo declararūt, quasi dicat: Sic ministrant sanctis ardenti ac sedulo studio, ut manifestum sit, ad hoc se ministerium totos ordinasse.

Exemplum hoc in Papatu nonnulli ex monachis ac Nonnis imitari se uelle simulant, atque hac specie irrepserunt in Xenodochia & Ptochodochia, præsertim ea, quibus abunde annuis est reditibus prospectum. Horum propositum si penitius inspiciatur imò si manifesta ipsorum studia spectentur, depræhendētur ordinasse quidem se in ministerium, uerū non sanctis fidelibus sed saginandis suis uētribus. Non repręhendo, absit, sed laudo, si qui hoc sibi uitæ genus deligant, ut nihil agant aliud q̃ ut ministrent sanctis, ad quod institutum nōnullis in locis habentur constituta Διακονστήρια, in quibus eiusmodi propositi homines in hūc usum aluntur ut ad ministrandum, præsertim ægrotis, sicubi necessitas poposcerit, usurpari possint. Non repræhendo, inquam, sed laudo, si quod

si quod faciunt, faciant animo & studio nō sectandi ociū, sed ministrandi sanctis, ut sanctis, sintq; nō minus prompti ad ministrandū, si in humilia pauperum tuguria, q̄ si in splendidas diuitū ædes ministraturi uocetur. Qui sic sunt animati, horum ego propositum, omniū dixerim esse sanctissimum, ac plane diuinum, dignumq; quod inter Christianos magno habeatur in precio, ac templarijs illis cultibus lōgissime præferatur.

Magnū est, si quis suis sumptibus alat eos, qui seipsos in ministerium sanctis ordinarunt. Et utinam sint hodie multi diuites in ecclesijs Euangelicis, qui hoc faciant. In tenebris superstitionū Papisticarum multi fuerunt, qui partim zelo bono partim spe meritorum facultatibus suis διακονιστηρίοις prospexerunt, at in ecclesijs nostrorū citius inuenias qui quod datū est à maioribus in suos prophanos usus auferre, q̄ illorū exēplum sequi cupiant. Id uero multo est præclarius, si quis non modo facultates suas sed & seipsum in ministerium sanctis ordinet.

VT & uos, inquit, subditi sitis talib⁹.] Quoniam nō simpliciter dicit: & uos, sed, ut & uos subditi sitis talibus apparet quidē illud, ἵνα καί, hortandi modo esse dictum, ac legendum, noueritis, ut hic finis eius agnitionis subijciatur, qui sit, ut talibus sint subditi & ipsi, uerū hæc particula non est ad uerbum, ἵνα καί, sed ad uerbum παρακαλῶ referendum, & lectio ordinãda ad hunc modum. Nostis fratres familiam Stephanę, esse primitias Achaiæ, & quod in ministerium sanctis ordinarunt seipsos, obsecro, ut sitis & uos subditi talibus.

Quid igitur? Poscitne à Corinthiorū ecclesia Apostolus, ut subiecta sit familiæ Stephanæ, patiaturq; illius magisteriū ac dñium cū dicit: Vt subditi sitis talibus? Respondeo. Non hoc agit, ut reddat ecclesiā Christi alicui quantūuis sanctę familiæ subiectā ac seruā, sed ut admoneat Corinth. fideles, ut quēadmodū familia Stephanę ordinauit seipsam in ministeriū sanctis, ita ipsi uicissim subordinēt se & ipsi in ministeriū illis qui sunt tales. Est enim in Græco idem utrobiq; uerbum, tam in eo quod poscit à Corinthijs, q̄ in eo quod fecit familia Stephanæ, nisi quod hic simplici ἔταξαν, illic uero composito, ὑποτάσσησθε usus est quod uerti poterat, subordinemini. Huc pertinet & illud quod nō simpliciter dicit, ut subditi sitis, sed, ut & uos subditi sitis talibus, quasi dicat: Vicissim, sicut illi subordinarūt se in ministeriū uobis & alijs sanctis. Caute autē nō dicit: Vt & uos subditi sitis ipsis, sed, ut & uos subditi sitis talibus, ut significet se nō gratificari illorum personis, sed cōmendare pietatē & charitatis studiū non in illis modo, sed & in omnibus alijs cōsimili studio prędititis. Poterat uideri ꝓpensus ob id esse in hanc Stephanæ familiā, quod illa cū primis doctrinæ suæ crediderat, sibiq; cōstāter adhęrebat, uerum ut significet se in illa nō ea cōmēdare quæ se cōcernant, sed ipsam pietatem & charitatem, quam non in illa tantum, sed & in omnibus alijs respiciat, respiciēdamq; esse moneat, nō dicit, ut subditi sitis illis, sed ut subditi sitis talibus. Quod amat ac suspicit in pijs hoc in illis cōmendat, non personas, sed uirtutē, & hanc in precio habendam esse monet in omnibus. Qui bonos amat propterea quod sunt tales, amat non personas, sed bonitatem & liber est ab omni personarum acceptione. Doctrina hæc facilis est cognitu, usu uero difficilis.

ET omni adiuuanti, inquit, & laboranti.] Græce est καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι. i. & omni cooperanti. Sic quod sequit, καὶ κοπιῶντι. i. & laborãti, positum est pro συγκοπιῶντι. i. collaborãti. Per cooperarios autē & collaboratores intelligit eos qui apostolis erant in ministerio uerbi adiumento, siue prædicando, siue alia necessaria obeundo, quales erant Apollos, Titus, Timotheus, &c. Tales erant etiam Stephanas cū sua familia, & Fortunatus, & Achaicus, quorū hic meminit. Vult ergo, ut in precio habeãtur, nō modo qui primores sunt operarij ac laboratores in opere dñi, quales erant Apostoli, sed & omnes illorum cooperarij & collaboratores.

Vide autem quid in illis commendet. Nō dicit: & omni prælato ac prępósito, sed, & omni cooperãti & collaborãti. Operis uult ac laboris nō dignitatū haberi rationē. Nec quodcūq; operis ac laboris genus, sed id cōmēdat, quod adiumento erat apostolis operantibus ac laborantibus in Euangelio Christi. Operabãtur ac laborabãt apostoli in opere dñi, qui eodē cum illis opere laborabãt, erant illorum cooperarij & collaboratores. Apparet autē rursus cōmendare illis Timotheum, & fratres quos cum illo miserat, tanquam cooperarios ac collaboratores suos in opere dñi. Habent hodie episcopi suos coadiutores, & parœci suos collaboratores, cum nec episcopi nec parœci operentur ac laborēt in opere domini. Ridiculum plane est, q̄ homini ocioso & nihil operãti datur coadiutor & collaborator, cū nemo possit nisi operãtis esse cooperator, & laborantis collaborator. At sic fieri solenne est inter eos, qui solis inanibus titulis cōspicui sunt in ecclesia, & nō ueritati seruiunt, sed nugaci fabula ecclesiam Christi ludificant.

GAVDEO uero de aduentu, inquit, Stephanæ & Fortunati & Achaici.] Venerant illi ad ipsum, an suapte sponte, uel missi à Corinthijs puto esse incertū. Quicquid sit, significat se aduentu illorum fuisse exhilaratū. Sunt qui aliter exponant. Quoniã uulgata ędítio habet: Gaudeo in pręsentia Stephanę, Fortunati & Achaici, exponunt de præsentia, nō qua illi fuerint cum Apostolo, sed qua fuerint præsentes ecclesiæ Corinthiorum, quasi dicat: Gaudeo quod apud uos sunt Stephanas, Fortunatus & Achaicus. Hi nanq; quæ uobis desunt præsentia & cura sua adimplent. Huic lectioni & expositioni causam dedit, quod in Græco est uox παρουσία, quasi illa nihil sonet aliud q̄ præsentiam. Et Ambrosius quamuis ambigue exponit & utrunque sensum assignat, hunc tamen priore loco

loco ponit dicens: Quia præsentes sunt apud uos,& in illis magnum potestis habere profectum,quemadmodum & in Cōmentarijs,qui Hieronymo tribuuntur,nō modo eadem ambigua expositio, sed & eadem uerba ponūtur, quæ in Ambrosio legūtur,unde lector diligēs facile olfacere potest quid de illis sentire debeat. Chrysostomus tamē, cui dubio procul uox παρουσία notior aliquāto fuit quàm Latinis scriptoribus, non de præsentia trium istorum uirorum, qua ecclesiæ Corinthiorum præsentes fuerint, sed de aduētu illorum ad Paulum exponit, quam lectionem & expositionem retinendam esse iudicamus.

Quam autem ob causam tres hi uiri ex ecclesia Corinthiorum ad Paulum proficisci uoluerint, non exprimitur. Erant causæ satis multæ, ob quas qui synceriores erant, ad Apostolum proficiscerentur, & quæ in ecclesia ipsorū gererētur ad illum deferrent. Deinde etsi nullæ tales fuissent, ipsum Apostoli desyderium potuit animos illorum excitare, ut quāuis magno ad illum uidendum, audiendū & alloquēdum itinere proficiscerētur. Hoc sane peregrinationis genus, quo uiuorum apostolorum facies & colloquium expetitur, multo est cōsultius & utilius, quàm quo à superstitiosis hodie ad limina apostolorum, ut aiunt Petri & Pauli Romam usq; excurritur, ubi inueniuntur non Apostoli sed Apostatæ, nō Petrus piscator hominum, sed Simon uterq; & uēditor Christi & nundinator gratiæ spiritus sancti, non Paulus doctor Gentiū, sed Saulus persequutor & mactator fidelium animarum, ubi inuenitur inquam, non apostolica Roma, sed apostatica Babylō, & flagitiosissima Sodoma, in qua si quisquā adhuc uere pius uiuit, hunc dominus, oro quemadmodum olim Lothum suum, clementer eripiat, ne cum illa breui interitura pereat.

QVONIAM, inquit, id quod mihi deerat uestri, hi suppleuerūt.] In Græco est, ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν, hoc est, quoniam uestri defectum hi suppleuerūt, uulgata habet, quoniā id quod uobis deerat, &c. Rationem reddit, quare de aduentu sit Stephanæ, Fortunati, & Achaici gauisus. Desyderabat pręsentiā & cōuictum fidelium, quos per Euangelium Corinthi genuerat, perinde atq; pater præsentiā desyderat filiorum, quos domi suæ peregre profectus reliquit. Cum ergo uenissent ad se tres hi uiri gaudebat impense, amplexus eos, haud aliter quàm si tota in ipsis Corinthiorum ad se uenisset ecclesia. Hoc igitur desyderium suum uel, si mauis, absentiam fidelium Corinthiorū, uocat illorum ὑστέρημα, id est defectum, quē non illi, sed ipse patiebatur, dicitq; hunc suppletū esse per aduentū Stephanę, Fortunati & Achaici, seq; per illorum præsentiam, perinde exhilaratum, ac si ipsi uenissent ad se omnes.

Quos suprà præsentem locum de pręsentia trium istorum uirorū exponere diximus, qua non Paulo, sed Corinthiorum ecclesiæ præsentes fuerint, ad hunc illi modum uerba hæc exponunt. Quoniam id quod uobis deerat ad perfectionem boni, ipsi suppleuerunt, & quia de hoc profectu gaudebat Apostolus subdit: refecerunt enim & meum spiritum gaudio spirituali, & uestrum ex profectu boni. Hi intelligūt per ὑστέρημα non desyderium Apostoli quo pręsentiam Corinthiorum qua destituebatur, desyderauit, sed defectum Corinthiorum, quo in causa pietatis deficiebant, uel absentiā Apostoli, cuius præsentiam ecclesia Corinthiorum poscebat, quā tres hi uiri sua pręsentia suppleuerint. Verū si hoc uoluisset Apost. rectius dixisset non in præterito, hi suppleuerunt, sed in præsenti, hi supplēt. Cum enim hæc scriberet, nōdum sic impletus fuit Corinthiorū iste defectus, per præsentiam Stephanæ, Fortunati, & Achaici, ut pręsentiam Apostolicam status ecclesiæ illic non requireret amplius.

QVONIAM, inquit, id quod mihi deerat uestri, hi suppleuerūt.] Obseruemus hic uerę charitatis ingeniū, nō in eo tantū, quod præsentiā ecclesiæ Apost. quā in Christo genuerat, tātopere desyderauit, sed in eo quoq;, quod in tribus uiris, qui ex illa ad se uenerant, totā cōplectitur, illorumq; aduentu perinde exhilaratur, ac si cū illis uenissent reliqui oēs. Locū habet hic charitatis affectus, ubi regnat idē spiritus, & cor est unū & anima una. Ibi in uno ecclesiæ membro, tota ecclesia suscipitur ac repræsentatur, præsertim cum ab illa sit missum.

REFOCILLAVERVNT enim meum spiritum, inquit, ac uestrū.] Rursus nō erat in pręterito, refocillauerunt, sed in pręsenti dicēdū, refocillant enim meū spiritū ac uestrū, si quo sensu uolūt alij, essent hęc dicta. Dixit se gaudere super aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici, ꝓpterea quod illi defectū Corinthiorum præsentia sua suppleuerint. Iā huius quoque ratione reddens, dicit: Refocillauerunt enim meum spiritum ac uestrum. Sic exponit, quomodo illi defectum ipsorū suppleuerint. Refocillando uidelicet utrunq; & suū & ipsorum spiritum. Fatigatus fuerat ipsius spiritus desyderio fideliū ecclesiæ Corinthiacæ. Cōsimili modo fatigatus fuerat spiritus illorū desyderio ipsius tanquā Apostoli ac parētis ipsorū, cuius pręsentia ægre carebāt. Hāc utrorūq; fatigationē tres hi uiri aduētu & pręsentia sua sustulerunt, atq; ita spiritus ipsorum refocillarunt. Sicut enim spiritū Pauli cū ad ipsum uenissent, & ecclesiam Corinthiorū repræsentarent, ita illorum spiritum cum à Paulo ad ipsos essent reuersi, refocillarūt. Nam ut ipsi quodāmodo in tribus hisce uiris ad Paulum, ita Paulus uicissim in illis ad ipsos uenit, atq; ita est utrorunq; spiritus uirorum istorum legatione uel ultronea profectione refocillatus.

REFOCILLAVERVNT enim, inquit, spiritum meum.] In Gręco est ἀνέπαυσαν γὰρ. Id est, denuo quiescere fecerūt. Vbi animo fatigato datur quietis interstitium, per laboris uel ablationē, uel alleuiationē, ἀναπαύεσθαι dicitur. Hoc genere quietis refocillabatur spirit⁹ Pauli per

 aduen-

aduentum Stephanę, Fortunati & Achaici. Nā illorū pręsentia etsi nō in uniuersum auferebatur desyderiū ecclesię Corinthiorū, quo spirit⁹ ipsius fatigabat, nōnihil tn̄ releuabat. Sic refocillātur in hac uita spiritus piorū, à quibus etsi nō auferuntur labores quibus diuina dispositione exercētur, datis tamen subinde interstitijs releuātur, ne prorsus concidāt, donec tempus adueniat, quo plęna & indesinenti quiete potiātur, requiescantq; à laboribus suis in sempiternum. Sustinebat spiritus Apostoli solicitudinem omnium ecclesiarū. Huius molestia nō auferebatur in uniuersum per aduentū triū istorum uirorum, sed ex parte & ad tēpus releuabatur. Et tamē dicit illos refocillasse suū spiritū. Intellige, ex parte. Sic sunt cōparatæ refocillationes piorū, quibus in hac uita recreātur.

AGNOSCITE itaq; huiusmodi, inquit.] Hic nō est εἰδῆτε in Græco, sed, ἐπιγινώσκετε, quod nō simpliciter nosse, sed agnoscere significat, quēadmodū filius à patre, frater à fratre, her⁹ à seruo, &c. agnoscitur. Hortatur igit̄ Corinthios, ut agnoscāt tales fratres ꝑ suis, habeātq; illos in precio. Rursus uero cauēs, ne priuato erga illos affectu ob id mot⁹ quod ad se uenerāt hæc scribat, nō dicit: agnoscite illos, sed, agnoscite igit̄ eos qui sunt eiusmodi. Hoc est, qui seipsos ordinarunt ad ministrandum sanctis, atq; ita cooperantur & collaborant in opere domini, syncere cum erga Christum ipsum tum erga illius fideles & ministros affecti.

Quid ergo faciendum erga eos, qui nō sunt eiusmodi? Si ecclesia habeat pastores & doctores insynceros, & nec Christo nec fidelibus ipsius fideles, agnoscet ne eos pro ueris pastoribus ac doctoribus? Absit. Quis petat ab ouib⁹, ut agnoscāt lupum pro pastore? Quis à pio, ut impium agnoscat pro fratre?

Salutāt uos ecclesiæ Asię. Salutāt uos in domino multum Aquila & Priscilla, cum ea quæ in domo est ipsorū ecclesia. Salutant uos fratres oēs. Salutate inuicē oculo sancto. Salutatio mea manu Pauli.

Claudit Epistolā salutationib⁹ ꝑ more, quo scribimus amicis. Est enim officium salutandi amicitiæ symbolum. Qui nanq; salutat amicū quid illi apprecatur aliud q̄ salutē & oīs generis felicitatē, cupiēs eū semper esse saluū & felicem? At hic demum ueri est amici affectus.

SALVTANT uos, inquit, ecclesiæ Asiæ.] Videntur hæc uerba habere argumētum eius sententiæ, qua iudicatur hāc esse ab Apostolo Epistolam scriptam Ephesi, quæ metropolis erat Asiæ. Quo potest accommodari & illud quod sequitur: Salutāt uos in domino multū Aquila & Priscilla, cum ea quæ in domo est ipsorū ecclesia. Illi nanq; cum Corinthi antea habitarent Paulum hospicio acceperant, & postea cū illo Ephesum usq; migrauerant, ibiq; manserant, sicuti uidere est Act. 18. Iam cum hic dicit: Salutant uos in domino multū Aquila & Priscilla, cum ea quæ in domo est ipsorum ecclesia, innuere uidetur, ibi hanc se scripsisse Epistolam, ubi Aquila & Priscilla morabātur. Et hoc sentiēs uulgatus interpres, adiecit, apud quos & hospitor. Et Chrysostomus licet hoc in textu non legat, nec in Græcis exemplaribus habeatur, idem tamen sentiens dicit, apud eos enim manebat.

SALVTANT uos, inquit, ecclesiæ Asię.] Generaliorem salutationē, ut quæ potioris erat momenti, præmisit. Magnum est, si frater fratrem salutet ex animo, ac uera charitate prosequatur in domino. Maius tamen est, si sic amāter complectantur ecclesiæ ecclesias, idq; non unius tantum & eiusdem nationis, quod forsan eiusdē poterit fieri amore patriæ ac lingue, sed & aliarum atque aliarum regionum ac nationum, ut si ecclesiæ Germanicæ diligant ex animo Gallicas, Italicas, Anglicanas, Hispanicas, propter Christum, & hæ mutuo diligunt aliæ alias. Hanc communem & generalem φιλεκκλησίαν unius & eiusdem fidei in Christum professio, eadem sacramēti obsignatio, eadem sub capite Christo incorporatio, & quę ꝑ eundem est spiritū regeneratio ac moderatio requirit. Qualis qualis illa tum tēporis fuerit, id certum est, propterea generalem hāc ecclesiarū salutationē poni ab Apostolo, ut admoneat ecclesias omnes, quàm debeant amanter inter se affici & coniungi, siquidē non in speciē tantum, & solo titulo, sed ueraciter pro Christi uolunt haberi ecclesijs. Hoc agebat ac moliebatur diligētissime Apostolus Christi, doctor Gentium, pro solicitudine, quam erga omnes Christi ecclesias gerebat in pectore, ut illas inter se mutuæ charitatis & concordiæ spiritu conglutinaret.

Nec impediri ab hoc studio uolebat ecclesias Asiæ, per ea quæ in ecclesia Corinthiorum tā multa culpabiliter fiebant, quo minus illam salutarent in dn̄o. Hodie uidemus quarūdam ecclesiarum magistros usq; adeo alienos esse ab hoc Apostoli studio, ut in colloquijs, ad cōciliationē ecclesiarum institutis, primā actionem condemnandis ecclesijs dari uelint & ut detur improbe contendant, quas tamē nec uiderunt, nec uel à limine salutarunt unquā, idq; propter unius dogmatis in sesu uariationem. Si hosce magistros habuisset Apostolus in ecclesijs Asiæ, nunquam illos inducere, ut ecclesiam Corinthiorum salutarēt in domino, & cohibere potuisset, ne diris eā deuouerent ac Satanæ traderent.

SALVTANT uos in dn̄o multum Aquila & Priscilla, inquit, cū ea quæ in domo est ipsorū ecclesia.] Erat hic Aquila ex Ebræis Christianus, genere Pōticus. Roma cum uxore sua inter alios Iudęos à Claudio eiectus uenerat Corinthū. In hunc inciderat Paulus cum uenisset Corinthū, & quoniā eiusdē erat artificij, manserat apud eū. Artificiū autem illius erat, texere tabernacula. Postea cum Corintho discederet, habuit illū & uxorem eius Priscillā in comitatu, Ephesum usq;, ubi substiterūt hi duo, ac pedem

dem fixerunt. Reuersus aliquanto pòst Ephesum, ut probabile est, denuo factus est illorum hospes causamq; præsentia sua dedit, ut in illorũ domo subinde colligeretur ecclesia fideliũ Christi. Iã cũ esset apud illos, & Epistolã hanc scriberet, utiq; uolẽtibus ac petẽtibus ipsis, saluere ipsorum nomine iubet ecclesiã Corinth. cuius aliquãdo pars fuerãt, cũ Corinthi morarentur. Et ut singularẽ illorum erga eã ecclesiã exprimat dilectionis affectũ, nõ simpliciter dicit: Salutãt uos Aquila & Priscilla, sed, Salutãt uos in dño multũ Aquila & Priscilla. Quãuis essẽt illi ex Iudęis credẽtes, usq; adeo tamẽ nõ auersabantur ecclesiã ex Gẽtibus congregatã, sicuti faciebant quàmplurimi fideles ex Iudæis, præsertim qui adhuc erant in Iudæa, ut illam in domino non leuiter, sed multum amarent, & ex animo saluam esse cuperent, atq; ita multum illi salutis apprecarentur. Sic erãt uidelicet à Paulo Gentium Apostolo instituti.

CVM ea, inquit, quæ est in domo ipsorũ ecclesia.] Siue intelligas de domesticis, siue de peregrinis & hospitibus, siue de indigenis fidelibus, qui in domo illorũ cõuẽtus sacros facere cõsueuerint, egregiã illorũ cõmendationẽ hac particula exprimit, quod & Ro.16. fecit dicẽs: Itẽ salutate quæ in domo est illorum ecclesiã. Ergo ecclesiã nõ debem⁹ amplitudine, ac splẽdore tẽplorum, ac multitudine fideliũ metiri, quãdo quidẽ unus domus familia Christo credẽs, uel hospites ꝓpter Christũ domo accepti, uel talis credẽtiũ paucitas, q̃ priuatis ędib⁹ accipi possit, ecclesiã cõstituant. Sed hac de re in locis nostris annotauimus, titulo de ecclesia.

SALVTANT uos fratres omnes.] Q. d. Nõ ij tantũ qui sunt in domo Aquilæ & Priscillæ, quos cognouistis, sed & cæteri fratres oẽs, facie uobis & nominibus ignoti, salutẽ uobis in dño apprecãtur. Nemo ex omnibus est, qui nõ optime uobis uelit in dño. Clãculũ inuitat eos ad studium cõcordiæ, dũ à fratribus omnibus absque discrimine salutari eos scribit, ut & ipsi inter se tanquã fratres unanimes sint in Christo, & fraternæ dilectionis mutuo affectu prędit, quo possint erga reliquos etiã fideles amãter amplectẽdos & in dño salutandos esse concordes. Etenim qui secũ dissidẽt ipsi, quomodo unanimi spiritu cæteros in domino fratres complecti poterunt? Hoc innuens subiungit.

SALVTATE uos inuicẽ, inquit, osculo sancto.] Nõ præcipit simpliciter, ut alij alios osculẽtur, cum hoc aliàs ex more facere solerẽt, sed ut quod faciebant facerẽt sanctẽ. Sanctũ osculum est, quod fit nec prophano affectu, nec externa simulatione absq; dilectiõis ueritate, sed religiose & ueraciter propter cõcordiam fidei quæ fit in Christo. Hoc uti non possunt discordes, & contentiosi sectarij, sed ij tantum qui unanimes sunt in domino. Cum ergo dicit: Salutate uos inuicem osculo sancto, omnino requirit mutuam inter ipsos dilectionem & concordiã. Hac enim obtinente, necesse est ut studium sectarum lãguescat, & tandem è medio

A tollatur. Pro osculo, quod Græcis est φίλημα, dilectionis uidelicet & amicitiæ symbolum, pro consuetudine nostrarum nationum coniunctione dexterarum inter salutãdum tanquam societatis signo, utimur. Verum multo redimendum esset, plus esse in hoc signo ueritatis, quàm simulationis.

SALVTATIO mea manu Pauli, inquit.] Duo facit: Primum salutat eos & ipse. Deinde salutationẽ hanc, non ponit per amanuensem, quo utebatur, sed suapte manu, quo & certi de illa ac simul de tota Epistola essent, & omnis occasio impostorib⁹ adimeretur, ne quid in illa mutarent, & suppositiam aliquam falsam & corruptã sub nomine Pauli ecclesijs obtruderẽt. Et hac cautione usus est non in hac modo, sed & in omnibus alijs Epistolis suis, sicuti in posteriore ad Thessalonicenses uidere licet, ubi sic dicit: Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola. Sic scribo.

Si quis nõ diligit dominum Iesum, sit anathema maranatha.

Cum hæc manu sua scriberet, & impostoribus occasionem imposturæ adimeret, cogitare cœpit de mala illa radice, unde omnis in ecclesia Corinthiorũ hypocrisis, impostura, synceritatis corruptio, pacisque & unitatis dissolutio nascebatur. Eam sentiebat esse cor non rectum ac syncerum erga dominum Iesum, quale erat pseudapostolorum, qui cum essent

B Apostoli non Christi, sed Satanæ, transfigurabant se in apostolos Christi, quæ sua erant ipsorum, non quæ Christi quærentes. Horum itaque maliciam & perfidiam perstringens, imò condemnans dicit.

SI quis non diligit dominum Iesum, sit anathema.] Quasi dicat: Si quis corde est adeo peruerso ac malicioso, ut alienus cum sit à dilectione domini Iesu, nihilo tamen minus fingat ac simulet se illum impense diligere, illiusque discipulus & Apostolus haberi uelit, sit ille uobis anathema, potius quàm Christi uel discipulus uel Apostolus.

Vide autẽ quàm moderate & caute non exprimat eorũ nomina, quos tamẽ dubio procul tales esse sciebat, sed per sentẽtiã hypotheticã dicit: Si quis non diligit dñm Iesum, sit anathema. Moderationis huius erat ratio, ut parceret non ipsis pseudapostolis ac seductoribus, sed ijs qui ab illis seducti pẽdebant, ac nominibus eorũ usq; adeo erãt addicti, ut execrationem illorũ tã graue & horrẽdam ferre nequirent, ac citius à toto Christianismo relapsuri, q̃ illã patiẽter laturi uiderẽtur. Horũ rationem habens abstinet quidẽ à specificatiõe impostorũ, uerũ ea moderatione, ut interim radicẽ mali consyderandã illis & animaduertẽdã exponat, ut in quocunq; illã deprehenderint, suaipsorũ consciẽtia impulsi damnẽt illũ, & pro anathemate habeant & ipsi. Hac prudẽtia & moderatione Apostolici spiritus utẽdum est in illis ecclesijs præcipue, in quib⁹ obtinẽt studia sectarũ, quo

plebs seducta ipsum malum agnoscat prius, q̃ ad damnãdum impostores cogatur, quos adhuc ipsissimos putat esse Christi apostolos.

Hoc sensu puto, intelligendum esse quod dicit: Si quis non diligit dn̄m Iesum, sit anathema. Neq; enim loquitur de Iudæis aut Gentibus incredulis, & à professione Christiani nominis alienis, quorum nemo dominum Iesum diligit, & tamen hac anathematis sententia feriendi non sunt ab Apostolo, qui de illis qui foris sunt, iudicium sibi non sumit.

SI quis nõ diligit dn̄m Iesum, inquit.] Cõsyderandum hic est, quæ sit nota dilectionis Christi, unde cognoscãtur ueri illius amici, fideles, discipuli, & ministri. Ea nõ est quærẽda in uerbis, aut specie pietatis externa & fallaci, sed in uera uerborum Christi obseruantia. Hãc enim ipse nobis proponit dicẽs: Si quis diligit me, sermonẽ meũ seruabit. Itẽ. Si diligitis me, præcepta mea seruate. Et. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcepi uobis. Ergo obseruãtia uerborũ Christi, arguit animũ illius amãtem. Contrà, neglectus & cõtemptus illorum hominem arguit à dilectione Christi alienum. Quod si accesserit hypocrisis, quęstus, & nũdinatio sub nomine Christi præsumpta, plane dignus est anathemate, tanquam subdolus, impius, & maliciosus impostor.

Quid est autẽ quod nõ dicit: Si qs nõ diligit Deũ, sed, Si quis nõ diligit dn̄m Iesum? An nõ refert, Deum ne diligamus uel secus, modo diligamus dn̄m Iesum? Respondeo. Dn̄m Iesum nemo diligit sine dilectione Dei patris. Filium enim quomodo diligemus ut filiũ ac dn̄m, nisi in illo diligamus & patrẽ, à quo dat⁹ est nobis filius? Apost. autẽ quoniã singularẽ maliciã & imposturã pseudapostolorũ pstringere & execrari uoluit, q se in apostolos Christi diabolica impostura trãsfigurabãt, cũ corde essent erga illũ nõ recto, notãter dilectionẽ dn̄i Iesu adduxit in mediũ, in qua depræhẽderent̃ ueri ministri Christi, & secundũ quã iudicaret̃ de falsis. Nõ enim hic tã impietatis erga Deum in genere, q̃ imposturæ pseudapostolorũ sub nomine Christi præsumptæ notam exprimere uoluit.

SIT anathema, inquit.] De uoce anathema non est ut hic dicamus. Diximus enim de illa, Ro. 9. Et est aliàs admodũ nota in ecclesijs, & plus æquo usitata in cõcilijs ac decretis Põtificũ. Laborãt enim illi singulari quadam anathematizandi procliuitate, qua mox execrantur, & ab alijs pro execratis haberi uolunt omnes eos, qui nõ ad omnia ipsorum statuta subeunda ceruices suas submittunt.

MARANATHA.] De hac uoce nõ est eadem omniũ sentẽtia. Si Chaldæa est uel Syra, sonat dn̄s noster uenit. מרן siquidẽ. i. maran, idẽ est, quod dn̄s noster. Sic illud Dauidis, Non nobis dn̄e nõ nobis, in Chaldæo est, La lan marana la lan. i. nõ nobis dn̄e noster non nobis. Et אתא uel אתה. i. atha, sonat, uenit. Sic Hieron. quoq; in Epistola ad Marcellã exposuit. Et hunc sequuti sunt nonnulli alij.

A Burgensis aliud sentit. Existimat accommodasse se Apostolum hoc loco mori Iudęorum, quo rebelliũ & cõtẽptorũ legis condẽnationẽ trifariã exercuerunt. Primo p exclusionẽ è consortio populi Dei quã nostri excõmunicationẽ uocãt. Deinde p destructionẽ ac dissipationẽ bonorũ, quã uocãt חרם. Tertio p extremã maledictionẽ, cui solẽni tubarum clãgore deuouebãtur. Ad primã cõdemnationis partẽ ptinere dicit, quod Apost. uocat anathema, ad secundã, quod subiũgit, maran, quasi idem sit quod maheram. i. dissipatio, à uoce חרם, ad tertiã, quod addit, atha quã uocẽ idẽ esse uult, qđ est שמיתתא. i. mortificatio. Et hãc Burgẽsis opinionem sequuntur nõnulli ex recentioribus, quã probare nõ possum, propterea quod longius à structura uerbi huius discedit. August. in altercatiõe quã habuit cũ Pascẽtio Arriano præsentis locis meminit ad hũc modũ: Simul utitur Græco & Syro uerbo. Si quis, inquit, nõ amat dominum Iesum, sit anathema maranatha. Anathema Græco sermone dixit cõdemnatus, maranatha, donec dominus redeat.

Placet quibusdam, מרנאתא. i. maranatha, positũ esse pro מחרמתא. i. maheramatha, ut sit deductũ à uoce חרם, ac idẽ sonet, quod dictio præcedens ἀνάθεμα. Si constaret, Chaldæis חרן p nun idẽ esse quod Ebræis חרם per mem, posset probabile uideri, legẽdum esse, מחרנאתא. i. maherenatha, ut sonet, perditio quæ uentura est, aut, perditio ueniens. Verum nihil hic certi

B inuenio, nec conuenit ut quod incertum est temere affirmemus. Si uspiã in scripturis מחרם pro חרם positum inuenirẽ, ut Chaldæis מחרן esse possit idem quod Ebręis חרם, facile in hãc sententiam inclinarẽ, ut sentirem Apostolum post Græcam uocẽ anathema subiecisse Chaldæam uel Syram idem significantem, propter eos potissimum, qui ex Ebræis in Christũ credentes, imò uerius credere se simulantes, non Christum sed seipsos quærebant, & Christum uidisse se, esseq; uerorum Apostolorũ discipulos, ad hoc iactabant, ut ecclesiã scinderent ac discipulos post se traherent. Verum nusquam inuenio מחרם positum pro חרם. Ebræis sonat חרון, irã. Si מחרון uspiã poneretur in scripturis pro חרון, posset uideri maranatha positũ esse p מחרונאתא. i. maheronatha, ut sensus sit. Si quis non diligit dn̄m Iesum sit anathema irę, uel ad irã, quę uenit. Quicquid huiusmodi cogitam⁹, nihil habet certi. Quare simplicius est, ut retineamus eã expositionẽ, quę de uoce hac, ut posita est, ne literã quidem uel mutat uel desyderat, quã primo loco posuimus. Quid uero uoluerit sibi Apostolus, quod cũ dixisset: Qui nõ diligit dn̄m Iesum, sit anathema, subiecit: Dominus noster uenit, deinde quod id sermone Syriaco magis, q̃ Græco expressit, non adeo facile est explicare. Si legerimus. Si quis non diligit dn̄m Iesũ, sit anathema domini nostri qui uenit, uel, Si quis non diligit dn̄m Iesum, Dominũ inquã nostrũ qui uenit, sit anathema sensus erit, meo iudicio, non incommodus.

Quod

Quod si omnino exponendum est in nominatiuo, id quod tamen nulla necessitas cogit, melius esse puto ut in futuro legamus, dominus noster ueniet, quàm in præterito: Dominus noster uenit. Quin etiã si legamus, Dominus noster uenit, nihil uetat, quominus idem esse intelligamus, quod dominus noster in ꝓcinctu est, prope est, non tardat, sed ueniendo uenit, ut habeat sensum cõminationis de aduẽtu domini breui futuro, quo retribuetur unicuiq; secundum quod gessit in hac uita, diceturq; reprobis illis & hypocritis, Discedite à me operarij iniqui, non noui uos.

Quare uero Syro sit usus sermone, nõ inuenio probabiliorem causam, quàm quod, ut suprà dixi, clanculũ hoc pacto eos pseudapostolos perstringere uoluerit, q sub nomine Christi Euangelio regni Dei plurimum incommodabant, & quoniam Ebræi erant de Christo & apostolis, contra Apostolatum Pauli admodũ gloriabantur, cum quærerent, non Christum, sed seipsos. Hęc de uoce, maranatha. Si cui datum est aliquid certius, adferat in medium.

Quærũt hic, liceat ne Apostolo anathemati deuouere quempiã. Neq; enim dicit: erit anathema, sed ἤτω id est, sit, anathema. Sed hac de re annotauit Petrus Martyr, charissimus in domino frater. Duo sunt hic consyderanda. Vnũ est, singularis zelus pectoris Apostolici in gloriam Christi incomparabili amore ardentis. Alterum muneris apostolici officium. Neutrũ commune est fidelibus omnibus. Quare quod hic Apostolus dicit: Si quis non diligit dominum Iesum, sit anathema maranatha, siue ad Apostolici pectoris zelũ, siue ad munus Apostolicum referatur, nihil habet illiciti, & tamẽ non est cuilibet fideli temere usurpandũ. Si ex zelo Christi dictum est, deuotionem habet & execrationem. Si uero ex Apostolici muneris officio, admonitionẽ habet ad ecclesiam fidelium de eo factam, quo debeat eos habere loco, qui cum Christum non diligant, nomen tamen illius iactant, & sub illo impostores agũt ad seducendũ imperitos. Qui dominũ Iesum, inquit, non diligit, qualis qualis foris appareat, & quicquid tandem iactet, sit uobis anathema. Quo sensu dictum est illud Christi: Si ecclesiam nõ audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.

Gratia domini Iesu Christi uobiscum. Dilectio mea cũ omnibus uobis in Christo Iesu. Amen.

Separauit ab ecclesia uerorũ fidelium, à gratia Christi, & à sua dilectione reprobos & impostores, qui Christum non diligebant, sed res suas sub nomine illius agebant, cum dixit: Si quis nõ diligit dominum Iesum sit anathema maranatha. Post eam sentẽtiã synceris ac ueris fidelibus ualedictionis loco & gratiam apprecatur, & dilectionem suam in Christo denunciat & offert dicens.

A

GRATIA domini Iesu Christi sit uobiscum dilectio mea cum omnibus uobis in Christo Iesu.] Quod si legerimus ut est in Græco & æditiõe uulgata: Gratia domini Iesu Christi uobiscum, ut intelligatur uerbum substãtiuum, est, non habebit apprecationis, sed magis Apostolicæ annunciationis sensum. Quasi dicat: ut anathema est à Christo qui illum nõ diligit, ita uos in illius estis gratia qui & creditis in eũ, & credẽtes diligitis. Quod Erasmus uertit: sit uobiscum, suo sensu fecit, quẽ habet cum Chrysostomo communem, qui & ipse hoc apprecãdi modo dictum esse sensit.

DILECTIO mea, inquit, cum omnibus uobis. Amen.] Vide quomodo dilectionem suã gratię Christi coniungat, ut significet se impẽse diligere eos, qui sic sunt Christiani, ut nõ solum externæ sint professionis, sed & gratię illius participes.

Non est autem ociosum quod post tot ac tã graues correptiones, quibus plerosq; illorum per hanc Epistolam corripuit, hanc dilectionis suæ denunciationem in calce conclusionis uice posuit, ut intelligerent nihil esse à se sinistro affectu, sed omnia dilectionis impulsu scripta.

Et ne uideatur aliquos tantum ex illis diligere, segregatis illis, quos alias atque alias ob causas corripuit, non dicit simpliciter: dilectio mea uobiscum, sed uniuersaliter: dilectio mea cum omnibus uobis. Sic neminem illorũ excludit, & interim admonet eos retinẽdæ unitatis, ut quemadmodum ipse omnes absq; discrimine dilectionis suæ uinculo cõplectitur, ita & ipsi omni sectarum studio abiecto unum esse uelint in domino, seseq; mutua dilectione concorditer amplecti.

B

Addit, in Christo, hoc est, propter Christum, quatenus estis in Christo, illiq; fideliter adhæretis. Iactat dilectionem fidelium & Pontifex Rom. ut simulet se apostolico affectum esse spiritu. At ex fructibus cognoscitur arbor. Diligit quidem, uerũ ut lupus diligit oues. Et lupi ad oues uox esse potest: Dilectio mea cum omnib⁹ uobis. At hæc dilectio non est erogatrix, sed magis deuoratrix. Apostolica dilectio impendit omnia in usus fidelium. Lupina uero omnia omnium deuorat. Dicat igitur catholicus hic pastor. Dilectio mea cũ omnibus uobis, omnis at è contra sit uestra pecunia mecum.

Τέλος.

Sit procul à nobis dilectio falsa luporum,
Seruet nos potius gratia Christe tua.

Θεῷ δόξα.

A aliquid si omnino exponendum erit, exponi-
tur eius, [illegible] Domini [illegible] cogi-
tis [illegible] aduen-
tum [illegible] praesentia Domi-
nus noster [illegible] Omni-
[illegible] uidetur [illegible] eadem
esse [illegible] quod [illegible]
cum [illegible] sed manifesto
[illegible] die ad-
uentum [illegible] futuro, [illegible]
[illegible] quod [illegible] hac uita, di-
[illegible] Dilecte
autem [illegible].

[illegible] sermone ino intu-
[illegible] quam quod, ut su-
pra [illegible] aliquid, potes-
tas [illegible] in nomine Chri-
stianum [illegible] incommo-
[illegible] de Christo &
[illegible] Apostolum Paulum [illegible]
[illegible] non Christum,
sed [illegible] Sic co-
[illegible].

[illegible] Apostolus anathemati
[illegible] anathema
[illegible]
[illegible] Petrus [illegible] in de
[illegible]
[illegible]
rem Christi [illegible] ardente.
[illegible]
B [illegible] Quare quod
hic Apostolus dicit: Si quis non diligit domi-
num Iesum, sit anathema maranatha, illud ad
Apostolici pectoris zelum [illegible] Apo-
stolorum [illegible] & tamē
[illegible]. Si ex
[illegible] & [illegible]
[illegible] Apostolici muneris
[illegible] ecclesiam inde-
[illegible] debet [illegible]
[illegible] Christum non diligunt [illegible]
[illegible] agit
[illegible] omni iesum,
[illegible] diligit, qualis [illegible] appare-
[illegible] eandem [illegible] uobis [illegible]
[illegible] Iesu Christi: Si ec-
[illegible] audierit, sit tibi tanquam ethnicus
& publicanus.

Gratia domini Iesu Christi uobiscum.
Dilectio mea cū omnibus uobis in Chri
sto Iesu. Amen.

Separauit ab ecclesia uerorū fidelium à gra-
tia Christi, & à sua dilectione reprobos & im-
pios, qui Christum non diligebant, sed tes
[illegible] nomine illius agebat, cum dicit: Si
quis non diligit dominum Iesum sit anathema
maranatha. Postea [illegible] ac ueris
fidelibus maledictionis loco & gratiam appre-
cauit & dilectionem suam in Christo demon-
strare [illegible].

GRATIA domini Iesu Christi sit uobiscum
[illegible] mea cum omnibus uobis in Christo
Iesu.] Quod si legeris [illegible] in Christo Iesu
[illegible] Christi [illegible]
[illegible] usque [illegible]
[illegible] sed magis Apo
stolica [illegible] Quis dicat
[illegible]
[illegible] & credidi propterea
[illegible] de
[illegible] cum Chry-
sostomo [illegible]
[illegible] dictum est [illegible].

DILECTIO mea [illegible] cum omnibus uo-
bis. Amen.] Vide quomodo dilectionem suā
gratiae Christi coniungat, ut significet [illegible]
[illegible] Christianismo e-
[illegible] praedicationis, [illegible] gratiae il-
lius participes.

Non est autem [illegible]
[illegible] correptione, quibus [illegible]
per hanc Epistolam corripuit [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] sed omnia [illegible]
Et ne uideatur [illegible]
[illegible] quos [illegible]
[illegible] corripuit, non [illegible] Dilectio
mea [illegible] mea
B cum omnibus uobis. [illegible]
[illegible]
[illegible] omnes [illegible]
[illegible]
[illegible]
esse [illegible] quia [illegible]
[illegible] amplexi.

Addidit in Christo Iesu, propter Christum,
[illegible] in Christo [illegible]
[illegible] & [illegible]
[illegible] apostolica [illegible]
[illegible]. At [illegible] cognoscitur [illegible]
[illegible] diligentes. [illegible]
ad omnes [illegible] potest: Dilectio mea cum om
nibus uobis. At haec dilectio non est ergo [illegible]
sed magis [illegible] Apostolica dilectio [illegible]
[illegible] in [illegible] fidelium [illegible]
omnia omnium [illegible]. Dicat igitur [illegible]
[illegible] Dilectio mea cū omnibus uo-
bis, omnia [illegible] sit [illegible] me-
cum.

Sit procul à nostra dilectio falsa hypocrisis,

[illegible] gratia Christe tua.

IN POSTERIOREM
Epistolam Pauli ad Corinthios, Commentarii.

PER VVOLFGANGVM MVSCVLVM DVSANVM.

BASILEAE.

HYPOTHESIS POSTERIORIS
EPISTOLAE PAVLI AD
Corinthios.



VAM non in prophanis modo sed & religionis ac fidei negocijs res sit solliciti plena timoris amor, cum in alijs Apostoli literis tum in his potißimum apparet, quas alteras ad Corinthiorum ecclesiam impense sibi dilectam scripsit, in qua singularem quandam & uere Apostolicam solicitudinem spirant omnia, ut ubique paternum pectus deprahendere liceat non modo ubi mitis ac blandus, quos priore epistola contristauerat uersis uelis consolatur & erigit, sed & ubi seuerus & grauis Apostolicæ potestatis experimentū impœnitentibus & contemptoribus comminatur. Et hinc est uarietas illa τῶν παθῶν, quæ ab initio epistolæ ad calcem usque occurrit.

Causæ uero, quur denuo ad illos scriberet, præter generalem Ecclesiarum solicitudinem speciales erant istæ.

1 Prima, quod Apostolatum suum propter crebras & prope extremas afflictiones, præsertim in Asia studijs impiorum suscitatas, despicabilem fieri sentiret, quod malum mox initio epistolæ amoliendum iudicauit, quod & capite quarto & quinto facit.

2 Secunda ex eo nascebatur, quod in priore epistola uenturum se ad illos pollicitus fuerat, & tamen alijs impeditus promissa non præstiterat. Hic leuitatis erat occurrendum suspicioni, quod facit in calce capitis primi, & initio secundi.

3 Tertiam pepererat cura seruandi peccatoris, quem propter scortationem è communione fidelium eiectum Satanæ ad interitum carnis Epistola præcedente tradiderat. Hunc igitur resipiscentem recipit, ne pereat, quem antea peccantem damnauerat.

4 Quarta erat ex eo quod obseruantiam legis nonnulli contra Noui testamēti gratiam inducere moliebantur. Ad reprimendam hanc pestem Noui testamenti gratiam & ministerium, supra obseruantiam & ministerium legis extollit capite 3. & 4.

5 Quinta generalior ex eo erat, quod nonnulli sibijpsis gratiam Noui testamenti studijs carnis inanem reddebant. Hos ad ueræ pietatis studia obsecrando hortatur, ne tam insignem gratiam in uacuum recepisse deprahendantur, simulq; auocat à consortio impiorum & infidelium. Facit hoc cap. 6.

6 Sextam ex eo uidebat esse, quod priore illos Epistola admodum contristauerat. Quare ut hunc illorum mœrorem leniat ac mitiget, utilitatem illius exponit, quod facit cap. 7.

7 Septima erat collationis in usus sanctorum faciendæ, qua de in Epistola priore monuerat. De hac denuo moniturus usurpat & proponit illis exemplum ecclesiarum Macedoniæ. Facit hoc cap 8. & 9.

8 Octaua erat ex contemptu potestatis Apostolicæ, quam ut asserat, obsecrat eos ne uelint authoritatem ac potestatem præsentis sui, quam habeat in Christo, per contemptum experiri. Cap 10.

9 Nonam obtrudebant pseudapostoli. Contra illos luctatur, Apostolatum suum asserens, & afflictiones pro Christo toleratas, ac singulares reuelationes commemorans. Facit hoc cap. 11. & 12.

10 Vltimam offerebant impœnitentes, quos nec prior Epistola, nec aduentus Timothei ac Titi correxerant. His se ubi uenerit ad eos, haudquaquam parsurum minatur. Cap. ultimo.

His itaque de causis motus Epistolam hanc paternorum affectuum plenam ad Corinthios scribit. Oro dominum ut per gratiam spiritus sui expositionem illius largiatur, & germanam & ecclesijs ædificandis utilem.



COMMENTARII VVOLFGANGI MVSCVLI DVSANI, IN POSTERIOREM EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM CAP. I.



Vtilitatem afflictionum cùm suarum tum cæterorum Christi fidelium exponit, & amplitudinem consolationum Christi deprædicat, deinde quod ad ipsos sicuti promiserat, non uenerit, excusat, causamq; huius aßignat.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS Apostolus Iesu Christi, per uoluntatem Dei, ac Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnib⁹, qui sunt in tota Achaia. Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & dño Iesu Christo.

Sunt hæc ferè initio præcedentis epistolæ declarata. Habent inscriptionem epistolæ, salutationem, & subscriptionem. Inscriptio est, ubi dicit: Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia. Salutationē ponit dicens: Gratia uobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Subscriptio est: Paulus Apostolus Iesu Christi, per uoluntatem Dei, ac Timotheus frater.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, inquit.] Quod subscriptionem mox initio ponit, Apostolicæ authoritati dandū esse puto. Facit hoc in omnibus suis epistolis. Faciunt & Iacobus & Petrus. Humilitatis esse uolunt, ut qui priuatus ad superiores scribit, inscriptioni subscriptionem nominis sui subijciat.

Apostolatum autē suum nusquam non inculcat, uocās se Apostolum Iesu Christi, quod non est temere ab eo iactantiæ spiritu, sed magna necessitate factum. Etenim sciebat Apostolatum suum à multis non agnosci, propterea quod ex illis non esset apostolis, qui cum domino in carne fuerant conuersati, & numero duodenario in apostolos electi. Quare q̄ pseudapostoli Apostolatui ipsius detrahebāt ubiq;, ita ipse illum inculcat ubiq;, non quærens aliquid hinc glorię, sed unum hoc agens, ut Christo domino suo fideliter simul & utiliter seruiat.

Habent quod imitētur ueri ac fideles Christi ministri. Hi non modo officium suum fide- A liter administrare debent, sed & ministerij sui authoritatem & existimationem contra reprobos & sectarios fortiter tueri, ne sua negligentia & incuria locum præbeat Satanæ, qui summo hoc studio molitur, ut ministerij fructus disperdat, inque hunc finem ministrorum existimationem quoad eius poterit, per suos impostores subuertit. Titulos dignitatū ac prælaturarum suarum interim extollunt falsi apostoli, falsi doctores, & pseudepiscopi, quo authoritate sua falso præsumpta plebem imperitam sub iugo dominationis suæ detineant. Quanto iustius est, ut legitimos ministeriorū suorum titulos ueri Christi ministri contra ueritatis aduersarios tueantur, quo ministerijs suis in ecclesia Dei efficacius fungi possint?

PER uoluntatem Dei, inquit.] In hoc est authenticus Apostolatus, quod non est propria temeritate pręsumptus, sed diuina uoluntate mandatus & impositus. Hæc uoluntas Dei cœlitus illi declarata fuit, & multis uirtutibus ac singulari prædicationis efficacia comprobata.

Obserua uero, quod cum dixisset: Paulus Apostolus Iesu Christi, non subiecit: secundū illius uoluntatem, sed, secundum uoluntatem Dei. B Ab ipso erat Christo in Apostolum delectus. Quare poterat dicere, secundū illius uoluntatem. Verum uoluntatis authoritatē tribuit Deo, quod & Christus ipse aliquot locis fecisse legitur. Ab hac enim tota susceptæ dispensationis summa & origo pendebat. Præterea, quoniam nomen Iesu Christi nō nisi fideles recipiebant, Dei uero agnoscebant etiā infideles, maluit dicere, per Dei quàm per illius uoluntatem, quo significaret fungi se Apostolatu nulla humana, sed prorsus diuina authoritate suffultum. Non quod in nomine Christi non sit satis diuinæ authoritatis, sed quod sit fidelibus tātum, infidelibus nequaq̄.

AC Timotheus frater, inquit.] Sic discipulos suos & cooperarios cohonestat, dum eos in subscriptionibus epistolarum nomini suo quasi æquales coniungit. Poterat dicere. Et Timotheus discipulus, uerum maluit eum uocare fratrem, quo plus apud Corinthios authoritatis haberet ipsius ministerium.

ECCLESIAE Dei, inquit, quæ est Corinthi.] In priore epistola uide, quare non separatim quibusdam, sed toti Corinthiorum scripserit ecclesiæ. Scribit ecclesiæ fidelium Christi ipse Apostolus Christi, & uocat hanc ecclesiam Dei. Sic perpetuo ac uigilanter Christum & Deum connectit, ut uoluntas Christi, sit uo-

luntas Dei, Apostolus Christi, seruus Dei, ecclesia Christi, ecclesia Dei. Quātum ergo Christi in nobis est, tantum est Dei in nobis. Et q̃ procul sumus à Christo, tam sumus procul à Deo.

Reuera autem obseruabilis est exempli, q̃, ecclesiam, quæ tum erat Corinthi, uocat ecclesiam Dei, cum tot ac tantis uicijs laboraret, quot & quanta epistola præcedente in illa redarguit ac repræhendit. Consimile est, quod Christus regnum cœlorum Matth. 13. agro in quo sunt zizania, cōparat. Qua in re quid obseruandum ueniat, uide in Comment. nostris super Matthæum.

VNA cum sanctis omnibus, inquit, qui sunt in tota Achaia.] Credētes in Christū uocat sanctos, quod sanctificati sint Deo, & à mundo in populum peculiarem segregati. Vt autem significet hanc se epistolam scribere non ecclesiæ tantum quæ erat Corinthi, sed & omnibus reliquis Christianis, qui in tota erant Achaia, postquam dixit, & ecclesiæ Dei quę est Corinthi, adiecit, unà cum omnibus sanctis, qui sunt in tota Achaia. Hoc faciens, uelut in unū corpus totius Achaiæ fideles cōglutinati, ne quę Corinthi erat ecclesia, propter metropolitanā eminentiam supra cæteros extra urbem in agro sparsos fideles sese extolleret, illosq́; quasi ad ipsorum ecclesiam non pertinentes fastidiret. Et hanc quoque ob causam uocat eos sanctos, ne qua in re minoris faciendi uideantur, quàm ij qui erāt in ipsa urbe. Nec uult aliquid esse in illis dissidij ac separationis. Ideo non simpliciter dicit, unà cum sanctis, sed, unà cum sanctis omnibus, neq;, qui sunt in Achaia, sed, qui sunt in tota Achaia.

Sic igitur & inter se omnes totius Achaiæ fideles, & cum ecclesia quæ erat in ipsa metropoli, connectit. Qua in re studium conciliandi in unum uere Apostolicum uidemus, quod utinam imitentur, qui successores apostolorum uideri uolunt.

Sed dicet aliquis. Atqui hoc ipsum agunt totis uiribus, ut omnes ubique Christiani coadunentur, & schismata fugiant. Et in hunc finem damnant schismaticos, & quosuis ad cōcordiam & unitatem ecclesiæ catholicæ partim uocant, partim etiam cogunt.

Respondeo. Verum est, damnant schismata metropolitani nostri episcopi, & Romanus cum primis, ac prædicant pacem & unitatem. Et faciunt hoc magno studio, uiolento ac sanguinario quoque. At etiam atq; etiam consyderandum est, quod genus pacis & unitatis in ecclesia Christi spectet. Tale uidelicet, in quo ipsi dominentur omnibus, non quo omnes in Christo sint coniuncti. Dominationis studiū pacis & unitatis prætextu palliant. Vt quid dominationem uocant pacem & subiectionem plus quàm seruilem, concordiam & unitatem? Pacem & unitatem uolumus & appetimus nos quoque, sed eam quæ sit in Christo, quæ sit non falsa, sed uera, quæ nos non ut seruos dominis subijciat, sed ut fratres fratribus in domino & uera pietate coniungat. Hodie impense à multis quæritur ecclesiarum unitas. Vtinam uniat nos spiritus & ueritas domini. Verum metuo, ne quod Hieronymus alicubi de suis temporibus quæstus est, sub nomine unitatis & fidei infidelitas uel inueterata stabiliatur, uel noua aliqua scribatur. Etenim plerisque iam nihil tam uidetur pium, nihil tam conueniens seruis Dei, quàm unitatem sequi, & à catholica totius mundi communione non auelli, præsertim ubi sic omnia quæ in controuersia sunt, finguntur ac refinguntur, ut superficies expositionis nihil impium & auersandum præferre uideatur. Quæramus unitatem, ô fratres, quæramus autem non simulatam & superficialem, sed ueram & intimam, quæ sit non in catholica consuetudine, sed in Christi spiritu & ueritate, ut simul possit esse in uera sanctorum consensione ac charitate.

GRATIA uobis & pax, inquit, à Deo patre nostro, ac domino Iesu Christo.] Eadem usus est salutatione ad uerbum, tam in ea quā ad Romanos scripsit, quàm in præcedente ad Corinthios. Vtrobique autem illam exposuimus, & quæ obseruanda sint, annotauimus. Quare non est ut hic uel eadem repetamus, uel alia illis addamus, nisi hoc unum, ut qui Christiani sumus, felicitatem nostram in hac Apostolica salutatione agnoscamus, & agnitam bene cum gratiarum actione collocemus.

1 Ea autem est, quod non sumus populus sine Deo in hoc mundo, quales sunt, qui alieni sunt à Christo, uide Ephe. 2. Non est ut dicatur nobis ab impijs huius sæculi filijs: Vbi est De⁹ uester? Deus noster in cœlo est. Dicant ipsi, ubi & quem Deum habeant.

2 Deinde, quod idem nobis est & Deus & pater. Qui Deus est & omnipotens, & solus, in manu sua habens omnia, pater noster est. Quid poterit stupendum magis dici? Quis enumerauerit omnes ueræ felicitatis species, & ueras inuictasque consolationes, quæ ex uno hoc proueniunt, quod eundem habemus patrem quem & Deum?

3 Tertio, ad cumulum hunc felicitatis nostræ accedit, quod unigenitus Dei, homo ex carne nostra factus, datus est nobis à patre in dominum, non ut illi plus honoris quàm habuerit antea accedat, sed ut sit nobis redemptor, Seruator & gubernator, ac possideat quidem nos iure regni à patre accepti: uerum ut fratres ac filios, ad seruandum, non ad coarctandum.

4 Quarto, quod ab utroque, & Deo patre nostro & domino Iesu Christo, gratia & pace cœlesti beamur. Quod enim salutando Apostolus gratiam & pacem Corinthijs à Deo patre nostro, ac domino Iesu Christo apprecatus est, non sic est accipiendum, quasi non utraque in Christo fruamur, quotquot in illum credimus, sed quod hac salutatione & paternam

nam suam erga eos beneuolentiam declarare, & iuxtà de felicitate eos per fidem in Christũ accepta admonere uoluit, quo illam & bene collocarent, & per omnis generis afflictiones, quibus propter fidem in Christum obnoxij e- rant, saluam & integram ad finem usque retinere satagerent. Si quis ista diligenter in hac salutatione perpenderit, puto abunde habiturum, unde & consolationem petat, & in fide Christi ædificetur.

Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, cõsolans nos in omni afflictione nostra, in hoc ut posimus cõsolari eos, qui sunt in quauis afflictione, per consolationem qua consolatur nosipsos Deus. Quoniã sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra.

In oculis carnis nullum poterat maius contra Euangelium Christi oriri scãdalum, quàm quod Apostolo Christi ubique contradicebatur, & omnis generis afflictiones ac discrimina uitæ pasim excitabantur. Hinc impij in erroribus suis obstinatiores reddebantur, & pseudapostoli argumenta Apostolatui Pauli obloquendi ac detrahendi, & infirmiores in fide ab Apostolica doctrina auocandi ac seducendi sumebant. Scandalum hoc amoliturus Apostolus tam abesse docet, ut multitudo afflictionum, quibus exercebatur, cuiquam debeat esse offendiculo, ut pijs hominibus & opus Dei intelligentibus materiam magis offerat doxologiæ Dei, cuius in seipso exemplum mox in ipso epistolę exordio ponit dicens: Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra, &c. Quasi dicat. Multis tribulationibus & afflictionibus ubique exerceor. Verum est, sed non est ut hoc quenquam uestrũ uel offendat, uel pusillanimem reddat. Quod me attinet, tam abest ut super afflictionibus hisce meis per impatientiam conquerar, aut animo in causa Christi deijciar, ut magis hinc luculentissimo diuinarum consolationum argumento ad glorificandũ ac laudandum Deũ exciter, quod is me in omni afflictione, quantumuis graui, sic consolatur, ut & alios afflictos ea posim consolatione, qua me consolatur, consolari.

Hunc existimo exordij huius esse sensum. Chrysostomus tamen aliud cogitat. Causam exordij huius fuisse Apostolo censet, ut rationem redderet, qur Corinthum non uenerit, cum pręcedente epistola uenturum se scripsisset. Quasi dicat. Scio me uobis aduentum meũ ad uos esse pollicitum. Verum benedictus sit Deus, qui me in tam grauibus afflictionibus non deseruit, quibus interea temporis adob-

A rutus & impeditus fui, quo minus quod prõmiseram, præstare potuerim. Quare non est, ut hasce moras uel leuitatem uel socordiã interpretemini. Ex recentioribus nonnulli utrãque causam, tam eam quam posui, quàm hanc Chrysostomi connectunt. Sane non est insolens, ut unius rei plures sint causæ. Prior tamẽ mihi probabilior apparet.

BENEDICTVS Deus, inquit.] Doxologiæ uox est, ut Ebræis ברוך, ita Græcis εὐλογητός. Possumus Latine uertere hoc loco, laudatum, uel, celebratum. Benedictum uertunt cõmuniter. Nec male, si recte intelligatur. Vt enim εὐλογεῖν Græcis, & benedicere Latinis, bene est de aliquo loqui, laudibus aliquem extollere, ita & εὐλογητός, ac benedictus is recte dicitur, qui uel celebratur laudibus, de quo omnes bene ac præclare loquuntur, uel sic se gerit, ut sit laudabilis, debeatque suo merito laudari ab omnibus. Iam quod pręsentem locum attinet, quod doxologiam Dei Apostolus cũ exclamatione exprimit, dicens: Benedictus Deus, accipi potest pro grati animi & in laudẽ Dei accensi uoto, ut idẽ sit quod: Benedictus, laudatus ac glorificatus sit Deus. Hoc est, benedicatur, laudetur & glorificetur ab omnibus. Qualem ipse Deum sentiebat in corde suo, talem cupiebat ab omnibus agnosci, prædicari ac laudari.

Quod si quis ad hunc modum intelligendum esse putat: O uere benedictum, celebrem B ac laudatum Deum. Vel: O laudabilem Deũ, ac dignum cui benedicatur ab omnibus, non erit ineptus sensus. Huiusmodi abruptæ exclamationes ut exuberantium cordium spirant affectus, ita uarijs modis possunt exponi, modo expositiones ab ipsa causa quæ geritur haud abludant, ac longius discedant.

ET pater domini nostri Iesu Christi, inqt.] Quoniam propter Christum affligebantur fideles, uidebanturq; ob crebras afflictiones singulari quadã ira Dei exagitari, quasi Christianum esse idem sit quod impium esse, ac Deũ habere infensum, cõsulto uocat hic Deum patrem domini nostri Iesu Christi, ut significet afflictiones fideliũ Christi non esse ex eo quod iratum habeat Deum, quasi extra uerũ Deum colant alienum dum Christum colũt. Quomodo enim irasceretur Deus illis qui filiũ ipsius unigenitum ac dilectum Salutis nostræ gratia in mundum hunc missum syncera fide amplectuntur ac colunt? Imò potissima hinc est consolatio fidelibus, quod dũ affliguntur in mundo, affliguntur propter filium Dei.

Vide autem quàm competenter particulã hanc elogijs illis Dei præmittat, quibus eum uocaturus est patrẽ misericordiarum, ac Deũ omnis consolationis. In eo siquidem quod pater est domini nostri Iesu Christi, fons & origo est omnium misericordiarum ac consolationum, quibus ij qui in Christo sunt, recreantur & sustentantur.

Deinde nec illud transeundum est, quod cũ

antea Deum nostrum patrem uocarit, iam uocat eum patrem domini nostri Iesu Christi. Ergo idẽ Deus & noster est ac domini nostri Iesu Christi pater. Sic ad Mariam Iohan.20.ipse Christus post resurrectionẽ dicebat: Vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrẽ meũ & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Sic itaq; sumus filij Dei, ut simus & fratres unigeniti Dei Christi Iesu, & eundem cuius fratres sumus, habeamus dominum.

QVI est pater misericordiarum, inquit, & Deus omnis consolationis.] Qui sine ratione quempiam laudat, quoniã affectibus suis magis q̃ ueritati indulget, magis eum quem laudat, sinistra suspicione grauat, q̃ uera laude ornat. At Apostolus noster, q̃uis ardenti zelo ꝓpensus fuerit ad laudandum Deum, sic tamen eum laudat ut talia de illo proferat in mediũ, quæ nulla unq̃ laude satis extolli poterũt. Sic cum dixisset: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, mox quare eum benedictum uocet, exprimit dicens: Qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis. Multa facta sunt à Deo, & fiunt quotidie magnifica & miranda, quorum gratia celebrãdus est in cœlo & in terra ab angelis, hominibus, & omnis generis bestijs, nescio tamen an ulla sit amplior & illustrior diuinæ laudis materia q̃ qua bonitas, clementia & misericordia Dei, cuius nec modus est, nec numerus, nec finis, passim celebranda occurrit. Ad hanc pertinet præsens elogium, quo Deum Apostolus patrẽ misericordiarũ, & Deũ omnis cõsolationis uocat. Etenim reuera, quẽadmodũ Dauid Psal. 145. canit: Miserationes eius super omnia sunt opera eius, excelluntq; gloriã potentię, sapientiæ, & iustíciæ eius, & magis quàm illæ naturam diuinitatis exprimunt.

PATER, inquit, misericordiarum.] Patrem hic accipiũt pro fonte & origine, quasi hoc de Deo prædicet Apostolus, quod sit fons & origo misericordiarũ, nõ modo quas ipse cœlitus declarat, sed & omniũ earũ quę cõtingunt nobis undecũq;, medijsq; ac modis quibuscũq;, qui sensus nihil habet incõmodi. Nam ita habet: Omne bonum desursum est. Si qua nobis misericordia cõtingit, cœleste bonũ est, ab eo proueniens, qui omnis est boni fons & origo. Verũ an hoc in præsenti dicere uoluerit Apostolus, meo iudicio, cõtrouerti potest. Dicam quid mihi uideatur. Quoniam singularem illã gratiam commẽdaturus, qua filium suũ Deus nostra gratia in mũdum hunc misit, eumq; nobis redemptorem dedit ac dominum, nõ simpliciter dixit: Benedictus Deus, sed adiecit, & pater domini nostri Iesu Christi, hac occasione uocem istam, pater, repetit, ut qualis pater sit, exprimat, dicens, pater misericordiarum, Ebr. אב רחמים, quod sonat, Ebraico more, patrẽ misericordem, propensissimum ad omnis generis miserationes, qua in re omnino paterna in nos, imò & in omnia quæ cõdidit, uiscera declarat, id quod propriũ est ueri ac germani pa- A tris erga sua pignora, quo respicit propheta dicẽs: Quemadmodum miseretur pater filiorũ, ita miseretur Deus timentium se. Hoc sentiẽs dicit: pater misericordiarum. Quasi dicat. Qui uere pater est, paternis uisceribus ad omnis generis miserationes propensus. Sic duas hasce uoces, pater, & miserationum, Grçcè οἰκτιρμῶν, Ebraicè רחמים, omniũ aptissimè cõiũxit.

Quid est autem quod nõ in singulari dicit: pater misericordiæ, sed in plurali, pater misericordiarum? An nõ ut una est in se bonitas, qua bonum, ita & misericordia una est qua misericordem Deũ esse sentimus? Respondeo. Si de ipsa uirtute misericordiæ quæritur, qua misericordes reddimur, ea plane in se est una, quẽadmodum & duricies cordis una est quæ nos inhumanos & immisericordes reddit. Verum ubi nõ simpliciter de affectu misericordiæ, sed de illius operibus ac speciebus fit mentio, ibi recte de misericordijs ac miserationib9 loquimur. Licet enim una sit in se misericordiæ uirtus, plures tamen sunt, imò innumeræ operũ illius species, prȩsertim in Deo, in quo solo infinita est & inexhausta illius plenitudo. Quẽadmodum igitur humanæ nostræ miserię innumeræ sunt ac uariæ species, quarum omniũ misericors Deus miseretur, cuius propriũ est semper misereri ac parcere, ita omnium cõuenientissime proponunt̃ nobis in Deo omnis generis misericordiarũ species, ut quàm, imò supra quàm sumus miseri, misericordem nos B patrem in cœlis habere sciamus.

Nec ociosum est, quod misericordię species & opera misericordias uocat. In Deo ueritas est, non inanis ac fallax rerum species. Opera illius, quibus benefacit humano generi, neq; per occasionem aliquam, neq; per hypocrisim aut diuerso aliquo studio, sed per misericordiam ueraciter fiunt, ideoq; omnium rectissimè misericordiæ uocantur, ut ex ipso nobis fonte, unde promanant, commendentur. A nobis uero multa fiunt, speciem quidem misericordiæ præferentia, uerum à ueritate illius prorsus aliena, ideoq; indigna, quæ misericordiæ uocẽtur. Qui nudum uestit, esurientem cibat, exulantem hospicio accipit, infirmum uisitat, &c. si hæc affectu misericordiæ motus facit, recte quæ facit misericordiæ uocabuntur, si uero non ex misericordia, sed ex simulatione pietatis facit, non est ut misericordiæ uocentur, sed rectius hypocrises uocabuntur. Veritas operis non est secundum externam illius qualitatem, sed secundum operantis affectũ ac studium censenda, ut recte dixerit ex patribus quidam: κατὰ τὴν γνώμην τὰ πράγματα κρίνετε. Dum cibat nos Deus, dum sanat, dum seruat ac liberat, aut alio quopiam beneficio afficit, non inuenio unde faciat, nisi ex sola sua bonitate & misericordia. Quare non uideo quid eiusmodi illius opera rectius quàm misericordiæ uocentur. Sed pergamus.

ET Deus omnis cõsolationis, inquit.] Vulgata æditio habet: & Deus totius consolationis,

nis,quasi integrã & perfectam in Deo conso-lationem nobis commendet Apostolus. At in Græco non est ὅλης, id est, totius, sed πάσης, id est,omnis,quod idem est, atq;, omnis generis consolationis. Etenim pro uarietate tribulationum,quibus exercemur & corpore & spiritu,parata nobis est in Deo uaria, omnis uidelicet generis consolatio, ob quam illum causam uocat hic omnis cõsolationis Deum, hoc est,Deum qui nos in omnis generis tribulationibus consoletur. Est hoc elogiũ Dei absconditum à carnalibus hominibus,in quorum oculis Deus magis est omnis tribulationis, q̃ omnis consolationis Deus, præsertim ubi afflictiones sanctorum aspiciunt, quibus in hoc sæculo exercentur,uidentque multas esse tribulationes iustorum. Verum Apostolus scribit ista non carnalibus, sed fidelibus Christi, qui uera fide elogia diuinæ bonitatis amplectuntur.

Vide autem quàm competenter particulã hanc præcedenti subiecerit. Generalius est quod dixit: & pater misericordiarum. Complectitur enim hoc elogium omnia beneficiorum Dei genera. Quare ut ad propositum suũ collimet,quo de cõsolationibus diuinis quas in seipso in omni tribulatione experiebatur, dicere constituerat. generaliori elogio id subijcit quod erat & specialius (nam cõsolatio species quædam est misericordię Dei) & propius ad propositũ accedebat. Sic dicit: Et Deus omnis consolationis,cui conuenientissime subijcit,consolãs nos in omni afflictione nostra.

Priusquam ad sequentia transeamus, admonendus est lector,ne putet hic locum esse Manichæis,qui duos deos ponentes, Veteris testamenti unum,Noui alterum,eum qui Veteris fuerit,durum,seuerum, immitem ac malũ, alterum qui Noui, misericordem, mitem ac bonum,eumq; patrẽ domini nostri Iesu Christi esse dixerunt. Apostolus cum hic Deum patrem domini nostri Iesu Christi, patrem misericordiarum & omnis consolationis Deũ uocat, non hoc agit, ut alium Noui q̃ Veteris testamenti Deum prædicet,absit, sed ut immensam unius ac ueri,tam Veteris quàm Noui testamenti Dei bonitatem, non simpliciter & qualitercunque, sed ut Apostolus Christi, & ad Christi fidelium fidem confirmandam, ac mentes ad quarumcunq; tribulationum patientiam erigendas commendet. Alibi nanq; ut cap.8. præcedentis epistolæ de Deo prædicat,quod sit & unus,& pater, ex quo omnia.

CONSOLANS nos, inquit, in omni afflictione nostra.] Huc ibat, cum Deum ut patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis prædicaret. Talem enim experiebatur erga se,quoties affligebatur ab impijs. De se nanq; loquitur, licet pluraliter dicat: Consolans nos in omni afflictione nostra.

Vide autem quomodo hoc interpretetur, quod in omni tribulatione consolantem se Deum experiebatur. Non dicit: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater iustorum,& Deus omnis ultionis, qui causam nostram uindicat, & nos è manibus impiorum liberat. Sunt quidem hæc uera,& locum habuerunt in ipso Apostolo, quem dominus sæpenumero uelut ex ore luporum eripuit,ac causam eius, iustam utique, asseruit. Verum huc ille non respexit in præsenti, sed omnem hanc causam,omnemque in quacunque tribulatione consolationem, Deo nõ ut iusto iudici, sed ut patri misericordiarum tribuit, agnoscens opus illius in se,opus esse misericordiæ, & huius consyderatione in hanc doxologiam illius rapitur, ut exclamando celebret ac deprædicet eum, patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis. Non dicit: quia sic nobis in scripturis prædicatur, sed, qui nos consolatur, inquit, in omni afflictione nostra. Viuo sensu misericordiarum Dei motus, prædicat eum esse patrem misericordiarum. Vbi uidemus unde uerus nascatur laudandi Dei affectus. Qui ex scripturis tantum de bonitate Dei prædicat, uera quidem dicit: uerum ex mortua litera, non ex uiuo sensu spiritus.

QVI consolatur nos,inquit.] Nõ dicit: qui potest nos consolari, sed, qui consolatur nos. Magna quidem ex eo quoque est tribulatorũ consolatio,quod Deum se habere credunt & cogitant,qui ipsos in omni potest qua detinẽtur afflictione consolari. Verum id demũ multo est amplius, si dicere poterimus, qui consolatur nos, ut prædicemus de Deo non modo quid possit, sed & quid faciat, atque ita cum Paulo uersemur in argumento laudandæ non solum potentiæ eius, sed bonitatis quoque & misericordiæ. In opere quippe consolationis iunguntur & potentia in facto, & misericordia in causa facti.

Præterea obserua quod non in pręterito dicit: qui nos consolatus est in pręteritis nostris afflictionibus, sed in præsenti, qui nos consolatur in omni afflictione nostra. Sic dicens nõ tam de opere cõsolationis, quod antea expertus aliquoties fuerat, quàm de iugi & indesinenti erga se misericordia Dei gaudet, quam se antea quidem expertum sciebat: uerum simul in posterum quoq; & ad finem usque experturum esse credebat ac sperabat. Quod enim dicit: Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, idem est quod, qui nos pro sua infinita misericordia in nullis unquam tribulationibus deserit, sed cosolatur in omnibus. Hoc dicens, & præteritas consolationes cum gratiarumactione deprædicat, & indubitata fide de futuris sperat.

IN omni afflictione nostra, inquit.] Non dicit simpliciter, in tribulatione nostra, sed, in omni tribulatione nostra. Qui sic loquitur, significat se non modicis tribulationibus semel atq; iterum, sed frequẽter multis ac grauibus affligi. At de his audiemus in sequentibus, capite uidelicet 11. Forte suum athletã dominus

multis certaminibus exercere, & gloriam suã in illo illustrare uoluit.

Et illud obserua. Qui consolatur nos inquit. Vbi? in omni afflictione nostra. Ergo locum habent diuinæ consolationes, non in quietis, securis, prospere habentibus, ac dies suos in pace transigentibus, sed in tribulatis & afflictis.

Quid est autem quod non dicit: Qui consolatur nos post omnem tribulationem nostrã, sed, in omni tribulatione nostra? Duplex est cõsolationis genus. Vnum, quo afflicti in medijs tribulationibus quasi cœlesti rore consolationibus spiritus in seipsis eriguntur & refocillantur. Alterum, quo post finem afflictionũ pace, quiete, & cœlesti gaudio beantur, quale est quod de Lazaro dicebat Abrahã. Lazarus pertulit mala in uita sua, nunc consolatur. De priori genere loquẽs Apostolus non dicit: qui cõsolatur nos post omnem afflictionem, sed, in omni afflictione nostra. Licet enim subinde pręsens terminaretur afflictio, mox tamen ingruebat alia, ut uix aliqua intermedia daretur respiratio, quemadmodum in tempestatibus marinis procella procellam sic excipit, ut nauis crebris reciprocãtium procellarum ictibus feriatur. In omnibus tamen recurrẽtibus illis afflictionibus non deserebat cœlestis pater Apostolum suum, sed quoties noua irruebat tribulatio, toties noua illum consolatione spiritus sui erigebat & in ipsa afflictione infractum seruabat. Hoc deprædicans dicit: qui cõsolatur nos in omni afflictione nostra.

IN hoc, inquit, ut possimus consolari eos, qui sunt in quauis afflictione, per consolationem, qua consolatur nos ipsos Deus.] Vbi dixit: Benedictus Deus, &c. qui nos consolatur in omni afflictione nostra, ne suijpsius amore motus hoc in Deo laudare, quod se subinde in afflictionibus consolaretur, quo affectu & impij Deum laudant, cum benefacit ipsis, uel aliquid hinc sibi laudis uenari uideret, quod tanti sit Deo, ut nusquam ab illo deseratur, rationem & usum gratiæ huius assignans & ad alios trãsferens subiũgit: in hoc, ut possimus consolari eos, qui sunt in quauis afflictione, &c. Quasi d. Et hoc facit misericordissimus pater non tam mea quàm aliorum gratia ad hoc me in afflictionibus erigens, ut per me consoletur & alios suos filios, qui & ipsi, perinde atque ego, omnis generis afflictionib9 exercent, & opus habent crebis cõsolationibus, ne mole tribulationũ supra uires oppressi cõcidant.

Est hic locus insignis. Proponitur nobis diuinæ misericordię prouidentia, qua nostrę infirmitatis corroborandę studio insigniora gratiæ suę organa benignissimus pater sic reddit singulari fide, fortitudine, & patientia instructa, ut tota nobis seruandis constanter & animo infracto seruire possint. Huius rei exẽpla præcesserunt in prophetis & apostolis. Quicquid diuinitus accepere prophetæ in Veteri quicquid apostoli in Nouo testamẽto, siue singularem diuinæ uoluntatis cognitionem, siue fidem, siue sermonis gratiam, siue alia charismata spiritus, siue tolerantiam afflictionum, accepere ut prophetæ, ut doctores, ut apostoli, ut ministri, in usus fidelium, quorum gratia mittebãtur, ut non modo tales essent ipsi, sed & donis acceptis populo Dei seruirent. Sic Apostolus diuinas consolationes interpretatur, quibus in omni afflictione sustentabatur, ut dicat eas ad hoc sibi fuisse datas, ut erectus ipse erigeret per eas & alios, qui similiter affligebantur. Et hic est perpetuus singulariũ donorum Dei usus. Qui donum scientiæ accepit, sciat se accepisse non tam propter se quàm propter alios instruendos ac docendos. Vnde illud tritum est. Scire tuum nihil est nisi quod scis sciat & alter. Qui diuitias accepit, cogitet eas sibi concessas esse ad succurrẽdum egenis. Qui dono est sapientię præditus, omnino sentiat se propterea alijs essę factum sapientiorẽ, ut sanis consilijs succurrat imperitis. Et quid aliud in ipsis corporum nostrorum membris quàm hæc eadem diuina prouidentia relucet? Quod oculi uidendi sunt facultatem consequuti, aures audiendi, caput intelligendi ac iudicandi, manus operandi, lingua loquendi, nares olfaciendi, pedes ambulandi, &c. an nõ magis pro toto corpore facultates istas, quàm pro seipsis acceperunt? Quod Sol in cœlo tam splendidus & illustris, tanquam feruidus apparet, utique non suoipsius sed nostro bono talis est à Deo conditus, & in superiora cœli conuexa locatus. Eadem est & Lunæ & stellarum ratio, imò omnium eorum quæ sunt cõdita. Quin & angelorum cõditio hæc ipsa est, ut electis Dei seruiant. Sic omnia sunt nostra, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mũdus, siue uita siue mors, siue præsentia, siue futura 1. Cor. 3. Cum itaq; tôt modis diuina prouidentia rebus nostris, & uniuscuiusque egestati prospexerit, quis nam adeo est excors, ut desertum se & necessarijs bonis destitutum queri possit? Hęc annotare uisum est ex eo qđ non simpliciter dicit: qui nos consolatur in omni afflictione nostra, sic ut consolari possimus, &c. uel ut uulgatus interpres uertit ut possimus & ipsi consolari, sed diserte, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν, id est, ad hoc, ut possimus nos consolari eos, &c. Non enim tam abundanti se consolatione recreari dicit, ut si uelit & alios consolari possit, sed agnoscit propterea se tam iugi consolatione potiri diuinitus, ut per illam consolari possit & alios, & hac se diuina gratia debitorem constitui omnibus illis qui & ipsi propter Christum affligebantur. Reperias facile diuitem, qui sic se facultatibus huius sæculi instructũ esse fateatur ut ex abũdantia sua multorum pauperum necessitatibus succurrere possit, modo uelit. At qui se propterea quas habet facultates accepisse sentiat & fateatur ut illas magis pauperũ quàm suijpsius rebus impendat, non ita facile reperias.

VT

VT posſimus,inquit,conſolari.] Ergo cõſolari alios non potuiſſet, niſi prius ipſe cœleſti fuiſſet conſolatione ſuffultus. Quid enim infirma noſtra caro in afflictionibus aliorum præſtare poterit,niſi in proprijs diuina conſolatione firmetur? Diuinum quiddam eſt, conſolari afflictos.Non poterit hoc præſtare,neq; qui nunquam tribulatus fuit ipſe, inq; tribulatione diuinam conſolationem expertus,neq; qui quamuis ſit afflictus, aliquid cõſolationis in ſeipſo experitur. Loquimur autem non de conſolationibus illis quæ ſolis uerbis inefficacibus, quibus nos qui ualemus facile conſilia damus ægrotis,ſed de talibus, quæ uiuo ſpiritu, efficaciter, tanquã per organa ſpiritus paracleti fiunt. Nam de hoc cõſolationum genere loquitur hic Apoſtolus.

VT poſsimus, inquit,cõſolari eos qui ſunt in quauis afflictione.] Loquitur de fidelibus, quos mundi huius princeps Satan per organa ſua,homines impios ac ſanguinarios, propter Chriſtũ omnibus quibus permittitur modis affligit & exagitat. Horũ rationẽ habet Deus plane ſingularem & paternam. Et quoniam iuxta carnem ſunt infirmi, ordinat ipſis ſpiritus ſui paracleſes,cum per internum illius inſtinctum,tum per externa prophetarum & apoſtolorum ſuorũ miniſteria. Talibus hic & Paulus deſtinatas ſuas ſcribit afflictiones pariter & conſolationes. Admirabile eſt omnino conſilium hoc Dei, quo ſic diſponit infirma eccleſiæ ſuę membra,ut afflictus unus quamplurimis ſit afflictis ſolatio & cõfirmationi. Poſſet ad cõſolandos afflictos mittere cœlitus angelos nullis afflictionibus obnoxios. Verum placet ipſi,ſic declarare ſuam in infirma noſtra carne uirtutem, ut quod infirmũ eſt per ſe ad conſolandum cæterorum infirmorum imbecillitatem paternæ ſuæ curæ ſeruiat.Nihil hic loci eſt magnis illis eccleſiarũ dominis ac prę latis qui magis ad hoc ſunt per iram Dei accõmodi,ut ſecundum morem falſorum paſtorũ, lac ouium comedant,lanis operiantur, quod craſſum eſt mactent, quod infirmum non corroborent, quod ægrotum non ſanent, quod contritum non alligent, quod abiectum non reducant,quod perijt non requirant, quàm ut afflictos in tribulationibus conſolentur, quãuis ſucceſſores apoſtolorum uideri uelint.

PER conſolationem,inquit, qua noſipſos conſolatur Deus.] Poteſt hæc particula bifariam exponi. Primo ſic,ut referatur ad præcedens uerbum,poſsimus, doceatq; unde potuerit Apoſtolus alios conſolari afflictos, hoc eſt, unde fuerit in eam rẽ animo factus erecto & apposito.Ex conſolatione, inquit, qua nos cõſolatur Deus.Diuina illum conſolatio inſtructum & idoneũ reddidit ad hoc, ut alios quoque in tribulationibus conſolaretur. Deinde, ut referatur ad uerbum, conſolari, quaſi dicat ſe afflictos eadem qua ipſe ſit refocillatus, cõſolatione erigere & confirmare. Aliud eſt, unde poſsis, & aliud quomodo quod potes facias. Conſolationes illæ,quibus ipſe per ſpiritum ſanctum in tribulationibus erigebatur, non erant in ipſius poteſtate, ut uteretur illis ad conſolandum alios, ſed ſic per eas confirmabatur,ut animo eſſet ad conſolandum afflictos apposito, idq; cõſolationibus quas ad id inſtituti ſingulariter,& ad uniuſcuiuſq; conditionem conformiter ſubminiſtrabat ſpiritus.

Lyranus tamen poſteriorem ſenſum ſequitur.Exponit enim ad hunc modum: Proponẽdo eis prę̨mium æternũ ſicut à Deo nobis eſt propoſitum, & exponendo eis ſcripturas inducentes ad tolerantiam paſsionum, ſicut à Deo reuelatę ſunt nobis. Staret hęc expoſitio, ſi Apoſtolum ſuum Deus proponendo ei prę̨mium æternum, & exponendo ſcripturas, & non magis interno ſpiritus ſui afflatu,in omni eſſet afflictione conſolatus.

Sunt qui exponãt de efficacia exẽpli, quaſi Apoſtolus quoties in aduerſis diuina eſſet cõſolatione cõfirmatus ac ſeruatus exemplo ſuo alios afflictos erexerit. Si diceret: qui nos conſolat̃ in omni afflictione noſtra ut & eos qui in omni ſunt afflictione conſoletur per conſolationem qua nos conſolatur, eſſet hæc expoſitio haud impertinens. Iam, quoniam dicit: ad hoc, ut poſsimus conſolari eos qui ſunt in omni afflictione, per conſolationem qua nos ipſos conſolatur Deus,puto illam non ſufficiẽtem habere ſenſum. Multæ quidem efficaciæ ſunt exempla ſanctorum, quos Deus in omni eſt tribulatione conſolatus,uerum Apoſtolus hoc loco magis deprædicat diuinam in ſe operationem, qua reddebatur ad conſolandum alios inſtructus,quàm exempli ſui efficaciam.

Concedimus facile,etiam mortuos ſanctos per eam nos conſolationem in afflictionibus poſſe conſolari, qua ipſos Deus dum in uiuis eſſent in afflictionibus eſt conſolatus, ſi intelligas de uirtute exempli. Huc facit illud Chriſti: Matth.5. Beati eſtis cum probra iecerint in uos,& inſectati fuerint,& dixerint omne malum uerbum aduerſum uos mentientes propter me. Gaudete & exultate quoniã merces ueſtra multa eſt in cœlis. Sic enim perſequuti fuerunt prophetas, qui fuerũt ante uos. Ecce prophetæ mortui conſolantur uiuos, uerum nonniſi exempli ipſorum reſpectu. Verum ſi uelis illis id genus cõſolationis tribuere, quo dum in uiuis eſſent diuinis conſolationibus ſuffulti alios conſolari potuerunt,plane fuerit hoc falſum ac ſuperſtitioſum.

QVONIAM,inquit,ſicuti abundãt afflictiones Chriſti in nobis,ita per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra.] Rationem reddit eius quod Deum & patrẽ domini noſtri Ieſu Chriſti,conſolari ſe in omni afflictione dixit. Hanc transfert in ipſum Chriſtum, ac taliter ponit, ut prorſus reddat,in gratiam infirmorum,probabilem. Poterat ſimpliciter dicere: quoniam per Chriſtum abundat in nobis conſolatio noſtra, uerum ut æquitatem quandam eius gratiæ exprimeret, qua illam probabilẽ redderet, quoniam,

quoniam, inquit, ſicut abundant afflictiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra. Etenim cõmuni ſenſu cenſetur æquum, ut qui propter dominum ſuũ abũdãter affligitur, per dominum ſuum uicisſim abundanti conſolatione refocilletur.

QVONIAM, inquit, ſicut abundant afflictiones Chriſti in nobis.] Non dicit ſimpliciter, quoniam ſicut abundãt afflictiones in nobis, ſed, ſicut abundant afflictiones Chriſti in nobis, ut quemadmodum conſolationes relaturus eſt ad Chriſtum, ita referat ad illum & afflictiones. Vocat autẽ afflictiones Chriſti neque quas ille pertulerit, neq; quas alijs inferat, ſed quas ipſe propter Chriſtum à mundo illatas tolerabat. Lyranus ſic. Id eſt, tribulationes q̃ in capite Chriſto incœperunt. Hiero. tamen, quemadmodum & in Commen. quæ Ambroſio tribuuntur legitur, id eſt, pro nomine Chriſti inquit. Et Chryſoſt. quoque de afflictionibus intelligit, quas propter Chriſtum ferebat.

Loquutionem hanc diligẽter obſeruemus, qua quæ propter Chriſtum nobis inferuntur afflictiones, Chriſti afflictiones uocantur. Proprie nõ ſunt Chriſti, niſi quas ipſe olim in carne ſua propter peccata noſtra pertulit. Et tamen hæ quoq; quas propter ipſum patiuntur fideles, ipſius eſſe dicuntur. Huius duę ſunt rationes. Prima eſt ex eo quod ipſe harũ eſt cauſa. Ipſum ſiquidem in nobis mundus hic perſequitur. Si de mundo eſſemus, & nõ ad Chriſtum pertineremus, non perſequeretur ſed diligeret nos mũdus. Verum quoniam ipſe nos è mundo hoc elegit, & à colluuie impiorũ ſeparauit, odit nos mũdus non ut homines peccatores, ſed ut Chriſtianos. Altera hinc eſt, q\d ipſe eſt caput noſtrum, & nos ipſius membra, atq; ita hoc quoq; nomine afflictiones noſtræ ipſius ſunt, cuius ſumus membra. Hæ duæ rationes locum habent non modo in afflictionibus propter Chriſtum illatis, ſed & in omnibus ſtudijs & operibus, quæ propter Chriſtũ ab ijs qui Chriſti ſunt fiũt. Sic omnia fraternæ charitatis opera, quibus alij aliorum fratrum neceſsitatibus ſeruimus, Chriſti ſunt opera, quia propter Chriſtum & Chriſti mẽbris impenduntur. Hinc illud eſt, eſuriui & cibaſtis me. Et, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et illud. Saule Saule quid me perſequeris? Dici non poteſt, quàm hæc cogitatio ſi perpetua mentibus noſtris inſederit, efficax ſit cum ad faciendum tum ad patiendum omnia, quæ pro Chriſti nomine uel facienda ſunt uel perferenda. Etiamſi nihil emolumenti ſperandum eſſet ex afflictionibus pro Chriſto toleratis, id tamen unum abũde refocillare poſſet Chriſti amantes quod pro Chriſti nomine affliguntur. Sic apoſtoli Chriſti gaudebant, quod digni habiti eſſent q̃ ꝑ nomine Chriſti contumelijs à cõcilio ſacerdotum afficerent.

Quid autem de eo dicendum eſt afflictionũ genere, quo neq; ab infidelibus ſed à Chriſtianis, eccleſiarũ Chriſti magiſtris, dominis, prælatis, pontificibus, principibus ac regibus catholiciſsimis & Chriſtianiſsimis, neque ſic propter Chriſtum quod hunc ipſi perſequantur, ſed quod illi ſe putent præſtare obſequiũ perſequendo hæreticos & eccleſiæ ipſius inimicos, affliguntur noſtra hac ætate omnium atrociſsime, quotquot Papatui Romano ualedicentes ad puram Euangelij Chriſti doctrinam aſpirant. Si perſequutorum intentionem reſpicias, ſunt hę afflictiones afflictiones Chriſti utpote propter Chriſtum hæreticis illatæ. Sed hinc afflictis nihil eſſe poteſt conſolationis plurimum uero condemnationis. Si uero patientium cõſyderes cauſam & intentionẽ, ſuſtinẽt illi afflictiones non ut aduerſarij Chriſti & eccleſiæ hoſtes, ſed ut uerbi illius ſectatores, ac ueræ & primę eccleſiæ illius conſortes, atq; ita propter Chriſtum afflicti Chriſti patiũtur afflictiones, quantumuis aliter interpretẽtur illorũ perſequutores. Hoc ſenſu plurimũ conſolationis eſt afflictis & horribilis condẽnatio Cainis illis fratrum ſuorum perſequutoribus & parricidis. Non refert hic, neque à quibus affligat̃ uerus Chriſtianus, ſiue ab extraneis & infidelibus ex profeſſo Chriſti hoſtibus, ſiue à falſis Chriſtianis, nomẽ Chriſti profitentibus, neq; quid prætendat perſequutor, ſed ueritas cauſæ inſpicitur, propter quã odio habetur & affligi ſuſtinet qui affligitur. Secundum hãc iudicatur etiam Auguſtino teſte, qui non paſsionem ſed cauſam martyrem facere dicit. Immo præſtantius eſt martyrij genus, ſi quis uerus Chriſtianus à pſeudochriſtianis ꝑpterea affligatur, quod mauult uerbo Chriſti obedire, quàm conſpirationi illorum & manifeſtis ſuperſtitionibus cõſentire, quàm ſi à manifeſtis Chriſti hoſtibus propter nomen Chriſti affligeretur. Quemadmodum illuſtrior eſt patientia Abel, quod à fratre propter religionis puritatem Deo acceptã occiſus eſt, quàm ſi occiſus eſſet ab alienis. Et martyria prophetarũ hoc nomine ſunt clariora, quod ab ipſis populi Dei primoribus propter impoſitũ prophetãdi munus ſunt occiſi, q̃ ſi interempti eſſent ab ethnicis, ab eccleſia Iſraëlis alienis.

QVONIAM, inquit, ſicut abundãt afflictiones Chriſti in nobis.] Quoniam non ſimpliciter dicit: ſicut multæ uel magnæ ſunt, ſed, ſicut abundant, quæri poteſt quo reſpectu afflictiones Chriſti abundare in ſe dicat. Etenim omnis abundantia aliquo dici reſpectu uidetur eius uidelicet rei ſupra quam abundando excellit. Chryſoſt. reſpicit ad ea quę Chriſtus in carne ſua paſſus eſt, quaſi afflictiones fidelium tum temporis abundauerint ſupra afflictiones Chriſti. Verũ, meo iudicio, loquitur hic Apoſtolus non ipſius Chriſti, ſed cæterorũ fidelium, etiam apoſtolorum, reſpectu, cum in ſe Chriſti dicit abundare afflictiones. Quemadmodum enim plus cæteris in opere Chriſti laborauit, ita & pluribus eſt afflictionibus q̃ cæteri exercitatus.

ITA per Chriſtum, inquit, abundat & conſolatio

solatio nostra.] Quoniam ad hoc destinatus erat singulari consilio Dei, ut non modo doceret errantes ac Christo lucrifaceret plurimos, sed & ut afflictos in omni tribulatione consolaretur, resipsa poscebat, ut abundanti consolatione per gratiam Christi potiretur ipse & in hunc usum instructus redderetur. Huc tendebant abundãtes illius afflictiones, quas tamẽ pseudapostoli magis ad detrimentum Apostolatus ipsius quàm ad ornamentum sinistre interpretabantur. Ipse uero hanc illarum utilitatem esse docet, quod per Christum hoc sit instructior ad consolãdum afflictos factus, quo abundantius ipse cæteris sit afflictatus.

ITA per Christum, inquit.] Quid est quod non dicit: ita & consolatio Christi abundat in nobis, sed, ita per Christum abundat & consolatio nostra? Si consolatio ipsius perinde atq; afflictio, Christi fuisset, recte dixisset, ita & cõsolatio Christi abũdat in nobis. Verum aliter Christi erãt afflictiones quas ferebat, & aliter Christi erat consolatio de qua loquitur. Illæ nanq; Christi erant, propterea quod propter Christum inferebantur, hæc uero propterea quod per Christum conferebatur. Quare ne uideatur consolatio fidelium non esse Christi aliter quàm quomodo illius sunt illorũ afflictiones, diligenter & caute non dixit, ita & consolatio Christi, sed, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Aliud est, si consoletur nos pater misericordiarum propter Christũ, quẽadmodum affligit nos mundus propter Christum, & aliud, si hoc faciat per Christum, quod facit etiam, dum corda nostra per spiritũ Christi fidelium omnium paracletum, id est, consolatorem consolatur & erigit.

ABVNDAT & consolatio nostra, inquit.] Amphibolum est an de ea loquatur cõsolatione, qua in afflictionibus suis ipse confirmabatur per Christũ, uel de ea, qua alios ipse in omni afflictione consolabatur.

Prior sententia magis placet. Ea autem rectius exprimitur si legamus, abundat & consolatio nostri, quàm, abũdat & cõsolatio nostra.

Siue autem affligimur, pro uestri consolatione ac salute, quæ operatur in tolerantia earundem afflictionum, quas & nos patimur, siue consolationem accipimus, pro uestri consolatione ac salute. Spes enim nostra firma est pro uobis cũ sciamus, quod sicut participes estis afflictionum sic futuri sitis & consolationis.

Vulgata æditio aliter habet hoc loco. Ad hunc uidelicet modum. Siue autẽ tribulamur pro uestra exhortatione & salute, siue consolamur, pro uestra cõsolatione, siue exhortamur, ꝑ uestra exhortatione & salute. Quod in Græco est, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, id est, pro uestri cõsolatione, uertit interpres, pro uestra exhortatione. Item, ὅτι παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, id est, siue consolationem accipimus, uel, A consolatione recreamur, pro uestri consolatione, reddidit ille, siue exhortamur ꝑ uestra exhortatione. Nõ est probanda hæc incõstantia, qua eandem uocem in eodem contextu & argumento iam consolandi iam exhortandi sensu uertit, quod non hic tantum, sed & in præcedenti contextu fecit. Deinde nec illud recipiendum est, quod textum bimembrem trimembrem reddidit, cum intermedium membrum quod ponit non sit in Græco, & præterea illud, qua operatur in tolerantia afflictionum earũdem quas & nos patimur, suo loco exemptum post secũdum membrum ab Apostolo positum locauit.

SIVE autem affligimur, inquit, pro uestri consolatione ac salute.] Intellige affligimur, fit, uel disponitur, aut tale quid aliud. Nam omnino uerbum eiusmodi aliquod desyderatur in utroq; mẽbro, quo sensus impleatur. Eras. reddidit, id fit pro uestri cõsolatione ac salute. Præcedentia, quibus ista cohærent, duobus membris, de afflictionibus Christi uno, de cõsolatione afflictorum quæ per Christum est altero contexta sunt. Illis rationem & usum afflictionum & consolationum suarum adiecit dicẽs, ut possimus cõsolari eos qui in quauis sunt afflictione. Rationem hanc declaraturus duo illa membra repetit, & eam unicuiq; illorum accõmodat & amplificat. De afflictionibus sic dicit: Siue autẽ affligimur, id fit pro uestri consolatione & salute. De consolationibus ad hunc modum subijcit: B Siue consolationem accipimus, id fit pro uestri consolatione ac salute.

SIVE autem affligimur, inquit, siue consolationem accipimus.] Non est ociosum quod de afflictionibus & consolationibus sic distinctim loquitur. Afflictiones Christi sic commẽdat, ut etiam citra consolationem consyderatas utiles esse doceat. De utilitate consolationum declaranda minus erat negocij, & tamẽ de illa quoque subijcit. Siue autem affligimur inquit. Magna ratio est, quod de afflictionibus seorsim loquitur. Neque enim mox adest illis consolatio talis, quæ spectantium oculos incurrat, & in seipsis admodum sunt horribiles. Propositum igitur est sic eas commẽdare, ut seorsim consyderatæ, admodum utiles depræhendantur. Quasi dicat: Siue affligimur, nõ est ut uos afflictionum nostrarum inamœnus aspectus à ueritate Euangelij in hoc mundo sectanda absterreat. Etenim afflictiones hę Christi quas patimur quantũuis carni uideantur acerbæ suauissimum tamen fructũ gignũt dum cõsolationi ac saluti uestræ seruiũt. Quare ne audiatis eos, qui ex illis colligunt, displicere domino Apostolatum nostrum, quasi argumentum habeant irati nobis Dei, cum argumento potius sint diuinæ erga uos prouidẽtiæ, qua sic disponuntur, ut consolationi ac saluti uestræ seruiant.

QVAE operatur, inquit, in tolerantia earũdem afflictionum quas & nos patimur.] Expositio

positio est eius quod afflictiones suas ad ipsorum cõsolationem ac salutem facere dixit. Docet enim quomodo id fiat. Dum enim affligimur, inquit, nostrarum afflictionum exemplo corroborantur & incitãtur animi uestri ad eorundem malorũ tolerantiam, ut quemadmodum uidetis nos pro Christi nomine fortiter quæuis ferendo contra mundum hũc & principem illius decertare, ita ad eadem certamina sustinenda armemini & uos. Et cum hoc facitis afflictionum mearum exemplo moti, utiq; salus uestra exeritur & quodammodo perficitur atq; ita fit, ut dum affligimur pro consolatione ac salute uestra affligamur. Sic quod in Græco est, τῆς ἐνεργουμένης haud illibẽter ad dictionem salutis quæ præcedit referimus & sensu pasiuo accipimus quod & Chrysostomus facit, dum annotat, nõ legi ἐνεργούσης, quod actiuũ esset, sed, ἐνεργουμένης quod pasiuam habet significationem, & exponit idem esse, quod, declaratur, augescit, & intenditur dum patientiam sibi coniunctam habet, dum patitur, dum omnia fortiter tolerat. Germanicus interpres uertit ad hunc modum. *Welches heil bewyset sich, so ist leydet mit gedult dermassen wie wir leiden.* Potest tamen non incommode uerti, quę efficax redditur in tolerantia earundem afflictionũ, hoc est, ad tolerãdum easdem afflictiones quas & nos patimur. Quod si cui illud, in tolerantia, idem esse uidetur, quod per tolerantiã earundem afflictionum, non admodum reclamauero.

Non est autem, ut insolẽs putemus, si detur afflictionibus Christi, quas fideles in hac carne pro nomine ipsius & ueritatis confesione patiuntur, quod salutem ipsorum uel operentur, uel efficacem ac certiorem reddant. Nam infrà cap. 4. sic diserte dicit: Etenim momentanea leuitas afflictionis nostræ supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis. Et Christus beatos uocat, qui persequutionem patiũtur propter iusticiam. Matth. 5. Et ad Rom. 5. datur afflictionibus quod pariant patiẽtiam, patientiæ, quod gignat probationem, probationi, quod operetur spem tam certam, ut nõ pudefaciat sperantem. Interea tamen proprie loquendo non operantur nostræ afflictiones salutem, quæ opus est diuinę misericordię per redemptorem Christum, cuius fide reddimur participes. Verũ sic recte loquimur, quod per gratiam Dei fides nostra per quam seruamur tribulationibus exercetur, comprobatur, crescit, & corrobatur, atq; ita ipsa quoq; salus nostra magis ac magis perficitur & confirmatur.

Illud interim obseruet diligẽs lector, quod suas afflictiones Apostolus fidelibus Corinthiorum ad hoc ualuisse dicit, ut ad consimilẽ malorum tolerantiam animarentur & ipsi. Sic fiebat, ut quo plus sæuiret Satan in religionis Christianę professores, hoc plures ad eandem fidei constantiam excitarẽtur. Hinc illud Tertulliani est, quo sanguinem Christianorum semen esse scribit. Videbat hoc Iulianus Apostata, ideoq; clementior erga Christianos in speciem apparens, abstinebat à sæuitia, qua ante ipsum hostes Christi usi fuerãt, non quod illis parceret, sed ne Christianismus pristino suo more quo magis afflictionibus premeretur, hoc magis inualesceret. Vide hac de re Sozomenum lib. 5. cap. 4. Et hoc ipsum hodie quoque uidere licet in illis regionibus ac regnis, quorũ principes persequutionibus, uinculis, proscriptionibus, bonorum confiscationibus, gladio, laqueis & igne propter ueritatem Euãgelij Dei ac defectionẽ ab Antichristianismo in Christianos sæuiunt. Quo nanq; sæuitiam hanc magis ac magis intendunt, hoc numerus fideliũ magis ac magis crescit, sic ut iam multitudo illorum ipsis tyrannis pertimescenda uideri posit. Sic uidelicet constãtia eorum qui pro ueritate Christi quæuis mala fortiter tolerant, aliorum quoq; consolationi ac saluti conducit, infatuatq; cõsilia impiorũ quibus dum ueritatem Dei in sanguinem fideliũ sęuiendo subuerti posse putant, occasionem præbent, qua magis illa inualescat quàm subuertatur.

IN tolerantia, inquit, earundem afflictionũ quas & nos patimur.] Obseruemus hic quibus nam sanctorum apostolorum ac martyrũ pasiones ad consolationem & salutem facere queant. Illis nimirum, qui perinde atq; illi pro ueritate Euangelij Dei affligũtur, non ijs, qui in pace ac securitate uiuentes, ecclesiæ malignantium sese accommodãt, adeoq; nullis afflictionibus exercentur. At hi legendas, ut uocant, sanctorum martyrũ magnifaciunt, quorum tamen afflictionum socij esse nollent. Nõ prosunt illę ociosis, ignauis, mollibus, securis, nullo sectandæ ueritatis zelo præditis, sed fidelibus, quos Antichristiani omnis generis afflictionibus persequuntur.

SIVE consolationẽ accipimus, inquit, pro uestri consolatione ac salute.] Chrysostomus istis uerbis particulam quæ sequitur præmittit, sic legẽs. Et spes nostra firma est pro uobis. Siue consolationem accipimus pro uestri consolatione ac salute. Et hanc lectionis seriẽ exponendo quoq; sequitur. Quin & Hispanicũ Grecum exemplar nonnulli sic habere tradũt. Mihi placet eam retinere lectionẽ quæ in Grę cis codicibus, quos habemus in manu, reperitur. Siue cõsolationem accipimus, inquit, pro uestri consolatione ac salute, intellige, accipimus. Hoc est: Siue dum nos in medijs afflictionibus consolatur Deus, in eo quoq; non tam nostri quàm uestri rationem habens consolationi ac saluti uestræ consulit. Quomodo hoc fiat, facile intelligi potest. Quemadmodum enim afflictionibus suis ad consimilem illos afflictionum tolerantiam prouocabat, ita dum diuinis consolationibus suffultiebatur ac seruabatur, ad spem eos consimilium consolationum erigebat. Hoc sentiens dicit: Siue consolationem accipimus, pro uestri consolatione ac salute accipimus.

Admonemur hoc loco, quo nobis facere debeant exempla beneficiorum Dei, quę sanctis

ctis suis prophetis & apostolis, dum in carne uiuerent, & postea quoq;, diuina liberalitate concessit. Ad consolationem uidelicet ac salutem nostram. In hunc enim usum quę cum illis egit Deus proposita nobis sunt, ut reipsa uideamus, non deserere illum sperantes in se. Et hanc ob causam conscripta sunt & memoriæ mandata, ut per consolationem scripturarum spem habeamus. Sic quæ Deus egit cum suis sanctis non debent referri ad ipsorum merita, sed ad consilium Dei, quo eos nobis exemplarium loco, non tam ipsorum iusticię quàm suę gratiæ proponere uoluit.

SPES enim nostra, inquit, firma est pro uobis.] Rationem asignat, quare consolationes suas, ad illorum consolationem & saluté facere scribat. Dicit se spem hanc de illis concepisse, eamque non dubiam sed certam ac firmam. Hac spe fretus tam diligenter illis utilitatem afflictionum ac consolationum suarũ exponit, quod nõ faceret, si spe hac de illis destitueretur. Spes nanq; mater est conatuum ac studiorum, gignens non modo uoluntaté sed & conatum ac studium operandi, & quod cœptum est prosequendi, si non sit dubia sed constans & firma.

Adiecit autem particulam hanc de spei suæ firmitudine admodum prudenter. Cum enim dicit: Nam spes nostra firma est pro uobis, mirum in modum erigit & accendit illorum animos, redditque ad omnis generis afflictionum tolerantiam uehemẽter alacres. Quemadmodum enim si ægroto dicat medicus, esse sibi de salute illius ac sanitate recuperanda spé firmam, hoc dicés animum illius reddit ad recipiendas quasuis ab ipso oblatas potiones, & quæuis alia iuxta consilium ipsius uel faciẽda uel patienda paratum, desyderio uidelicet sanitatis ac spe medici sui accensum, consimili modo, qui pij erant in ecclesia Corinthiorum, hac spe apostoli sui animabantur & accendebantur, ad ferendum pro fide Christi quæuis aduersa.

Simul nota discrimen inter ueros ac falsos apostolos. Spe dispari discernũtur. Verus sperat ea quæ salutis sunt fidelium, & hac spe fretus omnia illorum gratia quę potest facit ac tolerat. Sic erat animatus erga Corinthiorum & aliorum fideliũ ecclesias Paulus. Falsus sperat uel numos, uel eminentiam alicuius in ecclesia dominij, aut aliud aliquid, quod sibi putat fore commodum, parum de salute fideliũ solicitus. Hoc discrimine admodum luculento discerni possunt hodie quoque synceri Christi ministri à reprobis.

CVM sciamus, inquit, quod sicut participes estis afflictionum, sic futuri sitis & consolationis.] Vnde firmam de illis spem conceperit hisce uerbis exprimit. Non dicit: Putamus enim, sed, cum sciamus, quod futuri sitis participes consolationis, sicut estis afflictionum. Spes alia nascitur ex opinione, alia ex scientia, alia ex fide uerbi Dei. Prima incerta est ac fallax. Secunda ac tertia non item sed certa ac firma. Secundam exprimit cum dicit: Cum sciamus, sed unde sciebat? Ex uiua uidelicet ac suaipsius experientia. Quæ illa? Quemadmodum abundabant in ipso afflictiones Christi, sic abundabat uicisim in ipso & consolatio. Id non contigerat ipsi semel atque iterum, sed quoties affligebatur, toties consolationes diuinas experiebatur. Hac experientia certus erat factus non deesse Deum, patrem misericordiarum, fidelium suorum afflictionibus.

Igitur in eandem sortem, quæ contigerat ipsi, collocat & cęteros fideles? Collocat hactenus, quatenus omnibus in Christum uere credentibus parata est communiter & pariformiter incomparabilis diuinæ prouidentiæ & misericordiæ gratia, quæ non distinguit inter Apostolum & discipulum, sed ex æquo & indiscriminatim adest omnibus, syncere erga ueritatem Dei affectis, ac propter illã afflictis. Hoc innuens non dicit, cum sciamus quod sicuti nos sic & uos cœlesti consolatione potiemini, sed, quod sicut participes estis afflictionũ, sic futuri sitis & consolationum. Consortes afflictionum Christi, digni habentur coram Deo ut sint & consolationis consortes quãtumuis dispares aliàs sint cõditione & donis spiritus, sic ut alius sit apostolus, & excellentioribus spiritussancti charismatibus præditus, alius uero priuatus, & minus donorum spiritus consequutus.

Negandum tamen non est, quemadmodũ excellebant in Apostolo afflictiones Christi, quibus plus cęteris impetebatur, ita excelluisse in eo & consolationes spiritus, idque haud præter rationem, cum esset positus à Deo in exemplar gratiæ ipsius, quo cæteri fideles ad fidei constãtiam animarentur. Quare quod dicit: Cum sciamus quod sicut participes estis afflictionum, sic futuri sitis & consolationis, non est trahẽdum eò, ut sentiamus non fuisse consolationes Apostoli excellentiores ijs, quibus cæteri fideles recreabantur, quemadmodum nec illud ex hisce uerbis sequitur, quod afflictiones illius non fuerint grauiores quàm cæterorum fidelium. Sicut socius esse potest afflictionum, qui licet non tam grauiter affligatur quàm afflicti fuerunt apostoli, propter eandem tamen Christi ac ueritatis ipsius causam affligitur, propter quam illi affligebãtur, sic socij possunt esse consolationis quoq;, qui etsi non pari mensura cum apostolis consolatione spiritus potiantur, eiusdem tamen sunt consolationis participes. In bello milites socij laborum sunt ac periculorum cum ducibus, licet non æqua mensura, etsi principem habẽt æquum & suorum ex æquo amanté, pręmiorum quoque & solatiorum sunt socij, tametsi maior hic quoque habeatur ducis ratio. Plane idem est in hac causa cogitandum.

Illud: sic futuri sitis & consolationis, Græcè est, ὄυτως καὶ τῆς παρακλήσεως, id est, sic & consolationis. Quare quod Erasmus uertit: sic futuri

 sitis,

sitis, in Græco non est, quod & ipse annotat. Nec ulla necessitas est, ut de futuræ uitæ consolationibus intelligamus, cũ loquatur Apostolus de consolationibus quibus afflicti in ipsis afflictionibus eriguntur. Interim tamen in futuro quoq; uera erit hæc sententia.

Non enim uolumus uos ignorare fratres, de afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus, supra uires, adeo ut desperaremus etiã de uita. Quin ipsi in nobis sententiam mortis acceperamus, ne cõfideremus in nobisipsis, sed in Deo, qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos & eripit, in quo spem fixam habemus, quod etiam posthac erepturus sit, simul adiuuantibus & uobis per deprecationem pro nobis, ut ex multis personis, ꝑ dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Referunt ista nonnulli non ad præcedentia sed ad sequentia, quibus rationẽ reddet, quur Corinthum nondum uenerit, cum uenturum se promiserit. Secundum illorum sententiam, non debebat dicere: Non enim, sed: Non autẽ uolumus uos ignorare fratres, &c. Iam cũ dicit: Non enim, puto manifestũ esse, quod subijciat hæc præcedentibus, quæ de afflictionibus suis scripsit, præsertim quibus afflictiones Christi abundare in se dixit, ut abundantiam illarum exemplo recenti, quod paulo antequam hæc scriberet expertus fuerat, comprobaret, inque illo quæ de consolatione per Christum accepta adiecerat declararet. Sic dicit: Non enim uolumus uos ignorare fratres, de afflictione nostra quæ nobis accidit in Asia. Quasi dicat: Quæ de afflictionum nostrarum abundantia scribimus data opera scribimus, ad hoc, ut sciatis quid nobiscum agatur. Neque enim pudet nos afflictionum Christi. Imò uos cum primis scire illas uolumus, ut simul ex grauitate illarum opus diuinę in nobis consolationis ad uestri consolationem ac salutem cognoscatis.

QVARE nolumus uos ignorantes esse afflictionis quæ contigit nobis in Asia, &c.] Ergo tam aberat, ut occultari uellet afflictiones suas, propter pseudapostolos, à quibus hoc nomine pro seditioso ac turbulento Apostolo habebatur, quod ubique turbas aduersariorum in se excitaret, ut ipse ad ecclesiam Corinthiorum de illis scribere maluerit potius, quàm ferre ut esset illa harum ignara.

Prudenti tamen consilio non mox initio epistolæ absque præfatione afflictionis Asiaticę meminit, sed pręmisit illi doxologiam Dei celebrans ac laudans Deum ac patrem domini nostri Iesu Christi, patrem misericordiarum ac Deum omnis consolationis, propter consolationes illius quibus in omni afflictione corroborabatur, & simul utilitatem afflictionum Christi exposuit, quo animos Corinthiorum præpararet, ne per expositionem Asiaticæ tribulationis uel offenderentur uel turbarentur, si de illa statim in exordio meminisset.

NOLVMVS enim uos ignorare fratres, inquit, de afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia.] Verbum accidendi non est in Græco, sed ibi legitur ad hunc modum τῆς γενομένης ἡμῖν, id est, quæ facta est nobis, quemadmodũ habet & uulgata quod ob id admoneo, ne quis hic in uerbo accidendi philosophetur, quasi afflictiones sanctorum inter fortuito cõtingentia & accidentia numerari possint, cũ uix sit in rebus humanis aliquid quod minus accidentaliter geratur, & maiori certiorique consilio diuinæ prouidentiæ disponatur.

De qua uero afflictione loquatur, non est ut operosius inquiratur. Capite ultimo præcedentis epistolæ, dixit esse sibi aduersarios Ephesi multos. Vbi multi sunt aduersarij, ibi facile multæ excitantur afflictiones. Nec dissimile à uero est, quod nonnulli hæc referũt ad tumultum quem Demetrius faber argentarius Ephesi sic excitauit contra Paulum ut tota ciuitas repleta sit confusione, post quam seditionem relicta Epheso profectus est in Macedoniam, ex quo itinere epistolam hanc Corinthijs scripsisse iudicatur.

QVONIAM supra modum, inquit, grauati fuimus supra uires, adeo ut desperauerimus etiam de uita, quin ipsi in nobisipsis sententiã mortis acceperamus.] Poterat quod in Gręco est ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν uerti, quod supra modum grauati fuerimus. Nam hoc est quod Corinthios de Asiatica sua afflictione scire uolebat, quod ea uidelicet non fuerit leuis sed uehementer grauis, supra quàm ferre potuerit. Si legerimus: quoniam supra modũ grauati fuimus sensus erit: Volo, ut nota sit uobis afflictio, quæ facta est mihi in Asia, propterea quod nos supra modum grauauit, & uires nostras superauit. Sic solemus ea, quæ singularis momenti mala nos premunt, nolle ignota esse amicis.

Significat his uerbis, quàm fuerit hæc sibi afflictio grauis. Grauitatem eius exaggerat amplificatione quadruplici.

1 Non simpliciter dicit: quoniam grauati fuimus, sed primum addit, καθ' ὑπερβολὴν, id est, excellenter. Verterunt, supra modum. Sunt grauamina alia alijs grauiora. Quæ supra reliqua grauitate sua excellunt, καθ' ὑπερβολὴν grauant ac premunt.

2 Deinde, adijcit ὑπὲρ δύναμιν, id est, supra uires. Non mox etiam ea quę excellenter grauia sunt, cuiuslibet athletæ uires superant.

Quare ut significet tam fuisse afflictionem hanc excellenter grauem ac molestam, ut etiam uires suas superauerit, postquam dixit, quoniam excellenter grauati fuimus adiecit, supra uires. Sic non est idem, καθ' ὑπερβολὴν, &, ὑπὲρ

ὑπὲρ δύναμιν, sicuti uidetur, ubi legimus, supra modum grauati fuimus, supra uires.

3 Tertio amplificat & hoc dicens, adeo ut desperauerimus etiam de uita. Vulgata habet, ita ut tæderet nos etiam uiuere. In Græco est ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. Significat ἐξαπορηθῆναι inopem fieri consilij & rationis rei gerendæ, & per omnia perplexum, ut nec uiam nec rationem uideas ullam, qua imminens discrimẽ euadas. Sic eueniebat Apostolo in tam graui & abundanti afflictione, qua sic supra uires premebatur, ut omni esset ratione, consilio, & facultate seruandæ uitæ destitutus. Hunc sensum uulgatus interpres non expresit, expressit uero Erasmus melius, dum uertit: adeo ut desperauerimus etiam de uita.

4 Quarto, addit quod erat extremum. Quin ipsi in nobis ipsis, inquit, sententiam mortis ἐσχήκαμεν, id est, habebamus. Quasi dicat. Non modo perplexi hæsitabamus de uita seruanda, uerum adeo uidebantur omnia certam intentare mortem, ut in nobisipsis decretũ iam esset, omnino nobis esse in eo discrimine moriendum. Significat igitur quadruplici hac exaggeratione afflictionem illam Asiaticam supremum obtinuisse discriminis gradum, sic ut suoipsius iudicio mortem tam esset certo illatura, ac si mortis iam esset sententia condemnatus & lictori necandus traditus. Et hoc erat quod Corinthios suos ignorare nolebat.

QVONIAM supra modum, inquit, grauati sumus.] Non erat Apostolus hic alienus ab eo quod de cęteris apostolis legitur, quod gaudentes abierint à conspectu concilij propterea quod digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumelijs afficerẽtur. Et ipsa causa propter quam tam grauiter affligebatur, uon erat alia ab ea, propter quam contumelijs fuerant cæteri apostoli affecti, sed prorsus eadem, & tamen significat hoc loco fuisse se grauatum, idque excellenter. Qui se grauari queritur, utique non gaudet de eo quo se grauari queritur. Sensit igitur in carne sua afflictionis grauitatem & molestiam, idque sicut patet in ijs quæ subijcit non gaudens sed anxius & perplexus deque ipsa uita desperans. Quomodo conueniebat illi hac in re cum cæteris apostolis? Imò cum eo quod infrà capite quarto tribulationi suæ non grauitatem sed leuitatẽ, eamque non mediocrem aliquam sed momẽtaneam tribuit dicens: Nam mire momentanea leuitas afflictionis nostræ supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis? Quomodo ergo excellenter ac supra uires hic se grauatum fuisse dicit, si afflictio ipsius leuis fuit ac momentanea?

Act. 5.

Respondeo. Sensus afflictionum alius est atque alius. Alius dum caro præsentibus afflictionibus premitur, alius post afflictiones cõsolatione diuinitus accepta. In ipsa afflictione grauis est ac molestus, post afflictionem uero non ita, sed leuis ac momentaneus. Quare qd Ebr. 12. de castigationibus legitur: Omnis castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij sed molestiæ, at postea fructum tranquillum iusticiæ reddit ijs qui per illam fuerint exercitati, omnium conuenientisśime de afflictionibus quoque sanctorum dici potest. Iam quod præsentem quæstionem attinet, quod se Apostolus supra modum grauatum fuisse dicit, referendum est ad ipsum præsentis afflictionis tempus in quo quæ hic scribit in carne sua fuerat expertus, quæ uero infrà capite quarto scribit, referẽda sunt ad sensum non pręsentis sed præteritæ afflictionis, & ad collationem æternæ gloriæ, quæ trãsitoriam afflictionem consequitur.

Admonemur hoc Apostoli exemplo, quàm non sit illud Stoicum, non sentio, nõ dolet, ad præsentes sanctorum afflictiones referẽdum, sed ad præteritas. Et ipsi apostoli, non leguntur inter ipsa fuisse uerbera gauisi, sed postea demum, cum cæsi essent dimissi. Sic enim habet textus. Et cum aduocassent apostolos, cęsis pręceperunt ne loquerentur in nomine domini Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni habiti essent, ut pro nomine eius contumeliam paterentur.

Act. 5.

SVPRA uires, inquit.] Nascitur & hic quęstio, quomodo conueniat hæc particula cum eo quod in præcedenti epistola capite decimo dixit ad hunc modum? Tentatio uos non cœpit nisi humana, sed fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, imò faciet unà cum tentatione euentũ, quo posśitis sufferre. Si sic fidelis est Deus, ut non sinat fideles suos tẽtari supra quàm ferre posśunt, quomodo permisit Apostolum suum grauari supra uires? Respondeo. Quod Apostolus supra uires grauatus fuit, non impedit quo minus uere fidelis sit Deus qui sic fideliũ suorum in ecclesia Corinthiorum infirmitati pepercit, ut non sineret eos tentari supra uires. Quæ uerba non sic sunt prolata, ut generalem habeant sententiam, quasi fidelis Deus prorsus neminem suorum supra uires tentari sinat, sed ut in eo fidelem esse Deum prædicent, quod infirmos non sinat tam grauiter tentari quàm eos qui sunt robustiores, & ad hoc positi ut in ipsis diuinæ uirtutis gloria illustretur. Idem Deus tã erga firmiores quàm erga infirmiores fidelis, firmum suum Apostolum tentari sinebat supra uires, infirmos uero Corinthios non ita, utrorumque salutem procurans ex æquo, etiamsi diuersimode, iuxta quod mensura donorum suorum poscebat ac ferebat.

ADEO, inquit, ut desperauerimus etiam de uita.] Ergo erat anxius pro seruanda uita, & quoniã afflictio mole sua grauior erat quàm ipse ferendo esset, desperabat fieri posse, ut uitam retineret. Sic uidemus etiam apostolos in afflictionibus solicitos esse de sua uita, & rationes seruandæ illius metiri secundum uirium suarum facultatem sic ut ubi illæ prostratæ

stratæ iacent, de seruanda ea perplexi & inopes consilij reddantur. Sunt hæc humana & naturalia, quibus Deus nō irritatur, quare nec aliena sunt ab afflictionibus sanctorum, uerū Apostolus, qui cupiebat dissolui & esse cum Christo, nō tam hic uitæ suæ desyderio, quàm cura ecclesiarum afficiebatur, uide Philippensium primo. Quomodo autem ista diuina prouidentia dirigantur, in consequentibus uidebimus.

QVIN ipsi in nobisipsis, inquit, sententiā mortis habebamus.] Vulgata æditio habet, responsum mortis. In Greco est, ἀπόκριμα, quæ uox & responsum, & sententiam, & condemnationem significat. Cuius ergo sententiam habebat in seipso? Dei non habebat, aliàs moriendum ipsi fuisset. Nec à magistratu lata erat in ipsum sententia mortis. Quod igitur dicit, nihil est aliud, quàm quod in tam graui afflictione perinde se morti adiudicatum esse putabat ac si mortis iam sententiam uel à Deo uel à magistratu accepisset. Tanta inualuerat in ipso desperatio uitæ. Ergo & sancti in discrimine constituti falluntur in seipsis, dum ignari diuinæ sententiæ secundum externæ afflictionis sensum morti se adiudicatos esse existimant. Huius rei multa testimonia occurrunt in Psalmis Dauidis, qui quod hic Paulo accidit, nō semel est expertus. Tale erat, quod primo Samuelis uigesimotertio legitur, ubi à Saule in modum coronæ sic cinctus fuisse memoratur ut iamiam capiēdus uideretur. Hinc illa: Circundederant me funes mortis, & torrentes Belial conturbauerant me. Funes sepulcri circundederant me, occupauerant me laquei mortis.

NE confideremus, inquit, in nosipsis sed in Deo.] Reddit hic rationem, quare uoluerit Deus afflictionem suam eousque inualescere, ut in ipsa iam mortis sententia constitutus uideretur, & quæ sit tam grauis afflictionis utilitas. Totum, inquit, hoc non est humano aliquo sed diuino consilio factum, quo adimeretur nobis nostri ipsorum fiducia, ne pòst unquam confidentes simus in nobisipsis, sed in Deo cum iam reipsa depræhenderimus nihil ualuisse in tam graui discrimine omnes nostras tam mentis, ac propriæ iusticiæ, & innocentiæ quàm corporis uires, sed moriendum fuisse prorsus, nisi nos Deus ueluti manupræhensos è laqueis mortis extraxisset.

Locus hic de fiducia notandus est. Confidere quid sit notum est omnibus. Est sic animo alicui rei inniti, in qua uel subsistere, uel uoti compotes euadere posimus, ut illius fiducia nihil non faciamus ac feramus. Hæc fiducia argumentum habet humanæ nostre infirmitatis. Quorsum enim opus esset alicui ueluti sustentaculo confidendo inniti, si sic essemus firmi, ut nulla esset ratio timendæ ruinæ? Iam quoniam tales non sumus, natura sic comparati sumus, ut sine fiducia nemo mortalium uiuat, nisi in quo omnimoda obtine-

A rit desperatio. Nec sancti ulli fiduciæ possunt esse expertes. Nec requirit hoc à nobis diuina maiestas, ut ab omni prorsus simus fiducia alieni. Nec dicit hic Apostolus simpliciter, ne confidamus, sed addit, in nobisipsis. Imò ut significet placere Deo, ut in se cōfidamus mox subijcit, sed in Deo. Qui uult ut sibi fidendo innitamur, utique non uult nos omnis esse fiduciæ expertes. Quæ insunt nobis naturaliter, naturæ nostræ conditioni conformia, utpote, amor, odium, timor, spes, gaudium, tristitia, fiducia, &c. in se non sunt damnabilia, nec ulla nobis pietate auferuntur sed corriguntur, & ad iustum finem perducuntur. Sic damnatur hic non affectus fiduciæ in se, sed corruptio illius, qua caro confidit in eo quod est uanum, uel in seipsa uel in alio.

NE confideremus, inquit, in nobisipsis.] Qui confidit in seipso, facit hoc respectu uel propriæ sapientiæ uel potentiæ uel opulentiæ, uel fortitudinis, uel iusticiæ, uel alterius cuiuspiam uirtutis aut doni Dei. Paulus cum Euangelium Christi prædicaret, non potuit confidere in propria potentia, quia non erat potens iuxta sæculum, neque in opulentia, qua nulla potiebatur, uictum labore manuū quærens, nec in robore corporis, quo tot periculis sufficere non poterat, quare non erat periculum ut tribus hisce respectibus confideret in seipso. Est igitur reliquum, periculū fuisse in alijs, qualia erant, propriæ iusticiæ, sapientiæ, fortitudinis, & singularium reuelationū. B In nullo fuisse dicere non possumus, nisi placet ut dicamus frustra fuisse illum tam excellenti afflictione grauatum, & quæ hic dicit, uerba esse inania ad ludificādum Corinthios. Sed absit ut hoc dicamus.

Cum tot tanque præclaris donis spiritus, ut magnitudinem reuelationum taceam, præditus esset Apostolus, periculum erat ne respectu illorum confideret in seipso. Infrà capite duodecimo dicit: ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus, &c. Sane sic comparatum est hoc uicium, ut insidiosum sit non uulgaribus hominibus sed selectioribus, ut quo quisque pluribus ac maioribus est præditus uirtutibus, procliuior ad hoc sit ut confidat in seipso. Quare opus illis est cum primis ut subinde humilientur, & in propriæ infirmitatis sensum & cognitionem inducantur.

Malum autem, quo noxia est & auersanda hec confidentia qua in nobisipsis confidimus, admodū est multiplex, sic ut uanitatis ac maliciæ illius species numerari nequeant. Excæcat mentes nostras, ut uidere nequeamus quàm simus in nobisipsis uani ac prorsus nihili. Quod Dei solius est dat creaturis. Idolum facit ex donis à Deo acceptis. Reddit nos securos, ubi nulla est securitas & egregios diuinæ uoluntatis contemptores, ac tandem in barathrum perditionis præcipites impellit. Haud igitur preter rationem est, quod propheta

Hier.17. pheta dicit: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.

SED in Deo, inquit.] Sic relinquitur quidem nobis fiducia, qua pendeamus aliunde, ab eo uidelicet, unde sustentari ac seruari possimus, uerum talis, qua innitamur non uano & arundineo alicui baculo, sed ei tantum, in quo solo ueram licet inuenire salutem, Deo uidelicet, omniũ ut cõditore ita & Seruatore.

Significatur autem hoc loco diserte, hanc esse uoluntatem Dei ut confidamus in ipso. Dum enim cauet ac uetat, ne confidamus in nobisipsis, aut ullis alijs creaturis, quid aliud quærit, quàm ut nos trahat ad se & omni auxilio destitutos cogat etiam, ut ad se solum confugiamus? Agnouit hoc rex Iosaphat cum secundo Paralipomenon uigesimo ad Deum oraret ac diceret: In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Verum cum ignoramus quid facere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te.

Sunt autem rationes diuinę huius erga nos uoluntatis tres istæ præ cæteris admodum graues.

1 Prima est, ut nominis ipsius gloria uindicetur, quæ nulla in re magis obscuratur, quàm si salus eorum quæ condidit non ab ipso solo sed aliunde speretur & quæratur, ex quo fonte omnis generis eidololatria promanat, unde innumera eidola tam externa quàm interna in cordibus mortalium eriguntur. Quod si nulla esset alia ratio, præter hanc unam qua requiritur, ut in solo Deo confidamus, nec ulli uspiam nec terrenæ nec cœlesti creaturæ innitamur, ne per nos quæ nomini ipsius debetur gloria inexcusabili impietate interuertatur, & ad creaturas transferatur, debebat una hæc abunde sufficere, si uel tantillum in nobis esset sanæ mentis ac cordis.

2 Secunda est immensa illa bonitas ac philanthropia Dei, cuius hoc est ingenium, ut nihil possit minus ferre quàm si ipsi non innitamur, nec poscat à nobis tam impense quicquam, atque synceram erga se fiduciã. Hac usqueadeo delectatur, ut nequeat sperantes ac confidentes in se deserere. Quàm autem graue sit, alienum ab eo fieri, quo diuina bonitas pro naturæ suæ ingenio cum primis delectatur, & admittere, quod modis omnibus detestatur, & in quod grauibus ultionibus animaduertit, cordatis hominibus per se satis est manifestum.

3 Tertia est salutis nostræ ratio, quæ sic est comparata ut nonnisi gratia ac bonitate Dei constare possit, cuius autem participes fieri nequimus, nisi credendo sperando ac fidendo ex animo ab ea sola pendeamus. Sine hac cordis fiducia impossibile est placere Deo. Non saluamur autem si illi displicuerimus, quare consequitur ad salutem nostram necessariam esse hãc fiduciam, qua illi pro bonitatis ipsius A ingenio placeamus. Hæ rationes nihil habẽt dubij, nihil obscuri, sed & certæ sunt & manifestæ, ut facile constet, quare nolit Deus, ut cõfidamus in creaturis siue illæ sint intra siue extra nos, & sint uel terrenæ uel cœlestes, uelit autem & poscat, ut confidamus in se uno ac solo Deo conditore nostro & Seruatore.

Priusquam ad sequentia progrediamur, admonẽdus est pius lector, ut duo hæc, quod præsentem causam concernit, diligẽter ac memori mente retineat. Vnum: Omnium nostrarum afflictionum hunc esse finem, ne confidamus in nobisipsis sed in Deo. Alterum, confidere nos Deo non posse, nisi desinamus confidere in nobisipsis.

QVI ad uitam suscitat mortuos, inquit.] Accommodat hoc ad causam afflictionũ suarum. Multa sunt in Deo argumenta, quorum gratia monemur, ne in nobisipsis sed in illo cõfidamus. Præsens tamen propterea commodius uisum est cæteris, quod de afflictionibus extremis loquitur in quibus carni desperata uidentur omnia, haud secus quàm si quis in ipsis claustris mortis & inferorum detineatur, unde eripi ueluti mortuum est suscitari. Est hæc generalis sententia, qua de Deo tantam prædicat potentiam, ut & mortuos suscitet ad uitam. Prædicat autem illam duplici de causa. Primo ob id, ut stimulet eos, qui inter Corinthios resurrectionem mortuorum negabant. Deinde ut admoneat omnes, quàm B magna sit ratio confidendi Deo in afflictionibus quibuscunque, ex eo, quod & mortuos suscitat ad uitam, nedum afflictos uiuos in uita conseruat. Qui posterius hoc, quod multo est minus, non credit, quomodo credet prius, quod longe est maius? Rursus qui credit Deũ ad uitam suscitare mortuos, quomodo dubitabit illum in uita seruare afflictos? Qui mortuorum itaque resurrectionem negabant, magnam fiduciæ erga Deum partem amiserant, & procul erãt ab eo, ut nõ in seipsis sed in Deo sicubi in afflictiones incidissent, confiderent.

QVI ex tanta morte, inquit, eripuit nos, & eripit, in quo spem fixam habemus, quod etiam posthac erepturus sit.] Magnitudinem afflictionum suarũ in præcedentibus expressit, iam illud explicat, quod dixit: quĩ consolatur nos in omni afflictione nostra. Duabus hisce partibus afflictionum & cõsolationum erudiebatur ad confidẽdum non in seipso sed in Deo, qui suscitat mortuos. Et ut consolationis magnitudinem exprimat, non dicit simpliciter qui ex afflictione, sed, qui ex morte, neq; sic simpliciter, sed, qui ex tanta, inquit, morte eripuit nos. Afflictiones suas quas erat perpessus uocat mortem eamque magnam, ut simul & potentiam Dei in se declaratam amplificet, qua erat ex illa liberatus. Sic non minoris censet eam liberationem, quàm si è media morte fuisset ereptus. Quod enim morte non fuerat absorptus, non erat aliũde, quàm ex eo quod diuina ipsum potentia pariter & misericordia

cordia ex ipsis quasi faucibus mortis eripuerat, cuius iam in seipso, sicuti paulo antè meminit, sententiam acceperat.

Hoc pacto glorificat Deum, & gratiam ab illo præstitam amplificat, quo exemplo monemur, quæ nos deceat gratitudo, quoties beneficio Dei ex aduersis ac tribulationibus liberamur. Talis uidelicet, qua gratiam Dei pleno ore deprædicemus, ut impleamus illud: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te & glorificabis.

ET eripit, inquit.] Intellige, quoties in afflictiones incidero porrigit manum, & ne peream eripit. Idem dicit quod suprà, qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Non modo eam liberationem tribuit Deo, qua ex portis mortis fuerat ereptus, sed & cæteras omnes, nihil suæipsius relinquens diligentiæ ac curæ, ne in minimo quidē ullo discrimine.

IN quo spem fixam habemus, inquit, quod etiam posthac sit erepturus.] Vide quomodo Deum nobis proponat, qui suis non semel atque iterum sed constanter & ad finem usq; benefaciat. Qui misero propterea benefacit ac succurrit, quod ferre nō potest, ut sit miser, is utique succurrit illi non semel atq; iterum sed quoties miserum esse factum uidit. Qui eripit periclitantē ne pereat, toties eripit quoties uidet esse periculum ne pereat, quandoquidem hic illi scopus est seruare periclitantē ne pereat. Sic comparatus est erga suos pater ille misericordiarum & Deus omnis consolationis. Propterea eripit suos ne pereant, quos uidelicet in sempiternum seruare constituit. Eripit igitur non semel tātum sed quoties periculum est ne pereant. Sic Paulum eripiebat quoties periclitabatur. Nolebat enim ut secūdum impiorum uota periret. Et hanc illi protectionem Actorum decimooctauo cum esset Corinthi promiserat dicens: Noli timere sed loquere, & ne taceas. Nam ego sum tecum, & nemo apponet tibi ut noceat te.

Deinde uide quid ex eo colligat, quod ereptus erat & eripiebatur à domino, è quauis tribulatione. Postquam dixit: qui ex tanta morte eripuit nos & eripit subijcit: in quo spem fixam habemus, quod etiam posthac sit erepturus. Ex eo quod constantem illius opem in tribulationibus experiebat͂ de futuro quoque spem capit, quod & in posterum declaraturus sit eandem erga se curam & fidem. Sic præteritorum ac præsentium beneficiorum experientia spem gignit de futuris, in animis hominum non reproborum. Reprobi perpetuo hæsitant, quantumuis multis ac crebris beneficijs à Deo cumulati.

Quod autem interpres Erasmus non simpliciter uertit: In quo spē habemus, sed in quo spem fixam habemus, ad hoc facit, ut Apostolicæ spei certitudo omni hæsitatione reiecta exprimatur. Est spes alia mobilis alia fixa. Mobilis & inconstans est, quæ uel carnalis animi inconstantia, uel uanitate eorum unde concepta est, prorsus est imbecillis & euanida. Qui inconstans est animo, etiamsi de rebus certis ac firmis aliquid spei concepit, sperat tamen non constanter, sed ad primam tentationem spem omnem abijcit. De rebus uanis si quid etiam à bonis speratur non potest spes eiusmodi esse fixa. Spes fixa est hominis fidelis, in fiducia diuinæ ueritatis ac bonitatis constantis, de rebus concepta non uanis sed ueris & indubitatis. Spei huius duo sunt fundamenta. Veritas uidelicet & bonitas Dei. Veritas uerbo illius expressa per fidem, bonitas reipsa declarata per experientiam capitur. Spes Pauli merito fixa erat quia & uerbum habebat & experientiam. Væ nostræ cæcitati ac stupiditati, qua fit ut nec ueritate uerbi Dei, nec bonitatis illius ulla experientia ad fidendum ac sperandum permoueamur.

SIMVL adiuuantibus & uobis, inquit, per deprecationem pro nobis.] Quàm extollit opem Dei, qua eripiebatur ex omni afflictione, tam seipsum humiliat, ne quid illius meritis suis tribuere uideatur. Sic suprà Deum patrem misericordiarū uocauit, cum de hac causa epistolam ordiretur. Sic in pręsenti, postquā dixit, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit, in quo spem fixam habemus, magno humilitatis affectu subijcit: simul adiuuantibus & uobis per deprecationem pro nobis. Quamuis esset Apostolus, & tam grauibus ac crebris afflictionibus pro nomine Christi grauaretur, simulque plus omnibus laboraret in opere domini, nihilo tamen minus magnifacit precationes fidelium pro se factas ad dominum, illisque ex parte fert acceptum, quod ope domini ex afflictionibus ereptus esset, eriperetur, & in posterum se eripiendum confideret. Hoc affectu uocat eos qui pro se orabant συνυπουργοῦντας, hoc est, unà cum alijs precando pro se sublaborantes & operam suam quantum in ipsis erat subministrantes.

Accommodissima hac uoce tria significat.

1 Primum, hunc fuisse morē ecclesijs, ut pro apostolis & ministris, propter opus domini afflictis & periclitantibus, preces suas funderēt ad dominum. Sic pro Petro quoque, cum in uinculis esset, precationes ad Deum fiebāt ab acclesia. 2 Deinde non solum Corinthiorū ecclesiā sed & alias fuisse pro se precatas. Quare non simpliciter dicit, ὑπουργούντων sed συνυπουργούντων, hoc est unà cum alijs sublaborantibus. 3 Tertium, eiusmodi preces non esse frustraneas coram domino. Licet enim principalis causa, quur eripuerit Apostolum suum Deus, fuerit ipsius misericordia, placebat tamen illi studium hoc fidelium, & concors uotum, pro Apostolo ipsorum suppliciter ac sedulo ad se precantium. Quare & ex parte fert illis acceptum, quod tam constanter in omni afflictione diuinitus eripiebatur. Annotat hic Chrysostomus, etiamsi constituerit dominus succurrere afflictis, plurimum tamen ea in re habere momenti preces fidelium, præsertim si cōcorditer

diter fundantur. Misericors est, bonus ac fidelis, & hactenus ipse sibi prima est omnis bonitatis, misericordiæ, ac beneficentiæ causa. Iuxtà tamen amans est syncereæ fidei ex animo ad se precantium, amans item est fraternæ charitatis qua concorditer alij pro alijs ad se precantur. Quare conuenit, ut Ecclesiæ studiosissime ad huiusmodi preces in conspectu Domini fundendas prouocentur.

VT ex multis personis pro dono in nos collato, inquit, per multos gratiæ agantur pro nobis.] Locus hic satis quidem manifestus est, quod sensum attinet, in uerbis uero non ita. Nam illa aliquid uel superflui habere uel desyderare uidentur, unde lectio in Græco reddatur expedita. Græca exemplaria quibus utimur sic habet ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. i. ut ex multis personis, uel faciebus, donum quod in nos (collatum est) per multos cum gratiarum actione pro nobis deprædicetur. Hic quoniam ista duo, ex multis personis, & per multos, unum & idem esse uidentur, quærunt alij aliud, quo commodior lectio adferatur, in qua nihil sit superflui.

Chrysostomus legit: ἵνα ἐν πολλῷ προσώπῳ ubi nostra exemplaria habent ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων Et exponit ad hunc modum, τὸ γὰρ εἰς ἡμᾶς χάρισμα τουτέστι τὴν σωτηρίαν τὴν ἡμετέραν, ἠβουλήθη πᾶσιν ὑμῖν χαρίσασθαι· ἵνα τὰ πολλὰ πρόσωπα αὐτῷ εὐχαριστήσῃ ἐπειδὴ καὶ τὰ πολλὰ τὴν χάριν ἔλαβε. Hoc est. Donum enim quod in nos (collatum est) id est, salutem nostram omnibus uobis largiri uoluit, ut multæ sibi personæ gratias agant, quandoquidem et multæ gratiam hanc acceperunt.

Valla sic uertendum putauit. Vt de gratia in me ex multis personis, siue respectu multorum collata per multos gratiæ agantur pro pter uos. Legit enim ὑπὲρ ὑμᾶς, ubi nos habemus ὑπὲρ ἡμᾶς.

Erasmus in annotationibus suis sic reddidit. Vt ex multis personis de dono in nos collato multis modis gratiæ agantur pro nobis. Sic illud, διὰ πολλῶν, quod in uersione sua reddidit, per multos, uertit hic, multis modis, atq; ita non retulit ad personas, sed neutraliter accepit.

Germanicus interpres sic habet: *auf das uber vns, fur die gab die vns gegeben ist durch vil personen vil dancks geschehe*. Hic illud, διὰ πολλῶν, ad multitudinem gratiarum actionis retulit, quasi διὰ πολλῶν εὐχαριστήσασθαι, idem sit quod multis agi gratias.

Quando quisq; quod uerosimile putat in medium adfert dicam & ego quid mihi uideatur. Potest uideri admissum esse errorem in dictione προσώπων, ut posita sit per somnolentiam antiquariorum pro προσευχῶν. Nam apparet scripsisse Apostolum ad hunc modum. ἵνα ἐκ πολλῶν προσευχῶν τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμᾶς. Hoc est, ut donum quod multorū in nos est precibus (collatum) per multorum gratiarum actiones pro nobis factas deprædicetur. Quod si dictio προσώπων ab ipso Apostolo posita uidetur, potest ordinari lectio ad hūc modum. Vt quod ex multis est personis (intellige, pro nobis ad Deum precantibus) in nos collatum donum, per multos etiam gratias pro nobis agentes deprędicetur. Quod in Græco est, εὐχαριστηθῇ in passiuo, Germanicè melius possumus reddere, *bedancket werden*, quàm Latinè. Si periodum hanc sic diuidas ut primū illius membrum sit, ut ex multis personis in nos collatum donum, alterum uero quod sequitur, per multos cum gratiarum actione deprædicetur, puto nihil remanere incommodi.

Sensus autem Apostoli est. Qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit, in quo spem fixā habemus, quod etiam posthac erepturus sit, non modo pro incomparabili sua misericordia, sed & ob id, ut quemadmodum propter multarum personarum preces pro nobis factas ex omni nos liberat afflictiōe, ita per multas etiam personas gratiæ ipsi pro nobis propter tam insigne beneficium agantur.

Vide, autem, quomodo per obliquum inducat eos ad agendum Domino pro se gratias. Et sanè omnium æquissimum est, ut post preces sequatur gratiarum actio. Qui pro liberando afflicto precatur ad Dominum, si precatur ex animo, utique pro liberato gratias aget liberatori, cuius antea opem implorauerat. Hodie quoque solenne est ut in cœtibus Ecclesiasticis publice oretur pro ægrotantibus, captiuis, & aliàs afflictis. Hæ pręces fiunt communiter à multitudine fidelium, adhortatu ministri. Conuenit igitur, ut uicissim à multitudine fidelium gratiæ agantur Domino pro liberatis, quo donum propter multorum preces afflicto collatum multorum quoque gratitudine palam in Ecclesia deprædicetnr. Verum, quemadmodum de leprosis dicebat Dominus: Nunquid decem mundati sunt iam nouē ubi sunt? sic in hac quoque causa rarissimus quisque est, qui beneficio Domini propter fidelium suorum preces liberatus, redeat, & uel ipse gratias agat Domino uel quemadmodū orari pro se uoluit ab Ecclesia, ita & gratias ab illa pro se petat agi liberatori Domino. In hāc rem debebant incumbere ministri uerbi, ut quemadmodum hortatu suo authores sunt Ecclesiæ ad precandum pro afflictis, ita essent etiam illi authores ad agendum Domino gratias pro afflictorum liberatione.

Quid est autem quod dicit: ex multis personis, & per multos? Refert ne quàm multi orēt ad Dominum pro liberando afflicto, & quàm multi gratias agant pro liberato? Dicemus ne pluris facere Deum multorum preces quàm paucorum? Multi sunt uocati, inquit Dominus, pauci electi. Si orēt multi uocati, citius ne exaudiet Deus, quàm si orent pauci electi?

Respondeo. Multitudinem in se non moratur Deus, sed moratur synceritatem ex animo ad se orantiū. Horū si multi sunt acceptior est oratio nō ut multorū in se, sed ut multorū piorū. Causa hæc de qua loquit᷑ Apost. sic erat comparata

comparata ut multos concerneret ipsius liberatio. Conueniebat igitur ut multi etiam pro illa precarentur ad dominum, & pro impetrata quoq; multi gratias agerent domino. Huc respiciés dicit: ut ex multis personis, item per multos, &c. Et infrà cap. 4. Palàm dicit, beneficium exuberans, pluribus gratias agentibus, exuberare in gloriam Dei.

A

Nam gloriatio nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod cum simplicitate & syncerítate Dei, non sapientia carnali, sed per gratiam Dei conuersati fuerimus in mundo, abundantius autem erga uos. Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ recognoscitis, aut etiam agnoscitis. Spero autem quod usque ad finem quoq; agnoscetis, quemadmodũ & agnouistis nos ex parte quoniam gloria uestra sumus, quemadmodum & uos nostra in die Domini Iesu.

Quoniã nõ dicit simpliciter gloriatio nostra sed: Nã gloriatio nostra hæc est, testimoniũ cõsciẽtiæ nostræ, referẽda sunt hæc ad præcedẽtia. Sũt q̃ referát ad spẽ Apostoli, de qua dixit: In quo spem fixam habemus, quod etiã posthac ereptus sit, quasi iam spei huius causam collocet non solum in misericordiam Dei & preces fidelium sed & in conuersationis suæ simplicitatem ac synceritatem, de qua ueraciter, conscientiæ suæ possit testimonio gloriari. Sic & ueteres & recentiores nonnulli exponunt. Meo tamen iudicio non hoc agit in præsenti, ut spei suæ causam adferat aliam, quàm attulit in præcedentibus, sed magis tuetur innocentiam suam contra pseudapostolos, qui afflictiones ipsius odiose insectabantur ac maliciose interpretabant̃ quasi in culpa esset ipse quod passim ubique affligeretur. Contra horum maliciam citat primum suam ipsius deinde & Corinthiorum conscientiã, ac dat utrique, quod de conuersationis suæ simplicitate ac synceritate testetur sic dicit: Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quasi dicat: Tã enim abest, ut sinistro aliquo studio mortalium in me animos concitẽ simque ipse mihi tot afflictionum causa improbe ac maliciose conuersando in hoc mundo, ut magis contra omnes meos inimicos de innocenti mea conuersatione certissimo conscíẽtiæ meæ possim testimonio gloriari, quod simpliciter ac syncere conuersatus sim in mundo. Et de hac innocentia mea uos ipsi testificari potestis, quibus maxime notum est, quomodo apud uos sim conuersatus.

NAM gloriatio nostra hæc est, inquit, testimonium conscientiæ nostræ.] Poterit hic queri quomodo de suaipsius conscientia glorietur Apostolus, cum alibi dicat: Qui gloriatur, in Domino glorietur. An in Domino gloriatur, qui de conscientia sua gloriatur?

1. Cor. 1. Infrà. 10

Respondeo. Refert quo animo de conscientia sua sit gloriatus Apostolus. Qui secundum carnem gloriatur, carnis quærit gloriam illiusque uires gloriando extollit. Si sic gloriatus est Apostolus, non est gloriatus in Domino. Verum quàm non sit gloriatus secundum carnem, abũde satis ex eo patet, quod tam insigni doxologia misericordias erga se Dei deprædicauit, illisque omnem suam salutem acceptam tulit. Quare quod hic dicit: Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientię nostræ, non ad hoc dicit, ut aliquid gloriæ carni suæ uindicet, sed ut improbitati pseudapostolorum occurrat, per quos Satan cursum Euangelij Dei remorari satagebat. Et hoc faciens magis gloriam gratiæ Dei quàm suam ipsius quærit. Sic animatus non modo inculpabiliter sed & pie & utiliter de testimonio conscientiæ suæ contra Apostolos Satanæ gloriatur.

TESTIMONIVM, inquit, conscientiæ nostræ.] Pulchre testimonium coniungit cum conscientia. Non enim certius ullum potest esse testimonium quàm conscientiæ. Qui conscius est alicuius rei bonæ uel malæ, de illa utiq; omnium potest certissimum ferre testimonium. Et hanc testimonij certitudinem non infringit, sed magis confirmat, quod non de aliena sed sua ipsius conscientia loquitur dicens: Nam gloriatio hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Loquitur enim de testimonio, quo seipsum cum primis cõtra calumnias pseudapostolorum solabatur & obfirmabat. Nescit mentiri sibijpsi propria conscientia. Siue nos damnet siue de innocentia nostra testetur, non fallit. Quare cum diuini iudicij certitudinem & iusticiam uellet exprimere Rom. 2. conscientiarum nostrarum nos ipsos accusantium aut excusantium testimonia citat, secundum quorum calculos uel iudicandi simus in die Domini uel absoluendi. Non potuit igitur firmius testimoniũ inducere, quàm propriæ conscientiæ.

B

Sed dices. Iustificat igitur seipse propriæ conscientiæ testimonio? Quid ergo est quod 1. Cor. 4. dicit: Nullius mihi (intellige culpæ) conscius sum, sed nõ per hoc iustificatus sum? Qui me iudicat, Dominus est. Si non potuit propriæ conscientiæ testimonio iustificari, quorsum hic illud pro asserenda sua innocentia citat?

Respondeo. Triplex est iudicij forũ, in quo uita nostra uel accusatur uel excusatur.

Triplex iudicij forum.

Primum est nostrum ipsorum quod in nostris cõscientijs singuli circunferimus, nec ullo modo fallere uel effugere possumus.

Secundum est extra nos humanum illud, quo facta nostra iudicant homines, tam priuati quàm ordinarij iudices.

Tertium est diuinum, supremum, & ultimum. Quod primum attinet, habebat illud Apostolus pro se, in causa Apostolicæ suæ cõuersationis. Et huius testimonium opponit

secun-

ſecundi iudicij, humani uidelicet, foro. Quicquid in illo de Apoſtolatu ſuo iudicaretur, haudquaquam morabatur, fretus conſcientię ſuæ teſtimonio. De hoc eſt quod loco citato dicit: Mihi uero pro minimo eſt, ut à uobis dijudicer, aut ab humano iudicio. Quod uero ſubiungit: Imò, nec meipſe dijudico: Nullius enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, reſpicit ad forum iudicij Dei, in quo ſe non iuſtificari per hoc dicit, quod nullius ſibi ſit mali conſcius. In eo ſiquidem etiam occultiſsima cordium noſtrorum, à conſcientijs noſtris abſcondita, ſi miſericordia nõ acceſſerit, iudicantur. Iam quod præſentem locum concernit, citat conſcientiæ ſuæ teſtimonium, non ad hoc, ut ſe coram Deo prorſus iuſtificet, ſed ut innocentiam ſuam in ſeipſo contra ſecundum, humani uidelicet iudicij, forum, in quo per pſeudapoſtolorum calumnias impetebatur, fortiter defendat.

Admonet igitur hic locus, quomodo conſcientiæ noſtræ debeamus uſurpare teſtimonium. Sic uidelicet, ut innocentiam noſtram contra improborum calumnias in nobiſipſis tueamur, non ut per illud in conſpectu Dei iuſtificemur.

QVOD cum ſimplicitate, inquit, & ſynceritate Dei, non ſapientia carnali, ſed per gratiam Dei conuerſati fuerimus in mundo.] Profert & exponit conſcientiæ ſuæ teſtimonium. Huius duo membra ponit. Vnum qua de re: alterum, quid teſtificetur. Qua de re teſtificetur, in eo exprimit, quod dicit: Quod conuerſati fuerimus in mundo. Ergo prolaturus eſt teſtimonium conſcientiæ ſuæ, de cõuerſatione ſua, qua in mundo conuerſabatur.

Sed obſecro, refert ne quomodo Apoſtolus Chriſti conuerſetur in mundo? An non eſt ſatis ad aſſerendam authoritatem Apoſtolicam, ſi titulus Apoſtolatus poterit ubilibet obtẽdi?

Hodie quidem iſto retinendæ authoritatis compendio utitur Apoſtolus Babylonis, meretricis illius magnæ, uerum olim, cum in uiuis eſſent ueri Chriſti apoſtoli, referebat plurimum, quomodo conuerſarentur in mundo, ne quo pacto cuipiam eſſent offendiculo. Iam illorum ſucceſſores, ut uideri uolunt, quamuis Curios ſimulent ac Bacchanalia uiuant, nihilo tamen minus uſurpant illud Chriſti: Supra cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite. Et illud: Qui uos audit, me audit. Et Coriphæus illorum, etiamſi innumera animarum millia ſecum ad inferos peſsime uiuendo deducat, nõ uult tamen iudicari à quoquam. Hiſce notis uidere licet, quales iam habeat eccleſia apoſtolos, & quàm non debeat mirum uideri cuipiam, unde ſit catholica eccleſiarum corruptio, poſtquam obtinuit hæc peſtis in capitibus, ut iudicent non referre, quomodo conuerſentur in mundo, modo à ſede Romana confirmati titulos poſſint iactare dignitatum ſuarum ac prælaturarum. Vtinam autem eiuſmodi fuci non obtineant in eccleſijs ab Antichriſtianiſmo liberatis. Nam hic quoque lues iſta radices agere cœpit, quæ non parum rigatur ab illis, qui non poſſunt de myſteriorum Dei diſpenſatione loqui, niſi pluribus inculcent, non referre qualis ſit miniſter, & quomodo uiuat in eccleſia Dei, modo ſalua maneat dominica inſtitutio. Scio & ſciunt multi boni uiri, ſi de myſteriorum Chriſti integritate cenſendum ſit, nihil ad illam facere miniſtri uitam, uerum interea quis non uidet, imò non palpat, etiãſi nihil de inſtitutione dominica, quod ritus attinet, deteratur, illam ipſam tamen in multitudine fidelium propter miniſtrorum contemptum reddi elumbem & infrugiferam?

Matth. 23.

Alterum membrum teſtificantis eſt conſcientiæ, quid illa de conuerſatione ipſius teſtificetur. Exprimit hoc dicens: quod cum ſimplicitate ac ſynceritate Dei, non ſapientia carnali, ſed per gratiam Dei conuerſati fuerimus in mundo. Reijcit hiſce uerbis à conuerſatione ſua omnis doli, maliciæ, impoſturæ, & inſynceritatis calumnias, quibus pſeudapoſtoli Apoſtolatum ipſius ſuſpectum & odioſum reddere moliebantur. Etenim per ea, quæ conſcientiam ſuam de conuerſatione ſua teſtificari dicit, ſatis ex oppoſito indicat cuiuſ nã generis calũnijs impetitus fuerit à pſeudapoſtolis.

QVOD cum ſimplicitate, inquit, & ſynceritate Dei.] Vulgata habet, quod in ſimplicitate cordis. Licet in Græco tantum habeatur ἐν ἁπλότητι, id eſt in ſimplicitate, loquitur tamen Apoſtolus non de alia quàm cordis ſimplicitate. Quare non eſt præter rationẽ dictio cordis ab interprete adiecta. Quid autem ſit conuerſari in mundo cum ſimplicitate cordis ac ſynceritate Dei, notius eſt quàm ut exponendum ſit operoſius. Simplicitas ac ſynceritas cordis eſt, qua omnia abſq; dolo malo candide ac fideliter aguntur. Duplicitas & inſynceritas eſt, qua aliud foris ſimulatur uerbis ac geſtibus, & aliud intus celatur in corde, atq; ita imperitis imponitur. Synceritas eſt puritas, iuxta illud: Syncerum eſt niſi uas, quodcunque infundis aceſsit. Huic coniuncta eſt ſimplicitas. Cohærent enim ambæ, quemadmodum & duo contraria uicia, duplicitas & inſynceritas ſic cohęrent, ut ubi locum habet altera, abeſſe nequeat altera. Etenim cor malis affectibus impuratum & inſyncerum quicquid agit, agit cũ malicioſa duplicitate, ſic ut aliud prætendat foris, & aliud meditetur intus. Tales cum eſſent apoſtoli Satanæ in miniſtros Chriſti transfigurati, huius maliciæ inſimulabant apoſtolos Chriſti, Paulum cum primis, à qua tamen illi omnium erant alieniſsimi.

Quod autem nõ ſimpliciter dicit: cum ſimplicitate & ſynceritate, ſed, Cum ſimplicitate & ſynceritate Dei, exponunt alij de eo quod ſimplicitas iſta ac ſynceritas Apoſtolo fuerit à Deo data, non ex carne nata, alij de eo, quod talis fuerit ac taliter conuerſatus

tus Apostolus respectu Dei quem perpetuo habuerit ob oculos. Vterque sensus uerus est. Nam hæ uirtutes & à Deo dantur, & ad conscientiam Dei in omnibus diriguntur. Commentarij qui Hieronymo dantur, habent: quoniam Deus simplex est & syncerus. Chrysostomus tamen nec legit nec exponit, & synceritate Dei, sed simpliciter habet, quod cum simplicitate & synceritate, non sapientia carnali, &c.

NON sapientia carnali, inquit, sed gratia Dei.] Quoniam utut magnum est in ministro Christi esse simplicem, integrum, syncerum & fidelem, haud tamen ad hoc est sufficiens, ut ministerium suum prudenter, competenter & utiliter exequatur, nisi accedat donũ sapientiæ ac prudentiæ, adiecit hanc particulam Apostolus ad præcedentia, qua non adimit sibi sapientiam ueram Apostolo Christi necessariam, sed magis uindicat, uocans eam gratiam Dei, adimit uero eam quæ carnis est, quam sine dissimulatione in se nusquam agnoscit, magnifaciebant autem pseudapostoli, illiusque nomine inflati magistros agebant magis quàm apostolos. Quod igitur dicit: nõ sapientia carnali, sed gratia Dei, hoc est, agnosco & fateor, simplicitati ac synceritati meæ non esse coniunctam sapientiam illam carnis & mundi, de qua sibijpsis admodum placet magistri illi uestri ac pseudapostoli, uerum interea absque omni controuersia iure mihi loco sapientiæ ueræ uindico gratiam Dei, quæ mecum operata est, & operatur ad finem usque in Apostolatu meo, sic ut plus cæteris omnibus laborauerim, & Euangelium Dei latius quàm illi propagauerim. Sic per gratiam Dei intelligit omnia illa charismata spiritus, omnemque illius efficaciam & uirtutem, quibus instructus & adiutus Apostolatu suo non modo fideliter ac syncere, sed & sapienter & utiliter functus est. Quomodo uero mundi huius & carnis sapientiam inutilem esse regno Dei, imò contrariam, doceat, uidere licet 1. Cor. 1. 2.

Chrysostomus hoc loco per carnalem sapientiam intelligit astutiam, uersutiam, artificium sermonis, & perplexa sophismata. Respicit ad pseudapostolorum sapientiam, quæ nihil erat aliud, quàm corruptæ carnis uafrũ, & uersutum acumen.

ABVNDANTIVS autem, inquit, erga uos.] Nuspiam erat sui non similis, uerum apud Corinthios uersanti plus incubuerat necessitatis sic solicite per gratiam Dei agendi omnia, ut nullam permitteret pseudapostolis calumniandi uel contra se gloriandi occasionem. Et præterea quoniam multus erat domino in ea ciuitate populus, multa quoque illic cœlestis gratiæ uirtute annũ egerat & menses sex, sicuti uidere est Actorum decimooctauo. Quare non immerito dicit: abundantius autem erga uos. Nam plus apud illos laborauerat, plusq; fructus domino attulerat quàm alijs in locis, unde & illis notius erat qualis esset ipse, & quomodo conuersaretur in mundo quàm alijs. Hoc autem dicens transit à testimonio propriæ, ad illorum conscientiæ de cõuersatione sua testimoniũ: unde & subijcit.

NON enim alia scribimus uobis, quàm quę recognoscitis, aut etiam agnoscitis, & cæt.] Summa est. De conuersatione mea non modo meaipsius, sed & uestra ipsorum, idque prę alijs, testatur conscientia, quod cum simplicitate & synceritate, non in sapientia carnali, sed gratia Dei conuersatus sim in mundo, amplius uero erga uos, quare quæ scribo, uos ipsi recognoscitis, & uera esse agnoscitis, & sicuti spero, ad finem usque agnoscetis. Neq; enim alia uobis de conuersatione mea quàm uobis iam antea comperta scribo.

Vetus interpres sic habet: Nõ enim alia scribimus uobis, quàm quæ legistis & cognouistis. Et Erasmus sic uertit, nisi quod reddidit in præsenti, quæ legitis autem, etiam agnoscitis. Sane quod in Græco est ἃ ἀναγινώσκετε, uerti potest, quæ legitis. Significat enim ἀναγινώσκειν aliquando legere. Et sic ueteres quoque legunt. Verum cum hoc uerbum proprie significet recognoscere, mirum est quomodo legendi sensu uertendum putauerint. Quid enim est: Non alia scribimus uobis, quàm quæ legitis? An periculum erat, ne ipse scriberet aliud, & ipsi legerent aliud? Nihil huius agit Apostolus. Significat se de simplicitate & integritate conuersationis suæ, & de gratia Dei non scribere ipsis noua quædam, affectata, & causæ suæ accommodata, ipsis uero incognita, & talia quæ agnoscere non possint, sed quę non recognoscant modo, sed & agnoscant. Quare cum hunc sensum ipse contextus offerat ultro, & uerbum ἀναγινώσκετε non repugnet, sed propria sua significatione pulchre astipuletur, uisum est nec ueterem nec recentiorem interpretem, sed ipsam ueritatem sequi, & sensum illius simplicem ac planum amplectendo uertere, non, quæ legitis, sed, quæ recognoscitis. Est autem ἀναγινώσκειν, si compositionem urgeas, renoscere quod antea aliquando cognoueramus, quod nos dicimus, recognoscere. ἐπιγινώσκειν uero agnoscere significat, hoc est, ueritatem rei ad nos pertinentis, ubi exposita fuerit, probare & amplecti. Sic Corinthij quæ Paulus hoc loco scribebat, primum poterant, ut antea reipsa experti, recognoscere, & ut ad se pertinentia, agnoscere & probare. Loquitur enim de eo quod dixit, abundantius autem erga uos.

SPERO autem, inquit, quod usque ad finem quoque agnoscetis, quemadmodum & agnouistis nos ex parte.] Ne dicat quisquã, talem quidem cognouimus, cum apud nos esses: uerum qualis iam sis, & qualem te exhibiturus sis in posterum, ignoramus, occupat dicens: Spero autem quod quemadmodum agnouistis nos hactenus & ex parte, sic agnituri sitis etiam usque ad finem, nec quicquam

quam in nobis de præterita nostra conuersatione desyderaturi.

Vide autem quàm loquatur modeste. Non dicit: Scio & affirmo uobis, sed, spero. Significat se bona teneri erga Deum fiducia, quod quemadmodum hactenus adfuerit sibi ope gratiæ suæ, dederitque ut simpliciter & syncere conuersaretur in mundo, ita in posterum quoque & ad finem usque eandem sibi non sit denegaturus gratiam. Sic nihil de suis ipsius uiribus, quantumuis magnus Apostolus ac præclaris dotibus insignitus præsumit, nec de præterito securitatem in futurum, sed spem erga Deum concipit, & secundum hanc summa cum diligentia in cursu cœptę conuersationis pergit ac perseuerat.

QVOD usque ad finem quoque agnoscetis, quemadmodum & agnouistis nos ex parte.] Ad finem agnoscere, pro, ad plenum agnoscere dixit. Præteritæ conuersationis agnitionem uocat, ex parte, respectu eius quę sit plena. Plena autem est, quæ ad finem usque sibi similis perdurat. Admonemur, luctandum nobis esse ad plenitudinem Christianæ conuersationis, ne conquiescamus in ea quæ ex parte adhuc est & imperfecta. Qui peregrè proficiscitur, irremisso labore tendit ad locum quem petit, nec censet se peregrinationem suam absoluisse, si partem aliquam itineris confecerit, sed si quò uolebat ad plenum peruenerit. Scit enim omnem itineris laborem reddi inanem, si uel subsistat in illo, nec progrediatur, uel domum deserta profectione redierit. Consimili modo comparata est & nostræ conuersationis conditio. Bene cœpisse aliquid est, aliquousque prouectum esse, adhuc maius est: uerum frustra utrunque est, nisi ad finem usque perseuerantes, plenæ pietatis terminum consequuti fuerimus. Cogitet quisque, si quod dedit inculpatæ conuersationis specimen, summa sibi elaborandum esse cura, ut integritatem illius ad finem usque illibatam custodiat, pręsertim si sit Christi minister. Quantum enim profuit præteritæ conuersationis synceritate, tantum oberit & sibi & alijs, si secus aliquando quàm Christi deceat ministrum conuersari, ac pristinam simplicitatem ac synceritatem deserere cœperit. Si Paulus aliter in Asia quàm antea in Achaia conuersatus fuisset, haud tantum utilitatis attulisset regno Dei p̄terita synceritate, quantum damni dedisset illius immutatione.

QVONIAM gloria uestra sumus, inquit, quemadmodum & uos nostra, in die domini Iesu.] Non est in Græco δόξα, id est gloria, sed καύχημα, id est, gloriatio. Quare uertendum erat: Quoniam gloriatio uestra sumus. Hoc est, quoniam talis sum uester Apostolus, & tam syncere & fideliter apud uos sum conuersatus, ut iure de me gloriari possitis, & uicissim tales uos estis meo ministerio per gratiam Dei facti, quos in Christo Iesu genui, ut habeam in uobis de quo glorier. Hanc uestram

A de me gloriationem totis uiribus illibatam, ad finem usque seruaturum me spero, nec admissurum quid unquam, unde uos mei pudeat. Poterat hic addere, idem uos quoque facturos spero, nec tale quid admissuros unquam, unde gloriatio mea quam in uobis habeo, in pudorem & confusionem desinat, uerum maluit hoc tacita quàm expressa admonitione animis illorum insinuare. Addit, in die domini Iesu. Hoc dicendo, significat se de tali gloriatione loqui, quæ non sit iuxta sæculum uel inanis in se ac uana, de re uidelicet nihili, uel fluxa ac cito desitura, sed sit uera ac solida, & ad diem usque, in quo iudicaturus est dominus, duratura. Clanculum autē perstringit pseudapostolos, à quibus ipsius Apostolatus perpetuo suggillabatur. Quasi dicat: Quicquid magistri uestri de me sentiant, uester sum Apostolus, & sic me apud uos gesi, ut sim uestra gloriatio, & uos mea, id quod in die domini Iesu manifestabitur, ubi omnia occulta in lucem emergent, & unusquisq; recipiet, secundum quod gesit in hac uita.

Hodie gloriatio episcoporum est, si amplissimas habeant diocœses, si sint iuxta sæculum nobiles, opulenti, & potentes, & de talibus episcopis suis gloriantur miseræ ac fascinatæ ecclesiæ, haud secus quàm olim habitatores Sichen & Israelitæ reliqui gloriabantur de rege suo Abimelech, & ille de ipsis lætabatur: perinde ac si ligna constituant super se rhamnum in regem, deque illo glorientur, & ille

B de ipsis, donec egrediatur ex rhamno ignis, & cōsumat tam ligna subiecta, quàm seipsum. Vide Iudicum nono. Quanto felicius haberent ecclesiæ Christi, si de legitimis ac fidelibus possent episcopis & pastoribus gloriari, & quanto melius ageretur cum episcopis, si sic instituerent ecclesias, ut esse possent ipsorum gloriatio, non in facie præsentis sæculi, sed in die domini Iesu, in quo reddituri sunt uillicationis suæ rationem? Gloria pastoris grex est, si sit bene pastus. Et gregis est, si sit syncerus, gloria pastor. Nunc cum lupi glorientur de ouibus, & oues de lupis transfiguratis, quid aliud expectandū est, quàm ut pars utraq; confundatur ac pereat in die domini Iesu, in quo ueri pastores de ueris ouibus, & ueræ oues de ueris pastoribus ueraciter ac solide gloriabuntur?

Poterit autem hic quæri, quomodo dicat Corinthios Apostolus gloriationem suam fore in die domini Iesu, cùm illorum ecclesia, & tum temporis, cum hæc scriberet, admodum esset corrupta, & in multis culpabilis, & tandem sit in apostasiam Mahometicam, & seruitutem Turcicam abducta? An de tali poterit ecclesia gloriari in die domini?

Respondeo. Qualis qualis fuerit ecclesia Corinthiorum tempore Apostoli, & qualis qualis sit postea facta, & in diem usque domini futura erat, & est, & erit gloria sui Apostoli, si respiciamus ad multum illum

lum electorũ populum, de quo dixit ad eum dominus: Noli timere, quia multus est mihi populus in hac ciuitate. Habuit ea ecclesia suũ triticum, & simul paleas adiunctas, & quid uetat ne credamus adhuc hodie superesse in illa aliquid tritici, superq; futurum usque in diem domini, quãtumuis sit seruituti Turcicæ subiecta? De hoc populo domini, quem initio genuerat in Christo, de hoc inquã tritico quod initio plantauerat, loquitur hic Apostolus, cũ dicit: quemadmodum & uos nostra gloriatio in die domini Iesu, non de reprobis, quos ipse non plantauit. Sic intelligendum est etiam quod 1. Thess. 2. in calce scribit. Philip. 2. format hoc ipsum per modum adhortationis dicens, ut gloriari possim in die Christi, quod non in uanum cucurrerim, nec in uanum laborauerim.

Et hac fiducia uolebam ad uos uenire prius, ut geminam apud uos inirem gratiam, & per uos pertransire in Macedoniam, & rursus à Macedonia uenire ad uos, ac à uobis deduci in Iudæam.

Commoda transitione dilabitur ad ea quæ aduentum ipsius concernebant. Dixit Corinthios suam esse gloriationem, & se illorũ, usq; in diem domini Iesu. Sic de illis confidens cogitauerat secundo uenire ad eos Corinthum. Hoc est quod dicit: Et hac fiducia uolebã ad uos uenire prius. Confidebat illis cum primis omnium esse notissimum, quàm syncere conuersatus fuisset apud ipsos, sicq; animatos esse erga se, ut gloriarentur de se tanquam fideli & eximio suo Apostolo, quemadmodum ipse de illis tanquam filijs suis glorietur. Hac, inquit, fiducia motus, uolebam uenire ad uos.

Est autem totus hic locus de ipsius aduentu quadrimembris. Nam primum aperit unde motus uoluerit ad eos uenire. Deinde, ad qd, tertio quomodo, quarto, quare non uenerit. Motũ consilij huius attingit cum dicit: Et hac fiducia uolebam ad uos uenire prius. Sic commendat illis consilium aduentus sui. Poterat causam hanc separato exordio ingredi, & prętexere Apostolicam suam authoritatem, qua motus uenire ad eos uoluerit. Verum maluit per transitionẽ sic ad eam delabi, ut animi sui fiduciam, quam de ipsis conceperat, prætexeret, id quod omnino amicitiæ spirat ingeniũ, quæ sic est comparata, ut bene fidentes inter se reddat amicos. Fiducia uero pleraq; præsumit, quæ non prudentia cauta tentanda iudicaret, id quod & Paulo accidit in hac causa, sicuti postea uidebimus.

Illud: Volebam ad uos uenire prius, satis indicat mutatam sibi eam tum fuisse uoluntatem, ut iam non uellet quod uoluerat prius, intellige, cum ad ipsos de aduentu suo scriberet. Pristina quidem fiducia manebat, quam tota hæc spirat Epistola: uerum propositum

A ex illa natum meliori consilio mutauerat. Ergo & apostoli mutant sua consilia. Nec mirũ, cum sit sapientis mutare consilium, non satis circumspecte uel ex amore, uel odio, uel præsenti aliqua occasione præsumptum.

VT geminam, inquit, apud uos inirem gratiam.] Sic uertit Erasmus. Vulgata habet, ut secundam gratiam haberetis. In Græco est, ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε, id est, ut alteram gratiam haberetis. Legũt quidam χαρὰν, id est, gaudium, pro χάριν, id est, gratiam. Significat hac particula ad quid ad eos uenire uoluerit. Ad hoc uidelicet, ut rigaret apud eos altero suo aduentu quod in primo plantauerat, hoc est, ut corrigenda corrigeret, prolapsa erigeret, infirma corroboraret, disiuncta ac diuulsa ad unitatẽ reduceret, pseudapostolorum & inflatorum non uerba, sed uirtutem consyderaret, impœnitentes ad pœnitentiam induceret, in fide ac uera pietate aliquousque progressos, ad ulteriora proueheret, synceros ac sanos communiret, &c. Hæc omnia uocat alteram gratiam, propter quam etiam Timotheum ad eos miserat, & Apollon ut ad eos proficisceretur, admodum obsecrauerat. Hunc existimo esse germanum præsentis loci sensum. Quare malo legere, ut alteram haberetis gratiam, quemadmodũ habetur in Græco, quàm cum Erasmo, ut geminam apud uos inirem gratiam. Etenim gratiam apud aliquem inire, non est illi impertire, sed magis illius ambire ac consequi gratiam, quo sensu non loquitur hic

B Apostolus, & ipsa uerba dissentiunt. Quis enim non uidet aliud sonare, ut alteram apud uos inirem gratiam, & aliud, ut alteram haberetis gratiam? Deinde, si legamus, ut geminam haberetis gratiam, potest intelligi tam de duplici secundi aduentus gratia, quàm de altera post priorem ipsis collata. Ne ergo inquirat aliquis, quæ nam fuerit gemina illa gratia, quam fuerint Corinthij ex secundo habituri illius aduentu, existimo satius esse ut legamus, ut alteram quàm ut geminam haberetis gratiam. Scio Chrysostomum exponere de duplici gratia, una quæ fuerit per epistolam, altera quæ euenisset ipsis ob illius præsentiam: uerum si cui hæc expositio placet, illam per me licet retineat.

Consyderet hic lector, quantum discriminis sit inter ueros & falsos apostolos. Verus apostolus ob id inuisit ecclesias, ut conferat illis suo aduentu aliquid gratiæ, non ut suo ipsius consulat emolumento. Venit ad ecclesias ut pater ad filios, non ut auferat ab illis quicquam, sed ut de suo quod illis prosit, adferat. At falsus apostolus, legatus non Christi, sed Antichristi, non ad hoc uenit, ut adferat aliquid quod prosit ecclesijs, nisi forsan persequutionis crucem, sed ut auferat unde Romana nequitia sustentetur. Et interea compositis digitis fingit se spargere Apostolicam benedictionem, quasi propter illam sit missus, cũ lõge agat aliud. Eiusmodi Apostoli Satanę debe-

debebant omnibus ubiq; portis obseratis excludi, queadmodum antiquo prouerbio apud Germanos dicitur: *Wenn dir Rom für dein hauß kumpt, so schleüß die thür zuo.*

ET per uos, inquit, pertransire in Macedoniam, & rursus è Macedonia uenire ad uos, ac à uobis deduci in Iudæam.] Hisce uerbis exponit quomodo ad eos uenire uoluerit. Sic uidelicet, ut in itinere, quo petiturus erat Macedoniam, ueniret primum Corinthum, nõ ut tum ibi hæreret, sed ut pertrãsiret in Macedoniam, indeq; reuersus rediret ad ipsos, & ab eis in Iudæam deduceretur. De hoc illius cõsilio legimus etiam Act. 19. ad hũc modum. His autem expletis proposuit Paulus in spiritu, ubi trãsisset Macedoniã & Achaiam ire Hierosolymã.

Quærunt hic quomodo ista conueniant cũ ijs quæ cap. ultimo pręcedentis Epistolæ scripsit, ubi sic legitur. Veniam autem ad uos cum Macedoniam transiero. Macedoniã enim pertransiturus sum. Apud uos autem forte permanebo, aut etiam hybernabo, ut uos me deducatis quocunq; proficiscar. Nolo enim uos nunc in transcursu uidere, sed spero tempus aliquantum mansurum me apud uos, si Dominus permiserit.

Chrysostomus quæstioni huic sic satisfieri putat, si dicamus quę hic Apostolus scribit, cõtraria quidem esse ijs quæ in priore scripsit Epistola, haud uero uoluntati ac proposito ipsius. At sic respondendo causam dat alteri quæstioni, an uidelicet aliud uoluerit Apostolus in hac causa, & aliud scripserit. Quare nobis sic respondendum esse uidetur, ut dicamus nihil prorsus hic esse contrarietatis in mente Apostoli, quãuis uerba in speciem ab eo quod antea scripserat diuersum quid præferre uideantur. Primum enim quod hic dicit per ipsos se in Macedoniam transire uoluisse, nõ est ei contrariũ, quod in præcedenti Epistola dixit: Veniam autem ad uos cum Macedoniam trãsiero. Nam uerbum transiero, sic potest accipi, ut ut non præteritæ, sed magis futuræ significationis sensu acceptum, referatur ad transitionem nõ præteritam, quasi tum demum ad eos uenire uoluerit, postquam Macedoniam trãsisset, sed ad futuram, ut significet se in itinere, quo Macedoniam petere cõstituerat, ad ipsos uoluisse uenire. Quare uerti poterat, ubi Macedoniam pertransibo. Deinde quod in præcedẽti Epistola dicit: apud uos autem forte permanebo, aut etiam hybernabo, ut uos me deducatis quocunq; proficiscar, nulla necessitate sic accipitur, ut dissentiat ab eo quod hic scribit. Etenim quod hic dicit, & rursus è Macedonia uenire ad uos, nõ sic intelligi debet, ut mãsionem diuturniorem excludat, cuius mẽtionem facit in præcedenti. Postremo, quod illic dicit: Nolo enim uos nunc in transcursu uidere, quãuis uideri potest de Macedonico trãsitu dictũ, potest tamẽ æque intelligi de alio quopiam, qui tum fuerit illi faciendus, & cuius occasione ad illos uenire potuerit, sicut & in pręcedenti Epistola annotauimus, pręsertim cum non simpliciter dixerit ibi: Nolo enim uos in transcursu uidere, sed, Nolo enim uos nunc in transcursu uidere. Vbi ista cõsydero, puto nos recte ad præsentem posse respõdere quæstionem, nihil utrobiq; esse tam hic quàm in præcedenti Epistola quod aliquid habeat contrarietatis.

De eo quod dicit: & à uobis deduci in Iudæam, annotauimus in Epistola præcedenti.

Hoc igitur cum in animo uersarem, num quo pacto leuitate sum usus? aut num quæ cogito secundum carnem cogito? ut sit apud me etiam etiam, & non nõ. Imo fidelis Deus, quod sermo noster erga uos non fuit etiam & non.

Iam quarto loco transit ad reddẽdam rationem, quare ad eos nõ uenerit. Primum autem reijcit à se calumniam leuitatis, quam illi intẽtabãt reprobi, quasi temere ac leuiter promittat, postea uero promissum non seruet. Deinde uero subijcit rationem propter quam non uenerit. Hoc igitur cum in animo uersarẽ, inquit, num quo pacto (Græce, μή τι ἄρα) leuitate sum usus? quasi dicat: quemadmodum mihi nonnulli impingunt. Aut, num quę cogito, secundum carnem cogito? ut sit apud me etiam & non? quasi dicat: Absit à me huiusmodi consiliorum leuitas ac temeritas, quæ non ex spiritu, sed ex carne nata facit ut ubi expectatur etiam inueniatur non. Haud parum autem cõfidentius reijcit à se calumniam leuitatis, cum instando & urgendo dicit: Hoc igitur cogitãs num quo pacto leuitate sum usus? aut num quæ cogito secundum carnem cogito? quàm si simpliciter diceret: non sum usus leuitate, cũ hoc in animo uersarem, neq; secundum carnẽ cogito quæ cogito. Perinde nanq; est ac si dicat: an adeo me leuis animi hominem iudicant apud uos nonnulli, ut quod ad uos uenire cogitaui, cogitarim temere ac leuiter? & adeo esse carnalem, ut quæ cogito cogitẽ secũdum carnem? adeoq; mendacem ut ubi dico etiam, ibi sit non? Absit à me huiusmodi leuitas. Vos me talem nulla unquam estis in re experti.

HOC igitur, inquit, cum in animo uersarem, num quo pacto leuitate sum usus?] Triplex est leuitas, uel, si mauis, tres sunt leuitatis gradus in homine carnali. Prim⁹ est in cogitationibus, secundus in uerbis, tertius in factis. Leuitas cogitationum est, quãdo ad quemuis leuem animi motum mox accedit in corde consensus, & fit concepta uoluntas, sine ulla seria dijudicatione. Leuitas in uerbis ex primo gradu assurgit. Ea est, qua cogitatio cordis leuiter cõcepta, leuiter profertur ac uerbis temere exprimitur. Leuis enim cordis leuis ministra est lingua. Nihil hic est clausum. Nam domus eiusmodi ut magnus Antonius de quibusdam loquacioribus fratribus dicebat, non habet ia-

nuam,& qui uult intrat ac ſoluit aſinum. Hinc leuiter non promittenda promittuntur, non effutienda ſparguntur, non uituperanda uituperantur, non laudanda laudantur, non aſſerenda aſſeruntur, non neganda negantur.

Secundum hunc leuitatis gradum ſuperat tertius, qui eſt factorum. In hunc enim uſque exurgit leuis animi leuis uoluntas, quæ cum nullo fręno coerceat pleno impetu ad id quod uult faciendum properat, uel, ut eſt inconſtans omnis leuitas, facillimo negocio mutatur, & diuerſum tentat. Apoſtolus igitur leuitatis notam ferre non ualens, ne primum quidem illius in ſe gradum agnoſcit, ſed confidenter reijcit dicens: Hoc igitur cum in animo uerſarem, num quo pacto leuitate ſum uſus? Vtinam qui ad gubernacula eccleſiarum Chriſti ſedent, magni domini ac prælati, notas peſſimorum non modo cogitatuum, ſed & uerborũ & operum tam poſſent conſtanter à ſe reijcere, quàm conſtanter Apoſtolus ne leuis quidem cogitationis notam ferre ualens, grauitatem Apoſtolo dignam inculpatam ſibi retinere ſategit.

AVT num quæ cogito ſecundum carnẽ cogito, inquit.] Quemadmodum Paulomaſtigæ ex eo quod non uenerat Corinthũ, iuxta præcedentis Epiſtolæ ſcriptum calumnias aduerſus ipſum ſtruebãt, ita ipſe eas eodem quo illi ſtruebant ordine refutat. Colligebant autẽ illi ad hunc modum. Non uenit ut promiſit. Ergo leuitate uſus eſt, dum uenire ad nos cogitauit.

Deinde, quoniam leuitate uſus eſt de aduẽtu ſuo ad nos cogitando, conſequitur eſſe eum ſic comparatum in uniuerſum, ut quæ cogitat in alijs quoq; rebus cogitet, non ſecundũ deũ, ſed ſecundum carnem.

Tertio & hinc neceſſe eſt, ut ſermo ipſius nõ ſit ueritate firmus, ſed deſinat in mẽdacium, ut cũ dicit etiã, inueniatur nõ. Sic colligebãt illi.

Ipſe igitur ut hanc illorum collectionẽ refutet, eodem ordine reijcit primum calumniam leuitatis à cogitatione ſua, qua ad ipſos uenire cogitauerat, deinde tranſit ad ſecundã calumniam diluendam qua ipſum cogitationes ſuas omnes ſecundum carnẽ cogitare nugabantur. Sic dicit: Aut num quę cogito, ſecundum carnem cogito? quaſi dicat: Abſit. Tertio refutat etiam calumniam mendacij, cum ſubiungit, ut ſit apud me etiam & non. Hæc autem particula habetur in Gręco ad hunc modum, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ. i. ut ſit apud me illud etiam etiã, & illud non non. Verum quæ mox ſubijciuntur palam declarant eſſe hic per errorẽ admiſſam ſuperfluam duarum iſtarũ uocum, etiã & non, ingeminationem, illaq; ſublata legendum ſimpliciter: An quæ cogito ſecũdum carnem cogito, ut ſit apud me etiam & non? Imo fidelis Deus, quod ſermo noſter ad uos factus non fuit etiam & non. Omnino reijcit à ſe incõſtantiam illã qua carnales ac leues homines nunc affirmant, mox quod affirmarũt negant, ſic ut ſermo illorum nihil habeat firmitudinis, ſitq; in illo etiam non etiam ſed non.

A Quod ſi cui ingeminatio uocum iſtarum, quæ in Græco eſt, retinenda uidetur, habet Chryſoſtomum quem ſequatur, qui ſic exponit. An quæ cogito, ſecundum carnem tanquã homo carnalis cogito, ut ſit παρ' ἐμοί, id eſt, in mea poteſtate, ut quod promitto pręſtẽ, quod nego conſtanter negem, quo meum etiam ſit etiam, & meum non ſit nõ, hoc eſt, ut mei ſim iuris, ad eundum quolibet, & faciẽdum quidlibet, ſicuti ſolẽt carnales, qui nõ ſubſunt magiſterio ac ductui ſpiritus, ſed pro ſuo ipſorum arbitrio libere cogitant, & faciunt omnia. Verum longe alia eſt Apoſtolatus mei conditio. Subiectus ſum ſpiritui, ut illius obediã uoluntati. Vbi ille aliud uoluerit, meũ etiam non eſt amplius etiam, ubi quod ego nolebã ipſe uoluerit, meum non, non poteſt amplius eſſe nõ. Sic non eſt in mea poteſtate, ut etiam ſit apud me conſtanter etiã, & non ſit non, ſed eſt in poteſtate ſpiritus ſancti qui me gubernat, eſſet autem in mea poteſtate ſi liber eſſem à ductu ſpiritus, quemadmodum liberi ab illo ſunt homines carnales. Hic Chryſoſt. ſenſus nihil quidẽ habet incommodi & haud male cõuenit cum uerbis Apoſtoli, ſi particulam hãc tantum inſpicias, uerum ſi quod mox ſubiungitur cõſyderes, apparet aut reijciendã eſſe duarum iſtarum uocum, etiam & non, ingeminationẽ, aut exponẽdam ad hunc modum: An quæ cogito ſecundum carnem cogito, ut quod nunc apud me eſt etiam etiam, hoc eſt, quod nunc etiã eſſe B affirmo, paulo pòſt ſit non non, id eſt, rurſus cõſtanter negetur. Vel cogitandũ eſſe, deſyderari uoculã μὴ, & legendũ ut non ſit apud me etiã etiam, & non non.

Nos admonemur hoc loco, quàm non conueniat Chriſtiano hæc leuitas, ut ſit in uerbis eius, nõ, quod erat etiam, uel etiam, quod erat non. Qua de re monet & Iacobus cap. ultimo dicens: Sit ueſtrum eſt, eſt, non, non, ne in ſimulationem incidatis. Credi nõ poteſt, quàm turpe ſit Chriſtiano homini, quem conuenit ueritatis eſſe diſcipulum, ſpiritu ueritatis imbutũ, ſi carnali leuitate utendo, inconſtans ac uanus depræhendatur in uerbis, ſic ut etiam illius ſit non, & non ſit etiam.

IMO fidelis Deus, inquit, quod ſermo noſter erga uos non fuit etiam & non.] Sic negat uerum eſſe quod maleuoli ex eo, quod nõ uenerat Corinthum, colligebãt, eſſe apud ipſum etiam & non, ideoq; nec ueri aliquid eſſe in ipſius ſermonibꝰ, quos Corinthi habuerit. Abſit, inquit, ut ſit apud me etiam & non. Imò ſic fideliter egit mecũ Deus, ut ſermo meus, quo filium eius apud uos pręedicaui, non fuerit etiã & non, hoc eſt, nõ fuerit uanus, ſed multis modis uerax & conſtans declaratus. Quod autem de ſermone Euangelicæ ſuæ pręedicationis loquatur, teſtantur ſequentia. Intelligebat hanc eſſe maliciam pſeudapoſtolorum, ut prætextu iſto de nõ ſeruata promiſſione, omnem ſuam doctrinam uanitatis ac mendacij inſimularẽt. Quare mox occurrens fidelem Deũ ob id prędicat

dicat

dicat & laudat, quod passus non sit ut sermo ipsius apud Corinthios esset etiam & non.

Obseruandum nobis hic est, quantum periculi sit doctrinæ ueritatis, si minister illius alijs in rebus, uel semel tãtum leuis fuerit & uanus in uerbis depræhensus. Huc incũbit Satan per suos apostolos, ut ueritatem Dei quã in se falsam esse comprobare nõ potest, per occasionẽ uanitatis, si quam in ministris illius depræhenderit, uel depræhensam esse, cum non sit, prætexere poterit, suspectum de mẽdacijs reddat. Nemo credit quantum damni res ista dederit & hodie quoq; det ecclesijs. Quantũuis enim ueritas Euãgelij Dei nõ ministri existimatione, sed suaipsius firmitudine subsistat, reipsa tamen plurimum referre uidemus à quali ministro, graui ne uel leui, ueraci uel mendaci, prędicetur. Sciebat hoc Apost. ideoq; tã grauiter notã hanc leuitatis ab Apostolatu suo reiecit.

Deinde obseruandum est q̃ competenter ac pertinenter in hac causa uocet Deum fidelem, propterea quod nõ permiserit, ut sermo Euangelij Dei, quem Corinthijs prędicauerat, fieret etiam & non. Sit hoc solatio Christi ministris, quod fidelem habent Deum, qui doctrinã ueritatis deserere nõ posit. Hoc elogio Dei usus est & Epistola præcedenti cap. 10.

Nam Dei filius Iesus Christus, qui inter uos per nos prędicatus est, per me, & Siluanum, & Timotheum non fuit etiã & non, sed etiam in illo fuit. Quotquot enim sunt promisiões Dei, in ipso sunt etiam, & in ipso amen, Deo ad gloriam per nos. Porro qui confirmat nos una uobiscũ in Christũ, & qui unxit nos, Deus est, qui etiam obsignauit nos deditq; arrham spiritus in cordibus nostris.

Exponit quod sermonẽ suum erga ipsos nõ fuisse dixit etiã & nõ. Primo, refert illud ad sermonẽ Euangelij de Christo inter ipsos prædicati. Nam Dei filius, inquit, Iesus Christus, qui inter uos per nos prædicatus est. Et ne de sua tãtum doctrina loqui uideatur, addit, per me, & Siluanum, & Timotheum. Duorum istorũ opera fuerat usus ad rigãdũ quod in illa ecclesia plãtauerat, quare illos sibi in defensione cõmunis doctrinæ non immerito cõiungit. Cõiungit sibi utrunq; in subscriptione quoq; posterioris Epistolæ ad Thessa. Et Apost. Petrus mentionem facit Syluani. 1. Pet. cap. ult.

NAM Dei filius, inquit, Iesus Christus, q inter uos per nos prædicatus est.] Obseruemus hic quid prædicarit Paulus Corinthijs. Iesum, uidelicet, Christum filium Dei. Huic prædicationi insunt tria. 1 Primũ diuinitatẽ Christi, secundum, humanitatẽ illius, tertium, susceptam salutis nostræ dispensationem cõcernit. Diuinitas in eo est, quod appellat eũ filiũ Dei. Humanitatis est, quod Iesum proprium illius nomen in circũcisione carnis impositũ exprimit. Dispensationis susceptæ est, quod uocat

A eum Christum. 2 Sic prædicarũt apostoli Christum, uerum Deum, uerum hominẽ, & uerum nostrum dominũ ac Seruatorẽ. In his tribus caput est Euãgelicæ prędicationis, fides & cõfessio Christiana, quam exprimebat Petrus Matth. 16. dicẽs: Et nos credimus & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei uiui.

3 Huic fidei promissa est uita æterna. Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternã. Non est autem illa ex carne & sanguine, sed ex reuelatione cœlesti. Vnde & Petro dicebat Christus: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. 4 Et hæc fides & reddit ueros Christianos, & nota est uerorum Christianorum, nec de alia intelligendum est, quando sermo fit de fide catholica.

NON fuit etiam & nõ, sed etiam in illo fuit, inquit.] Negat sermonem suum, id est, doctrinam & prædicationẽ de Christo, fuisse inanẽ ac mendacem, quandoquidem ipse filius Dei Iesus Christus ab ipso prædicatus non est, etiã & nõ, hoc est, uanus & falsus, sed etiam, uerus uidelicet Christus, & uerus filius Dei, nõ alius reipsa quàm qualis inter ipsos fuit prædicat⁹. Sic intelligo quod dicit: non fuit etiam & nõ, sed etiam in illo fuit. Non fuit etiam in prædicatione nostra, & non in seipso, sed est in illo fuit, quemadmodum à nobis est prædicatus. Romanus Põtifex qui prædicatur à suis quod sit uicarius Christi & caput ecclesię, ille est etiã & non. Etiam, quatenus talis prędicatur, non, quatenus non est in ipso is qui prædicatur.

B Mahomet inter Turcos prædicatus, est etiã & non. Etiam, quatenus propheta Dei prædicatur uerbis, non, quatenus non est propheta Dei, sed seductor & propheta Satanę. At Iesus Christus filius Dei inter Christianos prædicatus, ut prædicatur ita & est uerus Christus & uerus Dei filius. Quare in illo non est etiam & non, sed etiam tantum, ut in prædicatione, ita & reipsa.

QVOTQVOT enim sunt ꝓmisiones Dei, inquit, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt amẽ.] Veritatem Christi Iesu filij Dei, propter quã in illo est non etiam & non, sed etiã, refert ad ueritatem promissionum Dei, quæ tam sunt ueraces, quàm uerax est Deus ipse. Intelligit autẽ de promissionib⁹ Dei, quas protulit per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, quarum meminit etiã, Rom. 1. Nullam eximit, sed, quotquot sunt, inquit, etiam sunt & amẽ. Secundum hasce promissiones Dei prædicauit Iesum esse Christum filium Dei. Quare cõstanter colligit, sermones suos de Christo esse non etiam & non, sed etiam in Christo.

Quod autem dicit, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt amen, quãuis tam ad Deum promittentem quàm ad Christum promissum referri queat, magis tñ placet, ut referamus ad Christum, in quo promissiones Dei ueraces esse depræhenduntur, dum de illo factæ in eo etiam sunt completæ. Sunt quidem ueraces in se, & erant quoq; ueraces priusquam in Christo adimple-

impleretur, uerum quoniã de Christo filio Dei factæ sunt, non potuerunt adimpleri, nisi in illo. Quare Rom. 15. dicit Christum fuisse ministrum circumcisionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum.

Quod uero postquam dixit: in ipso sunt etiam, subiecit, & in ipso sunt amen, non ob id fecit, quod aliud sit esse ναὶ Grȩcis, & aliud אמן Ebræis, sed ad maiorem ueritatsi affirmationem duabus hisce uocibus, Grȩca una, Ebræa, altera, idem significantibus, usus est. Priore seruiuit Grȩcis, posteriore Ebræis fidelibus, quibus utrisq; ueritas promissionum Dei in Christo adimpleta prædicanda erat, & indubitata fide appræhendenda.

Locus hic diligenter notandus est. Plurimũ in eo seruit fidei nostræ in Christũ confirmandæ, quod ueritatem eius annectit ueritati promissorum Dei, quȩ tam nequeunt falsitatis argui, ut necesse sit prius ipsum Deũ promittẽtẽ esse mendacem, q̃ ea quæ promisit de mendacio posse conuinci, quod utrunque est prorsus impossibile. Quare diligẽtis Christiani est, ꝓmissiones Dei de Christo in scripturis expressas, habere in promptu, quo infallibili illarum ueritate fidem suam in Christum filiũ Dei contra quasuis Satanæ tentationes communiat.

DEO, inquit, ad gloriã per nos.] Dices hic. Quod ueritas promissionum Dei in Christo adimpletarum faciat ad gloriam promittẽtis Dei, nemo est qui non agnoscat. Etenim communi sensu sic est comparatum, ut gloria promittentis pendeat à ueritate promissorum. Quod uero subiungitur ab Apostolo, per nos, quomodo per ipsos gloria ad Deum de ueritate promissorum eius redierit non uideo. Nam per Christũ hoc est factũ in quo impletæ sunt promissiones Dei, non per Apostolos.

Respondeo. Si ista: Quotquot enim promissiones sunt Dei in ipso sunt etiam, & in ipso sunt amen, parenthesi incluseris ad hunc modum. Nam Dei filius Iesus Christus qui inter uos per nos prædicatus est, per me & Siluanum, & Timotheum, non fuit etiam & nõ sed etiam in ipso fuit (quotquot enim sunt promissiones Dei in ipso sunt etiã, & in ipso sunt amen) Deo ad gloriam, per nos poterit hæc particula referri ad ea quæ de prædicatiõe sua dixit, qua Christum filium Dei non falsum sed uerum, ueraciter ad gloriam Dei inter Corinthios prædicauerit, atq; ita nulla remanet quȩstio. Sane quatenꝰ ueritas promissionum Dei de Christo per Euangelij prædicationem declarata est ab Apostolis hactenus dici potest, quod gloria ueritatis illarum Deo per ipsos cesserit.

PORRO qui confirmat nos, inquit, unà uobiscũ in Christũ & qui unxit nos, Deus est, qui etiã obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus nostris.] Quoniã prædicationis huiꝰ de Christo nec fides nec confessio nec ꝓfessio humanarum est uirium, sed omnino cœlestem gratiã requirit ne quid huiꝰ sibijpsi uindicare

A uideatur, in eo quod secundo dixit: per nos, transfert ad Deũ quicquid huius est, tribuitq; totã diuinæ confirmationi, unctioni, obsignationi, & oppignorationi dicens: Porro qui cõfirmat nos unà uobiscũ in Christum, & qui unxit nos, Deus est, &c. Omnia autẽ hæc, confirmat nos, unxit nos, obsignauit nos, & dedit arram spiritus in cordibus nostris, ad hoc dicuntur ut certitudo ueritatis Dei, quæ in Christo est, ex ipso esse Deo per spiritum suũ in nobis operante significetur. Est uero scopus Apostoli non modo exprimere unde ipse in certitudine prædicationis suæ stabiliatur, sed & huius admonere ipsos Corinthios, ut eandẽ fidei suȩ certitudinem uel habere se sciãt, uel petant, nõ ex carne & sanguine sed ex ipso Deo. Et in hũc usum immiscuit particulam hãc unà uobiscũ, quæ semel tantum posita ad sequentia quoq; referri debet. Hos enim cõfirmat Deꝰ in Christum quos unxit, obsignauit, & data arra spiritus sui oppignorauit. Etenim non sunt ista dissa, sed cohærent.

PORRO qui confirmat nos inquit.] Loquitur hic proprie, & eorũ, quȩ metaphoricis uocibus subijcit exprimit effectũ. Huc enim ungimur, obsignamur, & oppignoramur, ut in fide Christi salutisque nostræ ac cœlestis gratiæ certitudine confirmemur.

VNA uobiscum inquit.] Non est ociosum quod non se tãtum sed & Corinthios fideles, quibus scribit, diuinȩ huius cõfirmationis participes facit. Simul enim excitat eos, ut quoties propriæ infirmitatis sensu tanguntur, cogitent ab eodem se Deo confirmari, ubi necesse est, à quo confirmantur Apostoli, ideoq; minus impiorũ hominũ minas & persequutiones perhorrescant, cum sciãt habere se Deum in cœlis, à quo confirmentur.

B

Vide autem quàm modeste ac caute non dicat: qui confirmat uos unà mecum, sed, qui cõfirmat nos unà uobiscũ. Etenim si dixisset: qui confirmat uos unà mecum, uideretur se coniũgere non Corinthijs infirmis à Deo confirmãdis, sed ipsi Deo confirmatori, quasi unà cum illo confirmaret infirmos Corinthios, non cum illis confirmaretur à Deo. Nũc cum diserte dicit: qui confirmat nos unà uobiscũ, omnino se in eandem infirmorũ & à Deo confirmandorũ classem, conijcit. Imò sic annectit, ut non ipsos secum, sed se unà cum ipsis à Deo confirmari dicat. Et reuera non erant illi ipsius, sed ipse erat illorum.

IN Christum inquit.] Graece quidem est εἰς χριστόν. i. in Christum, nihil tamen impedit quo minus cum uulgata lectione legamus, in Christo. Quanquã confirmari in Christum recte & ipsum dicitur. Est enim ad hoc confirmari, ut in fide Crhisti firmi permaneamꝰ, & ab illa nos nullis aduersis auelli sinamꝰ. Sic potest in Euãgeliũ confirmatus dici, quisquis propter illud paratꝰ est facere ac pati omnia. Sane qui Christum sequi constituit, nisi cœlesti sit gratia confirmatus, quod constituit perficere non poterit.

rit. Vnde illud est Christi: Qui uult uenire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me.

ET qui unxit nos inquit.] Per metaphoram unctionis intelligit gratiam sanctificationis, ad similitudinem regum, prophetarum, & sacerdotũ, qui oleo inaugurationis sanctificabãtur. Vt enim illi externo oleo, ita nos interno quod spiritus est, inungimur, quemadmodum & Christus filius Dei non externa olei sed interna spiritussancti unctione in regem ac sacerdotem unctus est & inauguratus, à qua nostra nõ differt, nisi in eo quod ipse supra omnẽ mẽsurã nos uero in mensura spiritum ungentem nos ac sanctificantem accepimus.

DEVS est inquit.] Nõ caret emphasi. Quasi dicat: Quod in uobis agitur, non est meum sed Dei, non humanum sed diuinum opus. Deus operatur in uobis, ungens uos, obsignãs & oppignorãs. Dici non potest, quantũ hinc sit alacritatis ad perferendum pro Christo omnia, si sẽtiamus Deum esse qui operetur in nobis ad salutem nostram omnia.

QVI etiam obsignauit nos inquit.] Potest hoc intelligi de obsignatione baptismatis. Est enim baptisma obsignatio qua uelut in ouile ac peculium Dei obsignamur. Obsignationẽ hanc tribuit Deo quia in illa magis opus spiritus q̃ ministri baptizantis respicit. De Simone Mago non dicerẽ fuisse illum obsignatum à Deo cũ baptizaret. Quia in baptismate illius defuit opus spiritus. Dominus nouit qui sui sint. Suos ipse obsignat, alienos nequaquam. Sic accepta de baptismate obsignationis metaphora nihil habet incommodi.

DEDITQVE arram spiritus, inquit, in cordibus nostris.] Nisi hæc detur à Deo ijs qui baptizantur, frustra per ministrum obsignantur. Poterat autẽ simpliciter dicere, deditq; spiritũ suũ in cordibus nostris. Nã de infusione illius loquitur. Verum placuit metaphora arrę, ut significet, quo nobis debeat esse loco dat⁹ à Deo & infusus in corda nostra spiritus sanct⁹. Loco uidelicet arræ. Est autẽ arra oppignoratio, qua utrinq; constringuntur tam qui dedit, quàm qui accepit. Cum dat spiritum suum Deus in corda nostra, hac se nobis subarratione cõstringit, quod nolit nos deserere, sed pro suis agnoscere in sempiternũ, & nos illi, dum arram hãc accipimus, in peculiũ ipsius & ius proprietatis obstringimur, quod nolimus nos unquã possessioni ac iuri illius subducere, factamq; oppignorationem irritam reddere. Qui dat arram, tanquam precij partem, cõfirmat emptionem & contractum, seq; ad plenam solutionẽ constringit. Hoc intelligens August. dicit: Aliquid spiritus dedit pro pignore, ut ipsam plenitudinem desyderemus. Qui accipit arram, confirmat uenditionem, seq; obligat, quod nolit interuertere quod uẽdidit. Hic usus est arræ, nisi circumstantijs inconuenientibus reddatur irrita. Huc respiciens Apostolus dicit: deditq; arram spiritus in cordibus nostris. Arra pecunia ria infertur loculis, arra spirit⁹ in corda nostra infunditur. Loquitur autem non de donis spiritus, quorum mentio fit in Epistola præcedẽte, quæ nonnunquam & reprobis conferũtur, nec certum habent ueræ salutis pignus, sed de gratia spiritus filiorum Dei, quæ in Christum filium Dei credentibus electis sic confertur, ut clament ad Deum abba pater, illiusq; moderatu regantur ac dirigantur.

Vide autem quàm competenter ad causam quam agit post assertam promissionũ Dei in Christo ueritatem, efficaciam doctrinæ Christi, quam Corinthijs prædicauerat, in ipsis credentibus declaratam subijciat, ut duobus omnium certissimis testimonijs ueritatis Dei in promissis, & efficaciæ doctrinę Christi in credentibus comprobet, nõ fuisse in illa etiam & non, sed etiam & amen. Et ideo usus est uerbis præteritis, unxit nos, obsignauit nos, & dedit arram spiritus in cordibus nostris, significans loqui se de efficacia prædicationis suæ uirtute & operatione spiritus Dei in ipsis credẽtibus declarata. Confirmatio, unctio, & obsignatio suffraganeorum fabula est, omni ueritate destituta. Veri Christiani confirmantur, unguntur & obsignantur ab ipso Deo, à quo & arrã spiritus accipiunt.

ARGVMENTVM CAPITIS.

EST *hoc caput trimembre. Primo reddit rationẽ quare ad ipsos nõdum uenerit. Secundo præcipit de scortatore in ecclesiam post pœnitentiam recipiendo, quem in Epistola præcedente excommunicari iusserat. Tertio, rursus incipit Apostolatum suum commendare*

CAPVT II.



GO uero testẽ Deum inuoco in animam meam, quod parcens uobis nondum uenerim Corinthum, nõ quod dominemur uobis nomine fidei, sed quod adiutores sumus gaudij uestri, nam fide statis. Decreui uero apud memetipsum hoc, non iterum cum dolore uenire ad uos. Nam si ego mœrore uos affecero, quis est qui exhilaret me, nisi is qui mœrore afficitur ex me? Et scripsi uobis hoc ipsum, ne si uenirem ad uos, dolorem caperem ex ijs, de quibus oportebat me gaudere, fiduciam hanc habens erga uos omnes, quod meũ gaudium, uestrum sit omnium. Nam ex multa tribulatione & anxietate cordis scripsi uobis per multas lachrymas, non ut mœrore afficeremini, sed ut cognosceretis

retis charitatem, quã habeo abundantius erga uos.

Hactenus reiecit à se calumniam leuitatis, idq; hoc maiore serio, quod illa ipsam quoque doctrinam Christi à se Corinthijs prædicatam inuolueret, iam initio capitis hui⁹ subijcit qd desyderabatur, qua uidelicet ratione nõdum uenisset Corinthum. Poterat autem in genere dicere: Non fuit hactenus commodum ut uenirem ad uos. Et hoc dicens nihil dixisset alienum à uero. At interim non expresisset id qd ipsum specialiter fuerat remorat⁹, & quod eos scire uolebat. Quoniam autem rarum id erat, & pseudapostolis improbabile, profert in medium non simpliciter sed præmisso iureiurando, quo plus inueniat fidei. Sic dicit: Ego uero testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens uobis nondum uenerim Corinthum. Ergo propterea nondum uenerat Corinthum, quod metuebat, ne si ueniret, præsens cõstitutus parcere non posset impœnitentibus, quibus tamen absens parcebat, spe futuræ resipiscentiæ. Hac de re infrà in calce cap. 12. sic scribit. Nã metuo, ne qua fiat, ut si uenero nõ quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis qualem nolitis, ne quomodo sint contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, seditiones. Ne iterum ubi uenero, humilẽ me faciat Deus meus apud uos, & lugeam multos eorum, qui antè peccauerunt, nec eos pœnituit immunditiæ libidinisq; & impudicitiæ quam patrarũt. Hæc ibi. Vnde patet quid sit quod se ob id nõdum uenisse Corinthum dicit, ut illis parceret. Quibus? Illis uidelicet, quos nondum pœnitebat perpetratæ immunditiæ, libidinis & impudicitiæ, deinde contentiosis, æmulatoribus, iracundis, obtrectatoribus, susurratoribus, tumidis ac seditiosis. Ergo post priorem quoq; epistolam erãt adhuc tales in ecclesia Corinthiorum. Sic malum pertinax non corrigebatur literis, quantumuis grauibus ac magno Apostolicæ authoritatis serio scriptis, ac poscebat grauiorẽ præsentis apostoli animaduersionẽ.

Quare poterit hic queri, parcendum ne fuerit talibus, cum essent impœnitenter tales? Respondeo, nisi adhuc fore sperasset ut mansuetudine ac longanimitate sua ad resipiscentiam prouocarentur, non fuisset ratio parcendi talibus. Parcebat autẽ. Sperabat igitur. Quod hac ratione parcebat, non erat culpabile, sed conforme exemplo diuinæ patientiæ, quæ & ipsa longanimiter tolerando peccatores ad resipiscentiam inuitat, sicuti uidere est Rom. 2. Hoc itaq; parcẽdi genus magis salutis illorum desyderium ac spem futuræ resipiscentiæ quàm negligentiam spirabat.

Sed dices: Quid necesse erat propterea non uenire Corinthum, cum nihilo secius præsens quoq; parcere posset?

Respondeo. Sine contemptu authoritatis Apostolicæ non potuisset presens parcere impœnitentibus, sicuti potuit absens. Si præsens pepercisset talib⁹, tria magna mala euenissent.

A

1 Primo nanq; authoritatem suam contemptui exposuisset, idq; nõ solum apud eos quibus pepercisset, sed & apud reliquam totam ecclesiam atq; ita omnis uigor Apostolici muneris elanguisset, cuius rei proh dolor nõ uno tantum loco hodie quoq; exempla uidemus in ecclesijs, in quibus præsentia ministrorum omnium est despicatissima, propterea quod ad quæuis flagitia præsentes conniuent.

2 Deinde impœnitentes illi quibus præsens pepercisset, omnem de resipiscentia cogitationem prorsus abiecissent, id quod facere nondum poterant donec aduentum Apostoli soliciti expectare cogebantur, nec sperare poterant fore ut presens parceret perinde atq; parcebat absens, præsertim cum iam secundo scribens haud parsurum se præsentem comminaretur.

3 Tertio, non modo impœnitentes illi in peccatis suis & impœnitentia cordis obstinatiores fuissent facti, sed & saniores malo hoc exẽplo haud parum fuissent corrupti, & impune serpenti labe infecti. Horum consyderatione cogitabat prudens Apostolus multo esse satius, ut parceret absens impœnitentibus, spe resipiscentiæ futuræ, quàm ut præsens in illos animaduerteret quidem, uerum magis eos intẽpestiua animaduersione perderet, dũ impœnitentes à corpore ecclesiæ abscinderet, quàm seruaret.

B

Hac prudentia spiritus utinam utantur nõnulli fratres, qui in ministerio suo longe diuersi à negligentibus ac torpidis, intempestiuo nonnunquam & parum utili zelo ad corripiendum peccantes feruntur.

Quid est autem quod dicit: quod parcens uobis, & non magis, quod parcens nonnullis ex uobis, cum tamen non de omnibus indiscriminatim, sed de impœnitentibus tantum intelligat.

Scribit omnibus, alios laudat, alios repræhendit, & tamen utrunq; nonnunquam facit in genere, relinquens utrorunque cum bonorum tum malorum conscientijs, ut sibi quiq; quod ad se pertinet applicet. Quamuis subinde etiam specificanter loquatur, id quod & in hac causa infrà cap. 12. facit.

Videndum etiam est quare non simpliciter dicat: Propterea nondum ueni Corinthum, quod uobis parco, sed iusiurandum præmittit dicens: Ego uero testem Deum inuoco in animam meam. Opus ne habebat coram Corinthijs testimonio Dei? ut non fuerit satis simpliciter id quod res erat proponere? Habebat sane propter pseudapostolos, qui omnia ipsius sinistre interpretabãtur. Illi culpam quod nondum uenisset, in ipsum reijciebant, cum non ipsius esset, sed eorum quibus parcebat. Cum autem id non appareret in se uerosimile, & tamen conduceret senioribus ut crederetur, noluit simpliciter quod uerum esse

sciebat,

sciebat, sed cum iuramento proferre, quo uel ab inuitis fidem extorqueret.

Sic dicit: Ego uero testem Deum inuoco in animam meam. Quasi dicat: Accusant me magistri uestri leuitatis, & cogitationum carnalium, sermonumq; non ueracium, quod cum constituerim uenire Corinthum, nondum uenerim, ego uero usq; adeo alienus sum ab hac culpa quam illi mihi impingunt, ut testem Deum inuocem in animam meam, quod parcens uobis nondum uenerim Corinthum, atque ita non ego, sed uos in culpa sitis nõdum præstiti promissi.

EGO uero, inquit, testem Deum inuoco in animam meam.] Habemus hic non modo exemplum Apostolicum, quo legitima iuramenta licita esse comprobantur, qua de re uidere est in appendice de iuramento, quam Commentarijs nostris in psalmos adiecimus, sed & formam quandam pleni ac sufficientis iuramenti, cui nihil abest quod ad faciendam fidem desyderari debeat.

Citat Deum testem ueritatis omnium certissimum. Est enim ille secretorum omnium cognitor, & præterea ueritatis amantissimus & omnis innocentiæ uindex. Et ne uideatur hoc sine suo uelle periculo impune facere, quod ab impijs fieri solet, sciens Deum esse omnis periurij ultorem, animam suam deponit, si falso testem Deum citet, dicens: ego uero testem Deum inuoco in animam meam, intellige, si mendax sim.

Sane sic comparatum est omne iusiurandũ, ut citetur Deus testis in animas illorum, qui quod falsum est, testimonio ipsius pro uero cõfirmari uolunt, atq; ita contestatione nominis ipsius impie abutuntur.

NON quod dominemur uobis, inquit, nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij uestri.] In Græco est, οὐχ᾽ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, id est, non quod dominemur uestræ fidei, quemadmodum & uetus interpres reddidit.

Alij tamen subaudiunt uoculam, ἕνεκα, ut sit, οὐχ᾽ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως ἕνεκα, id est, non quod dominemur uobis fidei gratia, & putant fieri non posse, ut quis cuiuspiam dominetur fidei. Meo iudicio non est tantum discriminis, inter utranque uersionem, ut à simplicitate Græci contextus discedere debeamus.

Quoniam dominij speciem habere uidebatur, quod se illis parcere dixit, mox occupat dicens, non quod dominemur uestræ fidei, sed quod adiutores sumus gaudij uestri. Cui potestas est parcendi delinquentibus, eidem est potestas castigandi quoque delinquentes. Quare ne ex opposito oppositum, sinistro studio colligentes dominationis affectationem sibi impingerent maleuoli, negat statim hoc se ob id scribere, ut dominatum sibi in fidem ipsorum uindicet, sed ad hoc potius, ut adiutor sit gaudij ipsorum.

Vide solicitudinem ac cautionem Apostolo Christi dignam. Loquitur de legitima sua & Apostolica potestate, quam habebat in eos qui delinquebant, & loquitur nõ de eo, quod uelit illa uti, sed de eo potius quod nolit ad præsens uti, & tamen ueretur, ne quam occasionem præbeat maleuolis, accusandi se de studio dominandi.

A

Hodie, bone Deus, quàm remoti sunt à mente Apostoli, qui successores uideri uolunt apostolorum. Palam enim absque ulla dissimulatione dominatum exercent in ecclesias Christi, in quo sic inualuerunt, ut & regibus & principibus confidentissime dominentur.

Quo prætextu? Prætextu fidei ac religionis. Homines carnalissimi, irreligiosissimi, à uera Christi fide, pietate, ac religione alienissimi, sacrarum scripturarum ignorantissimi, sumunt sibi dominium in causa fidei ac religionis Christianæ super omnes, usq; adeo, ut mactét crudelissime propter fidem Christi quam non intelligunt, ueros fideles. O dominatores iniqui, quis aperiet uobis oculos mẽtis ut intelligatis iudícij diuini grauitatem, quod iam iam ceruicibus uestris imminet?

Dicet quispiam. Ergo ne in ecclesia Christi liberum erit omnibus credere uel non credere quidlibet? Nemo ne erit qui à uera fide deficientes, & alios quoq; ad defectioné solicitantes, ordinaria potestate cohibeat, & in ordinem cogat?

An non pastoris officium est, aberrantes oues in uiam, uel nolẽtes reducere ne pereat?

B

Respondeo. Non perstringimus legitimum uerorum pastorum officium, quorum utique est, aberrantes oues in uiam reducere, sed dominatum, quem perstrinxit & improbauit primum Christus ipse, Lucæ uigesimosecundo, deinde & apostolus Petrus in priore sua epistola cap. quinto, & in Veteri quoq; test. Deus ipse in falsis pastoribus, qui austere gregi ipsius dominabantur. Verus pastor ouem errantem quærit, inuentam humeris suis imponit, & ad ouile reportat ne pereat.

Falsus uero mactat & perdit. Sic nostri ecclesiarum domini, quos pro errantibus habent in ecclesia non instruunt, quia non possunt, imò non curant, sed cum imperio urgent, ut ueritatem abnegent, & ut uiolentia sua efficiant quod uolunt, torturis cogunt ad recantandum, & recantare nolentes atrociter necant. An hoc non est dominari fidei in ecclesia Christi, quod tamen de se negat Paulus, idq; in ecclesia quam non alius quispiam ante ipsum, sed ipse primus ante alios plantauerat, & in Christo genuerat. Hi nostri magni domini & non pastores, sed magistri ecclesiarum, in ecclesijs, quas nec plantarunt, nec rigant, sic dominantur fidei nostræ, ut non modo quid faciendum sit, quod attinet ritus nostræ religionis, sed & quid credẽdum sit, quod fidei dogmata concernit, admodum magistraliter non ex sacris scripturis & apostolorũ Christi doctrina, sed de suo & sic præcipiant

 ut nisi

ut nisi credas quod ipsi credendũ pro suo dominatu præscribunt, non sufficiat tibi ad hoc ut sis Christianus, omnis illa fides, quam prædicarunt in orbe apostoli, prænunciarunt prophetæ, & Christus ipse ad hoc ut saluemur requisiuit, sed habendus sis pro hæretico, & igni comburendus. An hoc non est dominari fidei Christianorũ? Dominari quid est aliud quàm non iure, non potestate legitima, non pro utilitate subditorum, quæ recta ac bona sunt præcipere, sed pro imperio, propria libidine, ad exercẽdum dominatum in subditos, & ostendẽdum maioritatis eminentiam, quiduis imponere credendum ac faciendum, idq; magno cũ supercilio & fastu, & seueris comminationib9 extorquere in omnibus obediẽtiam omnium seruilissimam, etiam reclamantibus fidelium conscientijs absque ulla contradictione præstandam? Si ab hoc dominatus genere alieni sunt ecclesiarum domini, restituant conscientias fidelium liberas à iugo magisterij humani, in libertatẽ Christianam, qua sint serui non hominum, sed eius à quo sunt precio magno redempti. Quod fidem Christianam ueram ac synceram attinet, plantanda illa est prædicatione Euangelica, è cuius auditu operante spiritu Dei in cordibus electorum nascitur, riganda est ac fouenda eodem uerbo unde est nata, dirigenda ac prouehenda prudenti cura ministrorum Christi, orationibus, operibus uere bonis, & tolerantia afflictionum magis ac magis confirmanda, non humano magisterio ac dominatu in quidlibet abstorquẽda. At hoc opus, hoc labor est. Facilius est mille conscientijs subditorum frænum imponere dominationis, & dicere: sic uolo sic iubeo, quàm unius hominis conscientiam uera Christi fide docendo & instruendo ad salutem ædificare.

At interim illud est, ô magni domini, satraparum Antichristi, hoc autem uerorum Apostolorum & ministrorum Christi, in opere Euangelij ac regni Dei fideliter & indesinenter laborantium.

SED adiutores sumus, inquit, gaudij uestri.] Repete illud ὅτι, id est, quod, è præcedenti particula, & lege, non quod dominemur fidei uestræ, sed quod adiutores sumus gaudij uestri. Hoc est, non quod delectet nos dominatum exercere in uestram fidem, sed quod magis delectat paternam erga uos ostendere indulgentiam & storgiam, unde non contristemini, sed gaudeatis. Hoc animo parcẽs uobis nondum ueni Corinthum. Vide Apostolicum & paternum pectus. Hoc ingenio sunt domini, ut malint timeri, quàm amari. Oderint, inquiunt, modo metuant. Non delectantur gaudio subditorum, ideoque non sunt adiutores gaudij illorum, sed delectantur potius animis seruiliter oppressis, anxijs, & ad omnia tremebundis, uerbis mendaci adulatione supplicibus, gestib9 seruiliter abiectis, & operibus nihil aliud quàm seruitutem spirãtibus.

A Hæ sunt delectationes magnorum dominorum, quibus perinde afficiuntur ac si non sint amplius homines, sed dij quidam, ad hoc nati, ut imperiũ exerceant in homines uelut in bestias. Verum uides hic longe aliter animatum esse Christi Apostolum. Non delectatur dominio, non tristitia & dolore fidelium, sed delectatur storgia paterna, & gaudio eorum quos in Christo genuit. Huius gaudij exhibet se adiutorem, quoad eius fieri potest. Ideo parcit etiam delinquentibus, spe resipiscentiæ, & eam ob causam nõdum uenit Corinthum, ne quos cupit esse gaudentes reddat tristes ac dolẽtes.

De quo autem gaudij genere loquitur? Est gaudium carnis & mundanum, quando quæ uolumus secundum carnis affectus consequimur, siue illa sint licita, siue illicita. Huius gaudij adiutor dubio procul nolebat esse Apostolus Christi. Loquitur ergo de alio genere gaudij. Hoc alibi sic expressit: Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete. In eo cupiebat illos retinere. Ideo cauebat, ne qua austeritate castigationis animos eorum in religione Christi contristaret. Sunt qui exponãt de gaudio futuræ uitæ. Verũ præter scopũ Apostoli.

NAM fide statis, inquit.] Non satis perspicuum est, quo referẽda & quomodo accipiẽda sit particulæ hui9 αἰτιολογία. Si diceret, sed quod sumus adiutores gaudij uestri, quod habetis in fide, in qua statis, nihil esset obscuri. Iam cum postquam dixit: Non quod dominamur fidei uestræ, sed quod adiutores sumus gaudij uestri, per uoculam rationalem, γάρ, subijcit dicens: nam fide statis, incertum uidetur quo sit referendum, an ad proxime præcedens, sed quod adiutores sumus gaudij uestri, uel ad illud: Non quod dominemur fidei uestræ. Si ad illud, ergo significat se ob id non dominari ipsorum fidei, quod fide stent, unde mox consequi uidetur: ergo nisi fide stetissent, dominatus ipsis nomine fidei fuisset. Et hinc colligent inconsulti homines, nõ prohiberi dominatum episcoporum in ecclesia in eos qui fide non sunt firmi, sed in eos tantum, qui fide stãt, quales sunt potiores, perfecti, ac religiosi, degentes in monasterijs, ut hoc nomine à iurisdictione episcoporum sint exempti. Hoc sensu dicant episcopi, ecclesiarum domini, ad monachos & monachas, homines religiosos, & in fide perfectos: Non dominamur fidei uestræ fratres, nã uos fide statis, sed dominamur fidei, conscientijs ac loculis laicorum. Nã illi fide nõ stant, sed ueluti prostrati iacent, quare oportet ut illis dominemur, ne unquam ad fidei rectitudinem ac libertatẽ assurgant. Sensum hunc probare nõ possum. Nã non ideo dominari uolebat Corinthijs Apostolus, quod fide starent, dominaturus si non stetissent. Dominatus omnis alienus est à ueris apostolis. Nõ est illorum dominari, nec in stantes nec in iacentes, nec in firmos nec in infirmos. Reliquũ igit est, ut referamus ad proxime præcedẽs quo se gaudij illorum adiutorem esse dixit. Vt sit sensus.

B

Dele-

Delector uestro gaudio. Et ut illud incōcussum retineam, adiutor illius esse studeo, quandoquidem in fide Christi statis, id est, constanter perseueratis & alacres estis in domino. Placet mihi hæc fidei uestræ constantia, & omnia ago, ut in illa sitis alacres & gaudētes. Hic sensus nihil habet incōmodi. Nec male ex eo colligitur, ergo nisi fide stetissent, nō erat futurus gaudij illorum adiutor. Nam plane sic dubio procul animat⁹ est Christi Apostolus, ut haud facile sit gaudio eorum opitulaturus, qui à fide uera dilabentes gaudent, cum dolendum ipsis sit potius quàm gaudendum. Quis enim pius delectari poterit gaudio eorum, qui gaudent in malo, & exultant in rebus pessimis? suntq; adeo phrenetici, ut de salute sua periclitantes rideant?

SED decreui, inquit, apud memetipsum hoc, non iterum cum dolore ad uos uenire.] Lege ad hūc modū. Decreui autē hoc mihijpsi, non iterum cum tristitia uenire ad uos. Etenim nō dicit diuersum quid à præcedenti, ut usurpanda sit uocula aduersatiua, sed, cum ea nec sit in textu Græco, ubi non est ἀλλὰ, id est, sed, sed est δὲ, id est autem, uero, nec accommodet sensui. Deinde, non est in Græco, apud memetipsum, sed simpliciter ἐμαυτῷ. id est, mihijpsi.

Latius explicat quod dixit: sed adiutores sumus gaudij uestri. Gaudij huius erat hæc cōditio, ut inuolueret utrosque tam Apostolum quàm Corinthios fideles, mutua uidelicet cōplexione, & συμπαθείᾳ charitatis, sic ut cōtristatis Corinthijs gaudere non posset Apostolus, perinde ac si contristato filio pater, contristata charissima cōiuge maritus cōtristetur. Hoc significaturus dicit: Decreui autē hoc mihijpsi, non iterum cū tristitia uenire ad uos. Hoc est: Hāc mihijpsi legem constitui, posteaquàm uos semel estis per me contristati, non esse committendum mihi, ut iterum ad uos cū tristitia ueniā, qua utriq; & ego & uos contristemur. Hoc enim si facerem, & meum & uestrū gaudium turbarem. Quod ait, nō iterum, omnino significat antea se cum tristitia uenisse ad eos. Non possumus autē exponere hoc de corporali ad ipsos aduentu. Quare exponēdum est de literis prioribus, quas multis modis contristatus scripserat, & per illas cum tristitia ad eos uenerat, quarum etiam mox mentionem faciet. Vbi illarum seueritate sensit illos fuisse contristatos, decreuit sibijpsi, non uenire denuo ad eos cū tristitia, siue per literas, siue per seipsum. Sic animatus mitius scribit in hac Epistola, q̃ scripserat in priore.

Dixerit hic quispiam, decretū hoc Apostoli, quo statuerat non uenire iterū ad Corinthios cum dolore, fuisse nō satis consultū, propterea quod fieri poterat, ut ipsa hoc ecclesiæ corruptio posceret, ut nihilo scriberet ad illos miti⁹ quàm antea, imò ipse ad eos abiret, seuerius animaduersurus in impœnitentes ac sectarios, nisi opus domini in ea ecclesia prorsus deserere uellet.

A Respondeo. Tria sunt decretorū genera. Primum est affectuum, quo secundū quod uel diligimus uel odimus aliquid facere penes nosipsi decernimus. Secundum est opinionū, quo decernimus ea, quæ nostra opinione, decernēda uidentur, cum lōge essent alia decernenda. Tertium est ueri ac certi iudicij, quo rite ac legitime, necessario & utiliter, quæ uel nostros uel aliorum usus cōcernunt, decernimus. Iam cogitet pius lector, ad quod nam trium istorū decretorum genus referēdum sit præsens hoc Apostoli decretum. Meo iudicio referendum est ad decreta quæ promanāt è fonte dilectionis, quā tota hæc materia spirat. Diligebat eos ut filios, quare dolebat ipsi, quod in priore eos Epistola seuerius corripuerat & cōtristauerat, quapropter decreuerat non cōmittere, ut iterum ad eos cum tristitia ueniret. Hæc tamen ipsa charitas, & paterni pectoris storgia, unde præsens natum erat decretū, aliud erat decretura si salutis eorū conditio aliud poposcisset.

NAM si ego mœrore uos affecero, inq̃t, quis est qui exhilaret me, nisi is qui mœrore afficitur ex me?] Reddit rationem, quare ad eos nō iterum cum tristitia uenire decreuerit. Ne uidelicet, inquit, meipse tristitia conficiam. Nam contristatis uobis cōtristor & ipse. Etenim lętitia spiritus mei pendet à uestra alacritate. Hanc si uobis ipse turbauero, quis erit qui me exhilaret, quandoquidē qui hoc possent, mœrore afficiuntur ex me? Hæc ratio, quid spirat

B aliud quàm ipsissimam ueræ dilectionis sympathiam? Perinde est ac si maritus dilectissimæ coniugi, nonnihil à se contristatæ dicat: Nolo te amplius contristare. Nam si ego te cōtristo, quis exhilaret me? Cum non sit qui me exhilaret, præter te, quæ contristaris à me.

Hunc ego puto esse sensum Apostoli. Qui tamen Chrysostomum sequuntur alium adferunt, eumq; diuersum. Hi sic exponunt: Nam si ego uos cōtristo, id est, dum ego uos corripio, & uos à me correpti cōtristamini, quis me exhilarat, nisi is qui propterea contristatur quod me contristatum intelligit, atq; ita cōtristatus resipiscit? Gaudeo enim quod si contristamini, ut resipiscatis. Verum hic sensus non bene conuenit cum eo quod præmisit dicens: Decreui autem nō iterum cum tristitia uenire ad uos. Sic enim debebat potius dicere: Decreui denuo uenire ad uos cū tristitia. Quare? Quia dum uos contristo, ego exhilaror per eos qui ex me contristantur. Habent hic quod obseruēt fideles in ecclesia Christi, quibus dono Dei datū est, ut pastores habeant, nō magistros, sed patres. Hi quoniā fidei suæ cōmissos impense diligūt, ꝓ ingenio dilectionis nulla re suauius afficiuntur, q̃ si illos uideāt in studio ueræ pietatis alacres & gaudentes, & erga se amanter affectos. Sic animatus fidelis pastor non delectatur ulla seueritate. Quod si seuerius aliquādo corripit, non est dandum ipsius austeritati, à qua est natura sua alienus, sed peccantium, quam quærit, saluti.

Quare

Quare non est ut corripiēti succenseat quisquam, sed magis ut condoleat omnes. Nequit enim sine dolore obiurgare & corripere quos diligit, & tristes reddere, quos mallet esse alacres & gaudentes, ut & ipse cum Apostolo dicere possit. Si ego uos contristo, quis exhilarat me, nisi uos qui contristamini ex me?

ET scripsi uobis, inquit, hoc ipsum.] Quærunt ubi hoc ipsum scripserit. Verum, meo iudicio, desyderatur uocula, διὰ, ut legēdum sit, διὰ τοῦτο αὐτὸ, id est, ꝑpter hoc ipsum. Neq; enim quid, sed quare scripserit docet. Et scripsi uobis, inquit, propter hoc ipsum ne si uenissem ad uos, tristitiam haberem ex ijs, unde me gaudere oportebat. Intelligo autem de Epistola præcedenti, de qua reddit rationem, quare illā scripserit. Ob eandē uidelicet causam, propter quam nondū ad ipsos uenerat. Scripserat propterea, ne cogeretur præsens exequi, quod per literas est executus. Nam si hoc fecisset, plurimum tristitiæ perpessus fuisset præsens, idque ab ijs, de quibus magis erat ipsi gaudendum. Sic dicit: Et scripsi uobis propter hoc ipsum, ne si uenissem ad uos, tristitiam haberem ex ijs unde me gaudere oportebat.

Sed dices. Si propterea præcedentē ad illos Epistolam scripsit, ne cogeretur proficisci Corinthum, ibiq; præsens contristari, quorsum in illa uenturum se ad eos promisit?

Respondeo. Fecit hoc spe resipiscentiæ eorum, qui peccauerant. Sperabat enim fore, ut si resipuissent cū gaudio apud eos esse & aliquādiu manere posset. Verum cum hoc non per omnia fieret, sicuti uidere est infrà cap. 12. per impœnitētiam illorum factum est, ut coactus fuerit mutare sententiam.

In eo quod dicit: ne si uenissem ad uos, tristitiam haberem ex ijs, unde me gaudere oportebat, cogitādum nobis est, quàm sit graue ac molestum tristitiæ genus, quo contristantur ij qui diligunt, ab illis quos impense diligūt per quos magis gaudium quàm dolorē expectāt. Rerum tristium multa sunt genera. Quod attinet eos per quos contristamur, non est ullum tristitiæ genus grauius q̃ quod nascitur nobis ex amicis & dilectis. Leue est, si cōtristent nos inimici, de quibus nonnisi tristia expectauimus unquam. Hoc genus tristitiæ facile concoquitur, uerum si cōtristemur, uel ab amicis, quod accidebat Dauidi à Saule socero ipsius, & Christo à discipulo, uel ꝑpter amicos, quod usuuenit Apostolo à plerisq; Corinthiorū, hoc genus tristitiæ zelo charitatis, quasi cote quadam exacuitur, & pectus amantis acutissime transuerberat. Quare non est præter rationem quod uulgo dicitur: *kein lieb on leid*.

Simul cogitēt omnes ecclesiæ Christi, quales conueniat eas esse suis apostolis, episcopis, ministris, & pastoribus. Tales uidelicet, quæ possint illis esse gaudio. Loquitur autem Apostolus de gaudio, non carnis, sed spiritus. Inuenias hodie episcopos, quib⁹ ecclesię quas possident, haud modico sint gaudio, præsertim si sint pingues. Verum sic esse gaudio episcopis, parum facit ad salutem. Veris episcopis, & nō quæ sua sunt, sed quæ Christi quærētibus, esse gaudio, id demum confine potest esse menti Apostoli, & perinde habet, ac si liberi morigeri & honesti gaudio sint parentibus.

FIDVCIAM hanc habens, inquit, erga uos omnes, quod meū gaudiū omniū uestrū sit.] Cōfidebat se amari ab illis, quēadmodū abs se amabantur ipsi. Quare confidebat simul hanc esse mutuam inter ipsos sympathiam, ut quēadmodū cōtristatis ipsis cōtristabatur & ipse, ita si gauderet ipse, gauderent & ipsi. Hac fiducia fretus scripsit ad eos, sperans fore, ut resipiscentes mutarent tristitiam suam in gaudium, dū ferre non possent, ut propter ipsos ulla tristitia afficeretur. Hoc illis significās dicit: Scripsi uobis propter hoc ipsum, ne si uenissem ad uos, tristitiā caperem ex ijs unde me gaudere oportebat, hāc erga uos omnes habēs fiduciā, quod meum gaudium uestrum sit omnium.

Et ne ab hac sua fiducia quempiam illorum excludere uideatur, nō simpliciter dicit: fiduciā hāc habens erga uos, sed, erga uos omnes, neque, quod meum gaudium uestrum sit, sed, quod meum gaudium omnium uestrum sit.

Atqui si uera sunt quę utraq; hac scribit Epistola, non sic erant omnes erga ipsum animati, ut gaudium ipsius omnium ipsorum esset gaudium. Nequit enim hoc in illis fieri ecclesijs, in quibus sunt studia sectarum, & magistri obtinuerunt trahētes post se discipulos, quod malum utiq; in ecclesiam Corinthiorum irrepserat. Videmus igitur hoc exēplo rursus expressum charitatis ingenium, quę omnia credit, & omnia sperat, & dum hoc facit in multis fallitur, quod Apostolo quoq; usuuenit, qui quēadmodum plus diligēs minus diligebatur, ita de omnibus bene fidens in plurib⁹ fallebatur. Cum hoc tā insigni acciderit Apostolo ab illis quos in Christo genuerat, & tanquā filios impense diligebat, nemo post illum Christi ministerinsolēs esse putet, si in eandem sortē apud eos incidat, quos docendos suscepit, ut & ipse de omnibus bene sperās, uix in paucis aliquot inueniat quod sperat. Et melius est sic animatum Christi ministrū diligendo & fidēdo falli à multis quàm neq; diligendo quēquam, nec fidendo cuipiam, prorsus à nemine falli. Prius enim bonorum est, posterius uero hominū infidorum, qui quemadmodum ipsi beneuolunt nemini, ita in animis suis de nemine bonā possunt concipere fiduciam.

NAM ex multa afflictione, inq̃t, & anxietate cordis scripsi uobis, ꝑ multas lachrymas, &c.] Occupatio est. Dixerat: Nā si ego tristitia uos afficio, & quis est qui exhilaret me? Item, & scripsi uobis propter hoc ipsum, ne si uenissem ad uos tristitiam caperem ex ijs unde me gaudere oportebat.

Poterant hic dicere: ergo tristari nolens nō uenisti. Iā si tristari nolebas, quorsum nos priore Epistola tātopere corripiendo cōtristare uoluisti,

luisti, siquidem lætitia tua pendet à nostra?

Respondet: Scripsi uobis nõ ut tristitia uos afficerem, sed ut charitatem meã quã erga uos abundantius habeo, cognosceretis. Ea me siquidem impulit, ut scriberem ad uos cum multa tribulatiõe & anxietate cordis, cuius testes erant lachrymę, quas cum scriberem largas & multas effundebã. Quare si quid seuerius scripsisse uideor, dabitis hoc neq; iræ, neq; fastui, neq; odio uestri, sed tribulationi & anxietati cordis mei, quam parit mihi charitas, qua uos abundantius diligo.

NAM ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi uobis, inquit, p multas lachrymas.] Obseruemus hic, quid discriminis sit inter magistros & patres ecclesiarum. Magistri, prelati, ac domini, succensere possunt peccantibus, illosq; seuere corripere, & in corde contemnere, uerum contristari & angustiari in corde, ac lachrymas propter illos effundere non item. Quia quod faciunt, non faciunt ex charitate, à qua sunt alieni, sed uel ex pharisaica iusticia dedignationis plena, uel ex hypocrisi, uel studio quæstus. Patres uero, quoniã paterna sunt erga suos storgia affecti, ubi uident illos peccare, tribulãtur & angustiãtur in corde, & ubertim illachrymantur, atq; ita corripiũt, etsi acriter tamen amanter, & plus immiscent lachrymarum quàm exprobrationum.

PER multas lachrymas, inquit.] An nõ erat hoc admodum muliebre? Certe Stoicum non erat, illachrymari nedum multũ illachrymari.

Respondeo, citius muliebriter illachrymantur Christus & Apostoli, quàm cũ Stoicis indurantur, quia citius perditione hominũ contristantur quàm Stoici, contristantur autem citius quia plus diligunt quàm illi, plus diligũt, quia diuinæ sunt bonitatis consortes magis q̃ illi. Nec tetrici sunt cũ pharisæis ac Stoicis, nec ridiculi cum Democrito Gelasio, sed magis cũ Heraclito ad miseriarum humanarum conspectum illachrymantur.

NON ut mœrore afficeremini, inquit.] Quare noluit, ut mœrore afficerẽtur, cum impœnitẽtis animi & reprobi indicium fuisset, si correpti ab ipso nullo fuissent mœrore affecti?

Respondeo: Resipiscẽtiam quidem illorum quęsiuit ex animo, tristitiã uero non ita. Aliud est si respiciat quid deceat filios delinquentes, & aliud si cõsyderetur, quid quęrat pater corripiens illos, ac redarguẽs. Illos quidem decet ad paternam correptionem contristari, patris uero ingenium haud sic est cõparatũ, ut delectetur illorum tristitia, quãuis gaudeat de illorum resipiscẽtia. In papatu à plerisq; pharisæis ac pœnitentiarijs hoc magis agitur, ut qui peccarũt tristitiam & dolorẽ, uel simulatũ, ostentent, q̃ ut uere resipiscant. Et ipsi pharisæi hypocritæ sic sunt animati, ut tetricum quidem possint ostendere uultum, resipiscentiam uero non itẽ, quasi delectetur Deus mœrore ac uultu deiecto, & non magis resipiscentia.

SED ut cognosceretis charitatem, inquit.] A Poterat dicere, sed ut perficerẽ erga uos opus charitatis. Verum non id modo agebat, sed simul quod agebat cognosci ab illis uolebat, ideo dicit: sed ut cognosceretis charitatem. Sic non est satis amanti quod amat, sed id cognosci cupit ab eo quem amat.

Deinde obserua, qua in re charitatem suam cognosci ab illis uoluerit. In paterna uidelicet correptione, quam Epistola illa spirabat. Pater enim quẽ diligit filium corripit. Verum pauci sunt qui hinc intelligãt se diligi, quod ubi peccarunt corripiuntur & castigantur.

QVAM habeo abũdãtius, inquit, erga uos.] Quasi dicat: Vt quo uos seuerius corriperẽ hoc abundantiorẽ charitatẽ erga uos ostenderem.

Dicet quisquã. Ecquid causæ erat, quod Corinthios abundantius diligebat quàm alios?

Respondeo. Rationem dilectionis nemo ne ipse quidem diligẽs explicuerit. Quare nõ est ut quęramus, quare Corinthios Apostolus plus cæteris dilexerit. Frequenter accidit, ut à filijs suis mater tenerius diligat unum, q̃ cæteros, cuius tamen rei rationem si quęratur haud facile reddiderit. Sic est ingenium eorũ qui diligunt, ut diligãt ignari quare diligũt, & ut plus aliquem q̃ cæteros, & ipsos tamen charos, diligant, & hoc quoq;, quare faciant ignorantes.

Quod si quis tristitia affecit, non me tristitia affecit, nisi ex parte, ne aggrauẽ oẽs uos. Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc, quæ facta est à pluribus: adeo B ut ediuerso magis cõdonare debeatis & consolari, ne quomodo fiat ut immodica tristitia absorbeatur eiusmodi. Quapropter obsecro uos, efficite ut ualeat in illũ charitas. Nam & in hoc scripseram, ut cognoscerem probationem uestri, an ad omnia obedientes sitis. Cui uero cõdonatis aliquid, cõdono & ego. Nam & ego si quid cui condonaui, propter uos condonaui in conspectu Christi, ne occupemur à Satana. Nõ enim cogitationes illius ignoramus.

Pertinent ista ad secundũ capitis huius mẽbrum, in quo rationem uoluit haberi scortatoris ex ecclesia eiecti, ne si ampliori tristitia afficeretur, prorsus periret.

QVOD si quis tristitia affecit, inquit.] Loquitur de dicto iã scortatore, nõ nominans eũ, quoniã & persona & facinus & excõmunicatio illius, abunde satis innotuerãt ecclesiæ. Quare simpliciter ac moderate dicit: Quod si quis cõtristauit. Poterat dicere: Quod attinet scortatorẽ illũ, qui causam dedit tristitiæ, uerũ quoniã aspirabat ad illius recõciliationem, maluit modeste de illo loqui, q̃ seuere. Sic etiã ueluti per occasionem & non data opera ad causam illius trãseat, sensim in illam illabitur, ne quid in animis illorum turbæ moueat, si studiosius exordium causæ huic præmittat.

NON

NON me contristauit, inquit, nisi ex parte.] Locus hic nonnihil habet obscuritatis. Quare & diuersimode legitur & exponitur.

1 Primo ad hunc modum. Non me cōtristauit tantum, sed & omnes uos, ex parte, ne aggrauem. Hoc est. Tristitiam communem intulit & mihi & uobis omnibus, ex parte tamen, id est, non omnino, ne ipsum hæc scribens aggrauem. Sic distinguit & exponit Chrysostomus. 2 Deinde sic. Non me cōtristauit, nisi ex parte, id est, secundum quid, non tali tristitia quæ me ratione priuarit, sed quæ nonnihil turbarit. 3 Tertio hoc pacto. Non me contristauit, quia me per resipiscentiam suam lætificauit, nisi ex parte, quatenus sibijpsi molestiam pœnitendi cōciliauit. Verum ne grauem uos omnes, si pereat is homo, sufficit illi increpatio hæc, &c. Sic nonnulli illud, ne aggrauem omnes uos, à precedentibus auulsum coniungunt sequentibus. 4 Mihi simpliciter ad hunc modum exponendum uidetur. Quod si quis contristauit, hoc est, tristitiam in ecclesia excitauit, non me, quasi aduersum me specialiter peccando, contristauit, nisi hac parte, quatenus solicitū reddidit, ne uos omnes propter illius peccatum aggrauare cogerer. Hactenus sane cōtristauerat me. Cupiebam enim uobis parcere, ac nullam perturbationem imponere ecclesiæ. Hunc puto sensum esse Apostoli. Diligebat ecclesiam illam admodum, cuius peculiari quadam ratione erat Apostolus, ideoque illi & parcebat ac metuebat plurimum, unde & in hac causa propter illam potissimum contristabatur, anxius erat, & cum lachrymis scribebat, cauere cupiēs, ne quid hinc ad illam uel mali, uel perturbationis serperet.

1. Cor. 9.

SVFFICIT, inquit, istiusmodi homini increpatio hæc, quæ facta est à pluribus.] Incipit præscribere, de recipiendo peccatore. Principio, significat illi sufficere increpationem à pluribus, id est ab ecclesia, factam. Non uult exclusionem illius excedere sufficientiæ modum. Metitur autem illum non à quantitate & enormitate admissi facinoris, quam in superiori Epistola consyderari uoluerat, cum esset ferenda sententia, sed à qualitate personæ quę peccauerat, & à grauitate increpationis, quam in ecclesia subierat. Qualitatem personæ expressurus non simpliciter dicit: Sufficit illi, sed, sufficit istiusmodi homini. Hoc dicēs, dubio procul uel aliquid infirmitatis in illo, cui parcendum fuerit, uel singularem aliquem mœrorē, quo ab ecclesia reiectus, conficiebatur, consyderandum proponere uoluit. Grauitatem increpationis notans non dicit simpliciter: Sufficit istiusmodi homini increpatio accepta, sed, increpatio hæc, inquit, quæ facta est à plurib⁹. Leuius siquidem est, increpari ab uno aliquo, idq; seorsim, extra multorum conscientiam, q̄ si id fiat palam à multitudine in unum cœtum congregata. Hic non pudor tantum subeund⁹ est in publico omnium conspectu, sed & sustinendæ grauissimæ diuexationes & concus-

A siones conscientiæ, cōdemnationis sententiā à pluribus illatam noctes ac dies sentientis.

Admonemur itaq; hoc loco, qua diligentia uigilandum sit omnibus illis, quorum curæ commissæ sunt fidelium animæ, ne in correctionibus & castigationibus eorum qui deliquerunt, modum excedant. Procliues sumus, pro carnis ingenio, ad seueritatem exercendā in peccantes, sicut ægre nobis ipsis quantumuis graui ac prolixa animaduersiōe satisfaciamus. Imò quo seuerius ferimur in peccantes, hoc iustiores uideri uolumus. Sic fit ut procliues simus ad excedendum modum sine quo non modo inutilis est sed & noxia omnis disciplina & castigatio. Satagant igitur omnes Christi ministri, ut & intelligant illud ἱκανόν, id est sufficit, & ad illius mensuram omnia disponant & moderētur. Cordati homines satis intelligunt, quid hinc damni sit, nō in religione tantum sed & rebus alijs humanis, quod pauci sunt, qui norint uel etiam scire cupiāt, quid sit illud, sufficit.

Admonitioni huic annexum est & illud, non esse sufficientiæ modum metiendum ad grauitatem delicti, sed potius ad qualitatem personæ post delictum pœnitētis. Admonuit hac de re & Chrysostomus, cuius hęc sunt uerba. ὅθεν μανθάνομεν, ὅτι οὐ δεῖ μόνον πρὸς τὴν φύσιν τῶν ἁμαρτημάτων, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν ἕξιν τῶν ἁμαρτανόντων τὴν μετάνοιαν ὁρίζειν. ὃ καὶ τότε ὁ ἀπόστολος ἐποίησε. καὶ γὰρ ἐφοβεῖτο αὐτοῦ τὸ ἀσθενές. Omnino ut imperi-

B tus medicus, modum dandi remedij nesciens, plus nocet quàm prodest, quales sunt qui medentur ad pręscriptum Hippocratis & Galeni, magis quàm ad qualitatem patientis, ita & imperitus Christi minister, non habēs rationem personæ curandæ, sed ad delicti tantum grauitatem respiciens, Satanæ potius seruit quàm Christo, quia perdit magis quàm seruat. Quid igitur damni natum sit ex canonibus pœnitentialibus, quis unquam sufficienter perpendit?

Animaduertendum & hoc est quod dicit, Sufficit istiusmodi homini increpatio hęc, &c. Proponitur nobis discrimen inter electos & reprobos. Electis sufficit increpatio ecclesiastica, ad hoc ut emendentur, reprobis uero ne uniuersa quidem ecclesiæ disciplina, ex qua magis exacerbantur, quàm emendantur.

QVAE facta est à pluribus, inquit.] Efficacia exprimitur ecclesiasticę excommunicationis, quæ secundum superioris epistolæ pręscriptū fiebat in medio multitudinis in cœtum sacrū congregatæ. Ab hac aliena est, quæ sine cōsensu & conscientia multitudinis tentatur à prælatis ecclesiarum. Etenim non ita cōstringitur excommunicati conscientia per unius aut alterius in se latam sententiam non accedente publico multitudinis consensu, atque constringi illam necesse est, si unanimi & ministrorum & multitudinis uoluntate excommunicatus fuerit.

ADEO, inquit, ut e diuerso magis condonare debeatis & cōsolari.] Postquam admonuit terminan-

terminandam esse peccatoris excommunicationem, subiũgit de impertienda illi uenia & consolatione. Vult autem ut ad hanc propendeant magis quàm ad diuturniorem excommunicationis seueritatem. Ideo non simpliciter dicit: Vt condonare debeatis & consolari, sed, adeo ut ediuerso magis condonare debeatis & consolari, quasi dicat, quàm excommunicationem hanc ulterius extendere.

Obseruandum est hoc loco, quàm apposite ac pertinenter hæc duo uerba condonandi & consolandi usurpet. Videbantur magis propẽdere ad ulciscendum quàm ad remittendum, & per cõsequẽs ad affligẽdũ potius quàm ad consolandum. Hortatur igitur eos, ut condonent magis delictum & cõsolentur afflictum, quàm ut in lata sententia diutius pergant.

Quæsierit quisquam, quare non ipsi Corinthij potius huc priores inclinauerint, ut pœnitenti condonarent delictum & tristem consolarentur, eaque de re ad Apostolum scriberẽt. Responderi potest paucis. Multum discriminis est inter storgiam patris erga filios, & fraternam filiorum cognationem. Pater propensior est ad misericordiã erga sua uiscera, quàm frater erga fratrem. Pater erat Paulus. Tangebatur cõmiseratione & cura erga eum quem in Christo genuerat. Ab hac remotiores erãt Corinthij, quare non pariformiter cum Paulo de salute fratris erant soliciti.

NE quomodo fiat, inquit, ut immodica tristicia absorbeatur eiusmodi.] Iusticiarius dicit: nequaquam condonandum est peccatori, priusquam sufficienti pœnitentia satisfecerit pro grauitate peccati quod perpetrauit. Satisfaciendum est iusticiæ Dei, & ecclesiæ quoq;, priusquã recipiatur peccator. Huc oculos intendunt seueri alienorum peccatorum magis quàm propriorum uindices. At uerus Christi Apostolus, Christi ubiq; spiritum, charitatem & misericordiam spirans, magis solicitus est de infirmitate ac tristitia pœnitẽtis ne quo pacto fiat, ut si diuturnior sit tribulatio, immodica tristitia absorbeatur, hoc est, ad desperationem adigatur, illiusq; ui ueluti fluctibus adobruatur ac pereat, quàm de sufficienti satisfactione, siue iusticiæ Dei siue ecclesiæ præstanda. Rursus autem notat pœnitentis infirmitatem, & monet illius habendam esse rationem, cum dicit, eiusmodi. Qui dura sunt ceruice & corde lapideo, non facile absorbentur à tristitia, secus uero comparati sunt infirmi, quos morsus conscientiæ modico negocio fatigãt & conficiunt.

Locus hic de immodica tristitia, diligenter obseruandus est omnibus, præsertim illis, qui bus commissa est cura aliorum. Credi non potest, quantum hinc sit periculi, consciẽtijs maxime, sensu peccatorũ quasi importabili quadam mole oppresis. Qui huiusmodi sunt, salutandi sunt amanter, affatuq; blando & amico frequenter erigendi, fundendæ sunt pro illis preces ad dominum, & si quo pacto fieri potest, onus quo premuntur uel tollendum in uniuersum, uel aliquousq; diminuendum. Et hæc facienda sunt, priusquam per immodicã tristitiam absorbeantur. Etenim ubi fuerint absorpti, nihil uel certe parum profuerit quicquid tentetur, nisi singularis quędã gratia Dei absorptos è barathro desperationis extrahat.

QVAPROPTER obsecro uos, inquit, efficite ut ualeat in illum charitas.] Quasi dicat. Quoniam sic est tristis ac lugubris factus, ut timẽdum sit, ne immodica hac tristitia prorsus obsorbeatur, recipite eum per charitatem in ecclesiæ uestræ communionẽ, ut spiritus eius refocilletur. Efficite, inquit, ut ualeat in illum charitas. Græcè est, κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην, id est, ut publicis suffragijs decernatis ac confirmetis in illum charitatẽ. Nam hoc significat uerbum κυρῶσαι, rem aliquam siue per suffragia siue aliàs legitima authoritate decernere, statuere, confirmare, & authenticam ratamq; reddere. Voluntas Pauli est, ut Corinthij in cœtu sacro communibus suffragijs decernant & confirment, recipiendum esse in ecclesiam per charitatem, peccatorem pœnitentem ac tristẽ, quẽadmodum antea cõmunibus illum suffragijs excommunicauerant. Et hoc illis non imperat, sed ut faciant obsecrat, quia non uult ut ab inuitis sed potius uoluntarijs fiat quo charitatis opus plenius à spontaneis perficiatur, simulque innuit, quàm sit cupidus eius rei, propter quam illos obsecrare dignatur, quo reddat & illos unà secũ in idẽ instituti propẽsos.

Habemus ergo hic locum de recipiendis excõmunicatis, quando illi, & quomodo sint in consortium ecclesiæ recipiendi. Vbi uidelicet timendum est, ne immodica tristitia absorbeantur, recipiendi sunt in ecclesiam. Deinde recipiendi sunt communibus fidelium suffragijs, ad quem modum excõmunicandi quoq; sunt, qui enormiter peccarunt. Tertio, faciẽda est hæc reconciliatio per charitatem fraternã. Poterat dicere. Obsecro, ut recipiatis eum ad uos. Verum quoniam multum refert, quomodo hoc fiat, maluit dicere: Obsecro ut decernatis in eum dilectionem. Dilectio non simpliciter recipit in consortium, sed recipit tanquam dilectum & omnibus ueræ dilectionis officijs amplexandum & confouendum.

NAM & in hoc scripseram, inquit, ut cognoscerem probationẽ uestri, num ad omnia obedientes sitis.] Quoniam superiori epistola seuere de peccatore hoc cõmunibus suffragijs excommunicãdo scripserat, poterant cogitare: ecquid hoc rei est? Quem antea tam graui ac seuero scripto Satanę tradi uoluit, hunc mutata iam sententia per charitatem uult recipi. Quæ est hæc inconstantia? Occurrit igitur dicens. Quę superiori epistola scripsi, non in hoc scripseram ut hominem hunc perderem, sed ut experimẽtum uestri caperem, sitis ne ad ea quæ scribo morigeri. Et sane morigeri fuistis. Iam obsecro ut nunc quoque sitis. Fuistis illic ad tradẽdum Satanæ hominem peccatorem.

Sitis nunc ad recipiendum pœnitentem,& ser uandum periclitantem. Nulla est hic inconstã tia. Quod illic egi, etiamnũ ago. Quare & uos quemadmodum illic obediuistis, sic etiamnũ obedite. Sic retinebimus mutuum cõsensum, & simul seruabimus fratrem periclitantem.

VT cognoscerem,inquit, probationem ue stri, an ad omnia obedientes sitis.] Ergo in hoc est uerorum ac probatorum fidelium ex perimentum, si scriptis Apostolicis per omnia sint obedientes. Loquor autem nõ de scriptis ac rescriptis apostolorum Babylonis,quę au thentica sunt in ecclesia malignãtium, ac plus ponderis habent,quàm uerorum apostolorũ scripta. Absit: In illis non est experimentũ ue rorum fidelium,sed magis reproborum. Quare non est,ut hunc locum pseudapostoli ac ma gistri ecclesiarum pro maioritate sua confirmã da citent,ac dicãt,ubi est maioritas ibi est mã dandi authoritas, cæteros manet obediendi necessitas. Nostra ætate in conuentibus Imp. cœperunt uocari obedientes, qui plus obediẽ tiæ Romano pontifici præstant, q̃ ipsi Christo & apostolis,& inobedientes, qui in causa reli gionis malũt obedire Deo quàm hominibus. Verum facile intelligit homo cordatus hanc ueram esse ac Christianam obedientiam qua probati fideles cognoscuntur, uerbo domini ac scriptis apostolorum eius per omnia & in omnibus obedire.

CVI uero condonatis aliquid,inquit,& e go condono,] Quo ad plenum fiat rata & au thentica reconciliatio pœnitentis peccatoris, illorum suffragijs cõiungit & suum assensum. Tribuit autem illis priorem partẽ, cum dicit: Cui uero condonatis aliquid, & ego cõdono. Poterat pro authoritate sua dicere: Cui uero ego condono aliquid,cõdonabitis & uos. Ve rum studio demulcet illorum animos, ne per id offendantur quod ad hoc se scripsisse dixit, ut cognosceret probationem ipsorum,an per omnia sint obedientes, quasi hoc dicens, ser uorũ ipsos uelit habere loco. Sic cupit eos esse obedientes, ut simul sint non seruorũ sed fra trum loco, & permittit illis primas in opere charitatis,quo perficiãt illud non inuito sed li bero ac spontaneo spiritu.

NAM & ego si quid cui condonaui, inquit, propter uos condonaui.] Græcè est, καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι ᾧ, κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς ἐν προσώπῳ χριστοῦ. Erasmus sic distinguit. Nam & ego si quid cõ donaui, cui cõdonaui, propter uos cõdonaui. Meo iudicio simpliciter distingui potest ad hunc modum. Nam & ego si quid condonaui cuipiam,condonaui propter uos,ut sit in Grae co talis distinctio, καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι ᾧ, κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς.

Poterant dicere: Atqui iam antea, ut uide mus cõdonasti peccatori huic, priusquam nos illi cõdonemus. Quid igitur est quod scribis, si nos cui quid cõdonemus, condonare & te?

Respondet. Verum est, iam illi condonaui, quod me attinet,in corde meo, & coram Chri sto,at feci hoc propter uos,non propter tuen dam meam authoritatem. Vestri potius ratio nem habeo in hac causa. Quare autẽ propter ipsos hoc fecerit,subiungens aperit. Ne occu pemur à Satana. Potest retineri uulgata lectio, ne circumueniamur à Satana. Quanquam nõ est præter rationem, quod Erasmus uertit, ne occupemur à Satana. Significat enim uerbum πλεονεκτεῖν superiores habere in re aliqua, atque ita illam possidere & occupare. Admonet ita que,non agi hic priuati tantum hominis cau sam sed & sibi & ecclesiæ communem. Ideo non dicit: Si quid cui condonaui, propter illũ condonaui,ne occupetur à Satana,sed, si quid cui condonaui,propter uos condonaui,in cõ spectu Christi, ne occupemur à Satana. Et sei psum includit, non dicens, ne occupemini à Satana, sed, ne occupemur à Satana,quo mi nus eos offendat.

Illud, in conspectu Christi, uarie accipitur, quia uarie accipi potest. Alius,in facie Christi, alius respectu Christi, alius corã Christo, alius in persona & uice Christi. Existimo hunc esse sensum. Si quid cui condonaui, condonaui in conspectu Christi,non in foro ecclesiæ. Vt au tem in ecclesiæ quoque uestræ foro fiat hæc condonatio, peto ut & uos illi condonetis, & hoc facio propter uos quoque,ne occupemur à Satana. Dixerit quisquam. Ergo nisi con donassent pœnitenti peccatori Paulus & Co rinthij, occupati fuissent à Satana? Ipse quidẽ peccator desperatione fuisset absorptus, uerũ quomodo propterea Satan & Paulum & ec clesiam occupasset non uideo.

Respondeo. Primum ea debet esse sympa thia fidelium in ecclesia Christi, ut uno peri clitante periclitari censeantur & alij. Hac ra tione, ubi Satan occupat membrum unum ec clesię,recte ecclesiam occupare dicitur,quem admodum recte corpus hominis uulneratum dicimus, ubi membrum illius aliquod est uul neratum. Deinde, ubi nec pastor solicitus est de salute ouium, nec ipsæ oues mutuæ salutis imò ne suæ quælibet propriæ rationem ha bent,an non timendum est, ne occupentur à falsis pastoribus & à lupis? Plane sic habet in ecclesia quoque,in qua nec Apostolus de ser uandis periclitãtibus aliqua cura afficitur,nec ipsi fideles de sua quique ac de fratrum sunt salute soliciti. Hic plane timendum est omni bus ne occupentur à Satana. Obsecro,si timen dum erat ecclesiæ Corinthiorũ Apostolo ad huc superstite, à quo fuerat plantata,ne occu paretur à Satana,quid non timendum est reli quis omnibus ecclesijs, in quibus uel dormi unt pastores, uel pro libidine sua dominãtur?

NON enim cogitationes illius ignoramus, inquit.] Quare timeat, ne occupentur à Sata na,exponit hisce uerbis. Sensus est. Nõ est fru stra, quod cauendum censeo, ne occupemur à Satana. Etenim clam nobis non est, quæ sint illius cogitationes. Græcè est νοήματα, quæ nõ simpliciter cogitationes significãt, sed potius

consilia

consilia & ratiocinationes, quales esse solent astutorum & callidorum. Non dicit simpliciter, non enim ignoramus, quàm insidietur nobis Satan, sed: Non ignoramus quàm sint, & quæ, astuta illius consilia. Intelligebat Apostolus abunde, quo tenderent Apostoli Satanæ, imò Satan ipse in angelum lucis transformatus. Quod præsentem causam attinet, sub specie iustæ disciplinæ moliebatur perditionem non unius tantum peccatoris, sed totius quoque ecclesiæ. Et utinam episcopi & pastores ecclesiarum iam olim νοήματα Satanæ in angelum lucis transformati intellexissent, uel hodie saltem intelligerent.

Cæterum cum uenissem Troadem in Euãgelium Christi, & ostium mihi esset apertum in domino, non habui relaxationem spiritui meo, eo quod non inuenissem Titum fratrem meum, uerum ualedicto illis abij in Macedoniam.

Relicta aliquantisper causa peccatoris reconciliandi meminit itineris sui Macedoniam uersus suscepti, de quo capite præcedenti dicere cœperat, ut per huius occasionem, Titi quoque mentionem faciat, quem Corinthum miserat. Cæterum, inquit, cum uenissem Troadẽ. Troas ciuitas est Phrygiæ, olim Antigonia dicta, opposita Chersoneso. Et hinc transitus est in Europam. Addit in Euangelium Christi. Id est, propter Euangelium Christi ibi prædicandum. Licet iter in Macedoniam instituerat, interim tamen in ea loca diuertit, in quibus occasionem prædicandi Euãgelij inueniret. Est quidẽ ciuitas hæc in littore maris, & traiectũ habens & portum, eratque hanc ob causam commoda Paulo, cũ ad iter quod instituerat, tum ad inueniendum Titum. Verũ non huius commoditatis sed Euangelij prædicandi potissimum gratia in illã se profectũ fuisse dicit.

ET ostium, inquit, apertum mihi esset in domino.] Quid sit ostium apertum esse in domino, dictum est capite ultimo superioris epistolæ. Quod autem ostium Euangelio Christi in ea fuerit ciuitate apertum, uidere est Actorũ uigesimo ubi sic legimus. Hi cũ præcessissent expectarunt nos Troade, nos uero abnauigauimus post dies azymorum à Philippis, & uenimus ad eos Troadem intra dies quinq;, ubi demorati sumus diebus septem. Vno autem die sabbatorum, cum conuenissent discipuli ad frangendum panem, Paulus disserebat eis ꝓfecturus postridie, &c. Hinc satis patet fuisse Troade discipulos, quos cum iret in Macedoniam Paulus domino lucrifecerat, quibus etiam, cum è Macedonia rediret & Iudæam peteret, in domino congregatis integram noctem disseruit, & adolescentem quendam ex illis nomine Eutychum è tertio cænaculo delapsum ac mortuum uitæ restituit.

NON habui relaxationem, inquit, spiritui meo, eo quod non inuenissem Titum fratrem meum.] Nisi retulisset hoc scire Corinthios, non scripsisset. Referebat autem plurimum. Miserat enim ad eos Titũ, ut cognosceret per illum de statu ecclesiæ ipsorum. Et hunc sperauerat se inuenturum Troade. Quo non inuẽto fatigabatur spiritus ipsius desyderio aduentus illius, per quem se infrà capite septimo refocillatũ fuisse scribit. Significat igitur, usqueadeo sibi res ipsorum esse cordi, ut nulla sit spiritui suo refocillatio, nisi de illis audiat optata. Quare quod dicit: non habui relaxationem, uel requiem, ἄνεσιν spiritui meo, eo quod non inuenissem Titum fratrem meum, nõ eo sensu dictũ est, quo nonnulli exponunt: quasi non suffecerit duplici labori, prædicandi uidelicet ijs qui audire cupiebant, & resistendi hæreticis & infidelibus, cum esset solus, & Titũ non inuenisset, cui unam laborum partem prędicandi uidelicet, imponere cupierit. Solum fuisse Troade, & si fuisset, solum non suffecisse laboribus, neutrum, meo iudicio, cum ratione dicitur. Puerilis admodum est hic sensus. Nec ratio esset, cur tale quid Corinthijs scriberet Apostolus.

Cogitemus hic quàm iugis fuerit & assidua fatigatio spiritus Apostoli. Etenim si unius ecclesiæ tanta afficiebatur cura & solicitudine, ut relaxationem non inueniret spiritus ipsius, nisi optata de illa audisset, quantum fuisse credendum est curarum cumulum, quibus propter reliquas tam multas noctes ac dies tantũ non enecabatur? Vt indesinentium persequutionum & afflictionum molestias taceam.

Deinde hic quoq; uidemus fuisse illum humanis affectibus perinde atq; nos obnoxiũ. Sperabat, & affectabat, inuenturum se Titum, ubi Troadem uenisset. Sperabat autẽ frustra. Neq; enim inuenit eum cũ illò uenisset. Erat ergo spes hæc frustranea, qualis frequenter accidit in rebus humanis. Adhęc, cum non inuenisset Titum Troade sicuti sperauerat, fatigabatur spiritu absque ulla relaxatione. Et hoc humanum erat. Sic enim comparati sumus ut spe nostra frustrati turbemur & molestemur. Sunt hæc communia mortalibus. Illud tamẽ pium erat & Apostolicum, quod ista patiebatur ex solicitudine ecclesiarum Christi.

VERVM ualedicto illis abij in Macedoniã, inquit.] Suprà capite primo sic dicit: Et hac fiducia uolebam ad uos uenire prius, ut geminam gratiam haberetis, & per uos irem in Macedoniam. Hic dicit se, cum Titum non inuenisset Troade, adeoque nulla esset spiritui suo relaxatio, abijsse in Macedoniã, significans ob id se minus uenisse Corinthum, quod ignoraret, quo in statu res ipsorum essent, propterea quod Titum Troade nõ inuenisset, ex quo se de illis cogniturum sperauerat.

Illud, ualedicto illis, Grecè est ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Erasmus uertit, dimissis illis. Vulgata habet: Valefaciens eis. Neutra uersio satisfacit mẽti Apostoli, imò nec significationi ipsius uocis ἀποταξάμενος. Significat enim illa non simpliciter

citer ualedicere ac dimittere, sed magis ubi discedendum ac ualedicendum est extrema dare mandata, & ordinare quae post discessum nostrum fieri uelimus, ut ἀπόταξις recte uocetur Germanice *ein abscheid*. Sic Paulus cum non inuento Tito Troadē relinquere & in Macedoniam abire uellet, ostium apertum in domino non neglexit, sed ijs qui credere cœperāt, quae facerent ac quomodo se donec ad ipsos reuerteretur gererent, iam discessurus ordinauit ac præscripsit. Hoc significans, non simpliciter dicit: abij in Macedoniam, sed ἀποταξάμενος αὐτοῖς, id est, ubi illis constitui & ordinaui quae facerent, abij in Macedoniam. Quare nō est ut hic operosam quæstionem moueamus quare Apostolus ostium Euangelio Dei Troade apertum propter absentiā Titi negligere uoluerit. Potiora agebat, & interim primordia recens iacta non negligebat. Quare ad illa reuersus quod plantauerat diligenter rigauit. Amplitudinem curarum illius, ingenij nostri angustia non capit, quapropter neque conuenit, ut de factis illius temere nobis iudicium sumamus.

Deo autem gratia qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem noticię suę manifestat per nos in omni loco. Quoniam Christo bona fragrantia sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam. Et ad hæc quis idoneus? Non enim sumus ut plerique cauponantes sermonē Dei, sed uelut ex synceritate, sed uelut ex Deo in conspectu Dei per Christum loquimur.

Occasione eius quod dixit, & ostium mihi apertum esset in domino, rapitur in hanc doxologiam, qua & successum Apostolatus sui deprędicat, & nomine illius Deo gratias agit, tribuens illi omnem illius ut operationem ita & gloriam. Deo autem gratia, inquit, uox hęc ex corde profecta, hominum est beneficia Dei agnoscentium, magnificantium, & cum gratiarum actione deprædicantium. Quid autē prędicat de Deo? Qui semper, inquit, triumphat per nos in Christo. In Græco est τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς, id est. Qui semper triumphat nos. Sic habet & uulgata æditio. Verum quoniam ea lectio, incōmoda est Latinis auribus, ideo legunt nōnulli, qui triumphare nos facit semper. Sane uerosimile est Apostolū uerbo hoc Ebraico more in sensu hyphil esse usum, ut θριαμβεύειν sit non simpliciter triumphare sed facere ut triumphes. Qui uero cum Erasmo legūt: triumphat per nos, triumphantem constituūt non Apostolum sed Deum.

Quid est autem quod dicit? Triumphare, est uictoriā de hoste superato cum publica pōpa, læticia, & gloria referre. Simplicius est, ut hic intelligamus idem esse, quod, qui semper uictores nos reddit in Christo. Victorię ac triumphi loco ducebat, quoties aliquos regno Satanæ ereptos in castra Christi ducere dabatur. Et quoniam id ubiq; dabatur, quocunque uenisset, dicit se semper fieri triumphatorem in Christo.

Mirabilis omnino triumphator, qui ut capite quarto superioris epistolę de seipse dicit, spectaculum erat factus & mundo & angelis & hominibus, & ad id usque temporis esuriebat, sitiebat, nudus erat, colaphis cędebat, incertis uagabatur sedibus, manibus proprijs operans laborabat, male audiebat, persequutionē patiebatur, conuicijs afficiebatur, & uelut excrementum ac reiectamentum mundi quocunque uenisset erat. Si hoc genus uitæ triumphatori conuenit, sane maximus erat triumphator. Verum quamuis afflictionum istarum respectu omnium uidebatur esse miserrimus, & nusquam uincere sed ubique uinci, nihilo tamen minus nusquam uictus sed uictor ubiq; spolia auferebat hosti antiquo, animas uidelicet Christo credentium. Quare nō dicit: qui nos semper triumphare facit in mundo, sed, qui nos semper triumphare facit in Christo. Qui uictor discedebat in Christo quasi uictus affligebatur in mundo. Hoc genus uictoriæ Christianorum est, durans ad finem usque mundi, quo dum in mūdo uidentur uinci, uincunt ipsi & Satanam & mundum. Vincunt enim, dum animas suas per omnis generis tribulationes uirtute patientiæ in fide Christi illibatas & inuictas seruant. Sic uincuntur tyrāni occisores fidelium, & uincunt occisi. Tyrannus clamat, nega, nega. Cōfessor Christi uicissim, non nego, inquit, absit, sed Christianum me esse ad extremum usque halitum cōfiteor & in extremo uictoriæ articulo constitutus Christum Seruatorem suum inuocat, illique spiritum suum commendat, quem tyrannus impius uictus & cōfusus blasphemat. Pugna est non de præsenti hac & momentanea uita, sed utrum agnoscas & habeas dominū, Christūm ne uel Satanam, ueritati ne Dei cum electis uel mendacijs Satanæ cum reprobis adhæreas, & uiuas ne ac salueris in sempiternū cum Christo & sanctis omnibus, uel pereas in æternum cum diabolo & impijs omnibus. In hac pugna uincit, nō qui occidit, sed qui in ueritate ac fide Dei perstat inuictus, & uincitur non qui occiditur, sed qui quoniam non uincit, hoc est, quod uult non obtinet, inuictum & in fide domini sui permanentem occidit, atque ita non hilaris è pugna sed iratus & confusus discedit relicto in manu Domini quē secum in castra Satanę uelut in triumpho ducere proposuerat.

ET odorem, inquit, noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Exponit quomodo triumphet ubique in Christo. Per sermonē uidelicet scientiæ & cognitionis Dei, hoc est, per Euangeliū regni, quo scientiam Dei, à mūdo absconditam, manifestabat ubique. Loquitur

tur autem de noticia Dei, non ea tantum qua A unus cognoscitur ac solus uerus Deus, omniū conditor ac Seruator, quam scientiam Dei uindicant sibi & Iudæi & Turci, & multi sapientes ex Gentibus haud ignorarūt, sed de ea qua mysterium ac ueritas Christi filij Dei cognoscitur, cuius scientia abscondita est à mundo, & ad cuius manifestationem singulari erat consilio Dei ab utero matris segregatus, sicuti uidere est Gal.1. ubi dicit: qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiā suam, in hoc, ut reuelaret filium suum per me. Et Coloss.4. ubi petit à fidelibus, ut orent pro se ad Deum, ut aperiat sibi ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi, ut illud, sicuti oportet loquendo manifestet. Meminit huius & in ea quæ ad Titum est cap.1.

Quod autem non simpliciter dicit: & noticiam suam, sed, & odorem noticiæ suæ manifestat per nos, ad commendandum suaueolentiam cognitionis Dei facit quæ in Christo est omnium iucundissima, & ad refocillandum abiectas conscientias efficacissima. Quod si quis uocem, odoris, positam esse césset pro gustu: quasi dicat: & gustum, id est, primum experimentum noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco, huic non admodū repugnarim. Nam ita habet. Quocunque ueniebat gustum aliquem noticiæ Dei in Christo præbebat ijs qui Euangelio Dei credere incipiebant, plenitudinem uero illius non ita. Magis tamen placet prior metaphoræ huius sensus, propter sequentia.

Illud, in omni loco, non est intelligendum aliter, quàm de locis in quibus prædicauit, ne cęterorum apostolorum labores irritos fuisse, Paulum uero solum toto terrarum orbe Christi ueritatem manifestasse dicamus. Quocunque ueniebat, ibi aliquem noticiæ Dei odoré prædicando, & si non apud multos, apud aliquos saltem tanquam primitias sequuturorū excitabat. Sic persequutiones illius quid erāt aliud quàm noticiæ Dei propagatio?

QVONIAM Christi bona fragrantia sumus Deo, inquit, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt.] Explicat quod Deum odorem noticiæ suæ per se in omni loco manifestare dixit. Comparat Christum quem prædicabat in mundo unguento uel aromati suaueolentissimo & se aromatario uel unguētario, qui quouis loco existat unguenti quod secum gestat suaueolentiam spargit. Sic non simpliciter dicit: Quoniam bona fragrātia sumus, sed: Quoniam Christi bona fragrantia sumus, quibus uerbis bonam quam spargebat fragrantiam deputat Christo. Quatenus hunc & doctrina & uitæ conuersatione spirabat, hactenus illius bona erat fragrantia. Perinde ac si uoces Apostolos lucem Christi. Hoc dicés significat eos esse lucem, quatenus Christum lucem mūdi euangelizando prædicant, & conscientias mortalium ueritate Dei illuminant.

Quid est autem quod non simpliciter dicit: Quoniam Christi bona fragrantia sumus, sed addit Deo? Refert Apostolatum suum ad authorem Deum, qui per ipsum odorem noticię suæ manifestabat in omni loco. Pūgit autem pseudapostolos, quibus Apostolatus ipsius non bona Christi fragrantia authore Deo, sed pessimus quidā fœtor erat. Quasi dicat. Quātumuis Apostolatus noster graueolentia quędam ac pessimus fœtor sit in naribus magistrorum uestrorum, reipsa tamen scimus & experimur esse nos Deo authore suauē Christi odorem. Quare subijcit dicens.

In his qui salui fiunt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad morté, illis uero odor uitæ ad uitam. Vbicunque prædicabat Euangelium Christi, & bonam illius fragrantiam spirabat, diuersum euentum experiebatur. Alij enim probabant & amplectebantur credentes. Hi erant electi & ad uitam æternā destinati. Alij reprobabant & auersabantur. Isti erant ex reprobis ac pereuntibus. Nihilominus suauis erat in se Christi odor, & authore Deo spargebatur per prædicationem Euangelij in toto mundo, licet alijs esset odor uitæ ad uitam, alijs uero odor mortis ad mortem. In illis operabatur propria uirtute uitam, in istis ipsorum uicio & culpa mortem.

Non debet autem mirum uideri, quod bonam Christi fragrantiam nō solum in illis qui salui fiunt bonum odorem & odorem uitæ, B sed & in reprobis qui pereunt mortis odoré uocat, cum Christus ut non ad iudiciū ita nec ad mortem uenerit in hūc mundum. Etenim in rebus humanis quoque usitatissimum est, ut res eadem, in seipsa bona & utilis, alijs seruiat ad bonum alijs ad malum, diuersumque & alienum sortiatur à natura sua in nonnullis effectum. Charitas omnia credens, omnia sperans, omnibus bene fidens, omnibus mansueta & humana, omnibus benefaciens, utique bona est, & sibijpsi constans, similis, & eadem ubique. Et tamen ab alijs bene collocatur ab alijs male, alios prouocat ad bonum, alijs causa redditur contemptus & socordiæ. Medicina bona est in se, attamen pro diuersitate subiectorum redditur uel utilis uel noxia. Sciétia, singulare donum Dei alios reddit utiles homines, alios uero inflatos & noxios. Opulentia quoque, & ipsa diuino munere constans, alios reddit beneficos alios superbos. Solis splēdor alios illuminat, alios occœcat. Bona fragrātia, sicut uidere est in apothecis aromatarijs & unguentarijs, alios recreat, alios reddit deiectos. Et Christus ipse alijs uenit in resurrectionem, alijs in ruinam. Ecquid aliud accideret Euangelio illius quàm hoc ipsum, ut alijs sit odor uitæ ad uitam, alijs odor mortis ad mortem, interim manens in seipso non diuersum sed idem, bonum uidelicet & natura sua diuinum & utile.

Non est autem præter rationem & scopū

citer ualedicere ac dimittere, sed magis ubi di A scedendum ac ualedicendum est extrema dare mandata, & ordinare quæ post discessum nostrum fieri uelimus, ut ἀπόταξις recte uocetur Germanice ein abscheid. Sic Paulus cum non inuento Tito Troadē relinquere & in Macedoniam abire uellet, ostium apertum in domino non neglexit, sed ijs qui credere cœperāt, quæ facerent ac quomodo se donec ad ipsos reuerteretur gererent, iam discessurus ordinauit ac præscripsit. Hoc significans, non simpliciter dicit: abij in Macedoniam, sed ἀποταξάμενος αὐτοῖς, id est, ubi illis constitui & ordinaui quæ facerent, abij in Macedoniam. Quare nō est ut hic operosam quæstionem moueamus quare Apostolus ostium Euangelio Dei Troade apertum propter absentiā Titi negligere uoluerit. Potiora agebat, & interim primordia recens iacta non negligebat. Quare ad illa reuersus quod plantauerat diligenter rigauit. Amplitudinem curarum illius, ingenij nostri angustia non capit, quapropter neque conuenit, ut de factis illius temere nobis iudicium sumamus.

Deo autem gratia qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem noticię suę manifestat per nos in omni loco. Quoniam Christo bona fragrantia sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam. Et ad hæc quis idoneus? Non enim sumus ut plerique cauponantes sermonē Dei, sed uelut ex synceritate, sed uelut ex Deo in conspectu Dei per Christum loquimur.

Occasione eius quod dixit, & ostium mihi apertum esset in domino, rapitur in hanc doxologiam, qua & successum Apostolatus sui deprędicat, & nomine illius Deo gratias agit, tribuens illi omnem illius ut operationem ita & gloriam. Deo autem gratia, inquit, uox hęc ex corde profecta, hominum est beneficia Dei agnoscentium, magnificantium, & cum gratiarum actione deprædicantium. Quid autē prędicat de Deo? Qui semper, inquit, triumphat per nos in Christo. In Græco est τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς, id est. Qui semper triumphat nos. Sic habet & uulgata æditio. Verum quoniam ea lectio, incōmoda est Latinis auribus, ideo legunt nōnulli, qui triumphare nos facit semper. Sane uerosimile est Apostolū uerbo hoc Ebraico more in sensu hyphil esse usum, ut θριαμβεύειν sit non simpliciter triumphare sed facere ut triumphes. Qui uero cum Erasmo legūt: triumphat per nos, triumphantem constituūt non Apostolum sed Deum.

Quid est autem quod dicit? Triumphare, est uictoriā de hoste superato cum publica pōpa, læticia, & gloria referre. Simplicius est, ut hic intelligamus idem esse, quod, qui semper uictores nos reddit in Christo. Victorię ac triumphi loco ducebat, quoties aliquos regno Satanæ ereptos in castra Christi ducere dabatur. Et quoniam id ubiq; dabatur, quocunque uenisset, dicit se semper fieri triumphatorem in Christo.

Mirabilis omnino triumphator, qui ut capite quarto superioris epistolę de seipse dicit, spectaculum erat factus & mundo & angelis & hominibus, & ad id usque temporis esuriebat, sitiebat, nudus erat, colaphis cędebatᷣ, incertis uagabatur sedibus, manibus proprijs operans laborabat, male audiebat, persequutionē patiebatur, conuicijs afficiebatur, & uelut excrementum ac reiectamentum mundi quocunque uenisset erat. Si hoc genus uitæ triumphatori conuenit, sane maximus erat triumphator. Verum quamuis afflictionum istarum respectu omnium uidebatur esse miserrimus, & nusquam uincere sed ubique uinci, nihilo tamen minus nusquam uictus sed uictor ubiq; spolia auferebat hosti antiquo, animas uidelicet Christo credentium. Quare nō dicit: qui nos semper triumphare facit in mundo, sed, qui nos semper triumphare facit in Christo. Qui uictor discedebat in Christo quasi uictus affligebatur in mundo. Hoc genus uictoriæ Christianorum est, durans ad finem usque mundi, quo dum in mūdo uidentur uinci, uincunt ipsi & Satanam & mundum. Vincunt enim, dum animas suas per omnis generis tri- B bulationes uirtute patientiæ in fide Christi illibatas & inuictas seruant. Sic uincuntur tyrāni occisores fidelium, & uincunt occisi. Tyrannus clamat, nega, nega. Cōfessor Christi uicissim, non nego, inquit, absit, sed Christianum me esse ad extremum usque halitum cōfiteor & in extremo uictoriæ articulo constitutus Christum Seruatorem suum inuocat, illique spiritum suum commendat, quem tyrannus impius uictus & cōfusus blasphemat. Pugna est non de præsenti hac & momentanea uita, sed utrum agnoscas & habeas dominū, Christūm ne uel Satanam, ueritati ne Dei cum electis uel mendacijs Satanæ cum reprobis adhæreas, & uiuas ne ac salueris in sempiternū cum Christo & sanctis omnibus, uel pereas in æternum cum diabolo & impijs omnibus. In hac pugna uincit, nō qui occidit, sed qui in ueritate ac fide Dei perstat inuictus, & uincitur non qui occiditur, sed qui quoniam non uincit, hoc est, quod uult non obtinet, inuictum & in fide domini sui permanentem occidit, atque ita non hilaris è pugna sed iratus & confusus discedit relicto in manu Domini quē secum in castra Satanę uelut in triumpho ducere proposuerat.

ET odorem, inquit, noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Exponit quomodo triumphet ubique in Christo. Per sermonē uidelicet scientiæ & cognitionis Dei, hoc est, per Euangeliū regni, quo scientiam Dei, à mūdo absconditam, manifestabat ubique. Loquitur

tur autem de noticia Dei, non ea tantum qua A unus cognoscitur ac solus uerus Deus, omniũ conditor ac Seruator, quam scientiam Dei uindicant sibi & Iudæi & Turci, & multi sapientes ex Gentibus haud ignorarũt, sed de ea qua mysterium ac ueritas Christi filij Dei cognoscitur, cuius scientia abscondita est à mundo, & ad cuius manifestationem singulari erat consilio Dei ab utero matris segregatus, sicuti uidere est Gal.1. ubi dicit: qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiã suam, in hoc, ut reuelaret filium suum per me. Et Coloss.4. ubi petit à fidelibus, ut orent pro se ad Deum, ut aperiat sibi ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi, ut illud, sicuti oportet loquendo manifestet. Meminit huius & in ea quæ ad Titum est cap.1.

Quod autem non simpliciter dicit: & noticiam suam, sed, & odorem noticiæ suæ manifestat per nos, ad commendandum suaueolentiam cognitionis Dei facit quæ in Christo est omnium iucundissima, & ad refocillandum abiectas conscientias efficacissima. Quod si quis uocem, odoris, positam esse cẽset pro gustu: quasi dicat: & gustum, id est, primum experimentum noticiæ suæ manifestat per nos in omni loco, huic non admodũ repugnarim. Nam ita habet. Quocunque ueniebat gustum aliquem noticiæ Dei in Christo præbebat ijs qui Euangelio Dei credere incipiebant, plenitudinem uero illius non ita. Magis tamen placet prior metaphoræ huius sensus, propter sequentia.

Illud, in omni loco, non est intelligendum aliter, quàm de locis in quibus prædicauit, ne cęterorum apostolorum labores irritos fuisse, Paulum uero solum toto terrarum orbe Christi ueritatem manifestasse dicamus. Quocunque ueniebat, ibi aliquem noticiæ Dei odorẽ prædicando, & si non apud multos, apud aliquos saltem tanquam primitias sequuturorũ excitabat. Sic persequutiones illius quid erãt aliud quàm noticiæ Dei propagatio?

QVONIAM Christi bona fragrantia sumus Deo, inquit, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt.] Explicat quod Deum odorem noticiæ suæ per se in omni loco manifestare dixit. Comparat Christum quem prædicabat in mundo unguento uel aromati suaueolentissimo & se aromatario uel unguẽtario, qui quouis loco existat unguenti quod secum gestat suaueolentiam spargit. Sic non simpliciter dicit: Quoniam bona fragrãtia sumus, sed: Quoniam Christi bona fragrantia sumus, quibus uerbis bonam quam spargebat fragrantiam deputat Christo. Quatenus hunc & doctrina & uitæ conuersatione spirabat, hactenus illius bona erat fragrantia. Perinde ac si uoces Apostolos lucem Christi. Hoc dicẽs significat eos esse lucem, quatenus Christum lucem mũdi euangelizando prædicant, & conscientias mortalium ueritate Dei illuminant.

Quid est autem quod non simpliciter dicit: Quoniam Christi bona fragrantia sumus, sed addit Deo? Refert Apostolatum suum ad authorem Deum, qui per ipsum odorem noticię suæ manifestabat in omni loco. Pũgit autem pseudapostolos, quibus Apostolatus ipsius non bona Christi fragrantia authore Deo, sed pessimus quidã fœtor erat. Quasi dicat. Quãtumuis Apostolatus noster graueolentia quędam ac pessimus fœtor sit in naribus magistrorum uestrorum, reipsa tamen scimus & experimur esse nos Deo authore suauẽ Christi odorem. Quare subijcit dicens.

In his qui salui fiunt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad mortẽ, illis uero odor uitæ ad uitam. Vbicunque prædicabat Euangelium Christi, & bonam illius fragrantiam spirabat, diuersum euentum experiebatur. Alij enim probabant & amplectebantur credentes. Hi erant electi & ad uitam æternã destinati. Alij reprobabant & auersabantur. Isti erant ex reprobis ac pereuntibus. Nihilominus suauis erat in se Christi odor, & authore Deo spargebatur per prædicationem Euangelij in toto mundo, licet alijs esset odor uitæ ad uitam, alijs uero odor mortis ad mortem. In illis operabatur propria uirtute uitam, in istis ipsorum uicio & culpa mortem.

Non debet autem mirum uideri, quod bonam Christi fragrantiam nõ solum in illis qui salui fiunt bonum odorem & odorem uitæ, B sed & in reprobis qui pereunt mortis odorẽ uocat, cum Christus ut non ad iudiciũ ita nec ad mortem uenerit in hũc mundum. Etenim in rebus humanis quoque usitatissimum est, ut res eadem, in seipsa bona & utilis, alijs seruiat ad bonum alijs ad malum, diuersumque & alienum sortiatur à natura sua in nonnullis effectum. Charitas omnia credens, omnia sperans, omnibus bene fidens, omnibus mansueta & humana, omnibus benefaciens, utique bona est, & sibijpsi constans, similis, & eadem ubique. Et tamen ab alijs bene collocatur ab alijs male, alios prouocat ad bonum, alijs causa redditur contemptus & socordiæ. Medicina bona est in se, attamen pro diuersitate subiectorum redditur uel utilis uel noxia. Sciẽtia, singulare donum Dei alios reddit utiles homines, alios uero inflatos & noxios. Opulentia quoque, & ipsa diuino munere constans, alios reddit beneficos alios superbos. Solis splẽdor alios illuminat, alios occœcat. Bona fragrãtia, sicut uidere est in apothecis aromatarijs & unguentarijs, alios recreat, alios reddit deiectos. Et Christus ipse alijs uenit in resurrectionem, alijs in ruinam. Ecquid aliud accideret Euangelio illius quàm hoc ipsum, ut alijs sit odor uitæ ad uitam, alijs odor mortis ad mortem, interim manens in seipso non diuersum sed idem, bonum uidelicet & natura sua diuinum & utile.

Non est autem præter rationem & scopũ

 præsi-

præfixum quod diuersum hunc effectum Euãgelij Dei per metaphoram bonæ fragrantiæ exprimit. Si dixiſſent ſimpliciter: Quoniam Chriſti miniſter ſum non ſolũ in illis qui ſalui fiunt ſed & in alijs qui pereunt. Illis ſum occaſio uitæ ad uitam, iſtis occaſio mortis ad mortem, admodum offendiſſet multos, Apoſtolatumque ſuum, quaſi mortis miniſtrum, graui odio reddidiſſet obnoxium ac deteſtabilem. Prudenter itaque utitur metaphora bonæ fragrantiæ, cui nemo uicio dare poteſt, quod non nullis nocet, cum natura ſua iucunda ſit & utilis. Sic non ſua ſed reproborum culpa fiebat, quod erat illis odor mortis ad mortẽ, qui per gratiam Dei electis erat odor uitæ ad uitam.

ET ad hæc, inquit, quis idoneus? Vel, quis ſufficiens?] Quaſi dicat. Conditio hæc Apoſtolatus mei, qua alijs eſt odor uitæ ad uitam, alijs odor mortis ad mortem, non eſt humanę facultatis. Nemo mortalium eſt, qui illam per ſe diſpenſet, uel diſpenſandæ ſufficiat. Conſequitur ergo diſpenſari eã diuino conſilio. Nec mihi imputandum eſt, quod bona Chriſti fragrantia odor uitæ ad uitam illis eſt qui ſaluantur, nec Euãgelio Dei & mihi quod odor mortis ad mortem eſt ijs qui pereunt. Totum hoc diuina diſpoſitione geritur.

NON enim ſumus, inquit, ut plerique, cauponantes ſermonem Dei, ſed uelut ex ſynceritate, &c.] Senſus eſt. Nõ enim eſt, ut me quiſquam ſermonem Dei negociando ac nundinando adulterare, atque ita in culpa eſſe dicat, quod multis eſt odor mortis in mortem. Faciũt hoc ſane multi, quibus uerbum Dei abijt in quæſtum, quorum Deus uenter eſt, & omnis prædicatio nihil aliud quàm turpis nundinatio & inanis gloriæ uenatio. Nos ſermonem Dei prædicamus, ut eſt in ſe, purum & illibatum. Loquimur enim tanquam ex ſynceritate, tanq̃ ex Deo, & coram Deo, in Chriſto.

Sic duo agit hiſce uerbis. 1 Primum, perſtringit pſeudapoſtolos, quod ſermonem Dei cauponando adulterent, hoc eſt, non ſyncere, non tanquam ex Deo, non coram Deo, ſed ex ſuiſipſorum affectibus mundo ſeſe non Deo accommodantes Chriſtum prædicent. Et hos dicit eſſe nõ paucos aliquos ſed multos. Meo iudicio loquitur de ijs qui ex circumciſione credentes circuibant, & non ſolum corde non integro ſed peruerſo Chriſtum prædicabant, ſed & impuritatem ex legis obſeruationibus & traditionibus Euangelio immiſcebant, trahentes poſt ſe diſcipulos, & totas domos ſubuertentes. Et forſan ex Gentibus quoque nõnulli erant, qui ſermoni Dei plurimum immiſcerent ex fecibus philoſophiæ ac mundanæ ſapientiæ. Et hæc fiebant à multis, idque apoſtolis adhuc in uiuis exiſtentibus, & conquerentibus. Tam ſcilicet eſt puræ doctrinæ uiciatio malum antiquum, malum ſubito inualeſcens, malum tenax & obſtinatum, ut ne apoſtolis quidem cedat. Et audent hodie iactare plerique nunquam eſſe eccleſiam obnoxiam factam erroribus.

2 Alterum eſt, quod prædicationi ac doctrinæ ſuæ uindicat ſynceritatem, authoritatem, & conſciẽtiam Dei in Chriſto. Sed loquimur, inquit, in Chriſto, tanquam ex ſynceritate, tanquam ex Deo, in conſpectu Dei. In Chriſto loqui, eſt in nomine ac ſpiritu Chriſti loqui. Loqui tanquam ex ſynceritate, loqui eſt ſicuti decet eos, qui ſine dolo ſyncere ac candide loquuntur. Loqui tanquam ex Deo, loqui eſt quemadmodum conuenit ei qui authore Deo loquitur, quod ab illo in mandatis accepit. In conſpectu Dei loqui, eſt ſic loqui cum conſcientia ac religione Dei, ac ſi loquendum ſit in ipſo conſpectu Dei. Hæc uindicat doctrinæ ſuæ, non quærens inanem gloriam, ſed reſiſtens pſeudapoſtolorum calumnijs, & conſulens fidelibus præſertim infirmioribus.

Habent igitur hic miniſtri Chriſti certas legitimi miniſterij notas, numero quinque.

1 Prima eſt in eo quod dicit: loquimur. Excluduntur ergo muti ac perſonati epiſcopi nõ loquentes ſed dominantes.

2 Secundam exprimit cum dicit: in Chriſto. Excluditur omne genus doctrinæ, quod cauſam Chriſti non concernit.

3 Tertia in eo eſt quod dicit: tãquam ex ſynceritate. Græcè eſt ὡς ἐξ εἰλικρινείας. Exponunt autem εἰλικρινὲς, τὸ καθαρὸν καὶ ἀμιγὲς ἑτέρου, id eſt, purũ & nulla re alia mixtum. Ergo pure ac ſyncere prædicat Chriſtum, qui nihil aliud doctrinæ Chriſti immiſcet. Excluditur omnis mixtura, ſiue ſit ex traditionibus humanis, ſiue ex obſeruantijs legis, ſiue ex acumine humanæ ſapientiæ. Quis autem omnia mixturæ genera recenſuerit, quibus doctrinæ Chriſti puritas inde eſt ab apoſtolorum temporibus uiciata?

4 Quartam attingit dicens: ſed tanquam ex Deo. Ergo requiritur ut uerus Chriſti miniſter non humana ſed diuina authoritate ſuffultus loquatur in eccleſia Dei, quo tanquã ſermones & oracula Dei loquatur 1. Pet. 4.

5 Quintã exprimit dicẽs: in conſpectu Dei. Aliud eſt loqui in conſpectu ac reſpectu hominũ, & aliud loqui in conſpectu & reſpectu Dei ubique præſentis & omnia noſtra uidentis & audientis. In conſpectu hominum locum habet hypocriſis, fraus, & cauponatio, in conſpectu Dei nequaquã. Vbi hæ notæ deſunt, non eſt ut Chriſti miniſtrum agnoſcamus.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP.

VT pseudapostolorum nequiciam infringat, qui de lege Mosaica plurimũ insolescebant, & syn ceritatem Euangelij Christi impurabant, Apostolatum suum tanquam Noui testamenti ministerium supra ministerium legis extollit.

CAPVT III.



NCIPIMVS rursus nosipsos commendare? Num egemus, ut nõnulli, cõmendaticijs epistolis apud uos, aut à uobis cõmendaticijs? Epistola nostra uos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, dum declaratis quod estis epistola Christi subministrata à nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.

Apostolatum suum supra legis Mosaicæ ministerium euecturus deque efficacia ipsius ac præstantia commemoraturus, mox initio calumniæ pseudapostolorum occurrit, qui dubio procul dicturi erant: Ecce hominem gloriolulum & iactabundum, propriarumq; laudum ebuccinatorem. Incipit seipsum denuo commendare, quemadmodum in superiore epistola fecit. An non fatui sunt, qui seipsum commẽdanti credunt? Hoc illos dicturos præsciens. Incipimus rursus nosipsos cõmendare inquit. Quasi dicat, quẽadmodũ dicturi sunt uestri magistri, omnia nostra carpẽtes ac maliciose diuexantes. Hoc intelligens non simpliciter dicit: Non commendamus nosipsi. Neq; enim egemus commendatione apud uos, sed ut ueluti uerba pseudapostolorum exprimat: Incipimus inquit rursus nos ipsos commendare. Apostolatum suum tantopere nõ asseruisset, nisi improbissima pseudapostolorũ malicia coegisset. Non quærebat sibiipse nominis celebritatem in hoc mundo, id quod illi ipsi Magistri studiosissime factitabant, sed fructum Apostolatus sui, salutem uidelicet credentium, quam Satan per suos ministros subuertere moliebatur. Nec hoc agebat, ut scribẽdo sese Corinthijs commẽdaret, ac gratiam fauoremq; illorum ambiret, quibus integritatẽ suam & paternum affectum reipsa & euidentissimis argumentis comprobauerat.

NVM egemus, inquit, ut nõnulli, commendaticijs epistolis apud uos, aut à uobis cõmendaticijs?] In Græco legiẽ, ἢ μὴ χρῄζομεν, quod sonat, si nõ egemus, uel, nisi egemus, quæ lectio non cõuenit sensui Apostoli, nisi exponas hoc pacto. Incipimus ne rursus nosipsos commendare? Quasi dicat: Minime omnium. Nisi forsan egemus, ut nonnulli, commendaticijs ad uos epistolis. Verum quoniam omnes interrogandi modo legunt. An egemus, ut nonnulli, commendaticijs epistolis ad uos: apparet legendum esse in Græco: ἦ μὴ per ita, non ἢ μὴ per epsylon iota, ut uerti possit, aut num egemus, ut nonnulli commendaticijs epistolis ad uos, aut à uobis commendaticijs? Vtrouis modo legas nihil diuersi nascitur in sensu.

Tria commendationum genera attingit, quæ etiam procul à se reijcit. Primum est, quo se ipse Corinthijs commendare uidebatur. Hoc mox initio capitis refutat dicens: Incipimus ne rursus commendare nosipsos? Secundum, quo alios subordinare poterat, qui se Corinthijs commendarent. Tertium, quo ipsum Corinthij commendassent alijs. Vtraque hæc reijcit cum dicit: Num egemus commendaticijs epistolis apud uos? aut à uobis commendaticijs, hoc est, quibus me uos commendetis alijs?

Vide autem quomodo loquatur. Nõ dicit: Non quærimus commendaticias epistolas ad uos, aut à uobis ad alios, sed: Num egemus commendaticijs &c. Quasi dicat. Ad quid mihi opus est, ut uobis commender uel à meipso, uel ab alijs, uel à uobis ad alios? Nec dicit: Non egemus, sed, Num egemus? quod cum emphasi negationis dicitur. Quasi dicat. Iudicate uosipsi an hæc mea sit conditio, ut egeam literis commendaticijs, præsertim apud uos, quibus mea conuersatio omnium est notissima. Quis sane mentis dicet patrem egere commendaticijs literis ad suos filios?

In eo autem quod non simpliciter dicit: Nũ egemus commendaticijs epistolis apud uos, sed addit, ut nõnulli, perstringit eos ex pseudapostolis, qui ut aliquid existimationis sortirentur in ecclesia, uenerant Corinthum cum epistolis commendaticijs, quas ut uerosimile est à Hierosolymitanis nõnullis fratribus Mosaicæ legis æmulatoribus ad hoc acceperant, ut Paulo negocium facesserent. Quasi dicat. Non mihi, sed magistris illis uestris opus est literis commendaticijs, quorum uobis synceritas nec uitæ est nec doctrinæ perspecta.

Hoc autem dicens, non damnat usum commendationis qui perpetuo fuit in ecclesia & admodum utilis est si rite ac legitime seruetur. Initio conuersionis suæ opus erat & ipsi ut fratribus commendaretur, quod & factum est à Barnaba. Et ipse quàm plurimos sibi, quàm Ecclesijs notiores in literis suis commẽdauit, præsertim eos, quos habebat cooperarios, quales erant Timotheus et Titus. Verum qui eam erat apud omnes ecclesias nactus authoritatem, ut merito pro commendatis haberentur, quos ipse commendasset, utique non egebat ut uel ipse se commendaret per literas, uel commẽdaretur ab alijs. Omnino argumentum habent literæ commendaticiæ hominis ignoti, illis saltem, quibus commendatᷓ.

Et quoniam periculum est, ne qui per aliorum commendationem insinuatur ecclesijs, ubi admissus ac receptus fuerit talis non inueniatur qualis fuerat commendatus, usi sunt maiores nostri magna cura & cautione in cōmendatione fratrum. Hodie ut omnia aguntur leuiter ac temere ita in dandis literis commendaticijs quoque plus est leuitatis quàm conuenit illis, quorum est testes esse ueritatis certæ & cognitæ, ne quo pacto usu ipsis ueniat, ut confusi dicant: non putaram.

EPISTOLA nostra uos estis inquit.] Reddit rationem quare non egeat epistolis commendaticijs. Quia uos inquit, abunde mihi estis loco Epistolæ, qua commender. Quomodo erant autem Corinthij epistola Pauli? Neque quatenus erant homines, neque quatenus erant diuites, pauperes, sapientes &c. sed quatenus erant Christiani, per uerbum Euangelij in Christo regenerati, hactenus erant illius epistola commendaticia. Per ipsius enim Apostolatum tales erāt facti. Sic igitur uniuscuiusque episcopi opus in ecclesia Christi ipsius est Epistola, qua uel commendetur uel culpabilis declaretur. Ipsa uitæ conuersatio, ipsa Ecclesiæ uel ædificatio uel destructio certius de quolibet episcopo pronunciant, quàm ullæ literæ. Expresior scriptura est factorum quàm uerborum ac literarum.

INSCRIPTA, inquit, in cordibus nostris, &c.] Metaphorā epistolæ prosequitur & explicat. Declarandum enim erat qualibus esset chartis uel tabulis, quali atramento, & à quo inscripta, deinde à quo subministrata, & à quibus & quomodo legeretur & intelligeret. Hæc explicaturus dicit: Inscripta in cordibus nostris. Quod in Græco est, ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, id est in cordibus nostris, manifestū habet errorem, in una litera hypsilon admissum, dum pro illa posita est ita. Legendū enim est, ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Scio Chrysostomū quoq; cum alijs legere & exponere, in cordibus nostris, & alios referre ad eos qui cū Paulo erāt, alios uero tam ad Corinthios quàm ad Paulum. Verum res ipsa clarior est, quàm ut sit dubitandū, de quorum cordibus loquatur Apostolus, præsertim si sequentia consyderentur.

INSCRIPTA, inquit, in cordibus uestris.] Per epistolam intelligit Christianam fidem, mentem, ac pietatem. Hæc erat inscripta in ipsorum cordibus, ueluti tabulis, & commēdabat opus Pauli tāquam Apostoli ipsorum, per quem Christiani facti fuerāt. Quod in Græco est ἐγγεγραμμένη. id est, inscripta, nonnullis idem est, quod, quæ circumfertur, quasi sit περιφερομένη. Video multis nocere, quod non satis inhærent apostoli uerbis. Quis non uidet aliud esse inscribi literas, & aliud circumferri?

QVAE intelligit, inquit, & legitur ab omnibus hominibus.] Manet in forma metaphoræ. Epistolæ, nisi legatur & intelligatur, nullus est usus. Quare & hoc explicat. Prius autem est legi, deinde intelligi, quæ leguntur. Ordinem hunc non curat apostolica grauitas, cum notus sit omnibus. Quanquam sunt, qui legendum putant, quæ cognoscitur & agnoscitur. Illi tamen ipsi receptam lectionem retinent.

Quoniam genus epistolæ de quo scribit spirituale erat, ne quis nec legi nec intelligi posse dicat, asserit utrumque dicens, quæ & intelligitur & legitur. Rursus ne dicat quis, legitur quidē & intelligitur, sed à quibus? subiungit, ab omnibus hominibus. Non est igitur epistola hæc illegibilis, nec sic est perplexa ut non posit à quolibet intelligi, cum talis sit ut & legatur & intelligatur, hoc est, legi & intelligi posit, ab omnibus hominibus. Significat igitur loqui se non de imaginaria aliqua epistola quam nemo legere & intelligere posit, sed de tali, quam legant & intelligant omnes homines, eamque ob causam non habeat opus alia, qua commendetur cuiquam.

DVM declaratis quod estis epistola Christi, inquit, subministrata à nobis.] Exponit quomodo, ut epistola ipsius, legantur & intelligantur ab omnibus hominibus. Non dicit, dum estis epistola Christi, sed, dum declaratis quod estis epistola Christi. Hoc est, dum uos & fidei professione & uitæ conuersatione Christianos esse in omnium oculis declaratis. Hic non modo interna fides cordis, sed & uniuersa uitæ conuersatio, & manifesta religionis professio, Christiana prædicatur ab Apostolo, & epistola Christi uocatur, quæ legatur & intelligatur ab omnibus non fidelibus tantum, sed & quibusuis alijs hominibus. Sic est cōparata Christi epistola. Scripta est literis non imaginarijs & inuisibilibus, sed admodū expresis & spectabilibus, sic ut legi & intelligi posit ab omnibus. At hodie inuenias Christianos, qui satis esse censeāt, si Christiani sint in corde, sic ut scriptura ipsorum abscondita sit à lectione & intelligentia cæterorum hominum, soliq; Deo cognita. Verum Paulus aliter de epistola Christi scribit. Non dicit: quæ legitur & intelligitur à Deo, sed, ab omnibus hominibus, neque dicit, dum fidem habetis in Christum sed, dum declaratis quod estis epistola Christi. Declaranda est hæc epistola Christi, non abscondenda, lux enim est, non tenebræ.

SVBMINISTRATA à nobis inquit.] Verba hæc incommode diuidunt ad hūc modum: quod estis epistola Christi, subministrata, à nobis inscripta. Verum epistolam hanc Christi non simpliciter subministratam, sed à se subministratam dicit. Quare sic est legendum: dum declaratis quod estis epistola Christi, subministrata à nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis. Et Augustinus legit, per nos subministrata in libro de spiritu & litera. Dixit eos esse suam epistolam, & mox subiungit, dum declaratis quod estis epistola Christi. Si Christi erant epistola, quō suā esse

esse dixit? Hactenus uidelicet, quod ipse illã tã quã Christi Apost. p Euãgelij prędicationẽ sub ministrauerat. Erat hæc epistola Christi, tãquã ipsius Dñi, erat Pauli tãquã ministri & apostoli, q eã subministrauerat. Constat ergo hæc epistola uoluntate & authoritate Christi, & subministratione Apostoli & propter illam Christi, propter hanc Apostoli est epistola. Sic cauet Apostolus, ne nimium sibijpse tribuere uideať, ubi dicit: Epistola nostra uos estis, quare explicationem hanc subijcit, qua domino proprietatis ius assignat ecclesiæ, sibi uero subministrationem. Hodie dominium sibi uindicãt in ecclesias Christi, qui ne subministrationem quidem illarum uindicare sibi possunt.

INSCRIPTA, inquit, non atramento, sed spiritu Dei uiuentis.] Discriminat inter epistolas pseudapostolorum quibus commẽdari se Ecclesiis curabant & hanc suam, de Apostolatu suo testificantem. Epistolæ, inquit, Magistrorum uestrorum quibus se admodum cõmendari putant, scribuntur atramento, literis mortuis, & scriptura humana. Has nacti, magni sibijpsis uidẽtur esse apostoli. At hæc mea epistola, qua meus commendatur Apostolatus, scripta est non atramento, non literis mortuis, non scriptura humana, sed spiritu Dei uiuentis. Estis igitur mihi non mortua sed uiua epistola, literis constans spiritualibus adeoq; & uiuis, non humana sed diuina, spiritum nõ hominis sed Dei uiuentis scripta, cuius opera non sunt mortua sed uiua.

Loquitur autem de spiritu Christi, quẽ Corinthij acceperant credentes, quotquot erant ex electis. Horum respectu uocat eos in communi epistolam Christi, spiritu Dei uiuentis scriptam. Nolim tamen hic excludere charismata spiritus, quibus ea ecclesia, quemadmodum & aliæ, potita fuerat, de quibus in superiori epistola mentionem fecit cap. 14. Nam & per illa, tanquam per uiuas spiritus Christi literas, declarabatur, esse ecclesiam illam epistolam Christi, spiritu Dei uiuentis scriptam, & per Apostolatum Pauli subministratam.

NON in tabulis lapideis, inquit, sed in tabulis cordis carneis.] Incipit collimare ad discrimen Veteris ac Noui testamẽti, quo Apostolatum suum cõtra pseudapostolos supra Mosaicæ legis ministerium extollat. Lex Mosis, qua parte erat optima, inscripta fuerat tabulis lapideis. At Euangelium Christi inscribitur non tabulis lapideis, sed cordibus, quę tabulę sunt carneæ. Carneas uocat, ad differentiam lapidearum. Perstringit igitur pseudapostolos etiam hactenus, quatenus ministerium Mosaicę legis tanti faciebant, ut ministerio Euangelij Christi opponendum esse censerent. Quasi dicat, uestri magistri legis æmulatores uideri uolũt, & huius nomine inflantur. Sic cęci sunt ut non uideant uos uiuam esse epistolam, spiritu Dei uiuentis cordibus uestris multo efficacius inscriptam, quàm olim legem Mosis tabulis lapideis insculptam, atque ita impleri illud

A prophetæ. Quoniam hoc est fœdus quod feriam cum domo Israel: post dies istos, dicit Dominus, dabo legem meam in medio ipsorum, & super cor ipsorum inscribam eam, & ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

Hier. 31.

Sic per collationem lapidearum ac carnearum tabularum tam ingens docet esse discrimen inter suum Apostolatum & doctrinam pseudapostolorum, quàm diuinius & pręstantius est legem Dei inscribi cordibus hominũ quàm tabulis lapidum. Nec est ut dicat quisquam, multa uana cordibus hominum posse inscribi, ideoque non esse tanti momẽti quod illis inscribitur noua aliqua doctrina, quales multæ in hoc mundo cordibus humanis insinuantur. Non loquitur de eo tãtum, quod doctrinam suam cordibus Corinthiorum inscripserat, sed quod scriptura hæc constabat spiritu Dei uiuentis. Sane multum refert non modo quid, sed & quomodo cordibus nostris inscribatur. Si humanæ tantum persuasionis calamo etiam id quod uerum est inscribitur, delebilis est & euanida scriptura, id quod nostra quoque ætate quotidiana docet experientia. Si uero literatura spiritus Dei uiuentis cordibus nostris impressa fuerit, id demum firmã, efficacem, & uiuam reddit scripturam, quæ legi & intelligi possit ab omnibus, deleri uero à nemine.

Quod autem non simpliciter dicit: sed in tabulis cordis, sed addit, carneis, respicit ad ea

B quæ Ezech. 11. & 36 de Noui testamenti gratia prædicta leguntur ad hunc modum. Et dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri, & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio uestri, & faciã ut in præceptis meis ambuletis &c. Erant & sunt hodie quoque corda gẽtis huius non carnea sed lapidea, hoc est, dura & obstinata, cœlestis doctrinę haudquaquam capacia. Est igitur & hoc cum primis opus spiritus Dei ut tollat corda lapidea, & substituat carnea, gratiæ Noui testamenti capacia. His itaque uocibus sic prædicat noui testamenti prærogatiuam in Corinthijs declaratam, ut simul perstringat et inueteratam Iudaicæ gentis obstinationẽ ac duriciem, & Mosaicæ legis infirmitatem, quæ non potuerit ex lapideis cordibus corda facere carnea, sensum ad capiendam uitæ doctrinam habentia.

Fiduciam autẽ huiusmodi habemus per Christum erga Deum, nõ quod idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros Noui testamenti, non literæ sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus autem uiuificat.

Cœpit magnifice de Apostolatu suo loqui, dum per se Deum odorem noticiæ suæ manifesta-

festare in omni loco, seq; Deo bonam Christi fragrátiam, & Corinthios epistolam suam nõ atraméto, sed spiritu Dei uiuentis cordibus ipsorũ inscriptã esse dixit. Ideo quod suprà dixit. Et ad hæc quis idoneus? repetens amplificat, ne quid horum suis ipsius uiribus tribuere uideatur. Sic dicit: fiduciam autem huiusmodi habemus per Christum ad Deum, non qd idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam tanquam ex nobis, sed si ad aliquid idonei sumus id ex Deo est &c. Quasi dicat, Potero uideri confidentius loqui & plura mihi tribuere quam conueniat, uerum quæ loquimur bona cum fiducia loquimur, quam non ex nobis sed per Christum habemus ad Deum. Ingens nobis est & efficax fiducia erga Deum. Hanc autem gignit in nobis spiritus Christi, & certa experientia, qua Deum patrem causæ filij sui in omnibus efficaciter adesse experimur. Huiusmodi fiduciam Apostoli, tam fideliter erga Christum affecti, in opere illius tum diligenter & indesinenter pergentis, tam multa pro nomine illius patientis, tamque ardenter ad seruandum quosuis noctes ac dies anhelantis, quis dubitat in conspectu Dei maximi fuisse momenti propter Christum, sic ut imposibile fuerit, posse fieri irritam & inefficacem?

NON quod idonei simus, inquit, ex nobis ipsis cogitare quicquã, tanquã ex nobis ipsis.] Hisce uerbis diserte negat sibi facultatem esse de suo, non modo operandi aliquid eorũ quę memorauit, sed ne cogitandi quidem. Simul etiam reijcit à se fiduciam carnis, quæ & ipsa multa sibi ipsi de Deo pollicetur, ubi se instructam ad ea perficienda ac consequenda putat, quæ affectat. Ne de hac loqui uideatur, cum se fiduciam huiusmodi erga Deum habere dicit, non contentus eo quod dixit, per Christum, subijcit disertè omnimodam propriarum uirium abnegationem dicens: non quod idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam tanquam ex nobis ipsis: quasi dicat, fiduciam huiusmodi erga Deum nõ ex eo habemus quod existimemus nos instructos et idoneos esse ex nobis ipsis, ad cogitandum ea de quibus loquimur.

SED si aliquid, inquit, idonei sumus, id ex Deo est.] Hoc dicens, omnem facultaté qua idoneus erat ad faciendum ea de quibus scribit, Deo fert acceptam. Non dicit: sed quod ad tam magna & multa, sed, si ad aliquid idonei sumus. Quasi dicat, quantumuis minutum, id ex Deo est, non ex nobis. Quid suis ipsius uiribus relinquit, unde posit gloriari, qui disertè dicit: si aliquid possumus, non est ex nobis sed ex Deo? Nihil prorsus.

ID ex Deo est, inquit.] Dicet aliquis. Etiam uires nostræ quas naturaliter habemus, non sunt aliunde quàm ex Deo. Respondeo, uerũ est, at ut non loquitur de rebus humanis, naturalib. et usitatis sed de efficacia ministerij sui, ita ex Deo esse hoc loco, non idem esse intelligit, quod simpliciter esse ex Deo conditore & A gubernatore omniũ, quatenus ex illo omnes nostræ sunt naturæ uires, sed esse ex singulari illius dignatione, ac dispensatione, qua Regnũ suum dispẽsat in electis. Quare quod dicit: nõ quod idonei simus ex nobis ipsis cogitare qcquam, tanquam ex nobisipsis, &c. non est alio quàm ad præsentem causam de Apostolatus ipsius efficacia trahendum. Interea tamen nemo pius negat, in cæteris quoq; rebus quæcunque nobis est uel cogitandi uel operandi facultas, aliunde illam non esse quàm ex Deo.

Est hic locus unus ex illis qui opinionem liberi arbitrij refellunt. Etenim si Apostolus, in lege Domini à puero institutus, & diligentissima pharisaicæ sectæ disciplina ad honestam uitæ conuersationem enutritus usq; adeo alienus est à rebus spiritualibus ac diuinis, ut ne ad cogitandum quidem aliquid illarũ sit idoneus ex seipso, quomodo facultatem liberi arbitrij ad bonum quæ sit ex uiribus naturæ, cæteris hominib. dabimus? Quod enim Paulus de Apostolatu suo dixit, id nos haud incommode ad ueram pietatem, fidem, spem, dilectionem, timorem Dei, obedientiam, uitę sanctimoniam &c. accommodamus.

QVI & idoneos fecit nos ministros Noui testamenti: inquit.] Non negat igitur idoneum esse se ad ea quæ de ministerio suo prædicat, cum hic se dicat à Deo factum esse idoneum, sed hoc tantum negat, quod alij sibijpsis tribuere solét, ex seipso uidelicet esse idoneũ. B Admonemur hoc loco primum, quis sit qui faciat idoneos uerbi diuini ministros. Deus scilicet, qui uocat eos etiam & mittit. Qué ille nõ facit idoneum, in sempiternum non erit idoneus, quantumuis sit doctus & eloquens. Paulus erat doctus in lege, institutus ad pedes Gamalielis, & simul habebat insignem zelũ Dei, & tamen idoneus Noui testamenti minister haudquaquam esse potuisset, nisi singulari gratia ad id fuisset muneris à Deo factus idoneus. Iam si eruditio & eloquentia non reddunt idoneum ecclesiæ ministrum, quomodo reddet illiterata barbaries? Quare uon est ut dicant ignaui homines. Vana est eruditio. Idoneus est quem Deus facit idoneum. Valeant igitur literæ. Hic idem Apostolus & post uocationem suam literas non abiecit, & Timotheum suum ad iugem est sacrarum scripturarum lectionem hortatus. Non conuenit igitur ut cœlestis gratiæ necesitas ignauiæ & inscitiæ patrocinetur, quemadmodũ non cõuenit ut eruditio & scientia gratiæ Dei necesitati deroget.

Nec ociosum est illud, quod non simpliciter dicit: qui idoneos fecit nos suos ministros, sed, qui idoneos fecit nos Noui testamenti ministros. Quasi dicat, uestri Magistri urgent obseruantiam legis, quasi sint ueteris testamenti ministri: mihique uicio uertunt, quod diuersum doceo, at ego factus sum à Deo idoneus minister non Veteris sed Noui testamenti. Viderint ipsi quid sint, & quid à Deo facti uideri uelint

uelint. Et hoc dicens collimat ad collationem Veteris ac Noui testamenti, quo inter utriusque ministeria discriminando præstantiã Noui ostendat.

NON literæ, inquit, sed spiritus.] Cum dicit se ministrum esse factum Noui testamenti, nou literæ sed spiritus, non dat Nouo testamẽto literam & spiritum, sic ut per literam intelligat doctrinã literis expressam, per spiritũ, uero doctrinam uiua uoce et spiritu exprompta, quasi dicat, non ut literis agam atramento scriptis, sed ut prædicem Euangelium. Etenim si hoc diceret, & sic inter doctrinam scriptam & uiua uoce prædicatam discriminaret omnem eam doctrinæ suæ partem damnaret, quam literis utique atramento scriptis compræhensam ad ecclesias misit, cuius tamen utilitas nõ minor fuit, & est hodie quoque, quàm prædicationis uiua uoce expressæ, adeoque non minus ex spiritu sancto profecta quàm illa. Quare Eccius in locis suis ut authoritatem ecclesiæ Romanæ supra sacras scripturas extollat, frustra hunc Apostoli locum citat. Neq; enim sacram discriminat ille inter sacram scripturã & uiuam prædicationis uocem.

Nec probanda est eorum sententia, qui per literam sensum literalem, quem litera proprie intellecta legenti offert, & per spiritum sensum latentem & mysticum intelligendum esse iudicant. Licet enim sæpenumero occurrãt sacræ scripturæ loci in quibus non superficies literæ sed quod in illius est inuolucro reconditum amplectendum sit, non est tamen hac in re Veteris ac Noui testamenti discrimẽ, & apostolici ministerij à legali posita differentia. Nã & in Veteri testamento multa sic dicuntur, ut non possint aliter quàm secundum proprium literæ sensum accipi, & in Nouo non pauca habentur, in quibus si literam sequamur absurdũ sensum accipiamus oportet. In ipsius Seruatoris nostri uerbis multa sunt figurate & parabolice dicta, & Apostolica doctrina multis est metaphorarum ac similitudinum inuolucris referta. Rursus in ueteri multa figurate, & in Nono plurima proprijs & apertis loquutionibus proferuntur. Quare nec hunc possumus probare sensum.

Apostolus cum dicit se ministrum esse factum non literæ sed spiritus, nihil dicit aliud, quam factum esse se ministrum non legis Mosaicę, quamuis in illa sit natus et enutritus, sed gratiæ & efficaciæ spiritus, quam uocat spiritum, sicuti legem uocat literam, atque ita inter Vetus ac Nouum testamentum discernit, ut huic det spiritum, illi literam, & duabus hisce uocibus utriusque conditionem, id est illius imbecillitatem, & huius uirtutem & efficaciam exprimat. Loquitur autem non de ea litera legis quæ figuras continet & umbras, sed de ea, qua decalogus manifesta continens pręcepta tabulis est lapideis inscriptus: sicuti patet in sequentibus. Et Nouo testamento Euangelio uidelicet regni Dei, dat spiritum, non ut

A literarum illi & humanæ uocis usum adimat, sed ut uirtutem & efficaciam gratiæ illius pręstantioremq; dispensationem exprimat.

Sunt qui legem ideo literam uocari sentiãt, quod per literas sit data, Euangelium uero ac Noui testamenti dispensationem spiritum, ꝓpterea quod per infusionem spiritus sancti datum sit illius ministerium Apostolis. Verũ si ob hanc causam legem uocat literam, Nouũ testamentum spiritum, consequitur & ea quę per apostolos habemus scripta esse scripturã legalem, & ministerium iudicandi in Israële fuisse spiritum, propterea quod luculento testimonio spiritus delectis illis 70. Viris datum fuisse legitur. Numeri undecimo. Quin & ministerium prophetandi in Veteri testamento hac ipsa ratione spiritus uocari posset, quatũuis prophetæ legi Veteris testamenti accenseantur. Quis enim negat prophetas spiritu Dei fuisse ad prophetandũ inauguratos ac missos?

Rectius ergo dicemus legem ob id uocari literam, & Noui testamenti ministerium spiritum, quod lex nihil aliud confert, quàm literalem intelligentiam faciendorum ac uitandorũ. hoc est, ad nihil fuerit aliud dispẽsata Israëli quam ut litera esset docens quid faciendum esset uel uitandum atque ita conscientias de peccato conuinceret ac damnaret. Noui uero testamenti ministerium spiritum impertit credentibus, gratiam uidelicet & uirtutem Dei corda innouantem ac conscientias iustifican-

B ficantem. Et hunc sensum Chrysostomus quoque potuit, cum dicit: τί οὖν ἐκεῖνος οὐκ ἦν πνευματικὸς ὁ νόμος; πῶς οὖν φησιν οἴδαμεν ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστι; πνευματικὸς μὲν, ἀλλ' οὐ πνεῦμα παρεῖχεν. οὐ γὰρ πνεῦμα ἐκόμισε μωυσῆς ἀλλὰ γράμματα. ἡμεῖς δὲ ἐπιστεύθημεν πνεῦμα διδόναι. Hæc ille. Et ipsa Apostolorum acta satis docent, quomodo ministerium illorum spiritussancti gratiam contulerit in Christum credentibus.

NAM litera occidit, inquit, spiritus autem uiuificat.] Quoniã non dicit: τὸ δὲ γράμμα. id est Litera autẽ, sed, τὸ γὰρ γράμμα. id est, Litera enim occidit, existimo particulam hanc esse loco αἰτιολογίας adiectam, ut rationem reddat quare factus sit à Deo idoneus Noui testamenti non Veteris, spiritus, non literæ minister uel, quod magis placet, quare uoluerit Deus Noui testamenti ministerium, nõ literæ esse sed spiritus. Propterea uidelicet, quod transierat tempus mortificationis, aduenerat uero uiuificationis, quapropter cessare oportebat ministerium literæ, quod illa non nisi occidat, & inchoari ministerium spiritus, qui solus uiuificat. Quasi dicat. Quoniam uoluit me Deus esse ministrum non Veteris sed Noui testamenti, simul me idoneum ministrum fecit non literæ sed spiritus. Litera nanque ad Vetus testamenti pertinens occidit, Spiritus uero qui per Noui testamenti ministerium confertur, uiuificat.

NAM litera occidit inquit.] Opposita sunt dicet quisquam occidere & uiuificare. Si litera occidit, spiritus uero uiuificat, ergo opposita sunt

ſunt inuicem: Puto neminem hoc dicturum. Lex enim, quam hic per literam intelligit, ſancta eſt, & ſpiritualis, nihil minus quàm oppoſita ſpiritui. Quomodo igitur dicit literam occidere? Litera occidens eſt litera continẽs ſententiam condemnationis, qualia ſolent contra noxios eſſe reſcripta principum, & qualis erat litera epiſtolæ Dauidis, quam Vriȩ in caſtra ad Ducem exercitus perferendam dederat. Talis litera non eſt lex tabulis lapideis inſcripta, quæ præcepta admodum pia ſancta et neceſſaria non ad mortem ſed ad uitam data continet. Quare admodum inconueniẽs eſſe uidetur ipſius & naturæ & ſcopo, quod Apoſtolus eam occidere dicit. Si diceret litera non uiuificat, uiuificat uero ſpiritus, daret infirmitatem & inefficaciam literæ, non occiſionem, et nulla eſſet quæſtio.

Reſpondeo. Duplex eſt operatio legalis literæ. Vna propria, impropria & per accidẽs altera. Propria eſt præcipere bonum & prohibere malum, ac reddere intelligentem faciendorum & uitandorum. Eſt enim lux quædam, illuminans paruulos. Vnde & Apoſtolus dicit: Neſciebam cõcupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Et Dauid: Lucerna, inquit, pedibus meis uerbum tuum. Dũ hoc facit litera legis, operatur quod conueniens eſt & proprium ſuæ naturȩ perinde atque lux dũ illuminat oculos, & diſiectis tenebris uiſibilia reddit, quæ antea fuerant caligine obducta. Et hactenus Apoſtolus legem ſanctam & bonam ad uitam datam eſſe dicit Rom. 7.

Impropria eſt & per accidens, dum auget uires peccati redditque tranſgreſſores & per cõſequens maledictos ac reos mortis, atque ita occidit. Vires peccati auget, dum concupiſcentiam carnis noſtræ prohibendo magis ac magis incendit. Et hoc facit nõ ſuo ſed carnis noſtræ uicio, quæ ſic eſt corrupta ut nitatur in uetitũ, & quo magis prohibeas hoc ardẽtius cõcupiſcat, quemadmodum accidit medicis, qui dum ægrotis potum aquæ negant, magis eos ad appetitum illius accendunt. Reddit tranſgreſſores, maledictos, ac reos mortis, & ſic occidit, non de ſuo, ſed per accidens noſtræ inobedientiȩ ac maliciæ. Niſi enim lex eſſet non eſſet transgreſsio. Sine tranſgreſsione non eſſet reatus mortis. Et tamen tranſgreſsionem non gignit lex ſed inobediens deprauati cordis noſtri malicia. Sic proprie quidem loquendo litera non occidit, occidit uero per occaſionem aliunde allatam. Verum de tota hac materia copioſa eſt ipſius Apoſtoli explicatio in ea quæ ad Romanos eſt cap. ſeptimo, ubi de illa nonnulla annotauimus.

LITERA occidit inquit.] Non immerito quæſierit quiſquam quos nam occidat litera legis, an in uniuerſum omnes, uel aliquos tã tum. Bonos quidem & morigeros non occidit, ſed qui ſunt illi? Manet ergo quæſtio de malis, an illos occidat omnes. Si hos omnes, ergo uniuerſum genus humanũ occidit, quia

A non eſt qui ſit bonus & faciat bonũ, ne unus quidem, teſte Dauide, & Apoſtolo Rom. 3

Reſpondendũ eſt: occidere literã eos quib. eſt à Deo prȩſcripta. Si præſcripta ẽ omnib. totius orbis nationibus, occidit omnes, quia omnium conſcientias conſtringit. Si uero Iudæis tantum eſt data & illis qui ex Gẽtibus legi ſeſe cum Iudæis ſubijciunt, ſicut Apoſtolus legẽ illis loqui dicit, qui ſunt ſub lege, ergo Iudæos tantum occidit, quorum etiam tantum conſcientias conſtringere poteſt. Conditio legis hȩc eſt, ut obnoxios ad obediendum ſibi faciat eos tantum, quibus eſt lata & præſcripta. Eſt quidem Deus non Iudæorum tantum ſed & Gentium Deus, ut iure ſuo poſsit legem figere omnibus totius orbis nationibus. Verum quemadmodum Iſraëlis populum ex alijs ſibi nationibus elegit, in quo nomen ſuum declararet, & unde nobis Seruatorem Chriſtũ mitteret, ita illi etiã ſingulari conſilio legem prȩſcripſit, qua conſcientiȩ ipſorum conſtringerentur & in obedientia retinerentur. Quod igitur illius litera per occaſionem humanæ maliciæ occidit, non eſt referendum ad eos, quibus illa non eſt lata ſed ad populum illum legalem tantũ, et illius proſelytos. Alioqui quorſum clamaret Apoſtolus dicens Gal. 5. Conteſtor omnem hominem qui circunciditur, q̃d debitor eſt totius legis ſeruandæ? An hoc dicens, non liberat incircumciſos ab obſeruãtia legis illiq; circũciſos tãtũ ſubijcit? Si incircum B ciſi aũt non ſunt debitores legis, ergo non cõſtringit eos litera legis, adeoque nec occidit.

Dices. Ergo Gentes non ſunt morti obnoxiæ, quia per literam legis non occidũtur, atq; ita melior eſt earum conditio quàm Iudȩorũ? Reſpondeo. Per peccatum mors intrauit inuoluens omnes homines. Rom. 5. Et capite ſecũdo. Quicunque ſine lege peccant, ſine lege & pereunt, & quicunque in lege peccant per legem iudicãtur. Et Gentes etſi ſcriptam legem non habent, habent tamen legem naturæ per quam conſcientiæ illarum accuſantur & damnantur. Quare etſi non occidit eas litera tabulis lapideis inſculpta, occidit tamen lex naturȩ cordibus ipſarum inſcripta.

Adhuc cur talem legem, inquies, dedit populo ſuo Deus cum ſciret eam non uiuificaturam ſed occiſuram? Reſpondeo. Non debemus conſilia Dei in ius uocare. Magnam contulit ei genti prærogatiuam, in eo præcipue, quod manifeſtauit ei ſua iudicia. Non fecit taliter omni nationi, inquit propheta. Quod ſi beneficium hoc per accidens occidit, non debemus propterea culpare Deũ. Legem dedit bonam, iuſtam, & ſanctam, cuius inſignẽ utilitatem agnouerũt pij, ſicuti uidere eſt pſalmo. 19. Vbi illius litera occidit, facit hoc peruerſitate cordis humani non ſua natura. Ipſa bonitas ἡ μακροθυμία Dei peruerſis ad hoc facit, ut theſaurizent ſibijpſi iram in diem iudicij Rom. 2. Nunquid rogabimus quare Deus ſit bonus et μακρόθυμος? Quanquam & illud non ſine conſilio

lio Dei ad bonum dirigitur, quod litera occidit, dum abundantia peccati ex lege, ad abundantiam gratiæ facit in Christo. Rom. 5.

SPIRITVS uero uiuificat, inquit.] Vt occidere est uitã auferre, ita uiuificare est à morte liberare. Spiritus ergo uiuificat, dum nos à morte & peccato liberat. Liberat autem non eos tantum quos litera legis occidit, sed & reliquos omnes, qui participes illius efficiũtur. Efficiũtur uero participes illius quotquot uere in Christum credunt, iuxta illud Christi Iohannis 7. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, quod, interprete Euangelista, dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. Hunc enim uiuificãtem suum spiritum promisit olim Deus per prophetas suos Noui testamenti temporibus, quem & luculenter præstitit per ministerium apostolorum, quo respicit Apostolus, dum se idoneum factum esse dicit Noui testamenti ministrum, non literæ sed spiritus, eo quod litera occidat, spiritus uero uiuificet.

Quid est autem quod non dicit, non legis sed Euangelij, lex enim occidit, Euangelium uero uiuificat, sed, non literæ sed spiritus. Litera enim occidit, spiritus uero uiuificat? Non omnis lex occidit. Est enim lex etiam spiritus uitæ, quæ per Christum Iesum liberat à iure peccati & mortis Rom. 7. quæ sane non occidit sed uiuificat. Ea uero lex quæ non spiritu in corda hominum sed litera tabulis lapideis inscribitur, quatenus non habet nisi literam, hactenus occidit. Deest enim spiritus uiuificans, & interim constringit conscientias damnans inobedientes, & incendens prauam concupiscentiam. Deinde non mox uiuificat Euãgelium omnes eos à quibus auditur, quia nõ omnes illi credunt. Qui sonum & literã illius accipit, non uiuificatur nisi credat & spiritum accipiat, imò occiditur magis quàm uiuificatur. Nam super incredulos Euangelij auditores manet ira Dei, ut uitam habere nequeant. Iohan. 3. Cum igitur ministerij sui efficaciam exprimere uellet, non dixit, non legis sed Euãgelij, lex enim occidit, Euangelium uero uiuificat, sed, non literæ sed spiritus, litera enim occidit, spiritus uero uiuificat. In litera sine spiritu infirmitas est imò mors est. Tolle spiritum, mortua erunt omnia. In spiritu uis est uiuificãdi. Tolle spiritum, quid erit totum Nouum testamẽtum aliud quàm litera & sonitus uocis, adeoque & mors, non minus, quàm litera legis? Tolle spiritum, ipsa caro Christi, etiamsi corporaliter esset præsens in cœna, & corporaliter ederetur, quemadmodum fratres nõnulli contendunt, nihil prodesset tamen Christo ipso testificante ac dicente: Spiritus est qui uiuificat, caro nõ prodest quicquam, de quibus uerbis in Commentarijs nostris super Iohannem pleraq; diximus.

Porro, cum extra spiritum hunc uiuificantẽ mors sint omnia ea quæ data sunt ad uitam, A uehementer stupendum est, quare tantæ sint inter doctos homines rixæ & contentiones de dogmatibus & opinionibus ad ueram uitam non faciẽtibus, & non magis omnis huc cura & solicitudo impendatur, ut ministeriũ Noui testamenti etiamnum non sit litera sed spiritus, Spiritus uiuificat. Quod uiuificatum est spiritu, uitam habet pro qualitate & operatione spiritus, unde est uiuificatum. Huius uitæ indicia Gal. 5. recẽsentur. Vtpote, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, &c. quę ibi fructus spiritus uocantur, de quibus nulla nunc est cogitatio, & interim sumus insignes Noui testamenti ministri. Multi sic certant de uerbis Christi, quæ spiritus sunt & uita, ut declarẽt se ne micam quidem habere spiritus Christi. Et cum tales sint indubitatò, indubitatam sibi ueram illorum sententiam uindicant. Vtinam horum hominum morositas corrigi possit in ecclesia.

Quod si administratio mortis in literis, deformata in saxis, fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam uultus eius, quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis gloria, multomagis excellit administratio iusticiæ in gloria. B Quandoquidẽ ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam. Etenim si quod aboletur fuit in gloria, multo magis id quod manet, est in gloria.

Pseudapostoli, licet Christum in speciem profiterentur, gloriã legis tamen magis quàm Euangelici ministerij iactabant, immo per illam Apostolatum Pauli singulari studio sugillabant, quod ille legi uideretur iniquior, quã tamen magna cum gloria latam esse cõstaret. Horum maliciæ occurrens Paulus non negat gloriam administratæ legis, sed ab illa tanquã minore argumentatur necessario maiorẽ esse gloriam administrati Euangelij, cum tãta fuerit administratę legis. Vt autem euidenter qđ uult euincat, non dicit simpliciter: Si administratio legis fuit in gloria, cur non potius administratio Euangelij erit in gloria, sed conferens utriusque administrationis effectus, in quibus potissimum relucet utrius maior sit præstantia, argumentatur ad hunc modum: Quod si administratio mortis in literis deformata in saxis, fuit in gloria, &c. cur nõ potius administratio spiritus erit in gloria?

Item, si administratio cõdemnationis gloriosa fuit, multo magis administratio iusticiæ excellit in gloria.

Ad hæc, si quod aboletur fuit in gloria, mul-

to magis id quod manet est in gloria. Vis argumenti huius est à præstantia dignitatis ad excellentiam gloriæ. Cuius enim maior est dignitas, illi etiam maior competit gloria. Maiorem autem dignitatem maior euincit operationum præstantia. Quàm autem præstantius sit administrare uitam & iusticiam, quàm administrare condemnationem & mortem, nemo est cui non pateat. Cum ergo ministerium literæ ministerium sit mortis & condemnationis, Euangelij uero administratio sit spiritus & uitę, & absque controuersia maior sit dignitas eius quod spiritum iusticiam & uitam, q̃ quod mortem & cōdemnationem ministrat, cōsequitur omnino maiorem competere gloriam administrationi Euangelij, quàm administrationi legalis literæ. Cui accidit & illud, quod administratio literę iam tamē abolebatur, administratio uero spiritus permanet usq; ad finem. Quare quanto præstantius est id qd' permanet eo quod aboletur, tanto præstātior est Euangelij quàm legis gloria. Hæc est præsentis argumenti summa, quo Apostolus gloriationem pseudapostolorum de gloria legis sic inuertit, ut ex ea ipsa gloriā Euangelij præstantiorē esse conuincat, quàm sit gloria legis.

Quod si administratio mortis in literis deformata in saxis. Vtitur periphrasi legis, sumpta ex ipso modo quo fuit lata dum eam deformatam literis saxo insculptis fuisse dicit: Quod uerterunt, deformata in saxis, in Græco est, ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, id est, insculpta & impressa saxis. Modus hic latæ legis refertur ad decalogum & tabulas fœderis, potissimā Mosaicæ legis partem, ne qua sit de reliquis illius literis quæstio.

De tabulis autē hisce lapideis legitur Exo. 24. ad hūc modum. Dixit autem dominus ad Moysen: Ascēde ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas & legem ac mādata, quæ scripsi, ut doceas filios Israël. Et cap. 31. Deditq; dominus Moysi completis huiusmodi sermonibus, in monte Synai duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei. Et cap. 32. Cumque appropinquasset ad castra uidit uitulum & choros, iratusque ualde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicē montis. Et cap. 34. Præcide tibi ait duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas uerba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti, &c. Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant, & de nocte consurgens ascendit in montem Synai, sicut præceperat ei dominus, portans secum tabulas. Et ibidē. Dixitq; dominus ad Moysen. Scribe tibi uerba hæc quibus tecum & filijs Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum domino Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes, panem non comedit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis decem uerba fœderis. Cumque descenderet de monte Synai tenebat duas tabulas lapideas testimonij, & ignorabat, qd' cornea esset facies sua ex consortio sermonis domini. Videntes autem Aaron & filij Israël corneam Moysi faciem timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo, reuersi sunt tam Aaron q̃ principes synagogæ, & postquā loquutus est ad eos, uenerūt ad eum etiā omnes filij Israël. Quibus præcepit cuncta, quæ audierat à domino in monte Synai. Impletisque sermonibus posuit uelamen super faciem suam. Qui ingressus ad dominum, & loquens cum eo auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israël omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui uidebant faciem egredientis Moysi esse corneam, sed operiebat ille rursus faciem suā, quando loquebatur ad eos. Hæc de tabulis lapideis, & gloria faciei Mosis ex scripturis huc retuli, propterea quod Apostolus ex illis hoc loco argumentatur.

Vide autem quomodo non dicat simpliciter: quod si administratio literæ saxis impressæ, sed, quod si administratio mortis in literis, impressa saxis. Colligit ex eo quod legem uocauit literam occidentem. Si litera occidēs est lex, ergo administratio legis est administratio mortis literis impressa saxis. Dubio procul dura erant ista omnibus illis qui zelo legis Mosaicæ tenebantur, ne lucem ueritatis agnoscerent. Verum duro nodo debebatur durus cuneus. Non erat grauius obstaculum Euangelio Dei, quàm prætextus legis, cuius tamen Iudæi infirmitatem ac dispensationis rationē non intelligebant. Quare ipsa necessitate coactus ad hunc modum de illa loquitur Apostolus, quo gloriam Euangelij Dei contra præposteros legis æmulatores tueatur.

Non est autem ociosum quod dicit: ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, id est, insculpta & impressa lapidibus. Iam tum figurabatur legē parari cordib' lapideis, foreq; difficilem illius administrationem, perinde atque difficile est literas insculpere saxo. Nisi hoc innuisset, poterat dicere, ἐγγεγραμμένη πλαξί, id est, inscripta tabulis.

FVIT in gloria, inquit, adeo ut nō possent oculos intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam uultus eius.] Hoc est. Sic fuit illustris & splendida, ut non possent oculi filiorum Israël ferre splendorem uultus Moysi. Posuit enim uocem, gloriam, pro splēdore. Non est autem præter rationē à Deo factum, quod faciem Mosis uoluit ad hūc modum fieri splēdidam, quo diuini alloquij testimonium in facie sua omnium spectātium oculis ingereret, admonerenturque omnes quantæ prærogatiuæ sit propius accedere ad Deum, & ab illo accipere mandata populo ipsius proponēda, cum ne interpretis eiusmodi quidem faciem sine uelamine contueri possent.

QVAE aboletur, inquit.] Series lectionis requirit ut referatur hæc particula ad gloriam uultus Mosaici. Poterat igitur dicere καταργουμένην, id est, quæ abolita est ac cessauit. Verū quoniam ea gloria licet iam olim mortuus sit Moses tandiu durabit, quandiu durabat administratio legis, maluit loqui in præsenti καταργουμένην,

μένων, id est, quæ aboletur ac cessat propterea quod ad initium Noui testaméti lex illa adeoque & gloria Moysi administratoris illius iam aboleri cœpisset. Sic igitur agnoscit quidem magnam fuisse gloriam administratæ legalis literæ, uerum admodum imminuit illam, dũ eam aboleri dicit: Locus hic esset dicendi de abrogatione legis Mosaicæ, uerum de ea in locis nostris uidebitur.

CVR non potius administratio spiritus, inquit, erit in gloria?] Magna, aiebát, est gloria legis. Non negat hoc Apostolus, sed infert: cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Non dicit: cur nõ etiam, sed cur nõ potius. Nec dicit, administratio Euangelij, sed, administratio spiritus, intellige, uiuificantis, ut opponat eam administratiõi mortis. Iuxta rationem oppositorum dicendum erat, cur non potius administratio uitæ erit in gloria? Verum maluit ponere spiritum uiuificatorem, quàm ipsam uitam, propterea quod effusio illius in credentes tum temporis esset manifesta & miraculo plena, testimonium diuinæ uirtutis & gratiæ omnium oculis ingerens idque multo illustrius quàm cornea Moysi facies, neminẽ illuminans, sed magis imbecilles spectãtium oculos reuerberans.

Quid est autem quod non dicit in præsenti: Cur non potius administratio spiritus sit in gloria, sed in futuro, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? An non iam tum cum hęc scriberet & fuerat & erat in gloria? Vtique. Verum loquitur de gloriæ huius perennitate, qua duratura erat donec durat ipsum Euangelium, multo iustius quàm gloria uultus Moysi durabat q̃diu durabat ipsa lex.

NAM si administratio condemnationis gloria, inquit, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria.] Nectit affinia & cognata. Etenim si litera legis mortis est administratio, consequitur illam condemnationis quoq; esse administrationem. Nisi enim condemnaret inobedientes, non occideret. Nam sic sunt coram Deo iusto iudice affines & cognatæ mors & condemnatio, ut una posita, cohęreat & altera. Consimili modo cohęrent in Euangelio spiritus & iusticia. Dicit itaque: Nam si administratio cõdemnationis, id est, legis peccatores condemnantis, gloria, hoc est, gloriosa, uel in gloria est, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria. Hoc est, multo conuenit excellentiorem esse gloriam administrationis Noui testam. quæ iusticiã administrat.

Potest autem illud, administratio iusticiæ, bifariam accipi, uel de administratione iustificationis, quæ est per fidem in Christum, uel de iusticia uitę eorũ qui spiritum Dei aceperunt, & iam non secundum carnem sed secundum spiritum uiuunt. In Græco est uox δικαιοσύνη, quæ poterat iustificationis sensu uerti, quemadmodum in ea quę ad Romanos est uertitur capite quarto, octauo & decimo. Et ratio oppositionis uidet hoc requirere, ut legatur, administratio iustificationis. Cõdenationi quippe rectius opponitur iustificatio, quę est liberatio & absolutio à reatu & condemnatione, quàm iusticia uitæ, cuius oppositum est iniusticia magis quàm condemnatio.

Quod si placet legere, administratio iusticiæ, & intelligere non de imputata sed ea quæ uitæ nostræ sit iusticia, cogitãdum est, nõ conuenisse Apostolo ut iuxta seriem oppositorũ diceret: Nam si administratio iniusticię in gloria est, multo magis excellit administratio iusticiæ in gloria. Sic enim tribuisset legi administrationẽ iniusticiæ, quæ cum natura illius pugnat. Condemnationem quidem & mortẽ transgressorum, iniusticiam uero transgrediẽtium & peccantium non administrat.

Verum utrolibet modo legamus, siue, administratio iustificationis, siue, administratio iusticiæ, & uera sunt utraq; attributa & cõuenientia Euangelio Christi, & firmum est argumentum Apostoli. Quemadmodũ enim gloriosius est liberare reos à condemnatione & morte, interuentu regalis clementiæ, q̃ condẽnare eos sententia iudiciaria, & occidere gladio lictoris, ita omnino gloriosior est administratio iustificationis, & iusticiæ, quàm administratio condemnationis.

Vide autem q̃ caute ac circumspecte nõ dicat: Si Moses administrator mortis & condẽnationis in tanta fuit gloria, ut in faciem eius non possent intendere filij Israël, quanto magis Apostolus Christi administrator spiritus & iusticiæ erit in gloria. Sic enim dicẽdo uisus fuisset suãipsius magis q̃ Noui testamenti spectare gloriam, seq; supra Moysen euehere uelle, atq; ita calumnias pseudapostolorum confirmasset magis q̃ reprobasset. Quare consulto collationem hanc sic adfert in medium, ut manifestum faciat, non suam se sed Noui tastamẽti adeoq; & ipsius Christi gloriam cõtra illius obscuratores pseudapostolos ac legis doctores tueri. Ideo inculcat administrationẽ Noui testamenti spiritus & iusticiæ, præstantiorem esse ac maiore gloria dignam, q̃ sit administratio literæ occidentis & condemnantis, quantũuis illa tantopere iactetur à pseudapostolis.

QVANDOQVIDEM ne glorificatũ quidẽ fuit, inquit, quod glorificatũ est in hac parte, propter eminentem gloriã.] Sensus est. Vsq; adeo excellit administratio spiritus & iusticię administrationem mortis & cõdemnationis, ut gloria illa quæ contigit Moysi, si cõferatur ad eam quæ Noui est testaméti, non sit gloria, sed prorsus euanescat, propter excellentẽ Noui testamenti gloriã. Sic quod dicit: quod glorificatum est in hac parte, intelligẽdum est de parte Veteris testamenti, & de gloria quæ cõtigit faciei Mosis. Non negat simpliciter glorificatam illam fuisse, sed respectu supereminẽtis gloriæ Noui testamenti: Quod perinde est, ac si quis splendorem Lunæ splendorẽ esse neget non simpliciter & seorsim consyderatum, sed collatum splendori Solis, propter immensam il-

sam illius excellentiam. Et reuera, quid aliud erat litera legis in Vet. test. q̃ quod est splendor Lunæ in nocte? si ad gloriam Noui testamenti cõferatur, in quo Sol iusticiæ Christus non unum tantum unius gẽtis angulum utcunq;, sed totum terrarum orbem excellentissimo splendore illuminat?

Et hæc ipsa excellens Noui testamenti gloria, per quam obscurata est gloria Veteris, consimili modo obscurabitur infinita illa futuræ uitæ gloria, in qua non modo apostoli gloriosi erunt, sed & omnes fideles instar Solis splendescent, non amplius spiritus & iusticia nedũ litera administrabũtur, sed Deus ipse facie ad faciem exhibitus omnia erit in omnibus. Sic crescit & paulatim assurgit in immensum gloria diuinæ dispensationis, qua salutem humani generis certis ac distinctis gradibus ante legem, in lege, post legẽ, & postremo in futuro sæculo dispensat. Quo magis ad præfixum terminum appropinquamus, hoc magis diuinæ erga nos dignationis gloria relucet, donec tandem ad plenitudinem illius pertingamus.

ETENIM si quod aboletur, inquit, fuit in gloria, multo magis id quod manet, est in gloria.] Græcè est simpliciter ἐν δόξῃ, ut æque, erit in gloria atq;, est, in gloria uerti queat. Quãuis nihil esset legis æmulatoribus intolerabilius, quàm quod de abolitione legis ac Veteris testamenti prædicabatur ab Apostolo, re ipsa tamen sic agebatur diuinitus, & requirebat hoc propaganda Christi ueritas, ac dispensanda salutis nostræ doctrina, ut necessario adigeretur ad inculcandum ac prædicandum aduenisse Veteris testamẽti finem Christum Seruatorẽ, & per Euangelij gratiam aboleri legis obseruantiã. Quare consulto non dicit: si quod abolendum est, sed, si quod aboletur, nec dicit, q̃d est, sed, quod fuit in gloria. Iam tum enim reipsa abolebatur administratio Mosaicæ legis per Euangelium regni Dei, & gloria illius fuerat, non erat amplius. Administratio uero spiritus & iusticiæ manet. Quare recte colligit, maiorem huius quàm illius esse gloriam.

MVLTO magis, inquit, id quod manet, est in gloria.] Poterit hic quæri, quomodo tribuat administrationi spiritus & iusticiæ perseuerantiã manendi, cum omnino sit in fine mũdi cessatura. Ipse quidem spiritus & uera iusticia manent in sempiternum, uerum administratio utriusq;, cui seruierũt per Euangelium Apostoli, & hodie quoq; seruiũt ministri Christi, non manebit, sed per plenitudinem illam diuinæ uisionis, ueræq; iusticiæ ac felicitatis, qua in futuro sæculo fruemur, prorsus cessabit, non minus quàm ipsa legis administratio per gratiã est Noui testamenti abrogata. Quid igitur est, quod hic illã manere & ob id maiorẽ eius gloriã q̃ administratæ legis esse dicit?

Respondeo. Dicit eam manere, non quod in futuro quoq; sit sæculo duratura, quo sensu in præcedenti epistola charitatem manere dixit, sed quod non sit eam subsequutura Noui cuiusdam alterius testamenti administratio, sicuti ipsa Veteri testamento successit, sed duratura sit ad finem usq; mundi. Quod si simpliciter referas hæc uerba ad Vetus & Nouum testamentum, sic ut Vetus aboleri, Nouum uero manere dicat, nulla erit quæstio. Licet enim administratio Noui testamenti, qualis est instituta à domino, & per apostolos dispensata, ultra mundi huius finem mansura non sit, ipsum tamen testamentũ Nouum æternũ est Ebr. 13. ideoq; in sempiternum mansurum, quod de Veteri dici non potest.

Itaq; cum habeamus huiusmodi spẽ multa libertate utimur, & non quemadmodum Moses ponebat uelamen in facie sua, ne intenderent filij Israel in finẽ eius q̃d abolebatur. Sed occæcati sunt sensus illorũ. Nam usq; ad diem hodiernum idem uelamen in lectione Veteris testamẽti manet, nec tollitur uelũ, quod per Christum aboletur. Sed ad hũc usq; diem cum legitur Moses uelamẽ cordibus illorum impositum est. At ubi cõuersi fuerint ad dominum tolletur uelamẽ. Domin[9] enim spiritus est. Porro ubi spiritus domini, ibi libertas. Nos autẽ omnes retecta facie gloriam domini in speculo repræsentantes ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriã, tanquam à domini spiritu.

Hactenus absoluit argumẽtationem suam de excellentia Noui testamenti, qua legis Mosaicæ gloria longe superatur, & administratio spiritus & iusticiæ supra administrationẽ literæ, mortis & condemnationis euidenti collatione extollitur. Iam cõsequenter ex eo quod dixit: Si quod aboletur fuit in gloria, multo magis id quod manet est in gloria, occasionẽ sumit transeundi ad perstringendam Iudęorum occæcationem, & prædicandum Noui testamenti lucem. Transit autem hoc pacto. Itaq; cum habeamus eiusmodi spem, multa libertate utimur. Loquitur de spe permanentis Noui testamẽti. Quasi dicat: Itaq; cum speremus Nouum hoc testamẽtum non ut uetus succedẽte alio aliquo nouo cessaturum sed permansurũ, & hactenus quoq; maiore dignum esse gloria q̃ Vetus, non agimus in administratione illius timide ac solicite, sed cum magna libertate & fiducia, quicquid de Apostolatu nostro nugẽtur uestri magistri ac legis doctores. Sic tecte respondet illis qui dicebant: præsentia illius leuis, epistolę graues, redditq; rationem quare tanta cum libertate doctoribus legis resistat. Chrysost. exponit ad hũc modum. Quoniam igitur maioribus diuina dignatione potimur q̃ Moses, multa fiducia utimur, hoc est, cum libertate ubiq; loquimur, nihil celantes, nihil subtrahẽtes, nihil dissimulãtes, sed manifeste loquentes, &c. Sic mihi magis placet, ut legamus,

mus, multa libertate utimur, q̃, multa libertate utamur, sicuti uertit Erasmus, existimãs adhortationem esse ad retinendam Christianam libertatem.

Nos admonemur hic, non modo quæ deceat ministrum Christi loquendi libertas ac fiducia, sed ut unde illa nascat. Vtimur, inquit, multa libertate, loquendi uidelicet. Decet hęc doctrinam ueritatis. Veritatem Dei dehonestat, qui de illa obscure, timide, & hęsitãter loquitur. Qui de mendacio & incertis opinionibus loquitur, loquatur ille obscure, intricate, inconstanter, dubitanter, & dissimulãter. Doctoré ueritatis multa decet loquẽdi parrhesia.

Verum plurimum refert, unde nascatur loquẽdi fiducia. Qui potẽtes sunt in mũdo, usq; adeo libere quod uolunt loquuntur, ut perinde audiri uelint, ac si singula uerba singula sint tonitrua. Qui docti sunt ac sapientes iuxta sęculum, quemadmodum se solos sapere putãt ita & omnia dicunt confidẽter. Minister Christi, loquitur & ipse cum fiducia ac libere, uerũ neq; potentia aliqua, neq; eruditionis ac sapiẽtiæ opinione inflatus, sed ex certa ueritatis persuasione, & spe hac cuius meminit Apostolus, parrhesiam loquendi diuino munere nactus. Pręclara est hæc Apostoli spes, qua dicit: Si quod aboletur, fuit in gloria, multo magis id quod manet erit in gloria. Administratio Euangelij stulticia erat Gentibus & offendiculum Iudæis ac præterea grauissimis persequutionibus premebatur, ita ut ministri illius uelut expurgamenta essent huius mundi, unde magna tentatio nascebatur infirmioribus cõscientijs, quam pseudapostoli calumnijs suis uehementer acuebant. Contra hanc obijcit Apostolus, tam abesse, ut propterea quicq̃ de doctrina Euangelij sui subtrahere ac dissimulare uelit, quod ea passim probris ac calumnijs dehonestetur, ut magis in asserẽda illa utatur magna libertate hac spe fultus, quod cum euanescens iam legis doctrina fuerit in gloria, multo magis futura sit in gloria administratio Euangelij non euanescens sed permanens. Consimili modo cogitet hodie quoq; Christi minister: Si quod nulla unquam gloria sed cõfusione potius dignum fuit tantum gloriæ reperit in hoc sæculo, multo magis erit in gloria quod dignitate sua meret ut sit in gloria, quãtumuis iã per reprobos hęreseos damnetur, & omnis generis ignominia dehonestet. Hac spe fretus, aget libere & magna cum fiducia in ministerio suo, quod accepit à domino.

ET non quemadmodum Moses, inquit, ponebat uelamen in facie sua, ne intenderent filij Israël in finem eius quod aboletur.] Græcè est τ̃ καταργουμένου, quod nescio quare interpres reddere uoluerit, quod abolebatur, cum suprà eãdem dictionem reddiderit, quod aboletur. Vetus interpres consultius transtulit, quod euacuatur. De splendore Mosaici uultus admodum gloriabantur Iudæi & interim mysteriũ obuelationis illius uel non intelligebant, uel

A constanter dissimulabant, cum tamen in ipsis reipsa adimpleretur. Eam itaq; parté hoc contextu sic tractat, ut nisi occęcati essent facile & infirmitatem suam & legis obuelationem intelligerent. Quod igitur in faciem Mosis intẽdere non poterant Israëlitæ, ipse uero eam ob causam uelamen uultui suo, cum ipsis loqueretur, imponebat, accommodat præsenti causæ primò per dissimilitudinẽ, deinde per applicationem. Dissimilitudo est in eo quod dicit: Et non quemadmodũ Moses ponebat uelamen in facie sua ne intenderent filij Israël in finem eius quod aboletur, ubi subintelligendum est, ita nos luci doctrinæ Euangelij, uel, splendescenti faciei Christi uelamen imponimus, ne intendant in illam credentes electi ac filij Dei, sed manifestam illius lucem contemplamur omnes. Est ergo & hęc inter Mosen & Christum dissimilitudo, quod Moses populo tectam suam faciem, Christus uero apertam: Moses doctrinam legis obuelatam & adumbratam, Christus autem clarum & manifestũ Euangelium credẽtibus offert. Admonet hac dissimilitudine, q̃ oporteat infœlices esse & prorsus occæcatos eos omnes, qui pluris faciunt obuelatum Mosen, q̃ clarum & perspicuum Christum, gaudent umbris legis magis quàm manifesta gratiæ ac ueritatis Dei luce.

Illud, ne intenderent filij Israël in finẽ eius (sic est in Græco, εἰς τὸ τέλος) quod aboletur cũ sequentibus, applicationem habet ad pręsentem causam. Non sic est autem accipiendum, quasi Moses data opera ac scienter ad hoc faciem suam obtexerit, ne aliquãdo Israëlitæ in finem legis, Christum uidelicet, mẽtis oculos intenderent, sed intelligendum est ad hũc modum. πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς ἰσραήλ, &c. id est, ad hoc quod non essent filij Israël intentis oculis prospecturi in finẽ eius quod aboletur. Et hic sensus pulchre aperit mysteriũ, quod in tecta Mosis facie præcessit. Fauet illi primum illud πρὸς τὸ, quod hic idem est, quod διὰ τὸ, id est, propterea quod: deinde uerbum ἀτενίσαι, quod futuri temporis sensu positum est. Quare non satis circumspecte uerterũt, ne intenderẽt, cum uertendum esset, propterea quod non essent intentis oculis prospecturi filij Israël in finem eius quod abolet. Quasi dicat. Ipse Moses iam tum cum faciem suam obuelaret, futurum significabat primum ut non intenderẽt ac prospicerẽt filij Israël in Christum finem legis, deinde, ut gloria legis aboleretur. Sic obuelatio uultus Mosaici duo portẽdebat, cũ quod Israëlitæ non essent agnituri Christum tum quod lex habitura esset finem & abolenda per Christum. Descendebat de monte Moses facie illustri. Et cum loquendum esset cum Deo claritatem uultus sui non tegebat. Cum uero agendum esset cum filijs Israël, uelum imponebat faciei pręter solitum splendescenti. Sic erat cõparata doctrina legis. In se erat doctrina Dei, erat bona, iusta & sancta, nec ullis erat in conspectu Dei uelata umbris sed clara & manife-

B

sta. At populo proposita erat obuelata, ꝑpter illius imbecillitatem, propter quam & Moses uelũ faciei suæ imponebat. Quod itaq; magis ad pudorẽ Israëlis faciebat, iactabãt pseudapostoli quasi inde multũ ad ipsos rediret gloriæ.

SED occęcati sunt sensus illorum, inquit.] Quasi roget quis, quomodo rem hanc non intelligant Iudæi, respondet: Occæcati sunt sensus illorum. Quasi dicat. Quomodo intelligerent ista, cum prorsus sint sensibus occæcatis? Sic uno uerbo tollit uniuersum illud offendiculũ, quod erat ex contradictione Israëlis, qua Euãgelio pertinacissime repugnabãt, ad quos peculiariter pertinebat Christus. Quis enim mirabitur eos qui occæcati sunt, non agnoscere sed repudiare ueritatis lucem? Si uideas in ipsa meridie impingere cæcos, facile intelligis culpam non esse diurnæ lucis, sed eorum qui præ cæcitate sua illam non uident. Nihilo magis miramur hodie, qui fiat, quod tam multi sapientes ac prudentes ueritati Dei resistunt. Experimur enim reipsa, esse sensus illorum occæcatos, ut culpa sit ipsorum non ueritatis.

NAM usq; ad diem hodiernum, inquit, idẽ uelamẽ in lectione Veteris testamẽti manet.] Explicat quod dixit, sed occæcati sunt sensus eorum, imò probat. Et est sensus. Quàm enim occæcati sint eorum sensus, in eo abũde satis patet, quod ad hodiernum usq; diem, dum Vetus testamentum legunt, non intelligũt illius scopum & finem, quare uelamen illud Mosaicum adhuc manet. Ergo occęcatio Israëlis, per ipsum Mosen præfigurata, inde ab eo tempore, quo data est lex, ad Christũ usq; toto Veteris testamenti tempore durauit. Et ne sic quidem dũ cessauit. Quare? Quia uelum hoc non nisi per Christum tollitur, dum ille agnoscitur ac recipitur. Hoc significans dicit: nec tollitur uelum, quod per Christum aboletur. Quasi dicat. Et hæc Iudæorum occæcatio, nullis signis ac portentis, nullisq; quantumuis indefessis docendi ac cõtestandi laboribus tolli poterit, quandiu Christum recipere detrectant, sed durabit tantisper dum ad illum conuersi fuerint.

Sed ad hunc usq; diem cum legitur Moses, inquit, uelamen cordibus illorum impositum est. Idem repetit ut inculcet, & simul quod dixit, uelamen in lectione Veteris testamẽti manet: sic exponit, ut referat nõ ad ipsum Mosen hoc est, ad legem Mosis, sed ad ipsorũ corda. Velamẽ, inquit, cordibus illorum impositum est. Quasi dicat. Quamuis clara sit Veteris testamenti scriptura in se, haud tamẽ intelligũt eam dum legitur, propterea quod corda ipsorũ obducta sunt uelamẽto, à Mose ꝑfigurato.

Vide autem q̃ prudenter cauet, ne quo pacto ipsam legẽ obscuritatis accuset. Ideo omnem hanc culpam in ipsos Iudęos reijcit, dum sensus illorum occæcatos, & in lectione Veteris testamenti dum Moses explicatur, uelamẽ cordibus ipsorum impositum esse dicit, quod auferri nequeat, nisi per solum Christum. Idẽ respondeamus & hodie, omnibus illis qui sacram scripturã non Veteris modo sed & Noui testamenti obscuram esse causantur. Quod perinde est, ac si quis cæcucientes habens oculos Solem causetur esse obscurum & caliginosum. Corda ipsorum sunt crassissimo uelamine obducta, eoq; non simplici sed multiplici, contexto uidelicet partim ex humanæ sapientię filo, partim ex respectu magnorum uirorũ, partim ex catholica & inueterata tot sęculorũ consuetudine, ut philautiam, quęstum, & uentris inanisq; gloriæ studium taceam. His ueluti squamis obducti ipsorum sensus, lucem ueritatis in sacris scripturis splendescentem cernere non possunt, nec poterunt unquam, nisi Christum nudum & apertũ recipiant, per quẽ solum omnis generis uelamenta à cordibus mortalium tolluntur.

AT ubi conuersi fuerint ad dominum, inquit, tolletur uelamen.] In Græco legitur nõ in plurali, conuersi fuerint, sed in singulari ἐπιστρέψῃ. Vulgatus interpres habet: cõuersus fuerit, quasi subintelligendum sit, Israël. Meo iudicio referendum est ad proxime præcedẽs, cor uidelicet filiorum Israël, cui impositum est uelamen. Quod enim interpres uertit, uelamen cordibus illorum impositum est, in Græco habetur, uelamen super cor ipsorum impositum est. Cui subiungit: at ubi conuersum fuerit, intellige, cor ipsorum, ad dominum, tolletur uelamen. Significat hoc dicens populum hunc occæcatũ, corde esse auersum à domino, ideoque fieri nõ posse, ut liberetur à uelamine cordis & illuminetur, nisi corde conuertatur ad dominum. Qui oculis auersis retrocedit à luce, utique seipse priuat usu lucis, donec ad illã conuersus illuminetur. Sic qui corde est auersus à domino, nisi ad illũ cõuertatur, nõ poterit à cęcitate & obuelatiõe cordis sui liberari.

Sunt qui referãt hæc uerba ad id, quod Moses in deserto, quoties ad dominum accedendum erat, uelum de facie sua tollebat, quo nuda & aperta fronte cum illo loqueretur, quasi sit in Græco, ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπέστρεψε πρὸς κύριον, περιῄρηται τὸ κάλυμμα, id est, quando uero cõuertebatur ad dominum, tollebatur uelamen. Verum cum Græca non ad præteritum sed ad futurũ tempus accommodata legantur ad hunc modum ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα, id est, quando uero conuersum fuerit ad dominum, tolletur uelamen, malo intelligere de futura Israëlis conuersione ad dominum, qua prorsus ab hac cordis obuelatione liberabit, cuius præfiguratio quædam erat in facto Mosis, quo dum à populo ad dominum conuertebatur uelamẽ de facie sua auferebat quo aperta fronte loquentem sibi dominũ uideret. De hac conuersione Israëlis uaticinatus est Moses Deut. 4. dicens: Nouissimo autem tempore conuerteris ad dominum Deum tuum & audies uocem eius, quia Deus misericors dominus Deus tuus est. Et Rom. 11. Apostolus quædam de illa prædixit.

Conuersionis huius spem faciens fidelibus, non

non dicit, si conuersum fuerit, sed, quando cōuersum fuerit cor eorum ad dominum, tolletur uelamen, significans fore tempus à Deo præfinitum, quo Israël corde suo conuertatur ad dominum, & à cæcitate sua liberetur. Et hac spe motus patienter ferebat Iudæorum contra se furias, & eos qui ex credentibus credunt instruit, ne animo sint erga eos inimico, néue quid desperatius contra eos præsumát.

DOMINVS auté spiritus est, inquit.] Exponuntur hæc aliter atque aliter. Alij subiectum uolunt esse in uoce spiritus, sic ut de illo prædicetur quod sit dominus. Facit hoc Lyranus sic dicens: Dominus autem spiritus est, id est, spiritussanctus est liber & libertatis dominus. Et ante hunc Augustinus quoque sic exposuit libro secundo de Trinitate, capite decimo. Cum etiam spiritussanctus, inquit, dominus dictus inueniatur, ubi Apostolus ait, Dominus autem spiritus est. Et ne quisquam arbitretur filium significatum, & ideo dictum spiritum propter incorpoream substantiam, sequutus contexuit, ubi autem spiritus domini, ibi libertas. Spiritum autem domini nemo dubitauerit esse spiritum sanctum. Hæc ille. Si in Græco esset κύριος δὲ τὸ πνεῦμα ἐστὶν, posset sic legi, dominus autem spiritus ille est, sic ut idem esset quod, spiritus autem ille dominus est. Iam cū sit ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστὶν non fauet Græca lectio sententiæ Augustini, quam & Chrysostomus refutat dicens: At non dixit: Spiritus dominus, sed, dominus spiritus. Multum autem interest inter hanc & illam sermonis structuram. Hæc iste. Augustinus sententiam hác amplexus est propter hæreticos, qui corpoream in Christo domino substantiā negantes præsentem Apostoli locum ad hoc usurpabant, ut errori suo patrocinium prætexerent, & dominum secundum essentiam suam, perinde atque Deum, spiritum esse conuincerent. Et ut hanc sententiam teneret, id fecisse uidetur, quod non satis circumspecte Græcū textum consyderauit, sed Latina translatione cōtentus fuit. Illa sic est comparata, ut perinde de spiritu quod sit dominus, atq; de domino quod sit spiritus prædicari uideatur. Si dicas: dominus autem paterfamilias est, æque de patrefamilias quod sit dominus, atq; de domino quod sit paterfamilias prædicare uideberis. Sic cum hic legimus: Dominus autem spiritus est, non minus de spiritu quod sit dominus, quàm de domino quod sit spiritus prædicari non immerito putabimus. At Greca inspicientibus diuersum apparet. Consimile accidit & Basilio, qui ut argumento suo inseruiret, in opere de spiritu sancto cap. 21. sic scribit. Itaq; audiant etiam alia testimonia quæ palā spiritum dominum appellant. Dominus, inquit, ipse spiritus est. Item, tāquam à domino spiritu. Sic ille? Alij subiectum ponunt in uoce, dominus. Et hi discrepant in eo à se inuicé, quod alij intelligūt de Deo simpliciter, iuxta illud: Iohan. 4. Deus autem spiritus est, alij de

A Christo domino. Et postremum hoc mihi retinendum uidetur. Nihil enim impedit quin expeditus hic sit sensus. Dixit: At ubi conuersum fuerit (cor eorum) ad dominum, tolletur uelamen. Iam ut hoc explicet subiungit. Dominus autem spiritus ille est. Non simpliciter, spiritus est, sed cum articulo, spiritus ille est, inquit. Loquitur autem de spiritu, cuius se supra ministrum esse, & quem uiuificare dixit. Quasi dicat. Dominus autem, quem prædico, cuius sum minister & Apostolus, non est litera, sed spiritus, spiritus ille Noui testamenti, spiritus uiuificans. Dispensatio Noui testamenti in Christo domino, perficitur nō litera occidente, sed spiritu uiuificante. Hoc dicens non prædicat de essentia Christi, quod sit spiritus, quemadmodum hęretici nonnulli intellexerunt, & utinā non sint hodie, qui talem nobis Christum proponant, sed de dispensatione & administratione Noui testamenti, quæ est in Christo & à Christo domino. Quemadmodum enim cum dicit: cum legitur Moses, non de persona, sed de officio ac lege Mosis loquit᷑, ita cum hic dicit: Dominus aūt spiritus ille est, non tam de persona Christi loquit᷑, quæ secunda est sanctæ Triadis hypostasis, q̄ de illius dispensatione, qua Nouū testamentū dispensat᷑ & administrat᷑, significans illam esse non literalem & mortuam, qualis est Mosaica in Veteri testamento, sed spiritualem ac uiuificā. Si ubi dixit: Litera occidit, spiritus uero uiuificat, B statim subiunxisset: Moses aūt litera illa est, puto neminé sic desipere, qui uel de essentia uel persona Mosis, & non potius de officio ac dispensatione illius intelligendum esse putaret. Consimili modo cū hic dicit: Dñs aūt spiritus est, nō cōuenit ut de persona domini, sed potius de dispensatione illius, ad quā Noui pertinet testamenti administratio, intelligamus.

Hic itaq; locus neq; adimit Christo dño corporeā carnis nostræ substantiā, quā de seipse post resurrectionem quoq; prædicat dicens: Palpate & uidete, quoniam spiritus carné & ossa nō habet, sicuti me uidetis habere, neque patrocinatur illis, qui ut probét, tres esse substantiali numero & gradu distinctos spiritus, ideoq; & Christū esse spiritū, dictū hoc Apostoli citát: Dñs est spiritus. Sic uerbi superficié ad se rapiunt, neglecto germano illius sensu.

Sunt qui sic exponát: Dñs aūt est spiritus ille, hoc est, dñs est spiritus & anima legis. Quare nisi cōuertat᷑ Israël ad dñm, nihil habebit de lege preter literā mortuā & mortiferā. Vbi uero ad illū cōuersus fuerit, habebit legé uiuā & uiuificā, quia habebit spiritū legis, ipsum uidelicet dominum, sine quo mortua lex est.

Calvinus.

Quomodo auté ad propositū faciat, quod dixit: Dominus autem spiritus ille est, patet in eo quod subijcit dicens: Vbi uero spiritus domini, ibi libertas. Israël conuersus ad dominum, liberabitur à uelo pariter, quo obuelatum est cor ipsius, & à seruitute literæ. Quare? Quia dominus non est litera,

ſed ſpiritus, hoc eſt, non diſpenſat literã occidentem, ut Moſes, ſed ſpiritum uiuificantem: ubi autem ſpiritus ille domini eſt, ibi eſt libertas. Hoc eſt, ibi aperiuntur & illuminant̃ mentes, & ſoluuntur uincula conſcientiarum, quibus & legi & peccato adeoq; & morti fuerant obſtrictæ. De hac libertate Chriſtus ipſe Ioan. 8. nonnulla dixiſſe legitur: Si filius, inquit, uos liberauerit, uerè liberi eritis. Vbi pleraq; huc pertinentia annotauimus.

Obſeruet autem diligens lector, quod cum dixiſſet: Dominus autem ſpiritus ille eſt, non ſubiecit: ubi uero dominus ſpiritus eſt, ſed, ubi uero ſpiritus domini eſt. Diuerſa quidem uident̃, dominus ſpiritus, & ſpiritus domini: uerum in ſenſu Apoſtoli nihil habent diuerſi, ſed prius per poſterius declarat̃, ut intelligamus, propterea uocari dominum ſpiritũ, quod ſpiritum uiuificantẽ, ac liberos reddentem in Nouo teſtamento diſpenſat, cui ſenſui recte ſubijcitur: ubi uero ſpiritus domini eſt, quibus uerbis datur domino ſpiritus, quẽ diſpenſat. Perinde ac ſi de Moſe & litera eius dicas: Moſes uero litera illa eſt. Vbi autem litera Moſis eſt, ibi eſt captiuitas ac ſeruitus conſcientię. Hinc uelut ex oppoſito ſatis liquere puto, quomodo intelligendum ſit, & quàm nihil habeat diuerſi quod dicit: Dominus autem ſpiritus eſt. Vbi uero ſpiritus domini eſt, ibi libertas. Tam enim recte utrunq; de Chriſto domino prædicatur quod ſit ſpiritus ille Noui teſtamenti, & quod ipſius ſit ille ſpiritus, quàm recte de Moſe dixeris, quod ſit litera illa Veteris teſtamenti, & quod ipſius ſit ea litera, niſi quod ſpiritũ diſpenſat Chriſtus non ut ſeruus, ſed ut dominus, Moſes uero literam adminiſtrat nõ ut dominus, ſed ut ſeruus. Sane nõ immerito hoc dicitur eſſe Chriſtus, quod ipſe de ſuo peculiariter diſpenſat. Diſpenſat autem ſpiritum ſuum in corda credentium. Ergo recte ſpiritus hic ab Apoſtolo uocatur, & ſpiritus quem diſpenſat ipſius ſpiritus appellat̃. Quod perinde eſt ac ſi de calore Solis dicas: frigus enecat, calor uero uiuificat. Sol autem calor ille eſt. Porrò ubi Solis eſt calor, ibi telluris eſt fœcunditas. Qui dicit: Sol calor eſt, nõ de ſubſtãtia illius loquitur, ſed de operatione quam habet peculiarem, propter quã & calor recte dicit̃, & calor quem emittit, Solis calor uocatur.

Priuſquã hinc tranſeamus, obiter admonẽdus eſt lector, ut cogitet, q̃ ſint omnes omniũ nationũ religiones, cultus, ceremoniæ, & quicquid colendi numinis gratia præſumit̃, uniuerſa quoq; iuſticiæ ſtudia, extra Chriſtum mortua & ſeruilia, quandoquidem teſte Apoſtolo, Chriſtus eſt ſpiritus, & ſpiritus Chriſti liberas mentes & conſcientias efficit, quod nõ ſic eſt dictum, quod præter Chriſtũ alius quiſquã ſit qui ſpiritũ in corda hominũ diſpenſet, aut alius ſit ſpiritus, qui libertatẽ conferat, præter Chriſti ſpiritũ, ſed quod unus Chriſtus ſpiritũ in corda ſuorũ effundat, & unus Chriſti ſpiritus ſeruitutẽ conſcientiarũ tollat, & libertatẽ

A conferat. Arguat igitur libertas conſcientiarũ & mentium ſpiritũ, & ſpiritus Chriſtũ, ac conſequẽter ueros Chriſtianos. Quis enim ueros dicat eſſe Chriſtianos, in quibus nulla apparẽt inhabitantis Chriſti argumenta? Qui ſpiritum Chriſti nõ habet, hic nõ eſt eius, inq̃t, apoſtol9.

NOS autẽ, omnes, inquit, retecta facie gloriam domini ſpeculantes ad eandem imaginẽ transformamur à gloria in gloriam, tanquam à domini ſpiritu.] Quod dixit: At ubi cõuerſum fuerit ad dominum, tolletur uelamẽ. Dominus autem ſpiritus ille eſt, porro ubi ſpiritus domini, ibi libertas, probat per exemplũ eorum qui conuerſi ſunt ad dominũ, ac ſpiritũ illius conſequuti. Vel, quod magis placet, per contentionem opponit fideles Chriſti occæcatis Iudæis, quorum cordi uelum eſt impoſitum, ſic ut in finẽ legis qui Chriſtus eſt, intendere nequeant. Ad hunc uſq; diem, inquit, cũ legitur Moſes, uelamen cordibus illorũ impoſitum eſt. Gloriam faciei Moſis inſpicere non poſſunt. At nos omnes, intellige, quotquot ad dominum conuerſi & Chriſtiani facti, ſpiritũ illius accepimus, abſq; omni uelamine, facie retecta, gloriam non Moſis, ſed ipſius domini ſpeculamur. Deinde, illi etiamſi hodie gloriã Moſaici uultus cernerent, ad eandem tamen imaginem haudquaquam transformarentur, at nos omnes, qui gloriam domini facie retecta ſpeculamur ad eandem quam ſpeculamur imaginem transformamur à gloria in gloriã, B tanquam à ſpiritu domini, qui hanc in nobis transformationem operatur.

NOS autem omnes, inquit.] Dubio procul non de omnibus in uniuerſum loquitur, quotquot Chriſtianam religionem profitentur. Sunt enim multi qui cum ſe dominũ noſſe dicant, factis diuerſum oſtendant, ut perſpicuum ſit, non eſſe eos ad imaginẽ Chriſti trãſformatos, in quibus uerba iſta locum habere non poſſunt. Quare neceſſe eſt, ut de ueris tantum Chriſtianis intelligantur.

RETECTA facie, inquit, gloriam domini ſpeculantes.] Amphibolum eſt, an de facie domini uel fidelium loquatur. Si domini faciem intelligit, ſenſus eſt. At nos omnes non Moſis quæ tecta eſt, ſed ipſius domini retectã faciem, inq; illa gloriam eius ſpeculamur. Verum magis probatur, ut de fidelium gloriam domini ſpeculantium facie intelligatur, ut ſit ſenſus. Obijciunt illi Moſen, qui retecta facie gloriam domini ſpeculando, claritatẽ uultus ſui à claritate domini ſit adeptus. Erat is ex omni populo unus, cui hoc contigerit. At nos, non unus & alter, ſed omnes aperta facie & à priſtino uelamento liberari gloriam domini ſpeculando participes ac conformes illi reddimur.

GLORIAM domini ſpeculantes.] Quod in Græco eſt τὴν δόξαν, pro claritate poſitum eſt, quemadmodum & in ſequentibus ubi dicit, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, id eſt, à gloria in gloriam, pro, à claritate in claritatem. Loquitur autem non

nõ de dominici corporis claritate, qualẽ uiderunt apostoli ante passionem eius in monte Thabor, Matth. 17. & qualem post resurrectionem in sempiternum retinet, cui etiam corpora nostra configurabuntur, sed de clara & perspicua illius reuelatione & cognitione, in quã gloria unigeniti Dei, domini ac redemptoris omnium, imò ipsius quoq; patris tanquam in ipsius filio, relucet. Gloria Christi, gloria est unigeniti Dei, in qua est plenitudo gratiæ ac ueritatis Dei, quam se Ioannes uidisse dicit, ca. 1.

SPECVLANTES.] In Græco est, κατοπτριζόμενοι. Erasmus uertit, in speculo repræsentantes, cum posset uulgatam uersionem retinere. Significat enim id uerbi nõ modo impressam imaginem referre, sed & propositam contemplari. Primum est gloriam domini reuelata facie contemplari, deinde ad imaginem illius transformari, tertio illam exprimere ac repræsentare. De primo loquit̃ hic Apostolus. Quare uisum est ueterem retinere uersionem.

AD eandem, inquit, imaginem transformamur.] Hoc est, conformes reddimur imagini quam in Christo contemplamur. Imago ueteris hominis est in corpore peccati, membra habens terrestria & mundana, stuprum, immundiciam, molliciem, concupiscentiam malam, & omnis generis impietatem erga Deum, & iniquitatem erga homines. Nouus homo, qui est ex spiritu Christi, formatur ad agnitionem & imaginem eius qui condidit ipsum, Christi uidelicet, cuius membra sunt cœlestia, in omni pietate, ueritate, iusticia, & nouæ uitæ sanctimonia. Hanc Christi imaginem non modo in ipso Christo præ oculis habent & contemplantur ueri fideles, sed & in seipsis repræsentant & exprimunt, pro mensura quisq; donationis Christi. Quare omnino desipiunt, qui nisi ligneam Christi imaginem præ oculis habeant, quam colant & adorent, nihil se Christi habere putant, & interim uiuam illius imaginem ad quam transformentur prorsus nõ curant, imò ignorant.

A gloria, inquit, ad gloriam.] Quidam sic. A gloria cognitionis & gratiæ, ad gloriam uisionis beatę. Alij, à gloria Moysi ad gloriã Christi. Adhuc alij ad hunc modum: A gloria in gloriam, id est, subinde ad maiorem ac maiorem gloriam crescentes. Quemadmodum intelligunt illud: ibunt de uirtute ad uirtutem. Potest & sic exponi, à gloria domini, quam retecta facie contemplamur, in gloriam transformationis quę in nobis perficitur. Perinde atq; facies Moysi cum à claritate diuinæ uisionis inclaresceret, à gloria in gloriam transformabat, ita & nos à gloria imaginis Christi transformamur in eiusdem imaginis gloriam.

TANQVAM à domini spiritu, inquit.] Magna quidem est intentæ contemplationis uis, quæ plerunq; mentes nostras in ea transformat, quæ studiosius contemplamur. At hic transformationis huius gratia tribuitur ipsi spiritui domini. Ille nanq; nos regenerat, & ad imaginem eius cuius gloriam contemplamur, transformat. Cogitandum hic est, quis sit ille spiritus, qui transformat alios ad imaginem Dominici, alios ad imaginem Francisci. Spiritus domini Christianos homines trãsformat ad gloriam & imaginem domini.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Adhuc uindicat Apostolatui suo synceritatem & singularem cognitionis Christi lucem. Deinde meminit iterum afflictionum suarum, quibus & nonnulla de consolationibus suis attexit, per quas subinde confirmabatur, ne concideret.

CAPVT IIII.



ROPTEREA cum ministerium hoc habeamus, ut nostri misertus est Deus, haud degeneramus, sed rejicimus occulta dedecoris, non uersantes in astutia, neq; dolo tractantes uerbum Dei, sed manifestatione ueritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei.

Postquam ministerium Noui testamẽti supra dignitatem Veteris longè eminere ostendit, redit ad id quod suprà dixit: qui & idoneos nos fecit ministros Noui testamenti, non literæ, sed spiritus, ac ministerium suum rursus contra pseudapostolorum calumnias ab omni fraudis ac doli suspicione uindicat. Propterea, inquit, cum ministerium hoc habeamus, ut nostri misertus est Deus, hoc est, consyderantes itaq; immensam hanc Noui testamenti dignitatem, & quàm excellens nobis sit concreditum ministerium, idq; nullo nostro merito, sed potius ex singulari misericordia Dei, totis uiribus ac summo studio cauemus, ne quid in illo admittamus quod occultæ alicuius fraudis & astutiæ dedecus spiret. Non tractamus uerbum Dei dolo malo, sed per manifestam ueritatem commendamus ministerium nostrum omnium conscientijs, idque in conspectu Dei.

PROPTEREA, inquit, cum ministerium hoc habeamus.] Vide quàm nihil inanis gloriæ spiret. Non dicit, cum tam excellentem dignitatem consequuti simus, sed, cum ministerium hoc habeamus. Deinde, non dicit, ad quod nos elegit Deus, sed, ut nostri misertus est Deus. Quibus uerbis non sua merita, sed misericordiam Dei deprædicat, quasi dicat, eramus enim omniũ indignissimi, qui ad hoc ministerium uocaremur, utpote hostes ac persequutores nominis Christi. Digni eramus potius qui perderemur. Verũ incomparabili miseri-

sericordia Dei factum est, ut ex hostibus facti simus ministri Christi. Plenam autem & expressam misericordiæ huius deprædicationem uidere licet in ea quæ est ad Timotheum prior, capite primo.

HAVD degeneramus, inquit.] In Græco est οὐκ ἐκκακοῦμεν. Vetus reddidit, non deficimus, quam lectionem & recentiores nonnulli sequuntur, nec ipse Erasmus improbat, quamuis reddiderit, haud degeneramus. Obseruet hic Christi minister, in quem usum subinde cōsyderanda sit Euangelici ministerij superemineentia. Apostolus quoties de excellentia Apostolatus sui cogitabat, non inflabatur corde, nec ob illam plus sibi supercilij sumebat, sed instigabatur, ut quo sublimius esset consequutus ministerium, hoc in illo fidelius uersaretur, & minus deficeret. Debet hoc exemplo minister Christi, quoties de ministerij sui dignitate cogitat, incitari non ad fastum, sed ad solicitudinem perseuerandi ac pergendi in fide ac synceritate, quæ à fideli ministro requiritur. Cui multum concreditur, ab illo multum reposcitur. Qui fidem fallit in magnis, magnę utiq; perfidiæ reus efficitur. Qui collocatur in sublimi, si deciderit, quo cadit altius, hoc cadit periculosius. Hæc & quæ alia sunt hic consimilia cogitanda, merito solicitum reddūt & cautum Euangelij Dei ministrum.

SED reijcimus occulta dedecoris, inquit.] Græcè est, ἀλλ' ἀπειπάμεθα. Vulgatus interpres habet, sed abdicamus. Erasmus uertit in præterito, sed reiecimus. Mihi quoque præteritū pro præsenti, Ebræo more, positum uidetur. Loquitur enim de re, quæ non perficitur si semel atque iterum fiat, sed indesinentem curam ac perfectionē requirit. Reijcere quæ mala sunt, opus est totius uitæ nostræ studiū requirens.

OCCVLTA dedecoris.] Græcè est, τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, quod Erasmus uertit, occultamēta dedecoris. Verti poterat, latebras turpitudinis. Intelligo omnis generis fraudem, astutiā, imposturam, simulationem & fucos. Significat se Apostolus usqueadeò studere synceritati in suo ministerio, ut reijciat à se non modo ea dedecora, quæ sint in propatulo, & consciētijs hominum obuia, sed & quæ sint κρυπτὰ, id est abscondita, secreta, & occulta, qualia sunt quæ dolo & imposturis aguntur. Sic animati sunt, qui quod agunt, syncere & candide agūt, suntque ueritatis sic studiosi, ut illam etiam in occultissimis seruent. Vtinam possit hoc ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, dici ab illis, qui apostolorum successores uideri uolunt. Quid dico? Vtinā reijcerent à se τὰ φανερὰ τῆς αἰσχύνης, & exuerent tandem frontem meretriciam erubescere nesciam. At quomodo abijcerent à se occulta dedecora, qui de manifestis in hunc usque diem erubescere nesciunt? Olim dicebant: Si non caste, tamē caute. At iam nec caste nec caute uiuere curant. Verum sic tradidit eos dominus in reprobum sensum, ut faciant ea summa cum impudentia, unde palàm fiat omnibus, q̄

A non Christi, sed Antichristi sint apostoli.

NON uersantes, inquit, in astutia, neque dolo tractantes uerbum Dei.] Occultum dedecus erat pseudapostolorum, ut exempli gratia dicam, qui ex circumcisione erant, quod, ut scandalum crucis Christi effugerent, & discipulos post se trahentes in carne ipsorum gloriarentur, circumcisionem prædicabant, atq; ita uerbum Euangelij Dei dolose tractantes in astutia, non in synceritate ambulabant. Quod igitur se non ambulare in astutia, neque uerbum Dei dolose tractare dicit Apostolus, sic dicit, ut interim perstringat pseudapostolos illos, qui hæc faciebant, quasi dicat, quemadmodum ambulant, & uerbū Dei tractant uestri illi magistri, qui se & Ebræos, & Christi iactant esse apostolos.

Sed obsecro, an non ambulant in astutia, & uerbum Dei dolose tractant, qui in ecclesia Dei fictis uerbis negociantur, & quæstus gratia iam Pontificiam potestatem, iam patrocinia sanctorum, iam purgatorium ignē, iam sacrificium Missæ pro peccatis uiuorū & mortuorum, iam ordinum suorum prærogatiuas, iam Papales indulgētias, & innumera alia turpissimi quæstus commenta prætexunt?

Obserua uero, quomodo postquam dixit, non uersantes in astutia, subiecit, neque dolo tractantes uerbum Dei. Prius est, ambulare astute ac uersute, deinde studium sequitur uerbum Dei dolose tractandi. Qui ambulant

B ἐν πανουργίᾳ, id est, uersutia, quo uersuta sua studia quasi uelamento quodam obducāt, & interim quod quærunt obtineant, prætexunt & ipsi uerbum Dei, sed dolose tractatum. Dolosa igitur hæc uerbi Dei tractatio, non est hominum imperitorum ac simplicium, sed πανούργων, id est eorum, qui ex quolibet facere possunt quidlibet, unde & πανοῦργοι, id est, omnia facientes uersuti illi uocantur, qui nihil nō audent, & obtinent etiam, simulando, dissimulando, prætexendo, comminiscendo, &c. ubi uerbum Dei in hosce homines incidit, expectandum aliud nihil est, quàm ut dolose tractetur. Et utinam hæc πανουργία non regnasset in ecclesia tot iam sæculis, idque eo loco maxime, cui plenam tribuunt Apostolicæ sedis authoritatem. Toto terrarum orbe non inuenias homines in hac panurgia exercitatiores. Iures ipsam panurgiam iam olim eo loco fixisse sedem, cui quicquid est in reliquo orbe hypocriticum, uafrum, uersutum, & sophisticum, facta conspiratione coniunctum est, quo mysterium illud iniquitatis, quod Apostolus præuidit, mutuis studijs perficiant.

SED manifestatione ueritatis, inquit, commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei.] Rursus inculcare uidetur, quod suprà in calce capitis secundi dixit ad hunc modum: Non enim sumus ut pleriq; cauponantes sermonem Dei, sed uelut ex synceritate, sed uelut ex Deo, in conspectu Dei per Christum loquimur. Verum

rum non tantum in genere tribuit sibi studium synceritatis ac ueritatis, sed in ijs potissimũ, quæ pseudapostoli subuertere moliebantur. Loquitur enim præcipuè de abrogatione legis Mosaicæ, deq; incorporatione gentiũ in ecclesiam Dei, quam utranq; nõ modo nõ docebant pseudapostoli, sed & quibus poterant modis impedire conabantur, & hanc ob causam plurimum ipsi negocij inter circumcisos facessebant, quibus ut sese cõmendarent, Mosen cum Christo coniungebant. Ipse uero ut Christum syncere ac fideliter prædicaret, ueritatem Dei, quam circũcisi ferre non poterant, manifestabat ubiq; sic ut Petrum quoq; reprehenderet, quod non recto pede ad ueritatem Euangelij ingrederetur, dum Gentes suo exẽplo iudaizare cogebat. Gal. 2. Magni mometi res erat, ueritatẽ Christi sic manifestare, ut in uno illo constaret omnem nostrã sitam esse salutẽ, ad quem scopũ Apostolus iste collimabat ubiq;, quo referendum esse iudico quod hic se ueritatem manifestare dicit.

COMMENDANTES nosipsos, inqt, apud omnẽ conscientiam hominũ.] Hoc est, sistentes nos, quales simus, & quid sentiamus, corã conscientijs omniũ. Non quærimus latebras, nõ subterfugimus cuiusquã conscientiam, sed palam ac diserte corã omnibus ueritatem Dei docemus ac manifestam⁹. Sic intelligo quod in Græco est συνιστῶντες, & interpretes uerterũt, commendantes, ne quis quærendum putet, quomodo se per ueritatis huius manifestationem omniũ conscientijs cõmendauerit Apostolus, cum propter illã quàmplurimis displicuerit, placuerit uero paucis. Non dicit se gratiam omnium hominum ueritatis huius manifestatione quærere, & hoc se illis proposito commendare, sed sistere se ac notum facere omnibus, quid uere & per omnia sentiat ac doceat, ideoq; ueritatẽ Dei absq; omni dissimulatione manifestare omnibus.

Qui uersute agunt, sic docent & scribunt, ut nullius hominis conscientiæ nudos se sistant. Veritatem enim Dei, præsertim quatenus in controuersia est, & multorum odijs exposita, cumq; periculo cõiuncta, nõ manifestant, sed uel dissimulant in uniuersum, uel uocibus ambiguis sic inuolutam tradunt, ut nemo facile intelligat, quid uere sentiãt. Ab hac astutia scribit Apostolus esse se prorsus alienum.

Quàm autem religiose omniũ se conscientijs per manifestationem ueritatis nudum ac manifestum exhibuerit, in eo exprimit, quod subijcit dicens: in conspectu Dei. Quasi dicat. Haud aliter, quàm si loquamur & agamus in ipso conspectu Dei, sitq; negocium nobis non cum hominum tantum conscientijs, sed & cũ ipso Deo, in cuius conspectu nihil loci est ullis imposturis, quibus utuntur illi, qui alieni sunt à religione Dei, & hoc tantum agunt ut uel fallant conscientias hominum, uel se falso illis insinuent.

Quod si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatũ est, in quibus Deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucescat illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum dominũ, nos autẽ seruos uestros propter Iesum. Quoniam Deus est qui iussit e tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi.

Quoniam legi uelamentum, Euangelio autem suo magnam lucem tribuebat, seq; manifestatione ueritatis omnium conscientijs commendare dicebat, poterant obijcere aduersarij, reipsa depræhendi diuersum, eò quod doctrina ipsius in multis sit obscura non minus quàm lex ipsa, & ubiq; multorum sit contradictionibus obnoxia. Huic itaque obiectioni occurrit. Vtitur autem primum concessione, deinde illi annectit expositionem. Concessionis uice est, quod dicit: Si uero uelatum est etiam Euangelium nostrum. Hoc est, quod si Euangelio quoq; nostro perinde atq; legi accidit, ut sit uelatum & obscurum, id quod mihi forsan magistri uestri obijciunt. Non dicit: Euangelium nostrum non est obscurum, sed, etiamsi obscurum est Euangelium nostrũ. Non poterat hoc negare, sed necesse erat ut agnosceret. Verum mox expositionem attexit, qua causam obscuritatis reijcit in eos à quibus lux ueritatis erat abscondita, atque ita Euangelio suo lumen gloriæ Christi constanter uindicat dicens: in his qui pereunt, uelatum est, in quibus Deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucescat illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.

QVOD si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, inquit.] Græcè sic legitur: εἰ δὲ καὶ ἔστι κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν, id est, Si uero etiam est uelatum Euangelium nostrũ. Erasmus reddidit: Quod si adhuc, uocula, adhuc, non est in textu. Apparet eum legisse ἔτι pro ἔστι. Deinde ambiguum est, an cum dicit: Euangelium nostrum, sibijpsi specialiter uindicet Euãgelium quod prædicabat, uel sic illud uocet, quod cõmune sit credentium. Sane utrolibet sensu capi potest. Erat enim ipsius Euangelium, propterea quod ab ipso prædicabatur, & erat cõmune ipsi cum Corinthijs, propterea quod ab illis esset acceptum, imò diuinitus ad eos missum. Sic idem Euangelium & Dei est & Christi & Apostoli, & fidelium. Dei, à quo missum est, Christi, de quo, apostoli per quem prædicatur, fidelium, quibus diuinitus est destinatũ, & ab illis etiam acceptum.

Quid est autem, quod non dicit: Si Nouum testamẽtum, uel si administratio spiritus, aut, si Christus, uelatus est, sed, si Euangeliũ, & quare non dicit, si Euangeliũ Dei, sed, si Euangeliũ nostrũ uelatũ est? Has uoces Nouũ testamẽtũ, spiri-

ſpiritus, Chriſtus, non rapiebant pſeudapoſtoli ad diuexandum, quemadmodum uocē Euāgelij, ſub nomine Pauli diuexabant, uocantes Euangelium Pauli, per ſingularem cōtemptū eo uidelicet modo, quo noſtra ætate aduerſarij doctrinam ueritatis Chriſti cōtumeliæ gratia Euangeliū Lutheri uocare cœperūt. Haud igitur cædēs illorū malitiæ uocat abſq; pudore doctrinam Chriſti quam prædicabat ſuum Euangelium, ſignificans ſe omnino illud abſque ullo pudore pro ſuo agnoſcere, quantumuis ab illis proſcinderetur.

IN his qui pereunt, inquit, uelatum eſt.] Exponit qui nam illi ſint, in quibus uelatum eſt Euangelium. Et hac expoſitione reijcit ab illo culpam ac transfert in eos, qui lucis illius participes fieri non poterant & hos ſic deſcribit, ut liquido appareat cauſa, propter quam uelatum ſit in ipſis Euangelium, quod tamen in multis alijs clariſſima lux eſt. Poterat dicere, Si uelatum etiam eſt Euangelium noſtrū, id quod mihi magiſtri ueſtri obijciunt, uelatum eſt non in omnibus ſed quibuſdam tantum, qui illud malo quodam ſtudio auerſantur. Verum maluit eos ſic deſcribere, ut liquidum ſit tales eos eſſe in quibus nequeat habere locū lux Euangelij. Sic dicit: In his qui pereunt uelatum eſt. Depingit autem eos tribus teterrimis coloribus, uocans eos incredulos, excæcatos, & pereuntes, ut mirum non ſit in talib. uelatum eſſe Euangelium. Quod perinde eſt ac ſi quis ludi literarij magiſtro cuipiam obijciat, diſciplinā ipſius eſſe inanē ac fruſtraneā, ille aūt reſpondeat. Si inanis eſt Scholæ meæ diſciplina, inanis eſt in ijs q ſunt immorigeri, obſtinati, & tandē malo mortis gñe perituri.

IN his qui pereunt, inquit, uelatum eſt.] Rē eandem in priore ad Corinthios capite primo alijs uerbis expreſſit dicens. Nam ſermo crucis ijs quidem qui pereunt ſtulticia eſt, at nobis qui ſeruantur potentia Dei eſt. Quod illic uocat ſermonum crucis, uocat hic Euangeliū ſuum, & quod hic uelatum eſſe illic ſtulticiā uocat. Vtrunque autem tribuit ἀπολλυμένοις. i. pereuntibus. Qui uero ſunt illi pereuntes. An non totum genus humanum in perditione eſt propter corpus peccati. Et quomodo ij perire dicuntur, qui Euangelium Dei non accipiunt? Reſpondeo, Aliud eſt eſſe in condemnatione, ac perditione dignum, & aliud perire. Per peccatum facti ſumus omnes digni qui perdamur in uniuerſum. Verum non perduntur in ſempiternum qnotquot per gratiam Chriſti à perditione ſeruantur, pereunt uero, quotquot illius participes non fiunt. Et hos uocat Apoſtolus pereuntes non hic tantum ſed & ſuprà cap. ſecundo, & primo Cor. 1. quibus opponit σωζομένοις, id eſt, eos qui ſeruantur. Quod autem Chriſtus lucæ 19. dicit: Venit filius hominis quærere & ſaluū facere quod perierat, nō eſt de iſtis ἀπολλυμένοις omnē ſalutis gratiā reſpuentibus ideoque in curabiliter pereuntibus, ſed in uniuerſum de toto humano genere intelligendū quod in Adamo morti ac perditionī factum erat obnoxium, de talibus uidelicet, qui gratiā ſalutis non recuſant, ſine qua omnino eſſent perituri. Quemadmodū igitur trāſgreſſioni primi noſtri parētis debemus, quod perditione facti ſumus digni, ita gratiæ Seruatoris noſtri Chriſti acceptum ferre conuenit, qd nō ſumus ex illis quos Apoſt. uocat pereūtes.

Obſerua uero quod non dicit: in his qui peribunt, quem admodū non dicit, in his qui perierunt, ſed, in ijs qui pereunt. Sic perditionē omnimodam tribuit nec futuro iudicio, nec originali parentū noſtrorū tranſgreſsioni, ſed obſtinatæ incredulitati gratiam oblatæ ſalutis pertinaciter reſpuenti, per quam ſolum à perditione liberamur.

IN quibus Deus huius ſæculi, inquit, excæcauit ſenſus incredulorū.] Qui ſint pereuntes illi, in quibus Euangelium uelatum eſt. conſequenter explicat. Si diceret ſimpliciter, quorum ſenſus Deus huius ſæculi excæcauit, ne illuceſcat illis lux Euangelij, nō ſatis expeditus eſſet ſenſus. Iā cū dicit: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit ſenſus, & addit, incredulorū, ſignificat quidem excæcationē hāc fieri in pereuntibus, uerū nonniſi talibus, qui ſint increduli. Incredulus aūt dici nō poteſt, cui nihil dū eſt prædicatū de Chriſto. Quomodo enim credi poteſt in eū de quo nihil eſt auditū? Quemadmodū hyeme de arbore iudicari nō poteſt, ſterilis ne ſit uel fertilis, donec ęſtate qualis ſit deprędendat̃. Tempus enim fructificandi nō eſt hyeme ſed æſtate. Et quēadmodū nocturna durante caligine de cæcis iudicari non poteſt, in qua etiam ij qui uidendi facultatē habent nil cernere poſſunt, ita de credulitate & incredulitate non poteſt ferri ſentētia, ubi nō ſonat uox uerbi Dei, ubi Euangelium ne auditum quidem, nedum fide eſt acceptum uel incredulitate reiectum. Quare uigilāter adiecit, incredulorū. Euenit ut & electi nonnūquam ad fidē Chriſti tardius accedāt ſic ut auditum uerbi Dei aliquandiu reſpuant, imo & perſequantur, id quod in hoc ipſo accidit apoſtolo. Ea aūt tergiuerſatio nō poteſt uocari incredulitas, quia ſequenti fide tollitur, ſicuti tardior fructificatio nō recte uocaretur ſterilitas, propter ſequentē fertilitatem. Imo etiamſi uoces eam temporariā incredulitatē, excæcationi tñ non eſt obnoxia. quæ contingit illis tantū incredulis, qui ſunt ex repbis & perituris, ſicut hæc Apoſtoli uerba perſpicue docēt. Deus huius ſæculi, inquit, excæcat ſenſus incredulorū. Quorum? Qui ſunt ex pereūtibus. Dicit enim. In his qui pereunt, in quibus Deus huius ſęculi excæcauit ſenſus incredulorum.

Quapropter ſummopere cauendum eſt, ne temere pro excæcatis ac pereuntibus habeamus eos, quos hodie Euangelio ſalutis noſtrę cōtradicere & obluctari, uidemus. Ad huc quidē uelatū illis eſt Euangeliū, ut ueritatē illius non uideant, at quandiu duratura ſit in illis iſta obuelatio, ſolus ille nouit qui quos uult

&

& quando uult ad ueritatis suæ cognitionem uocat, & uocatos illuminat: quemadmodum nō debemus securi de omnium eorum esse salute, qui propere ac facile doctrinam Euangelij amplectũtur. Nam dubio procul multi sunt inter illos, qui ad tempus credant, & tentationis sint tempore recessuri, & hodie quoq; locũ habet illud: primi nouissimi, & nouissimi primi. Hæc quidem satis sunt perspicua. Verum non est concors omniũ sententia, ne apud ueteres quidem, quem nam sæculi huius Deum, incredulorum sensus excæcantem, uocet dicēs: in quibus Deus huius sæculi, uel æui, Græce, αἰῶνος τούτου, excæcauit, &c. Nam alij referunt ad Satanam, alij ad ipsum uerum Deum. Lyranus de utroq; exponi posse sentit, quemadmodum & Cōmentarij qui Hieronymo tribuuntur. Chrysostom9 uero Theophylactus & Ambrosius quoq; ad uerum Deum referũt. Et Augustinus libro. 21. cap. 2. contra Faustum Manichæum sententiam hanc sic quorundā esse dicit, ut simul approbet, ac doceat, quomodo nō sit inconueniens uero Deo excæcare mentes incredulorum, ac tradere illos in reprobũ sensum, & obdurare, & quę alia illi consimilia palam in scripturis tribuuntur.

Alij exponunt de Satana, præsertim recentiores, ex eo forsan moti, quod Satanam conuenientius quàm uerum Deum, sæculi huius Deum uocari existimant. Sane quod me attinet, si uspiam in scripturis legerem uerum & unicum cœli ac terræ Deum, cum hac specificatione uocari Deũ huius sęculi, uel huius mundi, magis placeret Chrysostomi sententia, q̈ aliorum quatenus de uero Deo locum hũc exponit. In Genesi quidē cap. 21. Versu. 33. de Abrahamo legimus quod in Beersheba plantarit nem9, & inuocarit ibi בשם יהוח אל עולם .i. nomen dñi Dei sæculi. Et Esa. 40. uers. 27. legitur ad hunc modũ. An ignoras? an nō audisti? אלחי עולם יהוח בורא קצות חארץ .i. De9 sęculi dominus, creator finium terræ. Verũ quoniam uox עולם id est, sæculum, plerunq; pro sempiterno accipitur, ut אל עלם idem sit quod Deus sempiternus, quãuis in Esaiæ loco haud incommode de hoc sęculo accipi queat, deinde Apostolus non simpliciter dicit: Deus sęculorum, sed, Deus huius sæculi, existimo simplicius esse, ut de Satana exponamus, quē & Christus mundi huius principem uocat, & hic Apostolus quoq; de illo Ephes. 2. ad hunc modum scribit: Et uos cũ essetis mortui delictis ac peccatis in quibus aliquādo ambulastis iuxta sæculum mundi huius, iuxta principē, cui potestas est aëris, qui est spiritus, nũc agens in filijs contumacibus. Quo sensu princeps huius sæculi uocatur Satā, eo potest & Deus sæculi huius uocari. Tam enim proprie nō est princeps quàm non est Deus huius mundi, uocatur autem utrunq; propter reprobos, qui per sæculũ hoc intelliguntur, in quibus agit, dominatur, ac regnat, quos habet sibi ad quæ uult omnia seruos ac morigeros, ut non sit quærendum,

A quomodo sensus illorum excæcare possit. De ipsa excæcatione non est ut hic loquamur. Dixim9 de illa Matth. 13. Ioā. 12. & Esa. 6, & de obduratione cordium Rom. 1. 9. & 11. Alijs modis excęcat Deus ipse, alijs propheta Esa. 6. alijs Satan, alijs tenebræ mentium. 1. Ioan. 2. alijs propria malitia Sap. 2. Quemadmodum & corporis excęcatio alia per Deum fit, alia per Solem, alia p tenebras, alia p homines, alia alio quopiam casu, sunt qui seipsi excæcauerint. Et illuminat corpus ipse Deus, illuminat Sol, illuminat dies, illuminat accensa lucerna. Mentes quoq; Deus illuminat, Christus illuminat, Spiritus sanct9 illuminat, Apostol9 illuminat, Euāgelium illuminat. Hæc omnia recte dicuntur sic tamen ut à summo illo omnium rectore ac dispēsatore Deo uel iustissimo iudicio uel clementissima gratia disponantur.

NE illucescat illis lumen Euangelij gloriæ Christi, inquit, qui est imago Dei.] Quorsum Deus huius sæculi Satan sensus incredulorum excæcauerit, istis uerbis exprimit. Dubio procul, excęcationis illi finis est, ut salutem eorum quos excæcat impediat, & miseros in perditione retineat. Hoc agenti opus est, ut omnib9 modis caueat, ne ad cognitionē ueritatis perueniant, aut si aliquo pacto splēdore lucis illi9 tangantur ex eo magis occæcētur q̈ illuminētur. Quare primum illi9 studium est, ut caueat ne qua occasione illis lumen ueritatis illucescat. Regnat enim in tenebris & sic miseros demētat, ut se in nescio qua luce uersari putēt,

B cum toti sint errorum tenebris immersi.

Hoc illius studium exprimit Apostolus dicens: ne illucescat illis lumen Euangelij glorię Christi. Etenim ubi lumē hoc mentibus hominum illucescit, illuminantur ad cognoscendũ ueritatē Dei, perq; cognitionem illi9 liberi redduntur è laqueis Diaboli, resipiscunt, credunt & seruantur. Vnde & Christus Ioan. 8. dixit: Si manseritis in sermone meo cognoscetis ueritatem, & ueritas reddet uos liberos. Et hic Apostolus. 1. Timo. 2. Qui uult, inquit, omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire.

Et propter hanc mentium illuminationem, quæ fit per ueritatis Dei cognitionem, non dicit simpliciter, ne cognoscatur ab illis ueritas Euangelij, sed utitur similitudine diurnę lucis, qua illucescente dispelluntur tenebræ noctis, redditur aperta rerum omnium facies, & aperiuntur oculi non ad uidendũ modo, sed & ad iudicandum de singulis, quo iudicio damnantur nocturnarum imaginationum & opinionum errores, illisq; spretis appręhēditur ac tenetur ueritas, ac secundũ hanc humanæ actiones diriguntur, & uitę necessitatibus consulitur. Secundum hanc similitudinem dicit: ne illucescat illis lux Euangelij gloriæ Christi. Hoc est, ne dispellantur illis tenebræ errorum, quibus mentes ipsorum sunt immersæ, ueniantq; ad lucem ueritatis Dei, quę est in Christo Iesu.

Sic igitur comparat ueritatem Euangelij luci di-

ci diurnę, ad ortum Solis illucescenti. Dies hic est Noui testamenti tempus, splẽdor Solis gloria, id est, charitas Christi, lux ueritas Euangelij, qua mentes illuminantur. Quare quemadmodum ortu Solis tota terra illustratur, & singulis rebus natiua facies redditur quæ in tenebris latuerat, ita per Euangelij lumẽ totum genus humanum illuminetur, & ad cognitionẽ ueritatis perducatur necesse est. Nõ est enim aliud lumen, quo mentes illuminentur, quę humanæ sapientiæ Magisterio magis occæcatur quàm illuminantur.

Obserua uero, quod non simpliciter dicit: ne illucescat lumen Euãgelij, sed, ne illucescat illis lumen Euangelij gloriæ Christi. Efficere non potest mũdi huius princeps Satan, ut lux Euangelij obscuretur in se nec illucescat uspiã. Non dominatur ueritati, dũ dominatur reprobis ac pereũtibus. Iusto Dei iudicio cauere potest, ne lux Euangelij illucescat mẽtibus reproborum, pręterea non habet quod faciat in hac causa. Sæuiat qantum potest, manet ac manebit in se lux ueritatis, nec manet tantum sed & illucescit mentibus electorum. Obscurat mentes Tyrannorum & incitat aduersus lucẽ Euãgelij Christi. Et quid illi omni sua sæuitia efficiunt? An, ne ueritas sit ueritas? Absit. An ne illuminet illa mentes electorum? Nequaquam. Neutrum efficere possunt. Nolint uelint dies est, exortus Sol est, discernit rerum facies lux reddita terris. Illuminatos, ubi uisum est domimino, occidere possunt, ipsam ueritatis lucem tollere non possunt.

QVI est imago Dei, inquit.] Non solet Apostolus quiescere ac subsistere in Christo, quoties quæ ad gloriam illius & nostram salutem spectant illi tribuit, sed lectorem per Christum quasi manuducit ad ipsum Deum patrem. Sic hoc quoq; loco, cum Euangelium lumen gloriæ Christi uocasset, mox subiũgit, qui est imago Dei, ut admoneat, in filio nobis spectandũ & agnoscendum esse patrem. Inuisibilis in se est Deus, quia figuram quę spectari posit non habet. Vnde & Christus dicit: Deum nemo uidit unquam: ut igitur uideri & cognosci possit, misit uerbum suum in mundum, in quo sit ipsius imago, quæ sic illucescat mentibus electorum, ut in ea uideatur & cognoscatur ipse. In hac autem imagine Dei, quę Christus est, filius & unigenitus Dei, exprimitur non figura aliqua corporea quæ in Deo non est, sed splendor diuinitatis, sapientiæ, potentiæ, uoluntatis, & gratiæ illius. Filius carnis imaginem carnalis sui parentis refert. At Christus unigenitus Dei uiuentis imaginem refert non carnalis parentis, quem nullum habet, sed cœlestis sui patris, cuius gloriæ splendor est, & substantiæ character, id est expressa imago. Vnde ad Philippum dicebat: Philippe qui uidet me, uidet & patrem meum. Item, pater in me est & ego in patre. Et: pater in me manens ipse facit opera quæ ego facio. Deus lux est. 1. Ioan. 1. Lucem hanc in se uidet nemo. Est enim inaccessa. Datur igitur spectanda in filio tanquam in ipsius imagine, propter quam dicit: Ego sum lux mundi. Ioannis. 8. Gloria lucis splendor est cuncta illuminans. Sic Christus dum splendore suo mũdum illuminat gloria patris est, cuius imaginem lucendo spectandam exprimit. Perinde ac si Solem hunc uisibilem, unde terrarum illuminatur orbis, uoces imaginem Solis inuisibilis, quatenus cuncta splendore suo illustrat.

Quamuis hæc similitudo non satisfacit causæ de qua loquimur, aliquo tamen pacto ad illam accedit. Sunt in cœlo stellæ, & Luna, illustris admodum, sunt in terra uarij generis lucernæ ac splendores, in quibus tamen omnibus nihil est, quod imaginem Dei, perinde atque Sol unicus exprimere uideatur. Vnicus est, splendidissimus est, adeo ut excellentiam splendoris eius haud ferre posit humanus oculus, perpetuo sibijpsi similis est totum orbem percurrendo illustrat, similem nõ habet, & quæ alia in illo sunt prorsus eximia. In eo tamen deficit, quod ex creaturis est Dei, quod principium habet, quod mutabitur, quod non præsens est ubique, quod uoluntate præditus non est, &c. At Christus sic est imago Dei uiuentis, ut non sit ex creaturis, nisi secundum carnem, secundum quam non est imago Dei, sed genitus ex Deo patre, principium non habens, nec mutationi obnoxius, nec absens uspiam, nec uoluntate destitutus, sed quem uult illuminans, patrẽ in se habens, & in patre existens semper, &c.

Dicet aliquis. Imago non est id ipsum cuius est imago. Si Christus est imago Dei, ergo non est ipse Deus.

Respondeo. Relationes in diuinitate non pertinent ad illius essentiam, sed ad personas. Christus ut filius est imago Dei patris, non ut Deus. Non enim Deus, ut De⁹ est imago Dei. Quare stabit argumẽtum si dicas: Christus est imago Dei patris, ergo non est Deus pater. Homo gignit ad imaginem suam hominem filiũ. Si dicas. Ergo filius imago hominis non est homo, non recte colligis. Si uero ad hũc modum dixeris: Ergo filius imago patris non est pater, uel, filius imago hominis non est is homo cuius est imago, stabit argumentatio. Homo nõ est imago hominis, nisi per relationem, qua filius homo imago est hominis patris. Maior igitur illa. Imago non est idipsum cuius est imago, non est simpliciter accipienda, sed limitanda per relationem. Imago enim natura potest esse eadem cum eo, cuius imago est, persona uero non ita. Sic filius idem est natura cum patre, cuius est imago, persona uero non idem. Christus igitur filius Dei, natura idẽ est quod Deus, persona uero filius est & imago Dei.

NON enim nosipsos prædicam⁹, inquit, sed Christum Iesum dominum, &c.] Quoniam nõ nõ simpliciter dicit: nõ prædicamus nosipsos, sed: Non enim prædicamus nosipsos, merito quæritur, quo referenda sit uocula rationalis,

lis,enim. Nam ad proxime præcedentia uidetur parum commode poſſe referri, niſi intente conſyderes cohærentiam. Dixit: Quod ſi adhuc uelatum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereũt uelatum eſt, in quibus Deus huius ſæculi excęcauit ſenſus incredulorum,ne illuceſcat illis lumẽ Euãgelij gloriæ Chriſti.Quoniam doctrinam quam tradebat ſuũ Euangelium uocauit, & tamẽ mox ſubiecit,ne illuceſcat illis lumen Euangelij,non mei,ſed,gloriæ Chriſti,particulæ huius rationem ſubnectit dicens:Nõ enim noſipſos prædicamus,ſed Chriſtum Ieſum dominũ.Quaſi dicat:Ideo dũ ſenſus incredulorum excæcãtur,ne illuceſcat illis lumen Euangelij, uelatur in illis non noſtrum, ſed Chriſti Euangelium. Neq; enim noſipſos, ſed Chriſtũ Ieſum dominũ prędicam⁹.Euãgeliũ noſtrũ, nõ eſt noſtrũ, ſed Chriſti Euãgeliũ.

Poteſt autẽ particula hæc etiã ad ea referri, quibus ſe paulo ſuprà uerbũ Dei dolo tractare negauit, quaſi illius rationẽ redditurus dicat: Non enim noſipſos prędicamus,ſed Chriſtum Ieſum dominum.Quaſi dicat:Qui ſeipſos prędicantes quæ ſua ſunt quærunt,uerbũ Dei tractant nõ ſyncere,ſed dolo. At nos illud tractamus, non dolo, ſed ſyncere ac ueraciter, quia prędicamus haud noſipſos,ſed Chriſtũ Ieſum. Si hæc eſt præſentis loci conſequẽtia, quæ intermedia ſunt de excæcatione incredulorum, per parentheſim ſunt inſerta. Non eſt autem dubiũ,quin hoc dicẽs iterũ perſtringat pſeudapoſtolos,qui nõ Chriſtũ dñm,ſed ſeipſos prędicabant,dum magiſtri haberi uolebant, & diſcipulos poſt ſe trahebãt. Etenim q̃ tales ſunt, etiãſi uerbis proponant Chriſtum, finis tamen & ſcopus prædicandi nõ eſt ipſis Chriſtus,ſed philautia, & inanis gloria & turpis in eccleſia negociatio. Conſyderemus hodie quẽ prædicent Antichriſti myſtæ,hoc eſt,quid prædicãdo quęrant. Sub nomine Chriſti prædicant & extollunt Antichriſtũ,ſub quo negociantur in eccleſia,atq; ita prædicant non Chriſtũ,ſed ſeipſos. Et utinã nemo ex illis, qui Euãgelici uideri uolũt, ſeipſum prędicet,dũ Chriſtũ ipſiſſimũ prędicare uideť,quod faciũt oẽs qui quidẽ ore ſonãt Chriſtum,ſed quærũt corde ſeipſos.

SED Chriſtum Ieſum dominũ,inquit.] Nõ ſimpliciter Ieſum Chriſtum,ſed Ieſum Chriſtũ dñm prædicabat. Quid eſt prædicare Ieſum Chriſtum dominũ aliud q̃ omnia illi ſubijcere prædicando quæ in cœlo ſunt,& in terra? & quoſuis ad illum tanquam ad unicum Seruatorem ac Redemptorem dirigere? Non poſſunt hoc facere, qui ipſi regnare ac pro dominis haberi uolunt in eccleſia.

NOS autem ſeruos ueſtros propter Ieſum, inquit.] An quemadmodum Ieſum Chriſtum dominum,ita ſe ſeruum Corinthiorum prædicabat?Nõ puto.Ieſum Chriſtum dominũ ꝑpetuo & prędicabat & inculcabat omnibus,propterea quod in illo ſita eſt ſalus omniũ. At ſeruum ſe Corinthiorũ nõ ita iactabat uerbis,ſed agebat reipſa, idq; de ſe ſentire eos cupiebat.

A Seruiebat ipſis prædicãdo Chriſtũ dominum, nõ iactabat illud põtificium,ſeruus ſeruorum, quod Rom. pontifices omnibus ſuis bullis & reſcriptis præmittere conſueuerunt, cũ reipſa agant in eccleſia,non ſeruos fideliũ, ſed dominos,& rerum & corporum & animarum.Prędicãt ſe ſeruos ſeruorum,& eſſe uolunt domini dominantium. Prædicant ſe ſeruos, & non ſeruiunt,quia Chriſtum Ieſum dominum non prędicant,ideoq; non poſſunt addere illud,ꝑpter Ieſum,& interim ſimulant ſe hoc inani titulo imitari apoſtolos.

Quid eſt autẽ quod nõ potius dicit: Nos autem ſeruos Ieſu propter uos? Cũ enim prædicaret Chriſtum Ieſum dñm, quid cõueniẽtius de ſe ꝑdicare potuit q̃ quod eſſet ſeruus Chriſti Ieſu,quẽadmodum in nõnullis etiã epiſtolis de ſe ſcribit.Reſpondeo,prius quidẽ eſt eſſe ſeruum Dei, deinde uero ſeruire illis quibus à Deo ſis deſtinatus.Sic erat quidem Apoſtolus priore loco ſeruus Ieſu Chriſti,& ſecũdario ſeruus Corinthiorum, uocat autẽ ſe hoc loco ſeruum illorum, ut & ſuſpicionẽ dominatus à ſe reijciat,& interim pſeudapoſtolos perſtringat, qui ſic prædicabãt Chriſtum,ut ſub illius prætextu magiſtri eſſent in eccleſia. Facile eſt cuilibet prædicare ſe ſeruũ Chriſti,& interim agere dominum in eccleſia, idq; propter hoc ipſum, quod ſit ſeruus Chriſti, perinde ac ſi ſeruus regis ob hoc ipſum agat dominum ſubditorum, quib⁹ eſt ab illo præfectus,quod ſeruus eſt regis.

B At Paulus quãuis eſſet ſeruus Chriſti haud tamen agebat dominum in eccleſia, imo propter hoc ipſum quod ſeruus & Apoſtolus eſſet Chriſti Ieſu, ſeruum agebat fidelium, ad quos erat ab illo miſſus.Ideo & ſubijcit, propter Ieſum,hoc eſt,propterea quod ſeruus ſum & Apoſtolus Ieſu Chriſti ad uos ob id miſſus, ut ſaluti ueſtræ ſeruiã.Hac puto illũ ratione maluiſſe hoc loco dicere:nos aũt ſeruos ueſtros propter Ieſum, q̃ nos autẽ ſeruos Ieſu ꝓpter uos.

Sic igitur miniſtri uerbi ſerui ſunt Ieſu Chriſti,ut propter ipſum ſint & ſerui fideliũ,quorũ ſaluti ſunt deſtinati. Et oſtendẽt uerius,quod ſerui ſint Ieſu Chriſti, ſi malint ſeruire, quàm propterea quod ſerui ſunt Ieſu inſoleſcere in eccleſia. Interim tamen ualde iniquũ eſt,quod hodie paſsim miniſtros Chriſti, haud alio uidemus à magiſtratibus q̃ ſeruorũ haberi loco. Quos debebãt agnoſcere pro ſeruis Ieſu Chriſti, eoq; nomine habere in precio, habent pro ſuis ſeruis,& quæ uolunt,uel docenda, uel tacẽda præſcribũt.Et inuenias fucos inter ipſos miniſtros,qui ut gratificẽtur talibus magiſtratibus,& ueris miniſtris negociũ faceſſant, uociferantur:Miniſter eſt infra omnes, contrà reperias qui partim zelo cohoneſtandi miniſterij,partim malo ſtudio clamẽt:miniſter eſt ſupra omnes.Dum hæc fiunt in eccleſia, paucos inuenire licet,qui ex animo ſeruiant fidelibus, & rarus quiſq; magiſtratus eſt, qui fidelẽ Chriſti miniſtrum competẽti honore proſequatur.

QVONIAM Deus eſt,inquit,qui iuſsit è tenebris

nebris lucem illucescere.] Etiam hic uidendũ est quo referre debeam⁹ uoculam ὅτι.i.quoniã. Potest referri ad id quod paulo supra dixit: si uelatum est Euangeliũ,uelatũ esse ex eo quod Deus huius sæculi,Satã uidelicet,excęcet sensus incredulorũ,ne illucescat illis lumen Euangelij glorię Christi, ut iam subiungat non esse hoc,ex eo,quod in se sit Euangelium obscurũ, cum uoluerit Deus illud instar lucis è medijs tenebris ortę illucescere cunctis.Nam esset hic sensus incommodus,& pulchre opponeret cõsilium Dei malitiæ Satanæ,possetq; retineri,si simpliciter diceret:Quoniã Deus iussit è tenebris lucẽ illucescere. Verũ cum non simpliciter dicit:quoniã Deus iussit, sed quoniã Deus est qui iussit è tenebris lucẽ illucescere, rationem exprimi cẽseo,quare prædicet nõ seipsum sed Christũ Iesum dñm,se uero seruum illorũ propter Iesum,quasi dicat:Quod autẽ pȩdico nõ meipsum sed Christũ Iesum dñm,me uero seruum uestrũ propter Iesum,ex eo est, quod qui lucem hanc,cuius sum minister, è tenebris illucescere iussit,Deus est, cuius gratiæ & uoluntati consecratus ad hoc sum, ut seruiam & ipsi & uobis propter Christum.

QVONIAM Deus est,inquit,qui iussit è tenebris lucẽ illucescere.] Vt per tenebras ignorantiã Dei errorũ plenã, in qua regnũ est Satanę,ita per lucẽ cognitionẽ ueritatis Dei,in qua regnum est Christi unigeniti Dei,intelligit.Est itaq; sensus.Quoniã nõ obsequor humano cõsilio,dũ Christum prædico, sed uolũtati ac mãdato Dei, qui uoluit ac iussit,ut ueritas prædicetur inter Gẽtes,ibiq; instar lucis è medijs tenebris illucescat. Loquit̃ omnino de eo quod uocatus & constitutus erat diuinitus, ut esset Apostolus ac doctor Gentium,id quod Iudaicam gentem habebat pessime, & magna pars eorum qui crediderant ex circumcisione, hac erant opinione, nõ esse Christum pręedicãdum Gentibus. Tuetur igitur Apostolatũ suum authoritate diuina dicẽs: Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere. Quid erant Gentes toto terrarũ orbe aliud, quod religionem ac scientiã Dei attinet,quàm crassissimæ quædã tenebræ? Erant enim sine Deo, Eph.2. in quo solo lux est mentiũ. E tenebris illis lux ueritatis ac scientiæ Dei per ministeriũ & prędicationem Apostoli huius illuxit,dum scientia Dei & fides in Christum locum in illis inuenit. Et hoc factum est iussu Dei, ideoq; inefficax esse nõ potuit, nisi apud incredulos & excæcatos tantum perditioni destinatos ac pereuntes.

Quod autem mandatum hoc de illuminandis Gentibus, peculiariter datum fuerit Paulo, uidere est Actorum uigesimosexto, in uerbis ipsius Seruatoris cœlitus ad illũ factis, ubi sic legitur: Ad hoc apparui tibi,ut constituam te ministrum & testem eorum quæ uidisti, & eorum,quibus apparebo tibi,eripiẽs te de populis & Gentibus, ad quas nunc ego mitto te, ut aperiantur oculi eorũ,& conuertantur è tenebris ad lucẽ,& de potestate Satanæ ad Deũ. Sic intelligo quod hic dicit: qui iussit è tenebris lucem illucescere, de illuminatione Gentium facta iussu Dei per Euangelium à Paulo prædicatum. Alij illud,è tenebris, ad ministerium humanum, alij ad umbras legis, alij aliò referunt,uerum res ipsa satis monet,dictũ esse de tenebris Gentium.

Quicquid igitur lucis etiamnũ est inter nos qui sumus Christiani ex Gẽtibus, ex iussu Dei est,iussit Deus, factum est, nec fieri nõ potuit. Et iussionis huius efficaciæ, debemus lucem Euãgelij Christi, cui ne portæ inferorum quidem resistere poterunt. E tenebris iussit Deus illucescere lucem. Quis faciet ne sit quod De⁹ esse iubet? Hæc diuina iussio firmior est quàm ut ullis possit Tyrannorum uiribus irrita reddi. Filij tenebrarũ,lucis osores, doctrinæ Pauli, per quã maiores nostri ad cognitionẽ Christi perducti sunt,infensissime aduersantur.Est odium hoc antiquum,inueteratum,& incurabile. At interim uirtute diuinæ iussionis lux Euangelij Dei è medijs tenebris illuxit,illucescit,& ad finẽ usq; illucescet, etsi non in omnibus,in ijs tamen qui præordinati sunt ad uitã, & ob id recte filij lucis uocantur.

QVI luxit,inquit,in cordibus nostris,ad illuminationem cognitionis glorię Dei in facie Iesu Christi.] Sensus est. Qui ad hoc in me lucem ueritatis excitauit,ut per me Gentes illuminaret ad cognoscendam gloriam suam, in Christo relucentem. Luxit Deus in corde Apostoli,dum eum luce cognitionis Christi donauit,hoc est,oculos cordis ipsius ad uidendã ueritatis suæ lucem spiritu suo aperuit & illuminauit,quam illuminationem mentis per eã adumbrauit,qua illi oculos corporis ministerio Ananiæ cũ baptizãdus esset aperuit. Act.9. Luxit autem in corde illius ad illuminationẽ Gẽtium per quam cognoscerẽt gloriam,id est, claritatem Dei multo excellẽtius in facie Christi q̃ cum lex daretur in facie Moysis relucentem.Hoc est uidelicet quod dicit: ad illuminationẽ cognitionis glorię Dei in facie Iesu Christi.Quod si quis ista pręcedentis particulæ expositionem habere,& ad eã esse illuminationẽ referẽda putat qua cor Apostoli illuminatum fuit à Deo,eum sensum nullus reiecero.

QVI luxit,inquit,in cordibus nostris.] Obserua diligenter quod Apostolum suum Deus, per quem illuminaturus erat Gentes, prius illuminauit,q̃ ad illuminãdum alios emitteret. Nec mirum.Quis enim ita desipit ut per lucernam non accensam lucis aliquid præstari posse putet? Paterfamilias lucernam unde domesticos suos illuminare constituit,primum accẽdit,deinde candelabro ardentem ac lucentem imponit,ut qui in domo sunt uideant. Sic De⁹ prophetas & apostolos, quos instar lucernarum candelabris est in domo sua impositurus, luce sua, id est uiua ueritatis suæ cognitione, accendit & illuminat,quo per eos cæteros illuminare possit. At, ô Christe, lux uera,unde illumi-

luminamur omnes,quales stāt hodie in eccle-sijs tuis lucernæ? Aliæ lychnos habent extin-ctos & fumigantes, sicut fœtorem fumi qui non assueuerunt ægerrimè ferant, aliæ nun-quam accensæ, ne scintillulam quidem osten-dunt, & interim templa replent candelis ac lampadibus,noctu ac die,non sine sumptu ar-dentibus,noctu cum nemo adest, nisi cæcæ i-magines & uespertiliones, & bubones, inter-diu, cum Sol ille clarissimus omnium oculos splendore suo illuminat. Vnde mentes popu-li tui illuminentur nulla est illis cura, uindi-cant sibi claues scientię Dei & regni cœlorum & interim nec utuntur illis ad aperiendū alijs, nec eos quos tu illuminas lucem abs te acce-ptam,alijs administrare sinunt.

Quid est autem quod non dicit:qui luxit in mentibus nostris,sed,qui luxit in cordibus no stris? Cum lux ista sit perspicuitas cognitionis Dei, cognitio autem magis ad mentem quàm ad cor pertineat, dicendum magis fuisse uide-tur: qui luxit in mentibus nostris, quàm, qui luxit in cordibus nostris.

Respondeo. Si in luce hac cognitionis Dei præter scientiæ perspicuitatem ac claritatem, nihil esset aliud,conuenientius utiq; dixisset: qui luxit in mentibus nostris, quàm, qui luxit in cordibus nostris. Verum cum claritate sciē-tiæ Dei coniunctus est,& fidei zelus,quæ sane fides nō mētis est,sed cordis. Propter hāc recte dixit: qui luxit in cordibus nostris. Cognitio-nem & fidem Christi coniunctim exprimebat Petrus,cum Ioan.6.diceret,Domine,ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes,& nos cre-dimus & cognouimus,quod tu es Christus fi-lius Dei uiui. Sic in ueris fidelibus lux uerita-tis Christi, nec claritatē habet sine ardore, nec ardorem sine claritate, hoc est, nec cognitionē sine fide,nec fidem sine cognitione Dei.

AD illuminationē,inquit, cognitionis glo-riæ Dei.] Illuminatio uisionis proprie est illu-minatio oculorum ad uidēdum. Sic illumina-tio cognitionis, metaphorice illuminatio est mentis ad cognoscendum. Vt igitur ne Solem quidem, quo clarius nihil in hac tota est cœli terræq; machina uidere possunt oculi, nisi be-neficio Dei accepta sint uidendi facultate illu-minati, ita gloriam Dei in Christo, longe om-nium clarissime relucentē, humanę nequeunt per se cognoscere mentes, nisi singulari gratia diuinæ illuminationis illustratæ.

GLORIAE Dei,inqt.] Poterat dicere,glorię Christi, quemadmodum paulo ante Euange-lio lumen gloriæ Christi dedit dicens: ne illu-cescat illis lumen Euangelij gloriæ Christi. Verum studio subinde mentionem facit Dei, ut quæ Christi sunt, cum Deo patre illi com-munia esse admoneat.

Cogitet autem diligens lector,quid sibi ue-lit, quod toties uoculam δόξης, id est, gloriæ pro claritate ponit Apostolus. Sic comparatū est in rebus humanis, ut quicquid clarum est ac splendidum, pro glorioso & magnifico ha-beatur. Vnde dum gloriosos appellare uolu-mus mundi huius potentes, uocamus illustris simos & clarissimos. Quid autem clarius est & illustrius,quàm cōsilium illud Dei, quo per unigenitum suum totum se uoluit, quantus quantus est ad saluandum genus humanum profundere? Sed hæc claritas non perspicitur oculis carnis, sed percipitur oculis mentis, ab ipsa claritate cognoscēda diuinitus illumina-tis. Qui claritati igitur in rebus humanis mul-tum tribuunt gloriæ,leuent mentis oculos,ad contemplandum claritatem Dei in Christo Ie su. Hanc si uel modice contemplari cœperint omnem huius mundi claritatem nihil minus, quàm gloriosam esse iudicabunt.

IN facie Iesu Christi, inquit.] Admirantur Iudæi claritatem,quæ ad tempus olim in facie Mosis illuxit, quam tamen uidere nō possunt, sed legunt duntaxat & audiunt, qualis olim fuerit. Vbi tamen litera nō habet aliud, quàm quod fuerit cornea,longe inferior ea claritate, quam in Sole hoc uisibili uidemus quotidie, nedum illa,qua gloria Dei in facie Christi uni-geniti illius resplendet,illisq; tantum nota est, qui mentis illam oculis intuentur.

Non loquitur autem de corporea Christi fa-cie, sed de ea quæ salutis nostræ dispensatio-nem spectandam proponit. Imago Dei Chri-stus est. Facies imaginis huius spectanda pro-ponitur in uerbi incarnati mysterio in quo glo ria unigeniti in mundum hunc pro salute ge-neris humani missi uisenda exhibetur. Pictam Christi faciem ostentant Pontificij summa re-ligione uenerandam, quam uiuam uiderunt innumeri sine aliquo salutis emolumento. Fa-ciem hominis ostentant pro pictoris arbitrio delineatam,non ad uiuum expressam, in qua non gloria Dei,sed artificium pictoris & quæ-stus Pōtificum spectatur,& interim faciē Chri sti in qua imago Dei cernitur traditionibus & constitutionibus suis uelut obducto uelo ob-scurant & occultant.

Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur, labo-ramus, at non destituimur, persequutio-nem patimur, at non deserimur, deijci-mur, at non perimus, semper mortifica-tionē domini Iesu in corpore circūferen-tes, ut & uita Iesu in corpore nostro ma-nifestetur. Sēper enim nos qui uiuimus in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali car-ne nostra. Itaq; mors quidem in nobis a-git, uita autem in uobis.

Hactenus primam capitis huius partem ab-soluit, in qua de ministerij sui synceritate & sin gulari luce quædam meminit. Subijcit iam al teram de afflictionibus suis & cōsolationib⁹.

HABEMVS autem thesaurum hunc in testaceis uasculis inquit.] Habet hoc in more, ut ubi de ministerij sui eminẽtia & efficacia loquitur, annectat quædam uel de personæ suę humilitate, uel de afflictionibus quas indesinentes patiebatur, ne quid sibijpsi de gloria ministerij sui uindicare uideatur. Facit hoc in præsenti quoq; materia, facit autẽ propter pseudapostolos, quibus hoc erat in consueto, ut ex afflictionibus ipsius argumentum captarent uilipendẽdi ipsius ministerium. Quare meminit hic non simpliciter afflictionum suarũ sed annectit experimenta diuinæ potentiæ, quæ in omnibus ipsius afflictionibus ubertim ædebantur. Sic mox initio comparat quidem se testaceo uasculo, quod & infirmum est, & fragile, & cuius fractura haud magnæ iacturę æstimari solet. Verum addit, in hoc se testaceo uasculo thesaurum illum habere, de quo gloriatus est in præcedentibus.

HABEMVS autẽ thesaurum hunc, inquit, in testaceis uasculis.] Nõ simpliciter thesaurum, sed hunc, inquit, thesaurum habemus. Quem? De quo uidelicet loquutus est dicẽs: Deus est, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationẽ cognitionis glorię Dei in facie Iesu. Illuminatio cordis ad cognoscendum gloriam Dei in Christo, thesaurus est incomparabilis, & omniũ preciosissimus. Quid enim preciosius eo poterit esse thesauro, in quo est nõ caducũ aliquod sed æternæ uitæ bonum? Hæc est uita æterna, inquit ipse seruator, ut cognoscãt te Deum patrem & quem misisti Iesum Christum Ioan. 17. Quantumuis magnus huius mundi thesaurus recondatur, præstantiori tamen usui accomodari seruireq; non potest, q̃ præsenti uitæ uel seruandæ uel redimendæ, idq; non à Deo sed ab hostibus. At iste cognitionis Dei thesaurus praxeuus est non temporariæ huius sed æternæ uitæ. Quare illo tanto est preciosior, quanto caducam hanc uitam excellit æterna.

IN uasis testaceis inquit.] Non loquitur de corporis sui fragilitate sed de personę suæ humilitate, quam pseudapostoli diuexabant. Illã cõparat testaceo uasculo, quasi dicat, utut magni uestri Apostoli personæ meę humilitatem contemnant, & contemptui coram omnibus exponant nolint uelint tamen relinquent mihi thesaurum hũc, quem mihi dominus haud aliter q̃ testaceo uasculo circumferendum concredere dignatus est. Quid est autem, quod infirmitatem & humilitatem uasculi huius diuexant, & non magis thesaurum cœlestem in illo reconditum agnoscunt? Quis adeo demens est ut thesauro in testaceo uasculo reperto nõ magis exultet propter thesaurum quàm quiritetur propter humilitatem uasculi? Qui hodie præstantes Christi ministros propterea quod externa sunt uitæ huius conditione & fortuna non illustres sed humiles, quantumuis ecclesijs Christi utiles existant, contemptui habent, sic non desipiũt, ut si quis ipsis auri uel argenti uel lapidum preciosorum thesaurum in uasculo testaceo reconditum, & alicundè effossum adferat propter uasculi uilitatẽ ipsum à se thesaurum reijciant ac dicant: Quid mihi uasculũ hoc testaceum? Et interea cœlestem thesaurum in uasibus figulinis reconditum propter externæ faciei humilitatem respuunt, non intelligẽtes quo consilio Deus thesaurum suum à sapientibus mundi huius abscondat, & paruulis manifestet. Matth. 11.

Scio Chrysostomum cum nonnullis alijs similitudinem uasorum testaceorum referre ad humanam fragilitatem, omnibus communẽ. Sane si illa imò & carnis nostrę origo cõsyderetur, quid est corpus humanum aliud quàm testaceũ uasculũ? An nõ est è limo terræ opificio Dei formatum? An non sic est fragile, ut omnis ipsius gloria uix herbulæ ac flori caduco possit comparari? Et in huiusmodi testaceis uasculis omnes illi thesauri donorum Dei, quæ mortalibus conferuntur utique habentur. Quisnam est Rex ille, qui Regiæ potentiæ gloriam non habeat in uasculo testaceo? uerum, quemadmodum exposuimus, non respicit Apostolus hoc loco ad corporis sui fragilitatem, quã cum cæteris habebat mortalibus communem, sed ad personæ suæ humilitatem, in oculis mũdi contemptibilem, perinde atque in domibus diuitum inter uasa aurea, argentea & ænea uiliora censentur testacea. Tales erant Apostoli in hoc mundo, nullis humanæ sapientiæ, potẽtiæ, & fortunæ prærogatiuis spectabiles. Non erant potentes, nobiles aut sapientes, sed homines uulgares, ac præterea Iudæi, quæ gens passim despicatissima habebatur. Hoc respectu sordebat Euangelium potentibus ac sapiẽtibus huius mundi. Quod si quis expositionẽ Chrysostomi sequẽdam putat, per me id licet. Tandẽ ille tamen in hanc quam ponimus disserendo declinat.

VT uirtutis eminentia sit Dei, inquit, & nõ ex nobis.] Reddit rationem quare thesaurum hunc Deus testaceis uasculis, committere uoluerit: uide autem quàm reddat. Poterat dicere, ut confundantur uasa preciosa, aurea, argentea, hoc est, sapientes ac potentes huius mundi, dum inanes relinquuntur, & thesaurũ hunc in uasculis testaceis agnoscere non sustinent. In præcedenti Epistola cum uocationem fidelium consyderandam proponeret, quare Deus infirma mundi elegerit, hanc rationem reddidit dicens, ut confundat fortia. Eam poterat assignare & hoc loco perinde atque illic, uerum consultius & argumento quod tractabat uicinius uisum est hanc reddere, quæ minus pateret inuidiæ, & facilius posset agnosci. Sic dicit: ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis. Hoc est, ut uirtutis huius gloria, quæ tã excellenter in efficacia Apostolatus mei passim ostenditur, nõ ad nos, sed ad ipsum Deum referatur. Vel, ut eminentia uirtutis, id est, excellens hæc ministerij nostri uirtus & efficacia agnoscatur esse ex Deo & non ex nobis. Sane etiamsi aureo uasculo thesaurum hunc imposuisset

ſuiſſet Deus, nihilominus in ſe fuiſſet illius efficacia non ex uaſculo, ſed ex ipſo. Quod igitur poſuit illum in uaſculo teſtaceo, non ad id eſt factum, ut uirtus illius eſſet ipſius, ſed ut eſſe ipſius perſpicue monſtraretur. Sic eſt caro comparata, ut quamuis ſit infirma, aſpiret tamen ad gloriam operum Dei, quę non ipſa, ſed Deus operatur in ipſa.

Quare iuſtiſsimo conſilio Deus ſic ſuam in illa uirtutem operatur, ut Sole clarius fiat, non illius eſſe uirtutem in ijs quæ fiunt, ſed Dei. Huc facit, quod uirtutem ſuam exercet in uaſculis non aureis, argenteis, eburneis, &c. ſed teſtaceis, id eſt, ſic infirmis, ut nulla illis poſsit ratione gloria eorum quæ fiunt tribui, ſed indubitatum ſit, uni eſſe Deo adſcribendã.

Obſecro, quid uniuerſa eſt orbis huius machina? cœlum, aër, aqua, ignis, terra? ſi conferatur ad eminentiam uirtutis, quam in illis diuina Maieſtas, inde ab initio ad finem uſque declarat? Eſt ne quid in illa, quod dignum & conueniens tantæ ſit uirtutis operationibus? Si beſtias non modo minutas, ſed & grandes inſpicias, meliores ne ſunt teſtaceis uaſculis? At quantam in illis & per illas uirtutem declarat opifex omnium Deus? Homo quid eſt, inquit propheta, quod memor es eius? &c. Et uanitas uanitatum omnis homo uiuens.

Nihilo tamen minus quantæ in illo diuinæ uirtutis operationes indeſinenter relucēt? Ipſe uirginis uterus, unde natus eſt unigenitus Dei, quid erat aliud quàm uaſculum teſtaceum, in ſe conſyderatus? Quãtum ille theſaurum concepit, geſtauit, aluit, ac peperit? Ipſæ natalium Chriſti, educationis, & conuerſationis circumſtantiæ, quàm fuerunt humiles in oculis mundi? At interim habebãt cœleſtium bonorum omnium theſaurum Chriſtũ filium Dei, humani generis Seruatorem.

Hæc & quæ alia ſunt eiuſmodi omnia, ad quæ apoſtolorum humilitatem referimus, ſi conſyderentur, luce clarius demõſtrant, ſic placere Deo, ut uirtutem ſuam in rebus infirmis perficiat, quo ſicut Apoſtolus hic dicit, eminentia ac gloria illius ipſius ſit non illarum. Quare uehemẽter peccant, qui operũ Dei uirtutẽ, uel contemnũt propter teſtacea uaſa, uel nõ Deo, ſed uaſculis tribuũt, in quibus illa perficiũtur.

DVM in omnibus premimur, inquit, at non anxij reddimur.] Græce eſt, ἐν παντὶ θλιβόμενοι ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. Illud, ἐν παντὶ, id eſt, in omni, deſyderat aliquid quo referatur, ſiue locũ, ſiue tempus. Si referas ad locũ, idem eſt, quod ubique & paſsim, ſi ad tempus ſonat, ſemper, uerum interpretes retuliſſe uidentur ad cauſas, res, & negocia, dum reddiderunt, in omnibus. Deinde illud, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι, malim reddere, ſed non in arctum redigimur, quàm, at non anxij reddimur. στενοχωροῦσθαι, ſiquidem ſignificat loco eſſe ſic anguſto & arcto, ut nec progredi, nec retrocedere, nec ullum in latus declinare liceat.

Quoniam theſaurũ ſe hunc Euangelicæ lucis in uaſculis teſtaceis habere dixit, quo uirtutis eminentia non ex ſe ſit, ſed ex Deo, conſequenter id reipſa comprobari declarat. Quaſi dicat: Etenim quid aliud quàm excellentia diuinæ uirtutis in eo declaratur, quod dum premimur in omnibus, laboramus, perſequutionem patimur, ac deijcimur, in arctum tamẽ nõ redigimur, nõ deſtituimur, nõ deſerimur, non perimus? Quàm facile eſt fictile uaſculum premendo ac proijciendo confringere, tam eſſet facile modica nos preſſura conquaſſari ac confringi, niſi diuina uirtute ſeruaremur in omnibus. Seruamur autem in hunc uſq; diẽ, & contra omnium opinionẽ in tot, tamq; grauibus afflictionibus, preſſuris, ac perſequutionibus duramus mundo ac Satana inuito. Quo igitur humiliores & abiectiores ſum⁹, hoc magis in nobis diuinæ uirtutis eminentia relucet. Humilitatem perſonæ meæ uident ac diuexãt ueſtri magiſtri, quur uirtutem Dei conſeruatricẽ illius non uident?

DVM in omnib⁹ premimur, inquit.] Particulæ huius expoſitio uidebit̃ infra cap. 12. Nos admonemur, quæ ſit in hoc mundo ſors & cõditio uerorũ Chriſti miniſtrorũ, ueritatis ſunt miniſtri. At illa peregrina eſt in terris, & inter extraneos facile inimicos ſortit̃, ut ille ait. Spiritum ueritatis, teſte Chriſto, mundus hic accipere non poteſt. Quid poterit igitur conſequi aliud, q̃ ut miniſter Chriſti, ſpiritu ueritatis imbutus, nuſquã non in reprobos incurrat, à quibus prematur in omnibus? Imò ne à fratribus quidem ſecurus ſit perpetuo, inter quos multi ſunt Caini, homines carnales, & odio fraterno laborantes.

AT nõ in arctũ redigimur, inquit.] Qui ꝑmitur, hoc fine premit̃, ut in anguſtũ redact⁹ opprimat̃. Dũ potẽtes premũt imbecilles, multi paucos, prudẽtes & aſtuti ſimplices & idiotas, nihil expectat̃ aliud, q̃ ut opprimãt quos premũt & opprimere ſatagũt. Sic ꝑpetuo uidebatur in oculis mũdi Chriſtianiſmũ ſtare nõ poſſe, quãdoquidẽ totius erat orbis potẽtũ ac prudẽtũ infeſtationib⁹ ac ꝑſſuris obnoxius. At in hũc uſq; diẽ perſtitit, nec ꝑſtitit tantũ, ſed & in medijs ꝑſſuris creuit, & inſtar palmæ magis ac magis in ſublime ſubnix⁹ eſt. Quid hodie Antichriſtus agit aliud, q̃ ut ꝑſſuris, multis, uarijs, grauib⁹, & irremiſsis in omnib⁹ regnis, triplici ſuo diademati ſubiectis, miniſtros ueritatis opprimat? At illi beneficio Chriſti nondũ ſunt in arctũ redacti. Redacti uidebãtur, cũ Euãgelicę ꝓfeſsionis principes ac magiſtrat⁹ placitis aduerſariorũ manus dare cogerentur, uerũ ibi quoq; diuina uirt⁹ emicuit, dũ ꝑſſuris illis terminũ impoſuit, & eos q in anguſtũ redacti uidebãt̃, ĩ ſpacioſã latitudinẽ reſtituit. Hęc dicẽs Apoſt. non excludit animi afflicti pathos ſiue anxietatẽ, ſiue triſtitiã, ſiue metũ, ſed admonet nõ ſic ſe redigi in arctũ, ut nuſq̃ det̃ exitus, ſed diuina uirtute ex omnib⁹ ſe preſſuris liberari.

LABORAMVS, inquit, & nõ deſtituimur.] Græce eſt, ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. Significat

ἀπορεῖσθαι inopem esse, & sumitur aliquando de consilij, aliquãdo de rerum necessariarum inopia. Et hinc est expositionum, imò & lectionis uariatio. Vetus interpres reddidit, aporiamur. Et lyranus exponit, id est, depauperamur, & dicitur aporos grece quod est pauper latine. Ambrosius sic. Inopiam passi sed non destituti, id est, i inopia positis assuit pastor Deus. Theophylactus utriusq; & consilij & rerum inopię sententiam posuit. Germanicus interpres sic uertit. *Vns ist bang, aber wir verzagen nit*. Erasmus, laboramus, inquit, usurpauit uerbum laborãdi, quod utriq; sensui conuenire potest. Ipse Apostolus usus est hoc uerbo Gal. 4. dicens ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν, id est, cõsilij inops sum in uobis. Et Ioan. 13. sic habetur. Intuentes alius alium discipuli ἀπορούμενοι. i. hæsitantes, de quo nam diceret. Verbo ἐξαπορηθῆναι usus est Apostolus & suprà cap. 1. ad hũc modum ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. i. ut de uita quoq; desperaremus. Placet igitur ut hic quoq; eũdem uocum istarum sensum retineamus, ac legamus, perplexi, sed non desperabũdi. Ipsam duarũ istarũ uocum allusionem duabus latinis uocibus exprimere non possumus, Germanicis possemus & facilius & melius. Nolim tamen admodum reluctari illis, qui de rerum inopia intelligunt, qua, ut infrà cap. 11. Videbimus, Apostolus iste nõnunquã laborauit. Sane quãuis esuriẽ passus sit, nunquam tamen passus illã est ad extremum usq; discrimen, sed semper illi in tempore diuina prouidentia succurrit. Sic diceremus germanice, *Wir leiden wol hunger, werden aber nit vßgehungert*, ut dictũ sit ad similitudinem eorum qui in præsidijs obsessi fame & inopia rerum arctantur & ad deditionem sollicitantur, qui tamen utut rerum omnium inopia pressi fidem principi suo seruantes ad deditionem cogi non possunt sed præstant & tandem liberantur. Cõsimili plane modo thesaurum Christi principis sui Apostolus tanta fide custodiuit, ut nulla posset rerum inopia ad proditionem illius adigi, atq; ita ἀπορηθῆναι quidem potuit, ἐξαπορηθῆναι uero non potuit. Ea uidelicet erat diuinæ uirtutis efficacia confirmatus.

Si uerbum ἐξαπορηθῆναι desperandi sensu acceperimus nascitur quęstio, quomodo neget hic se fieri desperabũdum, cum suprà cap. 1. loco citato dixerit se adeo fuisse supra modum grauatum in Asia, ut de uita quoque desperaret. Ad hanc quæstionem respondemus, aliud esse desperare de uita hac præsenti & aliud desperare de causa ipsa propter quam in discrimen ueneris. De uita sua desperauit Paulus cũ supra modum grauaretur in Asia, de ipsa uero causa propter quam grauabatur, nequaquam desperauit: aliàs illam desperatione uictus deseruisset, deseruit autem nullo modo, sed ad finem usque in fide & ministerio suo diuina uirtute suffultus perdurauit.

PERSEQVVTIONEM patimur, inquit, sed in ea non deserimur.] Persequutionibus agitatum uasculũ testaceum ac fragile diu posse durare, uerosimile non est. At uolebat dominus ut duraret. Cum igitur per se durare non posset, affuit illi sua uirtute, & in medijs persequutionibus præter omnium opinionem seruauit. Erat igitur argumẽtum in eo diuinæ uirtutis, quod in persequutionibus tandiu durare poterat, id quod pseudapostoli egregie dissimulabant, & interim propter crebras persequutiones Apostolum Christi contemptui exponebant.

Quid si referas ista ad omnes Christi fideles, qui pie in hoc mundo uiuere uolentes persequutionem patiũtur, & è quibus multi in persequutionibus necãtur? An de illis quoq; prędicari potest, quod persequutionem patiẽtes non deserantur? Si suos Deus in persequutionibus non deserit, quid est quod Christus ipse in cruce clamauit: Deus meus, Deus meus quare deseruisti me? Respondeo, deserendi duplex esse genus. Vnum quo suos Deus in persequutionibus sic seruat, ut è manibus impiorum incolumes eripiantur, ac præter spem omnium in uita hac seruẽtur. Sic Apostolum suũ & multos alios sæpenumero pręsenti ope seruauit & eripuit. Alterum, quo licet de uita periclitantes in ipsa tamen causa, propter quam periclitantur, non deserit, sed cõstantes in fide seruat. Vtroq; modo Apostolum suum, posteriore omnes eos fideles conseruat, qui in ipsis persequutionibus occiduntur.

DEIICIMVR, at nõ perimus, inquit.] Loquitur ad similitudinẽ eorum, qui in conflictu καταβάλλονται. id est, deijciuntur ac prosternũtur ab hoste, & tamen sic seruãtur & eriguntur, ut nõ pereant, sed rursus erecti in hostẽ uehãtur. Sic ipse quoq; etiamsi frequenter, ueluti in terram deijceretur, dũ iam carceri includeretur, iam uirgis cęderetur, iam lapidaretur, iam alijs atq; alijs afflictionibus prosterneretur, haudquaq̃ tamẽ peribat, sed ope diuina erectus fortius in opere domini pergebat. Existimo eum non loqui de animi perculsi deiectione, sed ad similitudinẽ pugnãtiũ de uarijs afflictionibus, uelut ictibus, quibus in oculis mũdi prosterni, ac uinci uidebatur. Et hac quoq; ratione excellẽs in eo uirtus Dei declarabatur, quod toties prostratus non peribat. Quis non singulari felicitate usum dicat eum qui aliquoties in conflictu prælij, ꝓstratus nõ modo nõ perierit, sed tandẽ & uictor euaserit? At reuera multo præclarior in Paulo uirtus declarata fuit, quod præter spem omnium è tam grauibus frequẽter periculis liberatus uictor abibat.

SEMPER mortificationẽ dñi Iesu in corpore circũferẽtes, inquit, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Sẽper enim nos qui uiuimus in mortem tradimur propter Iesum, &c.] Cohærẽt ista. Sẽsus est. Quid dico? Ipsam mortificationem domini Iesu indesinenter circumfero in corpore meo. Vocat autem mortificationem domini Iesu, non quam dominus passus est in suo corpore, sed quã ipse propter dominum indesinenter subibat.

Sic

Sic enim exponens subijcit. Séper enim nos qui uiuim⁹ in morté tradimur propter Iesum. Quemadmodum igitur suprà cap.1. afflictiões quas pro Christi nomine ferebat Christi uocat afflictiones, ita hic mortificationé corporis sui in quam propter dominum tradebatur quotidie, dñi Iesu mortificationem appellat.

SEMPER, inquit, mortificationem dñi Iesu in corpore circumferétes.] Quoniá crebris periculorum incursibus ad internecionem ab impijs impetebatur, quid uidebatur aliud q̃ homo prorsus neci destinat⁹, qui ipsam morté uelut umbram insequentem se circũferret? perinde atq; ouiculæ mactationi destinatæ, siue sint in pascuis siue in ouili, mactationem sui circumferunt. Sic loquitur non de ueteris Adę corporis peccati ac membrorum ipsius sed de carnis suæ mortificatione, hoc est, de ea qua corpus ipsius, tanquam testaceum uasculum, affligebatur propter dominum.

Nolim tamen admodum digladiari, si quis mortificationem domini hoc loco eam intelligat, quam dominus ipse in corpore suo circũtulit, ut hanc circumferre in corpore suo dicatur, quisquis propter ipsum in mortem tradit⁹ conformis illi redditur, quod alibi uocat compati cum Christo.

VT & uita Iesu in corpore nostro manifestetur inquit.] Exponunt aliter atq; aliter. Potest primo exponi de uita Iesu, in qua ille contra omnium impiorum studia & furias uirtute diuina seruabatur, donec hora esset qua uoluntas crucem subiret & animam suam pro nobis daret. In eiusmodi hominis uita, quæ per omnis generis discrimina seruatur, luculentissimum est diuinæ uirtutis argumentum. Talis fuit uita Christi, talis post Christum extitit & uita Pauli, per quá in corpore ipsius uita Christi manifestabatur.

Potest deinde & sic exponi, ut uita Iesu uita intelligatur hominis non in pace ac securitate sed in afflictionibus & sub cruce uiuẽtis. Vt sit sensus. Exprobrát mihi uestri magistri crebras afflictiones, quas propter Christum perfero. Agnosco illas, imò glorior de illis, tá abest ut uelim eas dissimulare. Dum enim illis indesinenter exercear, quid aliud facio quàm quod mortificationem domini Iesu in corpore meo circũfero? Et hanc circũferendo utiq; ipsam Iesu uitam in corpore meo adũbro, imò manifesto. Talis enim erat uita illius, ut semper morti destinata, & afflictionibsu deuota uideretur. Dũ igitur afflictiones meas diuexant, quid aliud in me quàm ipsam Christi uitam diuexant?

Tertio, Chrysost. & post hunc Theophyl. huiusmodi sensum adferunt. Quod nos mortificationé domini Iesu, afflictiones uidelicet & quotidianas mortes in corpore nostro circũferimus, quid aliud est, quàm quod & uita illius in corpore nostro manifestatur? Quis enim in quotidianis nos mortibus seruat, nisi is qui mortuus, & excitatus uiuit in sempiternum? Quod dominus Iesus, pro quo morior quotidie, adhuc uiuat, in eo satis declaratur, quod me in tam iugi mortificatione contra omniũ opinionem seruat. Sic putát illi perstringi eos qui fidé resurrectiõis mortuorũ in dubiũ uocabát.

Quarto, sunt qui referunt ista ad futurũ sæculum, in quo corpora nostra, quæ nunc mortificationé domini uarijs modis afflicta circũferunt, ad claritatem corporis Christi conformabuntur, ut quemadmodum hic mortis ita illic & uitæ illius imaginé sortiantur, ubi mortalitas ipsorum absorbebitur à uita. Exprimit hoc.2.Tim.2. ad hunc modum. Certus sermo. Si mortui fuerimus cum illo, uiuemus etiá cũ illo, si sufferimus, regnabimus quoq; cum illo. Significat igitur hoc sensu cum dicit: Semper mortificationé domini Iesu in corpore circũferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur, qua spe tot afflictiones ꝓpter Christum sustineat. Hac uidelicet, fore post hanc uitam, ut quemadmodum mortificationis Christi particeps sit in hoc sæculo, ita particeps fiat illius quoq; uitæ in futuro.

Quod autem uerbum manifestandi attinet, ubi dicit: Vt & uita Iesu in corpore nostro manifestetur, existimo referendũ esse ad id, quod uita Iesu abscõdita est in electis ac credẽtibus, per formas mortificationis, quę in corporibus illorũ exercetur, donec in hac carne circũeunt, cum tamen in conspectu Dei nihil sit minus q̃ abscondita, manifestabitur uero, ubi ipse Christus manifestabitur, qua de re Coloss.3. loquitur ad hunc modum. Itaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quęrite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedés, superna curate, nõ terrestria. Si quidé mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Vbi Christus manifestatus fuerit uita nostra, tunc & uos cũ illo manifestabimini in gloria.

SEMPER enim nos qui uiuimus, in morté tradimur ꝓpter Iesum, inqt, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra.] Illud, q uiuimus, Græce οἱ ζῶντες, i. uiuẽtes, nõnulli uertẽdum esse iudicant, dũ uiuimus. i. donec in hac carne ac pſenti uita sumus. Verũ, meo iudicio, magis facit ad mẽté Apostoli, ut legamus, qui uiuimus, q̃, dũ uiuimus. Loquitur adhuc de sua pſona, & exponit quod in præcedenti se mortificationem domini Iesu in corpore suo circũferre dixit. Est autem hic sensus. Mortificationem domini Iesu semper in corpore nostro circũferimus. Quomodo? Quia nos, qui ecce adhuc uiuimus, semper in morté tradimur propter Iesum. Hoc infrà cap.6. sic exprimit: quasi moriẽtes, & ecce uiuimus. Tradebatur in mortem semper propter Iesum quod attinet studia & conatus impiorum, & indesinentia discrimina, & erat quasi moriens, & tamen ecce uiuebat interim, diuina uirtute seruatus. Consyderandam igitur pręsentem opem Dei proponit Corinthijs, per quam in tam crebris ac grauibus periculis, magno cum miraculo contra uim impiorum in uita seruabatur.

VT & uita Iesu, inquit, manifestetur in mortali

tali carne nostra.] Quod in præcedēti dixit, in corpore nostro, id iam sic clarius exprimit: in mortali carne nostra. Non simpliciter, in carne nostra, sed, ĩ mortali carne nostra inquit. Quod carnē suam mortalem uocat ad exprimēdum illius infirmitatem ac fragilitatem facit, qua tā erat mortificatu facilis, q̃ fractu facile est testaceum uasculum, quod eam ob causam fragile uocatur. Quemadmodum admirabile uideretur si uas fictile quotidie ad frangendum traditum non frangeretur interim sed illæsum perseueraret, ita uehementer mirabile erat, quod caro Apostoli semper in mortē propter Christum tradita nō occidebatur sed uiuebat, cum tamē perinde atq; cæterorum hominum esset mortalis. Cum hoc palam & sic fieret, ut latere non posset, an non uita Iesu in mortali ea carne manifestabatur, si intelligas secūdum primam expositionem huius particulæ, quam suprà annotauimus?

Vita Iesu omnino est aut qua ille olim in mūdo hoc cōstitutus sub cruce humilitate & obedientia patris sui uixit, aut qua iam in cœlis uiuit in gloria, aut qua Paulus in tot afflictionibus propter Iesum, uel qua per uirtutem uiuētis in cœlo Iesu, siue qua conformiter uitę Iesu in carne mortali uixit, siue qua post hāc uitam corpore glorificato secundum imaginem clarificati Christi uicturus est. Ex tot sententijs eligat sibi lector, quam existimat præsenti causæ cæteris esse accommodatiorem. Si cui uidebitur, colligat ad hunc modum. Si mortificationem domini Iesu semper in corpore suo Paul⁹ circūferebat, quatenus propter Iesum semper in mortem tradebatur, consimili igitur ratione & uita Iesu in mortali eius carne manifestabatur, quatenus propter Iesum diuina uirtute per tot afflictiones & mortes mirabiliter seruabatur in uita, ut posset dicere, sumus quasi morientes, & ecce uiuimus.

ITAQVE mors quidē in nobis agit, inquit, uita uero in uobis.] Et hæc particula uarie exponitur. Chrysostomus & Theophylactus sic. Nos quidem in periculis sumus, uos autem uita fruimini, quæ ex periculis nostris constat, quippe quibus Euangelium prædicatum est, quo uitam uiuitis sempiternam, & interim uiuitis in pace, extra pericula, quibus nos obruimur quotidie. Et Ambrosius consimili modo: Hæc dicit, inquit, quia pro salute eorum morti subijciebātur. Gentibus enim prędicātes inimicitias sibi excitabant tā à Iudæis q̃ à Gētib⁹ usq; ad mortē. Exponit non de Paulo tantum, sed & de reliquis apostolis. Hi tres in eo cōueniunt, quod uitā intelligunt, quæ est ex prædicatione Euāgelij, nisi quod Chrysostomus adijcit, uos autem nō estis in tantis periculis, sed quiete fruimini, & in illa potimini uita quę est ex istis periculis. Hāc sententiam & recentiores quidam sequūtur. Hieronymus per interrogationem dictū sentit ad hunc modū: Nunquid in nobis semper erit mors, & in uobis uita & futura & præsens?

A Mea sententia cum illis est, qui hisce uerbis pseudapostolos false perstringi iudicāt, qui interea dum in medijs mortib⁹ quotidie uersaretur ipse Apostolus Christianismum talem cū suis meditabantur, in quo agerent absque ullo discrimine securi ac quieti. Hos igitur notans dicit: Itaq; mors quidem in nobis agit, dū quotidie propter Christum in mortē tradimur, in uobis uero agit uita. Quasi dicat: Vos estis securi, dū nos quotidie periclitamur, uidete quales Christiani sitis. Verum nō subsistit hoc loco, sed breuiter notat pseudapostolos & eorū assectatores. In priore autē Epistola cap. 4. idē agit fusius, ubi dicit: Iam saturati estis, iam ditati estis, absq; nobis regnū adepti estis, atq; utinam sane adepti sitis, & quæ sequuntur. Duo admittebant pseudapostoli in hac causa, propter quę merito perstringebātur ab Apostolo. Vnum erat, quod persequutiones & afflictiones Christi fugientes, quo securius ac quietius agerent circumcisionem & legis obseruātiam Euangelio Christi cōiungebāt. Alterum, quod Apostolatum Pauli propter crebras illius afflictiones contēptui exponebant. Quare merito hoc illis obijcit, quod in se mors, in ipsis uita ageret. Aliàs frequenter hęc accidit in ecclesijs Christi diuersitas, ut dū alij uersantur in morte, agant alij in uita, pace ac securitate. An non in fratribus nostris, qui sunt in Anglia, Gallia, Italia, Hispania agit mors, in nobis uero uita, q uersam ur ijs locis Germaniæ, in quibus libertas hab tur Euāgelicæ doctrinæ ac religionis? B Illi uari s afflictionib⁹ exagitantur & uelut oues occisionis neci traduntur propter Euangeliū Christi: Nos eidē adhærētes Euāgelio uiuim⁹ in pace ac securitate. Et utinā nō patiamur aliquando lōgæ pacis mala. Potest hęc diuersitas ex diuina dispositione in ecclesijs esse fideliū. Verum id excusari nō poterit, quod nōnulli sic administrant Euangeliū Christi, ut nullis fiant periculis obnoxij in hoc mundo, & interim eos qui ueritatis gratia affligantur, pro irrequietis & seditiosis habent, qui suapte culpa incidant in discrimina uitæ, quēadmodū nec eos probare possum⁹, qui cū phanatico spiritu exagitati turbēt ecclesias, & eā ob causam legib⁹ Magistratuū coërceātur, ministros Euāgelij uētris seruos uocāt, & de afflictionib⁹ suis gloriātes improperāt illis quietē ac pacē, quasi illā non diuino beneficio acceptā sed malo corruptæ doctrinæ studio acquisitā habeāt. Verū argumentum corruptæ doctrinę non est mox in quiete ac securitate uitæ, quemadmodum non mox in afflictionibus ac persequtionibus argumentum est doctrinæ sanæ.

Cæterum cū habeamus eundē spiritū fidei iuxta illud quod scriptū est: Credidi, & ideo loquut⁹ sum: & nos credimus, quapropter & loquimur, scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitabit, & cōstituet uobiscum. Nā omnia propter uos, ut beneficium

ficium quod exũdauit pluribus gratias A agentibus Deo exuberet in gloriã Dei. Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, internus tam[en] renouatur in dies singulos. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ mire suprà modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur temporaria sunt, at quæ non uidentur æterna.

Legendum est non ut Erasmus uertit: Cæterum cum habeamus, quasi ad aliam materiam progrediatur, sed simpliciter ut est in Græco ἔχοντες δὲ, id est, habentes autem eundem spiritum fidei. Sensus est: Quemadmodum autem Dauid olim spiritum habens fidei credebat, & ut credebat loquebatur, sicut scriptum reliquit: credidi & ideo loquutus sum, ita & nos eundem habẽtes fidei spiritum credimus, qua propter & loquimur. Vidẽdum igitur est, unde sumpserit scripturæ locum quem adducit, & quid crediderit Dauid quidq́ue credendo loquut⁹ sit, deinde quid ipse Apostolus crediderit, & quod nam fidei uerbum in præcedentibus protulerit.

Quod locum scripturæ attinet: Credidi, & ideo loquutus sum, habetur ille in Psalmo cẽtesimo sextodecimo, secundum numerum Ebræorũ, ubi legitur ad hunc modum האמנתי B כי אדבר, id est, Credidi quod essem loquuturus. Vel. Credebam cum loquerer. Pagninus uertit: Credidi quãdo loquutus sum. Septuaginta uerterunt: ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα, id est, Credidi, ideo loquutus sum. Quod in Ebræo est כי id est, quoniam, uel cum, illi reddiderunt per διὸ, id est, propterea, ideo propter quod. Et eam lectionem usurpauit Apostolus quod in magno usu & authoritate esset uersio Sept.

Quid autem credens loquutus sit Dauid, diligẽs lector facile intelliget, si Psalmum ipsum attente legat. Circundederunt me, inquit, laquei mortis, angustiæ infernales inuenerant me, angustiam & dolorem inueneram. Et nomen domini inuocabam (dicens) obsecro domine, eripe animam meam. Sic præmisit narrationem discriminis in quo fuerat, & nominis Dei inuocationem, iam audi uerba fidei. Benignus est dominus, & probus, & Deus noster misericors. Custodit paruulos dominus. Hæc erat illius de domino fides. Ex ea quid est loquutus? Sequitur attenuatus sum, at seruabit me. Reuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefaciet tibi. Quoniam eripies animam meam è morte, oculos meos à lachrymis, pedem meum à lapsu. Versabor coram domino in terris uiuentium. Hæc ex fide, qua erat in dominum, loquutus subiũgit: Credidi, cum hæc loquerer, uel, Credidi, ideo loquutus sum. Credebat dominũ esse benignũ, probum, misericordem, custodem ac Seruatorem paruulorum. Sic credens loquebatur uerba fidei, seruabit me, reuertere anima mea in requiem tuam, quia benefaciet tibi dominus. Item: Eripies animam meam è morte, &c. Et Versabor adhuc corã domino (id est, in atrijs domini, in medio Hierusalem, unde fuerat eiectus) in terris uiuentium.

Sic credidit, & sic loquutus est Dauid, neutrum in uanum, sed ueraciter utrunq;, unde & secundum fidem suam liberatus è discrimine extremo redijt Hierosolymam in atria domini, inq; illis reddidit uota sua domino, quæ in discrimine constitutus uouerat, ac sacrificauit illi sacrificium laudis. Iam de Apostolo uideamus, quomodo scripturam hanc ad causam suam citet.

HABENTES autem eundem spiritum fidei inquit.] Intellige, quem habuit Dauid. Est autem spiritus fidei, si loquutionẽ hãc urgeas, aut spiritus credens, uel, fidei seruans, aut spiritus fidem operans in cordibus hominum, aut donũ fidei, ut spiritus, pro dono spiritus accipiatur, sicut spiritus patientiæ, donum est patientiæ, aut ingenium fidei, ut eũdem habere fidei spiritum, idem sit habere fidei ingenium. Verũ hoc loco spiritum fidei pro dono fidei posuit. Nec inuenio locum præter hunc unum, in quo hac sit locutione usus. Nobis autem diligenter obseruandum est, quod cum posset dicere: habentes autem eandem fidem, dixit, habentes autem eundem spiritũ fidei. Meo iudicio, amplius quiddam est habere spiritum fidei, q̃ simpliciter aliquid credere, quemadmodum amplius est habere spiritum sapientiæ, q̃ aliqua in re sapere, amplius habere spiritum spei, spiritũ dilectionis, q̃ simpliciter aliquando sperare, & aliquando diligere. Innumeros reperias, quos & si nonnunquam credere, sperare, diligere & patientes esse uideas, spiritum tamẽ fidei, spei, dilectionis & patientiæ habere non facile dixeris, propterea quod & reliqua illorum uita à tam insigni dono dissideat, & in eo quod recte facere uidentur haud diu perdurent, quorum neutrum in illis deprǽhenditur, qui spiritu sũt fidei, spei, charitatis, & patientiæ imbuti, præsertim excellentius cæteris, quales extiterunt Dauid & Paulus, duo celeberrima ueræ fidei exemplaria.

IVXTA illud quod scriptum est: Credidi, & ideo loquutus sum.] Testificatur igitur de Dauide, quod spiritu fidei eodem quo ipse imbutus crediderit, & q̃ credebat loquuuts sit. Hũc fidei spiritum conuenit in uerbis & factis Dauidis perinde atq; Apostoli uigilanter obseruare. Non in uerbis, inquam, dũtaxat, sed & in factis. Etenim spiritus fidei non loquitur tantum uerba, sed facit etiam opera fidei. Eodem fidei spiritu, quo lingua credentium regitur ad loquendum, regitur & manus ad operandum. Non est eiusdem spiritus argumentum in illis, quorum lingua sonat Christũ, manus uero exprimũt antichristũ, de quibus dici potest, uox quidẽ uox Iacob, man⁹ uero man⁹ sunt Esau.

Quod ob id admoneo, ne quoniam scriptū est: Credidi, & ideo loquutus sum, existimem⁹ satis esse ad declarandum quod fideles simus, si uerba fidei in speciem proferamus, credendumque soli sit linguę, quicquid agāt manus.

ET nos credimus, inquit, quapropter & loquimur.] Non est necessariū ut percurramus hic uniuersam Apostoli fidem, & quæcunque ex illa loquutus est, sed manendum est in termino causæ de qua disserit. Quid igitur in illa credit, & ut credit loquitur? Credebat se per diuinæ uirtutis gratiam non deseri, quantumuis magnis periculis indesinenter inuolueretur, sed semper eripi. Et ut credebat ita est & loquutus, sicuti uidimus in præcedentibus. Quo pertinent & ea quæ subijcit dicens: scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoq; per Iesum suscitabit, & cōstituet uobiscum. Hæc quoniam temerarie dicta uideri poterant, tametsi reipsa cōprobarentur frequenter, ex spiritu tamen fidei asserit à se dici.

Citantur ista contra eos, qui ad salutis suæ rationem satis esse putant, si corde credant, etiamsi quod credunt altissime dissimulēt, nec ullo modo confiteantur. Recte illis obijcitur ingenium hoc fidei, quo sic comparati sunt qui uere credunt, ut quod credunt loquantur etiā & confiteantur, quo admoneātur, ne seipsi fallāt, opinionē fidei ꝓ uera fide amplexi, sed dū alieni ab illius efficacia depræhenduntur in se reuersi pro dono ueræ fidei clament ad dominum. Verum ea de re in Proscæro nostro.

Vtinam autem quod ab Apostolo hic dicitur, & nos credimus quapropter & loquimur, uere posit ab omnibus uerbi Dei ministris dici, in quibus inualescit illorū multitudo, quorum alij magis quæ opinantur quàm, quę credunt ecclesijs pro uerbo Dei proponunt, alij quæ legunt in scripturis, non alio quàm literæ instinctu absq; spiritu & fide in ecclesijs loquūtur. Priores admodū seducunt, posteriores parum ædificant, animum auditoribus non facientes, quia animum ipsi non habent.

SCIENTES, inquit, quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitabit, & constituet uobiscum.] Quoniam uerbū credendi frequenter ab illis quoq; usurpatur, qui quod opinantur credere se dicunt, atq; ita affirmant, ac si sit omnium uerissimum, cum sit inanis opinio, ideo postquam dixit: Et nos credimus, quapropter & loquimur, ne ex inani opinione, & non uera ac certa fide loqui uideatur, non dicit: Credentes, sed, sciētes, quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoq; per Iesum suscitabit & constituet uobiscum.

Sunt autem hæc uerba sic comparata, ut bifariam exponi queant. Primo sic, ut intelligenda sint de suscitatione quæ fit non è sepulcro, sed ex periculis mortis, cuius & suprà capite primo meminit dicens: Quin ipsi in nobisipsis sententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo, qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit

A nos, & eripit, in quo spem fixā habemus, quod etiam posthac sit erepturus.

Quod illic se spem fixam habere dicit, quod erepturus sit ipsum Deus è morte, id in pręsenti sic exprimit, ut scire se dicat, quod qui dominum Iesum suscitauit, se quoq; sit per Iesum suscitaturus, hoc est, per uirtutem domini Iesu è discrimine mortis liberaturus. Et huic sensui pulchrè conuenit quod addit: & constituet uobiscum, hoc est, sic me liberum reddet, ut uobis restitui possim, quo & quod sequitur pertinere uidetur, cum dicit: Nam omnia propter uos, ut beneficium quod exundauit pluribus gratias agentibus, exuberet in gloriam Dei.

Deinde possunt exponi de futura resurrectione, ad hunc modum. Sciētes quod qui dominum Iesum suscitauit è morte, nos quoque per illū in die iudicij quo suscitaturus est mortuos, suscitabit è morte, & uobiscū constituet, ut in sempiternum cōiungamur. Sic, inquam, exponi possunt, si separatim inspiciantur, secus uero, si à sequentibus non auellantur.

Nascitur autem in hoc sensu, quem plerosq; post ueteres amplecti uideo, haud dissimulanda quæstio. Quæri nanq; potest, an post futuram resurrectionem, in statu futuri sæculi, constituendus sit Paulus cum Corinthijs, & si sit, quare cum illis magis quàm cum cæteris fidelibus, quos & ipsos in Christo genuit, &, num cæteri quoq; apostoli, cum illis singuli coniungendi sint, quos cum hic uiuerent ad fidē Christi conuerterunt.

B Et si hoc futurum sit an non eiusmodi coniunctiones locum habituræ sint in cæteris quoq; statibus & ordinibus, ut qui in hac uita coniuncti sunt, in futura quoq; coniunctim uiuant. Talia, & quæ annexa sunt talibus, quæri poterunt hoc loco præsertim à curiosis, & nescio quas sibi futurarum rerum imagines somniantibus, quę à pręsentis sæculi statibus ac moribus haud abludāt. Hāc nos quęstionem, ut curiosam & infrugiferam, perq; solam futuræ uitæ experientiam explicabilē, curiosis hominibus relinquimus, & omnem futuræ nostri coniunctionis rationem & conditionem uni Deo committimus.

Illud autem obseruandum est, quod sensus superioris particulæ, qua se semper propter Iesum in mortē tradi dixit, ut & uita Iesu in carne ipsius mortali manifestetur, à sensu præsentis loci dependet. Si prior expositio tenenda est, sicut apparet, consequitur & illic eam esse tenendam quam primo loco posuimus. Si posterior hic probatur, probanda est & illic, quæ postrema assignatur.

SCIENTES, inquit, quod qui suscitauit dominū Iesum, nos quoq; per Iesum suscitabit.] Non dicit simpliciter: Scientes, quod nos De⁹ suscitabit, sed, Scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitabit. Sumit ergo scientiam hanc, quod se Deus suscitaturus sit, ex eo quod dominum Iesum suscitauerit. Sic fides resurrectionis Christi certā ipsi spē de sui quoq; suscitatione gignebat.

Dicet

Dicet autem quisquam. Ecquæ est illa consequentia? Deus suscitauit dominum Iesum, ergo per hunc suscitare debuit & Paulũ. Suscitauit pater filium suum, quid hoc ad Paulũ? qui & si erat Apostolus, filio tamẽ multo erat inferior.

Respondeo. Non est in hac causa consyderãda in se domini Iesu Christi præstantia & prerogatiua, qua cũctos non homines modo sed & angelos incõparabili dignitate antecellit, sed dignatio diuinę maiestatis, qua filium suũ pro nobis dedit in mortem, & cum eum suscitaret, ꝓ nobis suscitauit, iuxta illud: Qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri. Hac consyderatione omnino consequitur, ut ueraciter dicamus: Scimus quod qui suscitauit dominum Iesum, suscitabit & nos per Iesum, quandoquidem propter nos illum suscitauit.

Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: nos quoq; suscitabit, sed, nos quoq; per Iesum suscitabit. Neq; enim sic eum propter nos suscitauit, ut nos quoq; ꝓpter ipsum suscitet, sed ut sit nobis ille æternæ uitæ author ac dominus, redemptor & Seruator, habeatq; potestatem suscitandi mortuos perinde atq; pater. Quare uigilanter hic dicit Apostolus, nos quoq; per Iesum suscitabit. Et ipse dominus Iohan. quinto dicit: Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, ita & filius quos uult uiuificat. Consulto tamen opus uiuificationis sic tribuit Christo domino, ut sit patris, per ipsum operantis, cum dicit: Qui suscitauit dominum Iesum, nos quoq; suscitabit per Iesum. Et Christus dicebat: pater in me manens ipse facit opera. Ita conuenit nos à Deo patre expectare omnia ut tamen expectemus per Christum, & sic per Christum accipere quæ accipimus, ut tamen à Deo patre dare ea sentiamus. Sol nos illuminat ac fouet, sed per suos radios. Per radios solares accipimus & lucem & calorem, uerum à Sole.

ET constituet uobiscũ, inquit.] Diximus supra, quid quæstionis nascatur, si particulam hanc ad futuram uitam retulerimus, iam ubi eam de restitutione intelligimus, qua se Corinthijs Apostolus è discrimine grauium afflictionum liberatum restituendum fore dicit, quæsierit quisquam, quomodo se hoc scire dicat, cum non legamus uspiã, quod post hasce literas Corinthum uenerit. Respondemus, nõ esse hic excludendum conditionem generalẽ illam, & in omnibus huiusmodi loquutionibus si non exprimitur, necessario subintelligẽdam, uidelicet, si ea uisum fuerit domino. Dubio procul, non sic de scientia sua præsumere uoluit, ut uolũtati ac dispositioni diuinę preiudicaret. Dixit se scire, quod qui dominum Iesum suscitauit, se quoque sit per Iesum suscitaturus. Et adiecit: ac constituet uobiscũ. Sensus est. Sic me suscitabit ut si uidebitur uobiscum constitui possim. Quanquam non est satis firmum, quod nũquam postea uenerit Corinthum, etiamsi scriptum non legatur.

A

NAM omnia propter uos, inquit.] Reddit rationem, unde sciat, quod suscitandus sit per Iesum, & cum ipsis constituendus. Poterat dicere: Nam æquum est ut suscitet per Iesum, quandoquidem propter Iesum in mortem trador quotidie. Verum maluit dicere: Nam omnia propter uos, quo rationem reddat non se sed ipsos concernentem, & non quid æquum sit coram Deo, sed quàm omnia ad ipsorum salutem disponantur à Deo exprimentem. Sensus est: Quod scio fore ut suscitet per Iesum, ac uobiscum constituar, ex eo est, quod scio propter uos geri omnia quæ mecũ geruntur, quo gratiæ ac salutis, quæ in Christo est, sitis participes. Nihil dicit hic aliud, quàm quod suprà cap. 1. dixit ad hunc modum: Siue autem affligimur, id fit pro uestri consolatione ac salute, siue consolationem accipimus, pro uestri consolatione ac salute, &c. Idem 1. Cor. 3. sic protulit: Itaq; ne quis glorietur in hominibus. Omnia nanq; uestra sunt. Magna omnino consolatio ueris pijs ac fidelibus ex eo est, quod sciũt propter se ac suo bono geri diuinitus omnia. Quomodo autem non omnia propter eos gererentur, propter quos non modo cõdita sunt hæc omnia, sed & uerbum illud æternum carnem nostrã assumpsit & Deus homo factus, inq; mortem datus est? Et utinam agnoscerẽt hoc omnes Christi ministri, quod propter electos, uocatos sanctos, ac fideles dispensantur diuinitus omnia, & ea potissimum quæ cum

B

ipsis geruntur, dubio procul, si ad hunc modũ de fidelibus Christi, quibus præsunt, sentirent possentq; ex animo cum Apostolo ad eos dicere: Propter uos sunt omnia, humilius paulò de se ipsis, & honorificentius de illis sentirẽt.

VT beneficiũ quod exundauit, inquit, pluribus gratias agentibus Deo exuberet in gloriam Dei.] Reddit rationem præcedentium. Non est autem ea referenda ad id quod dixit: Nam omnia propter uos, sed ad illud, & constituet uobiscum, sicut per parenthesim legãtur ista ad hunc modum: scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, suscitabit & nos per Iesum, & cõstituet uobiscum (nã omnia propter uos) ut beneficium quod exundauit, pluribus gratias Deo agentibus, exuberet in gloriam Dei. Quasi dicat. Cõstituet nos Deus uobiscum, uelut è morte suscitatos, effecietque ut pro tam insigni abundãtiq; beneficio, quod in multorum usus exundabit, plures sibi gratias agant, cedatq; illud abundanter in ipsius gloriam. Sic per dictionem beneficij intelligo suscitationem ac restitutionem ipsius de qua utraq; dixit, suscitabit & nos per Iesum & constituet uobiscum. Beneficium illud, uel gratia, ut est in Græco, non tam concernebat Apostolum quàm ecclesiã Corinthiorum. Quare uocat illud, beneficium exundans, in usus uidelicet plurimorum. Et reuera usq; adeo exundans gratia est, qua Deus Apostolũ suum tandiu contra impiorum furias seruauit, ac sæpenumero ueluti mortuum suscitauit ecclesijsq;

restituit, ut in hunc illa diem usq; totus Christianus orbis frui possit, modo uelit. Et hac nostra ætate an non hunc Apostolũ suũ Deus tam exuberanti gratia uelut è sepulcro suscitauit nobisq; restituit, ut per ipsum lux ueritatis innumeris illucescere cœperit ecclesijs. Iacebat sepultus, tenebris Papisticæ dominationis immersus. Interea regnabat in ecclesia Simon, ficticius ille Petrus. Huius laruam mox suscitatus Paulus detraxit, & Antichristi faciẽ cunctis spectandã ac detestandam proposuit.

PLVRIBVS, inquit, gratias agẽtibus Deo, exuberet in gloriam Dei.] Rursus admonet Corinthios, ut erga tam luculentam gratiam Dei gratos sese exhibeãt, ac Deum communi gratulatione glorificent. Idem & suprà cap. 1. hisce uerbis expressit: Vt ex multis personis, pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis.

Quod præsentem locũ concernit, obseruãdum est quod gratiarumactionem ad gloriã Dei facere dicit. Beneficia Dei quibus nos afficit, exuberant in gloriam Dei per gratiarumactionem. Nec aliud est in nobis, quod benefactori Deo repẽdere possimus, quàm hoc unũ, ut gratiam illius ex animo deprædicemus, & gratiarumactione nomen illius glorificemus. Et hoc est sacrificium illud laudis, quod in Nouo testamento dominus instituit, ubi mortis suæ rememorationem in corporis ac sanguinis sui sacramento fidelibus suis cõmendauit. Quare celebrationem illius ueteres nõ immerito Eucharistiam uocandam esse censuerunt.

PROPTEREA, inquit, non defatigamur.] In Græco est, ἐκ ἐκκακοῦμεν, qđ supra paulo post initium capitis uertit non degeneramus. Vetus constanter habet: non deficimus. Hinc ad finem usq; capitis memorat, quàm nõ frangaẗ animo propter crebras afflictiones, sed constanter in opere domini pergat. Quibus autẽ respectibus hoc faciat, simul explicat. Ponit autem triplicem respectum. Primum assignat cum dicit: Propterea non defatigamur? Quapropter? Quoniã scimus, quod qui suscitauit dominum Iesum, suscitabit & nos per Iesum, & constituet uobiscum, &c. Hac scientia confirmati, nullis laboribus defatigamur, nec ullis afflictionibus frangimur. Hoc dicens, illorum quoq; animos ad consimilem fidei constantiam, infractamq; malorum tolerantiam excitat. Primus igitur respectus hoc illi loco erat scientia cuius meminit, qua sciebat haudquaquam sibi defuturum dominum. Secundum mox subijcit dicens, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, internus tamẽ renouatur in dies singulos. Poterat dici: Quomodo non defatigaris, cum tot afflictionibus ipsum corpus tuum atteratur quotidie? Respondet. Licet externus homo noster corrumpitur, internus tamẽ renouatur in dies singulos. Quare non est ut defatigemur. Animũ hunc meum nullæ afflictiones frangunt. Renouatur enim quotidie. Illo renouato nihil efficiunt corporis afflictiones, quantumuis magnæ ac crebræ.

A

SED quamuis externus homo noster corrumpitur, inquit.] Per externum hominem corpus intelligit, cum illius conditionibus naturaliter annexis. Partem illam hominis quæ ex carne est corporea, uisibilis, palpabilis, infirma, alterationibus & corruptioni obnoxia, uocat externum hominem, intelligens externam hominis partem. Neq; enim duo sunt homines in uno indiuiduo, sed duę unius hominis partes, exterior & interior: exterior, corpus hoc animatum, interior spiritus. Duabus hisce partibus constat homo. Nos hic admonemur, etiam apostolorum corpora sic fuisse infirma, ut corruptioni essent obnoxia, & rebus aduersis, ac temporis ætatisq; iniurijs attererentur perinde atq; cæterorum mortaliũ. Sic reliquias peccati originis in carne sua pertulerũt & ipsi. Quare conuenit, ut quoties externi nostri hominis infirmitas pro præsentis huius uitæ conditionibus molestatur, illiusq; corruptionem uiui adhuc experimur, communes hasce ęrumnas patienter feramus, cum illas & apostoli in suis corporibus pertulerint, præsertim si hoc fiat in causa regni Christi cõmunisq; nostræ salutis.

INTERNVS tamen renouatur in dies singulos, inquit.] Hoc est, spiritus tamen nouis quotidie consolationibus confirmatur. Chrysost. exponit dicens: Quomodo renouatur? Fide, spe, & animi alacritate. Quasi nouus spiritus est, quoties nouis fidei ac spei auctibus crescit robustiorq; efficitur. Non est autem ociosum quod dicit ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, id est, in dies singulos. Quoniã afflictiones quibus externus homo corrũpebaẗ, erant indesinẽtes & quotidianæ, opus erat ut spiritus è contra nouis quotidie consolationibus renouaretur. Nouit hoc diuina prouidentia, quare pro multitudine afflictionum multiplicat pijs hominibus & consolationes, qua de re & suprà capite primo meminit.

B

Obseruandum uero est, quod corruptionẽ externi hominis renouationi interni coniungit. In sæculo diuersum cernitur. Illic ubi externus homo floret, animosus & inflatus est internus, ubi uero languet & corrumpitur externus, languet etiam & cõcidit internus. Est enim internus in homine carnali sic comparatus ut pro qualitate externi uel sit alacer uel deiectus, iuxta quod externus uel floret uel languet. At in homine pio diuersimode se habet internus homo ab externo. Hic quo externus pinguior est ac floridior, hoc magis ipse marcescit ac languet, cõtra quo ille magis corrumpitur, hoc ipse magis per diuinæ consolationis gratiam renouatur. Ignorant hoc tyranni. Ideo dum se per pressuras externi hominis internum expugnaturos putant, quo magis externum premunt, hoc magis causam dant interno ut ualidior ad quæuis aduersa ferenda reddatur.

NAM

NAM momentanea leuitas afflictionis nostræ, inquit, mire supra modum æternum pōdus gloriæ parit nobis.] Hic est tertius respectus, quo ad constantiam in ferendis afflictionibus permouebatur. Vtilitas uidelicet & fructus afflictionis patienter pro nomine Christi toleratæ. Nam momētanea leuitas, inquit, afflictionis nostrę, &c. Non simpliciter dicit. Nā afflictio nostra parit nobis gloriam, sed & grauitatem afflictionis suæ extenuat prorsus, & fructum illius amplificat in immensum. Extenuatio afflictionis est cum dicit: Nam momētanea leuitas afflictionis nostrę. Vt duplex est grauitas afflictionis, dum & molesta est in se, & diu durat, ita & duplicem ponit extenuationem, unam qua uocat afflictionem suam momentaneam, uelut in momento ac puncto temporis transeuntem, alteram, qua dat illi leuitatem. Sic extenuans afflictiones suas animat fideles ad tolerantiam. Quis enim grauabitur pro nomine Christi tolerare aduersa, si cogitet quàm sint omnia præsentis uitæ mala respectu æternorum leuia & momentanea?

Sed dices. Si leues ac momentaneæ erant afflictiones Apostoli, quomodo suprà cap. 1. dixit se fuisse in Asia grauatum supra modum ac supra uires? Ad hanc quęstionem suprà capite primo respondimus, quare non est ut hic respondeamus.

Amplificat uero afflictionum suarū fructū cum dicit: supra modum æternū pondus gloriæ parit nobis. Illud, mire supra modum, in Græco est καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, id est, secundum excellentiam ad excellētiam. Vetus reddidit: supra modum in sublimitate, quasi duæ sint diuersę uoces. Totus hic locus bimembri oppositione cōstat, qua afflictiones & fructus afflictionum inter se conferūtur. Et utriq; parti datur sua ὑπερβολή, id est, excellentia, ὑπερβολὴ afflictionum est in momentanea leuitate. ὑπερβολὴ futuræ gloriæ est in æternitate. Ordina igitur lectionem ad hunc modum. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ secundū excellentiam, hoc est: Nam leuitas afflictionis nostræ, quæ excellenter momentanea est, ad excellentem æternitatem, uel, ad excellētiam æternam, pōdus gloriæ operatur in nobis. Sic in priori oppositionis mēbro est afflictio, momentanea leuitas & excellentia leuitatis uel breuitatis, in posteriori est gloria, quę afflictioni, est pōdus quod leuitati, est æternitatis excellentia quæ momentaneæ breuitati opponitur. Et est sensus. Nam ex eo quod afflictiones in hac uita, excellenter momentaneas ac leues pro nomine Christi ferimus, nascitur nobis pondus gloriæ ad excellentem ęternitatē, uel, ad excellentiam æternam. Et commentarij qui Hieronymo tribuuntur de hoc sensu annotat. Sic enim habent uel quod tribulationū pondus, quæ supra modum sunt in præsenti, sublimitatem gloriæ æternæ perficiat. Græca possunt sic legi, τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως

A ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν, id est, ἡ καθ' ὑπερβολὴν, quæ uidelicet secundum excellentiam est, qualis fuerat quā pertulerat in Asia de qua suprà capi. 1. dixit, quod per illam καθ' ὑπερβολὴν fuerit grauatus. Et huic lectioni subdiuisio quæ in Gręco post, καθ' ὑπερβολὴν, habetur, fauere uidetur.

Admonemur hac oppositorum collatione, quomodo in afflictionibus constituti præsentium tribulationum & futuræ felicitatis diuersitatem & circūstantias consyderantes cōsolemur nosipsi, ne animo fracti ueritatē Dei, in qua omnis nostra salus est, deseramus. Premit nos afflictio? cogitemus de futura gloria. Ignominiosa crux Christi est in hoc sæculo? at gloriosus erit illius fructus in futuro. Deinde cogitemus quanta leuitas quantum pariat pōdus gloriæ. Momentaneæ breuitati, æternitatem gloriæ opponamus. Si excellens est afflictio, quàm excellens sit futuræ felicitatis gloria cogitemus, atq; ita excellentiam excellentiæ opponentes afflictionum excellentiā, per eam quæ infinitis modis excellit in momentaneam leuitatem redigamus. Aptissimū plane compendium est ad extenuandum omnia quę in hoc sæculo contra dominum & fideles eius excellere uidentur. Est potentia Cęsarum ac Regum excellens? Opponamus illi excellentissimam eius potentiam qui dominus est dominantium & aufert spiritum principū, ac dicamus: Si dominus pro nobis, quis contra nos? Excellunt sapientia ac prudentia, qui ueritati Dei aduersantur? Habemus in cœlo

B dominum, qui sapientes ac prudentes in astutia ipsorum compræhendit, & omnia illorum cōsilia infatuat. Excellit persequutio ac tribulatio? Excellentior erit futura felicitas? Excellit crucis Christi ignominia? Imcomparabiliter excellet futura gloria. In summa, quicquid excellens est in hoc sæculo, respectu cœlestium, quæ longe sunt excellentiora omnem excellētiæ existimationem amittunt.

De illo admonuerunt alij, fructum hūc afflictionum, gloriam uidelicet futuræ uitæ nec competere quibusuis afflictis, sed ijs tantum, qui propter Christum, ueritatem ac iusticiam Dei affliguntur, nec deberi afflictionibus nostris quasi merces meritis. Licet enim hic Apostolus dicat: quod momentanea leuitas afflictionum nostrarum ęternum nobis pariat gloriæ pondus, haud tamen id aliter dicit, quàm ut admoneat de gloria, quā pro sua bonitate Deus dabit electis ac fidelibus suis, secundum quam illos etiam ante hunc mūdum ab æterno elegit, & cuncta ad salutem eorum pertinētia dispensat. Aliàs si pondus hoc æternæ gloriæ cum præsentis uitæ afflictionibus conferatur, tanti illæ ad hoc collatæ non erūt, quāti est aquæ guttula immēso pelago collata. Quā igitur impossibile est ut guttula aquæ pariat immēsum pelagus, tam est impossibile, ut momentanea afflictio per se pariat æternam gloriam. Non enim sunt pares præsentis tempo-

Rom. 8.

 ris

ris afflictiones ad gloriam quæ reuelabitur erga nos.

DVM non spectamus ea quæ uidentur, inquit, sed ea quæ non uidentur.] Græcè est, μὴ σκοπούντων ἡμῶν, id est, non spectantibus nobis, quod admoneo, ne quis in uocula, dum, hæsitet, ac quęrat, an afflictio tum nobis pariat gloriam, dum ea quæ non uidentur spectamus. Hactenus pertinet ista ad præcedentia, quatenus in illis æternitatem futuræ gloriæ momētaneę afflictioni opposuit. Significat enim se, dum afflictionibus premitur, spectare non caduca præsentis uitæ uel mala uel bona, sed ęternam, in futuro sæculo paratam gloriam, ac sempiternum reproborum exitium.

Et quoniam gloria hæc, quam gigni ex afflictionibus dicit, nec pręsentis est temporis nec uisibilis oculis carnis ideoq; imperitiores cogitare poterant, nugas esse quæ de illa dicit, ꝓpterea quod afflictiones quas pro Christo tolerabat, ignominiam ipsi magis quàm gloriā gignerent, occupat dicens, non spectantibus nobis quę uidentur, sed ea quę non uidentur. Quasi dicat. Scimus afflictiones Christi quas patimur multum nobis gignere ignominię in hoc sæculo, at nos non spectamus ea quę sunt carni ob oculos, sed potius ea quæ ab illa non uidentur. Quæ nanque ab illa uidētur caduca sunt ac transitoria, quæ uero non uidentur æterna. Talis autem est gloria illa, quam pariūt nobis afflictiones Christi. Non est uisibilis carni quia non est terrena ac uitæ pręsentis, sed cœlestis ac sæculi futuri.

DVM non spectamus ea quæ uidentur, inquit.] In omnis generis actionibus aliquid est quod agentium animus spectat, ac ueluti scopum quendam collimando petit, quoque refert quæ agit omnia. Qui sæculi huius sunt filij, spectant ea quæ sunt sæculi, quæ sunt carnis, quæ sunt terrena, uisibilia & præsentia. Qualia sunt, opes, honores, uoluptates, & id genus alia. Deinde fugiunt quoque nōnisi ea mala quæ cerni possunt ac sensibus carnis horrenda uidentur ut sunt morbi corporis, paupertas, dolores carnis, persequutiones, carceres, & ad ultimū mors. Qui uero filij Dei sunt, & ad ueram futuræ uitæ felicitatem electi, adeoque spiritu Dei aguntur, hi non spectāt ea quæ sunt mundi, non morantur ea quæ uidētur, non quærunt quæ sunt super terram, sed potius quæ sunt in cœlis, quæ sunt spiritualia, cœlestia, inuisibilia, & futura. Hæc spectando nullis afflictionibus quantumuis grauibus à sancto proposito auocantur. Viderit igiť quisque quid spectet, quid quærat, quo animi sui intentionem dirigat. Qui terrena spectant, in confessione nominis Christi, si ingruat persequutio, durare non poterunt. Qui spectant cœlestia, terrenis inhiare non possunt.

Est autem reuera magna ac singulari mentis illuminatione opus, ut propter inuisibilia non spectemus ea quę uidentur. Reperias qui

A & ipsi non admodum spectent ea quæ uidentur, & ab alijs impensissime appetuntur, sic ut alius cōdemnat ac prodigat terrenas opes, alius non capiatur uoluptatibus ac delitijs carnis, sic agrestis, ut inter feras syluestres & natus & educatus uideatur, alius non quærat honores, sed magis in fecibus ignauiæ & inertię suæ manere cupiat. At Apostolus hic non simpliciter dicit: non spectantibus nobis quæ uidentur, sed addit, uerum ea quæ non uidētur. Spectare bona quæ non uidentur, & propter illa non spectare quæ uidentur, id demum hominis est non iam in terris sed in ipso cœlo cōuersantis. Etenim ubi oculus cordis, ibi cor, ubi cor, ibi ipsa uita, ubi uita est, ibi est & uitæ conuersatio. Qui terreni sunt, conuersantur in sæculo ubi sunt quæ diligunt, spectant & appetunt. Illis si proponas futura bona, regerūt, da mihi præsentia, serua tibi futura, si uocaueris eos ad spectanda quæ non uidentur, non obtemperant, sed dicunt, quæ uidentur certa sunt, quæ non uidētur incerta, retinebo certa, tu persequere incerta. Et sic illi pulchre sibi sapere uidentur non modo non accipiētes uera bona, sed & ridentes & exufflantes.

NAM quæ uidentur, temporaria sunt, inquit, at quæ non uidētur æterna.] Quamuis etiam si de omnibus uisibilibus loqueretur, uera esset sententia (nam cœlum, inquit dominus & terra transibunt) existimo tamen intelligendū esse de ijs quæ uel appetuntur in hoc

B sæculo uel fugiuntur, ut sunt uisibilia tam bona quàm mala. Vt igitur rationē reddat, quare non spectet ea quæ uidentur, spectet uero quę non uidentur, sic inter utraq; discernit, ut illa dicat esse temporaria, ista uero æterna. Vocat autem temporaria, ad tempus duntaxat durātia, æterna uero sine fine in sempiternum permanentia, quamuis in Græco sit αἰώνια, id est, sæcularia, uel per sæcula durantia, qui sensus ad futurę uitę statum non pertinet, in quo nō sunt sæcula, sed sine sæculis continua ac sempiterna felicitas. Cum Apostolus 1. Cor. 10. dicit, in quos fines sæculorum inciderunt, satis admonet sæcula præsentis esse uitæ, & habere suos fines.

AT quæ non uidentur, inquit, æterna.] Loquitur de illis bonis, quæ ut præsentis sæculi non sunt, ita & oculis carnis uisibilia nō sunt. Aliàs multa sunt quę quamuis non uideantur æterna tamen dici non possunt. Non uidētur quæ tenebris & latebris abdita latent, uideri autem possent, nisi laterent. Non uidētur quæ præsentia non sunt, sed procul dissita, natura tamen sic sunt comparata ut præsentia uideri possunt. Non uidentur quę aliquando sunt futura, & ubi fuerint uidebuntur. Nihil horum ęternum uocari potest. Imò ne ea quidem omnia æterna existunt, quæ natura sua sunt inuisibilia. Animam in pecore non uideo, neq; natura uisibilis est, æterna tamen non est. Ventū non uideo, qui & ipse inuisibilis est, & tamen

æter-

æternus non est. Voces loquẽtium, canentiũ, ridentium, eiulantium quis uidet? Nemo tamẽ eas æternas esse dixerit. Non est igitur qđ Apostolus ęterna esse dicit quę non uidentur, ultra propositum, quod spectat, extendẽdum.

Vnde est autem quod homo mortalis quæ temporaria sunt negligens spectat æterna? Si quæ uidentur temporaria sunt, & temporaria transitoria, utique & homo temporarius est ac transitorius, quia ex ijs est & ipse quæ uidentur. Quorsum autem mihi æterna bona, cum sim ipse temporarius ac trãsitorius? Quæ mihi ex æterno est, uel esse potest utilitas, nisi sim & ipse æternus? Centum annorum bona centũ annos uiuenti abunde sufficiunt, quorsum illi opus diuturnioribus nedum æternis? An non mortuis omnia sunt mortua, siue temporaria siue æterna? Hæc cogitare potest homo animalis, consilium Dei in electis non intelligens, quo conditus est homo inexterminabilis, & sempiternæ uitæ destinatus. At nouus homo, qui ex Deo est, ac spiritu Dei ducitur, quemadmodum ad hoc est conditus, ut particeps sit æternæ uitæ, ita ad illius etiam æternitatem aspirat, adeoque spectat non tẽporaria sed æterna, quia in sempiternum uicturo non sufficiunt temporaria, quæ ipso usu consumuntur, & unà cum tempore etiam nũ usurpata transeunt. Argumentum itaque æternitatis est in pijs & electis, quod temporaria bona contemnentes spectant æterna. Et hunc in illis sensum & affectum non impedit externi hominis mortalitas & corruptio. Licet enim secundum illum sint temporarij, propter necessitatem moriendi, secundum noui tamen hominis conditionem sunt æterni, & per uirtutem futuræ resurrectionis etiã quod iam in illis est uisibile, infirmum, ac temporarium corpus, in die domini suscitabitur, & ut æternitatis possit esse particeps mutabitur, qua de re prima Corinthiorum decimoquinto disseruit Apostolus, & initio sequentis capitis nonnihil attinget.

ARGVMENTVM capitis.

De exeundo terreno domicilio ac nouo quod ẽ cœlis sit induendo disserit. Addit qua fide, qua spe, qua conscientia, ac desyderio erga dominum, cui reddenda est factorum ratio, conuersetur in ista præsentis uitæ peregrinatione, quàmque conueniat ut omnes uiuant ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit, sintq́; in illo noua creatura. In calce de Apostolatu suo ac ministerio reconciliationis, quod pro Christi nomine obibat subiungit.

CAPVT V.



SCIMVS enim quod si terrenum nostrũ domiciliũ huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationẽ ex Deo habemus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Nam in hoc gemimus domicilio nostro quod ẽ cœlo est, superindui desyderantes, si tamen induti non nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, ꝓpterea quod nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita. Qui uero parauit nos in hoc ipsum, Deus est, qui & dedit nobis arrabonem spiritus.

Erat Apostolus corpore circumdatus infirmo, corruptibili ac mortali, perinde atque cęteri homines, & atterebatur illud quotidie, non modo communibus molestijs, sed & singularibus ac grauibus afflictionibus, quas ꝑ nomine Christi ferebat crebras & irremissas. Et interim non frangebatur animo, sed in opere domini pergebat ac durabat constãter, nec spectabat temporaria, sed æterna. Prius uidebatur mirum, posterius prorsus stultum. De priori mentionem fecit capite pręcedenti, ubi dixit: Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur in dies singulos. De posteriori uero loquitur initio capitis huius dicens: Scimus enim, quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructũ fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Dixit se non spectare tẽporaria sed æterna. Subijcit rationem, per occupationem. Quasi enim dicat aliquis. Atqui tu interim dum non temporaria sed æterna spectas quotidie morti appropinquas. Quorsum igitur æterna ei homini qui propediem est interitus? Respondet. Quod moriturus sum breui, non impedit me, quo minus sperem ac spectem æterna. Etenim etiamsi terrenum hoc nostrum domicilium destructum fuerit, ob id tamen non priuor bonorum æternorum fruitione imò tum mihi demum accessus erit ad æterna. Scimus enim habere nos paratam à Deo ædificationem domicilij non manufacti sed cœlestis & æterni.

SCIMVS enim, inquit.] Iterũ quod animalis homo nulla potest scientia cõpræhendere, sed sola fide capit, scire se dicit. Est enim fides certa cõpræhensio & firma hypostasis earũ rerum quæ non uidentur, sed sperantur. Nititur nanque uerbi Dei ueritate ac certitudine multo certius quàm ulla humana ratio suis indagationibus & argumentis.

QVOD si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, inquit.]

Terrenum domiciliũ uocat suum corpus, qđ cap. pręcedenti externum hominem uocauit. Comparat se militi in luteo tuguriolo, uel si mauis, tabernaculo militāti, & sic animato, ut si destructum sibi fuerit uile quod inhabitat tuguriolum, non admodum contristetur, propterea quod beneficio Regis sui peracta militia splendidum & eximium ædificium habiturum se speret.

Poterat simpliciter dicere: quod si occidar, scio me uitam habiturum in cœlis non temporariam sed æternam, uerum ut significet nō occidi se, sed corpus suum terrenum ac fragile destrui, quod tamen in cœleste & æternum sit commutandum, dicit perinde fore illius destructionem ac si domicilium terrenum ac luteum destruatur. Significat igitur Christiano homini corpus esse loco lutei domicilij uel tabernaculi ut illo occiso non occidatur ipse sed destruatur ipsius domicilium terrenũ, luteũ, ęrumnosum & fragile, in quo peregrinatus sit in hoc præsenti sæculo, ut corpus nostrum sit peregrinationis tabernaculum, cuius destructio non sit noster destructio sed peregrinationis nostrę terminatio & ad cœlesté uitā trāsit⁹.

Non est autem ociosum, quod corpus suũ uocat non simpliciter domicilium, sed ἐπίγειον οἰκίαν, id est, terrestre domicilium, uel luteam domunculam. Respicit ad illud: Terra es, & ad terram reuerteris. Monet simul non esse adeo magnæ iacturæ dispendium, si corpus suum destruatur, cum sit terrestre ac luteum domicilium, fieriq; non possit, ut quale est, duret in sempiternum.

HVIVS tabernaculi.] Non cōtentus, quod uocauit corpus suum terrestre domicilium, addit, huius tabernaculi, ut significet, esse illud tabernaculare quoq; domicilium, pręterq̃ quod est terrestre. Inter iustam domum & tabernaculum hoc est discriminis, quod domus eorũ est qui certam & fixam habent mansionem, tabernaculum uero eorum qui incertis sedibus tanquam peregrini uel milites oberrant. Sic de Abrahamo Ebr. 11. memorat, quod quāuis promissionem terræ Canaā haberet à Deo, in tabernaculis tamen habitarit cum Isaaco, peregrinũ referens magis quàm terræ illius hæredem. Significans igitur esse corpus suum tabernaculum, in quo non fixam habeat mansionem, sed incertam & transitoriam peregrinationem, uocem hāc tabernaculi adiecit. Sic & Petrus corpus suũ tabernaculũ uocauit dicens: Attamen iustum arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo excitare uos per commonitionem, cum sciam breui futurum ut deponam hoc tabernaculum meum, &c. 2. Petri 1. Quemadmodum Paulus mortē hic tabernaculi sui destructionem, ita Petrus suam, tabernaculi depositionem uocauit.

AEDIFICATIONEM, inquit, ex Deo habemus, domicilium non manufactum, ęternũ in cœlis.] His uerbis exprimit quare non impediatur destructione corporis sui quo minus particeps fiat æternorum bonorum. Ob id uidelicet, quod parata sibi sit ædificatio longe melior & æternæ felicitati cōuenientior, q̃ sit terrenum & tabernaculare domicilium. Quæ illa? 1 Primo, uocat eam οἰκοδομὴν, id est, ædificationem. Inter hāc & tabernaculum multũ est discriminis. 2 Deinde, uocat eam ædificationem ex Deo, & exponens addit, domicilium non manufactum. A Deo utiq; cōditum est & corpus nostrum, nec est ullis hominum manibus factum, corpus inq̃ terrenũ hoc fragile, mortale & corruptibile. Quid est ergo prærogatiuæ futuri nostri corporis, præ hoc præsenti, in eo quod dicit illud fore ex Deo & haud manufactum? Meo iudicio, futurum nostrum corpus ob id ex Deo & non manufactũ fore dicit, qđ immediate diuina uirtute, absq; ulla humana cooperatione perficietur, id qđ de terrestribus hisce nostris domicilijs dici nō potest, quæ quoniā intercedēte humana sunt cooperatione facta, manufacta, id est, huius creationis uocantur. Quibus illa medijs constent, & modis perficiantur, notum est omnibus. Quæ habebimus in futura uita, omnino absq; hisce medijs & modis sola diuina uirtute constabunt. Cauendum est autē, ne illud, ex Deo, alio sensu accipiamus, q̃ si dixisset, à Deo, ne locum demus hæreticis, qui corpora nostra ex ipsa esse substantia Dei contendunt. Cum Christus dicit: Qui ex Deo est, uerbum Dei audit, propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis, non loquitur de substātia Dei, sed de gratia electionis ac prædestinationis, secundum quam ex Deo sunt, qui ad uitā sunt electi ac præordinati. Hic cum Apostolus corpora nostra, quæ in futura uita habebimus, ex Deo & non manufacta fore dicit, ad differentiam eorum dicit, quæ in hac uita circumferimus, quorum origo & ipsa quidem est à Deo, uerum non immediate, sed per media carnis ac sanguinis, humanę uidelicet cooperationis interuentu, illa uero immediate à Deo condētur, ut alia eorũ origo, unde sint talia, assignari non possit, q̃ uirtus diuina. 3 Tertio, addit, æternum. Opponit hoc fragilitati ac mortalitati terrestris corporis, per quam fit, ut sit non æternum sed temporarium caducum, ac trāsitoriũ. At quod habebimus in futuro non trāsitorium erit sed æternum. Neq; enim obnoxiũ erit tempori, morbis, morti, corruptioni, &c. sed ab his omnibus liberum interminabili uita & gloria fruetur. Huius spe ac respectu perdurat Apostolus in afflictionibus, & corporis sui destructionem tam non fert moleste ut etiā cupiat illud dissolui, & ingemiscat, donec dissoluatur & interim non spectat quæ uidentur & transeunt, sed quæ non uidentur & in sempiternum permanent.

Iohan. 8.

IN cœlis, inquit.] Opponit hoc terreno terrestris corporis incolatui. In terris circumferimus corpus hoc mortale, gloriosum illud habebimus in cœlis.

Hactenus iuxta communē sensum præsentem lo-

tem locum de corpore glorificato, quo uestiemur post resurrectionem exposuimus. Verũ quoniam illo non statim post corruptibilis huius corporis nostri destructionẽ potimur, sed expectanda est uniuersalis illa mortuorum resurrectio, demum in fine seculorum futura, Apostolus uero, cum dicit: Scimus quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, &c. de tali ædificatione ac domicilio loqui uidetur, quod se statim post destructionem corporis sui accepturũ sciat, non est præter rationem, quod nonnullis hic locus de cœlesti mansione ac statu beatæ uitæ, in quam electorum ac fidelium spiritus statim post destructionem terreni corporis transferuntur, magis quàm de glorificatis nostris corporib9 intelligendus esse uidetur. Horum igitur iudicio erit hic sensus. Scimus enim, quod ubi terrena nostra habitatio huius tabernaculi, corporis uidelicet, quod iam circumferimus, destructa nobis fuerit, siue id fiat per manus aduersariorum uiolenter, siue matura ac tempestiua morte, mansionem habemus à Deo nobis paratam, nõ hic in terris, sed in ipso cœlo, in quam recipiemur. Et huic expositioni fauere uidetur, quod nõ in futuro habebimus, sed in præsenti, habemus dixit, & quod cœlesti illi domicilio æternitatem tribuit, idem esse apparet cum eo quod Christus dixit, ut recipiat uos in æterna tabernacula. Cœlestes mansiones æternæ ob id dicuntur, quod non solum durabunt in sempiternũ, nunquam destruendæ, sed & ob id quoque, quod paratæ sunt ab æterno. Deinde non manufactæ dicuntur, respectu terrenarum mansionum, quę manibus hominũ construuntur, & in cœlis paratę sunt, cum istæ sint in terris. Lectoris iudicio relinquimus utrum sensum probet ac retineat. Si ueritas quæritur, ueri sunt utriq;. Tantum uidendum est, utra expositio uerbis sit ac menti Apostoli uicinior.

Quod posteriorẽ sensum attinet, admonemur, quid efficiat in nobis fides ista, qua nos post terrenum hũc præsentis uitæ incolatum in quo tabernacula manufacta incolimus, æternam in cœlo mansionẽ habere scimus. Hoc uidelicet, ut nec quæramus ea quæ sunt huius mundi caduca & transitoria, sed æterna cœlestis uitæ bona, nec molesta sit corporis huius depositio, quocunq; illa modo & quandocũque fiat, sed molesta potius sit illius inhabitatio. Quis credat eum certum esse, quod mansionem amœnissimam habeat in insulis Fortunatis, qui frigidum suum hyperborearum regionum incolatũ cupide retinere satagit, nec priuari illo facile sustinet? Etenim natura sic comparati sumus, ut si detur optio, malimus amœna & iucunda, quàm inamœna ac tristia. Quare ubi tristia & inamœna cum iucundis & amœnis commutare detrectamus, manifesto ostendimus argumento, quod de commutationis huius certitudine dubitamus. Vitæ sumus cupidi omnes, & nemo est, qui non æternum quàm ad tempus tantum uiuere malit. Verum quotusquisq; est, qui temporariam hanc & miseram uitam cupide deponat? Vnde hoc est, quàm ex eo, quod non omnes cum Apostolo dicere possumus: Scimus nos æternam mansionem habere in cœlis?

NAM in hoc, inquit, gemimus, domicilio nostro quod è cœlo est, superindui desyderantes.] Rationalis uocula, nam, uel est hic ociosa, uel referenda est ad id quod in calce capitis præcedentis, non quæ uidentur, sed quæ non uidentur, ideoque æterna sunt, spectare se dixit. Hoc enim spectare cum gemitibus & magno eorum quæ spectantur, desyderio cõiunctum est. Quare ut affectus animi æterna spectantis exprimat, unde pateat, quàm illa cupide & obnixe spectet, dicit: Nam in hoc gemimus, domicilio nostro quod è cœlo est, superindui desyderãtes. Quid enim spectem, gemitus nostri testantur, quibus in hoc terrestri ac fragili domicilio ingemisco. Ingemisco siquidem impulsu desyderij, quo cœlesti domicilio superindui desydero. Sic illud, in hoc, accipio de terreno domicilio, corpore uidelicet. Non est enim in Græco εἰς τοῦτο, ut legi possit, ad hoc; sed ἐν τούτῳ, id est, in hoc domicilio uidelicet, quod tum circumferebat.

Quid autem in terreno suo corpore constitutus gemuerit, exponit dicẽs: Domicilio nostro quod è cœlo est, superindui desyderantes. Domicilium suum corpus illud uocat, quod accepturus est in resurrectione mortuorum. Vocat illud οἰκητήριον, non σκηνὸς, quod non ut in tabernaculo uagam & transitoriam, sed ut in domo certam ac permanentem in illo sit habiturus mansionem. Illo superindui desyderabat.

QVOD è cœlo est, inquit.] Quid? An corpora illa in quibus resurgemus, de cœlo in sepulchra nostra descendent? Etenim si corpus Pauli de cœlo descensurũ est, descensura sunt utique & nostra. Si sic sentiendum est, quomodo stabit fides nostra, qua carnis huius resurrectionem futuram credimus? Et quid de corporibus reproborum sentiendum est, quæ & ipsa reuiuiscent ac resurgent, de quibus dicere non possumus, quod de cœlo sint descensura? Si illa resurgent immortalia ad æternas pœnas, quomodo non & nostra talia resurgẽt ad æternam uitam, ut non sit necesse noua nobis de cœlo corpora mitti?

Respondeo. Non dicit Apostolus, quod de cœlo descendet, sed, quod è cælo, quod idem est ac si dicat, quod cœleste erit. Qualitatem futuri sui corporis exprimit, non descensum, cum dicit: quod è cœlo, opponens illam qualitati corruptibilis huius corporis, quod terrestre est ac luteum. Quanto autem amplior est cœli quàm terrę, tanto est amplior cœlestium corporum quàm terrestrium gloria. Hoc significans cœlestem futuri sui corporis gloriam terrestris humilitati opponit.

SVPERINDVI desyderantes, inquit.] Vtitur metaphora uestiendi, comparans corpus uestimento, quod hactenus comparauit tabernaculo & domicilio. Sic pro sua diligentia rem eandem alijs atq; alijs figuris format, spectandamq; proponit. Quomodo autē cœlesti corpore quasi uestimento superindui desyderarit, exponit in sequentibus.

SI tamen induti, inquit, non nudi reperiemur.] Expositionem superinduitionis subijcit. Qui prorsus nudi sunt, induuntur dum uestiuntur, qui uero nudi nō sunt, sed induti, nō induuntur, sed superinduuntur, dum adhuc aliquo alio uestium genere supra id quo induti sunt, uestiuntur & ornantur. Huc respiciens dicit: Si tamen induti, non nudi reperiemur. Indutus tum erat terrestri corpore, non nudus. Sic comparatus nō poterat indui cœlesti, perinde ac si nudus, id est terrestri corpore exutus fuisset. Quoniam uero futurum est, ut in die resurrectionis multi adhuc in uiuis agāt, suntque nō nudi, sed induti, ideoq; cœlestibus corporibus non induendi, sed superinduendi, illò respiciens dicit, si tamen induti non nudi reperiemur. Quasi dicat. Si tamen in die domini, quando resurgent mortui, inter uiuos non inter mortuos, inter eos qui adhuc terrenis erunt corporibus induti, nō inter nudos, id est corporib⁹ suis exutos reperiemur. Hic sensus per sequentia confirmatur.

Alij tamen aliter exponunt. Intelligūt eos fore uestitos, qui tum in ueste nuptiali, fide uidelicet Christi, adeoq; & ipso Christo, reperiētur. Nudos uero cæteros, qui sine hac ueste in die domini comparebunt. Illos cœlesti gloria superinduendos, istos nequaquam. Sane quoniam omnes quidem mortui resurgent, tam reprobi quàm fideles, haud tamen omnes cœlesti gloria decorabuntur, sed fideles tantum, hactenus non nudi, sed uestiti superinduentur. Verū si sequentia consyderentur, prior sensus ad mentē Pauli propius accedere depręhēdetur.

ETENIM qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quod nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita.] Præcedentem particulam exponit, quomodo uidelicet, & quare dixerit, si tamen induti nō nudi reperiemur. Rationem ex eo adducit, quod omnes homines, pij quoque, mortē corporis natura exhorrent, ideoq; pij, quoniam immortalitatis quidem sunt appetentes, & tamē à morte corporis abhorrēt, mallent sic uiui depræhensi absq; morte cœlestibus corporibus superindui, q̄ per mortē ueteri corpore nudari, ac sic immortali ac nouo indui. Hoc sensu dicit: Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, id est, quotquot pij terreno adhuc corpore circundamur, propter hoc gemimus onerati illius incolatu, quod licet nolimus illo per mortem exui, à qua natura abhorremus, superindui tamen nouo ac cœlesti cupiamus. Quomodo? Sic ut absorbeatur inquit mortalitas, uel, ut in Græco est, & uetus ædi-

A tio habet, quod mortale est, à uita. Id est, ut cœlestis uita, quæ cum nouo ac cœlesti corpore datur, ueteris mortalitatē & corruptionē absq; gustu mortis absorbeat, & repente ex terreno cœleste reddat. Eueniet hoc illis, qui uiui in die resurrectionis depræhendentur. Hunc sensum & Lyranus tradit, nec Burgensis repręhendit. Sic enim exponit: Si tamen uestiti & non nudi inueniemur, id est, si absq; dissolutione corporis corruptibilis quo utitur anima, ut uestimento posset superindui gloria, tunc absque aliquo impedimento appetitus gratiæ in hoc ferretur, sed quia hoc est impossibile, ideo retardatur per naturalem appetitū dissolutionem corporis & animæ abhorrentis, propter quod subdit: Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, i. in hoc corpore mortali, ingemiscimus grauati, de dissolutiōe corporis & animæ, eò q̧ nolim⁹ expoliari corpore uidelicet p̧ mortē, sed supuestiri. i. indui glorię uestimēto, &c. Hęc ille.

In eo quod dicit: Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, obseruandum est, apostolos quoq; humanæ sortis ac miserię esse participes, donec uiuūt in hoc terreno habitaculo, ut & ipsi onerentur illius molestijs, & onerati ingemiscāt, liberationēq; appetāt. Huiusmodi gemitus ut sunt naturales, ita nihil habent culpæ, nedū si sint ex fide ac desyderio futuræ corporū nostrorū redemptionis. Imò ipsa omnis creatura cōgemiscit nobiscū, & unà parturit usq; ad id tēporis quo à seruitute

B corruptionis in libertatē gloriæ filiorū Dei liberabitur. Quare nihil minus habent eiusmodi gemitus, q̄ indicia impatientiæ. Ipsa patientia sanctorū plena est gemitibus ac suspirijs, quibus usqueadeo nō offenditur Deus, ut per prophetā dicat: Propter miseriā inopū, & gemitū pauperū nūc exurgā: ponā illis salutē etc. Psal. 12. Et Ezech. 9. frōtes uirorū gementiū securitatis nota signari iubet. Et Psal. 102. gemit⁹ cōpeditorū exaudiri ab illo canitur: quin ipse spiritus postulat p̧ nobis gemitib. inenarrabilib. Ro. 8.

PROPTEREA, inquit, quod nolimus exui, sed superindui.] Ergo & sancti sic uellēt ad cœlestē futuræ uitę gloriā peruenire, ut nō essent ipsis subeundi mortis dolores, & corpus hoc terrenū mortis interuētu exuendū. Nec est, ut existimemus sic animatos displicere dn̄o, qui & ipse dicebat: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, ne bibā illū. Hic animus nō repugnat uoluntati Dei in sanctis, quia nō est obfirmatus in hac carnis infirmitate, obfirmatus uero est, in proposito obediendi diuinę uolūtati, unde & dicebat dominus: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis.

Deinde & id sanctorū est, q̧ nō simpliciter dicit: Propterea quod nolimus exui, quasi amantes sint corporis terreni, & uitæ quā in illo uiuunt, nolintq; illis priuari, quemadmodū animati sunt filij huius sæculi, sed addit quid uelint, si ita uoluntas esset domini, cū dicit: sed superindui. Hoc uotū nō est hominū carnaliū, qui cœleste hoc indumentum, nec norunt, nec futu-

futurum,credunt,multo minus appetunt, sed fidelium ac spiritualium tantum,quorum conuersatio non est in hoc sęculo sed in cœlis,ubi Christus est ad dexteram Dei.

SED superindui inquit.] Ergo in die resurrectionis qui in hisce corporibus uiui reperientur,& illa quæ habent corpora non exuent sed retinebunt,& nouis illis ac cœlestibus superinduentur, ut corpora habeant duplicata, perinde ac si una ueste indutus superinduatur & altera,atq; ita duplici sit ueste indutus. Respondeo. Non est hic Apostoli sensus. Verbo superinduendi loquitur non de nouo quodã corpore ueteri coniungendo,sed de gloria immortalitatis, ei corpori quod hic circunferimus superinduenda. Qualitatem glorificati corporis comparat nouo indumento, non noui corporis substantiam.Et idquod subijcit dicés:ut absorbeať mortalitas à uita,pulchre exponit, qd uerbo superinduendi intelligat. Nõ dicit:ut absorbeatur uetus corpus à nouo, terrenum à cœlesti, mortuum à uiuo, sed, ut absorbeatur mortalitas terreni corporis à uita, ne sit mors ipsa gustanda. Mortalitas terreni corporis qualitas est non ipsa substantia. Vbi illa absorbebitur per cœlestem uitam in uiuis, quod subita mutatione in momento temporis fiet,non absorbebitur substantia corporis sed qualitas, qua mortale est & corruptibile.

VT absorbeatur mortalitas à uita inquit.] Græcè est τὸ θνητὸν,id est,mortale, quo corpora nostra sunt mortis capacia, imo morti obnoxia. Mortalitas hæc in omnem humani generis carnem per primi hominis communis nostri parentis peccatum peruenit, cuius meminit Apostolus Rom.5.

Non dicit autem,ut absorbeatur mors, sed ut absorbeatur mortalitas à uita.Per mortalitatem morti reddimur obnoxij. Illa absorpta nihil loci relinquitur morti. Imo mortalitate & incorruptibilitate corporũ nostrorũ sublata,ipsa quoq; mors sublata sit necesse est. Qua de re in priori ad Corinthios cap.15. scribit ad hunc modũ. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitaté, & mortale hoc induerit immortalitaté,tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam.

Illud,à uita,non est in Græco,ὑπὸ ζωῆς. sed cũ articula ὑπὸ τῆς ζωῆς,id est,ab illa uita.Non enim de præsenti hac, sed cœlesti illa ac futura uita loquitur.Præsens hæc tam abest ut mortalitatem corporum nostrorum absorbeat, ut magis ab illa absorbeatur.Re ipsa uidemus sic esse comparatũ quicquid uitæ in carne sub cœlo est, ut per mortalitatis ingluuiem absorbeatur.At ubi aduenerit immensa illa cœlestis uitæ uis perinde absorbebitur quicquid in nobis mortale est, queadmodũ nocturnas tenebras clarissimi solis exortu absorberi uidem⁹.

Obseruemus igitur qnantum discriminis sit inter præsentem hanc uitam, & eam quæ dabitur in futuro.Præsentem,uidemus mortalitate absorberi,nec impedire possumus istã uoraginem, nec in nobis nec in ijs qui nobis sunt charissimi:futura uero,quã expectamus, uiceuersa absorptricem hanc mortalitatem absorbebit. Hanc rerum uicissitudiné pij homines consyderabunt,quo sese contra mortalitatis adhuc regnantis ac quæuis uorantis ingluuiem solentur.

QVI uero parauit nos in hocipsum, inquit, Deus est.] Quoniam insolita,& humanum captum ac uotum quoque & cunctas nostras uires excedentia loquebatur,refert illorum perfectionem ad Deum dicens: Qui uero parauit nos in hoc ipsum,Deus est. Græce est κατεργασάμενος,id est,qui perfecit nos.Vetus interpres habet,qui auté efficit nos.Placet tamen quod Erasmus trãstulit:qui parauit nos.Chrysostomus quoniam reperit in præterito: qui perfecit nos,retulit ad opificium creationis ad hũc modum. Cum formaret nos ab initio è terra, non in hoc condidit,ut moreremur,sed ut nos immortales redderet. Verum non est insolés Apostolo uerbis præteritis uti pro præsentibus, ut hic legi possit, qui uero parat nos in hocipsum, Deus est. Et magis probauero, si uerbum hoc parandi referamus ad operationem Dei,non generalem illam qua genus humanum condidit è terra,sed speciale, qua electos suos singulari gratia & uirtute ad gloriã immortalitatis parat.Vt sit sensus.Qualis qualis sum in oculis mundi,& utut pro reiectamẽto habear,& reuera per meipsum nihil horum de quibus loquor in meipso efficere possum, qui me tamen in hoc parauit Deus est, qui ut cæpit ita & perficiet.Is me suo tempore cœlesti & æterno immortalitatis indumento donabit. Alij tamen aliter exponunt. Quidam referũt ad naturalem affectum, quo se Paulus mortem horrere significat quod ille sit à Deo in nobis,qui nos tales condidit,ut mortem fugiamus. Sensum hunc probare non possum. Licet enim affectus hic naturæ omnino sit à Deo, aliud est tamen si dicas: tales nos fecit Deus,& aliud si dicas cum Apostolo: qui nos in idipsum parauit Deus est.

Quidam ad desyderium futuræ immortalitatis referunt quasi dicat Apostolus: qui nobis desyderium hoc indidit Deus est. Si legeretur ὁ δὲ ἐνεργασάμενος ἡμῖν αὐτὸ τοῦτο,id est, qui inoperatur hoc ipsum in nobis aliquid rationis haberet hęc expositio.Verum quoniam dicit, ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο,id est,qui perficiet,uel parauit,uel aptauit nos in hoc ipsum existimo non loqui ipsum de desyderio futuræ immortalitatis, sed de operatione Dei in electis,qua suos parat ad immortalitatem, ad quam eos ab æterno destinauit.Dico quid mihi uideatur. Liberum est lectori probare quã expositionem sequatur.

Obserua uero quod non in futuro dicit:qui parabit nos. Etenim ad immortalitatis indumentũ acquirendũ non demum parabitur, ubi iã induendũ erit,sed quãto terrenũ ipsius corpus crebriorib. afflictionib. atterebať quotidie,

SVPERINDVI desyderantes, inquit.] Vtitur metaphora uestiendi, comparans corpus uestimento, quod hactenus comparauit tabernaculo & domicilio. Sic pro sua diligentia rem eandem alijs atq; alijs figuris format, spectandamq; proponit. Quomodo autē cœlesti corpore quasi uestimento superindui desyderarit, exponit in sequentibus.

SI tamen induti, inquit, non nudi reperiemur.] Expositionem superinduitionis subijcit. Qui prorsus nudi sunt, induuntur dum uestiuntur, qui uero nudi nō sunt, sed induti, nō induuntur, sed superinduuntur, dum adhuc aliquo alio uestium genere supra id quo induti sunt, uestiuntur & ornantur. Huc respiciens dicit: Si tamen induti, non nudi reperiemur. Indutus tum erat terrestri corpore, non nudus. Sic comparatus nō poterat indui cœlesti, perinde ac si nudus, id est terrestri corpore exutus fuisset. Quoniam uero futurum est, ut in die resurrectionis multi adhuc in uiuis agāt, suntque nō nudi, sed induti, ideoq; cœlestibus corporibus non induendi, sed superinduendi, illò respiciens dicit, si tamen induti non nudi reperiemur. Quasi dicat. Si tamen in die domini, quando resurgent mortui, inter uiuos non inter mortuos, inter eos qui adhuc terrenis erunt corporibus induti, nō inter nudos, id est corporibꝰ suis exutos reperiemur. Hic sensus per sequentia confirmatur.

Alij tamen aliter exponunt. Intelligūt eos fore uestitos, qui tum in ueste nuptiali, fide uidelicet Christi, adeoq; & ipso Christo, reperiētur. Nudos uero cæteros, qui sine hac ueste in die domini comparebunt. Illos cœlesti gloria superinduendos, istos nequaquam. Sane quoniam omnes quidem mortui resurgent, tam reprobi quàm fideles, haud tamen omnes cœlesti gloria decorabuntur, sed fideles tantum, hactenus non nudi, sed uestiti superinduentur. Verū si sequentia consyderentur, prior sensus ad mentē Pauli propius accedere depręhēdetur.

ETENIM qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quod nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita.] Præcedentem particulam exponit, quomodo uidelicet, & quare dixerit, si tamen induti nō nudi reperiemur. Rationem ex eo adducit, quod omnes homines, pij quoque, mortē corporis natura exhorrent, ideoq; pij, quoniam immortalitatis quidem sunt appetentes, & tamē à morte corporis abhorrēt, mallent sic uiui depræhensi absq; morte cœlestibus corporibus superindui, q̄ per mortē ueteri corpore nudari, ac sic immortali ac nouo indui. Hoc sensu dicit: Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, id est, quotquot pij terreno adhuc corpore circundamur, propter hoc gemimus onerati illius incolatu, quod licet nolimus illo per mortem exui, à qua natura abhorremus, superindui tamen nouo ac cœlesti cupiamus. Quomodo? Sic ut absorbeatur inquit mortalitas, uel, ut in Græco est, & uetus æditio habet, quod mortale est, à uita. Id est, ut cœlestis uita, quæ cum nouo ac cœlesti corpore datur, ueteris mortalitatē & corruptionē absq; gustu mortis absorbeat, & repente ex terreno cœleste reddat. Eueniet hoc illis, q uiui in die resurrectionis deprætheudentur. Hunc sensum & Lyranus tradit, nec Burgensis repręhendit. Sic enim exponit: Si tamen uestiti & non nudi inueniemur, id est, si absq; dissolutione corporis corruptibilis quo utitur anima, ut uestimento posset superindui gloria, tunc absque aliquo impedimento appetitus gratiæ in hoc ferretur, sed quia hoc est imposibile, ideo retardatur per naturalem appetitū dissolutionem corporis & animæ abhorrentis, propter quod subdit: Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, i. in hoc corpore mortali, ingemiscimus grauati, de dissolutiōe corporis & animæ, eò q, nolimꝰ expoliari corpore uidelicet p mortē, sed superuestiri. i. indui glorię uestimēto, &c. Hęc ille.

In eo quod dicit: Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, obseruandum est, apostolos quoq; humanæ sortis ac miserię esse participes, donec uiuūt in hoc terreno habitaculo, ut & ipsi onerentur illius molestijs, & onerati ingemiscāt, liberationēq; appetāt. Huiusmodi gemitus ut sunt naturales, ita nihil habent culpæ, nedū si sint ex fide ac desyderio futuræ corporū nostrorū redemptionis. Imò ipsa omnis creatura cōgemiscit nobiscū, & unà parturit usq; ad id tēporis quo à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū Dei liberabitur. Quare nihil minus habent eiusmodi gemitus, q̄ indicia impatientiæ. Ipsa patientia sanctorū plena est gemitibus ac suspirijs, quibus usqueadeo nō offenditur Deus, ut per prophetā dicat: Propter miseriā inopū, & gemitū pauperū nūc exurgā: ponā illis salutē etc. Psal. 12. Et Ezech. 9. frōtes uirorū gementiū securitatis nota signari iubet. Et Psal. 102. gemitꝰ cōpeditorū exaudiri ab illo canitur: quin ipse spiritus postulat p nobis gemitib. inenarrabilib. Ro. 8.

PROPTEREA, inquit, quod nolimus exui, sed superindui.] Ergo & sancti sic uellēt ad cœlestē futuræ uitę gloriā peruenire, ut nō essent ipsis subeundi mortis dolores, & corpus hoc terrenū mortis interuētu exuendū. Nec est, ut existimemus sic animatos displicere dño, qui & ipse dicebat: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, ne bibā illū. Hic animus nō repugnat uoluntati Dei in sanctis, quia nō est obfirmatus in hac carnis infirmitate, obfirmatus uero est, in proposito obediendi diuinę uolūtati, unde & dicebat dominus: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis.

Deinde & id sanctorū est, q, nō simpliciter dicit: Propterea quod nolimus exui, quasi amantes sint corporis terreni, & uitæ quā in illo uiuunt, nolintq; illis priuari, quemadmodū animati sunt filij huius sæculi, sed addit quid uelint, si ita uoluntas esset domini, cū dicit: sed superindui. Hoc uotū nō est hominū carnaliū, qui cœleste hoc indumentum, nec norunt, nec futu-

futurum,credunt,multo minus appetunt, sed fidelium ac spiritualium tantum,quorum conuersatio non est in hoc sęculo sed in cœlis,ubi Christus est ad dexteram Dei.

SED superindui inquit.] Ergo in die resurrectionis qui in hisce corporibus uiui reperientur,& illa quæ habent corpora non exuent sed retinebunt,& nouis illis ac cœlestibus superinduentur, ut corpora habeant duplicata, perinde ac si una ueste indutus superinduatur & altera,atq; ita duplici sit ueste indutus. Respondeo. Non est hic Apostoli sensus. Verbo superinduendi loquitur non de nouo quodā corpore ueteri coniungendo,sed de gloria immortalitatis, ei corpori quod hic circunferimus superinduenda. Qualitatem glorificati corporis comparat nouo indumento, non noui corporis substantiam.Et idquod subijcit dicēs:ut absorbeatē mortalitas à uita,pulchre exponit, q̄d uerbo superinduendi intelligat. Nō dicit:ut absorbeatur uetus corpus à nouo, terrenum à cœlesti, mortuum à uiuo, sed, ut absorbeatur mortalitas terreni corporis à uita, ne sit mors ipsa gustanda. Mortalitas terreni corporis qualitas est non ipsa substantia. Vbi illa absorbebitur per cœlestem uitam in uiuis, quod subita mutatione in momento temporis fiet,non absorbebitur substantia corporis sed qualitas, qua mortale est & corruptibile.

VT absorbeatur mortalitas à uita inquit.] Græcè est τὸ θνητὸν,id est,mortale, quo corpora nostra sunt mortis capacia, imo morti obnoxia. Mortalitas hæc in omnem humani generis carnem per primi hominis communis nostri parentis peccatum peruenit, cuius meminit Apostolus Rom.5.

Non dicit autem,ut absorbeatur mors, sed ut absorbeatur mortalitas à uita.Per mortalitatem morti reddimur obnoxij. Illa absorpta nihil loci relinquitur morti. Imo mortalitate & incorruptibilitate corporū nostrorū sublata,ipsa quoq; mors sublata sit necesse est. Qua de re in priori ad Corinthios cap.15. scribit ad hunc modū. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatē, & mortale hoc induerit immortalitatē,tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriam.

Illud,à uita,non est in Græco,ὑπὸ ζωῆς. sed cū articula ὑπὸ τῆς ζωῆς,id est,ab illa uita.Non enim de præsenti hac, sed cœlesti illa ac futura uita loquitur.Præsens hæc tam abest ut mortalitatem corporum nostrorum absorbeat, ut magis ab illa absorbeatur.Re ipsa uidemus sic esse comparatū quicquid uitæ in carne sub cœlo est, ut per mortalitatis ingluuiem absorbeatur.At ubi aduenerit immensa illa cœlestis uitæ uis perinde absorbebitur quicquid in nobis mortale est, queadmodū nocturnas tenebras clarissimi solis exortu absorberi uidem⁹.

Obseruemus igitur quantum discriminis sit inter præsentem hanc uitam, & eam quæ dabitur in futuro.Præsentem,uidemus mortalitate absorberi,nec impedire possumus istā uoraginem, nec in nobis nec in ijs qui nobis sunt charissimi:futura uero,quā expectamus, uiceuersa absorptricem hanc mortalitatem absorbebit. Hanc rerum uicissitudinē pij homines consyderabunt,quo sese contra mortalitatis adhuc regnantis ac quæuis uorantis ingluuiem solentur.

QVI uero parauit nos in hoc ipsum, inquit, Deus est.] Quoniam insolita,& humanum captum ac uotum quoque & cunctas nostras uires excedentia loquebatur,refert illorum perfectionem ad Deum dicens: Qui uero parauit nos in hoc ipsum,Deus est. Græce est κατεργασάμενος,id est,qui perfecit nos.Vetus interpres habet,qui autē efficit nos.Placet tamen quod Erasmus trāstulit:qui parauit nos.Chrysostomus quoniam reperit in præterito: qui perfecit nos,retulit ad opificium creationis ad hūc modum. Cum formaret nos ab initio è terra, non in hoc condidit,ut moreremur,sed ut nos immortales redderet. Verum non est insolēs Apostolo uerbis præteritis uti pro præsentibus, ut hic legi possit, qui uero parat nos in hoc ipsum, Deus est. Et magis probauero, si uerbum hoc parandi referamus ad operationem Dei,non generalem illam qua genus humanum condidit è terra,sed speciale, qua electos suos singulari gratia & uirtute ad gloriā immortalitatis parat.Vt sit sensus.Qualis qualis sum in oculis mundi,& utut pro reiectamēto habear,& reuera per meipsum nihil horum de quibus loquor in meipso efficere possum, qui me tamen in hoc parauit Deus est, qui ut cœpit ita & perficiet.Is me suo tempore cœlesti & æterno immortalitatis indumento donabit. Alij tamen aliter exponunt. Quidam referūt ad naturalem affectum, quo se Paulus mortem horrere significat quod ille sit à Deo in nobis,qui nos tales condidit,ut mortem fugiamus. Sensum hunc probare non possum. Licet enim affectus hic naturæ omnino sit à Deo, aliud est tamen si dicas: tales nos fecit Deus,& aliud si dicas cum Apostolo: qui nos in idipsum parauit Deus est.

Quidam ad desyderium futuræ immortalitatis referunt quasi dicat Apostolus: qui nobis desyderium hoc indidit Deus est. Si legeretur ὁ δὲ ἐνεργασάμενος ἡμῖν αὐτὸ τοῦτο,id est, qui inoperatur hoc ipsum in nobis aliquid rationis haberet hęc expositio. Verum quoniam dicit, ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο,id est,qui perficiet,uel parauit,uel aptauit nos in hoc ipsum existimo non loqui ipsum de desyderio futuræ immortalitatis, sed de operatione Dei in electis,qua suos parat ad immortalitatem, ad quam eos ab æterno destinauit.Dico quid mihi uideatur. Liberum est lectori probare quā expositionem sequatur.

Obserua uero quod non in futuro dicit: qui parabit nos. Etenim ad immortalitatis indumentū acquirendū non demum parabitur, ubi iā induendū erit,sed quāto terrenū ipsius corpus crebriorib. afflictionib. atterebatē quotidie,

tidie, tanto magis illum dñs ad immortalitatis ac cœlestis uitæ gloriam parabat. Perinde ac si architectus uetus tugurium demoliatur, non ut nulla supersit domus amplius, sed ut illo destructo locus nouo ædificio paret. Quéadmodum illic ueteris tugurij destructio ad nouam est structuram præparatio, ita & Apostolo eueniebat, ut dum terrenũ ipsius domicilium destruebatur, ipse ad cœlestis & æterni domicilij consequutionem diuinitus pararetur. Quid sunt igitur Tyranni illi, hostes & aduersarij Christi aliud, qui sanctos Dei mille modis affligunt, ac terrena illorum domicilia destruunt, quàm Dei illos ad immortalitatis gloriã parantis ministri faciẽtes qđ nõ intelligũt?

QVI & dedit nobis arrabonem spiritus inquit.] Quasi dicat. Qui non solum opus suum operatur in nobis parans nos ad futuram gloriam, sed & de illo certos nos esse uolens dedit nobis arrabonem, ne quis dubitationi sit locus, spiritum uidelicet, quem in Christo accepimus, quem nobis esse uult loco arrabonis, quo de gratia sua & futura gloria certificemur. Sunt qui particulam hanc præcedenti sic esse subiectam existimant, ut modũ illius exponat, quo uidelicet, paret suos Deus ad cœlestem gloriam. Verum, meo iudicio, simplicius est, ut sensum quẽ assignauimus retineamus. De eo uero, quod spiritum uocat arrabonem, non est ut hic annotemus. Nam ea de re annotauimus suprà circa calcem cap. primi, ubi eodem modo de spiritu loquutus est.

Itaq; bono animo sumus semper, & scimus, quod cum domi sumus in corpore, peregrinamur à domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciẽ. Confidimus autem & probamus magis peregre abesse à corpore, & præsentes adesse apud Deum. Quapropter contendimus, siue domi præsentes, siue foris peregre agentes, ut illi placeamus. Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque quæ per corpus sunt gesta, iuxta quod fecit, siue bonum siue malum.

Quod Græcam lectionem attinet, uidetur uerbum aliquod desyderari. Sic enim legitur: θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου, διὰ πίστεως γὰρ περιπατοῦμεν οὐ διὰ εἴδους, id est, semper igitur fidentes, uel, bono animo existentes, & scientes, quod cum domi sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Per fidem enim ambulamus. Nondũ expressum est uerbum aliquod quod sermonem hiulcum compleat, ne quid desyderet lector. Vulgatus interpres simpliciter ut reperit, trãstulit. Erasmus ut sermonem compleret, perinde reddidit ac si sit in Græco, θαῤῥοῦμεν οὖν πάντοτε εἰδότες, id est, Itaque bono animo sumus sem-

A per, & scimus. Sic participia in uerba ipsorum mutauit. Verum, meo iudicio, non erat necesse hoc facere. Contextus ipse, si non imperite diuellatur, satis medetur huic incommodo ad hunc uidelicet modum. Semper igitur fidentes uel audentes, & scientes, quod cum domi sumus in hoc corpore peregrinamur à domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciẽ) magis confidimus & probamus peregrinari à corpore, & præsentes adesse apud dominum. Hanc seriem lectionis discerpserunt qui uelut nouum ac separatum quid, illud θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν à præcedentibus posito interstitio auulserunt, cum ad complementum præcedentium pertineat.

Sensus autem est. Accepto igitur arrabone spiritus, certiq; facti parari nos à Deo ad recipiendum futuræ immortalitatis indumentũ, semper quidem animo sumus confidenti, & cõtra quæuis discrimina audenti, quibus quotidie appetimur & afflictamur, scientes nos dum domi sumus in hoc corpore, illudq; tanquam terrenum domicilium incolimus, non esse præsentes coram domino, sed ab illo peregrinari (nam in hac peregrinatione à domino ambulamus non per speciem, sed per fidem) Verũ confidimus & probamus magis id qđ ab hac est peregrinatione diuersum, ut uidelicet à corpore hoc peregrinantes præsentes simus apud dominum. Huc sese uota nostra indesinenter extendunt. Hunc præsentis loci B sensum existimo esse manifestum, cui lucis aliquid adferret, si uocula μὲν, id est, quidẽ, præmitteretur, cui postea δὲ, id est, uero, responderet, ac legeretur: θαῤῥοῦντες μὲν οὖν πάντοτε, id est, igitur semper quidem confidentes, uel audentes ac scientes, &c.

ITAQVE bono animo existentes semper, inquit.] Significat hoc dicens, nullis se afflictionibus sic premi, ut animum in causa Christi confidentem abijciat, sed quicquid malorũ accidat semper pergere, audere, ac conari. Neque enim loquiť de animo per se, uel in se immoto ac firmo, quem nullæ possint afflictiones turbare, sed de animi sui confidentia & audacia, qua in ipsis afflictionibus ac periculis constitutus ea faciat docendo, prædicando, & fratrum animos erigendo: unde sibijpse præsentissimum exitium accersere uideatur. Hoc erat semper θαῤῥεῖν, quod ipsi loco dementiæ, temeritatis & spiritus irrequieti imputabať. Quare Erasmus rectius uertisset. Itaq; cõfidenti animo, quàm itaq; bono animo sumus semper. Sane causam non habuit ueterem uersionem hic loco mouendi, quæ habet, Audentes igitur semper.

ET sciẽtes, inquit, quod cum domi sumus in corpore, peregrinamur à domino.] Duæ Græcæ dictiones, quas hic ponit Apostolus, ἐνδημοῦντες, uidelicet & ἐκδημοῦμεν non possunt duabus Latinis cõsimilibus pari elegãtia reddi. ἐνδημοῦν significat agere in populo, ac domo sua. ἐκδημοῦν uero diuersum significat, agere uidelicet

delicet inter alienos & exteros, in regionibus remotis, abesse à populo ac domo sua, & in summa, peregrinari. Quod igitur dicit: ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, uerti potest, quod cum agimus ac uersamur in corpore, nec opus est, ut reddamus, cum domi sumus in corpore. Esse in corpore, agere in corpore, uersari in corpore, est ἐνδημοῦν ἐν τῷ σώματι.

QVOD cũ domi sumus in corpore, inquit, peregrinamur à domino. Quasi dicat. Scimus huius nostræ uitæ incolatum quo uersamur in hoc corpore, sic esse comparatum, ut donec in illo sumus, peregrinemur à domino. Quæsierit autem hic quisquam, an corpus hoc nostrum tam sit remotũ à domino, ut quotquot in illo agimus, propter illud excludamur à domino, simusque ab illo remoti ac peregrini, quemadmodum hæc uerba Apostoli sonare uidentur. Ecquomodo hæc sententia reliquis scripturis conueniat, quales sunt: An nescitis, quod corpora uestra membra sunt Christi? Item: An nescitis quod corpus uestrum templum est inhabitantis in uobis spiritussancti, quem habetis à Deo?

1. Cor. 6.

Respondeo. Nõ negat hęc Apostolus. Neq; illa præsenti sententiæ contradicunt. Corpora nostra non sunt aliena à Christo, cuius utique sunt membra. Et interea tamen multũ discriminis est inter societatem qua Christo in hac terrena uita constituti coniungimur, & eã qua illi terreno corpore exuti, in cœlesti uita coniungemur. Christus terrã hanc relinquens cœlos ascendit, ad mansiones cœlestes & æternas, & futurum promisit, ut nos quoque ad illas tanquam ad sedes patrias subueheret, secũq; habeat in sempiternum. Hic cum agat usque ad diem iudicij, nos uero in corpore existentes terras incolamus, utique peregrinamur ab illo, idque peregrinatione tam longinqua, q̃ longinquo spacio terra dirimitur à sede cœlesti. Hæc est simplex Christianorum theologia, quæ à nonnullis contentiosis hodie mirum in modum discerpitur. Secundum hãc loquitur Apostolus cum dicit: Et scientes quod cum agimus in corpore, peregrinamur à domino.

Cæterum duo hæc simul sunt cogitanda. Vnum, quod licet peregrinemur à domino, ille tamen uirtute spiritus sui non deserit nos, sed corda nostra inhabitat, nobiscum existens usque ad consummationem sæculi, sicque fidelium suorum conuentus sanctificat, ut se in medio illorum fore promittat dicens: Vbicũque fuerint duo uel tres in nominę meo congregati, ibi sum in medio eorum. Alterum, licet ille cœlestes mansiones inhabitet, & nos hic peregrinemur corpore in terris, cordibus tamen usque ad eum ascendimus, sicut cõuersatio nostra in cœlis magis sit quàm in terris. Sic peregrinatione ista non impedimur, quo minus spiritalibus recreationibus subinde erigamur, consortioq; fruamur, etsi non per omnia ex parte tamen cœlesti.

PER fidem enim ambulamus, inquit, non per speciem.] Parenthesis hæc probationis est gratia inserta, ad comprobandũ, quod nos in corpore existentes à domino peregrinari dixit. Quasi enim hoc audiẽs aliquis dicat: Quomodo peregrini sumus à domino, in quo uiuimus, & quem in nobis uiuentem habemus? Peregrinari nos, inquit, à domino, dum in corpore ambulamus, uel per id abunde manifestum est, quod omnis hæc uita nostra uita est fidei non speciei. Ambulamus quidem cum domino, uerum non in specie, id est, facie ad faciem, in ipso illius aspectu præsentes, quemadmodum cum illo erimus in uita futura, sed per fidem, qua illi adhęremus, qua opem illius imploramus, qua futura speramus & expectamus, qua, in summa, non apparentia & non præsentia credendo ac fidendo appræhendimus, quæ fides in futuro sæculo, ubi ambulabimus in specie, locum non habebit, sed præsentis tantum est uitæ, ideoque certo comprobat, donec per ipsam ambulamus peregrinari nos à domino. Poterat alia comprobare ratione quod dicebat, uerum hæc & Christiana est in Christianis tantum locum habens, & simul certo quod uult euincit. Perinde habet hæc ratio, ac si filijs regis in regione aliena degentibus persuasurus quod peregrinentur à patre ac sede paterna dicas: Etenim ambulatis non in illius aspectu præsentes, sed in fide, qua creditis nuncijs ac literis quas ille ad uos mittit, & uicissim nuncijs ac literis cum illo agitis. Hæc frequentia paternorum nunciorum, scriptorum ac rescriptorum, tam non est eorum qui in domo paterna agant, ut magis etiã cõprobet, quod ab illa peregrinemini. Consimili modo habet & nostra conditio. In peregrinatione hac non destituimur paternæ prouidentiæ solatijs. Habemus illius uerbum & literas, & nuncios, & spiritum. Verum hæc ipsa comprobant, non agere nos in illius aspectu, sicuti agem' in futuro, sed peregrinari ab illo.

CONFIDIMVS uero & probamus magis peregrinari à corpore, inquit, & præsentes esse apud dominum.] Aperit hisce uerbis perpetuum cordis sui desyderium, quo ex hac præsenti peregrinatione liberatus in cœlis cũ domino agere cupiebat, id quod alibi sic exprimit: Cupio enim dissolui & esse cum Christo. Peregrinationem qua in corpore suo peregrinabatur à domino, pro uoluntate domini patienter ferebat, at interim terminata illa apud dominum agere cupiebat. Videmus hic duo esse peregrinationum genera, sic à seinuicẽ diuisa, ut simul esse nequeant, sed necesse sit, durante altera alteram quiescere. Vna est præsentis uitæ, qua peregrinamur à domino, altera post mortem, qua peregrinamur à corpore. Peregrinantes à domino non possumus peregrinari à corpore. A corpore peregrinantes peregrinari à domino non possumus.

Deinde uidemus sic comparatos esse sanctos, ut quoniam præsentem in corpore uitã peregrinationis loco habẽt, cupiant eam terminari,

minari,ac peregrinari à corpore,idq; non simpliciter,sed desyderio agendi in conspectu domini. Quare non simpliciter dicit: probamus magis peregrinari à corpore,sed addit, & præsentes adesse apud dominum. Non mox præsens est apud dominum, quisquis peregrinatur à corpore. Nam & impij peregrinantur à corpore,ubi illo fuerint per mortem exuti, de quibus tamen credere fas non est,ut post mortem sint apud dominum, quemadmodum apud eum sunt electi. Paulus cupiebat peregrinari à corpore magis quàm à domino. Impij cupiunt peregrinari à domino magis quàm à corpore. Inuenias multos qui & ipsi à corpore peregrinari cupiant, apud ethnicos quoque, quorum nonnulli seipsi à corporis incolatu liberarunt, alius ne incideret in manus hostis, alius ne præsentem ignominiam quam horrebat,ferre cogeretur,alius ne dolores corporis quibus premebatur diutius sustineret. Verũ Apostolus alium finem spectans, non hoc tantum quærebat,ut corporis liberaretur molestijs,sed ut præsens esset apud dominum.

Est locus hic diligenter obseruandus. De statu mortuorum alius aliud somniat. Expedita hic illius ratio proponitur. Apostolus homo Christianus dum uotum ac desyderium suum exprimit,quo à corpore peregrinari cupit,quo præsens sit apud dominum, non hoc tantũ ostendit,quid desyderare debeat Christiani,sed & quid certo sperare. Hoc uidelicet, ut post mortem hanc terreno corpore exuti apud dominum futuri sint præsentes. An debemus hoc dare Apostolo quod rem in uotis habuerit haudquaquam futuram? aut quæ cæteris non sit speranda Christianis? Absit, quod credebat sperabat, quod sperabat optabat, nec scribebat Christianis de re ad ipsos haud communiter pertinente.

Et illud obseruet diligens lector, quomodo uerbo peregrinandi utatur. Præsenti corporis uitæ tribuit peregrinationem, quæ sit à domino. Illa sanè nota est, quàm sit breuis. Deinde & eam uitæ nostræ partem, quæ inter mortẽ corporis & diem resurrectionis intercedit, peregrinationem uocat à corpore. Hæc nobis adhuc est incognita. Est enim cognitio illius non intellectu,sed sola experientia capienda. Quid igitur mors est corporis, quàm mutatio peregrinationis? Secũda illa peregrinatio nulla tertia mutabitur. Etenim illa finita,nec à domino nec à corpore peregrinabimur, sed utrique & domino & corpori præsentes erimus in sempiternum.

QVAPROPTER & contendimus, inquit, siue domi præsentes, siue foris peregre agentes ut illi placeamus.] Græca duabus dictionibus exprimuntur ad hunc modum: εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, id est, siue domi agentes, siue peregrinantes. Vetus habet, siue absentes siue præsentes. Est autem amphibolum quo referas. Nam quod dicit, siue domi agentes, siue peregrinantes,referri potest tam ad dominum quàm ad corpus. Ad dominum sic,siue domi agentes apud dominũ, siue peregrinantes ab illo. Ad corpus sic, siue domi agentes in corpore,siue à corpore peregrinantes.

Declarat quid ex dicto sibi uoto nascatur, quo probabat magis peregrinari à corpore,& præsens esse apud dominum. Hoc uidelicet, ut pro uiribus contendat placere domino,siue hic in peregrinatione, siue illic præsens apud ipsum constitutus. Principio non simpliciter dicit: contendimus,sed,quapropter & cõtendimus. Significans studium hoc placendi domino ex eo sibi potissimum nasci, quod aspirabat ad felicitatem illam,qua se apud dominum præsentem fore & sperabat & optabat. Quis enim non cupiat impense illi placere, cũ quo se in sempiternum feliciter actur ũ sperat? Si gratificari studemus illis quibus ad horam uel coniungimur uel subijcimur, quanto magis faciendum hoc erga eum est,cum quo præsentes erimus in sempiternum? qui si dixerit: discedite à me,non noui uos,in æternum nos exitium abijciet?

Deinde non simpliciter dicit: Quapropter placere illi cupimus, ne hoc sibi in uotis tantum esse uideatur,sed: Quapropter contendimus,ut illi placeamus. φιλοτιμούμεθα, inquit,id est magno studio conamur & annitimur. Qui sic contendunt,nihil non faciunt quod ipsi placere,nihil non omittunt, quod ipsi displicere iudicauerint,cui se in omnibus approbare cupiunt. Hoc perpetuum debet esse uerorum Christianorum studium,uerum sic, ut in meta uerbi dominici consistant, ne si extra illam præsumãt,quibus domino gratificari se putauerint, audiant hoc ab illo: Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.

Tertio, non est ociosum, quod non simpliciter dicit, quapropter cõtendimus,ut illi placeamus,sed, quapropter cõtendimus,siue domi agentes siue peregrinantes, ut illi placeamus. Inuenias qui cupiant placere domino, ubi agendũ est post mortẽ in illius pręsentia,de hac præsenti uero uita, qua ab illo peregrinamur, parum sint soliciti. At uerus Christianus non minus illi placere contendit, dum adhuc ab illo peregrinatur,quàm dum præsens est apud illum futurus. Quare Apostolus satis uigilanter utrũq; expresit. Etenim qui ex animo gratificari cuipiã studet,non minus absenti quàm præsenti placere contendit.

Verum nascitur hic quæstio, quomodo uerbum contendendi referri posit ad tẽpus quo post mortẽ præsentes erimus apud dominũ. Studium cõtendendi, ut placeamus domino, præsenti uitæ conuenit, futuræ quomodo cõueniat,edicere non possum. Quare mirũ uidet quomodo se Apostolus siue præsens in corpore,siue peregrinus à corpore cõtendere dicat, ut domino placeat. Respõdeo. Si quod in Græco habetur simpliciter esset,ut habet uersum, nulla esset hic quæstio. Habetur aũt in Græco ad hunc modum, διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες

εἴτε ἐκδημοῦντες εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. Hic uerbum contendimus, non sic est positum, ut necessario sit ad duo participia, ἐνδημοῦντες, & ἐκδημοῦντες referendum, sed, ut pertineat ad id quod sequitur, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. Dicit enim se Apostolus contẽdere, ut placeat domino, siue sit in corpore siue extra corpus apud dominũ. Quare potest sic uerti. Ideo contendimus, ut illi siue domi agentes siue peregrinantes placeamus. Si dicas: Contendimus ut siue uiui simus siue mortui, domino placeamus, utiq; nulla datur occasio disputandi de eo, quomodo mortui contẽdere posint, ut placeant domino. Verũ datur illa in uersione Erasmi, dum reddidit ad hunc modum: Quapropter contẽdimus siue domi præsentes, siue foris peregre agẽtes, ut illi placeamus. Hac inconsulta uersione uerbum contendendi quasi studio ad mox sequentia, siue domi præsentes, siue foris peregre agentes cõnectitur, & ab eo, ad quod pertinet, uidelicet, ut illi placeamus, auellitur. Non insector interpretem multis modis clarum, sed simplicitatem uerborum Apostoli ab occasione friuolarum quæstionum uindico.

OMNES enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi inquit, ut reportet unusquisque, &c.] Hactenus Corinthijs exposuit, quomodo erga præsentis uitæ incolatum animatus sit ipse, ac quo studio contẽdat, ut Christo domino siue in corpore siue extra corpus constitutus placeat, iam ut illis terrorem incutiat, animosque eorum ad consimile studiũ prouocet, admonet eos futuri iudicij, in quo reddendum sit unicuiq; secundum quod gessit in corpore siue bonum siue malum. Huius futuri iudicij respectum eo sibi facere dicit, ut summopere domino tanquam futuro omniũ iudici placere studeat. Ideo cum dixisset: Quapropter contẽdimus ut siue domi præsentes, siue foris peregre agentes illi placeamus, generalem hanc sententiam rationis loco subiecit dicens: Nam omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque quæ facta sunt per corpus, &c.

Dices: Conuenit ne metu iudicij futuri impellere Christianos, ut Christo domino tanq̃ iudici placere studeant, & non magis ad hoc allicere, ut ex charitatis affectu & Christiana obseruantia placere illi tanquam Seruatori ac redemptori contendant, ad quem modum animatus erat ipse Apostolus. Respõdeo. Non est propositum Apostoli spiritum timoris plãtare in cordibus fidelium, ut illo ad qualecũq; studium religionis perducantur, sed accommodat se ecclesiæ Corinthiorum, in qua erãt pseudapostoli illorumq; discipuli, quorũ corda non erant integra erga dominum, erãt multi carnales & impœnitentes, qui nihil agebãt minus quàm ut domino placerent, quem nisi contẽpsissent, haudquaq; in impœnitentia sua perseuerassent. Illis omnibus terrorẽ incutere uolẽs, mentionẽ inducit futuri iudicij, in quo corã tribunali Christi manifestãdi sint omnes. Placuit autem illi uerbum manifestãdi. Poterat dicere: Omnes enim nos sistemur coram tribunali Christi, quo uerbo usus est in Romanis cap. 14. ubi eandem sententiam posuit. Verum appositissime usurpauit uerbum manifestandi dicẽs: Omnes enim nos manifestari oportet corã tribunali Christi, ut perstringat hypocrisim pseudapostolorum, qui se transfigurabant in apostolos Christi, & interea Apostolatum ipsius omnium contemptui calumnijs suis exponere moliebantur, cum essent ipsissimi Apostoli Satanæ. Hanc illorum malitiam in obscuro adhuc grassantem manifestã aliquando fore minatur, in die uidelicet domini, qui & ob id reuelationis dies uocatur, ꝓpterea quod in illo manifesta erũt consilia cordium. Huic manifestationi se quoque & omnem suum Apostolatum subijcit dicens: Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Idem fecit & 1. Cor. 4. ubi dicit: Qui me uero iudicat dominus. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis, donec uenerit dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium, ac tũc laus erit unicuiq; à Deo.

Seruit igitur sententia hæc: omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, illis potissimum temporibus, in quibus regnat in ecclesia reproborum hominũ hypocrisis, qua se pro apostolis Christi, uicarijs, episcopis, prælatis, ac pastoribus uenditãt, cum sint lupi graues, non parcentes gregi, & interea contradicentes hæreseos damnant, & mille mortibus cruciandos ac necandos abijciunt. Hic uerus Christi minister secura conscientia causam suã contra pseudapostolos & contra impiam illorum condemnationem trãsferet ad futurum Christi tribunal dicens: Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Videt inimicos Christi hypocritas regnare in tenebris, & hinc fieri, ut qui falsi sunt pastores pro ueris, & qui ueri pro falsis habeanẽ. Occulta hæc tenebrarum coram tribunali Christi retegãda ac manifestãda sciens, omnes iniurias à reprobis illatas patienter tolerat, & causam suã diei reuelationis commendat.

OMNES nos, inquit, manifestari oportet.] Manifestatur quod antea fuerat obscurũ. De manifestis non recte dicitur, quod manifestẽtur. Iam si nos omnes manifestari oportet coram tribunali Christi, consequitur eos quoq; manifestandos esse, qui in concilijs pontificũ pro hæreticis publicantur ac manifestantur. Exẽpli gratia: Iohannes Hus & Hieronymus Pragensis in concilio Constantiensi pro hæreticis declarati sunt ac manifestati. Et illis igitur restat tribunal Christi, coram quo manifestentur, si nos omnes coram illo manifestari oportet. Nemo igitur sententię Synodali innitatur, quasi per illam iusta sit manifestatio falsorum ac uerorum ministrorum, sed tribuat illam diei domini, in quo tandem ueraciter ac finaliter manifestabuntur omnes, id est, declarabuntur

rabuntur qui sunt & quales, detrahetur ipsis impoſita larua, protrahetur in lucem quod in oculis mundi altiſsimis tenebris abditum latuit. Sunt autem manifeſtationis huius duæ partes. Vna qua manifeſtabitur, non eſſe nos eos, pro quibus habiti fuimus in ſæculo. Altera, qua patefiet, qui ſimus.

Non eſt autem tráſeundum, quod non ſimpliciter dicit: Omnes enim nos manifeſtabimur, ſed: Omnes enim nos manifeſtari oportet. Quærendum hic fuerit quare nos omnes manifeſtari oporteat coram tribunali Chriſti, quæ ſit iſta manifeſtandi neceſsitas. Si conſyderemus tam futuræ quàm præſentis huius uitæ circumſtantias, diuinæ iuſticię ęquitaté, ac futuri iudicij rationem, facile patebit, quare ſic fieri oporteat, ut omnium omnia coram tribunali Chriſti manifeſtentur. In hac præſenti uita res magnę humanorum iudiciorum tenebris obſcurantur magis quàm manifeſtantur, ac ſtudia mortalium ſimulationibus ac diſsimulationibus obteguntur, atq; ita in hoc ſæculo nec ante nec poſt mortem noſtram reuelantur, ſed abſcondita ac ſepulta iacent. Quoniam igitur non manifeſta modo ſed & occulta hominum conſilia ſtudia & facta iudicio Dei ſunt obnoxia, neceſſe erit ut manifeſtentur, & manifeſtata iudicenť. In futura uita lux erit, cui non conueniet, ut occultũ quid & abſconditum in filijs lucis eſſe ſinat. Quare & illius reſpectu neceſſariũ eſt, ut in iudicio Chriſti omnia manifeſtétur. Et ipſius iudicij ratio hoc poſcit, ut iuſtum nõ modo ſit, ſed & iuſtũ eſſe appareat in uniuerſum omnibus. Huc faciet omnium manifeſtatio, per quam iudiciũ falſorum apoſtolorum omniũ eſſe iuſtiſsimũ declarabitur. Ipſe etiam finalis ſegregatio bonorum ac reproborum, ouium & hædorum manifeſtationem hanc neceſſario requiret. In ſumma ſic diſpenſabitur extremum illud & uniuerſale iudiciũ ut iuſticia & æquitas illius ultro omnium oculos incurrat, id quod manifeſtatio hæc efficiet.

CORAM tribunali Chriſti, inquit.] Quare non dicit: coram tribunali Dei, ſed, coram tribunali Chriſti? Quia nõ de quouis iudicio Dei loquitur, quod in hoc ſæculo exercet, ſed ſpecialiter de iudicio extremo in quo ſemel palã & conſpicuus omnibus in fine mundi ſedebit ad iudicandum Chriſtus dominus, iudicabitque de omnibus tam mortuis quàm uiuis. Huius tribunalis terrorem ſingulari ſtudio inculcare illis uoluit, quorum corda ſentiebat non eſſe erga Chriſtum fidelia & integra.

VT reportet unuſquiſq;, inquit, quę per corpus ſunt geſta, iuxta quod fecit, ſiue bonum ſiue malum.] Hunc finem ponit manifeſtationis omnium, retributioné uidelicet eorũ quæ facimus in hac uita. Neq; enim ſatis erit manifeſtum fieri, ſed ut iuſti iudicij norma ſeruetur, retribuetur unicuiq; ſecũdum quod geſsit bonum uel malum. Nemo uel hic excipitur. Vt reportet unuſquiſq; inquit. Omnes manifeſtabimur, omnes reportabimus ſecundum quod in hac uita geſsimus. Sed dices: Quis igitur ſeruabitur? An non propheta deprecans iudiciũ Dei dicit: Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo ullus uiuens? Si iudicandum de nobis eſt ſecundum quod geſsimus in corpore, ne unũ quidé pro mille reſpondere poterimus? Quid ergo conſequetur aliud, quàm ut ſeruetur nemo, damnemur omnes? Et quę utilitas nobis ex eo eſt quod credimus in Chriſtum unigenitum Dei ac Seruatorem peccatorum? Deniq; quæ ueritas in uerbo illius remanebit, quo dicit: Qui ſermoné meum audit & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudiciũ non ueniet, ſed tranſiuit à morte in uitam? Et quid eſt quod hic Apoſtolus Rom. cap. 8. nullam his dicit ineſſe condemnationem, qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu? Deniq; quomodo tota illa iuſtificationis doctrina conſiſtet, quam hic Apoſtolus tam diligenter tradidit, ſi ſtandum nobis erit uel cadendum in iudicio ſecũdum factorum noſtrorũ exigentiam? Etenim licet Chriſtiani ſumus, à peccatis tamen nondũ ſic liberi ſumus, ut nihil peccemus in uniuerſum.

Reſpondeo. Omnino ſic habet. Reportabit in die iudicij unuſquiſq; noſtrum, iuxta quod geſsit ſiue bonum ſiue malum. Et tamen nihil decedit ex eo doctrinæ gratiæ. Qui uiri fideles ſunt, opus Dei faciunt credentes in Chriſtum. Iohan. 6. Ex illo utiq; reportabunt iuſtificationem & uitam æternam, ſecundum dominicam promiſsionem & doctrinam Apoſtolicam. Quæ ſubinde peccant, hic illis remittuntur per ſanguinem ac propiciationem Chriſti 1. Iohan. 1. 2. Bona quæ faciunt reportabũt clamante Chriſto: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt uobis à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi cibum, ſitiui, & dediſtis mihi potum, &c. Qui uero reprobi ſunt mala quæ hic faciunt reportabunt & ipſi. Ite, inquiet maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim & non dediſtis mihi cibum, &c. Sic reportabunt electi ac fideles fidei ſuæ fructus, reprobi uero perfidiæ ſuę mercedem. Sic ſynceri Chriſti miniſtri, bonũ reportabunt ex eo quod fideles in opere domini fuerunt, audientq; illud: Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium domini tui. Sic pſeudapoſtoli, operarij iniquitatis, malum reportabũt ex eo quod perfidi fuerunt in opere domini, audiéntque illud: Diſcedite à me operarij iniqui. Non noui uos. Hæc futuri iudicij norma nihil incõmodabit cœleſti gratię, qua per ſanguiné Chriſti ſeruantur electi & ueri fideles. Neque enim remiſsio illa peccatorum, quæ per Euangeliũ Dei prædicatur, uſq; ad tempus iudicij tãtum durat, ſed firma permanet in ſempiternum.

QVAE geſta ſunt per corpus, inquit, iuxta id quod fecit ſiue bonum ſiue malum. Quid eſt quod dicit: quæ ſunt per corpus, iuxta id quod fecit? An in die iudicij ea tantũ reportabimus

quæ

quę corpore ac manibus gessimus, opera crassa & actu transeuntia, sic ut nulla habeatur ratio spiritualiũ, qualia sunt fides, incredulitas, spes & desperatio, charitas & odium, patiẽtia & impatiẽtia, misericordia & immisericordia, humilitas & superbia, & quæ alia sunt huiusmodi, unde uel boni uel mali censemur? Si hęc quoq; in iudicium uenient, quid est quod dicit: quæ iusta sunt per corpus, iuxta quod fecit. Respondeo. Non diuidit Apostolus inter opera corporis & affectus cordis. Illud enim τὰ διὰ τ̃ σώματος idem ipsi hoc loco est, quod τὰ ἐν τῷ σώματι, id est, quæ in corpore gesta sunt. Intelligit enim omnia ea quæ facimus in hac uita dũ in corpore hoc habitamus. Et uerbũ ἔπραξεν, æque pertinet ad affect⁹ cordis atq; ad opera corporis. Significat aliqd agere, siue id corde fiat, siue externo aliquo corporis organo.

IVXTA id quod fecit, inquit, siue bonum siue malũ.] Non dicit: Vt reportet unusquisque quod fecit, sed iuxta id quod fecit. Id est, secundum qualitatem eorum quæ fecit. Non loquitur autem de qualitate operũ nostrorũ qua digna uel indigna in se censeantur (alioqui calix aquæ frigidæ quanti erit faciẽdus?) sed qua bona bona sunt, mala mala. Vnde & addit: siue bonum siue malũ. Si boni quid feceris, reportabis illius fructum, eumq; non sic admensuratum, ut præcise dignitati boni operis respondeat, sed secundum magnificentiam diuinæ maiestatis, quæ minuta bona liberalissime remunerat. Si male egeris, recipies secundum mensuram iusticiæ ac iusti iudicij.

Scientes igitur terrorem illum domini suademus hominibus, Deo uero manifesti sumus. Spero autem nos & in cõscientijs uestris manifestos esse. Non enim iterum commẽdamus nosipsos uobis, sed occasionem damus uobis gloriãdi de nobis ut aliquid habeatis aduersus eos, qui in facie gloriãtur & nõ in corde.

In præcedentibus significauit, quo sibi tribunalis Christi respectus seruiat, ad hoc uidelicet, ut in omnibus illi placere cõtendat. Iam de eo subijcit, quid hinc colligat proponendũ & suadendum alijs. Scientes igitur, inquit, terrorem illum domini, suademus hominibus. Sunt hæc uerba amphibolice posita. Possunt enim bifariam accipi. 1 Primo sic. Scientes igitur ista, timorem domini suademus hominibus. Hoc est, quoniam futurum scimus ut manifestari nos oporteat omnes coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; quæ gesta sunt per corpus, iuxta id quod gessit, siue bonum siue malum, suademus hominibus docẽdo, admonẽdo, hortando, instando & urgẽdo, ut timeãt dominum, illumq; in omnibus obseruent. 2 Deinde ad hunc modum. Sciẽtes igitur timorem hunc domini. Hoc est: Sciẽtes igitur, q̃ sit timẽdus dominus, futurus omniũ iudex, suademus hominibus, ut timentes illũ

A pietati studeant. Vtrobiq; subintelligendum est aliquid. In priore sensu, illud: Scientes igit, absoluẽdum uidetur si addas, ista. In posteriore, illud, suademus hominibus, desyderare uidetur, ut dominum timeant & obseruent. Nihil est periculi priorem ne uel posteriorem amplectamur. Prior tamen mihi magis arridet.

SCIENTES igitur, timorem domini suademus hominibus, inquit.] Obserua quod dicit: Scientes suademus. Hoc genus suadendi, quod ex certa scientia promanat, omnium solet esse urgentissimum ac fortissimũ. Non nascitur ex supremis labris, non sumitur ex aliorũ scriptis, sed ex uiuo sensu ueritatis, in quo nullus est dubitationi locus. Tales suasores conueniet esse ueros Christi ministros.

Vnde autem hęc erat illi scientia, cum de re loquatur in fine demũ mundi futura, ad cuius certitudinem nulla humani ingenij ratio pertingit? Scientiam pro fidei certitudine posuit. Quod certo futurum credebat, id se scire dicit. Sed hac de re diximus & antea.

TIMOREM domini suademus hominibus, inquit.] Quid est quod non dicit: suademus uobis, aut ecclesijs, uel fidelibus, sed hominibus? Loquitur non de fidelibus tãtum, sed de omnibus hominibus in genere pręsertim nõdum credentibus in Christum. Habebat hoc in more, ut in primis de Christo concionibus inculcaret hominibus futurum illud iudiciũ, quo iudicaturus est dominus uiuos & mor-

B tuos, quo animos eorum timore domini percelleret. Huius rei exẽpla uidemus Act. 17. & 24. Decimoseptimo disserens ad Athenienses inter cætera dicit: Et tempora quidem huius ignorantiæ cum hactenus dissimularit Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbẽ terrarũ cum iusticia, per eum uirum per quem decreuit fide præstita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis. Vicesimo quarto capite sic legimus. Post aliquot autem dies cum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum. Disputante autem illo de iusticia & temperantia & de iudicio futuro, tremefactus Felix respõdit, in præsentia abi, &c. His exemplis satis manifeste uidemus, quomodo hominibus Apostolus timorem domini suasurus futurũ iudiciũ inculcarit. Et ad Ebr. 6. inter prima Christianæ doctrinæ elementa recensetur & iudiciũ æternum. Et Petrus in Act. cap. 10. hoc dominum post resurrectionem apostolis suis præcepisse dicit, ut pręedicarent populo ac testificarentur, quod ipse sit constitutus à Deo iudex uiuorũ ac mortuorum. Et hoc dubio procul diligentissime perfecerunt. Hoc intelligẽs Paulus dicit: Scientes igitur oportere nos omnes manifestari coram tribunali Christi, timorem domini suademus hominibus. Vtinam autem persuaderi nobis posit timor hic domini, qui iã à maioribus nostris multis sæculis fidẽ in Christum

stum profitemur, uidemus reipsa paucissimos esse qui uera religione dominum timeant.

DEO uero manifesti sumus, inquit, spero autem nos & in conscientijs uestris manifestos esse.] Habent ista occupationẽ. Dicturi erant pseudapostoli. Hic homo tribuit sibi ipse plurimum. Occupat dicens: Suademus quę recta sunt hominibus, nos uero quod attinet, Deo manifesti sumus, qui corda nouit omnium. Et quod uitam & doctrinam nostram attinet uobis quoq; non sumus incogniti. Nam consciẽtijs uestris manifestos nos esse spero.

Obseruent, qui sic uitam suam instituunt in hoc sæculo ut profundent sua consilia abscōdantq; ac dicant quis uidet nos? Stultissimũ plane & impium est quod faciunt. Impiũ, qđ non cogitant manifestos esse se Deo. Huiusmodi impietatẽ perstringit propheta Psal. 94. ubi sic legimus. Et dicũt: non uidet dominus, & non intelligit Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti quando eritis prudentes? An qui plantat aurem non audit? qui format oculum, non uidet? An qui castigat gẽtes, non redarguet? qui docet hominem scientiam. Dominus nouit cogitationes hominũ qđ uanæ sunt. Hæc ibi. Impietas ista & Esaiæ 29. reprehenditur. Stultissimum est, quod à cōscientijs hominũ quoq; abscondi se posse putant, cum quibus uiuũt & agunt. Etenim etsi ad tempus fallunt, simulatio tamen omnis sic est comparata, ut non diu decipiat. Addo manifestum etiam maliciæ argumentum esse in eo quod conscientias hominum fallere satagunt. Si uiri boni essent, & recte agerẽt omnia, dicerẽt utiq; & ipsi cum Paulo. Speramus nos esse in conscientijs hominum manifestos. Insumma, admonet nos hic locus, fieri nō posse quin manifesti fiamus. Primum enim manifesti sumus Deo semper & in omnibus, deinde efficere nō poterimus quin & hominibus, & si non omnibus nonnullis tamen, & forsan ijs quibus omnium minime uolumus, manifesti fiamus in hoc mũdo. Tertio tandem in die iudicij manifestabimur omnibus & angelis & hominibus, ubi uel confusionem uel laudem reportabimus & maximam & sempiternam. Qui hæc consyderat, facile intelligit q̃ deceat nos sic agere in omnibus, ut & Dei & hominum conscientias ferre possimus.

NON enim iterum, inquit, nosipsos commẽdamus uobis.] Amouet suspicionem, qua uideri poterat, quod se iterum cōmendet Corinthijs. Sensus est, quod ista dico, non in hoc dico, ut me uobis commendem. Spero enim abunde me manifestos esse uestris cōscientijs. Hic ordo eorum quæ dicit inuersus est, secundum quem dicẽdum erat. Non autem iterum nosipsos commendamus uobis. Spero enim nos & in conscientijs uestris esse manifestos.

SED occasionem damus uobis, inquit, gloriandi de nobis.] Exponit quorsum præcedẽtia dixerit, quæ ad id dixisse uideri poterat ut se Corinthijs commendaret. Non ut me uobis

A commendem hæc dico, inquit, sed ut occasionem uobis præbeam gloriãdi de me: Hoc est, officium & opus Apostolatus mei cōtra pseudapostolos defendendi dum me uestrum esse Apostolum & agnoscitis & gloriamini. Hoc sentiens addit.

VT aliquid habeatis aduersus eos qui in facie gloriantur & non in corde.] Perstringit pseudapostolos qui in faciem de se plura iactabant, quum cordibus essent ab eis procul, de quibus gloriabantur. Gloriari in facie & non in corde est ea coram hominibus uerbis iactare, quæ conscientia ipsa agnoscere non potest. Verum istorum iactantiã ipse infrà capite decimo, undecimo & duodecimo retundet.

Vide modestiam Apostoli. Corinthijs sic erat manifestus, ut abunde ex ijs quę certo cognouerant, ad hoc essent instructi, ut pseudapostolorum glorias refringerent & ipsius existimationem tuerentur. Verum dissimulans hoc cum posset eos repræhendere dicit se occasionem illis dare gloriandi de se, & subministrare aliquid aduersus improbos iactatores, quasi minus ad id sufficiẽter iam antea essent instructi, & nō ultro absq; monitu in hoc incumbendum ipsis fuerit. Sic parcebat illis, cum merita eos posset confusione suffundere, & acriter repræhendere.

Nam siue insanimus, Deo insanimus, siue sani sumus uobis sani sumus. Charitas enim Christi constringit nos, iudicantes illud, quod si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerũt: & ꝓ omnibus mortuus est ut qui uiuũt post hac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaq; nos posthac neminem nouimus secundum carnem. Si uero & Christum cognouimus secundum carnem, nunc tamen nō amplius nouimus. Proinde si quis est in Christo, noua creatura est. Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia.

B

Non insaniebat Paulus, sed nunquam non sobria ac sana loquebatur. Verum quoniam subinde sublimius philosophabatur, quàm ut à quibuslibet posset capi, hoc illi à maleuolis pro insania imputabatur. Cum ergo fore pręuideret, ut quæ hoc capite de terreno ac cœlesti domicilio disputauerat insanię à pseudapostolis deputarentur, per occupationẽ ista subiecit dicens: Nam siue insanimus, Deo insanimus, siue sani sumus, uobis sani sumus. Quasi dicat. Magistris uestris iam insanire, ubi sublimiora: iam sobrie loqui ubi humiliora profero, uideor. Verum ubi sublimiora loquor, non ex insania, sed spiritussancti instinctu loquor atque ita Deo insanio, ubi humiliora profero, atque tum demum sobrius esse uideor, in uestram gratiam sic loquor, atque ita uobis sum sobrius

sobrius ac sanus. Significat his uerbis Apostolus esse sibi duplicem loquendi respectum. Vnum quo Deum ipsum, alterum quo ecclesiā Dei respiciat. Sic nihil reseruat sibijpsi, sed totum sese Deo & ecclesiæ eius consecrat, quādoquidē ad geminū hūc scopū dirigit omnia.

CHARITAS enim Christi constringit nos, inquit.] Vnde frequenter cohibeatur ne sublimiora, sed submisiora proferat, exponit, dicens: Charitas enim Christi constringit nos. Loquitur autem de charitate Christi, qua ille nos dilexit ac semetipsum pro omnibus dedit, sicuti patet ex mox sequētibus. Hac se sic constringi dicit, ut omnia ad captum ecclesiæ attemperet. Huic dari uult sicubi sobrie loqui uideatur. Sunt qui per charitatem Christi intelligant eam qua Apostolus Corinthios propter Christum diligebat. Chrysostomus tamē nobiscum sentit. Verbum συνέχει recte uerteris cohibet. Significat enim cohiberi se per charitatem Christi, ne sublimius pro dignitate cœlestis doctrinę euehatur, sed ad captum se imperitorū ac rudium demittat. Magistri nostri sęcularem philosophiam magis quàm Christi ueritatem spirātes si aliquo charitatis affectu præditi essent, cohiberentur & ipsi, ne gloriæ suæ potius rhetoricando ad populum, quàm saluti auditorum consulerent.

IVDICANTES illud, inquit, quod si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt.] Exponit insignem Christi charitatem & quid ipse in illa consyderet exprimit. Charitas Christi est, quod pro omnibus unus ipse mori dignatus est. Maiorem utique charitatem nemo habet, quàm ut animam suā ponat pro amicis suis. Christus uero non pro amicis tantum sed & inimicis, nō pro quibusdam tantum sed pro omnibus mortuus est. Hæc est immensa diuinæ dilectionis amplitudo. Ex hac uide quid colligat Apostolus. Si unus, inquit, pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt. Argumentum est à fine mortis Christi. Mortuus est pro nobis, ut uitæ restitueremur. Eramus igitur mortui. Et sic mortuus est pro omnibus. Erant ergo omnes mortui. Sic Apostolus Eph. 2. dicit: Et uos cū essetis mortui delictis ac peccatis. Dicit itaq;. Charitas Christi cohibet & cogit nos, ut rationem habeamus saluti uestræ. Sic enim de illa iudicamus. Christus unus mortuus est ꝓ omnibus. Ergo erant omnes mortui, & ipse tanti fecit mortuos, ut semetipsum pro illis daret, quo uitæ restituerentur. Quanto magis conuenit, ut ipse quoq; omnem operam pro illis impendam, pro quibus ille mori dignatus est, & sic illis sermonē uitæ dispensem, ut capere illum possint. Hic est præsentis loci sensus. Sunt tamē, qui illud, ergo omnes ἀπέθανον cum uulgata æditione legant, ergo omnes mortui sunt, & de morte exponant non peccati, à qua nos Christus morte sua liberare noluit, sed carnalium nostrorum affectuum & ueteris in nobis Adæ, ad quam nos Apostolica doctrina argumento mortis Christi inuitat. Sane non cōsequitur, Christus mortuus est pro omnibus ergo omnes mortui sunt sibijpsis, ut Christo uiuant, consequitur autē illud: Christus unus mortuus est pro omnibus, ergo mortui erant omnes, in peccatis uidelicet, quemadmodum paulo antē ex epistola ad Ephesios admonuimus. Quare lectio uulgata, ergo omnes mortui sunt, non exprimit mentem Apostoli, nec satisfacit illius argumento. Rectius igitur est, ut cum Erasmo legamus: Ergo omnes mortui fuerunt.

ET ꝓ omnibus mortuus est, inquit, ut qui uiuunt posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.] Collimat ad parænesim, quam subijciet. Exponit autem finem mortis Christi. Hunc esse dicit, ut qui per illam sunt ab exitio mortis liberati ac uiuificati, adeoq; iam uiuūt, uiuant in posterum nō sibi, sed ei qui ꝓ ipsis mortuus est & resurrexit.

ET pro omnibus mortuus est, inquit.] Repetit hanc particulam, ut utilitatem illius ac finem illi annectat. In præcedenti necessitatem mortis Christi, quæ ex eo erat quod mortui erant omnes, nec aliūde quàm ipsius morte uiuificari poterant, in præsenti finē illius, ad quē luctandum nobis sit exprimit. Cauendum autem est, ne sic Christum pro omnibus mortuū esse sentiamus, ut mortis ipsius efficacia communiter peruenerit ad omnes. Illa siquidē nō capitur à reprobis, incredulis, & impœnitentibus, licet in se sufficiens sit pro uniuerso genere humano redimendo. Proponitur salus quæ ex illa est omnibus, & sufficit omnibus, modo capiatur ab omnibus. Vniuersum mundum sic dilexit Deus, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam ęternam. Iohan. 3. Sic mortuus est ille pro omnibus, quia mortui erant omnes, ut omnis credens in ipsum uiuificetur ac seruetur.

VT qui uiuunt, inquit.] Intellige, à morte peccati per mortē ipsius liberati ac uiuificati. Vt qui uiuūt, id est, qui beneficium uitæ quod ex morte ipsius est, fide in ipsum sunt consequuti. Non dicit, ut omnes post hac ei uiuant qui pro ipsis mortuus est, neq; enim fieri hoc potest nisi ab illis qui morte ipsius sunt uiuificati, sed, ut qui uiuunt. In illis locum habet finis mortis Christi, uita uidelicet Christo consecrata. Quod igitur tam paucos Christianam uitam uiuere uidemus, ex eo est utique, quod pauci sunt qui ex morte Christi uiuant. Viuūt enim ex eo nonnisi ueri fideles.

POST hac non sibi uiuant, inquit.] Gręcē est μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, id est, non amplius sibijpsis uiuant. Sic igitur extra Christum mortui fuerunt & sunt omnes, ut sibijpsis uiuerent ac uiuant. Viuere autem sibijpsi est omnia facere secundum affectus carnis nec ullam habere uel numinis uel iusticię rationē, & sibijpsi, in summa, totum addictum esse in omnibus. Hoc genus uitę, præterquam quod omnis generis uicijs pec-

cijs peccatis ac sceleribus scatet, in se quoque abominabile est, & à uita Dei omnium alienissimum, ac prorsus diabolicum. Deus ipse non sibijpsi sed omnibus quæ condidit uiuit. Non uiuunt sibijpsis cœlestes spiritus, sed uiuunt Deo ac nobis. Omnis reliqua creatura quicquid est nostro bono est, nobisq; seruit. Solus Satan & homo hoc genus uitæ appræhenderunt, quo nec Deo nec alijs creaturis sed sibijpsis uiuant. Merito igitur ac salubri consilio requiritur ab illis qui morte Christi à morte peccati liberati sunt ac uiuificati, ut nō amplius sibijpsis uiuant. Abunde magna est gratia, qua pristinæ uitæ malicia remittitur, & exitium illius aufertur ut merito requiratur ut redemptori uiuentes post hac ad idem genus uitę nō redeamus.

SED ei, inquit, qui pro ipsis mortuus fuit & resurrexit.] Poterat simpliciter dicere, ut non amplius sibijpsis uiuant, sed ipsi. Verum ut æquitatem rei huius exprimat, adiecit, qui pro ipsis mortuus fuit & resurrexit. In morte siquidem redemptionis est præcium, in resurrectione uero, excitatio, uita, & iustificatio. Moriendo satisfecit pro peccatis nostris, resurgendo uitæ nos restituit & iustificauit. Qui traditus est inquit Rom. 4. propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationē nostri. Quid igitur ęquius censeri poterit, quàm ut salubriter uiuamus ei, qui quo salui simus mori pro nobis uoluit.?

Quid est autem uiuere Christo? Est ab illo pendere in omnibus, est omnia totius uitę studia spiritui illius ac uoluntati consecrare, est iuri ac potestati illius sese subdere in omnibus. Est sic uiuere in summa, ut nec ipse exprimas aliud uiuēdo quàm Christi spiritum, nec aliud ex te sentiāt, quibuscum uiuis, quàm Christū. At hoc uitæ genus plane ex diametro pugnat cum eo quo nobisipsis uiuimus. Quare ut hoc in nobis locum habere posit, requiritur ut ad illud non reuertamur amplius. Nequit enim fieri ut Christo uiuamus, donec nobisipsis uiuere pergimus. Ideo recte non simpliciter dixit, ut qui uiuūt, ei uiuāt qui pro ipsis est mortuus, sed interposuit, non amplius sibijpsis uiuāt, & ne hoc sufficere uideatur, adiecit: sed ei qui pro ipsis mortuus fuit & resurrexit.

ITAQVE nos posthac neminem nouimus secundum carnem, inquit.] Locus hic admodum obscurus est. Recitabo aliorum expositiones, deinde & meam adijciam.

1 Chrysostomus illud κατὰ σάρκα, id est, secundum carnem, aliter in genere de quouis Christiano, & aliter in specie de Christo exponit. Sic enim illud: Itaque nos posthac neminem nouimus secundum carnem, exponit, ut Christo competere non posit, cum tamen perspicuum sit particulam hanc, secundum carnem non alio atque alio sed eodem esse utrobique sensu ab Apostolo positam. Verba illius hæc sunt. Quod de nobis dicit, secundum carnem, est in peccatis esse, &, non secundum carnem,

A non esse in peccatis. In Christo uero, illud, secūdum carnem, est in naturalibus esse pasionibus, utpote, in siti, in fame, &c. Peccatū enim non fecit, &c. Haud uero secūdum carnē esse, est ab eiusmodi pasionibus esse liberum, non esse extra carnem. Cum illa nanque uenturus est ad iudicandum orbem. Hæc ille, quē Theophylactus more suo sequitur.

2 Ambrosius sic exponit, ut quod in genere concernit omnes, non attingat, & ea tantum exponat, quę de Christo dicuntur. Verba eius asignabo. Itaque nos ex hoc tempore neminem nouimus secundum carnem. Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Verum est, quia Christo resurgēte à mortuis iam cessat in eo carnalis natiuitas, cessat infirmitas corporis, cessat & passio mortis. Vsq; ad crucem enim suspicio fuit infirmitatis in Christo. Post autē apparuit esse quod nō credebatur, sicut & ipse ait: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sum. Hoc ergo idcirco Apostolus memorat, ut ostendat qua deuotione obsequendum sit Christo. Pro salute enim hominum, non solum hominem nasci se dignatus est sed & iniurijs agi & mori, ut intelligentes quàm preciosa sit mors eius, propensius illi seruiant, non quasi homini uicem reddentes sed Deo, quia unicuiq; pro persona eius & meritis refundenda obsequia sunt. Hæc ille.

3 Et Augustinus de doctrina Christiana lib. B primo capite trigesimoquarto per carnē hoc loco humanitatem à Christo susceptā & quæ in illa perfecta est dispensationem intelligit.

4 Lyranus ad hunc modum exponit. Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, id est, cum nemine societatem contraximus moti carnali affectione. Sed quia posset aliquis obijcere, quod Apostoli multum dilexerunt Christum, etiam secūdum præsentiam corporalem, ideo subdit Apostolus in persona apostolorum, qui cum Christo fuerunt corporaliter. Etiamsi cognouimus Christum secundum carnem, id est, affecti eius præsentia corporali, sed nunc iam non nouimus, illo scilicet modo sed meliori. Hæc ille.

5 Recentiorum quidam sic exponunt, ut secundum carnē aliquem cognoscere, idem sit quod cognoscere eum carnaliter, studio & affectu carnis, quomodo caro facit. Et adferunt hunc sensum. Quoniam omnes unà cum Christo mundo sumus ac carni mortui, non conuenit ut in posterum secūdum carnem & carnaliter uiuamus, & carnaliter quenquam sed potius spiritualiter cognoscamus. Etenim carnaliter aliquem cognoscere, non est eum ultra q̃ caro potest cognoscere. Vltra autem caro non ualet, quàm ut quod suum est quærat in omnibus, quo pacto mundani homines sese mutuo cognoscunt, nos Christiani uero non item. Et quemadmodum fratres nostros non cognoscimus carnaliter sed spiritualiter, ita & Christum non carnaliter sed spiritualiter cognoscimus,

mus, quærentes in eo nō quæ carnis, sed quæ spiritus sunt. Hanc expositionem nonnulli magnifaciunt. At meo iudicio ad mentem Apostoli non accedit. Deinde infirmum est, quod particulam hanc, secundum carnem, referunt ad cognoscentem, non ad eos qui cognoscuntur, quo sensu de Deo quoq; dici potest, quod à multis secundum carnē, id est carnaliter, cognoscatur, cum tamen carnem non habeat. Quam multi siquidem sunt, qui & carnaliter de Deo sentiāt, & quæ carnis sunt in illo quęrant. At Apostolus hic de cognitione eorū loquitur qui & carnem habent, & secundū carnem quam habent, cognosci possunt. Loquitur enim de Christianis & Christo ipso.

6 Nonnulli alij exponunt, cognoscere secundum carnem aliquem, esse illum cognoscere secundum externam laruam, apparentiam & dotes carnis. Et Christum cognoscere secundum carnem, esse illum secundum ea quæ in carne ad tempus gessit cognoscere.

7 Sentiat quisq; quod uero propius accedere putat. Mea sententia sic habet. Mentē Apostoli in hisce uerbis cognituro opus est, ut quid ille hoc loco secundum carnē cognoscere, & quid nouam creaturam uocet, accurate intelligat. Infrà cap. 11. perstringens pseudapostolos, quos perpetuos habebat hostes, impingit illis, quod gloriarentur secundum carnem. Et subijciens illorum glorias, dicit. Hebræi sunt? sum & ego. Israëlitæ sunt? sum & ego. Semen Abrahæ sunt, sum & ego. Gloriabantur itaq; secundum carnem, iactantes Ebræos esse se, Israëlitas, & semen Abrahæ. Deinde & circūcisionem carnis urgebant, ut in carne circumcisorum gloriari possent, quasi secundum illam censendi sint Christiani. Et hinc fiebat, ut pro ueris Christianis ij demum habendi uiderentur, qui secundum carnem essent ex Israële, & circumcisi essent carne. Horum pestem ubique impugnans diligēter monet Christianum hominem non censeri secundum prærogatiuam carnis, sed secundum nouam creaturam, quæ fit ex Christo Iesu. Sic Galatas in uiā reuocans dicit: Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam ualet neque præputium, sed noua creatura. Huc respiciens hoc quoq; loco dicit: Itaq; nos posthac neminem nouimus secundum carnem. Hoc est. Nos igitur posteaquam unus mortuus est pro omnibus, eò quod mortui essent omnes, & ob id pro omnibus est mortuus, ut qui uiuunt, non amplius sibijpsis, sed ei uiuant qui pro ipsis est mortuus, & resurrexit, ab eo tempore neminem Christianum censemus ex ijs quæ sunt secundum carnem, siue sit circumcisus siue præputiatus, siue Græcus, siue Iudæus, siue Barbarus, siue Scytha, siue seruus siue liber, siue carnalem legis obseruantiam teneat siue minus. Hæc omnia carnis sunt. In carne quidem adhuc sumus qui Christo uiuimus: uerum haudquaquam secundum carnem Christiani censemur. Vestri magistri prærogatiuā

A carnis admodum extollunt, & secundū hanc de Christianis iudicant. At nos, licet & ipsi ex Israële simus, possimusque de carne gloriari nihilominus quàm ipsi, Christianum tamen neminem censemus secundum carnem, postquam Christo sumus inserti. Hunc existimo germanum esse præsentis loci sensum, quem & Commentarij qui Hieronymo dantur, attingunt. Sic enim habent: Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, id est carnaliter circumcisum, & carnales ceremonias seruantem.

ETIAMSI uero & Christum cognouimus secundum carnem, inquit, nunc tamen nō amplius nouimus.] Sensus est. Obijciunt nobis Christum ipsum, quod sit Iudæus, ex semine Abrahæ, & circūcisus, & quod legē ipse quoq; seruarit, quodq; in carne inter Israëlitas uersantem uiderint. Nos ista in Christo non sic moramur, ut ex illis regulam Christianæ religionis ac censuræ sumendam existimemus. Aliquando nos ipsi quoq; secundum carnem de Christo sentiebamus, sicq; carnem illius intuebamur, ac si secundum illius pręrogatiuā ad Israëlem tantum pertineret. Verum rectius in fide illius instructi non amplius de illo secundum carnem iudicamus, sed potius secundum consilium Dei, quo datus est uniuerso generi humano redemptor ac Seruator, ut in ipso uiuamus omnes, deq; spiritu ipsius censeamur omnes, non Israëlitæ & Iudæi, sed ueri Christiani. Huic sententiæ concordat, quod & Christus ipse nec matrem, nec fratres secundū carnem agnoscebat, Matth. 12. sed secundum obedientiā, qua patris cœlestis uolūtati obeditur.

B PROINDE si quis est in Christo, inquit, noua creatura est. Vetera præterierūt, ecce noua facta sunt omnia.] Absoluit quod neminē se secundum carnem censere dixit. Nō est enim loquutus de cognitione, qua hominem ut hominem censemus, sed qua Christianū cognoscimus. Ideo colligendo non dicit: Si quis est homo, sed, si quis est in Christo. Hominē secūdum carnem recte cognoscimus, Christianum uero non ita. Cum ergo Christianus nō sit secundum carnem cognoscendus, reliquum est ut ex noua creatura censeat. Hęc enim inter se opponuntur. In carne uetustas est, in Christiano uero noua creatura, nouus homo, secundū Deum è supernis conditus. Vnde addit: Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Præterierunt uetera, in quibus constabat carnis prærogatiua, & iusticia secundum legem. Præterierunt Noui testamēti successione, per quā noua facta sunt in Christo omnia. Nouus homo, nouus spiritus, noua uita, testamētum nouū, noua iusticia, &c. Hæc mea est de psenti loco sentētia, quam iudico & menti Apostoli conuenire, & nihil discrepare à uerbis.

ITAQVE nos posthac neminē nouimus secūdum carnē, inquit.] Admonet hic locus, nō esse Christianos cēsendos ex ijs q̄ sunt carnis. Loquit quidē Apostolus de pogatiuā carnis,

 quam

quam in Abrahamo, circũcisione, & legis obseruantia iactabant pseudapostoli: uerum nihil impedit, quo minus nos generaliorem sententiam hinc struamus, pronunciantes, nullis carnis dotibus siue naturales hæ sint, siue religiosæ, siue fortuitæ, metiendum esse Christianum, ut taceam ea quæ ad corruptionem carnis pertinent, è quibus est cultus eidolorũ, qui inter opera carnis Gal. 5. numerant̃. Nota Christiani hominis non est statuenda ulla in re carnali, siue in sacro siue in prophano sit usu. Carnis sunt omnia, unde censetur Iudæus, unde Ethnicus, unde Turcus. Christianus ex his cognoscitur nemo. Carnis sunt omnes illi cultus templarij, serico, argento, auro, lapidibus preciosis, & cereis ardentibus splendentes. Secũdũ hos quoq; nemo censetur Christianus. Nemo enim secundum carnẽ Christianus esse cognoscit̃. At hodie his potissimum antiquos & catholicos Christianos metiuntur Pontificij.

SI uero & Christum cognouimus secundũ carnẽ, inquit.] Potest hoc referri ad tẽpus quo adhuc extra Christi erat cognitionẽ Paulus in Iudaismo. Habebat tum quoq; aliquã de Christo futuro sententiam, quemadmodum de apostolis quoq; legimus, quod & ipsi opinionẽ sibi de illo conceperint, quod liberaturus esset Israëlem, illiq; regnum restituturus, & quod secundum morem sæculi esset regnaturus. Hæ sentẽtiæ de Christo secundum carnẽ erant, & prorsus Iudaicæ. Agnoscit hoc de se Apostolus & fatetur, quod aliquando de Christo secundum carnẽ senserit. Admonemur hoc exẽplo, candidi esse hominis nõ dissimulare, multo minus negare, si aliquando in errore constitutus aliter quàm ueritas habet senserit.

NVNC tamen nõ amplius nouimus, inqt.] Non negat se Christum cognoscere in carne. Absit. Cum enim alibi nihil se nisi Christũ Iesum & hunc crucifixum, scire dicit, utiq; nouit Christum in carne, uerũ hominẽ, uere passum & mortuũ. Hoc ergo dicens non adimit Christo ueram carnem, ueramq; carnis naturã, quã sibi Christus ipse post resurrectionem uindicat dicens: Palpate & uidete, quoniã spiritus carnẽ & ossa nõ habet, sicuti me habere uidetis, sed negat se amplius de Christo sentire secundũ carnẽ, eo modo quo senserat de illo in Iudaismo. Quare locũ hic nõ habent hostes ac negatores carnis Christi, siue prisci siue recentiores. Et illi quoq; qui Christũ & Deum & hominem tẽpore Nestorij in ecclesia Constantinopolitana confitebant̃ impertinenter hæc Apostoli uerba contra presbyterũ Anastasiũ usurparũt, cum ille in ecclesia docens diceret: Nemo Mariã Deiparã uocet: fuit enim homo Maria. Ex homine autẽ Deum nasci est impossibile. Qua de re sic legimus: Hoc auditũ multos clericos & laicos, & pariformiter cunctos perturbauit. Sciebant enim oẽs Christũ esse Deum, & nullo pacto propter dispensationẽ susceptã tanquã hominẽ à diuinitate separatum, fidem habentes Apostolicæ uoci quæ dicit: Etiamsi cognouimus secundũ carnẽ Christum, at iam nõ amplius cognoscimus. Hęc Socrates Ecclesiast. hist. lib. 7. cap. 32. Illis Christũ cognoscere secundũ carnẽ, est hominem eum cẽsere, & nõ amplius cognoscere secundũ carnẽ, censere Deũ. Secundũ eiusmodi sensum Apostolus nõ cognoscebat amplius in Christo hominẽ, sed deũ tantũ. Verũ sic labi cogunt̃ q uerba Apostoli nõ satis inspecta, temere usurpãt.

PROINDE si quis est in Christo, inquit, noua creatura.] Obserua quod cum dicendũ esset: Si quis est Christianus, dixit, si quis est in Christo. Ergo Christianum esse, est in Christo esse. Extra Christũ quisquis est, Christianus nõ est. Facile est participẽ fieri sacramentorũ, nominis, ac professionis Christi, at in Christo esse, non ita. Nam id omnino nouũ hominẽ requirit, unde & hic dicit: si quis est in Christo, noua creatura est. Maxima pars Christianorũ uetus adhuc creatura est. Nondum enim sunt spiritu Christi regenerati ac renouati. Cogniturі igitur Christianũ, uitam illius, nõ externã professionẽ tantũ inspiciamus. Ex uita discere licet, uetus ne sit adhuc uel noua creatura. Vbi uetus creatura in solidum retinet̃, ibi omnino extra Christi spiritum uiuit̃. In solidũ dico, ne teneras adhuc in Christo ac recẽtes plantulas propter ueteris creaturæ reliquias damnem. Vetus enim creatura nõ ita subito exuit̃, nec noua repente tota induit̃. Habet hæc mutatio suos gradus & incremẽta paulatim exurgentia. Et interim tamen habet sua etiam indicia unde cognoscatur, quantumuis illa sint tenuia. Quid sit autem in Christo esse, & quid esse Christum in nobis, in Comment. nostris super Ioannem fuse diximus.

VETERA preterierũt, ecce noua facta sunt omnia, inquit.] Vtiq; testamẽtum Vetus cum suis iusticijs carnis transijt, & Nouũ successit. Erant & uetera illa ex Deo. Quare non debebant humano consilio è medio auferri. Recte igitur dicit παρῆλθεν, id est, transierunt. Impleta illorum dispensatione, successione Noui testamenti transierũt, perinde ac si umbras noctis ad exortum Solis transire dicas. Veteres errores non eo sunt honore habendi, ut sponte sua transire sinant̃, sed studio auferendi. Vide & illud. Nõ dicit: ecce noua fecimus omnia, sed: ecce noua facta sunt omnia. Non immutarunt apostoli testamenta Dei, sed Deus ipse uirtute spiritus sui quem effuderat, antiquato Veteri, Nouum subiunxit.

Author Apocalypseos cap. 21. cum uidisset in spiritu cœlum nouum & terram nouam, uocem hanc cœlitus de throno audiuit: Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ. Et mors ultra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierũt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Igitur mox initio Noui testamenti, per spiritũ Christi

Christi innouata sunt omnia, & in fine quoq;, quando mors abolita fuerit, noua per Christū fient omnia. Prior innouatio testamenti est, & mentium nostrarum. In hac possunt adhuc omnis generis afflictiones innouatorum hominū exercere fidem ac patientiam. Posterior est totius cœli ac terræ machinæ, & allatura secū est plenam ac sempiternam felicitatem. Prior de posteriore nos certificat. Habet enim arrhabonem spiritus. Posterior priorem in electis ac fidelibus absoluet & perficiet. Hic enim mētium fit innouatio, illic etiam corpora nostra innouabuntur.

Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministeriū reconciliationis: quandoquidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua, & posuit in nobis sermonem recōciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.

Refert in Deum omnia quæ in præcedentibus dixit, simulq; exponit adhuc clarius, & interim addit de ministerio Apostolatus sui. Totam salutis nostræ rationem breui cōpendio digerit & exponit. Quare locus hic ab omnibus est fidelib⁹ summo semp habendus in precio, & singulari studio mēti penitus insinuād⁹.

OMNIA autem ex Deo, inquit.] Suprà alicubi diximus, in more id esse Apostolo, ut quęcunq; Christo tanquam redemptori ac Seruatori ad salutem nostram pertinentia tribuit, ad Deū patrem, tanq̃ illorum authorē ac fontem referat, quo certior nobis in omnibus fidei nostræ ratio constet. Hoc ipsum in præsenti quoq; facit dicēs: Omnia autem ex Deo. In genere quidem omnia sunt ex Deo, quę in cœlo sunt terra ac mari, & quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, qua de re alibi admonet. Hic uero specialiter de ijs loquitur, quæ summam salutis nostræ concernunt, quorum in præcedētibus ex parte meminit, ubi unū mortuū fuisse dicit pro omnibus, ut qui uiuūt non amplius sibijpsis uiuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus fuit & resurrexit, quibus uerbis opus redēptionis nostræ per Christum partæ expresſit, id quod hic cum annexis suis omnibus Deo patri tanq̃ authori asſignat. Quare non simpliciter dicit πάντα δὲ sed cū articuli specificatione τὰ δὲ πάντα, id est. Hæc autem omnia ex Deo. Specificationem hanc in sequentibus explicabit.

QVI reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, inquit.] Sic exponit illud, quod supra unū pro omnibus mortuum fuisse dicit. Quis unus ille sit aperit dicēs per Iesum Christum. A Ipsum opus quo ille pro omnibus mortuus fuit exponit dicens: qui reconciliauit nos sibi. Eramus omnes natura filij iræ, inimici, peccatores, abalienati à Deo, & in peccatis mortui. Quatenus peccatores inimici, filij iræ & abalienati à Deo eramus, opus nobis erat reconciliatione cum Deo, nulla aliàs cuiquam poterat spes esse salutis. Quatenus mortui eramus in peccatis, poscebat ipsa necessitas mortis uictorem ac uiuificatorem. Vtrunq; igitur misericordissimus pater, recōciliatorem uidelicet ac uiuificatorem pręstitit in filio suo Iesu Christo, dum illum pro nobis omnibus peccatum fecit, mortiq; tradidit, ut uictima esset & oblatio placationis, recōciliationis ac redēptionis.

Obserua uero, quod non dicit: qui reconciliatus nobis est per Iesum Christum. Neq; sic alienum quid à uero dixisset, uerū proposito suo non seruisset. Quare dicere maluit, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum. Sic reconciliationis nostræ opus per Christum, tanquam mediatorem factum, Deo patri tribuit, quod is nos sibi reconciliauerit. Magnum est esse nos reconciliatos non angelis modò, sed ipsi Deo, maius est factum hoc esse per ipsum filium Dei. Omnium uero maximū est, quod factum hoc est non extra uoluntatem & consilium patris, sed ab ipso sic uolente, constituente, ac filium suum ad id mittente, inque mortem tradente. Non expectauit nos, dum ipsi reconciliationem suppliciter ambiremus, sed B eius propositi inscios, imò auersos, & peccatis immortuos, ultro suapte misericordia per filium sibijpse reconciliauit, & ad hanc quosuis reconciliationem uocauit & inuitauit. O stupendæ bonitatis exemplum. Læsa maiestas prima sibi reconciliat inimicos. Discamus omnes, quæ spes debeat esse reconciliatis coram eo, qui nos sibi ultro cum inimici essemus, reconciliare dignatus est. Qui sic propensus fuit in inimicos, qualem esse credendum est in reconciliatos? Discamus item omnes, quid faciendum sit læsis & offensis. Non expectandum uidelicet donec qui læsit suopte instinctu ueniat, & reconciliationem ambiat, sed ad exemplum hoc cœleste connitendum, ut qui læsus est, ipse sibi primus fratrem à quo læsus est reconciliet. Nihil huius facimus, quia fratres non diligimus, non diligimus autem quia boni non sumus, sed à bonitate cœlestis patris alienissimi.

DEDITQVE nobis ministerium reconciliationis, inquit.] Non erat satis ad salutem, quod nos sibi clementissimus pater per Christum filium suum reconciliauit, nisi nos reconciliationis huius redderemur capaces. Reconciliatio non potest locum habere inter inuitos, sed utriusque partis assensum ac uoluntatem requirit. Nostri reconciliatio, quod ipsum Deum attinet, perfecta quidem est in morte mediatoris Christi unigeniti Dei, uerum quod nos ex altera parte concernit, perfecta non est nisi conditionibus illius nos ex

ani-

animo accommodemus, ut capaces illius esse possimus. Hę sunt resipiscẽtia & fides in Christum. Sine his nemo recõciliationis huius poterit esse capax. Excluduntur enim impœnitẽtes & increduli. Vt igitur participes illius efficeremur misit Euãgelium suum in orbem, per quod ad resipiscentiam ac fidem in Christum uocarentur omnes, quo recõciliationis huius gratia potirentur. Et id muneris cõmmisit apostolis tanquam reconciliationis huius legatis. Hoc significans Apostolus dicit: deditque nobis ministerium reconciliationis. Non soli ipsi sed & reliquis apostolis ministerium hoc dedit. Nihil tamen impedit quo minus hic de suo Apostolatu loqui intelligať, de quo pseudapostoli cõtrouersiam improbissime mouebant. Sic itaque non modo ipsum reconciliationis opus, sed & dispensandæ illius ministerium Deo authori tribuit.

Obseruet uero diligens lector quàm elegãti ordine reconciliationem hanc nostri inter Deum, Christũ, & apostolos diuidat. Deo tribuit illius authoritatẽ, Christo opus ꝑ quod, tanquam mediatori, apostolis dispensandæ illius ministerium, tãquam ministris ac legatis. Nusquam excludiť Deus, à quo sunt hæc omnia. Nec Christus sine Deo reconciliationis opus perfecit, nec Apostoli dispẽsationis illius ministerium sine Deo obiuerunt in mundo.

Quis autem satis perpenderit quàm grato elogio prædicationem Euangelij exornet, dũ uocat eam ministerium reconciliationis, utiq; & pacis? Nihil acceptius excogitari potest ijs qui sunt metu Dei ac morsu conscientiæ angustiati, quàm ministerium hoc recõciliationis, per quod non modo ad resipiscentiam & fidẽ in Christum uocantur, sed & certissimam reconciliationis ac pacis cum Deo promissionẽ accipiunt, per quam conscientiæ ipsorũ à metu ac sensu irę Dei liberantur, quẽ antea nullis modis excutere poterant & tamen grauitatẽ illius ferendo non erant. Reuera speciem rebellionis habet, si quis ministerium hoc reconciliationis contempserit ac susq; deq; fecerit, nec expectandũ est eiusmodi cõtemptoribus aliud q̃ exitium & certissimũ & meritissimũ.

QVANDOQVIDEM, inquit, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi non imputans eis peccata ipsorum.] Declarationẽ eorum subijcit quæ de opere & ministerio recõciliationis dixit. Sic illud: qui nos sibi reconciliauit per Iesum Christũ exponit dicens: Quãdoquidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputãs eis peccata. Quasi dicat. Neq; enim Christus opus hoc reconciliationis per seipsum sine Deo pręsumpsit, sed ipse Deus Christum filium suum inhabitans, & in omnibus dirigens, non nos modo sed & mũdum, id est, omne genus humanum, quod inde ab initio ad finem usq; mundi fuit, & est & erit, sibi reconciliauit, dum filium in mortẽ pro omnibus dedit.

NON imputans eis peccata ipsorũ, inquit.] A Hoc est remittẽs eis peccata ipsorum, propter quæ abalienati ab ipso fuerant. Quid enim aliud est, non imputare peccata peccatori, q̃ clemẽter remittere? & quid remittere q̃ non imputare? Sic propheta Psal. 32. remissionẽ & nõ imputationem peccatorum pro eodem usurpat dicens: Beatus cui remittitur transgressio & cui tegitur peccatum. Beatus homo, cui nõ imputat dominus peccatum. Particulam hãc Apostolus necessariò adiecit: Neq; enim recõciliatio hæc mundi cum Deo fieri potuit, nisi omnibus peccatis nostris clementer remissis. Si peccata imputare uoluisset, locum reconciliatio non habuisset. Nemo nanq; erat ex omni genere humano, qui pro suis nedum aliorũ peccatis, iusticiæ Dei satisfacere, & hac ratione reconciliationem impetrare potuisset.

Ergo ne totum genus humanum reconciliatum est Deo per Christũ, sic ut nemini mortalium peccata imputentur? Si hoc sentiendũ est simpliciter, quid aliud consequitur q̃ perire neminẽ, saluari indiscriminatim omnes? Sane ex hoc & consimilibus alijs locis nonnulli dogma de saluandis omnibus etiã impijs nostra ætate renouare conati sunt. Verum est omnino quod dicit Apostolus. Mundum sibi in Christo Deus reconciliauit, non imputans eis peccata ipsorum, quantũ attinet ipsum reconciliationis opus, toti generi humano recõciliando paratum ac sufficiens. Verum quemadmodum suprà diximus, quoniam reconciliatio inter inuitos locum habere non potest, B institutum est ab ipso Deo ministerium recõciliationis, quo cuncti ad hanc gratiam cupide amplexandam uocentur & inuitẽtur. Hãc si totus mundus amplexareť, utiq; totus mundus omni peccatorum imputatione reiecta cũ Deo reconciliaretur, ac seruaretur, nec periret mortalium quisquã. Cum id nõ fit, quid aliud restat, quàm ut generalis huius gratiæ participes fiant hi tantum, qui grati illam resipiscendo & credendo amplectuntur?

ET posuit, inquit, in nobis sermonem recõciliationis. Gręce est τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. Non mutassem ueterẽ uersionem, quæ habet, & posuit in nobis uerbum recõciliationis, quod usus huius uocis frequens sit in scripturis in ecclesia receptis, nec tanta sit ratio, qur muteť. Sit hoc minutum. Apostolus exponit quod suprà dixit: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quod ibi uocauit ministeriũ, id iam exponendi gratia uocat λόγον, id est, uerbum, intelligens prædicationem Euangelij. Generalius est ministeriũ reconciliationis. Possunt enim multæ esse ministerij species. At specialius est uerbum reconciliationis. Nam hoc elogio exprimitur certus modus administrandæ recõciliationis. In Papatu reconciliationẽ hãc cõstituerũt aliã atq; aliã, dum eam iam Missis suis, iam cõfessionibus priuatis, iam indulgentijs Pontificijs alligarũt, de quibus nulla extat d. constitutionis authoritas. Quare diligenter obseruandũ est, qđ Apost. hic dicit: Et posuit

Deus

Deus, id est, constituit, iniunxit, & mandauit, λόγον, id est, uerbum, prædicationem, & annunciationem reconciliationis, hoc est, de reconciliatione mundi, à Deo per Christum facta. Palàm loquitur de prædicatione Euangelij, per quam reconciliationem hanc Deus toti orbi proponi uoluit. Hanc uiam dispensandę illius nundinatores & cauponarij in ecclesia ferre nō possunt, quam tamen apostoli, tanq̃ à Deo acceptā, fideliter & constanter tenuerunt. Mutatam à Deo nō inuenio, ab Antichristo inuenio. Disputant de sacramentis, an non & per illa reconciliationis huius gratia applicetur. Si separatim inspiciantur absq; uerbo reconciliationis, nō concedo, si illi incorporentur, cōcedo in baptismate, propter uerbū. Cœnæ dominicæ alia est ratio.

Quod autem sit uerbum recōciliationis, ex eo qđ præmissum est patet. Quid enim aliud prædicabat minister reconciliationis huius, q̃ ipsam reconciliationem à Deo factā, & sic factam, ut mundum sibi per Christum non imputans eis peccata ipsorum, reconciliarit. Hāc gratiam fideliter prædicare, & quosuis ad resipiscentiam & fidem in Christū uocare, est uerbum reconciliationis prædicare.

ITAQVE nomine Christi legatione fungimur, inquit, tanq̃ Deo uos obsecrāte per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo.] Quod lectionē attinet, illa, in nomine Christi, &, pro Christo, in Græco non sunt alijs atq; alijs uerbis posita, sed utrobiq; habet ὑπὲρ χριστοῦ. Quare & utrobiq; constanter uertendū erat, pro Christo, uel, nomine Christi. Tam enim recte legeris, rogamus nomine Christi, q̃, nomine Christi legatione fungimur, uel, ꝓ Christo legatione fungimur, q̃, rogamus pro Christo.

Habent ista parænesim, cuius summa est: Itaq; rogamus uos reconciliemini Deo. Circūstantiæ sunt: rogamus autem nō ut priuati homines, nostro ipsorum instinctu & arbitratu, sed ut legati Christi, nomine Christi, tanquam Deo ipso uos hortante per nos.

ITAQVE pro Christo, inquit, legatione fungimur.] Ex præmissis authoritatem Apostolatus sui colligit. Dixit: deditq; nobis ministerium reconciliationis. Item, & posuit in nobis ministeriū reconciliationis. Hinc colligēs: itaque, inquit, quoniam Deo sic placuit, ut imponeret nobis recōciliationis huius ministeriū, nos mandato illius obedientes legationē hāc obimus, pro Christo, id est, loco & uice Christi, perinde ac si Christus ipse ad uos ueniret. Qui legatus imperatoris in castris est, uices illius in castris gerit, sic ut omnis illius potestas ab ipso dependeat imperatore, pro quo legatione fungitur. Consimilem Apostolatui sui uindicans potestatem Apostolus, dicit se non modo ex constitutione & mandato Dei, sed & pro ipso Christo, uel, nomine Christi, legatione ad exequendum reconciliationis ministerium fungi. Magna semper habita est legatorum, præsertim regiorum, dignitas, ad quā legebantur non uulgares homines sed selecti, non iuuenes sed uiri uenerabili senecta suspiciendi. Vnde & πρέσβεις uocantur. Nomina eorū philosophorum, qui olim cum Areobindo in Persiam pacis constituendę gratia legati mittebantur, ad posteros honoris gratia trāsmissa sunt, quorū meminit Suidas. Quanto dignius est ut legati cœlestis regis, reconciliationis gratia non in Persiam tantum sed in totum orbē amandati, perpetuo sint in omnium fidelium memoria, habeāturq; in precio, qui legationē eam post illos ex uoluntate Dei prosequūtur.

TANQVAM Deo uos obsecrante per nos, inquit.] In Græco est, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, id est, tanquam Deo exhortante per nos. Sic habet & uulgata. Verbum παρακαλεῖν aliquando quidem obsecrare significat, uerū hic rectius exhortandi sensu accipitur. Siquis tamen Chrysostomum sequutus malit legere, tanquam Deo obsecrante per nos, quod existimet haud indecorum esse Deo, si dicatur nos per apostolos suos obsecrare, per me licet sic sentiat, modo sciat eum sensum nō necessario ex uerbo Gręco nasci, quod non minus exhortari quàm obsecrare significat. Non contētus dixisse, itaque nomine Christi legatione fungimur, mox de Deo ipso subijcit, illumque, uelut exhortantem quosuis ad amplexandam recōciliationem inducit. Tribuit illi quod ipse ex authoritate eius faciebat. Ipse exhortabatur ipse obsecrabat & solicitabat quosuis. Et hoc tanti uult haberi, ac si à Deo ipso fiat, cuius rei duæ sunt causæ, diuini mandati una, spiritus altera. Neq; enim humanum sed diuinum censeri debet, quod licet per hominem fiat, mandato tamen ac spiritu Dei impellente perficiť.

ROGAMVS nomine Christi, inquit, reconciliemini Deo.] Gręcè est, δεόμεθα. Significat autem uerbum δέομαι indigere ac desyderare, & consequenter suppliciter pro re necessaria ac desyderata obsecrare. Haud igitur leuiter rogabat, ut Deo reconciliarētur, sed obnixe ac suppliciter perinde ac si rem ageret sibiipsi omnibus modis necessariā, cum tamen quicquid agebat ipsorum salutis gratia ageret. Etenim si Deo reconciliari detrectassent, utique suo ipsorum hoc, non apostoli, exitio fecissent.

Vides uere paternum in Apostolo pectus. Emiserat apostolos suos dominus in hanc ipsam reconciliationis legationem, ut prædicarent Euangelium omni creaturę, ac docerēt omnes Gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritussancti, ut autem suppliciter obsecrarent homines, quo se Deo reconciliari sinerent, mandasse illum non legimus. At hic Apostolus nō modo prædicat & docet in nomine Christi, sed & quosuis obnixe obsecrat, ut Deo recōcilienť. Sic Apostolatū suū nō est ꝑfunctorie exequutus, sed animo plane erga quosuis paterno, & salutis omniū cupido. Perinde ac si q̃s reo cupiā libere dimittendo, si ignosci sibi supplex petat, plectēdo uero, si id facere detrectet, ut saluti suæ ac uitæ cōsulat per-

lat persuasurus non simpliciter uoluntatē ac gratiā principis exponat, sed & cūctantem ac tergiuersantem obnixe obsecret ac roget, ne tam insignem principis gratiam contemnat, sed uitæ suæ remissionem delictorum suppliciter petendo consulat, & hoc eò faciat impensius, quo magis illum cunctari & exitio uiciniorem fieri uiderit. Consimile mihi admodū uidetur, quod hic Apostolus scribit, dicēs: Rogamus nomine Christi, reconciliemini Deo. Videbat quàm certo exitio tam insignis gratia contemneretur, & quàm certa salute resipiscendo & credendo acciperetur, ideoq; tanto serio ad amplexandam illum quosuis obsecrando ac rogando solicitabat. Et quoniā sciebat Christo se ea in re summopere gratificari, tanquam humanę salutis unico reparatori, nō simpliciter obsecrabat, sed in nomine Christi, cuius uices gerebat. Et quid obsecrat? Reconciliemini, inquit, Deo. Atqui Deum in Christo fuisse, ac mundum sibi recōciliasse dixit. Quid ergo est quod hic se rogare dicit, ut Deo reconcilientur? Respondeo. Reconciliari Deo, hoc loco, non est reconciliari implacato, sed reconciliationem iam placati, in Christo filio ipsius factam, grato animo per resipiscentiam ac fidē in sanguinem reconciliationis amplecti. Qui hoc non faciunt, Deo reconciliati non sunt, q̃uis ille mundum sibi in Christo reconciliarit.

Dices. Si ergo reconciliati sunt cum Deo, qui recōciliationis huius gratiā fide accipiūt, quorsum Corinthios, utiq; fideles & reconciliatos, rogat, ut cum Deo reconcilientur, quasi nondum cum illo sint reconciliati?

1 Respondeo. Erant adhuc inter illos multi quos nondum peccatorum suorum pœnitebat. Vtiq; illi cum Deo reconciliati non erant, quia reconciliationis gratiam per impœnitentiam à se reijciebant. Horum respectu non immerito dicit: rogamus, reconciliemini Deo.

2 Deinde potest & hoc cogitari. Quod hic dicit: rogamus in nomine Christi, recōciliemini Deo, nō sic dici, ut specialiter ad Corinthios pertineat, sed ut significet quàm ardenter ministerium hoc reconciliationis obeat, quosuis rogando, ac dicendo reconciliemini Deo. Et huic sententiæ fauet, quod in Græco non est, tanquā Deo uos exhortante, sed simpliciter, tanquā Deo exhortante per nos, ut possit referri ad omnes. Rogabat omnes Apostolus, quibus Christū initio prædicabat, dicens: Reconciliemini Deo, hoc est, gratiam reconciliationis, quam uobis Deus ipse per nos offert, cum pœnitentia & fide in Christum cupide accipite, quo saluemini. In hoc sensu nihil loci habet dicta iam quæstio.

EVM nanq; qui nō nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, inquit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.] Rursus primariā causam urget, ob quam reconciliari Deo debeamus, mortem uidelicet Christi, sic tamen, ut illā exponat. Poterat dicere, dedit enim filiū suū in mortē, quo per illū reconciliaremur. Verū

A pro eximia sua sapientia consilium Dei in hac causa exprimere uolens dicit: Eum nanq; qui peccatū non nouit, pro nobis peccatū fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illū. Sic bimēbrem ætiologiam ponit, in cuius primo membro memorat quid in causa salutis nostræ fecerit Deus, in altero ad quid fecerit.

EVM nanq; qui peccatum non nouit, pro nobis peccatū fecit.] Suprà dixit: non imputans eis peccata ipsorum. Hic rursus peccatorum meminit, dum Deū filium suū pro nobis peccatū fecisse dicit. Loquitur enim de hostia pro peccatis, quā more scripturæ peccatū uocat. Sic enim scriptura loquit̃, ubi de sacrificio pro peccatis meminit, ut Exod. 30. Et expiabit Aheron super cornua eius semel in anno, מדם חטאת בפורים, id est, de sanguine peccati expiationū. Hoc est, de sanguine hostiæ expiationū pro peccato oblatæ. Et Leuit. 4. Et educet iuuencū extra castra, & comburet eum ibi, חטאת הקהל הוא, id est, peccatum ecclesię ipse est: pro, hostia pro peccato ecclesiæ ipse est. Ad umbras illas legalium sacrificiorum, quibus hostia pro peccatis offerebatur respiciēs, dicit Christum à Deo factum fuisse pro nobis peccatū, quod nihil est aliud, quàm factū eum fuisse hostiā ac sacrificium expiatorium pro peccatis nostris. Huius respectu Deus remisit nobis omnia peccata nostra, nec aliquod ex illis imputauit, quandoquidē ea filio suo tanquā hostiæ expiatoriæ in cruce portanda & expianda imposuit.

B Ociosum autē non est, quod nō simpliciter dicit, Christum enim, sed periphrasticōs, eum enim qui peccatum nō nouit. Hoc dicens uindicat Christo innocentiā singularem, qua nō modo peccatum non fecit ullum, sed ne nouit quidem peccatū, id est, peccare non nouit. Sic cauet, ne pro suo aliquo peccato crucifixus putetur, quo firmum sit, quod pro nostris peccatis in cruce expiandis, peccatum à Deo factus est. Etenim si peccator fuisset & ipse, peccatū pro nobis fieri non potuisset. In huius rei figuram requirebatur in lege, ut immaculatus iuuencus pro peccato offerretur. Sic igitur uindicat Christo innocentiam & iusticiā, sine qua peccatorum nostrorū expiatio nulla prorsus fuisset. Hunc unum nobis iustum & innocentem dedit Deus, in quo omnia totius generis humani peccata expiari possent.

Et uide quàm constanter hic quoq; ad Deū referat, quod pro nobis à Christo est factum. Non dicit: Is enim qui peccatum non nouit, peccatum se pro nobis fecit, sed: Eum enim qui peccatum non nouit, Christum uidelicet, pro nobis peccatum fecit: quis? Deus, de quo dixerat, reconciliemini Deo, cui mox subiunxit, eum enim qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit. Magna plane consolatio est, quod Deus ipse innocenti suo filio omnia nostra peccata in cruce, extra portam, expianda imposuit, atque ita illum peccatum pro nobis fecit.

VT nos efficeremur, inquit, iustitia Dei in ipso.] Exponit ad quid Deus filium suum innocentem ac iustum, peccatum pro nobis fecerit. Poterat dicere, ut in illo peccata nostra expiaret. Et hoc ipsum sane agebat. Verũ placuit uti antithesi peccatorum nostrorum, & iusticiæ Christi. Nos peccatores eramus, ille iustus. Vt commutatio fieret, nostra peccata imposuit filio iusto, ac uicissim iusticiã illius communicauit nobis peccatoribus. Propter aliena igitur peccata, factus ille peccatum est, & nos propter alienam iusticiam iusticia Dei facti sumus. Sicut enim ille non suis, sed nostris peccatis peccatum à Deo, ita nos non nostra ipsorum, sed ipsius iusticia, iusticia Dei facti sumus à Deo. Nihilo enim magis nostra est iusticia qua iustificamur, quàm ipsius sunt peccata, ꝓ quibus expiandis mortem pertulit. Facta nãque commutatione peccata nostra sua, & iusticiam suam nostram fecit. Hoc exprimere uolens Apostolus dicit: Eum enim qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur iusticia Dei in ipso.

Quid est autẽ quod nõ dicit: ut efficeremur iusti, sed, ut efficeremur iusticia Dei? Eadẽ ratione quęras, quid sit quod nõ dicit: eũ q peccatũ nõ nouit, pro nobis peccatorẽ fecit, sed pro nobis peccatũ fecit. Filiũ suũ Deus peccatorẽ non fecit, sicuti nos peccatores sumus, peccatum uero, id est, sacrificium expiatorium pro peccatis nostris fecit. Sic nos iustos non fecit, quemadmodum ille iustus est, ut nihil amplius sit peccati in nobis, sicut in illo nihil erat, nec est peccati, sed fecit nos iusticiam, id est, imputauit nobis iusticiam, idque non nostram, quæ nulla est, sed suam, gratuitam uidelicet & clementer à se imputatam, quam habeamus, non in nobis, sed in ipso filio. Ideo non simpliciter dicit Apostolus, ut nos efficeremur iusticia, sed, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso. Si dicas Christum à Deo factum esse peccatum Dei in nobis, utique non intelligis de peccato, quod Deus fecerit, quemadmodum nos peccamus, sed de eo quod nostra illi peccata, tanquam hostiæ pro nostris peccatis, expiãda imposuit. Consimili modo, cum Apostolus dicit: factos nos esse iusticiam Dei in Christo, nõ loquitur de iusticia, qua Deꝰ ipse in se iustus est, uel de ea quæ illius sit iusticię similis, sed de iusticia quã nobis in Christo imputat, sicuti peccata nostra illi imputauit. Itaque ut Christus in se iusticia Dei, in nobis peccatum factus est, ita nos in nobis peccatum, in Christo uero iusticia Dei sumus. In hac commutatione omnis nostra salus est sita.

Augustinus in Enchiridio, ad Laurentium ca. quadragesimoprimo, paucis hęc uerbis expressit dicẽs: Ipse ergo peccatũ, & nos iusticia, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suũ, sed nostrũ nec in se, sed in nobis factus est.

ARGVMENTVM CAP.

Occasione præcedentium hortatur Corinthios, ne gratiam Dei quam in Christum credentes receperant, culpatè uiuendo frustraneam reddant: & ad id studij suo illos exemplo prouocat. Deinde hortatur eos, ut consortia infidelium fugiant.

CAPVT VI.



QVIN & adiuuãtes obsecramus, ne in uacuum gratiam Dei receperitis. Dicit enim: in tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis, nullam ulla in re dãtes offensionem, ne repræhendatur ministerium, sed in omnibus commendantes nosipsos, ut Dei ministri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, in sciẽtia, in animi lenitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone ueritatis, in potẽtia Dei, per arma iusticiæ dextra, ac sinistra, per gloriã & ignominiam, per conuitia, & laudes, quasi impostores, & tamẽ ueraces, quasi ignoti, & tamen noti, quasi moriẽtes, & ecce uiuimus, quasi correpti & nõ occisi, quasi dolentes, semper tamen gaudẽtes. quasi pauperes, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes.

Cohęrẽt ista, quare incõmodũ uisum est ea diuidere. Proposuit Apost. in pręcedẽtibꝰ doctrinam salutis nostræ de reconciliatione à Deo ipso facta, qua sibi genus humanum per Iesum Christum reconciliauit, ac reconciliationis huius ministerium Apostolis imposuit. Iam initio capitis huius sexti parænesim subijcit, qua Corinthios hortatur ne tam insignem gratiã male uiuendo inanem sibijpsi reddant. Sic itaque dicit.

QVIN & adiuuãtes obsecramꝰ, ne in uacuũ gratiam Dei receperitis.] Græce est: συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν. i. Cooperantes uero obsecramus etiam. Amphibolum est, cuiusnã se cooperariũ esse dicat. Solet aliàs Dei se uocare cooperarium. Agnoscit hoc & Chrysostomus, & tñ eò inclinat, ut referat ad ipsos Corinthios, exponẽs, συνεργοῦντες ὑμῖν. i. Cooperantes uobis. Mihi simplicius uidetur, ut respectu præcedẽtiũ intelligamus de ministerio illius, quo Deo in reconciliatione per Christum facta, ad hoc cooperabatur, ut ad illam quosuis inuitaret. Hoc faciens simul obsecrabat alios ut Deo reconci-

conciliarentur, alios ne gratiam Dei semel acceptam inanem redderet. Copulam, &, interpres non suo loco posuit, dum uertit: Quin & adiuuantes obsecramus. Nō sic loquitur Apostolus, sed ad hunc modum. Cooperantes autem etiam obsecramus. Cooperationi adijcit obsecrationem, non obsecrationi cooperationem. Vulgata habet: Adiuuantes autem exhortamur. Is interpres copulam omisit, uel si reddidit, negligentia antiquariorum factum est, ut interciderit. Quale autem pectus in eo spiret Apostolus, quod ministerium suum nō modo docendo sed & quosuis rogando & obsecrando exequutus est, supra admonuimus capite præcedenti, ubi dicit: rogamus nomine Christi reconciliemini Deo.

NE in uacuum, inquit, gratiam Dei receperitis.] In Græco additur, ὑμᾶς, id est uos. Quasi dicat, Etsi multi à gratia Dei recidant, uos tamē, in quibus saluandis tantopere laboraui, obsecro, ne quam amplexi estis gratiam Dei, in uacuum receperitis. Non dicit, ut gratiam Dei recipiatis, aut, reconciliemini Deo, quod utrūq; idem est. Loquitur enim ad Corinthios fideles, qui gratiam Dei credētes receperant, illiq; reconciliati fuerant. Qui tales sunt, admonendi ueniūt, ut acceptam gratiam bene collocēt, ne illam sibijpsi inanem reddant.

Dices: Ecquomodo fieri potest, ut gratia Dei in uanum ac frustra recipiatur, cum sit in illa omnis nostra salus sita, sicut Apostolus hic alibi dicit: Gratia saluati estis. Si gratia saluat, quomodo potest frustrà recipi? Respondeo. Saluat quidem gratia, uerum refert plurimum quomodo accipiatur & collocetur. Verbum Dei, uerbum gratiæ, reconciliationis ac salutis accipere, gratiam Dei recipere est, quam autem illud diuersimode accipiatur, notum est ex parabola Dominica Matth. 13. Alij accipiunt quidem sed non intelligunt, ideoq; malus ille ueniens rapit quod erat in cordibus illorum seminatum. Alij protinus & cum gaudio accipiunt, uerū non permittunt, ut radices agat in cordibus ipsorum, sunt enim temporarij, atq; ita fit, ut tribulatione propter uerbum gratiæ oborta, continuo offendantur ac relabantur. Alij & ipsi quidem accipiūt, uerum sic sunt curis huius sæculi, fallacium opum studio, ac uoluptatibus immersi, ut acceptum uerbum in cordibus illorum suffocetur & infrugiferum reddatur. An non hi omnes gtatiam Dei frustra recipiunt, etiamsi illud mox atq; audierūt & cupide, & cum gaudio recipiant? An hi demum utiliter accipiunt, qui auditum intelligunt, intellectum cordi tanquam terræ bonæ syncera fide insinuant, ac fructum illius proferunt, alius mediocrem alius uberiorem, secundum mensuram donationis Christi.

Cum itaque Apostolus Corinthios obsecrat, ne gratiam Dei in uacuum receperint, satis indicat, receptam esse in uacuum ac frustra, si fructu suo destituatur. Perinde ac si terram frustra bonum semen recepisse dicas, si uel auferatur ab auibus, uel transeuntium pedibus proterat, uel radices agere nequeat, uel spinis suffocetur, atque ita infrugiferum reddatur, & medicinam utut in se bonam, receptam esse in uanum, si sic recepta collocataque fuerit, ut restituendæ sanitati nihil conducat. Quantum autem ex eo fit exitij, si medicina unde ualetudini adeoque & uitæ consulendum erat, abusu reddatur ineffiicax, nemo cordatus non intelligit.

Obsecro, quis satis perpēderit, quàm sit certa, quàm merita, quàm irrecuperabilis ex eo perditio, si gratia Dei, sine qua saluari potest nemo, sic inutiliter collocetur, ut in uacuum sit recepta? Leuius malum est non accepisse, quàm acceptam malo collocasse. Satius est non cognouisse uiam iustitiæ, quàm à cognita ad pristinæ uitæ uomitum more canum reuerti. Sic enim posteriora fiunt peiora prioribus. Admonitio hæc uehementer necessaria est omnibus illis qui Euāgelio Christi, sermoni gratiæ Dei, nomen dederunt, quorum pars maxima dum non Christo sed sibijpsis uiuunt satis declarāt gratiam se Dei parum recepisse utiliter.

DICIT enim. In tempore accepto exaudiui te, inquit, & in die salutis succurri tibi.] Citat locum hunc è promptuario propheticæ scripturæ, ex Ieshaiah uidelicet cap. 49. ubi sic legimus כה אמר יהוה בעת רצון עניתיך וביום ישועה עזרתיך, id est, Sic dicit dominus: In tempore beneplaciti respondi tibi, & in die salutis succurri tibi. Quo sensu positum sit hoc à propheta uaticiniū, in Commentarijs nostris super Ieshaiam diximus. Apostolus accommodat illud suo proposito, ut consyderatione tam accepti ac salutiferi temporis Corinthios permoueat, quo gratiam Dei non recipiant modo, sed & utiliter recipiant. Huc applicat ista, in tempore accepto, item, in die salutis, quod utrunq; idem est, nisi quod prius per posterius exponitur.

Nam cætera, ut, exaudiui te, item, succurri tibi, non bene conueniunt illis, quibus sic est ultro gratia Dei per Euangelium oblata, ut de illa ne cogitarint quidem antea, nedum ad Deum pro illa clamauerint, ut clamantes exaudiri potuerint, & ut exauditi liberari, quales utique fuerunt, qui ex Gentibus in Christum crediderunt, è quorum numero erant & Corinthij, quo pertinet illud Esaiæ, Romanorum decimo, ab Apostolo citatum: Inuentus fui his qui me non quærebant, conspicuus factus sum his, qui de me non interrogabant. Dicimus igitur hunc locum proprie pertinere ad populum Israëlis, quem Deus in exilio ad se clamantem cum tempus liberandi uenisset exaudiuit & liberauit. Apostolus uero accommodat eum suo instituto, quatenus in illo mētio fit temporis accepti, ac diei salutis. Vnde & subijcit.

ECCE nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.] Vides hoc unum ex isto loco ad propositum applicari, quod tempori gratiæ respon-

Respondet. Erat utique & tum tempus beneplaciti diuini, & dies salutis, cum tempestiuum esset in conspectu Dei, afflictum suum populum ad se clamantem exaudire, & è captiuitate liberare. Verum eius temporis felicitas, uix umbra quædam fuit ad id temporis collata, in quo sibi mundum Deus per Christum reconciliauit, & sermonem reconciliationis per apostolos in totum orbem emisit, ac quosuis ad hanc gratiam uocauit. Vt huius temporis felicitatem supra eã de qua propheta ad Israëlem uaticinatus est extollat, nõ simpliciter dicit, & nunc quoque tempus acceptum est, ac dies salutis, sed emphatice: Ecce inquit, nunc, si unquam uere tempus acceptũ est, ecce nunc tandem uere dies salutis.

Nullo unquam tempore Deus tantum beneplaciti erga genus humanum ostendit, nulla unquam dies tantæ salutis ferax fuit, quantæ est hæc præsens. Quare etiam atque etiam uidete, ne temporis huius gratiam & felicitatem contemnentes, aut non utiliter collocantes, tam insigni uos opportunitate in posterum priuetis. Hac expositione cauemus ne sensus prophetæ destruatur, & iuxta ostendimus, quomodo ista ab Apostolo ad institutũ quod agebat sint omnium pertinẽtissime accommodata.

Obseruemus igitur hoc loco, quibus elogijs tempus gratiæ Dei, tempus Noui testamenti, & Euangelij exornet, uocat illud tempus רצון, id est, beneplaciti Dei, bonæ uoluntatis, cui concordat hymnus angelicus, quo in die nati Redemptoris cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas εὐδοκία, quod Ebræis est רצון.

Quid est autem beneplacitum hoc Dei aliud, quàm quod posita ira misertus est generis humani, illudque sibi in Christo filio reconciliauit, & omnimodam erga illud beneuolentiam induit? Beneplacitum hoc Dei trahit secum quæ in cœlo sunt & in terra omnia: quid dico? ipsum unigenitum Dei, imò Deũ ipsum. Da mihi beneplacitum principis, non erit in eo quicquam, quod simul cum illo non dederis. Sic Apostolus Ro. 8. Deum pro nobis esse dicit, contenditque fieri non posse, ut à quoquam condemnemur.

Deinde uocat hoc tẽpus Diem salutis, propterea quod in illo salus est, & parta generi humano per Christum, & mundo per apostolos ministerio prædicationis Euangelicæ dispensari cœpta.

Vide autem quàm competẽter, & quàm ordinate hæc duo, tempus beneplaciti ac diem salutis, coniunxerit. Vt enim in beneplacito regis est uita, in ira uero mors, ita in beneplacito Dei sal⁹, in ira uero perditio existit. Pulchre igitur tempori beneplaciti Dei diem salutis coniunxit.

NVLLAM ulla in re dantes offensionem, inquit.] Sic habetur in Græco, μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπὴν. Vulgata habet, nemini dantes ullam offensionem. Erasmus uertit: Ne quam usquam demus offensionem. Primum, uocula, ne, nõ est in Græco hoc loco, deinde, non est δῶμεν demus, sed in participio, διδόντες, id est, dantes. Fefellit hunc interpretem, quod existimauit ista per modum exhortationis esse dicta, cum de se loquatur Apostolus hinc ad finem usq; præsentis contextus. Quare ordinanda est lectio ad hunc modum. Cooperantes autem obsecramus etiam, ne in uacuum gratiam Dei receperitis. (Dicit enim. In tempore accepto, audiui te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis) nullam ulla in re dantes offensionem, ne repræhendatur ministerium, sed in omnibus commendantes nosipsos, ut Dei ministri, &c.

Sic ista post parenthesim connectenda sunt ei quod initio dixit: Cooperantes autem obsecramus. Loquitur enim de studio suo, quo se in ministerio sic gesꝫit inculpabiliter, ut absque offensione cunctis prodesse & ad salutem cooperari posset. Quod si omnino participium διδόντες in suum uerbum mutandum uidetur, melius est ut uertatur: Nullam ulla in re damus offensionem, ut constet sibi sermo, quo de seipso loquitur Apostolus.

Non est autem præter rationem, quod adhortationi, de gratia Dei, cuius ipse minister erat, non in uanum recipienda, mox de ministerio suo subijcit, illique hoc synceritatis uindicat, quod nemini ex eo aliqua obijciat causa, quur offendatur, sed magis exhibeatur in omnibus occasio agnoscendi ministrum Dei. Etenim nisi eiusmodi integritate commendetur Christi minister, ut in ministerio suo inculpabilis reperiatur, plane elumbes sunt omnes illius adhortationes, & quãtumuis sedulo admoneat curandum esse omnibus, ne gratiam Dei in uanũ recipiant ipse tamen gratiam Dei inefficaciter prædicat, & frustra de illa non in uanum recipienda hortatur.

Vide autem quàm caute non dicat: neminem ulla in re offendentes, sed, nullam ulla in re dantes offensionem. Aliud est dare offensionem, hoc est causam offensionis, & aliud offendere maleuolos nulla data offẽsionis causa. Offensio est data & accepta, est data & non accepta, est non data & tamen accepta. Offensionem dare, alienum esse debet à fidelibus omnibus, alienissimum à Christi ministro. Datam offensionem accipere, infirmorum est & incautorum, quorum potissimum habenda erat ratio.

Qui firmus est in uia Dei, licet ubique offensionum causæ occurrant, haud tamen offenditur, sed inoffenso pede quo cœpit pergit. Non datam offensionem accipere, uel errantium est, uel maleuolorum. Errantium, ut in Papatu, si minister sit uxoratus, offenditur populus, si sit publicus scortator, non offenditur, quia talibus assueuit. Maleuolorum, & quando prælati ecclesiarũ puritate doctrinæ Christi offen-

sti offenduntur, per quam dominatui, quęstui, ventri & ocio illorum derogatur.

Postremum hoc offensionis genus minister Christi cauere non potest, imò nec debet. Offendebat illo Paulus innumeros ex Gẽtibus, & Iudæis, ex falsis Apostolis & falsis fratribus, cum tamen nemini iustam obijceret offensionis causam. Quod significans dicit, nullam ulla in re dantes offensioné, ne præhendatur ministerium.

NE repræhendatur ministerium, inquit.] Sic uocat suum Apostolatum. Intelligit autem de ministerio reconciliationis à Deo sibi imposito, cuius capite præcedenti meminit. Non dicit autem simpliciter, ne male audiam ego, ne culper ac contemnar ego, sed, ne repræhendatur ministerium, uel, ne macula inuratur ministerio. Græce, μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία. Significat autem μῶμος maculam. Quamuis etiam suæ famæ rationem habeat Apostolus, magis tamen solicitus est pro ministerio suo, ne illud infamiæ maculam incurrat. Nouit enim admodum esse procliue, ut quæ persona ministri delinquit, ipsi impingantur ministerio, præsertim à μωμοσκόποις, qui in hoc sunt intentissimi, ut quærant undiq; occasioné uituperandi ministerij, quod magis odiunt quàm ministri personam.

Sciens hoc, non modo ipse cauet, ne repræhensibilis inueniatur, sed & ab omnibus Christi ministris hanc uitæ ac ministerij integritatem requirit, ut sint irrepræhensibiles, primo Timo. tertio, Tit. primo. Ast hodie tangit paucos hæc cura ministros. Satis est non errare prædicando, quicquid fiat uiuendo. Magna pars bibunt, ludunt, negociantur, fidem fallunt, usuram accipiunt, odio fraterno inficiuntur, melioribus beneficijs, ut uocant, impudenti ambitu inhiant, & inueniuntur, qui ne ab adulterio quidem abstineát. Hi omnes parum curant, quomodo audiat ipsorum ministeriũ, quia parum sunt de gloria Christi, & salute fidelium soliciti.

SED in omnibus, inquit, commendantes nosipsos, ut Dei ministri.] Non est satis Christi ministro, si nullam ulla in re det offensionem, ne ministerium repræhendatur, sed & hoc ab eo requiritur, ut se insinuet & commendet omnibus, idque non in re una & altera tantum, sed in omnibus, tanquam Dei ministrum, hoc est, ut sic se gerat in omnibus, ut causam inueniant omnes agnoscendi ac probandi ministrum Dei, qui uidelicet gloriam Dei non suam quærat in omnibus, qui spiritu Dei imbutus uoluntatem Dei fideliter proponat omnibus, quique omnes huc & uerbo & uitæ studio inuitet, ut salutis suæ rationem habentes gratiam Dei recipiant, & utiliter collocent. Hoc sentiens Apostolus, postquam dixit, nullam ulla in re dantes offensionem, mox subiecit, sed in omnibus commendantes nosipsos, ut Dei ministri.

Quemadmodum autem in præcedẽti particula diximus, aliud esse offendere maleuolos sine data offensionis causa, & aliud dare offensionem, ita sentiendum est & hoc loco. Aliud est commendare se bonis, & aliud studere quidem, ut commendes te omnibus, & tamen interea displicere multis. Apostolus cum hic dicit: commendantes nosipsos in omnibus, ut Dei ministri, non euentum exprimit, sed studium, quo se omnibus tanquam Dei ministrum commendare satagebat. Aliàs, ut innumeros offendebat, quamuis nemini offensionis causam daret, ita paucis se commendabat effectu, licet commendaret se omnibus studio.

In tolerãtia multa, inquit, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs.

Quomodo & quam constanter sese tanquã minister Dei commendarit in omnibus, consequenter memorat. Et principio singularem tolerantiam consyderandam proponit, qua se sic obfirmauerat in opere domini obeundo, ut ab eo nullis posset aduersis & molestijs repelli. Sic dicit: in tolerantia multa, ac mox species quasdam rerum aduersarum, ac molestarum subijcit, quibus tolerantia ipsius in ministerio Christi indesinenter exercebatur, cum dicit: in afflictionibus, necessitatibus in anxietatibus, &c. Quod dicit, in afflictionibus, genus est, & coniungendum cum præcedenti, ut legatur, in tolerantia multa, in afflictionibus, ac tum sequantur afflictionum & tribulationum species, necessitates uidelicet, anxietates, plagæ, carceres, seditiones, labores, uigiliæ & ieiunia.

IN afflictionibus.] De afflictionibus ipsius illarũq; grauitate & multitudine suprà cap. 1. dictum est.

IN necessitatibus.] Græce est ἐν ἀνάγκαις. Intelligit de rerum necessariorum penuria, cuius & infrà cap. undecimo mentionem faciet. Hanc quomodo tam insignis Apostolus inciderit, mihi non minus mirum est, quàm quomodo pertulerit. In hoc ipsius tolerantia commendatur, in illo turpissima eorum qui credere cœperant, ingratitudo notatur, demptis tamen illis, qui & ipsi consimili necessitate premebantur.

Videmus hodie quoque non paucos Christi ministros cum egestate admodum despicabili luctari, cum interea ociosi uentres in ecclesijs delicatissime saginentur. Antiquum hoc malum est, cui & prophetæ Dei in Veteri testamento, in ipso populo Dei obnoxij fuerunt, sicuti secundo Regum quarto, mox initio capitis uidere licet.

IN anxietatibus, inquit.] Græce est ἐν στενοχωρίαις. Significat autem στενοχωρία propriè locorum angustiam, in qua periclitari solét, qui in illam impelluntur, sicuti iu prælijs fieri cõsueuit.

sueuit. Transfertur autē ea uox ad animi quoque angustiam & anxietatem, quo sensu hic posita uidetur. Vel, intelligenda est de angustijs, quibus in periculis, undique circumuallantibus sic arctabatur subinde, ut nullum pateret effugium.

IN plagis inquit.] De uerberibus loquitur, quorum meminit infrà cap. undecimo, dicēs: A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi. Ter uirgis cæsus fui.

IN carceribus, inquit.] De his uidere est, Actorum decimosexto: Sub his compræhenduntur & uincula.

IN seditionibus.] Græce est, ἐν ἀκαταστασίαις. Chrysostomus intelligit crebras eiectiões per quas fit ut nequeas usquam consistere, ac pedem figere. Et is sensus, nec alienus est ab ipsa dictione, nec male conuenit ijs quæ Paulo sæpenumero acciderunt. Verum uox eadem seditionem quoque significat. Etenim seditione obtinente sic omnia turbantur, ut nihil fere sit in statu publico, quod non loco & ordine suo moueatur, sic ut omnia confusa reddātur & incerta. Et ex Actis Apostolorum satis patet malum hoc seditionum aliquoties expertum esse Apostolum.

Quare uterque sensus sic est comparatus, ut nihil sit periculi utrum retineas. Admodum graue est, ac periculosum, infame etiam, pro eo haberi qui seditiosus homo sit, & author seditionum. Quid autem iniquius excogitari potest, quàm pro talibus habere eos, qui & pacis sunt studiosissimi, & omnibus ex æquo cō sultissimum esse cupiunt? quales fuerūt Christus & Apostoli, qui tamē à maleuolis pro seditiosis sunt habiti. Mox ad primum Euangelicæ lucis exortum per sua membra Satā tanquam tenebrarum princeps, seditiones excitat, ut harum authores esse uideantur in speciem, qui nouam & insolitam doctrinam adferunt, quo illa hac notetur infamia, quod pariat seditiones. Nos huius rei nostra quoque ætate aliquot uidimus exempla. Hanc Satanæ maliciam minister Christi diligenter quoad eius fieri potest obseruet & caueat. Quod si cauere non poterit, sic tamen se gerat, ut nullam seditioni dedisse causam constare possit, ipsam seditionem cum Paulo animo infracto ferat, oretq; dominum, ut motus à Satana excitatos compescat, largiaturq; pacis serenum, in quo ueritas Dei propagari queat.

IN laboribus, inquit.] Laboriosa res est ministerium Apostolicum, episcopatus plus habet quietis. Laboribus Apostolatus ipse feruor Pauli magnum cumulum adiecit. Plus enim omnibus laborauit. Huc accessit operatio manuaria, unde se sustentaret, ne cui esset oneri. Sic uicissim apostolicis & manuarijs laboribus, per mare, per terras discurrendo prędicando, unumquenq; separatim solicitando, & operādo noctes ac dies fatigabatur, ut mirū sit quomodo tot tanq; irremissorum laborum tolerantiæ sufficere potuerit.

A

IN uigilijs.] Duplex illi uigiliarum genus, unum erat, quo ad operandum, alterum quo ad docēdum utebatur. Posterioris exemplum habetur in Actis cap. uigesimo, ubi memoratur, quomodo Troadæ totam noctem ad diluculum usque in opus domini docēdo & exhortando insumpserit.

Quod illic fecit dubio procul pro consuetudine sua fecit, qua noctu cœtum fidelium congregabat, quod diurni conuentus magno essent cum periculo coniuncti. Hinc usus uigiliarum natus est in ecclesia inter primos Christianos, temporibus persequutionum, quem postea episcopi pacis quoq; tempore retinuerunt, ac diebus profestis deputarunt, perinde ac si tutum non esset interdiu congregare ecclesiam. Tandem nil aliud quàm nomen inane remansit.

IN ieiunijs, inquit.] Græce est, ἐν νηστείαις. Accipitur autem uox νηστεία frequentius quidem pro ieiunio religioso, ac sponte suscepto, uerum Actorum. 27. pro necessario quoque usurpatur, in historia uidelicet naufragij, in quo Paulus erat uinctus, ubi sic legitur: Multo autem tempore peracto, & cum esset iam periculosa nauigatio, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, id est, quod ieiunium iam præteriisset. Erasmus uertit, ob id quoque quod iam ultra tempus sustinuissent inediam, quasi sit διὰ τὸ καὶ τὴν ἀσιτίαν παρεληλυθέναι, qua uoce Lucas eodem postea sensu in eadem utitur historia dicens: πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης, id est, cum autē multa iam esset inedia. Vnde apparet usurpasse Lucam νηστείαν & ἀσιτίαν ex æquo, de ieiunio neque religioso, neque sponte suscepto, sed de necessario & inuolūtario, quale frequēter accidit militantibus, nauigantibus, & inopia rerū necessariarum presis.

B

Iam quod pręsentem locū attinet, scio alios exponere de uolūtario ieiunio, alios de necessario, alios de utroque. Mihi rectius sentire uidentur, qui de necessario accipiunt, quod frequenter pertulit Apostolus, non inuitus quidem patienter tamen, tanquam speciem afflictionum Christi. Sic sentire placet, quod præter rationem ac propositum Apostoli uidetur ieiunio uoluntario, ac sponte suscepto tribuere tolerantiam. Cæterū de ieiunio in Matthęo nostro pleraque diximus cap. 4.

IN puritate, inquit, in sciētia, in animi lenitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone ueritatis, in potentia Dei.] Cœpit recensere, quibus se uirtutibus tanquam Dei ministrum commēdet in omnibus. Inter has primum locum tribuit tolerantię afflictionum, quarum aliquot species adnumerauit. Iam consequenter tolerantiæ subijcit, & reliquas uirtutes, haud quidē omnes, eas tamen in quibus abunde sufficienter Dei possis agnoscere ministrum.

IN puritate, inquit.] Græce est, ἐν ἁγνότητι. Vulgata habet, in castitate. Loquitur de puritate uitæ, cuius oppositum est lasciuiarum &

ſcortationũ impuritas. Nõ loquitur de uirginitate, aut uiduali continentia, ſed de puritate, cuius ſeruantes eſſe poſſunt, ac debẽt etiam coniuges. Vbi Timotheum ſuum hortatur, ut ſit forma fidelium in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, ἐν ἁγνείᾳ, id eſt, puritate, non hoc agit, ut Timotheus ſuo exemplo quoſuis ad uirginalem caſtitatẽ prouocet, ſed ut forma ſit omnibus, etiam coniugibus uitæ ab omni ſcortationum, ac libidinum immundicia puræ. Et Tit. ſecundo: Vbi doceri uult adoleſcentulas, ut maritos ſuos diligant, ut liberos ament, ut ſobriæ ſint, ἁγνάς, inquit, id eſt, puræ, &c. nõ requirit ab illis uirginalem, ſed coniugalem caſtitatem.

1. Tim. 4.

Notũ eſt illud Paphnutij, nunquam ſatis in eccleſia obſeruatum dictum, quo in concilio Niceno, cum epiſcopi nouam legem de adimendo miniſtris uſu coniugij, in eccleſias introducere uellent, diſerte teſtatus eſt, caſtitatem eſſe congreſſum uiri cum uxore legitima. Vide Socratem libro primo Eccleſ. hiſt. cap. 11. Et hic ipſe Apoſtolus, non modo coniugium honorabile inter omnes, ſed & cubile coniugum impollutum eſſe dicit.

Cũ igitur hic inter cæteras uirtutes, in quibus ſe miniſtrum eſſe Dei comprobauit, ponit puritatem, ſignificat ſe in Apoſtolatu ſuo uitę puritatẽ ſtudioſiſſime cuſtodiuiſſe, quod haud parum argumenti habeat impuritas uitæ, miniſtri non Dei, ſed carnis & immundarum libidinum. Iam pontificij cum ſint omnis generis libidinibus, palam & impudenter immerſi, uitamque uiuant omnium impuriſſimam, nihilo tamen ſecius pro Dei uolunt haberi miniſtris. Et interea impuritatis eos damnant, qui coniuges Chriſto domino, in Euãgelio ipſius miniſtrant.

IN ſcientia, inquit.] Dubium non eſt quin non loquatur de ſcientia ſæculari, quam ſibi nuſquam uindicat. Loquitur ergo de ſcientia rerum ſpiritualium, quemadmodum & infrà cap. undecimo, cum dicit: Licet imperitus ſim ſermone, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει, id eſt, non tamen ſciẽtia. Obſecro, ſine hac quomodo agnoſces miniſtrum & interpretem Dei? Poteſt ἰδιώτης uir eſſe probus, & Chriſtianus, at Apoſtolus & miniſter ſermonis uitæ eſſe non poteſt, cui nõ eſt donum ſciẽtiæ rerum ſpiritualium, præſertim earum quę myſteria Chriſti concernunt. Cum ergo Apoſtolus ſcientiã hanc ubertim expromeret, utiq; comprobabat ſe ſingularem eſſe Dei miniſtrum.

IN animi lenitate.] Græce eſt, ἐν μακροθυμίᾳ. Sonat autem μακροθυμία eam animi lenitatem, qua tardus ad iram eſt, & procul ab ὀξυθυμίᾳ, id eſt, excandeſcentia, quæ ex diametro μακροθυμίᾳ opponitur. De Deo teſtantur ſcripturæ, quod ſit ארך אפים, id eſt, μακρόθυμος. Conſequitur ergo nihil minus eſſe, quàm miniſtrũ beneuoli Dei, qui ὀξύθυμος eſt, id eſt, præceps ad iram. Qui eiuſmodi eſt, irati Dei miniſter eſſe poteſt, quales ſunt tyranni: beneuoli ac mitis eſſe non poteſt. Cum ergo Apoſtolus miniſter eſſet gratiæ Dei, non conueniebat ut eſſet ad iram propẽſus, quare dono Dei factum eſt ut eſſet μακρόθυμος, & ea ſe uirtute miniſtrum placati ac beneuoli Dei eſſe comprobaret.

A

IN benignitate.] Græce eſt, ἐν χρηστότητι. Vulgata habet in ſuauitate. Neſcio an Latina uox benignitas, Grecę χρηστότητι ex ęquo reſpõdeat. Benignitas nanque ea uirtus eſt, qua quod datur, non maligne, ſed benigne, id eſt, large datur. Vnde terra fructus large reddens benigna uocatur. χρηστότης uero animi ac morum placiditatem, comitatem, ſuauitatemque ſignificat, quæ uirtus admodum eſt inſignis, ac mirum in modum ad commendationem miniſterij facit.

Opponit illi Apoſtolus Romanorũ undecimo, ἀποτομίαν, id eſt, ſeueritatem, dicens: ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ. Hæc autem morum placiditas ac ſuauitas retineri non poteſt, niſi adſit μακροθυμία. Quare illam Apoſtolus pręmiſit, quemadmodum & primo Corinthiorum decimotertio, cum dicit: ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται. Et Galat. quinto, μακροθυμία, χρηστότης. Certe altera non poterit ſine altera conſiſtere. Vbi ὀξυθυμία eſt, ibi χρηστότης eſſe non poterit, rurſus ubi χρηστότης eſt, ibi ὀξυθυμία locum non inuenit.

IN ſpiritu ſancto, inquit.] Non incommode acceperis hoc de donis ſpiritus ſancti, quæ Græce chariſmata. 1. Corinthio. 14. uocantur. Nam & illa plurimum faciebant ad commendandum miniſterium. Haud tamen diſplicet, quod nonnulli ſpiritum accipiunt hic pro animo ac mente, ut ſignificet Apoſtolus in omnibus ſe & erga omnes agere animo ſancto, id eſt, ſimplici, cãdido, puro & ab omni hypocriſi alieno. Et talis animus non eſt ex carne, ſed ex dono ſpiritus ſancti. Qualitas ſpiritus hominis abſcondi conſtanter non poteſt, ſed leui momento proditur. Plurimum autem facit ad agnoſcendum miniſtrum Dei, ſi in omnibus quæ agit, ſpiritum non prophanum, ſed ſanctum ſpiret.

B

IN charitate non ſimulata, inquit.] Et Chriſtus ipſe notã hanc poſuit, qua diſcipuli ipſius cognoſcantur. Et Deus cum ſit charitas utiq; miniſtros ſuos ſpiritu charitatis imbuit, quibus ipſe miniſterium reconciliationis imponit. Et per hanc igitur miniſtrum ſe Dei declarauit Apoſtolus, & in omnibus ſeſe commendauit, & approbauit illis, cum quibus egit. Non eſt autem ocioſum, quod non ſimpliciter dicit: Et in charitate, ſed addit: non ſimulata. Sic enim uindicat ſibi ueram charitatem, illamque à falſa diſtinguit. Vera eorum eſt, qui ſpiritu ſunt ueritatis regenerati, adeoque & filij Dei, & eorum quoq;, qui ueritatis ſunt miniſtri. Falſa uero eorum, qui ſpiritu mendacij ducuntur, & cum primis pſeudapoſtolorum, qui uerbis dilectionem iactant, ut incautos fallant.

IN ſermone ueritatis, inquit.] Exponunt de doctrina. Sane miniſtri Dei eſt q̃ uera ſunt docere.

docere. Et utiq; doctrina Apostoli sermo erat non mendacij, sed ueritatis. Docuit quidem quæ uera sunt, & docuit ut minister Dei, at cũ ueritas illa Euangelij Dei peregrina sit in terris, & non nisi electis, ac credentibus probetur, ipse uero in omnibus sese non electis tantum, & fidelibus, sed & quibuslibet commendare scribat, easque hic uirtutes recenseat, quę incredulis quoque probantur, existimo quod dicit: in sermone ueritatis, intelligendum esse de ueritate omnium eorum, quæ ad conuictum humanum pertinẽtia, cum quibuslibet loquebatur, ne quo pacto ulla in re uanus in uerbis deprehenderetur, quod genus uicij etiam infidelibus admodum improbatur. Nec fieri potest, ut credant eum in doctrina esse ueracem, quem aliás uanum ac mendacẽ in uerbis deprǽhendunt.

Hunc itaque sensum præsentis loci germanum esse iudico. Si tamen de doctrinæ ueritate quisquam accipiendum esse putauerat, habet. 2. Timo. 2. locum, ubi doctrina sermo ueritatis ab Apostolo uocatur.

IN potentia Dei.] De potẽtia signorum ac miraculorum loquitur, quæ per ipsum ędebãtur, ut sermo Euangelij quod prędicabat, confirmaretur. Hæc potentia exordijs erat Euangelicæ prædicationis addita, donec illa confirmaretur, postea cessauit, qua cessante subsequuta est operatio Satanæ, qua impostor ille per suos apostolos, falsis ac mendacibus signis orbem dementauit, qua de re. 2. Thess. 2. sic legimus: cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniusticiæ, in ijs quæ pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperũt in hoc, ut salui fierẽt. De eiusmodi signis ac miraculis innumerosa uolumina in Papatu conscripta habentur, & à seductis religiose, imò superstitiose leguntur.

PER arma iusticiæ, dextra ac sinistra, inquit, per gloriam & ignominiam, per conuicia & laudes.] In Græco est, διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν. Vulgata habet, à dextris & à sinistris. Quoniam arma quæ sunt à dextris dextra, & quæ à sinistris sinistra, recte uocantur, nihil discrepantiæ est in duabus hisce uersionibus.

Comparat autem se militi sic armato, ut dextra gladium habeat, sinistra scutum, gladio impetat hostem, scuto ictus ac tela illius excipiat. Arma iusticiæ sunt, quibus iusticiæ contra iniusticiam militatur. Sic illa & Romanorum sexto, uocat. His se dicit utrinque instructum. Quare in eo quod dicit: per arma iusticiæ dextra ac sinistra, subaudiẽdum est, instructi. Quæ autem arma iusticiæ intelligat, puto accipiendum esse ex præcedentibus, sic ut sinistra sint, tolerantia, qua ut scuto ictus hostis, ita omnis generis afflictiones excipiuntur ac feruntur, dextra uero, puritas, scientia, animi lenitas, benignitas, spiritus sanctus, charitas non simulata, sermo ueritatis, ac potentia Dei, quibus antiquus hostis, & omnes qui ueritati Dei aduersantur, repellũtur. Sane his armis pugnando declarauit se militem ac ministrum esse Dei.

PER gloriam, inquit, & ignominiam, per conuicia & laudes.] Quidam ad hęc referunt, quod dixit: per arma iusticiæ, dextra ac sinistra, quasi gloria & laudes sint arma dextra, ignominia & conuicia sinistra, uerum non uideo quomodo hæc sint arma iusticiæ, cum ignominia & conuicia magis iniusticiæ quàm iusticiæ conueniant. Nos hunc existimamus esse Apostoli sensum. His itaque uelut armis iusticiæ à dextris & à sinistris instructi, sic stationem nostram tuemur, ut inde, nec per gloriam, nec ignominiam, neq; per conuicia, neq; per laudes dimoueamur. Quare subaudiendũ est uerbum aliquod utpote, penetramus, ut legatur ad hunc modum.

PER arma hæc iusticiæ (habetur enim articulus in Græco, διὰ τῶν ὅπλων) dextra ac sinistra instructi penetramus per gloriam & ignominiam, per cõuicia & laudes. Quasi dicat: Sic ut nec gloria & laude efferamur, nec ignominia & cõuicijs deijciamur. Sicubi laudamur & extollimur, non inflamur, sed cõmendamus nos hominibus benignitate, spiritu sancto, & charitate non simulata. Si ignominia & conuicijs impetimur, nec deijcimur animo, nec excãdescimus, nec malum pro malo reddimus, sed cõmendamus nos tanquam ministrum Dei, tolerantia & animi lenitate.

Quod autem post gloriã & ignominiã, adijcit conuicia & laudes, specificationem habet. Nam gloriam & ignominiã in genere, cõuicia uero & laudes ĩ specie dixit. Species enim gloriæ est laus, & species ignominiæ est conuiciũ. Significat igitur Apostolus idem sibi euenire quod Christo domino, qui & ipse ab alijs laudabatur, ab alijs uituperabatur. Nã alij de illo dicebant, bonus est, alij contra, non, aiebant, sed seducit turbas. Ioan. 7. Et hæc communis sors est omnium uerorũ Christi ministrorũ, ut à bonis quidem laudentur, à reprobis uero innumeris cõuicijs impetãtur ac proscindantur. Quare cogitandum ipsis est, non esse discipulum supra magistrum, curandumq;, ut cũ Apostolo armis iusticiæ, tã sinistris q̃ dextris, muniti utrunq; euentum sic excipiat, ut in utroq; ueros se Christi declarent esse ministros.

QVASI impostores, inquit, & tamen ueraces, quasi ignoti, & tamen noti, &c. In Græco est, ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς· ὡς ἀγνοούμενοι καὶ ἐπιγινωσκόμενοι, id est, ut impostores, & ueraces, ut ignoti, & cogniti. Omnino subintelligẽdũ est aliquid, nec displicet, quod Eras. uertit, & tamẽ ueraces, & tamẽ noti. Quod dixit p̃ ignominiã & cõuicia explicat, recẽsens aliquot reproborũ cõuicia, quibus personã ipsius, & per consequens Apostolatum quoque obscurare nitebantur.

Vocabant eum impostorem, hominem ignotum, morti deuotum, castigatum, tristem, paupe-

pauperem, ac nihil habentem. Hisce conuitijs annectit singulis, quàm nihil sit minus, quàm quod illi sibi exprobrant. Sic dicit:

QVASI impostores.] Hoc est, habemur pro impostoribus, suspecti reddimur, & auersandi, quasi simus seductores. Fiebat hoc à Iudæis, incredulis ex Gentibus, & pseudapostolis, præsertim illis, qui quæstum exercebãt in sua religione, erantque pessimi impostores. Nam hoc genus hominum sic animatũ est, ut emergentem ueritatis lucem, quam ferre non potest, imposturam & hæresim, illiusque ministros impostores, & hæreticos uocet. Accidit hoc & ipsi Christo, de quo ad Pilatum dicebant: Recordati sumus, quod seductor & impostor ille dixit, Matth. 27.

Quid ad hoc Apostolus? Et tamen, inquit, ueraces. Quasi dicat: Vtut habeamur pro impostoribus, impostores tamen non sumus, sed ueraces, ueritatem Dei fideliter docẽtes. Non dicit, & tamen ipsi sunt impostores, sed, & tamen ueraces, intellige sumus. Nõ hoc agebat, ut conuicia conuitijs rependeret, sed & ministerium suum contra insimulationem imposturæ defenderet.

QVASI ignoti, inquit, & tamen noti.] Dicebant, ignotus & obscurus homo est, nescimus quis sit & unde sit. Quemadmodum canes ignotos allatrant, ita illi in eo erãt, ut Paulo quasi ignoto oblatrarent omnes.

ET tamen noti, inquit.] Si quisquam qualis esset notus erat, notus utique erat Paulus. Nam cum in omnibus ministrum se Dei esse comprobaret, utique ignotus & obscurus esse nõ poterat, præsertim illis, qui ab ipso in Christo Iesu regenerabantur. Obscuritas familiæ ac natalium, quam ipsi obijciebant reprobi, nihil faciebat ad propositum, & interea celebritatem nominis ac ministerij, qua passim illustrabatur, egregie dissimulabant, imò hæc ipsa erat, quam obscurare moliebãtur. At ipse hanc asserens, dicit: & tamen noti. Non affectabat nominis celebritatem, at interea ad maliciam reproborum conniuere, & opus in se Dei dissimulare non poterat. Quod ipsi obijciebant pseudapostoli, poterat multo iustius illis obijcere, utpote hominibus sic obscuris & ignotis, ut opus haberent literis commendaticijs, cuius meminit suprà cap. tertio: Verum nolebat uicariæ exprobrationis funem cum illis trahere, sed magis ministerij sui celebritatem tueri.

QVASI moriẽtes, & ecce uiuimus, inquit.] Suprà cap. quarto, dixit se semper in mortem tradi, propter Iesum. Hoc ipsi uicio uertebatur à reprobis ac pseudapostolis. At, inquit, nondum mortui sumus, sed ecce uiuimus.

Non simpliciter, uiuimus, sed, ecce uiuimus, inquit. Quasi dicat: Vident me frequenter tradi in mortem propter dominũ, & id mihi exprobrant, quur non simul uident, quod interim adhuc uiuo? quur non uirtutem Dei, quæ me conseruat, hac in re agnoscunt? Hanc suprà quoque cap. 4. considerandam proposuit dicens: Semper enim nos qui uiuimus, in mortẽ tradimur propter Iesum.

QVASI correpti, & non occisi.] Vulgata habet, ut castigati. Græce est, ὡς παιδευόμενοι. Quẽadmodum infrà cap. undecimo meminit. Virgis aliquoties cæsus fuerat. Id castigari uocat scriptura. Sic Pilatus, cum Christum flagellare ac sic liberare constituisset, dicebat, παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω, id est, castigatum igitur dimittã. Maleuoli igitur castigationem hanc singularem iram Dei interprebantur, & sic opprobrabant Apostolo, ac si flagiciosi hominis haberet argumentum. Ipse igitur regerit, at non occisi. Quasi dicat: Vtut exprobrent nobis, quod castigemur subinde, interim tamen uidere poterũt, haud esse nos occisos, sed uirtute Dei liberatos. Non est autem ociosum, quod se uiuere, & occisum non esse dicit. Sciebat id uehemẽter urere pseudapostolos, quod perpetuo seruabatur, & è tot discriminibus ereptus adhuc uiuebat.

QVASI dolentes, inquit, semper tamẽ gaudentes.] Cum crebris afflictionibus exerceretur, uidebatur in oculis mundi, uir esse dolorum ac tristitiarum, atque ideo etsi uiueret, uitam tamen uiuere miseram & infelicem, cui mors ipsa sit præferenda.

Regerit igitur dicens: semper tamen gaudentes, quibus uerbis negat se propterea uirum esse dolorũ & infeliciter uiuere, quod crebris afflictionibus exerceatur, cum potius iugiter à domino refocilletur, & exhilaretur. Quemadmodum enim suprà cap. primo dixit, sicut abundabant in ipso afflictiones Christi, ita & consolationes per Christum in ipso abundabant, usq; adeo, ut & alios afflictos consolari posset in domino.

QVASI pauperes, inquit, multos tamen ditantes.] Iuxta sæculum quidem diues non erat, at interim sic pauper non erat, ut egestatis necessitate adactus circuiret, & prædicaret, cuius ipsum insimulabant, dum paupertatem exprobrabant. Itaque sic à se paupertatis probrum reijcit, ut dicat se multos ditare, id quod pauperum esse non potest. Quomodo autem multos ditarit, non est ut quæramus. Thesaurum scientiæ Dei, gratiæ, ac salutis circumferebat. Ex illo multos utique, credentes uidelicet, non euanidis ac fallacibus, sed permanentibus, ac ueris opibus ditabat, hoc est, beatos reddebat.

VT nihil habentes, inquit, & tamen omnia possidentes.] Poterat regeri. Quomodo multos ditas, cum ipse nihil habeas? Respondet: Quomodo nihil habeo, cũ omnia possideam? Sed dices, ecquomodo possidebat omnia? Possidebat omnia non ut Apostolus, sed ut Christianus, Christianorum enim sunt omnia propter Christũ. Sic. 1. Corinthiorũ. 3. dixit: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia, inquam, uestra sunt, uos autem

autem Christi, Christus uero Dei. Vt Christianus igitur possidebat omnia, ut Apostolus uero ac dispensator misteriorum Dei ac thesaurarius Christi, ditabat multos.

De Romanis apostolis dici nõ potest, quod sint quasi pauperes, cũ regum opes ostentent, dici uero potest, quod multos locupletent, uerum alio diuitiarum genere, quàm quo multos locupletarunt ueri Christi Apostoli, mundano scilicet ac perituro. Dici de illis non potest, quod sint quasi nihil habentes, dici uero potest, quod sint omnia possidentes, at non quemadmodum Christiani, sed ut domini, omnibus omnium conscientijs ac loculis manus inijcientes.

Os nostrum apertum est erga uos Corinthij. Cor nostrum dilatatum est. Non estis angusti in nobis, sed estis angusti in uisceribus uestris. Eandem autem remunerationem, ut à filijs exigo. Dilatemini & uos.

Diligebat eos, perinde atque pater diligit filios, ideoque illis pro affectu paterno libere ac fiducialiter loquebatur. Agnoscit hoc, & simul unde sit exponit, perque eam occasionem repræhendit eos, quod sic erga ipsos affecto non responderent ex æquo, & ut id faciant requirit. Sic dicit: Os nostrum apertum est erga uos Corinthij.

Hoc est, libere ac fiducialiter uobis loquor, ô Corinthij, nihil celo, nihil dissimulo, sed ut affectus sum, & ut sentio, sic ad uos loquor. Ore aperto loqui, nihil est aliud quàm absque ulla dissimulatione quicquid est in corde proloqui, id quod facere solemus, dum loquimur dilectis & amicis. Significat igitur, loqui se illis, tanquam dilectis. Ideo non simpliciter dicit: Os nostrum apertum est, sed addit, erga uos ô Corinthij. Quasi dicat: Quos in domino diligo, & nihil rerum mearum celare possum.

Obseruemus igitur hoc loco, quàm deceat ministrum Christi, ut in ecclesia Dei fratribus loquens libere ac diserte ore non semiclauso, ac mussitabundo, sed aperto loquatur. Habẽt & lupi, in pastores transformati, os apertum erga gregem domini, uerum non ut quæ salutis sunt libere loquantur, sed ut oues domini discerpant, & omnia uorent.

COR nostrum dilatatum est.] Hoc est, non sic sum angusto corde, ut uos non capiam omnes, & intra uiscera mea foueam, sed admodum dilatato & amplo, sic ut in me nulla uobis sit angustia. Nemo uestrum excluditur, nemo arctatur in corde meo. Vnde & addit: Non arctamini in nobis. Græce, οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν. Significat se illos omnes amanter complecti in domino, nec quenquam illorum ferre grauatim.

SED estis angusti in uisceribus uestris.] Græce est, στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν, id est, arctamini uero in uisceribus uestris. Sensus est: Corda uestra non sunt dilatata, sed angusta, estis in uobis angusti, sic ut me uicissim non capiatis, quemadmodum ego uos capio. Et huc facit subiecta expositio, qua dicit.

EANDEM autem remunerationem, ut à filijs exigo, dilatemini & uos.] In Græco est, τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν ὡς τέκνοις λέγω, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, quæ mihi coniugenda uidentur, uertendaque ad hunc modum, de eadem autem remuneratione, tanquam filijs, dico, dilatemini & uos. Hoc est, hortor autem uos, ut dilectioni meæ erga uos respondẽtes sitis, & uos corde dilatato, meque complectamini amanter, quemadmodum ego uos complector. Et hoc posco à uobis tanquam pater à filijs, & posco tanquam æquam remunerationem.

Erasmus in annotationibus suis, per angustiam uiscerum intelligit superstitiosam legalium ceremoniarum, & humanarum traditionum obseruantiã, per dilatationem uero conscientiam ab illis in Christo liberam. Verum illius sententiæ connexio uerborum istorum haud fauet.

Sunt autem duo hic de ingenio charitatis obseruanda.

1 Vnum est, quomodo illa & cor reddat dilatatum, & os apertum. Tolle hanc, frigebunt & contrahentur omnia, cor erit angustum & contractum, os uel clausum, uel semiapertum, nihil proferens integrum, nihil syncerum & candidum.

2 Alterum est, quod charitas eandem ἀντιμισθίαν, id est, uicariam dilectionem, quæ sit loco remunerationis, poscit ab illis quos diligit. Non poscit eorum bona, sed cor pro corde, dilectionem pro dilectione. Eam ob causam alibi quæritur hic Apostolus, quod plus diligens minus diligatur. Verum hęc est ueræ dilectionis sors, ut raro ἀντιμισθίαν inueniat.

Ne ducatis iugum cum incredulis. Quod enim consortium iusticię cum iniusticia? aut quę communio luci cum tenebris? aut quę concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simulacris? Nam uos templum estis Dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erũt mihi populus. Quapropter exite de medio illorũ, & separemini ab illis, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam uos & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum, ac filiarum, dicit dominus omnipotens.

Initio capitis huius cœperat exhortari, & obsecrare Corinthios, ut cauerent ne gratiam Dei in uacuum reciperent.

Eam

Eam exhortationem commemoratione stu dij sui quo neminem offendere, sed omnibus sese commendare satagebat, parumper interrupit. Iam igitur ad illam redit, dehortaturque eos ab illicito infidelium cõmercio. Nam uix aliud quicquam erat quo citius abducerentur à gratia Dei quam acceperant, illiusq; efficacia & utilitate priuarentur, quàm quod illicitis ac noxijs infidelium commercijs nimium securi miscebantur. Dicit itaq;.

NE ducatis iugum cum incredulis.] Græce est: μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. Non dicit συζυγοῦντες, sed ἑτεροζυγοῦντες. Sunt enim συζυγοῦντες, qui pares eidem iugo ducẽdo submittuntur. At tales non sunt fideles & infideles, Christiani, & alieni à Christo. Sunt uero fideles fidelibus, uel infideles infidelibus coniuncti. ἑτεροζυγοῦντες uero sunt qui cum disparibus ac diuersis iugum ducũt, perinde ac si equus & bos eidem iugo subdantur. Cum ergo auocare Corinthios uellet, ne iugum ducerẽt cum infidelibus ipsi fideles, conuenienter usus est hac uoce, ἑτεροζυγοῦντες, qua illis mox initio disparis cõmercij absurditatem consyderandam proponit, quod statim atque oculos spectãtium incurrit pro reprobo habetur. Infideles enim utiq; sunt ἕτεροι, id est, alij ac diuersi à fidelibus, ut fieri nequeat quin sint ἑτεροζυγοῦντες ij fideles qui cum illis iugum ducunt.

Non dicit autem, cum Iudæis, uel, cum Gentibus, sed cum infidelibus, cum incredulis, ut discrimen illud exprimat, quo discernuntur à fidelibus tam Iudæi quàm Gentes, & propter quod alij ac diuersi sunt ab illis. Natum esse Iudæum uel Ethnicum non impedit, quo minus ineantur commercia. Quis enim Christianus est, qui non sit natione, uel Iudæus, uel Ethnicus? Verum infidelem esse, id demum reddit alium ac diuersum à Christianis, & impedit ineundæ societatis commercium, tanquam ἑτεροζυγίαν.

Ἀπίστους uero, id est infideles, uocat non eos simpliciter, qui fidem in corde non habent, quorum multi sunt in ecclesijs Christianorũ, qui tamen quoniam baptizati sunt, & fidem Christianam ore profitentur, deque mysterijs Christi cum cæteris fidelibus externa communicatione participant, pro infidelibus non habentur, sed eos, qui ex professo à Christiana fide sunt, adeoque & à Christo & ecclesia Christi alieni, quales sunt hodie Turci & Iudæi. Cũ illis non uult ut iugũ ducat Christianus. Quare loco hoc abutuntur omnes illi, qui ob qualemcunque dissensionem, & diuersam loci alicuius scripturę intelligentiam, communicationem dissoluendam esse clamitant, uociferantes, Apostolus monet, ne iugum ducamus cũ infidelibus. Quasi mox infidelis sit, qui non in omnibus & per omnia nobiscũ sentit. Morbidi animi sunt, qui sic sentiunt. Tales nostra ætate deprændimus Anabaptistas, quibus infideles habentur, quotquot sectæ ipsorum subscribere detrectant. Quid de Anabaptistis dico? Malum hoc inde ab apostolorum temporibus turbauit ecclesias.

Quid est autem ducere iugum cum infidelibus? Sunt qui referant ad imparia coniugia, quibus Crhistiani nubunt infidelibus. Illi uoce ἑτεροζυγοῦντες mouẽtur. Verum si in textu eo usque legendo progrediaris, ubi ijs quæ in genere ac per similia dixit specificationem subijcit, puto liquere aliò respicere Apostolum q̃ ad imparia coniugia, quamuis nec illa probet, nec nos repugnemus, quo min⁹ ea uelut species ἑτεροζυγίας sub eo quod in genere dicit cõprehendatur. Alij loci huius sensum nimis extendunt, referentes illum ad ea quoque quæ humani conuictus cõmercia concernunt. Nostra sententia est, loqui Apostolum de cõmercijs, quæ religionis possunt uiciare puritatem, siue illa immediate ad religionem pertineant, quale erat quod eidolothitis cum infidelibus, idq; in templis & sacrificijs illorum, uescebantur, siue aliquo pacto ad uiciandam religionis puritatem faciant, quo referẽda sunt quod in spectaculis theatricis, cum infidelium colluuie sedebãt, & quod nuptias cum infidelibus inibant, deinde & iudicia iudicum infidelium leuibus de causis non coacti sectabantur.

QVOD enim consortium iusticiæ cum iniusticia, inquit?] Absurditatem τῆς ἑτεροζυγίας antithesibus aliquot consyderandam proponit, quo rationem reddat quare dehortetur eos à consortio infidelium. Adducit autem earũ rerum antitheses, quæ sic sunt sibi inuicem contrariæ, ut nullius sint cõsortij capaces. Vt sunt iusticia & iniusticia, lux & tenebræ, Christus & Belial. Et in hanc classem collocat, fideles etiam & infideles, templum Dei & simulacra, quo parænesim suã confirmet. Sic dicit: Quod enim cõsortium iusticiæ cum iniusticia? Quasi dicat: Nullum. Si nullum, ergo nec uobis cum infidelibus ullum debet esse consortium. Alioqui eiusmodi uestro & infidelium consortio quantum in uobis est, coniungetur iusticia cũ iniusticia, dum iusti coniunguntur cum iniustis. Hunc sensum poscit, quod non simpliciter dicit: Quod consortium, sed: Quod enim consortium iusticiæ cum iniusticia? Quod autem infidelibus tribuat iniusticiam, facit non hoc tãtum loco, sed & .1. Corinthiorum. 6. cum dicit: Sustinet aliquis uestrum negocium habens, cum altero iudicari sub iniustis, & non magis sub sanctis? Et paulo infrà. Sed frater cũ fratre litigat, idque sub infidelibus. Vbi patet, infideles habendos esse pro iniustis. Videmus hodie nõnullos Euangelij ministros cõsortia sacrificulorum Papistarum sectari. Possemus eodẽ illos argumento ab eiusmodi consortio dehortari, ut dicamus: Ne ducatis iugũ cum seductoribus. Quod enim cõsortium ueritati cum mẽdacio? Vestro cum seductoribus consortio cõiungitis, ueritatem cũ mendacio, quæ tamen coniungi non possunt.

Obserua. Si iusticia cum iniusticia coniungitur, ubi fidelis consortium init cum infideli, requi-

requiritur ergo ut quẽadmodum iniustus est infidelis, ita iustus sit fidelis, ut dum fidelis fideli iungitur, iusticia iusticiæ iungatur. Vnde autem dabuntur nobis hodie tales Christiani, in quibus hæc ratio possit consistere firma? Plerique enim sic comparati sumus, ut si iungamur Turcis, multo illis depręhendamur iniustiores.

AVT quæ communio, inquit, luci cum tenebris? Plane nulla. Nulla igitur esse debet fideli cum infidelibus. Est enim fidelis filius lucis, & infidelis filius tenebrarum, sic ut si fidelis iungatur infideli, quantum in ipso est lucẽ iungat cum tenebris. Ipse lucis ac tenebrarum aspectus clamat, nullius eas esse communionis capaces. Quare & mox initio sic discretæ sunt ab opifice Deo, ut lux diem, tenebræ uero noctem separatim constituant. Significans igitur tam esse absurdum, si cõmunio fideli intercedat cum infideli, quàm absurdum est, si per impossibile communio intercedat inter lucem & tenebras. Habet autẽ Apostolus hoc in more, ut fideles uocet lucem, infideles uero tenebras, sicuti uidere est Ephesiorum quinto, ubi dicit: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Tenebras uocat infideles propropter ignorantiam Dei, ac cæcitatem cordium ipsorum, fideles uero lucem, propter scientiam Dei, qua corda illorum per spiritum sanctum illuminantur.

AVT quæ concordia, inquit, Christo cũ Belial, id est, cum Satana? Omnino nulla. Sunt enim hi duo hostilissime inter se pugnantes. Christ⁹ enim author salutis, Belial author perditionis, Christus restaurator omnium, Belial uero destructor, Christus princeps lucis, Belial princeps tenebrarũ est. Quare nulla prorsus inter eos potest esse concordia. Nulla igitur potest esse inter fideles quoque & infideles. Nam fideles Christo, infideles uero Belial sunt insiti.

Vide autem quomodo uim argumentationis huius intendat. Hactenus duabus antithesibus iusticiæ & iniusticiæ, lucis & tenebrarũ, absurditatem & impossibilitatem quoque τῆ ἑτεροζυγίας huius expressit. Iam uero quàm horribilis etiam sit & impia in eo declarat, quod Christum & Belial inducit. Quis enim fideliũ non exhorrescat, si cogitet se Christum cũ Belial coniungere, dum infidelium consortia sectatur?

Vocem Belial autem, quę nullo alio loco in Nouo testamento legitur, è Veteris testamen. scripturis desumpsit, in quibus homines iniqui, præuaricatores, temerarij ac nullis disciplinis subiecti, filij Belial uocantur, sicuti uidere est. 1. Samuel. 25. de Nabal, &. 1. Samuel. 2. de filijs Samuelis, &. 1. Reg. 21. de duobus falsis testibus. Vocantur autem filij Belial, propterea quod sunt sine iugo. Nam ipsa uox בְּלִיַּעַל idẽ sonat quod sine iugo à בְּלִי, id est, sine, & עֹל id est, iugum. Vnde & Hieronymus in uersione libri Iudicum, cap. 19. ubi hęc leguntur: Ecce uiri ciuitates, uiri filij Belial, adiecit de suo, id est, absq; iugo. Quare autem Satanã uocet Belial, non est ut quæramus. Omnium enim iniquissimus est, & omnis p̄uaricationis author.

Illud lector per se obseruet, quod ubi uetus habet. Quæ conuentio, & Erasmus, quæ concordia, in Græco est τίς συμφώνησις, id est, quæ cõsonantia. Sane sic natura comparati sumus, ut ubi concordia non est, ibi nulla sit cõsonantia, ut non immerito concordiam pro cõsonantia posuerit Erasmus.

AVT quæ pars fideli cum infideli, inquit.] Hic rem ipsam quam amoliri cupit exprimit. Non dicit autem simpliciter, quæ societas, uel quæ coniunctio, sed, quę pars fideli cũ infideli? Quasi dicat: Nulla. Ergo nec societas ulla. Etenim quibus pars nulla cum reprobis est, illis etiam societas cum reprobis debet esse nulla. Quibus sors & pars eadẽ est, iungantur utpote fideles cũ fidelibus, infideles cum infidelibus.

Loquitur autem de participatione bonorũ spiritualium & cœlestiũ. In illis enim non participãt infideles, uel si mauis, loquitur de perditione infidelium, in qua utiq; nulla pars est fideli cum infidelibus. Nam in rebus huius uitæ necessitatem concernẽtibus pars est fideli eadem cum infidelibus.

AVT quid conuenit templo Dei cum simulacris, inquit.] Rem propius, & uelut acu, ut in prouerbio est, tãgit. Multis quidem modis fieri potest, ut fidelis cum infidelibus illicite, & cũ religionis Christianæ detrimento coniungatur. Verum ea demum societas immediate religioni Christianæ repugnat, qua templũ Dei simulacris commiscetur & conspurcatur. Per simulacra nanq; immortalis & inuisibilis Dei gloria ad similitudinem mortalium, uel hominum, uel animalium mutatur. Ro. 1. Videmus autem hic quàm tenax sit hoc malum, præsertim ubi sæculorũ aliquot est consuetudine inueteratũ. In priore epistola correxit illud, nec dubium est, quin idem fecerit cum esset apud eos præsens, & fidẽ in Christum initio in cordibus eorum plantaret. Et tamẽ post hæc omnia necessarium est uisum, rursus eos à cõmercio simulacrorum auocare.

Nõ autẽ simpliciter dicit: Quid cõuenit uobis cũ simulacris? sed: Quid cõuenit tẽplo Dei cũ simulacris? In falsorum Deorum tẽplis habentur ipsorum simulacra, quia dij ipsi nõ habentur, qui ut uel prorsus nõ sunt, uel dij non sunt, ita in tẽplis suis pręsentes esse nõ possunt. At templi Dei longe diuersa est conditio. Tẽplũ enim ueri Dei nõ absentis Dei poscit imaginem, sed ipsum Deũ habet in se pręsentem. Quare nihil illi potest esse inconuenientius, q̃ usus simulacrorum. Hoc notans dicit Apostolus: Quid cõuenit tẽplo Dei cum simulacris?

NAM uos, inquit, tẽplum estis Dei uiuẽtis.] Ne dicerent: Nos simulacra templo Dei non inferimus, subiungit: Nam uos templum estis Dei uiuentis. Si quis templo Dei, quod Hierosolymis erat, simulacrum intulisset, rẽ uisus fuisset

fuisset facere omnibus modis abominandam. At interea ueriori q̃ illud erat tẽplo Dei simulacrorum spurcitiem inferebant, cum se simulacrorum commercio de eidolothytis uescendo conspurcarent. Hoc non consyderantibus exponit dicens: Nam uos templum Dei estis uiuentis.

NON simpliciter templum Dei estis, inquit, sed addit uiuentis.] Perstringit templa falsorum deorum quæ templa sunt non uiuentiũ sed mortuorum, aut certe nusquam extãtium deorum. At populus fidelium templũ est Dei non mortui sed uiuentis. Est igitur discrimen hoc inter templa falsorum deorum, & templum ueri Dei, quod illa sine simulacris deorum templa deorum esse nequeũt, hoc uero simulacra usq; adeo nõ requirat, ut per illa prophanetur etiam propterea quod habeat in se Deum ipsum, non mortuum sed uiuentem.

QVEMADMODVM dixit Deus, inquit, in habitabo in illis, & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus.] Quoniam rarum & insolens uidebatur, quod dixit: Nam uos templum estis Dei uiuentis, probat illud & confirmat per scripturas, easq; non quaslibet, sed in quib⁹ Deus ipse loquatur. Sic dicit: Quemadmodum dixit Deus, inhabitabo in illis & inambulabo, &c. Quę citat ex scripturis, nõ uno habentur loco, si uelis omnia ad finem usq; capitis coniungere. Quæ hic meminit ad comprobandum, quod populus fidelium templum sit Dei referunt nonnulli ad. 37. caput Ezechielis, ubi tamen non leguntur nisi ista: erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus & ipsi erũt mihi populus. Quare malo referre ad ea quæ Leuit. 26. leguntur ad hũc modum. Et ponam habitationem meam, משכני, in medio uestri, & nõ abijciet uos anima mea. Et ambulabo in medio uestri, & ero uobis in Deum & uos eritis mihi in populum. Locum hũc citat Apostolus, sic tamẽ ut non ad uerbum. Magis enim sẽsum q̃ uerba spectat. Quod illic est: ponam habitationem meam in medio uestri, pro eo dicit: Inhabitabo in illis, personam etiã mutans, deinde illud, & non abijciet uos anima mea, omittit, cætera satis plene appendit, nisi quod personam mutat.

Probat igitur fideles esse templum Dei ex ipsis uerbis Dei, quibus se in illis habitaturum & ambulaturum, ac Deum ipsorum futurum, eosq; pro populo suo habiturum dicit. Si rex quidam de populo suo dicat, habitabo in illo, & ambulabo in illo, & ero eis rex & ipsi erunt mihi populus, inde colligi nõ poterit eum populum esse aulam regis sui. Aliud enim est aulam regis esse in medio populi regni, & aliud, ipsum populum esse aulam regis, quod posterius fieri non potest, prius uero, regibus cõsuetum, Deo est inconueniens. Non enim ille, ut homo, templis manufactis inhabitat, sicut rex in sua aula, sed ut Deus secundum naturam spiritus in cordibus suorum fidelium, quæ inhabitat, dum spiritum illis suæ gratiæ infundit.

Dices: At locus Leuit. 26. loquitur de tabernaculo quod in medio populi sui Deus, utiq; manufactum habuit.

Respondeo. Quem cœli cœlorum, non capiunt quomodo capiet tabernaculum manufactum? uide. 1. Reg. 8. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, inquit dominus ipse, quam ergo domum ædificabitis mihi? aut quis erit locus quietis meæ. Nonne manus mea fecit hæc omnia. Esa. 66. Relinquitur ergo, non habitare Deum in templis manufactis. Quare neq; in tabernaculo manufacto habitauit, sed erat illud testimonij loco, quod habitaret Deus in medio sui populi in illorum uidelicet cordibus sedem sibi parans. Quapropter Apostolus locum hũc pertinenter proposito suo accommodauit. De eo autem quod tẽplum Dei sunt fideles, dictũ est. 1. Cor. 3. Quare non est ut hic plura dicamus.

INHABITABO in illis inquit.] In quibus? Præmisit Leuit. 26. Si in præceptis meis ambulaueritis & mandata mea custodieritis & feceritis ea, & postea inter cætera subiecit: Ponam habitationẽ meam in medio uestri, & non abijciet uos anima mea. Ambulabo in medio uestri, & ero Deus uester, & uos eritis mihi populus. Ergo promissio hæc non habet locum in immorigeris, sed in ijs tãtum qui in præceptis Dei ambulant. i. uolũtati se domini Dei sui accommodant, illiq; bona fide adhærent. At tales esse non possunt, nisi electi ac fideles.

Verbum autem inhabitandi, metaphorico sensu transfertur ad Deũ. Non inhabitat De⁹ aliquem locũ ut homo sed inhabitare dicitur, quando per spiritum suum corda electorum perpetuitate gratiæ suæ dirigit ac moderatur in omnibus. Quod in textu est, ἐν αὐτοῖς, in Leuitico est בתוככם. i. in medio uestri uertũt, nonnulli, inter uos. Mallem intra uos, uel simpliciter, in uobis, Neq; enim Deus sic inter nos est, ut non sit & intra nos, quandoquidem habitat in cordibus nostris. Sumus in ædificio templi huius lapides uiui, utiq; propter spiritum uiuificantẽ, qui est in nobis, & propter cuius operationem uiui lapides sumus. Quare sic in medio nostri habitat Deus, ut sit in omnibus templi sui lapidibus, illosque singulatim pariter & coniunctim inhabitet, quod de rege dici non potest, qui non aliter regiam suam inhabitet, q̃ ut extra ligna & lapides, unde illa constructa est, maneat, & ambulet in uacuo, nec aliquid illis uitalis spiritus conferat.

ET inãbulabo inquit.] Metaphora est sumpta à rege in medio regiæ suæ ambulantis, & quæ consyderanda sunt consyderantis ac curantis. Sic Deus non est ociosus in suo templo. Non stat in illo clauis perinde atque Marpesia cautes fixus & immotus, quemadmodum ociosa & muta simulacra in templis Papistarũ, imò factitium Christum sacrario inclusum, stare uidemus. Deus uerus ac uiuens ambulat in suo templo, hoc est, omnia illius lustrat dirigit ac moderatur, nihil min⁹ quàm ociosus & immotus

motus inhabitator, qualem imperiti homines sibijpsis confingunt.

ET ero illorum Deus, inquit, & ipsi erunt mihi populus.] Quorsum in illis habitare & inambulare uelit exponit. Ad hoc uidelicet, ut sit illorũ Deus, & moderetur seruetq; eos tanquam suum populum. Deum enim esse alicuius, est illius esse Seruatorem: & populũ Dei esse, est illi fide & obedientia obstrictum esse, ac nomini eius sanctificatum. Quantæ autem felicitatis sit populum esse Dei, nemo unquã satis perpendit. Cogitans hoc propheta dicit: Beatus populus, cui9 dominus Deus est. Psal. 144. Reuera sic est. Tantũ felicitatis habemus, quantum coniunctionis cum uero Deo, extra quem euanida sunt omnia, quę stultus hic mũdus cupidissime sectatur.

QVAPROPTER, inquit, exite de medio illorum, & separemini ab illis dicit dominus, &c.] Posteaquam dehortatus eos est, ne iugum ducant cum infidelibus, eo quod eiusmodi societas prorsus sit absurda, impia, & horrẽda, iam subijcit adhortationem, admonens & colligẽs ex præmissis, reliquum esse, ut ab infidelium consortio separentur. Hanc autem parænesim non suis sed ipsius Dei uerbis exprimit, parte illius ex Ieshaiah cap. 52. desumpta, ubi legimus ad hunc modum: סורו סורו צאו משם טמא אל תגעו צאו מתוכה הברו נשאי כלי יהוה, id est: Recedite, recedite, exite inde, immundum ne tetigeritis, exite de medio eius, mundamini portantes uasa domini. Hac inclamatione propheta reliquias Israëlis hortatur ut è medio Babylonis exeant ac discedant, caueantq; ne immundicijs illius polluantur. Eam applicat Apostolus suo proposito, ut significet hanc esse uoluntatem Dei, ut populus liberationis populus in gratiam Dei assumptus, à consortio impiorum, infidelium, & immundorum discedat, ne contaminẽtur, & à gratia Dei excidãt. Rursus autem non inhæret uerbis, sed sensum proponit.

QVAPROPTER, inquit, exite de medio illorum.] Dices. Ergo exeundũ fidelibus erat ex omnibus locis, in quibus habitabant infideles, atq; ita deserendus totus orbis. Nam occupabant illi mundum, & erant fideles admodum pauci.

Respõdeo. Non hoc requirit Apostolus, ut loca infideliũ deserant fideles, unde nulla contaminatio est, sed ut à ritibus ac moribus illorum separẽtur, qui partim erant impij, partim flagitiosi ac scelerati. Humanum interim cõuictum, qui necessarius est tam fideli quàm infideli, non soluit. Immo ne mensæ quidem, modo prophanæ, communicationem reijcit, sicuti uidere est. 1. Cor. 10. Quare quod dicit: Exite de medio eorum, & separemini ab illis, in hac causa quam tractat Apostolus non est trahendum ultra illius propositum. Et nos hodie dũ quosuis fideles hortamur, ut secundum illud Apocal. 18. cecidit cecidit Babylõ magna, &c. Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorũ eius, & de plagis eius ne accipiatis, deserant Babylonem, non requirimus localẽ separationem, nisi illa cum periculo sit uel cõscientiæ uel uitæ coniũcta, sed eam qua impij cultus & adulterina dogmata uitentur.

ET immundum ne tetigeritis, inquit.] Nõ simpliciter dicit: ne impuremini, uel, ne immũdum quid faciatis, sed, & immundum ne tetigeritis. Quasi dicat. Vsq; adeo ab immũdicijs infidelium abstineatis, ut ne tactum quidem illorum uobis permittatis. Non loquitur autẽ de corporalibus immundicijs, sed de spiritualibus quibus conscientia impuratur, de falsis uidelicet cultibus, deq; communicatione gentilium sacrificiorum. Superstitiosas eorum traditiones, qui cibos à Deo creatos uitãdos docent, quasi sint immũdi, cũ teste Christo quoque, non impuret hominẽ, quod intrat per os in stomachum, repræhendit Coloss. 2. dicens: Itaque si mortui estis cum Christo, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neq; contrectaris, quæ omnia ipso pereunt usu. Hoc genus hominũ quæ immũda non sunt pro immundis habet, & interim omnis generis spurcitijs, eidololatria, falsis cultibus, Simonia, scortatione, adulterijs & consimilibus alijs immergitur.

ET ego suscipiam uos, inquit, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum dicit dominus omnipotens.] Vnde hæc citet Apostolus non satis liquet. In præmisso Esaiæ loco non habentur, nisi forsan qđs illic legitᷣ ומאספכם אלהי ישראל, id est, & colliget uos Deus Israël, per id exprimere uoluit, quod dicit: & suscipiam uos.

Illud, & ero uobis loco patris, ex Hieremia cap. 31. sumptum uideri potest, ubi legitur: Et factus sum Israël pater. Item: Ero Israëli in patrẽ. Quod uero annectit, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, unde citet non uideo. Sane ipsa relationis ratio sic habet, ut quorũ Deus pater est, hi illi uicissim sint loco filiorũ & filiarum, ut de re ipsa nõ sit dubium. An uero uim hanc relationis de suo uoluerit exprimere, uel alicubi scriptum adducere, incertum quidem uidetur, mihi tamen uerosimile apparet, quoniã addit, dicit, dominus omnipotens, & ista in forma loquentis Dei ponit, esse hæc alicubi scripta, licet ubi scripta sint ad uerbũ, mihi non occurrat.

Nobis obseruandum est, auersari Deum immundicijs spiritualibus inquinatos. Cum dixisset, & immundum ne tetigeritis, subijcit, & ego suscipiã uos & ero uobis loco patris, &c. quibus uerbis significat, nolle se impuros suscipere, nec patris illis esse loco. Hoc tamẽ nõ sic est intelligẽdum quod neminem suscipiat, qui aliquando fuerit factus immundus. Immundum fuisse non excludit à gratia, sed obstinate immundum esse. Pristina immũdicies deletur resipiscentia & fide, per remissionem peccatorum & iusticiæ imputationem. Vnde Petro dicebatur diuinitus: quod Deus purificauit

cauit, tu ne immundum dixeris. Ea uero manet, & à Deo separat, quæ omnem resipiscentiam respuit.

Deinde obserua, quomodo diuinam erga nos dignationem amplificet. Supra, illud, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, citauit, iam concludens adfert id quod multo est amplius, uidelicet, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum.

ARGVMENTVM capitis.

Hortatur statim initio ad sanctimoniā uitæ. Deinde rursus memorat quo sit erga eos animo, quo affectu, quaque fiducia, & quantum consolationis per Titū ab ipsis ad se reuersum acceperit. Tertio exponit quid utilitatis ex ea prouenerit tristicia, qua per priorem fuerant epistolam contristati. Postea redit ad consolationem ex aduentu Titi acceptam.

CAPVT VII.



AS igitur promissiones cū habeamus charissimi, mundemus nosipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficiētes sanctimoniam cum timore Dei.

Parænesis ista, quoniam ex præcedentibus infertur, & prorsus ad eandem materiam pertinet, quæ in illis tractata est, inconueniēti diuisione ab illis diuulsa est, & ad principium capitis huius translata. Has igitur promissiones cum habeamus charissimi inquit. Quas? Quibus pollicitus est Deus, quod habitare & ambulare in nobis tāquam in suo templo, qđ Deus noster esse, nosq; pro suo populo habere, immo quod nos filiorum filiarumq; loco suscipere, patrisq; loco nobis esse uelit. Hæ promissiones utiq; amplissimæ sunt ac tales, ut nec felicius nobis nec maius quicquam contingere queat.

Quid est autem quod dicit: Has igitur promissiones cū habeamus? Cum res promissas adepti essent, & iam haberent fideles quibus scribit. Nā utiq; susceperat eos Deus in Christo, ut esset illorum & Deus & pater, & habitabat in eis gratia & uirtute sui spiritus, mox atque credentes fuerant facti.

Respondeo. Promissiones habentur bifariam. Primo, spe futuræ acquisitionis. Sic habemus promissiones futurę resurrectionis, ęternæ uitæ & gloriæ cum Christo in sempiternum possidendæ. Ipsa promissa bona nondū habemus, sed credentes ac sperantes expectamus. Deinde promissiones quasdam sic habemus, ut ipsa quoq; simus promissa cōsequuti.

A In hanc classem referendæ sunt promissiones quarum hic meminit Apostolus. Hæ nanq; in præsenti uita fide acquiruntur. Pertinēt enim ad præsentem gratiam, qua electos suos ac fideles dignatur Deus, mox atq; uocationis ac iustificationis fuerint facti participes. Quare conuenientius uerteretur ad hunc modū. Hęc igitur promissa cum habeamus, id est, adepti simus ac possideamus. Quasi dicat. Cum igit̄ simus iam templum Dei, habitantis & ambulantis in nobis, sitq; ille Deus ac pater noster, & nos illius populus filij ac filię. Quid hinc infert ac faciendum admonet?

CHARISSIMI, inquit, mūdemus nosipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus.] Significationem paternæ dilectionis immiscet, dū eos uocat charissimos, quo & moueat eos ad obsequendum, & quæ subiecturus est prę mölliat. Mundemus nosipsos inquit. Respicit ad id quod in promissione Dei, ueluti conditionis uice requiritur, ubi dicit: immūdum ne tetigeritis. Quasi dicat. Quandoquidem hoc est promissioni gratiæ, quā adepti sumus annexum, ut ab omni immundo sic abstineamus, ut ne tāgamus quidem quod immundū est, ne polluamur, summopere curandū nobis est, ut nosipsos ab omni inquinamēto mūdemus, ne tā insigni gratia indigni reperiamur.

Vide autem quàm caute non dicat: mundate uosipsos, sed mundemus nosipsos, quo tolerabiliorem reddat admonitionē, sic proposi B tam, ut se quoq; concernat perinde atq; ipsos, ne uideantur ipsi soli opus habere, ut mundentur. Pharisęorum est sic monere alios, ut ad se pertinere non putent admonitionē, qua alios faciendorum ac uitandorum admonent. Verus Christi minister, licet ex officio quosuis ad ueræ pietatis studium exhortetur, quoniā tamen & ipse eadem cum alijs est carnis infirmitate circumdatus, dum admonet alios, seipsum quoq; unà cum alijs eorum quæ facienda sunt, admonet.

AB omni, inquit, inquinamento carnis & spiritus.] Per carnem & spiritū intelligit corpus & animam. Sunt autē carnis inquinamenta, quibus corpus ipsum immundis actibus polluitur, ut sunt, externi simulacrorū cultus, quibus ante illa procumbitur in genua, leuantur oculi, extendūtur manus, pedibus ad eiusmodi cultus itur ac reditur. His actibus omnino membra corporis polluuntur. Deinde impuratur corpus scortatione, incestu, adulterio & alijs infandis libidinibus. Polluitur etiam ebrietate, qua sane mirum in modum defœdatur. Spiritus inquinatur immundis affectibus ac prauis concupiscentijs, ira etiam, inuidia, & odijs, & cum primis diffidētia, cui apponitur fides, qua corda purificantur. Et quoniam multæ sunt eorum species, quibus caro & spiritus inquinantur, non simpliciter dicit: ab inquinamēto, sed, ab omni, id est, ab omnis generis inquinamento carnis & spiritus. Neque enim mundus esse poterit, qui etsi unam & alteram impuri-

impuritatis speciem uitat, cæteris tamen inquinatur. Quare requiritur, ut ab omni nos inquinamento mundemus. Nec carnis tantum sed & spiritus, nec spiritus modo sed simul & carnis puritatem poscit, quo toti simus in conspectu domini mundi, non foris tantũ in corpore, sed & intus in spiritu.

Dicet quisquam. Ergo ne immundi adhuc erant fideles quibus scribit, ut opus haberent ab omni inquinamento carnis & spiritus mũdari? Quid igitur est quod 1. Cor. 6. ad eosdem scribit dicens: Atq; hęc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Si abluti iam erant & sanctificati, utiq; non erant omnis generis inquinamento immundi. Si immundi non erant, quorsum attinebat admonere eos, ut seipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus mundarent?

Respondeo. Abluti quidem erant & sanctificati, uerum haud pariformiter omnes. Nam quod attinebat sacramentũ ablutionis ac sanctificationis, baptisma uidelicet omnes quidẽ sacramentaliter erant mundati, uerum quod uitæ puritatem cõcernebat qua non sacramẽtaliter tantum sed & realiter mundi essent, nõ erant mundi omnes. Quare ad eos qui adhuc carnales erant, adeoq; & immundi, referenda est hæc admonitio, ut quod erant facti sacramentaliter, esse curarent & realiter. Quin & alij, qui reipsa esse satagunt, quod secundũ gratiam sacramenti facti sunt, non sic sunt perfecte mundi ut nullo inquinamenti genere uita ipsorum impuretur. Quapropter & illis opus est, ut hac admonitione ad plenam mundiciã persequendam stimulentur.

PERFICIENTES, inquit, sanctimoniam cum timore Dei.] Declarat quomodo seipsos ab omni inquinamẽto mundare debeãt. Sanctificati erant, per sacramentum sanctificationis & per nomen Christi, in quod erant initiati perq; spiritum Dei, quem acceperant credentes. Ea sanctificatio initialis erat perfecta quidem quod gratiam sanctificantis Dei, perficienda uero adhuc, quod uitam sanctificatorũ attinet. Ad hanc illos perfectionem sic hortatur, ut perficientes cœptam in ipsis sanctificationem ab omni inquinamento carnis & spiritus abstineant, uel si mauis, ab omni inquinamento abstinentes sanctificationem perficiãt.

Videmus igitur hoc loco, quid de sacramentali sit sanctificatione sentiẽdum. Quod illam concernit sumus omnes sancti, quotquot baptizati sumus in Christum. Verum ea sanctificatio ut est initialis, ita perfectionis studium à nobis requirit. Est enim adhuc imperfecta, donec quicquid in carne ac spiritu nostro ꝓphanum est & impurum, expurgetur. At hæc perfectio non absoluitur, nisi spiritus è corpore liberatus ad cœlestia fuerit translatus.

ADDIT, cum timore Dei.] Respicit ad carnales, quibus hoc procliue est, ut de gratia Dei persuasi parum timoris Dei retineãt in corde, id quod nostra hac ætate nimis manifestũ est in multis, qui ubi Papisticis superstitionibus per uerbum Dei liberati fuere unà cum superstitione omnem timorem Dei abiecerũt, atq; ita sese omnis generis inquinamẽtis commaculant, & sanctificationẽ qua ex uerbi Dei potiti fuerant prophanant. Idem eueniebat plerisq; in ecclesia Corinthiorũ. Quare hortatur eos ut acceptam sanctificationem cum timore Dei perficiant. Reuera merito timemus eum, qui nisi misericorditer ignoscere uoluisset iustissimo nos poterat iudicio damnare in sempiternum, & damnaturus etiã est omnes eos qui gratiam suam aut spernẽtes non accipiũt, aut acceptam male collocant.

Capaces estote nostri: neminem læsimus, neminẽ corrupimus, neminẽ fraudauimus. Non hoc ad cõdemnationem uestri dico. Siquidẽ iam ante dixi uobis, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum. Multa mihi fiducia erga uos, multa mihi gloriatio de uobis, impletus sum cõsolatione, uehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra. Etenim cum uenissemus in Macedoniam nullã habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus affligebamur. Foris pugnæ, intus terrores. Verum qui consolatur humiles consolatus est nos Deus per aduẽtum Titi. Non solum autem per aduentum illius, uerum etiam per consolationem, quam ille accepit de uobis, cum annunciaret nobis uestrum desyderium, uestrum fletum, uestrum pro me studium, adeo ut magis gauisus fuerim.

Sunt hæc admodum pathetica, ubiq; singularis dilectionis affectus spirantia. Summa cõtextus istius hæc est. Poscit ab illis uicissim diligi, ac significat quo sit erga ipsos affectu quaque fiducia, & quàm sit per aduentum Titi recreatus & exhilaratus. Capaces estote nostri, inquit, uel ut uulgata habet, capite nos. Locũ poscit in illorum cordibus ut quemadmodũ eos corde dilatato complectebatur omnes, ita illi se uicissim in cordibus suis capiant & complectantur. Sentiebat enim eos cordibus erga se esse angustis, sicuti & suprà cap. præcedenti conquestus est dicens: Cor nostrũ dilatatũ est. Non estis angusti in nobis, sed estis angusti in uisceribus uestris. Eandem autem remunerationem ut à filijs exigo.

NEMINEM læsimus, inquit, neminem corrupimus, neminem fraudauimus.] Hoc est, nulla in re cuiquã ex uobis causam dedimus, quo minus nos amanter corde suo complectatur. Quod nonnulli ex uobis me fastidiunt, & interim sectarum magistros in precio habent,

faciunt hoc absq; mea culpa. Neminem enim ex uobis aliqua iniuria affecimus, (hoc est qđ dicit, οὐδένα ἠδικήσαμεν) neminē corrupimus, id est, nullius integritatem per falsam doctrinā à studio recti abduximus & uiciauimus, neminē fraudauimus, Græcè, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, id est, neminem studio auariciæ circumuenimus. Perstringit oblique in pseudapostolis dominatum, à ueris apostolis alienum, corruptelas falsæ doctrinæ, & studiū auariciæ, quo bonis fidelium insidiabantur, dominatum, in eo quod dicit, neminem iniuria affecimus, corruptelas falsæ doctrinæ in eo quod subiungit dicens, neminem corrupimus, studium auariciæ, quo bonis fidelium fraudulenter insidiabantur, in eo quod addit, neminem fraudauimus. Verum hac de re infrà capite 11. manifestius dicturus est.

Nos hic discrimen uerorum ac falsorum apostolorum obseruemus. Veri, ut alieni sunt à dominatu à falsa doctrina & à studio auariciæ & quæstus, ita nemini inferunt iniuriam, neminem corrumpunt, neminē auariciæ studio circumueniunt, falsi uero quemadmodum infecti sunt spiritu dominationis, falsæ doctrinæ, & auaricię ac questus, ita iniurijs eos afficiunt quibus dominantur, corrumpunt quos docent, circumneniunt incautos, è quibus aliquid potest esse lucri. Inspice Romam & uide quid de sede Apostolica quam sibi uindicant, iudicare debeas. Si reperis eam liberam à dominatu, à corruptelis falsæ doctrinæ, ab inexplebilis auariciæ quæstu, ut posit dicere, nemini iniuriam intuli, neminem corrupi, neminem fictis uerbis negociando circumueni, bene, agnosce Apostolicæ synceritatis imitationem, si uero dominatricem corruptricem ac circumuentricem deprehenderis, cognosce sedem Antichristi, & execrabilem imposturam Satanæ sub prætextu sedis Apostolicæ in ecclesia regnantem.

NON hoc ad condemnationem uestri dico, inquit.] Græcè simpliciter est, οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω, id est: Non ad condemnationem dico. Id est, non dico ut quempiam ex uobis accusem & condemnem. Non sic innocentiam meam defendo, ut uos condemnem. Videbatur eos accusare, quod innocentem se fastidirent & auersarentur. Verum non hoc agebat, sed simpliciter eos innocentiæ suæ admonet, ut cogitent, non esse causam, quur se fastidiāt. Et hoc agens quoniam ueretur, ne plus eos offendat, occupatione tollens, quod suspicari poterant, dicit: Non ad cōdemnationem dico. Vide modestiam Apostoli. Quamuis eos acriter obiurgare & propter tot tamque magna beneficia, quibus eos affecerat, ingratitudinis accusare posset, nihil huius faciens, sola innocentię suę defensione contentus est, & sic quoq; ueritus, ne quo pacto offendat negat se quæ dicit, ad ipsorum dicere cōdemnationem. Erant plane condemnabiles, uerum quæ dicebat, non ob id dicebat ut eos condemnaret.

A SIQVIDEM iam ante dixi, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum.] Reddit rationem, qua probet se nō hæc dicere, ut ipsos cōdemnet. Siquidem iam ante dixi inquit, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, &c. Quasi dicat. Vsq; adeo uos diligo ut paratus sim uobiscū ferre ac pati omnia, quæ uobis ferenda fuerint, siue ad uitam siue ad mortem, sic estis in cordibus nostris, ut seperare nos nec mors posit nec uita, tam abest, ut condemnare uos cupiam. Siquidem iam ante dixi inquit, ubi hoc dixerat antea? Capite præcedenti ubi dixit. Os nostrū apertum est erga uos. Cor nostrum dilatatum est. Non estis angusti in nobis. Quod illic obscurius innuit, hic clarius exprimit. Sic autem habet ueræ dilectionis ingenium ut nullo se pacto separari sinant qui diligunt, ab ijs quos corde sunt cōplexi. Non possunt deserere mortuos, non possunt seiungi à uiuis. Reperti sunt catelli usq; adeo herorum suorum amātes, ut à latere uiuorum non discederent, à sepulcro mortuorum auelli non possent. Vtinam sic cōparati simus & ipsi erga Christū, ut à dilectione illi⁹ nec uita nec morte separari posimus. Sine huiusmodi dilectionis spiritu nemo pastor ad ouiculas domini ueraciter dictur⁹ est. In cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum.

Obserua uero solicitam Apostoli prouidentiam. Quoniam sic statuerat, cum hæc ad Corinthios scriberet, quod nollet eos scribendo

B offendere, sed magis cōciliare & sibi & interipsos mutuo, priusquam ad innocentiæ suæ defensionem diceret, neminem lesimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus, præmisit de sua erga eos dilectione, qua omnes amāter gestabat & fouebat in corde, quo cum minore offensione quæ dicturus erat acciperent, & si quid tristius diceret, dilectionis affectui tribuerent. Iam postquam tale quid protulit, unde offendi poterant non cōtetus prēmissa cautione, rursus quàm diligat eos cōmemorās, refricat quæ antea dixerat. Sciebat uidelicet, ꝙ leui momento præcedens serenitas obliuioni tradatur, ubi uel modica nubecula uelatur. Ipsa dilectionis opera mox obscurantur, si uel uerbulū proferas, quod offendat, nedum significatio illius uerbis prolata. Quare haud absque ratione hac est usus diligentia qua dicta iam antea refricaret dicens: Siquidem iam ante dixi, quod in cordibus nostris estis, &c.

MVLTA mihi fiducia erga uos, inquit, multa mihi gloriatio de uobis.] Græcè est, πολλή παῤῥησία, quod hic legimus, multa fiducia. Fiduciæ multæ sunt species, at παῤῥησίαν cōstat esse libertatem ac fiduciam loquendi, qua citra hęsitationem libere ac fiducialiter loquimur, & quæ admonenda uidētur admonemus, quasi sit παντὸς ῥησία. Hæc parrhesia tum recte loquēdi libertas uocatur, quando sine metu libere loquimur ubi tamē metuendum esset periculum, Vbi

lum. Vbi uero amicos fiducialiter monemus, A bona præditi fiducia, quod respectu amicitiæ boni sint liberam admonitionem consulturi, tum recte eiusmodi parrhesiam fiduciam loquẽdi uocamus. Et hanc intelligit Apostolus cũ dicit: Multa mihi parrhesia erga uos. Quod enim suprà capite præcedẽti dixit: Os meum apertum est erga uos, hoc ipsum alijs hic uerbis exprimit.

Non ad condemnationem, inquit, hęc dico, nam diligo uos, & habeo in corde meo ad cõmoriendum & ad conuiuẽdum, sed quæ dico pro mea parrhesia dico, quæ mihi multa est erga uos. Et hoc dicens, iterũ exprimit dilectionis ingenium, quæ sic comparata est, ut existimet sibi libere admonendum esse, si quid sit admonendum, idque iure amicitię. Opposita huic est assentatio, quæ falso amicitiam simulat, dum omnia laudat in faciem, etiam quæ laudanda non sunt sed corrigenda.

MVLTA gloriatio de uobis, inquit.] Quasi dicat. Quamuis ad uos libere, quia multa cum fiducia, loquor, interim tamen ad alios de uobis multum glorior, tam abest ut quæ dico ad condemnationem uestri dicam. Non enim tãtopere de uobis gloriarer, si non diligerem si improbarem, si accusarem, si condemnarem. Rursus ingenium ueræ dilectionis expressum uides, quæ in faciem libere monet & corripit dilectum, de quo tamen ad alios impense gloriatur, honesteque & amanter loquitur. Contra assentatrix illa ψευδαγάπη in faciẽ adulatur, à B tergo obloquitur, in faciem simulat amicitiã, à tergo spirat hostiles inimicitias. Nec dubito quin hoc ingenio fuerint pseudapostoli, quibus hic Paulus integritatem suam & ueræ dilectionis experimenta opponit.

IMPLETVS sum consolatione, inquit, uehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra.] Transit ad ea quæ de aduentu ad se Titi dicturus est. Loquitur enim de consolatione & gaudio, quibus per illũ affectus fuit, quod ob id facit, ut ostẽdat, quàm non frustra de illis multum glorietur.

IMPLETVS sum, inquit, consolatione.] Non simpliciter dicit: accepta cõsolatione gauisus sum, sed, ut abundãtiam dilectionis suæ erga eos consyderandam proponat, dicit se impletum esse consolatione, & uehementer exundare gaudio, nec sic contentus addit in afflictione nostra, immo, in omni afflictione nostra, ut uim consolationis & gaudij tantam esse significet, ut omnem afflictionum suarũ molestiam ac tristiciam absorbeat. Vnde autem tantum consolationis & gaudij acceperit mox exponet.

VEHEMENTER, inquit, exundo gaudio.] In Græco est, ὑπερπερισσεύομαι, quod uetus interpres simpliciter uertit, superabundo. Haud displicet uero, quod Erasmus transtulit, uehemẽter exundo. Videtur enim Apostolus loqui de multa gloriatione, cuius iã meminit, per quã gaudium de Corinthijs acceptum uelut exundabat. Sic est natura cordis humani, ut impletum affectibus uel gaudij uel tristiciæ, uel dilectionis uel odij exundet in apertum, unde illud est, ex abundantia cordis os loquitur.

IN omni afflictione nostra, inquit.] Sic hic quoque impleri significat quod mox initio capi. primo gloriando & cum gratiarumactione de Deo pręedicauit dicens: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni afflictione nostra, ubi quæ cogitanda sint admonuimus.

ETENIM cum uenissemus in Macedoniã, inquit, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus affligebamur. Foris pugnæ, intus terrores.] Exponit paucis quod dixit: in omni afflictione nostra. Referunt hęc nonnulli ad ea quę illi Actorum decimosexto & decimoseptimo euenisse leguntur. Verum series historiæ repugnat. Etenim quæ illic memorantur, euenerunt illi cum primum in Macedoniam euangelizandi gratia uenisset. Quę uero hic memorat euenerunt cum post Corinthiorum & Ephesiorum conuersionem Macedoniam confirmationis gratia reuiseret, qua de re uidere est Actorum decimonono, & uigesimo capite primo. Quod ita dicit: Etenim cũ uenissemus in Macedoniam, non loquitur de primo in illam aduentu, sed de secundo. Quas autem in illo perpessus sit afflictiones specialiter quidem non exprimit, in genere tamen significat dicens: nullam habuit relaxationẽ caro nostra, sed in omnibus affligebamur. Per carnem intelligit externum hominem, quem innumeri labores fatigabant, & simul impiorum hominum insectationes affligebant, sic ut nulla illi contingeret relaxatio. Nam non afflictionibus tantum, sed & timoribus exercebatur. Sic dicit: Foris pugnæ, intus terrores. Foris impugnabaẽ ab aduersarijs incredulis, qui ueritati Christi contradicebant, & ministros illius persequebantur. Intus cruciabatur timoribus, quibus timebat infirmioribus, ne uel à pseudapostolis seducerentur, uel persequutionibus à professione nominis Christi absterrerẽtur. Sic in omnibus affligebatur, foris, & intꝰ, ut nulla dareẽ carni ipsius relaxatio.

Conuenienter autem carnem & relaxationem cõiungit. Caro nanq; pro infirmitate sua facile fatigatur laboribus & persequutionibus, fatigata uero nihil æque appetit atq; relaxationem. Hanc in se quoque carnis infirmitatem & naturam experiuntur prophetę, apostoli, & sancti donec in hac uita laboribus & omnis generis molestijs exercentur.

FORIS pugnæ, inquit, intus terrores.] In Græco est, ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι, id est, deforis pugnæ, abintus, ut ita dicam, timores. Non dicit simpliciter, ἔξω μάχαι, ἔνδον φόβοι, id est: Foris pugnæ intus timores. Quare cum dicit, ἔξωθεν, intelligendum est de ijs qui foris erant, alieni à fide Christi, & cum addit ἔσωθεν, referendum ad fideles qui erant intus, quemadmodum & 1.

Cor.6. illos τοὺς ἔξω, istos τοὺς ἔσω uocat. Quasi dicat. Impugnabar ab illis qui sunt foris, & timores mihi incutiebantur ab ijs qui sunt intus. Hæc uolui lectionis gratia indicare, præsertim cum faciant ad perspicuitatem sensus.

VERVM qui consolatur humiles, inquit, consolatus est nos Deus per aduentum Titi.] Quod dixerat, impletus sum consolatione, uehementer exundo gaudio, id iam consequenter exponit. Duo autem dicit. Vnum, quis se, alterum, unde sit consolatus. Primum tribuit Deo, alterum aduentui Titi. Verum inquit, cōsolatus est nos Deus. Consolationes quibus subinde in afflictionibus recreabatur, ut cœpit initio epistolæ ita in progressu quoq; constanter adscribit Deo. Non dicit autem simpliciter: consolatus est nos Deus, sed præmittit, qui consolatur humiles. Sic exprimit ingenium & naturam Dei, qua usque adeo bene uult humilibus, ut singulari quodam studio laborantibus illis succurrat, superbos uero sic detestatur, ut resistat illis ex diametro. Non loquitur autem de illis qui animo sunt humili & modesto, sed de abiectis ac depressis. Neque enim dicit: τοὺς ταπεινοφρονοῦντας sed, τοὺς ταπεινοὺς, quia non loquitur de uirtute modestiæ, sed de afflictionibus, quibus pij in hoc sæculo ab impijs deprimūtur & humiliantur, quod & ipsi passim eueniebat, Quod ergo dicit: qui consolatur humiles, nihil est aliud, quàm qui consolatur afflictos ac depressos. Significat autem talem se fuisse factum, cum in omnibus affligeretur, ideoque adfuisse sibi consolatorem humilium & afflictorum, Deum uidelicet, seque esse abunde consolatum.

PER aduentum Titi, inquit.] Meminit unde sit se consolatus Deus. Per aduentum uidelicet Titi. Miserat hunc Corinthum cum nonnullis alijs fratribus, sicuti uidere est capite sequenti, & cum Macedoniam reuisurus uenisset Troaden, ibique illum non, ut sperauerat, inuenisset, spiritu fatigabatur, ideoque relicta Troade abijt in Macedoniam, interim cupide aduentum illius expectans. Cum ergo interea temporis admodū affligeretur, beneficio domini factum est, ut adueniente illo recrearetur & exhilararetur. Sic dicit: consolatus est nos Deus per aduentum Titi. Erat is ipsi acceptissimus, propterea quod fidus esset omnium laborum socius, illiusque absentiam ægre tulisset, quare plurimum lætabatur, quod saluum eum receperat. Paucos habebat cooperarios in opere domini fideles. Nam pleriq; non quæ domini, sed quæ suaipsorum erant quærebāt, ut non immerito solicitus fuerit pro Tito isto, ac plurimum consolationis & gaudij ex reditu illius acceperit.

NON solum autem per aduentum illius, inquit, uerumetiam per consolationē quam ille accepit de uobis, &c.] Vt maneat in proposito, significat magnam partem cōsolationis huius & gaudij ab ipsis esse profectam, ne in solo Titi aduentu conquiescere uideatur, quod ad A ipsos parū pertinere uideri poterat. Haud dissimulat exhilaratum se fuisse aduentu Titi. Quare non dicit: Non per aduētum illius, sed: Non solum autem per aduētum illius, uerum potissimam consolationis suæ causam transfert in ipsos, sicuti mox patebit.

VERVMETIAM per cōsolationem, inquit, quam ille accepit de uobis.] In Græco est, ἧ παρεκλήθη ἐφ' ὑμῖν. id est, qua consolatus, uel, si mauis, refocillatus est in uobis. Quid consolationis uero Titus consequutus sit à Corinthijs, infrà circa calcem capitis huius memorabit. Hic obiter subijcit, quid nunciarit sibi de ipsorum erga se desyderio, fletu, ac studio, dicens cum annunciaret nobis uestrum desiderium, uestrum fletum, uestrum pro me studium, adeo ut magis gauisus fuerim. Tria ponit: desiderium, fletum, ac studium, Græcè ζῆλον, desiderium Corinthiorum erat quo præsentiā Pauli desiderabant ij, qui inter illos erant synceri. Hoc promissione aduentus sui in priore epistola, capite ultimo admodum exacuerat. Fletus erat, quo lugebant propter correptionem, qua priore ipsos epistola admodum contristauerat, qua de re mox subijciet. Zelus pro ipso erat, quo se pseudapostolis & ipsorum sectatoribus nomen Paulo infamantibus opponebant. Hæc igitur cum audisset ex Tito, magis adhuc gaudebat. Intelligebat enim ex illis, tāquam certis argumentis, esse se cordi adhuc Corinthijs, adeoque & opus domini, quod in B ipsis cœperat, consistere saluum & integrum, quantumuis illud pseudapostoli in omnium cordibus uiciare conarentur. Hinc itaque afferebatur ipsi maioris gaudij occasio, quia plurimum recreabatur spiritus ipsius, quod esset illorum amantissimus, ac salutis ipsorum cupidissimus. Et alioqui sic est comparatum dilectionis ingenium, ut exhilaretur plurimū qui diligit, si certis argumentis intelligat, esse se charum illis quos diligit. Qualia uero essent dilectionis argumenta, desiderium, fletus, & zélus, in seipso potissimum experiebatur Apostolus, qui & ipse præsentiam Corinthiorū desyderabat, cū lachrymis ad illos scribebat, & ut infrà capite undecimo scribit, zelotypus erat erga eos, Dei zelo accensus. Vix certiora habentur amoris indicia quàm quę hic memorantur, desiderium, fletus, & zelus. Vtinam istis nos argumentis charitatem Christi Seruatoris nostri testatam reddere possimus.

Nam etiamsi contristaui uos per epistolam, non me pœnitet, tametsi pœnituerat. Video nanq; quod epistola illa, tametsi ad tēpus, contristauit uos. Nunc gaudeo, non quod cōtristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitentiam. Nam contristati estis secundum Deum, sic ut nulla in re detrimento sitis affecti per nos. Nam quæ secundum Deum est tristicia, ea pœnitentiam ad salutē haud pœniten-

pœnitendam parit, mundi uero tristicia mortẽ operatur. Ecce enim istuc ipsum, quod secundum Deum cõtristati fuistis quantam in uobis operatum est solicitudinem, imò satisfactionem, imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò uindictam. Siquidem ubiq; commẽdastis uosipsos, quod puri sitis in eo negocio. Proinde tametsi scripsi uobis, nõ eius id causa feci qui læserat, nec eius causa qui læsus fuerat, sed ob id, ut palã fieret studium uestrum pro nobis apud uos in conspectu Dei.

A

Per occasionẽ eius quod fletus Corinthiorum meminit, ob quem se magis adhuc gaudere dixit, transit ad exponẽdum utilitatem, quam illis ea tristicia pepererat. Videbatur enim inconueniens esse & alienum ab ingenio dilectionis, propterea gaudere quod tristes erant ac flebant Corinthij, quos tantopere se diligere asseuerabat. Cum sit dilectioni conuenientius, flere cum flentibus, cum gaudentibus uero gaudere. Quare cum desiderio ac zelo illorum fletum cõiunxisset ac dixisset: cum annũciaret nobis uestrum desiderium, uestrũ fletum, uestrũ pro me studium, adeo ut magis gauisus fuerim, essetq; uerosimile cogitaturos illos, ergo quo tristiores nos sumus, hoc tu magis gaudes? mox subijcit expositionem qua qđ dixerat declararet, rationẽq; reddat, quare ipse ꝓpter fletũ eorũ magis fuerit gauisus.

B

NAM etiamsi cõtristaui uos per epistolam, inquit, non pœnitet me.] Sic exponit quod de fletu Corinthiorum dixerat, significans se loqui de tristicia, qua priore fuerant epistola contristati. Videbatur autem dolendum ipsi esse, quod eos quos diligebat contristasset. Et sane doluisset, nisi tristiciã illorum ad salutem ipsis conducere intellexisset. Sic dicit: Nam etiamsi contristaui uos per epistolam, non pœnitet me. Quare autem non pœnituerit ipsum consequenter exponet. Interim tamẽ fatetur, quod contristarit eos per præcedentem epistolam, cum suprà capite secundo negauerit se ad hoc scripsisse ut contristarentur. Non delectabatur illorum tristicia ideoque non ob id scripserat, ut contristarentur, sed ut solicitudini suæ erga eos satisfaceret, salutisq; ipsorum rationem haberet. Et tamen agnoscit epistolã suam in causa illis fuisse, ut contristarentur, cuius se iam haudquaque pœnitere dicit.

Illud, tametsi pœnituerat, Chrysostomus legendum esse putat, etiamsi pœnituisset. Sic enim exponit, οὐκ ὅτι πρότερον μὲν μετεμελόμην, νῦν δὲ οὐ μεταμέλομαι, ἀλλὰ πῶς; οὐ μεταμέλομαι νῦν, εἰ καὶ μετεμελόμην. Absurdum uidetur, si dicat Apostolus, antea pœnituisse se, quod eos contristasset, quasi non spiritussancti sed humano illos consilio per epistolam contristarit. Ideoque legẽdum hic iudicãt: non pœnitet me, etiãsi pœnituisset hactenus. Verum meo iudicio, quemadmodũ pro dilectionis ingenio non ad hoc scripserat, ut eos contristaret, cum tamen hoc esset consilium spiritussancti ac futurum esset, ut ea tristicia prodesset illis plurimum, ita pro eodem dilectionis ingenio, postq̃ scripsisset, pœnitebat ipsum quod eos contristasset, id qđ suprà cap. 2. non dissimulat, cum dicit: Sed decreui apud memetipsum non iterum cum dolore ad uos uenire (loquitur autẽ de priore epistola, qua cum dolore ad eos uenerat) Nam si ego mœrore uos afficiam, quis est qui exhilerat me, &c. Eam pœnitentiam mutabat postea in gaudiũ, cũ ex Tito de fructibus tristiciæ huius cognouisset. Nihil hic absurdi admissum uideo, ubi omnia singularẽ Apostolici pectoris dilectionem spirant. Quare haud grauatim, ut uersum est, lego, tametsi pœnituerat. Quod si quis putat inconstantię dandum esse, si quem facti sui pœniteat, reddat rationẽ quare Deum pœnituerit, quod hominẽ cõdiderat. Gen. 6. in quẽ tamẽ pœnitẽtia non cadit, & quare Hieremias non dubitauerit dicere: Bonas facite uias uestras, &c. & pœnitebit dominũ mali, quod loquutus est aduersum uos. Mihi, quę hic de seipso scribit Apostolus, usq; adeo non esse leui danda inconstantiæ uidẽtur, ut optarim tales hodie esse in ecclesia pastores, qui eodem dilectionis affectu præditi nunc pœnitentiæ dolore, nunc rei bene gestæ gaudio afficerentur.

VIDEO nanq;, quod epistola illa, inquit, tametsi ad tẽpus, contristauit uos.] Dixit: Nam etiamsi contristaui uos per epistolam, non me pœnitet, tametsi pœnituerat. Iam si consequẽter legamus: Video nanq; quod epistola illa grauauit uos, etiamsi ad tempus, apparet referendum esse ad fletum, de quo nũciauerat Titus. Q. d. Quod enim contristauerit uos epistola illa, q̃uis ad tempus, ex eo uideo quod mihi Titus nunciauit. Et hæc lectio cum Græco cõtextu conuenit. Vulgata tamen habet, uidés quod epistola illa, etsi ad horam, uos contristauit. Hæc lectio mihi cõuenire uidetur cum eo quod dixit, tametsi pœnituerat, ut ratio subijciatur, quare ipsum pœnituerit, uidés, inquit, id est, cum uiderem, quod epistola illa contristauerit uos, licet factum sit hoc ad horã, id est, ad modicũ tẽpus. Hanc lectionẽ nõ ausim reijcere. Pulchre nãq; ei qđ ꝑmissum est cohęret.

Non est autẽ ociosum quod dicit: εἰ καὶ πρὸς ὥραν, id est, licet ad horam, intellige, tantũ. Sic enim extenuat tristiciam Corinthiorum, non in se, sed respectu sequutæ illã utilitatis. Nos admonemur conducere hoc saluti delinquentium, ut ad tempus, utut modicum, contristentur, quo contristati resipiscant. Modicum tristiciæ, si prudenter disponatur, plurimum nõnunquam adfert utilitatis.

NVNC gaudeo, inquit, non quod contristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitẽtiam.] Quasi dicat. Pœnitebat me, quod q̃uis modico tempore contristassem uos per epistolam. Nunc uero, ubi ex Tito cognoui, quãtum

emolumēti ex ea uobis sit tristicia natū, gaudeo, tā abest ut eius me pœniteat amplius. Et quoniā audire poterat, ergo de tristicia nostra sumis tibi materiā gaudij? exponens subijcit, nō quod cōtristati fueritis, sed quod cōtristati sitis ad pœnitentiā. Quasi dicat. Exhilarat me nō tristicia uestra, quasi illa delectar, cū illa me magis turbarit, sed pœnitētia quā tristicia ista peperit. Aliud est tristari simpliciter, & aliud tristari ad bonū aliquē finē. Nemo delectatur tristicia eius quē diligit, delectamur uero oēs salute eorū quos diligimus, adeoq; & mediū placet quoad illā perueniūt, etiamsi sit in se triste & austerum. Inhumani sunt admodū, quibus uolupe est, si quem tristem & anxium reddere poterūt, etiamsi uiderint illū nullo ipsius bono, imo cum magno malo contristari.

SED quod contristati sitis, inquit, ad pœnitentiā.] Græce est, εἰς μετάνοιαν. i. ad resipiscentiam, cuius uocis sensum latina uox pœnitentia nō exprimit, quamuis Erasmus illi eundē sensum affingere molitur, dū pœnitere idē esse putat, quod pone tenere. i. post factū intelligere. Valla rectius, duo, inquit, uocabula græca μετάνοια & μεταμέλεια differūt à nostro. Nā pœnitētia dicta est à pœnitet, quod est, tædet uel piget. Græca uocabula dicta sunt à sensu retractādo, & cura in melius mutāda, elegātior dictio, ut ait Lactantius, q̃ nostra. Itaq; in nostro uerbo significatio est, tristicia cōmissi, in Græcis, mētis emēdatio. Hęc ille. Quare si legas hoc loco, sed quod cōtristati sitis ad pœnitentiā, perinde sonat ac si dicas, sed quod cōtristati sitis ad tristiciā, siquidē pœnitentia dolor est & tristicia de eo quod est admissum. Malo itaq; legere, ad resipiscentiā, secundū uim Græcę uocis, q̃, ad pœnitentiā. Qualē aūt resipiscētiā tristicia hęc pepererit, Corinthijs paulo post memorabit. Supra alicubi monuimus, nō esse apostolos similes pharisæis, qui tristiciā in ijs qui deliquerūt magis spectāt q̃ uerā resipiscentiā. Apostolus hic diserte significat non delectari se tristicia Corinthiorū, delectari uero resipiscentia.

NAM cōtristati estis secūdū Deū, inquit, sic ut nulla in re detrimēto sitis affecti per nos.] Sensus est. Gaudeo quod ad resipiscentiā contristati fuistis. Id nāq; declarat, cōtristatos fuisse uos ex eo, quod Deū uos offendisse intellexistis. Sic rationalem γὰρ, ad pręcedens refero, quo dixit eos cōtristatos fuisse ad resipiscētiā. Cōtristati, inquit, estis ad resipiscentiā, quod ex eo est, quod secundū Deū contristati estis. Existimo aūt cōtristari secundū Deū, nihil hic esse aliud q̃ cōtristari ob id quod Deū offenderis. Alijs idē esse uidet̃, quod ex Deo cōtristari.

Illud, sic ut nulla in re detrimēto sitis affecti per nos, exponūt ad hūc modū. Sic secundum Deū ad resipiscentiā cōtristati estis per nostrā epistolā, ut ex ea nihil acceperitis detrimenti, sed magis adiuti sitis plurimū. Cōmētarij qui Hieronymo dātur, hūc sensum adferūt: Cōtristati estis secundū Deū ut in nullo detrimentū patiamini ex nobis, hoc est, ne uenićtes aliquē ex uobis damnaremus, intellige si nō essetis secundū Deū ad resipiscentiā cōtristati. Vetus interpres, meo iudicio, cautius uertit, ut in nullo detrimentū patiamini ex nobis, q̃ Eras. q qđ in Gręco est, ἐν μηδενί, reddidit, nulla in re, cū apostol⁹ nō de reb⁹, sed de hominib. ad ecclesiā Corinthiorū pertinentibus loquat̃, dicatq; eos sic cōtristatos esse secūdū Deū ad resipiscētiā, ut in nemine ex fratribus, ne in eo quidē, q tā enormiter peccauerat, ut excōmunicationem meruerit, detrimentū ex ipso accipiat. Etenim pro detrimēto reputat ecclesiæ, si quisquam è numero fidelium uelut membrum à corpore propter impœnitentiā authoritate apostolica abscindat̃. Erat hoc euētutū Corinthijs nisi ad resipiscentiā cōtristati fuissent. Huiusmodi detrimēti sensus hodie prope nullus est in ecclesia, etiamsi multa Christianorū millia palā ac prorsus quotidie perire cernamus. Romani Pōtifices sæpenumero integra regna ab Ecclesiæ cōmunione, quantū in ipsis fuit, nullas iustas ob causas, absq; hoc ecclesiastici detrimēti sensu absciderunt.

NAM quæ secundū Deū est tristicia, ea resipiscentiam ad salutē haud pœnitendā operat̃, mundi uero tristicia mortē operatur.] Ad resipiscentiā eos cōtristatos esse dixit, ex eo, quod cōtristati sint secundū Deū. Huius iā rationē subijcit dicens: Nā quæ secundū Deū est tristicia, resipiscentiā ad salutē operatur, mundi uero tristicia mortē operatur. Hæc est ueluti maior, minor uero, cōtristati estis secundū Deū. Argumentatur enim ad hūc modū. Quę secundū Deū est tristicia, resipiscentiā parit. Vos aūt contristati estis secundū Deū. Ergo cōtristati estis ad resipiscentiā. Est aūt maior hæc bimēbris, cōstans antithesi duplicis tristicię, eius uidelicet quæ sit secundum Deum, & eius quæ sit secundū mundū, & exprimēs diuersam utriusq; operationē. Tristiciam secundum Deū hoc loco esse diximus, qua qui peccauit ob id contristatur, quod Deum offendit, perinde ac si filius contristetur, quod offenderit patrem. Huic tristiciæ tribuit, quod resipiscentiam gignat. Etenim cui dolet, quod Deum offendit, utiq; peccatū suum agnoscit ac damnat, atque ita mutata sententia resipiscit. Sic tristicia quæ secundum Deum est, resipiscentiam gignit. Vbi autem uera resipiscentia est, ibi est & salus. Reddit enim illa gratię Dei capaces, iuxta illud: Si conuersus fuerit peccator &c. uita uiuet & non morietur. Et conuertimini ad me & salui eritis. Et: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ad Deum autem resipiscendo conuertimur. Hoc intelligens dicit: ea resipiscentiam ad salutem operatur. Et addit, haud pœnitendam. Græce est, ἀμεταμέλητον quę uox nescio an Latine posit unica uoce proprie reddi. Sumpta est à μεταμέλεια, quod curæ, sicuti μετάνοια sensus mutationē significat. Hinc sunt ἀμεταμέλητος & ἀμετανόητος, quarum prior uox id sonat, quod curæ, posterior uero quod sensus mutationem nō recipit. Rom. 2.

Cor

Cor obstinatum & occęcatum, ab omni resipiscentia alienum, uocat ἀμετανόητον καρδίαν. Capite undecimo charismata Dei uocat ἀμεταμέλητα. Interpretes utrobique impœnitentiæ significationé reponunt. Nam καρδίαν ἀμετανόητον, uertunt cor pœnitere nescium, & cor impœnités, & χαρίσματα ἀμεταμέλητα dona sine pœnitentia. Et, dona quorum illum pœnitere non possit, cum uox impœnitentiæ uim uocum istarum non exprimat, sitque inter illas luculentum discrimen. Si ordinem ueræ conuersionis inspicias, primum locum habet tristicia, secundum Deum, quæ ex auditu uerbi Dei, operante spiritu sancto acquiritur. Hanc consequitur μετάνοια, id est, immutatio mentis, quam resipiscentiam uocamus. Ex illa nascitur μεταμέλεια, id est curæ quoque mutatio, omnia totius uitæ studia complectens. Donec mentis fascinatio durat, fieri non potest, ut curæ ac studia in melius mutentur. Vbi uero locum reperit μετάνοια, ibi mutatum sensum sequitur mutatio curæ. Hęc breuiter de duabus istis uocibus.

Quod præsentem Apostoli locum attinet, non displicet, quod uetus interpres ἀμεταμέλητον reddidit stabilē. Nec Valla reprobat. Illud autem ambiguum est, an eam uocem ad resipiscentiam uel ad salutem referre debeamus. Valla ad salutem pertinere negat. Meo iudicio nihil est periculi, siue ad resipiscentiam siue ad salutem referas. Nam ad utranque referri potest. Etenim resipiscentia, quam tristicia secundum Deum parit, ut uera est & syncera, ita est & ἀμεταμέλητος. Qui secundum Deum tristatur & resipiscit, huius resipiscentia studiorū in melius emendationem non mutat, sed retinet. Et salus quam uera resipiscentia conciliat, sic est comparata, ut curæ Dei, qua resipiscentes saluare constituit, mutationem non recipiat. Si quis tamen accuratius rem ipsam perpendat, inueniet forsan μετάνοιαν, rectius dici μεταμέλητον, quàm ἀμεταμέλητον, eò quod mentis mutatio curarum quoq; mutationem gignit, atque ita epitheton hoc referendum esse ad salutem, ut quemadmodum dona Dei ἀμεταμέλητα, Rom. 11. ita hic & salus Dei ἀμεταμέλητος uocetur. Sed obseruationum gratia repetamus ipsa uerba.

NAM quæ secundum Deum est tristicia, inquit.] Dubium nō est, quin tandem à Deo exhilaretur, quisqtis secundum Deum contristatur. Sunt autē eiusmodi tristiciæ, quatuor species, quæ in præsenti occurrunt. Prima est, cuius meminit hoc loco Apostolus. Et huic soli competit, quod eam resipiscentię dicit esse effectricem. Secūda est, qua pius homo propter nominis Dei ignominiam contristatur. Hoc genere tristiciæ contristantur quotidie, qui uiuunt uel inter alienos à fide Dei, uel inter falsos Christianos, eidololatras, & uerbi Dei hostes. Sic uiuebant illi, qui pij cum essent, & uiuerent in medio populi Dei in ipsa Hierusalē, super abominationibus quę fiebant, gemebāt & dolebant, de quibus legere licet Ezech. 9.

A Illi utique tristabantur secūdum Deum, quēadmodum & ij, quibus idem accidit in Babylone, in Assyria, & alijs gentium locis. Tertia est, qua contristantur omnes illi, qui iniurias, conuicia, & persequutiones propter nomen Dei patiuntur. Ad hanc pertinet locus 1. Pet. 2. ubi sic dicit: Nam hæc est gratia, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias, præter meritum affectus malis. Quarta est, nata ex desiderio apparendi in conspectu Dei, quando spiritus hominis fidelis & amantis Dei ꝓpter peregrinationis suæ prolongationē contristaт̄. Figura huius erat, quod Dauidi in exilio constituto accidit, cuius mentio fit in Psal. 42. ubi dicit: Quemadmodum desyderat ceruus ad fontes aquarum, ita desyderat anima mea ad te Deus. Quàm autem desyderiū hoc cum tristicia fuerit coniunctum, satis aperit, cum dicit: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Item: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Hunc affectum ipse quoque Apostolus expertus est, sicut in eo patet, quod dicit: cupio dissolui & esse cum Christo. Hæ sunt tristiciæ species, quæ secundum Deum est. Plures recenseri possunt, sed existimo hasce in præsenti sufficere. Et utinā locum in nobis habeant.

EA resipiscentiam, inquit, ad salutem haud pœnitendam parit.] Tria obserua. Primum, quod tristicia quæ secundum Deum est, parit resipiscentiam. Ea autem nō est omnium. Et-B enim nisi diligas ac magnifacias Deum in corde, non cōtristaberis quod peccando eum offendisti. Quare hoc genus tristiciæ eorū tantum est, qui sunt ex Deo. Reproborum esse nō potest. Ergo nec uera resipiscentia est omniū. Secundum, quod uera resipiscentia facit ad salutem. Non loquor de quauis pœnitentia (nā & Iudam proditionis suæ pœnitebat, sed frustra) sed de uera resipiscentia, quæ est ex tristicia secundum Deum. Sed hac de re iam diximus. Tertium, quod salus resipiscentibus per gratiā Dei concessa, non est μεταμέλητος, sed stabilis & firma. Nō enim mutat̄ Deus ut homo.

MVNDI uero tristicia, inquit, mortē operatur.] Est hoc alterum genus tristiciæ, priori oppositum. tanquam & natura & effectu diuersum. Vocat illud tristiciam mundi. Nō intelligit autem de mundo, quatenus ille humanum genus cōplectitur, in quo ut multa sunt tristia, ita multum quoque est tristitiæ, cui nō competit, quod hic tristiciam mundi mortem operari dicit. Intelligit igitur de mundo, quatenus sub ea uoce corruptio huius sæculi, adeoque & homines mundani, à sensu Dei alieni intelliguntur. Huius tristiciam gemino sensu uocare possumus. Primo, ut sit mundi tristicia, qua mundus ipse, uel, quomodo mundus contristatur. Tristatur autem mundus, quando illi quæ cupiditatibus eius sunt contraria, eueniunt, quemadmodum gaudet si illæ ex animi sententia succedant. Altero, ut sit tristitia mundi, qua carnaliores homines propter mun-

mundum ob religionis causam offensum & inimicum contristantur. Vtrunque tristiciæ genus, quemadmodum & ex opposito gaudium mundi, morte operatur. Pius homo tristatur secundum Deum, dum dolet illi quod Deum peccando offendit. Filius huius sæculi tristatur, quando studium peccandi nō ex uoto succedit. Et carnalis Christianus tristatur, sentiens se sustinere inimicitiam mundi. Huius generis tristicia salutem impedit, ac morti reddit obnoxium. Etenim quando resipiscet, qui de peccato non tristatur, nisi quando impeditur, quo minus pro libidine sua peccet? Quando tristabitur ille secundum Deum, ut resipiscat, qui de offensa Dei non tristatur, tristatur uero de offensa & inimicitia mūdi? Credibile est autē inter Corinthios eiusmodi fuisse Christianos, qui mundū in cordibus suis nondum reliquerint, & ab illius amicitia ægre auelli sustinuerint, quales utique erant qui cū infidelibus in eidolio conuiuabantur, quorū gratia seriam illam dehortationem capite pręcedēti de fugiendo infideliū consortio posuit.

ECCE enim, inquit, istuc ipsum, quod secūdum Deum contristati fuistis, quantam in uobis genuit solicitudinem.] In Græco est σπουδὴν, id est, studium. Declarat quod tristiciam secundum Deum, resipiscentiam ad salutem gignere dixit. Declarat autem recensione fructuum, quos sic contristati ac resipiscētes protulerunt Corinthij. Hos recenset numero septem, solicitudinem uidelicet, satisfactionē, indignationem, timorem, desyderium, zelū, & uindictam. Ecce enim, inquit, istuc ipsum quod secundum Deum contristati fuistis. Nequit satis inculcare, quanti debeant facere tristiciam, quam ex priore ipsius epistola conceperant. Non simpliciter dicit: Quod secundū Deum contristati fuistis, magnam in uobis genuit solicitudinem, sed cum nota admirationis: Ecce enim, inquit, istuc ipsum quod secundum Deum contristati fuistis, quantam in uobis genuit solicitudinem, &c. Quasi dicat: Ecce tristicia illa uestra, quæ uidebatur molesta & acerba, non uobis modò, sed & mihijpsi, q̃ fuerit uobis utilis, & quàm egregios protulerit in uobis ueræ resipiscentiæ fructus.

QVANTAM in uobis, inquit, genuit solicitudinem?] Σπουδὴ Græcis est, studium & solicitudo, qua in res serias diligēter & indesinenter incumbimus. Fuerant Corinthij antea remissi ac socordes, præsertim in causa scortatoris. Verum ubi correpti fuerunt ab Apostolo, socordiam ac negligentiam suam in magnam solicitudinem commutarunt.

IMO satisfactionem, inquit.] Græcè est ἀλλὰ ἀπολογίαν. Vulgata habet, defensionem. Malim purgationem. Et ea uox pulchre conuenit sequentibus, ubi dicit: Siquidem ubique commendastis uosipsos quod puri sitis in eo negocio. A uoce satisfactionis periculum est imperitis & incautis, ne Apostolum de Papistica satisfactione loqui existiment, cum illi uox apo- A logia quæ hic habetur, minime omnium conueniat. Nec defensio satis quadrat causæ de qua agitur. Defendere se dicitur, qui per iniuriam inique impetitur ac læditur. Quomodo id Corinthijs hoc loco detur ab Apostolo, nō uideo. Arbitramur itaq; uertendum esse, imò purgationem. Quomodo autem purgauerint se Corinthij, in sequentibus exponet.

IMO indignationem.] Qua uidelicet succensebant sibijpsis, & indigne ferebant, quod in tam enormi scelere tam egissent negligenter, simulque indignabantur scortatori, quod Christiani nominis professionem tanto dedecore infamem reddidisset. Hoc genus indignationis sanctum est & uehementer utile ad corrigenda tam nostra quàm aliorū peccata. Etenim qui non succenset peccatis, quando ad illorum emendationem mouebitur? Non laudat Apostolus Pharisæorum seueritatem, qua illi peccatis se indignari simulāt magis quàm indignantur, dum propriæ iusticiæ opinione inflati peccatores dedignantur, sed loquitur de sancta illa indignatione, quam tristicia secundum Deum in illis, qui ueraciter resipiscunt, operatur.

IMO timorem.] Nō intelligit alium quàm Dei. Et reuera non erat præter rationem quod per admonitionem & correptionem Apostoli in seipsos reuersi cognita admissorum grauitate sensu timoris Dei percellebantur. Et præterea conueniens erat, ut securitatem ac socordiam sensus timoris Dei expelleret.

B IMO desiderium.] De hoc paulò suprà dictum est, ibi, cum annunciaret nobis uestrum desyderium. Tam aberat ut accepta per epistolam correptricem tristicia, desyderiū Apostoli in fidelibus extingueret, ut magis accenderet etiam. Erat enim tristicia secundum Deū.

IMO zelum.] Et de hoc dictum est suprà, quatenus pro Apostolo suo contra obtrectatores illius singularem zelum ostendebant. In præsenti uero uidetur de zelo loqui, quo pro ecclesia repurganda incaluerant.

IMO uindictam.] Zelo subijcit uindictā, qua scortatorem excommunicauerant. Nam fecerant hoc ex zelo Dei, quo erant accensi. Aliud est uindictam sumere de reprobis, quoniam sic imperat potestas superior, & aliud facere hoc ex zelo Dei ac iusticiæ. Scripserat illis Apostolus de excōmunicando scortatore ac ueteri fermento expurgando. Si hoc fecissent nō nisi Apostoli iussu, ex zelo utique nō fecissent, nec fuisset id operis fructus resipiscētiæ.

SIQVIDEM ubique commendastis uosipsos, inquit, quod puri sitis in eo negocio.] Postquam fructus tristiciæ Corinthiorum & certa indicia ueræ resipiscētiæ, recensuit quid ipse ex illis colligat ac pronunciet hisce uerbis exponit, cum dicit: Siquidem ubiq; commendastis uosipsos quod puri sitis in eo negocio. Rationalis siquidem non est in Gręco, sed simpliciter ad hunc modum: ἐν παντὶ συνεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι, id est: Per omnia commenda-

mendastis uosipsos,quod puri sitis in eo negocio.Per omnia,intelligit de indicijs ueræ resipiscentiæ,quæ iam recensuit. Quasi dicat.Nihil desydero in uobis amplius. Sic uos exhibuistis in hac causa solicitos, sic uos purgastis, sic indignati estis,sic timore perculsi fuistis, sic præsentiam meā desyderatis, sic zelo Dei accensi fuistis,sic ulti estis admissum facinus, ut mihi satisfeceritis per omnia,declarraueritisq; ab omni uos culpa alienos esse in eo negocio, quo de uobis scripsi,sic ut cōsensu admissi flagitij haudquaquam fueritis polluti.

Hic audire poterat: Quur ergo totam ecclesiam propter unius hominis facinus tantopere contristare uoluisti? Respondet.

PROINDE tametsi scripsi uobis, non id feci eius causa qui læserat,nec eius qui læsus fuerat,sed ob id ut palàm fieret studium uestrum pro nobis apud uos in conspectu Dei.] Quasi dicat.Scripsi quidem uobis communiter omnibus, uerum potissima causa cur scriberem, non erat ut unius aut alterius rationem haberem,illorumq; nomine uos contristarem omnes,sed ut certo experimento notum fieret apud uos,quomodo essetis erga nos affecti, idque in conspectu Dei. Hoc uidelicet cum primis agebam,cum scriberem, & iam quod quærebam, luculentissimis est argumentis à uobis patefactum & comprobatum.Sic,meo iudicio,obiectioni occurrit,& consilium suū exponit,quo ad eos scribere uoluerit.

Sunt tamen quibus lectio Chrysostomi,cui & Ambrosius concordat,non displicet.Illa sic habet: sed ob id, ut palàm fieret studiū nostrū pro uobis apud uos. Ea lectio conuenit cū eo quod suprà cap.2.paulò pòst initium dixit ad hunc modum.Nam ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi uobis, per multas lachrymas,nō ut mœrore afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem quam habeo abundantius erga uos. Idem enim est cum eo quod hic secundum Chrysostomi lectionem dicit: sed ob id, ut palàm fieret studium nostrū pro uobis. Et facilis sanè lapsus est, in duobus hisce pronominibus ὑμῶν,id est, uestrum,& ἡμῶν, id est, nostrum:item, ὑπὲρ ὑμῶν,id est,pro uobis, & ὑπὲρ ἡμῶν,id est,pro nobis. Verum quæ iam in usu est lectio, sic ad causam quam agit Apostolus hoc loco accommoda est, ut non uideam quur mutari debeat.

PROINDE inquit, etsi scripsi uobis.] Hoc est, etsi communes ad uos omnes literas scripsi.Emphasis est in pronomine,uobis. Uidebatur enim propter unius priuati peccatum non debuisse scribi communiter omnibus.

NON id feci eius causa qui læserat, inquit, nec eius qui læsus fuerat.] Dices hic. Ergo unius & alterius salutem tanti non faciebat, ut propter ipsos scriberet ad ecclesiam? Atqui bonus pastor nonagintanouem iustis relictis, unicam ouiculam errantem,ne pereat,diligēter quærit. Num melior est discipulus magistro,& seruus suo domino?

A Respondeo. Salutem peccatoris non neglexit Apostolus, cuius rationē in Epistola priore habuisse negari non potest. Verum non fuerat ipsi primaria causa scribendi unius & alterius,sed potius totius ecclesiæ respectus.Non hoc egerat scribendo,ut propter unius peccatum totam contristaret ecclesiam, sed ut manifestum fieret in ea causa, quomodo essent erga se affecti Corinthij. Si legas igitur, non id feci eius causa tantum,qui læserat,nec eius qui læsus fuerat, non erit locus quæstioni. Quod si non placet uoculam,tantum,adijcere uel subintelligere,reliquum erit ut intelligamus non de eo simpliciter loqui Apostolum, quod scripserat communiter omnibus, sed quod scribendo sic cōtristauerat omnes,ac si constituerit unius hominis facinus imputare omnib⁹. Hic negat se propter unum & alterum ad eum modum scripsisse omnibus, ut omnes contristaret,sed consilium sibi eius instituti fuisse,ut comprobaretur,quo essent erga se studio.

NON id feci, inquit, eius causa qui læserat, nec eius qui læsus fuerat.] Licet nonnulli referant hæc ad ea quæ 1.Cor.6.sic leguntur.Itaque iam quidem omnino delictum in uobis est,quod lites habetis inter uos inuicem. Cur non potius iniuriam patimini? Cur nō potius damnum accipitis? Imò uos iniuriam facitis, & damno afficitis, idque fratres: quasi dicat, se Apostolus non horum gratia scripsisse, qui uel affecerint alios uel ipsi ab alijs affecti sint

B iniuria,unde lites sint inter ipsos natæ,mihi tamen illi rectius sentire uidentur, qui referunt ad scortatorem,& eum qui facinore illius læsus fuerat,siue is fuerit ipsius pater, siue alius quisquā,cui mulier post obitū patris nupserit.

SED ob id,inquit,ut palam fieret studiū uestrum pro nobis apud uos in conspectu Dei.] Ergo ne ob id scripsit ut uideret quam se obseruarent,quamque dicto suo essent obedientes? At id erat q̄rere seipsum, nō illorū salutē.

Respondeo. Absit.Quomodo seipsum quæsiisset,qui per tot discrimina cunctis prodesse studebat? Sciebat eos tentari per pseudapostolos,sciebat inter illos esse studia sectarum, sciebat sectarios puritatem traditæ à se doctrinæ labefactare,sciebat nomen suum per illos obscurari,ita ut parum adhuc inter illos existimationis habere uideretur. Cum ergo hæc ad destructionem puræ fidei in Christum,adeoq; ad ipsorum quoque perditionem facere possent, ut luculento experimento manifestum fieret, quales essent adhuc in uera doctrina fide ac pietate,sani ne uel corrupti,cogitabat illis obijcere occasionem per epistolam correptricē, unde inter ipsos palam fieret quomodo essent erga se ipsorū Apostolum affecti. Hoc suū cōsilium quod scribendo sequutus fuerat, exponit dicens:Etsi scripsi,nō eius causa scripsi qui læserat,nec eius qui læsus fuerat,sed ob id ut palam fieret studium uestrum pro nobis apud uos,id est in uestra ecclesia, in conspectu Dei. Non erat res ista leuis momenti. Non agebat curio-

curiose, ut ipse intelligerent, quid adhuc auto ritatis haberet apud Corinthios, sed eo magis spectabat, ut si declararent illi esse se adhuc in fide & obedientia synceros, & honorifice erga suum apostolū affectos, pseudapostolorum ex eo & sectariorum improba studia infirmarentur, ac languida redderentur, perinde ac si maritus domo absens & castitati uxoris suæ ab impuris hominibus metuens, luculento aliquo exemplo in ciuitate sua manifestum ab illa fieri cupiat, quam sit erga se constans in fide & amore coniugali, quo postea minus sit spei reliquum nebulonibns pudicitiam illius sollicitandi. Talem mihi apparet fuisse apostolo Corinthiorū curā ac tale consiliū in hac causa.

Illud, in conspectu Dei, non est ociose adiectum. Non hoc quærebat, ut coram Deo manifestum fieret, quales essent Corinthij, cum illa nota sint omnia omnium, sed ut absq; ulla hypocrisi, ueraciter, ac religiose cum conscientia Dei manifestum facerent, quales adhuc essent in accepta fide, religione ac pietate.

Idcirco cōsolationem accepimus ex consolatione uestra magis uero abundantius gauisi sumus ob gaudium Titi, propterea quod spiritus eius refocillatus est ab omnibus uobis, quod si quid apud illum de uobis gloriatus sum, non sum pudefactus, sed ut omnia cum ueritate loquuti sumus uobis, ita & gloriatio nostra, qua usus eram apud Titum ueritas facta est. Et uiscera illius maiorem in modum erga uos affecta sunt, dum recolit omnium uestrum obediētiam, quemadmodum cum timore ac tremore excepitis ipsum. Gaudeo quod in omnibus confido uobis.

Redit ad ea quæ supra dicere cœperat, ubi dixit: uerum qui consolatur humiles consolatus est nos Deus per aduentum Titi, non solū autem per aduentum illius, uerum etiam per consolationem quam ille accepit de uobis, cū annunciaret nobis uestrum desiderium, uestrū fletum, uestrum pro me studium, adeo ut magis gauisus fuerim. Hanc consolationem de illis per Titum acceptam hactenus explicuit & amplificauit: Iam repetens illam transit ad eā, qua Titus ipse apud eos recreatus fuit, memoratque quanto per hanc sit affectus gaudio. Idcirco inquir, consolationem accepimus ex cōsolatione uestra. Hoc est. Cum igitur ad eum modum per omnia cōprobaueritis quod puri sitis in hoc negocio, refocillati quidem sumus ex hac uestra consolatione, quam attulit nobis Titus, uerum id nobis maioris adhuc gaudij materiam peperit quod Titus tantopere apud uos exhilaratus est, & spiritus eius per uos omnes refocillatus.

IDCIRCO, inquit, consolationem accepimus ex consolatione uestra.] Obserua quę sit consolatio ac recreatio ueri Christi ministri, qua labores suos soletur in ministerio. Si uidelicet populum habeat in causa pietatis sollicitum peccatis indignantem, Dei timentem, erga se studiosum ac morigerum. Eiusmodi consolatio à populo fidelium profecta, solata est olim apostoli labores & afflictiones dubio pcul solatur & hodie fidelem Christi ministrū nihil in ministerio suo quærētem aliud, quàm ut multum fructus adferat suo Domino. Secus animati sunt, qui uel uentris uel loculorū farciendorum curam agunt.

MAGIS uero abundantius gauisi sumus ob gaudium Titi.] Hoc dicens, non præfert illis Titum, quasi pluris fecerit illius gaudiū quàm ipsorum resipiscentiam, sollicitudinem, purgationem, indignationem, timorem, desiderium & zelum, adeoq; & salutem quod admodum fuisset inconueniens ipsius Apostolatui, cuius omnes labores & afflictiones ad hunc finem tendebant, ut pararet Domino populū fidelem ac promissæ salutis capacem. Imo si recte inspiciantur quæ hic memorat abundantia consolationis, quam se ob gaudiū Titi cōsequutum dicit, dilectionem ipsius ac curam non tam erga Titum quam erga ipsos Corinthios cōmendāt, quemadmodū mox patebit.

QVOD refocillatus sit spiritus eius ab omnibus uobis, inquit.] Quid sit spiritum laborantis & in multis molestijs ac periculis uersantis refocillari, notius est quam ut sit admonendum. Titus absq; dubio non modo cum labore ac periculo, sed & cum cura ac sollicitudine non modica Corinthum ab apostolo missus uenit, cū sciret eam ecclesiā studio pseudapostolorum scissam esse in studia sectarū, metueretq; sibi ab insidijs falsorum fratrum non minus quam exterorum & infidelium, uerum cum uenisset Corinthum ab eiusmodi cura ac sollicitudine pio erga se fidelium studio refocillatus est ipsius spiritus, uerum id infra apertius exprimet.

Vide uero quam non simpliciter dicat: qd refocillatus sit spiritus eius, quasi in eo conquieuerit gaudij ipsius abundantia, sed addat, ab omnibus uobis, in qua particula uis est gaudij huius sita. Non dicit à Deo, cum tamen omnis consolatio piorum sit à Deo, sed refocillationem hanc deputat Corinthijs, non dicens à nonnullis ex uobis, neque simpliciter, à uobis, sed ab omnibus uobis. Non ob id tantopere gaudebat, quod spiritus Titi refocillatus fuerat, sed propterea, quod refocillatus fuerat ab omnibus Corinthijs fidelibus, quod uidelicet reperisset eos omnes erga se amanter ac reuerenter affectos & per omnia morigeros, inque eo studio concordes. Timuerat enim ne forsan inueniret eos studijs sectarum sic immersos ac diuisos, ut paucos esset habiturus qui se audirent & monitis suis obtemperarēt.

QVOD, si quid apud illum de uobis gloriatus sum, non sum pudefactus, inquit, sed ut omnia cum ueritate loquuti sumus uobis, ita & glo-

& gloriatio nostra, qua usus eram apud Titū, ueritas facta est.] Quasi dicat: Non ob id tantum gauisus sum maximopere, quod sic Titū acceperitis concorditer omnes, ac reuerenter tractaueritis, ut refocillatus sit à uobis omnibus spiritus eius, sed hanc quoque ob causam quod gloriationes meas de uobis, quibus omnes uos Tito cum illi proficiscendum esset ad uos commēdaui, non fuisse à uero alienas declarastis, ut hic quoq; uerax inueniar, perinde atq; in alijs, quæ ad uos sum loquutus. Hęc uestra laus est, qua uos & Deo & mihi & pijs omnibus acceptos redditis.

Chrysostomus sic exponit, ut ratio reddatur eius quod dixit spiritum Titi refocillatum fuisse ab ipsis omnibus, sitq; sensus. Refocillatus est spirit9 eius à uobis omnib9, in eo, quod pudefactus non sum ob ea quæ de uobis sum gloriatus, sed in omnibus uerax inuentus. Verum prior mihi expositio Germanior esse uidetur.

Quod itaq; dicit: quod nō sum pudefactus, non resipit affectū propriæ gloriæ studiosum, sed magis gloriæ ac salutis Corinthiorum cupidum. Etenim ex eo quod sic se gesserunt erga Titū, ut quæ de ipsis gloriatus fuerat ipsorum Apostolus reipsa ostēderint esse uera, non tam gloriati Apostolo, quàm ipsis laudem ac gloriam gignebat, quemadmodum & ecōtrario ipsis potius ignominiam peperisset, quàm Apostolo, si diuersum qd apud eos reperisset Titus, quā ab illo acceperat. Nihil enim habet, quod dedecori confine sit, si præceptor discipulorum suorum amans laudet eos, deq; illorum obediētia ac studijs glorietur. Quod si illi in peius mutati uituperio magis, quàm laude digni fuerint inuenti, ipsis hoc exprobrādum est non præceptori. Si uero gloriationi præceptoris responderint, deq; eo gauisus ille fuerit, gaudium eiusmodi magis de illorū quàm ipsius laude prouenire censendum est, sicut & dolor, si ipsorum culpa pudefactus fuerit, ex illorū potius, quàm ipsius illi confusione ac dedecore nascitur. In summa & dolor & gaudiū amantis ex amore nascuntur, & cōcernunt potius amatum, quàm amantem. Secundum humanā normam iudicandū est de tota hac causa, qua describit hic Apostolus.

SED ut omnia loquuti sumus uobis cū ueritate, inquit.] Apparet quidem intelligēdum hoc esse in genere de tota doctrina, quam illis cum ueritate utiq;, tanquam ipsissimam ueritatem Dei tradiderat, uerum si sic intellexerimus, mox quæri poterit, an quæcunq; de Corinthijs gloriatus fuerat, sic fuerint per omnia uera, sicuti uera est doctrina Christi, quam illis prædicauerat.

Quare Chrysostomo uisum est, intelligenda hæc esse, non de doctrina, sed de omnibus quę apud Corinthios de Tito fuerat gloriatus. Sic enim exponit, ἀνὸς γὰρ αὐτὸν καὶ περὶ Τίτου πολλὰ αὐτοῖς ἀπὼν ἐγκώμια. Dicit itaq; hoc sensu. Sed quēadmodum cum apud uos essemus, ac Titum

A uobis commendaremus, ueraciter de illo diximus omnia, sic ut talem experti sitis qualem uobis prædicauimus, ita uicissim & ea q̄ Tito de uobis gloriādo diximus, uera sunt inuēta.

Alij exponunt ad hunc modum: sed ut omnia loquuti sumus uobis cū ueritate, hoc est, ut nulla nos in re falso quid loquutos depræhendistis, sed ueraces in omnibus. Verū Chrysostomi expositio magis placet. Videtur nanque Apostolus de utroq; gaudere, cum quod Titus inuentus esset Corinthijs, qualem ipsis prædicauerat, tū quod Corinthij tales se præbuissent Tito, quales eos esse gloriatus apud illum fuerat.

Illud, ueritas facta est, Ebraismus est, pro, uerax inuenta est. Ebræi sic loquuntur, quia adiectiuis carent. Quin & nobis Germanis in usu est hæc loquutio, ut dicamus, *Es ist die Warheit*, pro, *Es ist war*. Interim obserua quod non dicit, ueritas fuit, sed, ueritas facta est. Quæ dicimus, prędicamus, gloriamur, ac promittimus, tum demū uera fiunt, quando reipsa uera esse declarātur. Promiserat Tito fore ut inueniret Corinthios per omnia morigeros. Ea de illis gloriatio ac promissio tum est facta ueritas, cum se tales Tito exhiberent.

ET uiscera illius, inquit, maiorem in modū erga uos affecta sunt.] Commēdat illis & hac in re Titum, quo magis eos in officio, & in eo quod erga illum ostenderant, studio retineat. Et uiscera illius, inquit. Per uiscera intelligit di B lectionis affectum, quem Græci σπλάγχνον uocāt, eò quod ille sedem suam in intimis cordis penetralib9 habeat. Sic sedes amoris p̄ ipso amoris affectu ponitur, ut ueritas illi9 exprimatur. Multa est in cōuictu humano dilectionis simulatio in uerbis & factis, ubi nihil ex penetralibus uiscerum promanat, ideoq; nec uiscerū appellationem meretur, quę soli ueræ dilectioni competit, in qua nullus est simulationi locus. Hanc ut commendet in Tito, non dicit: Et ille admodum gloriatur de uobis, ac multa pręclara de uobis loquitur, sed, Et uiscera illius maiorem in modum, erga uos affecta sunt.

MAIOREM in modum.] Græce est, περισσοτέρως, id est, abundantius. Non hoc tātum dicit, quod admodum sint uiscera Titi erga eos affecta, sed quod affecta sint abundantius, adhuc quàm antea. Significat illum & antea quidem abunde dilexisse eos, uerum iam abundantius affici erga eos illius uiscera. Diligit minister Christi fideles, quibus præest in uerbo, primū quidem propterea quod sunt Christi, deinde quod sunt curæ suæ ac fidei commissi, pręterquam quod sunt eiusdem fidei ac salutis cōsortes, uerum ea dilectio plurimum accipit incrementi, & abundantius afficit illius uiscera, si se in causa pietatis, p̄ omnia exhibeant obedientes ac ductiles, perinde atque pater filios suos primum quidē ob id diligit, quod sunt ipsius pignora, tum uero adhuc abūdātiori dilectione p̄sequitur, ubi uiderit eos in omnibus erga se reuerentes esse, obseruantesq; & morigeras.

Tale quid accidit Tito, & usuuenit omnibus uerbi ministris, syncere erga Christũ & ecclesiam eius affectis.

DVM recolit omnium uestrum obedientiã, inquit.] Sic laudat illorum obedientiã, ac tantopere extollit, ut uel recordatio illius uiscera Titi suauiter afficiant. Hac laude cupit eos retinere in cœpta obedientia constantes. Dum recolit, inquit. Vides ingenium animi cãdidi in Tito. Memoriã obsequiorum, quibus usus fuerat apud Corinthios, secum asportauit in pectore, illamque postea frequenter recolendo refricuit.

Simul obserua quæ sit efficacia recordationis, in eo qui diligit. Viscera, inquit, illius abũdantius erga uos affecta sunt, uel, quod magis probarem, afficiuntur, quandoquidem in Græco quoq;, non præteriti temporis, sed præsentis, uerbum ἐστὶν habetur. Quando afficiuntur? DVM, inquit, recolit omnium uestrum obedietiam.] Sic recordatio tantum potest in animo diligentis, ut uiscera afficiat Titus, cum recoleret obedientiam Corinthiorum, reuerentiamq; & obseruãtiam erga se, sic de illa ex intimis uisceribus, amanter loquebatur, ut ipsa illius uiscera affici sentiret Apostolus. Eãdem uim recordationis requirit à nobis dominus, cum tradita corporis sui communicatione dicit: Hoc facite in mei commemorationem. Et hãc omnino sentiremus in nobisipsis, si uel tãtum de Christo, quantum habebat de Corinthijs Titus, in pectore nostro resideret. Iam cũ hic admodum deficiamus, fit ut mortua sint in nobis omnia. Et interea magnis contentionibus de præsentia corporis domini in pane, quæ in cordibus nostris esse debebat, cœlum ac terram miscemus.

QVEMADMODVM, inquit, cum timore ac tremore exceperitis ipsum.] Solicitam & anxiam diligentiam in excipiendo Titum declaratã, uocat timorem ac tremorem. Non est autem præter ratioñe, quod nominatim meminit, quomodo illum Corinthij exceperint, & quod uiscera Titi recordatione eius tantopere affecta fuerunt. Etenim solicitus & anxius ad eos profectus fuerat, & forsan nihil minus sperauerat, quàm ut tam ab illis exciperetur reuerenter & amanter. Quare quam initio statim expertus fuerat illorum erga se in excipiendo reuerentiam, penitius imbiberat, ideoque recordatione illius, cũ primis afficiebatur. Possum exẽplum de eo adducere in mediũ quod mihi contigit, cum anno millesimo quingentesimo tricesimo primo, Augustã non sine molesta solicitudine, & cura, quãtumuis uocatus uenissem. Quanta me populus eius ecclesiæ, tanquam Euangelicæ doctrinæ sitiẽtissimus, cum alacritate & reuerentia exceperit, etiamnum sine uiscerum affectu, recordari non possum. Multis me officijs per annos decẽ & octo prosequutus est postea, uerum principia illius erga me studij, ut primum in corde meo locũ obtinuerunt, ita & penitius inhærent, & plus

A rememorata mouent. Oro dominum, ut eam ecclesiam in gratia sua illibatam conseruet.

GAVDEO, inquit, quod in omnibus cõfido uobis.] Non est in Græco, ὅτι ἐν πᾶσιν θαῤῥῶ ὑμῖν, id est, quod omnibus uobis confido, sed ὅτι ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν, id est, quod in omni, uel per omnia cõfido uobis. His uerbis significat se integram, ac plenam de illis cõcepisse fiduciam, ac bene de eis sperare in omnibus, ad uerã pietatem pertinentibus. Sensus est. Exhilarat me multum, quod tales uos præbueritis, cũ apud uos essem, in præsentia mea, & nunc quoque in absentia mea erga Titum, sic uos gesseritis diligentes, reuerentes, & obedientes, ut nulla post hac incidere posit tẽtatio, ac difficultas, in qua non possim uobis confidere. Et hac cõclusione terminat causam istam, qua de præsenti capite diligenter egit.

Non est autem hinc leuis materia gaudij omnibus illis, quibus commissa est moderãdorum aliorum cura, si sic se gerant obedienter subditi, ut nihil incidat occasionis, quantumuis insidiosæ ac lubricæ, in quo de illorũ possint integritate, & constantia dubitare. Quãta hinc sit curarum releuatio, experiuntur quotidie patresfamilias. Rursus quãtus cumulus accedat hinc ad necessarias curas, si tales sint subditi, ut parum illis posis confidere, notissimum est illis, qui molestiam hanc experiũtur. Bona erga subditos fiducia omnium est laborum, & curarum releuatio, magnique gaudij B materia. Quare præter rationem nõ est, quod Apostolus causam istam, hac clausula terminat, ut dicat: Gaudeo quod in omnibus confido uobis.

ARGVMENTVM CAP.

EXemplo ecclesiarum Macedoniæ exhortatur Corinthios ad eleemosynam, in usus sanctorum qui Hierosolymis erant, conferendam.

CAPVT VIII.



CERTIORES autem uos facio fratres, de gratia Dei quæ data in ecclesijs Macedoniæ, quoniã per multam probatioñe afflictionis exuberauit gaudium ipsorũ, & profunda illorum paupertas exundauit in diuitias simplicitatis ipsorum. Nam pro uiribus, testor, etiam supra uires prompti fuerunt, multa cum obtestatione rogantes nos, ut beneficium & societatem ministerij susciperemus in sanctos: ac nõ quatenus sperabamus, quin etiã semetipsos dediderunt, primum domino deinde & nobis per uoluntatem Dei, in hoc, ut adhortaremur Titum, ut quemadmo-

admodum ante cœpisset, ita & consummaret hãc quoq; erga uos beneficẽtiam. Imo quemadmodum ubiq; abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni diligentia, & in ea quæ ex uobis erga nos est charitate, facite, ut in hac quoq; beneficentia abundetis.

Existimo materiam hanc de eleemosyna, ac contributione in sanctos facienda, admodum esse prudenter, ueluti parenthesim quãdam in medio epistolæ insertã, ut quæ & ante & post de synceritate Apostolatus sui, contra pseudapostolos, tam multis inculcat hoc, uelut interstitio tolerabiliora redderentur legẽtibus, & à fastidio liberarentur. Et in priore epistola cap. ultimo, causam hanc attigit, uerum in præsenti tractat eã fusius, duobus uidelicet hisce capitibus, octauo & nono.

CERTIORES autem uos facio fratres, de gratia Dei, quæ data est, inquit, in ecclesijs Macedoniæ.] Excitat animos eorum, ut quæ dicturus est auidius audiãt, cum sic orditur: Certiores autẽ uos facio fratres, de gratia Dei quę data est in ecclesijs Macedoniæ. Etenim cũ sic scribimus amicis, quod certiores eos reddamus, uidemur aliquid dicturi, quod nesciant, & tamen scire ipsos referat. Idẽ facit hic Apostolus. Intendit autem excitationem hanc, per id quoque, quod non simpliciter dicit: Certiores uos facio de eo quod gerit in ecclesijs Macedoniæ, sed: Certiores uos facio de gratia Dei, quæ data est in ecclesijs Macedoniæ. Sic enim loquens significat dicturum se de re non uulgari, sed de tali quæ ex singulari gratia data sit ecclesijs Macedoniæ.

Gratia Dei & multifaria est, & multis etiã modis, præsertim in ecclesijs Dei, secundum mensuram dispensationis spiritus, dispensatur. Videmus hic ecclesijs Macedonię concessam fuisse gratiam, quæ sic nondum erat concessa fidelibus ecclesiæ Corinthiorum, ut necessariũ duceret Apostolus, de illa ad eos scribere, quod ad æmulationem prouocarentur. Et uigilantes, hoc est, ministri Christi, si quod singulare donum Dei alicui concessum sit ecclesię, de illo certiores eos facere, qui suæ sunt curæ commissi, quo congratulentur fratribus & gratias agant domino, consimilemq; ab illo gratiam suppliciter petant.

QVAE data est, inquit, in ecclesijs Macedoniæ.] Quid est quod nõ dicit: quæ data est ecclesijs, sed, in ecclesijs Macedoniæ? Gratia hęc, de qua in pręsenti loquitur Apostolus, dupliciter in ecclesijs data est. Primum à Deo fidelibus qui in ecclesijs erant. Deinde, per hos sanctis qui erant Hierosolymis, quorum necessitatibus subseruiebatur. Sic gratia Dei in alijs quoq; donis, dupliciter datur in ecclesijs. Primum, illis in quos donum effunditur, deinde per hos & reliquis, ad quos utilitas illius pertingit. Perinde atque in corpore nostro, quæ

A sunt dotes diuinitus cõcessæ, datę sunt primũ membris singularibus, alijs aliæ, ut oculis donum uidendi, auribus audiendi, &c. deinde & toti corpori, ad cuius illa usus seruiũt. Nec impedit hunc sensum, quod sancti Hierosolymitani, quibus hæc gratia deputabatur, non erãt in ecclesijs Macedoniæ. Corpore quidẽ in illis non erant, erant uero communicatione spiritus, qua unum fiunt omnes omnium ecclesiarum fideles.

Et illud obseruandum est, quod non in una & altera tantum ecclesia, gratiam hanc, sed in genere in ecclesijs Macedoniæ datam esse dicit. Singularis hoc quoq; gratię erat, quod cõmuniter omnibus eius prouincię ecclesijs cõcessa erat hæc gratia. Multum quidem in sæcularibus negocijs, ad conformitatem præstat locorum uicinitas, & eiusdem regionis incolatus: uerũ in donis Dei si qua reperitur conformitas in unius prouinciæ ecclesijs, tribuendũ hoc potius est, & cum primis singulari dispensationi Dei, cuius rationem, nec inquirere debemus, nec reddere possumus. Si quęras unde sit, quod in ecclesijs Germaniæ data est singularis hæc gratia renouatæ, ac restitutæ doctrinæ Christi, qua nondũ tanta libertate potiuntur, aliarum prouinciarum ecclesiæ, nõ possumus eam referre aliò, quàm ad singulare consilium Dei, quo dona sua, ut uult dispẽsat. Interea negandum non est, uti Deũ medijs qualitati doni sui conuenientibus, inter quę recte B numeratur, & uis uicini exempli, quemadmodum & sedulitas fidelium ministrorũ. Sed uideamus quæ nam sit gratia illa Dei, de qua certiores facit Corinthios.

QVONIAM per multam probationem afflictionis exuberauit gaudium illorũ, & profunda paupertas illorũ, exundauit in diuitias simplicitatis ipsorum, inquit.] In Græco est, ὅτι ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως, id est, quoniã in multa probatiõe afflictiõis. Et sic legere malo, q̃ quoniã per multa probationem afflictionis. Exprimit quę sit illa gratia Dei, quam in ecclesijs Macedonię datam dixit. Sensus autem eorũ est quę dicit, quod Macedones admodum afflicti, admodũ pauperes & simplices, abunde contribuerint in usus sanctorum. Per gaudium nõnulli intelligũt illorum largitionem. Mihi uidetur simpliciter intelligẽdum esse de gaudio spiritussancti, quo in medijs afflictionibus recreabantur, & hilares erant ad dandum, cuius meminit. 1. Thess. 1. dicẽs: Et uos imitatores nostri facti estis, & domini, recipientes sermonẽ cum afflictione multa, cum gaudio spiritussancti, ubi perinde atq; hic, multę Macedonũ afflictioni gaudiũ cõiungit. Legatur itaq; ad hunc modum, secundum Græci contextus seriem. Quoniã in multa probatione afflictionis abũdãtia gaudij ipsorum, & profunda paupertas ipsorũ, exũdauit in diuitias simplicitatis ipsorum. Hoc est, quoniã abundãs illorũ gaudium quo alacres sunt, quãuis in multis afflictionibus, quibus probantur, & iuxta ingens paupertas,

pertas, quam ex spoliatione bonorū suorum contraxerunt, sic exundarunt in cōtributione in usus sanctorum facta, ut opulēter cōtribuerint. Hanc itaq; Macedonum contributionem non proponit Corinthijs simpliciter, sed cum amplificatione ex circūstantijs desumpta. Vtpote quod dederint cum gaudio. i. hilares & alacres ad dandū, quod ob id memorat, ut Corinthij intelligant sibi quoq; dādum esse cum gaudio. Nam hilarem datorem diligit Deus. Deinde quod alacritatem hanc contribuendi ostenderint in multis afflictionibus cōstituti. Tertio, quod gaudiū hoc fuerit in illis nō modicum, sed copiosum & abundans. Quarto, ut quod dederint admodum pauperes. Quinto quod non dederint tenuiter, sed largiter & opulenter. Sic ornat, cohonestat, & commēdat eleemosynam Macedonum, ut manifestum faciat, esse illam singularem quandam gratiam datam à deo, ac dignam, quæ omnibus ecclesijs loco exempli proponatur.

Est igitur diligēter obseruandū, quod eiusmodi eleemosynam, gratiā Dei in ecclesijs datam uocat. Iudicio carnis uidetur illis tantum impartiri gratiā, quibus eleemosyna datur. At iudicio spiritus, nō minus, imò magis eorum est hæc gratia, qui dāt eleemosynam q̄ qui accipiunt. Beatius siquidem est dare, q̄ accipere. Accipere possunt omnes, dare uero nō omnes, sed ij tantum, quibus data est gratia à Deo, ut dent ex animo, dent cum gaudio, dēt largiter. Hoc genus dandi eleemosynam, non habetur in ecclesijs, nisi per singularem gratiā Dei, quia magis beneuolentiam Christianam, quàm terrenarum facultatum abūdātiam requirit. Sed ipsa uerba ex ordine inspiciamus.

QVONIAM in multa probatione afflictionis, inquit.] Nō simpliciter, in multa afflictione, sed, in multa probatione afflictionis. Non affligebantur tantū, quod accidere potest omnibus, sed afflictiones patiēter pro Christi nomine ferentes, probati reddebantur. Sic Ro.5. afflictioni patientiam, patientię probationem tribuit. Et hoc piorum & electorum est tantū. Nam impij ac carnales, dū affliguntur, nō probati per patientiam redduntur, sed per impatientiam potius reprobi depræhenduntur.

Obserua uero, quod non simpliciter dicit: quoniam in probatione, sed, quoniam in multa probatione afflictionis. Ergo non obiter semel atq; iterū, sed grauiter, & in multis ac frequenter per afflictiones fuerant probati Macedones. Sic solet dominus, quos alijs in exēplū probatæ fidei, ac patientiæ proponere cōstituit, multis & grauibus afflictionibus exercere, ac singulari probatione cōspicuos reddere, quales hic Macedones fuisse uidemus.

ABVNDANTIA gaudij ipsorum.] Nihil hic mediocre. Probatio afflictionis multa, & gaudium probatorum, non modicū, sed abundās. Ea est dignatio Dei in eos, quos tribulationibus exercet. Multitudini afflictionis abundantiā coniungit gaudij, ac consolationis. Sic Dauid: Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ, inquit, lætificauerunt animam meam. Et Apostolus de seipso, suprà cap.1. Quoniam, inquit, sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abūdat, & consolatio nostra.

ET profunda paupertas ipsorum.] Nō erat illorū qualiscunq; paupertas, sed qua ad fundū usque erant exhausti, ut nihil superesset, q̄ reliquiæ quædā modicę, uelut in imo fundo relictæ. Qui sic comparati sunt, ad eorum potius uidentur pertinere numerū, quibus sit impartiendum ab alijs, q̄ à quibus in usus aliorū expectanda sit aliqua contributio. An pauperes adeo fuerint, priusquam crederent in Christū, uel postea propter nomen Christi spoliati paupertatē hanc incurrerint, non exprimit Apost. quemadmodum nec illud, an omnes fuerint pauperes, uel maior pars tātum. Si priusquam crederent tales fuerant, cogitandum est de eo quod 1.Cor.1. legimus, elegisse Deum imbeciles & ignobiles, ut cōfunderet robustos & nobiles. Si uero antea diuites, rapinam bonorū suorum, propter Christum passi, facti fuerant pauperes, cogitemus quàm absim⁹ ab hoc exemplo, qui iuxta fortunā sæculi, pauperes diuitias, sub nomine Christi quærimus. Sic animati ne obulum quidem, cum gaudio amittimus, ne dum omnium fortunarum detrimentum, propter Christum alacri animo subimus.

EXVNDAVIT, inquit, in diuitias simplicitatis ipsorū.] Mirum quomodo exundare possit quod ad fundum, usq; exhaustum est. Exundatio non exhaustorum, sed ad summum usq; repletorū est. Deinde quod adhuc amplius est, haud qualitercunq; profundam Macedonum paupertatē, sed ad diuitias, usq; exūdasse dicit. Videntur hæc esse impossibilia, si ad literā urgeantur. Verū in hac causa duo consyderanda ueniunt. Vnum est quod Chrysost. annotat dicens: οὐ τῷ μέτρῳ τῶν διδομένων ἀλλὰ τῇ γνώμῃ τῶν παρεχόντων ἡ φιλοτιμία κρίνεται. Et Christus cum uiduam quæ duos obulos in gazophylatium dederat plus, quàm diuites dedisse dixit, non quantum, sed quo animo dederit expressit, ac circumstātias expendit, quod illa de necessario, diuites de abundāti cōferrent. Sic modicam Macedonum contributionem exundātiam, Apost. propter conferendi alacritatem, diuitias uero propter profundæ paupertatis illorū respectū uocat.

Alterum est, singularis Apostoli bonitas, & epijcia, qua tam benigne interpretatur fideliū fortunas, ac beneficētię studia. Sic afficiebatur Macedonum inopia, ut iudicaret eam esse profundam, & modicū quod dabant diuitias æstimaret. Hoc ingenio sunt boni, mali uero pro malicia ingenij sui, omnia maligne interpretātur. Si hæc consyderemus, facile intelligemus, quomodo profundam Macedonum paupertatem, in diuitias exundasse dicat.

IN diuitias, inquit, simplicitatis eorum.] Ne uideatur copiam in contributione eorū, & nō magis animum deprædicare, non simpliciter dicit:

dicit: exundauit in diuitias, sed, exundauit in diuitias simplicitatis ipsorum. Loquitur autẽ de simplicitate animi, qua simpliciter & cãdide, absq; omni simulatione, ac duplicitate, ut afficiebantur, erga sanctos & ipsos pauperes, ita & alacriter quantũ poterãt, dederãt. Huiusmodi simplicitatem in eleemosyna largienda, in Romanis quoque cap. 12. requirit dicẽs, qui impertit in simplicitate.

Ergo Corinthijs Apost. iuxta sæculũ diuitibus, exemplum Macedonum pauperũ proponit, ut illorum imitatione discant, nõ quãtum, sed quanta cum alacritate, ac simplicitate dare debeãt. Si diuites Corinthij Macedonib⁹ egenis, ad imitandũ ꝓponerẽtur, esset inimitabile exẽplum. Respectus enim nõ esset ad beneuolentiã, sed ad largiendi magnificẽtiã, in qua diuiti pauper respondere non potest. Quare singulari cõsilio Dei sic cohonestatur piorum hominum paupertas, ut in causa eleemosynæ exemplo proponatur diuitibus, eoq; tali, ut citius illi, ut multum dent inducantur, quàm ut pauperum alacritati, ac simplicitati ex æquo respondeant.

NAM pro uiribus, testor, etiam supra uires prompti fuerunt, inquit.] Declarat quæ dixit. Refert autem ea ad prõptitudinem animi, nõ ad multitudinẽ contributorum dicens: Nam pro uiribus, imò supra uires prompti fuerunt. Loquitur de uiribus facultatum. Grçce est κατὰ δύναμιν, &, ὑπὲρ δύναμιν, quod nos Germani dicim⁹, *nach irem vermœgen, vnd, über irer vermœgen.* Si dicas. Quomodo pauperes exhausti exundare potuerunt in diuitias? Respondet. Dãdo secundum ipsorum facultatem, quãtum dare potuerunt. Imò, inquit, etiã supra ꝙ potuerunt dare cupiendo. Rursus dices. Quomodo fieri potuit, ut supra uires darent? Quis enim dare poterit plura ꝙ habeat? Respondeo. Nõ dicit: etiam supra uires dederunt, sed, etiam supra uires prompti fuerunt. Maior est pauperum ad dandum prõptitudo, ꝙ facultas. In Græco est, αὐθαίρετοι. Significat autem αὐθαίρετος, eum qui suapte uoluntate motus, non ab alio, sed à seipso elegit sibijpse quod faciat. Et quoniã qui tales sunt, prompte faciunt, quod faciendum suapte sponte elegerunt, fit ut αὐθαίρετους uocent prõptos. Hac itaq; uoce præoccupat Apostolus, ne dicat quisquam: Quod pro uiribus dederunt, imò supra uires dare uoluerunt, tua factum est authoritate, qui sic eos solicitãdo urseris, & ad contribuendum impuleris. Vltro, inquit, suapte sponte, non a me impulsi pro uiribus dederũt, imò supra uires dare cupiebãt. Et hæc non simpliciter de illis narrat, sed quo plus inuenirẽt fidei, testor inquit. Q. d. quę uidi ac certo sum expert⁹, testimonio meo uobis cõfirmo. Tãti momẽti res est uoluntaria & alacris, quantumuis in se modica piorũ, pauperũ ac simplicium hominũ eleemosyna, ut dignetur eam Apostolus, non simpliciter, sed uelut adiuratus testificando commemorare.

MVLTA cum obtestatione rogãtes nos, inquit, ut beneficium & societatem ministerij susciperem⁹ in sanctos.] Græce est, μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν, id est, multa cum obsecratione rogantes nos. Vulgata habet: cũ multa exhortatione obsecrantes nos. Chrysost. legit hic quædã, quę nos nõ habemus. Sic enim ille habet, μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν καὶ ἐν θλίψει ὄντες καὶ ἐν πενία. Deinde illud, ut beneficium & societaẽ ministerij susciperemus in sanctos, in Græco sic legitur: τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς. i. Vt gratiã & cõmunicationẽ ministerij, quod est in sanctos susciperemus. Quod testatur eos fuisse in hac causa αὐθαίρετους, exponit hisce uerbis, unde id in illis cognouerit. Quoniã, inquit, nõ expectarunt, ut super hac re solicitarentur à nobis, sed ipsi nos ultro plurimum obsecrãtes rogarunt, ut gratiam & communicationem suam quam ad ministerium, quod fit in usus sanctorũ, iam contribuerant, in nostram curam, ac fidẽ susciperemus. Hinc uidelicet facile cognouit, ꝙ essent in hoc negocio αὐθαίρετοι alacres & prõpti, ut ea de re bona fide testificari posset.

Quid autẽ multa opus erat obsecratione in re tam pia, erga Apostolũ Christi, qui & ultro ad ministrandum sanctis propẽdebat, & præterea admonitus erat ab apostolis, ut memor esset pauperum? Nisi initio detrectasset cõmunicationẽ hanc ab illis suscipere, ulteriore rogatu, & obsecrãdi instantia, opus utiq; nõ fuisset. Quare detrectasse illũ, idq; non leuiter, sed obfirmatius aliquanto, multa illorum obsecratio conuincit. Quur autẽ detrectarit ex eo primũ patet, quod tribuit illis profundã paupertatẽ, & cõtributionem usq; adeo spontaneam ut uires ipsorum excederet, dãdi alacritas. Cũ uideret eos admodũ pauperes, & in cõtributione hac nõ habere tenuitatis suæ rationem, inconsultũ iudicabat à talibus quicꝙ accipere, quãtũuis in usus sanctorũ collatũ, ideoq; quãuis illi obsecrarẽt, ut acciperet, haud tamẽ cõfestim, ac facile cõsensit, donec multa esset obsecratione permotus. Hodie ꝙ quęstũ in ecclesię sectantur, nullis uiduis, nullis orphanis, nullis pauperib⁹ parcunt, sed undecunq; coaceruãt, quo luxui, libidini, & ocio suo satisfaciant. Et interim successores sunt Apostolorum.

VT gratiã, inquit, & cõmunicationẽ ministerij, quod fit in sanctos susciperemus.] Cõtributa in usus sanctorum, uocat gratiã & cõmunicationẽ. Gratiã, propter beneficentiã, ex gratia & fauore profectã. Sic & 1. Cor. ult. eleemosynam in sanctos collectam gratiã uocauit dicẽs: ubi uenero, quoscunq; probaueritis, ꝑ epistolas eos mittã, ut perferant gratiam uestram Hierosolymã. Cõmunicationẽ uero, quod cõmunicãda essent sanctis egenis. Sic uocat eleemosynã in sanctos, & Ro. 15. & infrà cap. sequẽti. Addit, ministerij quod fit in sanctos. Ministerium uocat hoc loco, administrationẽ eleemosynæ huius, qua colligebatur, & Hierosolymã deportabatur. Hãc igitur gratiã & cõmunicationẽ Macedones adferebant ad Paulum,

obnixe rogãtes, ut eã in curã suam susciperet, & sanctis administraret. De uocibus istis, gratia & communicatione diximus.1.Cor.ult.

AC non quatenus sperabamus, quinetiã semetipsos dederũt primũ dño, deinde & nobis per uolũtatẽ Dei.] Hoc est, tãta fuit eorũ prõptitudo in hac causa, ut plura dederint, q̃ sperauerámus. Sperauerat modicã aliquã contributionẽ, quod sciret eos esse pauperes admodum. At illi, inquit, non modo de substantiola quisq; sua in usus sanctorum, pro uiribus contulerunt, sed & semetipsos obtulerũt, domino primum in quem credere cœperunt, deinde & nobis, si qua nobis in re adiumento esse possent, per uoluntatem Dei.

AC non quatenus sperabamus.] Ergo errauit Apost. minus de beneuolẽtia fideliũ Macedonũ sperãdo, q̃ habebat ueritas? Errauit utique, sed pter culpã. Minꝰ bene de fratribꝰ sperare, q̃ res ipsa poscit, potest fieri dupliciter. Primo p sinistrã suspicionẽ, uel diffidẽtiã, q̃ nascitur in animo insyncero, & à spiritu charitatis alieno, quod sine culpa fieri nõ potest. Qui sic animati sũt erga fratres, de animo illorũ ac uolũtate nõ bene sentiũt, ideoq; de illis minꝰ bene sperãt. Deinde, respectu tenuitatis, quãdo rerũ penuria premuntur. Hic nihil est culpę, si quis in causa fraternæ cõtributionis minꝰ sperat de pauperibus, q̃ de opulentis. Accidit hoc Apostolo: Quod autẽ falsus est, falsus est ut homo, cui nõ sunt mox nota omnia, quę Deus in suis est electis, singulari gratia operaturus. In ijs uero q̃ fratris cõcernũt animũ, ac uolũtatẽ charitas plerunq; plura sperat, q̃ habeat res ipsa, atq; ita sperãdo fallitur frequẽter. Verum satius est multo falli ad hunc modum, q̃ cũ diffidẽtibus, ac reprobis, minus sperare de fratribus, quàm conueniat charitati fraternæ.

QVIN etiã semetipsos dederũt primũ dño, deinde & mihi.] Adiecit quidẽ hoc p auxesim, uerũ pulchre facit ad uerę pietatis cõplemẽtũ, cuius pars tãtũ est, liberalẽ esse ac beneficũ, in subleuandis sanctorũ necessitatibus, id quod Macedones supra q̃ sperasset, fecisse pdicauit. Plenitudo pietatis tribus hisce partibus comprehenditur. Prima, ut nosipsos demus primũ dño, secunda, ut demus nos & ministris dñi p uoluntatẽ Dei, tertia ut diligamus fratres, ac necessitatibꝰ illorũ, pro uiribus succurramus.

QVIN & semetipsos, inquit, dederunt primum dño.] Semetipsum dare dño, est totum se illius uoluntati ac gratiæ, nõ modo permittere, sed & ex animo offerre, cõsecrare & addicere, paratumq; esse non solũ facere, sed & pati propter illũ omnia. At hoc fieri non potest, nisi abnegemus nosipsos, ut iã non nobis, sed dño uiuamus. Macedones quoniã totos se dederãt dño, absq; ulla tergiuersatione pro nomine illius ferebãt, quicquid afflictionum inferri posset. Deinde, inquit, & nobis. Obserua distributionẽ. Primũ dño, inquit, deinde & nobis. Primum dño, ut dño, deinde Paulo nõ ut dño, sed ut dñi seruo & Apostolo. Aliter dño, aliter seruo, domino tãquam ei in cuius sumus iure ac potestate, tãquam Deo, redẽptori ac seruatori nostro. Seruo tanquã dominicæ gratiæ ac uolũtatis, erga nos ministro, Macedones post dominũ dederũt seipsos Paulo, tanquã dñi Apostolo, ut doctrinę illius sese præberẽt morigeros, ac ductiles. Nõ ast autẽ ociosum, quod addit, p uoluntatẽ Dei. Significat eos hoc fecisse secundum uoluntatem, nõ suam, sed Dei. Dei uoluntas est, ut audiantur cũ obediẽtia, quos ipse uerbi sui ministros & interpretes mittit, idq; perinde habet, ac si ipse audiatur. Vnde illud Christi est: Qui uos audit, me audit, quæ uerba haudquaquam eos cõcernunt, qui falsi sunt, non ueri Christi apostoli. De eo quoq; cogitet diligens lector, quod nõ dicit, per uoluntatem domini, sed, per uoluntatem Dei. Apostolatum suum, rursus per uolũtatem Dei authẽticum esse monet, quo totã dispẽsationem regni Christi, cuius erat minister, ad uoluntatem Dei patris referat, id quod pro suo more frequenter facit, sicuti uidere est, 1. Cor. 1. suprà cap. 1. Ephes. 1. Colos. 1. & 2. Timo. 1.

Voluntas hæc Dei perpetua est ad finẽ usq; mundi perdurans, qua cõstituit, ut ueris Christi miinistris obsequantur ij, qui ab illis in fide ac uera pietate instituuntur, obsequantur, inquam, nõ ad quæuis, sed ad ea quæ ministeriũ illorũ, & Christi doctrinã ipsorumq; salutẽ cõcernũt. Qui in Papatu sunt, seruiliter obediũt falsis apostolis & pastoribus, ad omnem illorum, tam tyrannidem, quàm imposturam, qui uero de Euangelio Christi gloriant maiore ex parte, nec domino se, nec illius ministris dederũt, sed suopte arbitrio indulgẽt in omnibus.

IN hoc, inquit, ut adhortaremur Titum, ut quemadmodum ante cœpisset, ita & consummaret hanc quoq; erga uos beneficentiã.] Hactenus gratiã Dei, quã in ecclesijs Macedoniæ datã esse dixit, exposuit, amplificauit, & cõmẽdauit, iam ad propositũ, quod agere constituit trãsit. Sẽsus est, Macedonũ hæc alacritas ac pietas, qua nõ modo sanctis largiter cõtribuerũt, sed & semetipsos, primum domino, deinde & nobis dederũt, perpulit nos, ut Titum adhortaremur, cũ ad uos eum mitteremus, ut gratiã hãc, quam apud uos cœpit cõsummaret. Cum dicit se Macedonum exemplo motum, ut Titum hortaretur, quo apud ipsos, eãdem beneficentiam antea cœptam cõsummaret, prouocat eos, ut eodem ipsi quoq; moti, consimilem in sanctos beneficentiam ostendant.

VT quemadmodum ante cœpisset, inquit.] In sequentibus patet cœpisse Corinthios iam antea, anno uidelicet præcedenti, contribuere in usus sanctorũ. Hic apparet factum id fuisse studio, & adhortatu Titi. Sane si uerba inspicias, cœperat Titus Corinthios, non hac in causa tantũ, sed & in alijs instituere. Vnde nõ simpliciter dicit: ita hãc beneficentiã, sed, ita & hanc quoq; beneficẽtiã erga uos cõsummaret. Illud erga uos, Græce est, εἰς ὑμᾶς. i. in uos. Sic loquendo significat cœptã gratiã, si cõsummet cessurã in emo-

in emolumentū ipsorū Corinthiorū, ideoq; Titū cōsummaturū eā erga ipsos nō minus, q̄ erga sanctos, in quorum usus erat cōtribuendū.

Obiter obserua, quod consummationē cœptæ beneficentiæ urget. Cœperant Corinthij, sed remissiores facti cœptā contributionē nō complebant. Sic solent qui quòd faciunt, non faciunt ex animo, non αὐθαίρετοι, sed aliūde impulsi. In medio cursu subsistunt, longe dissimiles à Macedonibus, qui quoniā suapte sponte cōtribuebāt, cōtributionē cōplebant. Tātum refert, quo animo quod bonū est facere incipias. Quo sit autē habēdū loco opus in se quidem bonum, & bene cœptum, uerū per socordiam, negligentiam, ac fastidiū desertū & imperfectū, nō est opus ut admoneam^9. Ipsa nos natura in rebus, quas quotidie nasci uidemus abunde docet, imperfecta esse inutilia. Quare frustra incœperis quod bonū est, nisi cōpleas.

IMO, inquit, quēadmodum ubiq; abūdatis fide, & sermone, & sciētia, & omni diligētia, & in ea quę in uobis erga nos est charitate, facite ut in hac quoq; beneficētia abūdetis.] In Græco est ἀλλὰ uulgatus interpres reddit: Sed sicut in omnib^9, &c. Eras. uero, imò quēadmodum ubiq;. Neutra uersio cōmoda uidet̄. Ipsa Græca uox multæ significatiōis est, & ut uarie usurpatur, ita & uarie redditur. Mihi reddēda hoc loco sic uidetur, ut sit cōmoda transitioni, qua Apost. ab exēplo Macedo. ad exhortationem quam instituit trāsit. Quare existimo cōmode uerti posse ad hūc modum. Sane quēadmodū ubiq; abundatis fide, &c. Quod si reddit̄. Sed, uel at, uel, uerū quēadmodū ubiq; abūdatis fide, &c. omnino subaudiēdū uenit aliq̄d, utpote, uerū quicquid sit de exēplo Macedonū, curandum uobis est, ut sicut abundatis fide, &c.

Sane quēadmodum ubiq; abundatis, fide, &c. Exhortationē quā subijcit exēplo Macedonum orditur prudēti cōsilio à laude Corinthiorum, qua tribuit illis excellētiā in fide, uerbo, scientia, diligentia, & charitate, quā erga se ostendebāt. Primum in genere dicit eos ubiq; excellere, intellige de uarijs dotibus, quas in Christo acceperāt, quibus supra cęteras ecclesias eminebāt. Magna sane laus, ut nō immerito exordiū exhortatiōis suæ hīc sumat Apost. Deinde q̄d in genere dixit explicat p̄ species, quas recēset dicēs, fide, uerbo, sciētia, & omni diligentia, & in ea q̄ ex uobis erga nos est charitate. Fidem intelligit generaliter, qua credebant unum esse Deum, Christum esse dn̄m, & quæ historiam dispensationis Christi concernunt, & quæ alia sunt eiusmodi, quibus fides miraculorū quoq; coniungi potest. Neq; enim uerosimile est loqui ipsum de fide iustificāte, in qua Macedones poti^9 q̄ Corinthios excelluisse apparet. De fide dictū est, 1. Cor. 12. & 13. Per sermonem, uel uerbum, intelligit donum sermonis sapiētiæ ac sciētię, cui^9 meminit. 1. Cor. 12. Per scientiā cognitionē rerū spiritualiū, qua de mentionē fecit, 1. Cor. 8. mox initio capitis. Illud, in omni diligētia, Græce est, ἐν πάσῃ σπουδῇ,

A quā uocē cap. præcedēti solicitudinē uertit, ad quē modū hic eā uet^9 interpres reddidit. Existimo autem intelligendam esse de solicitudine, quam cap. præcedēti ex tristitia, quæ secundum Deum erat, natā illis fuisse dixit. Auxesim autem laudis huius habet, quod omnis generis solicitudinem illis tribuit.

ET in ea quæ ex uobis erga nos est charitate, inquit.] Ergo tribuit illis & charitatē, imò excellentiā in charitate. Tribuit quidē, uerum cum specificatione dicēs, quæ erga nos est. At causa de qua scribit, poscit charitatē fraternā erga omnes Christi fideles. Hanc illis non tribuit istis uerbis. Erat quidem laude dignum, quod amanter erant affecti erga suum Apostolum, uerum id genus dilectionis nō satisfacit dominico præcepto, quo nos inuicē diligere iubemur. Inuenias etiā in sęcularibus disciplinis, eiusmodi discipulos, qui pręceptores quidem suos admodum diligāt, se inuicē uero nō ita. At Christiana disciplina non cōtenta hoc dilectionis genere mutuā inter ipsos discipulos, hoc est, Christi fideles charitatem requirit, ad quā Apost. ubiq; sedulo hortat̄, præsertim in epistola priore. Agnoscit tn̄ ac laudat hanc Corinthiorū erga se dilectionē, uerū facit hoc in eū finē, ut inde occasionē sumat inducendi eos ad plenæ & integræ charitatis studium.

FACITE, inquit, ut in hac quoq; beneficētia abundetis.] Non cōuenit, ut hic p̄ gratia legamus, beneficētia, quod fieri posset, si diceret, καὶ ἐν χάριτι, id est, & in gratia quoq; abundetis. B Sic enim dicendo distingueret gratiam à dotibus cæteris, in quibus excellebant Corinthij, ut recte pro beneficentia posita intelligeretur. Iam cum dicit: ut in hac quoq; gratia abundetis, perspicuum est, quod subintelligēdum sit, sicut in cæteris, quæ tamen pro beneficentijs accipi non possunt. Gratia erat fides, gratia sermo, gratia scientia Corinthiorum, quæ tamen non recte beneficētiam uocaueris, licet beneficentia inter species gratiæ referatur. Hortaturus eos, non ad modicam & uulgarem beneficentiam, sed ad excellētem, qualis erat Macedonum, proposuit eis excellentiam, non alienarum uirtutum, siue Macedonum, siue aliorū sed propriarum, & tum demū subiecit: sic facite, ut in hac quoq; gratia abūdetis. Q. d. Quāuis egregium sit Macedonum exēplum, ac dignū, ad cuius imitationem prouocentur omnes ecclesiæ, haud tamen ad illud uos exigo, sed ad uestrarum uirtutū excellentiā, qua cæteras ecclesias excellitis. Hanc uobis imitandā propono. Voluit uos dominus excellere fide, sermone, scientia, studio ac diligentia, & dilectione erga me uestrum Apostolum, iā uobis etiam atq; etiam uidēdum est, ut in hac quoq; gratia abundetis, ne cæteris qui tantam charismatum excellentiam non habēt, inferiores in hac causa reperiamini, in qua uos supra cæteros eminere conueniebat.

Argumentū exhortationis huius multū habet ponderis, si recte inspiciatur. Cui multum

 datum

datum est, ab illo multũ requiritur. Corinthijs multum erat à dño datũ, sic ut supra cęteras ecclesias abundarent fide, sermone, scientia & diligẽtia, ut cætera charismata taceã. Erat igitur consequens, ut in studio quoq; ueræ pietatis multũ ab illis requireretur. Quo uinea diligẽtius est culta, hoc plus fructus ex illa requirit. Fides, sermo, sciẽtia, & id genus alia charismata, instar sunt cultus. Fructus est omnis generis beneficẽtia, ex uera charitate profecta. Quare non est ut dicas: Quid opus erat Corinthijs, ut abundarent in beneficentia? An nõ satis erat, quod abundabant fide, sermone, ac sciẽtia? An hæc est Christianorum conditio, ut qui in uno abũdat, abundare debeat in omnibus? Distinguendum est inter ea, quæ necessario tãquam bonæ arboris fructus requirunt ab omnibus, quale est studium charitatis, & ea quæ non ita poscuntur necessario, qualia sunt, quorum hic excellentiam Corinthijs tribuit, nõ quod nullus sit illorum usus, cũ, ut diximus, sint instar cultus, unde ueræ pietatis fructus crescãt, sed quod nemo Christianus, secundum mẽsuram illorũ, uel magnã, uel paruã, magis uel minus pius in conspectu dñi censetur. Macedones in illis, nõ ita excellebãt (sic pono) ut Corinthij, excellebãt uero in operibus charitatis, tanquã ueris fructibus, unde arbores bonæ cẽsemur. Non lego Apostolum adhortatum illos esse, ut queadmodum abundarent in hac fraterna beneficentia, ita abundarẽt etiã in fide, sermone & sciẽtia, donis etiã linguarũ, & cęteris charismatibus, sicuti lego adhortatum esse Corinthios, ut sicut in istis excellebant, ita excellerent in studio quoq; beneficentiæ fraternę erga sanctos, ac pauperes declarãdæ. Corinthios itaq; Apost. nõ hortatur hoc loco ad studiũ excellẽdi in omnibus, quod carni solet esse agnatũ, sed quoniã beneficio dñi, in ijs excellebãt, quæ ad profectum ueræ pietatis facere debebant, in necessarijs uero deficiebant, admonet eos necessario, ut quo pl⁹ acceperãt gratię hoc abundantius, etiã ueros pietatis fructus proferant. Consimili ratione admonẽda est Germania nostra, ut quemadmodum in fide, sermone & sciẽtia, dono Dei excellit, ita excellat, & studio ueræ pietatis, charitatis, ac beneficẽtiæ nõ modo erga indigenas, sed & aduenas, propter Euangelium Christi exulantes.

Non secũdum imperium loquor, sed per solicitudinem erga alios, etiã uestræ dilectionis synceritatem approbãs. Nostis enim beneficẽtiã domini nostri Iesu Christi, quod ꝓpter uos pauper factus sit, cum esset diues, ut uos illius paupertate ditesceretis. Et consilium in hoc do, nam hoc uobis conducit: qui quidẽ non solũ facere, uerum etiam uelle, iam cœpistis anno superiore. Nũc autem & illud quod facere cœpistis ꝑficite, ut queãdmodũ uoluntas prõpta fuit, ita & perficiatis ex eo quod potestis. Etenim si prius adsit animi prõptitudo, ea iuxta quicq̃d illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet.

Quoniã dixit, & in hac gratia abundate, ne uideatur, hoc uelut imperando dicere, atq; ita uel ab inuitis beneficẽtiam istam extorquere, occupatione suspicionem hanc cauet dicens: NON secundum imperium loquor.] Nõ est ut disputemus hic, potestatem ne habuerit imperandi illis, uel minus. Ipsa causa de qua loquitur, sic est comparata, ut imperium non capiat. Requirit enim datorem non coactum & inuitum, sed spõtaneum & hilarẽ. Magna laus est eleemosynę Macedonicę, quod ne hortatu quidem, nedum imperio Apostoli, sed sponte sua, tam liberaliter cõtribuerunt. Haud igitur præter rationem est quod non modo nihil imperat in hac causa Corinthijs, sed & diserte se non imperãdo hæc loqui testatur, ne nõ imperãs, uel in speciẽ imperare uideat. Hæc est Apostolica diligẽtia, qua hodie nõ habẽt opus Ro. Apostoli, qui omnem suum Apostolatum mãdandi & imperandi potestate metiuntur.

SED per solicitudinẽ, inquit, erga alios etiã uestræ dilectionis synceritatẽ approbãs.] Gręce sic legitur: ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων. i. sed per aliorũ studiũ etiam uestrę charitatis synceritatem comprobans. Potest hoc bifariam intelligi. Primo ad hunc modum, sed per curã, qua de aliorũ. i. sanctorũ, sum necessitatibus solicitus, hęc ad uos scribo, quo explorẽ, q̃ sitis in hac charitate ingenui, ac synceri. Et hunc sensum Eras. exprimere uoluit, dum uertit: sed per solicitudinẽ erga alios etiam uestræ dilectionis synceritatẽ approbans. Deinde sic: Sed ut per aliorum, id est Macedonum, studium, cuius mentionẽ feci, uestram quoq; dilectionem, q̃ sit ea ingenua comprobem. Posterior hic sensus mihi magis arridet. Loquitur nõ de suo, sed Macedonum studio, quod illis in præcedentibus diligenter amplificando commendauit, ac dicit se illius exemplum ad hoc proposuisse, ut comprobet quàm sint ipsi quoq; erga studiũ charitatis syncere & ingenue affecti. Haud illibẽter autem assentior Chrysost. qui sentit Apostolũ nõ loqui de cõprobatione, qua ipse synceritatẽ charitatis Corinthiorum experiatur, sed qua illã alijs reddat certam & cõprobatam. Neq; enim faciebat ad cautionem apostolicam, si se certo experimento cogniturum diceret, q̃ essent in charitate synceri erga fratres. Quin magis sic loquitur, ut significet se ad hoc Macedonum induxisse exemplum, ut charitatem ipsorum, sibi notã, alijs cõprobatã redderet. Et sic sentiebat de illis. Cõfidebat eis in omnibus, idq; cũ gaudio, sicuti suprà dixit, in calce cap. præcedẽtis: Gaudeo quod in omnib⁹ cõfido uobis.

Apparet Apostolum erga Corinthios, perinde fuisse affectum, atq; præceptor literarius erga discipulum, singulari ingenio præditum, de quo

de quo glorietur apud omnes. Ille, si qua specimina eruditiōis ab alijs discipulis ædita fuerint, mox ea singulari suo discipulo æquali dexteritate exprimenda proponit, nō ut ingenij illius uires experiatur ipse, cum habeat eas in comperto, sed ut ostendat alijs se nō frustra de discipulo illo gloriari, & ingenij illius dexteritatem deprædicare. Consimili modo Apost. exemplum Macedonicarum ecclesiarū Corinthijs suis, de quibus admodū gloriabatur, ad hoc ꝓposuit, ut extimulati declararēt, q̃ & ipsi ad studium charitatis ingenue essent affecti.

Obseruet autē diligēs lector, quod ab Apostolo in charitate requiritur τὸ γνήσιον. Significat autem ea uox, id quod est natiuū, quasi sit γενήσιον. Quæ natiua sunt, syncera sunt, tanquam haud corrupta, nulloq; mixturæ adulterio uiciata, aut nullo asciticio colore deformata. Natiuꝰ corporis decor γνήσιος est, sic charitatis synceritas est, quæ nullis est fucis, & imposturis uiciata, sed ꝑ ingenio ueræ charitatis pura & simplex. Requirit igitur Apostolus in Christianis charitatem γνήσιον, id est, simplicem, puram, synceram & illibatam, in qua nihil sit simulatum, fucatum, ac fictum. Ea synceritas depræhēditur in ueris fructibus charitatis, quos hic Apostolus à Corinthijs declarari poscit.

NOSTIS enim beneficentiā, inquit, dñi nostri Iesu Christi.] Qui in multis excellūt, haud facile aliqua in re æqualium suorum mouētur exemplo: Putant enim sine detrimento gloriẹ suæ fieri non posse, ut eos imitentur, quos ipsi excellunt in multis, & quorum ductores esse debuerint potius, q̃ sectatores. Qui sic animati sunt ex singulariū uirtutum suarū conscientia, non tam æqualium, q̃ præstantiorū exemplis mouentur, à quibus excelli se in omnibus negare non possunt. Tale quid uidetur Apost. metuisse in Corinthijs, ideoq; post inductum Macedonum exemplum ipsius Christi gratiā suspiciendam & imitandam omnibus proposuisse dicēs: Nostis enim gratiā domini nostri Iesu Christi, quod propter uos pauper factus sit, &c. Quasi dicat: Quicquid uobis de exēplo Macedonum uideatur, saltē ipsius Christi imitatores sitis. Huius enim gratiam utiq; nostis, quam & exosculari, & pro uiribus imitari uos cōuenit, ut nullis hac in re opus habeatis præceptis. Ipsa nanq; per se abunde sufficit, ad excitandum imitationis studium, non in uobis tantum, sed & in alijs omnibus.

Poterat dicere: Nostis enim prẹceptū domini nostri Iesu Christi, quo iubet, ut diligamus nos inuicem, sicut ipse dilexit nos. Quare licet ego uobis hic nihil imperē, constringit tamen uos imperātis Christi authoritas. Verū maluit eos prouocare exēplo, quàm urgere præcepto Christi, quo esset cōtributio ipsorū nō coacta, sed uoluntaria. Sic ubiq; accōmodat se causæ quam agit. Et reuera in animis uerorū fideliū multū habet efficaciæ, si consyderent non doctrinam modo, sed & ipsam Christi uitam, tāquam uiuam eorū imaginē, quæ uerbo illius

A proponūtur, ut nō sit frustra, quod Corinthijs hic ab Apostolo dicitur: Nostis gratiā domini nostri Iesu Christi. Sic in alijs quoq; ad ueram pietatem necessarijs dicendū nobis est: Nostis mansuetudinē domini nostri Iesu Christi. Nostis patientiam, nostis humilitatem, nostis charitatem, &c. Domini nostri Iesu Christi.

QVOD ꝓpter uos, inquit, pauper factus est, cum esset diues, ut uos illius paupertate ditesceretis.] Hæc est gratia dñi nostri Iesu Christi, quam si penitius inspexissent Corinthij, nō habuissent opꝰ admonitione Apostolica. Tria dicit. Primum, quod Christus cum diues esset, factus sit pauper. Secundū, propter quos. Tertiū ad quid. Quod pauper factus est, inquit, cum esset diues. Diues erat tanquā unigenitus Dei, & hæres omniū. Pauper factus est, nō amittēdo diuitias suas, sed nō utendo. Cum dñs esset omnium, factus est omnium seruus, ueniēs in mundū, nō ut ministraretur sibi, sed ut ipse ministraret omnibus. Cū ius haberet omniū quẹ in cœlo sunt & in terra, à possessiōe & usu illorum, ad tēpus abstinuit, usq; adeo, ut minꝰ possideret in terra, q̃ uulpes ac uolucres cœli. Sic enim Matth. 8. dicit: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autē hominis nō habet, ubi caput suū reclinet. Parentū ipsius, natalium, educationis, & conditionis humilitas singularē paupertatem ostēdit. Sic exinaniuit semetipsum sumpta forma serui, unà cū summa humilitate, ac paupertate. Interea tamen

B omniū erat ditissimus in ipsa etiā paupertate cōstitutus, ut multo uerius ipsi cōpetat illud, quasi pauperes, multos tamē ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes, quàm Paulo. Pauper factꝰ est. Propter quos? Propter uos, inqt. Quare nō dicit in genere, ꝓpter nos oēs? An ꝓpter Corinthios tātū factus est pauper Christus? Dū generalē Christi gratiam Corinthijs specialiter applicat, nō facit hoc, ut cæteris eā fidelibus auferat, istis uero solis deputet, sed ut seruiat causæ quā agit. Fortius urget si beneficiū Christi cōsideretur, nō ut generale est omniū, sed ut in nos specialiter est collatū. Si audias sic dilexisse Deū hunc mūdū, ut unigenitū suū daret, tātū efficaciæ ad cōmouēdū animū nō senties, quātū experiris, si absq; ulla dubitatione cū Apostolo, de beneficio Christi dicas: Qui dilexit me, ac tradidit semetipsum ꝑ me. Hoc cōsilio Apost. maluit hic dicere, qđ propter uos, q̃, quod propter nos oēs pauper factus est, quo uidelicet gratiā hāc ꝓsius cōsyderātes, efficaciꝰ ad imitationē illiꝰ ꝓmouerēt.

VT uos, inqt, illius paupertate ditesceretis.] Hoc est, nō ut uos quoq; pauperes essetis, sed ut ꝑ ipsiꝰ paupertatē ditesceretis. Sic exprimit ad quid pauper factus sit Christus. Nō hẹret in eodem paupertatis, ac diuitiarū genere. Paupertatem tribuit Christo, nō spiritualem, quæ opposita sit spiritualibꝰ diuitijs, sed terrenā: diuitias uero tribuit fidelibꝰ Christi, paupertate ipsius partas, non terrenas, quæ oppositæ sint terrenæ ipsius paupertati, sed spirituales.

Spiri-

Spiritualis paupertas, locum in Christo habere non potuit. Et si habuisset, neminẽ prorsus spiritualiter ditasset. Habuit uero terrena, quę spirituales diuitias nõ excludit. Rursus terrenas diuitias fidelibus suis assumpta terrena paupertate, nec quæsiuit, nec suppeditauit, quia nõ sunt hę dignæ cœlesti gratia, & uocatione, nec reddũt homines uere felices, sed spirituales, quibus ditati felices sint in sempiternum. Quare Christi paupertate non sunt partę opes illæ pontificum, episcoporum, carnaliũ, & cæterorum prælatorũ, quãuis locum hunc Apostoli sibi potissimum competere putant, quasi propter ipsos pauper sit factus Christus, ut ipsi terrenis regum, ac principũ opibus abundent in hoc sæculo. Non possunt hæc de Christo sine grandi illius contumelia dici, nõ minus quàm si dicant: Christus factus est pro nobis humilis, ut nos simus sublimes & elati in hoc sæculo. Christus factus est sub lege, ut nos absq; lege uiuamus omnium liberrime. Christus factus est pro nobis Deo patri obediens, ut nos, nec Deo, nec hominibus obediamus. Christus pro nobis omnis generis afflictiones, ac tentationes subiuit, ut nos in omnis generis uoluptatibus, ac delitijs uiuamus. Adiungant & illud: Christus pro nobis ascendit ad cœlos, ut nos descendamus in ignem æternum. Verum relictis illis inspiciamus mentem Apostoli.

Poterat gratiã Christi, quæ multifaria est, sub alia specie, quàm paupertatis, ac diuitiarũ proponere, utpote, Christus uenit in hunc mũdum, ut nos ad cœlos eueheret, uel, Christus factus est pro nobis filius hominis, ut nos filios Dei efficeret. Vel: Christus mortuus est pro nobis, ut nos per ipsum uiuamus, & quę alia multa eiusmodi adferri poterant, quæ omnia species quædam sunt generalis Christi gratię, uerum prudenti cõsilio, eam illius speciem proposuit, quæ conueniret causæ quam agebat. Erãt Corinthij diuites charismatũ spiritualiũ. Eas diuitias acceperant beneficio Christi. Erãt iuxta sæculum quoq; diuites. Conabatur eos inducere, ut pauperes sanctos, qui Hierosolymis erant, liberali cõtributione iuuarent. Itaq; ne paupertatis gratia, diuites ipsi cõtemnerẽt pauperes sanctos, proponit ipsis paupertatem Christi, cum illius ratione & utilitate, quo admonerẽtur, uenerandã esse nõ contemnẽdam sanctorum paupertatem, idq; duplici nomine, primũ propter Christũ, qui pro ipsis factus sit pauper, deinde propter utilitatem, quam ex illius paupertate fuerant consequuti. Duabus hisce rationibus admonemur & nos, ne populum domini pauperẽ & egenum, propter paupertatis despectũ cõtemnamus, quę sors solet esse pauperũ in hoc sæculo iuxta illud: Nil habet infœlix paupertas durius in se. Quàm quod ridiculos homines facit. Magna paupertatis utilitas, ex Christo & apostolis redijt ad genus humanum. Contra maxima detrimenta, cum pietatis, tũ felicitatis prouenerunt ex opulẽtia Antichristi, ac falsorum illius apostolorum.

A Dices. Ecquomodo terrena Christi paupertas spirituales nobis peperit diuitias? Respondeo. Non ex eo quod pauper est factus, sed ex eo quod pro nobis pauper est factus, quo nobis seruiret in carne humili, cum docẽdo ac mirabilia operando, tum mortem pro peccatis nostris subeũdo. Per paupertatẽ enim illius subintelligenda uenit, tota susceptę pro nobis dispensationis humilitas.

Communis locus hic est, extra Christũ totũ genus humanum, ueris esse diuitijs destitutũ, ac omnimodæ perditioni obnoxiũ, eos uero solos esse reuera diuites, qui ditati sunt à dño, & in dño. Deinde terrenã paupertatẽ nemini esse Christiano probrosam, propter pauperem Christum, qui sua paupertate paupertatẽ fidelium suorum consecrauit, & à contemptu uindicauit. Quod tandẽ ecclesiæ potentia ac diuitijs excellere cœperunt, quemadmodum id factum est, præter consilium dñi, ita male etiam cessit. Vnde illud Hieron. est, in uita Malchi captiui monachi, postquam ecclesia ad Christianos principes uenit potentia quidẽ & diuitijs maior, uirtutibus uero minor est facta.

ET consiliũ in hoc do, inquit, nã hoc uobis conducit, qui quidem non solum facere, uerũ etiã uelle iam cœpistis anno superiore, &c.] In hoc, inquit, negocio non impero, sed consulo, non cogo, sed prouoco, quia non inuitos, sed uoluntarios requiro. Dicet quisquam, ubi consiliũ datur, ibi nõ est obediendi necessitas, sed

B uel obediẽdi, uel non obediẽdi libertas. Ergo charitatis synceritas, quam in Corinthijs comprobare cupiebat Apostolus, ex rebus liberis est, quæ sine culpa tã possunt non haberi, quàm haberi. Quid igitur est quod dñs præcipit dicẽs: Hoc est præceptũ meũ, ut diligatis uos inuicẽ? An non hoc præcepto synceritatem uerę charitatis requirit. Respondeo. Non loquitur hic Apost. de ipsa charitatis synceritate in se, cum dicit: Et consilium in hoc do, sed sicuti sequẽtia docent de perficiẽda cõtributione. Ad hãc hortaturus dicit se illis non imperare, sed consilium dare. Simul tamen cauendum est, ne putemus consilium Apostoli sine culpa, ac noxia posse à fidelibus cõtemni. Licet enim uim præcepti nõ adæquet consiliũ, quod attinet ipsam cõsulẽtis Apostoli moderationẽ, peccat tamẽ quisquis illud contemnit, & saluti suæ admodũ male consulit, qui nihil sibi faciendũ ducit nisi ad quod expresso mãdãto astringitur. Nec fieri potest, ut pręceptis ex animo obediat, qui consilia salubria secure contemnit.

NAM hoc uobis cõducit, inquit.] Q. d. Cõsulẽdo uobis, nõ tã aliorũ cõmodum, quàm uestram salutẽ specto. Ergo qui cõsulit fidelibus, ut largiter cõtribuãt, ad succurrendũ necessitatibus pauperũ, cõsulit ipsorũ utilitati, licet pauperũ cõmodis cõsulere uideatur. Quid enim cõsulit aliud, quàm, quod Christus dixit, ut parent sibi amicos, quorum gratia recipiantur in æterna tabernacula? atque terrenas opes in cœlestes thesauros conuertãt, ut haud immerito dicat hic

hic Apostolus:Nam hoc uobis conducit. Emphasis est in pronomine VOBIS. Quasi dicat: magis quàm illis quibus estis daturi.

QVI quidem non solũ facere, inquit, uerũ etiã uelle, iam cœpistis anno superiore.] Erat quidé hoc in illis repræhẽsibile, quod bonum opus intermiserãt, cuius tamẽ anno superiore initium fecerãt, id quod manifestum habebat inconstantiæ argumentum, uerum nõ erat in eo Apost. ut inconstantiam eorũ repræhenderet, sed ut quod cœptum erat ad perfectionẽ perduceretur. Huc usurpat non modo exẽpla Macedonum, & ipsius Christi, sed & ipsorum præiudiciũ, quo & facto, & uoluntate iã antea testati fuerant, esse cõtributionem hãc, in usus sanctorum faciendã. Huius eos admonens dicit: Nam hoc uobis conducit, qui quidem iam antea non solum facere, uerumetiam uelle cœpistis anno superiore. Q. d. Quid opus aliorũ exemplis in causa, quã ipsi, & piam, & uobis utilẽ esse, iam antea declarastis, dum anno superiore, non modo contribuere, sed & ad contribuẽdum uoluntarij esse cœpistis? Existimo autem hoc factum esse, post priorẽ epistolam. Nam in illa cap. ulti. quædam de collecta hac facienda scripserat, quib⁹ lectis uerosimile est eos cõfestim contribuere cœpisse, at in cœpto non perstitisse, quemadmodum solent, qui nõ αὐθαίρετοι aliquid facere incipiunt, sed aliorum hortatu inducti.

Quid est autem quod dicit: qui nõ solum facere, sed & uelle iam cœpistis? An prius est facere, ꝙ uelle? Legitimo quidẽ ordine prius est uelle, quàm facere, uerum frequẽter accidit, ut faciamus quod nolumus, quodq; nõ delectat, ubi uoluntas, nec præcedit factum, nec sequitur. Nonnunquam etiam usuuenit, ut factum sequatur uoluntas, & approbans illud, & continuans, sicuti fieri uidemus in adolescẽtibus, qui literis operam dare coacti, faciunt id quidem, sed aliquandiu nolentes, donec tandem literarum dulcedine capti, quod antea inuiti fecerant, uolentes facere incipiãt, & studia sua cũ dilectatione prosequantur, uerũ quod pręsentem causam attinet, Corinthij non modo contribuere cœperant anno superiore, sed & uelle, hoc est, contribuerant, non inuiti, sed uolentes, atq; ita factum suum uoluntate approbauerant. Huius eos admonẽs dicit: qui quidem non solum facere, sed & uelle iã antea cœpistis anno superiore. Minus habet leuitatis mutare factum, ad quod non accessit uolũtas, id uero admodum leue est, si in causa bona nõ factum modo, sed & uolũtas, quæ factum approbauerat mutetur. Animus in bono cõstans quod uelle ac facere cœpit, nec uelle, nec facere desinit, donec perficiat. Quod si à facto impeditur, uoluntatem tamen faciendi constanter retinet, donec faciẽdi facultatem recipiat. Hęc erant, meo iudicio, de quibus Corinthios Apostolus hisce uerbis admonere uoluit. Vnde & subijcit.

NVNC uero & illud quod facere cœpistis A perficite, inquit.] Græce sic, νυνὶ δὲ καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε, id est, nunc uero & facere perficite. Quasi dicat: nunc uobis incũbit, ut quod uelle cœpistis etiam facto perficiatis. Non simpliciter dicit, νυνὶ δὲ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε, id est, nunc autem facere perficite, sed adiecta copula, νυνὶ δὲ καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε, id est, nunc autem etiã facere perficite, ubi subintelligẽdum est, quod uelle cœpistis. Vulgatus interpres habet: nunc uero & facto perficite. Nõ displiceret, si in Gręco esset, καὶ τῷ ποιῆσαι, id est, & faciendo, quemadmodum ille legisse uidetur. Hortatur itaq; eos ut bonũ opus, quod & facere, & uelle cœperant, faciendo perficiant. Voluntas quidem pro facto, coram Deo accipitur, si desit faciendi facultas, uerum ubi illa uolentem, nõ destituit, ibi non probatur inefficax, & ignaua uoluntas. Cum ergo nihil impediret Corinthios quo minus quod & facere, & uelle cœperant, perficerent, recte admonentur ab Apostolo, ut quod bene cœperant, perficiant.

VT quemadmodum uoluntas prõpta fuit, inquit, ita & perficiatis ex eo quo potestis.] In Græco sic legitur: ὅπως καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, οὕτως καὶ τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν, ubi omnino deest ꝓpositio ἐκ, id quod uel in Chrysostomo uideri poterat, qui sic legit: ὅπως καθάπερ ἡ προθυμία ἐκ τοῦ θέλειν, οὕτως καὶ τὸ ποιῆσαι ἐκ τοῦ ἔχειν, id est, Vt quemadmodum animi propensio ex uolũtate, ita & factum ex facultate. Vbi nos habemus τὸ ἐπιτελέσαι, ibi legit ille τὸ ποιῆσαι. Sensus igitur est. B Quod iam antea uoluistis, faciẽdo quoq; perficite, ut quemadmodum animi propẽsionem uolẽdo declarastis, ita & perfectionem operis ex eo quod habetis, ac possidetis, declaretis. Sic puto manifestum esse, corruptã nos habere lectionem in Græco, ubi legimus: τοῦ θέλειν pro, ἐκ τοῦ θέλειν. Nõ simpliciter dicit: ὅπως κατάπερ ἡ προθυμία ἐκ τοῦ θέλειν, οὕτως καὶ τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ποιῆσαι, id est ut quemadmodũ ex uoluntate est animi propẽsio & alacritas, ita sit & perfectio operis ex facto, sed, ita sit & perfectio, ἐκ τοῦ ἔχειν, id est, ex eo quod habetis. Hoc dicẽs cauet ne immoderatam, ac nimiam contributionem, quę facultates ipsorum excedat, poscere uideatur. Et id in sequentibus fusius explicat. Interim tamen admonet eos tacite, perfectionẽ eleemosynæ non esse simpliciter ex qualicunq; cõtributione, sed ex tali, quæ facultatibus respondeat, ut queadmodũ nõ requiritur nimia, ita & probãda nõ sit ea, quæ minor est, ꝙ ut facultati dãtis respõdeat. Et hęc ratio nõ in eleemosyna tãtũ, sed & in cæteris bonis est operibus spectãda. Bonũ opus nõ perficitur simpliciter, & utcũq; faciẽdo, sed faciendo pro uiribus. Qui minus facit ꝙ pro uiribus, palã testatur facere se nõ ex animi prõptitudine, sed obiter ac ꝑfunctoriè, atq; ita bonũ opus non ꝑficit, quia factũ ipsius & prõptitudine destituitur, & ad metã facultatis nõ pertingit. Quare admodum prudẽter Apost. ut secundã uolũtatẽ animi ꝓpensionẽ, ita secũdũ facultatẽ operis ꝑfectionẽ metitur. Sic enim nec grauat tenuiores, poscendo plura, quàm

ra, quàm præstare possint, nec approbat tenaciores, poscẽdo minus, quàm pro facultatum ipsorum mensura contribuere queant.

ETENIM, inquit, si prius adsit animi promptitudo, ea iuxta, quicquid illud est, quod possidet aliquis accepta est, non iuxta id quod nõ possidet.] Reddit rationem eius quod perfectionem eleemosynę mẽsura facultatis terminans dixit, ita sit & perfectio, secundũ id quod habetis. Et est sensus. Vbi enim animi propensio in ꝓpatulo est (hoc significat εἰ γὰρ προθυμία πρόκειται) est illa accepta & grata, secundum id quod quis habet, ac præstare potest, nec suprà illud poscitur amplius quicquã. Sic requirũtur hæc tria in eleemosyna, uelle, posse, dare. Tertiũ sine medio non requiritur, sine primo non probatur. Primum probatur sine tertio, ac sufficit, si desit secundum. In secundo mẽsura tertij consistit. Vide autem prudẽtiam Apostoli. Quamuis perfectio eleemosynæ nõ solũ ultra uires nihil poscit, sed & liberalitatẽ reqrit uiribus respondentẽ, de posteriori tamen nullã facit mentionem, quoniam molestum, & cũ sinistra suspicione cõiunctũ fuisset, sed in eo quod acceptius erat consistens inculcat, non requiri plura, q̃ cuiusq; posit præstare facultas. Ideo nõ cõtẽtus eò quod dixit, iuxta id quod quis possidet accepta est, addit, non iuxta id quod nõ possidet. Quãtum autem quisq; possideat consciẽtijs illorum relinquit. Nec determinat quantum de quanto sit dandũ, sed simpliciter monet, non requiri multum ab eo qui parum possidet, sed acceptũ esse munus, quod & prõpto animo detᷣ, & dãtis facultatẽ nõ excedat.

Non enim ut alijs sit relaxatio, uobis autẽ angustia, sed ut ex æquabilitate in pręsenti tempore uestra copia illorũ succurrat inopiæ, & illorũ copia uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas, quẽadmodum scriptum est: Qui multũ habebat huic nihil superfuit, & qui paululum habebat is nihilominus habuit.

Quare non requiratur eleemosyna, quæ mẽsuram possessæ facultatis excedat, istis uerbis primum declarat, deinde subijcit qualis requiratur. Accepta est, inquit, animi propẽsio, secũcundum id quod quis possidet, nõ secundũ id quod nõ possidet. Quare nõ secundũ id quod quis non possidet? Quia non hoc requiritᷣ, inquit, ut alijs sit relaxatio, uobis autẽ angustia. Hoc est, non talis quæritur contributio, quæ sanctis Hierosolymis agentibus pro sua copia quietem gignat, ac relaxationem molestiarũ, uos uero grauet, ꝓpterea quod ultra uires dederitis, & usibꝰ uestris, quæ necessaria sunt detraxeritis, ut tribulationem incurratis.

Dicet quisquam: Si talis eleemosyna non quęritur, quare paulo suprà Macedones eã ob causam laudauit, quod supra uires prõpti fuerint ad dandum. Respondeo. Aliud est non requirere, & aliud si non quæsitum fiat, laudare.

A Inhumanũ uidetur hoc requirere à quopiam, ut quibus ipse opus habet, alijs largiatur, quo illi laute uiuant, ipse autem interim cum fame luctetur, ac misere uiuat. Et tamen si quis hoc ex abundantia charitatis fecerit, quis non laudet? A Macedonibus nunquã requisiuit Apostolus, ut tãtũ darẽt, quãtũ suapte spõte dederunt, ubi dederũt ultro singularem illorũ charitatem laudauit. Quis ausus fuisset unquã petere hoc à diuina Maiestate, ut filius Dei pauper fieret pro nobis, quo nos illius paupertate ditesceremus? Nemo hoc sine grandi impudẽtia ac diuinæ Maiestatis iniuria, peti posse iudicasset. Et tamen cum ultro sit à filio Dei factũ, quis fidelium nõ supra omnes cœlos extollit? quis satis celebrare poterit? Quod itaq; dicit Apost. nõ ut alijs sit relaxatio, uobis autẽ angustia, nõ sic dicit, ut inde colligendũ sit, esse culpabile factũ, si quis sic seruiat alijs, ut ipse sibi molestiã asciscat, quo alijs cõmode uiuere liceat, cum id laudis potius habeat materiã, sed, quod nequeat tale quid citra pudorem peti à quoquam. Sic multa fiunt in rebus humanis, quæ nemo facile petat, uel cuiquã suadeat, & tamen ubi facta sunt, impense laudantur.

SED ut ex æquabilitate, inquit, in præsenti tempore, uestra copia illorũ succurrat inopiæ, & illorum copia uestræ succurrat inopiæ.] Vt nihil iniqui peti significet, limitat usum eleemosynæ & cõtributionis æquabilitate, quæ si uspiam certe inter Christianos, tanquã fratres ac filios Dei, locum habere debet. Sed ut ex æquabilitate, inquit. Repetẽdum est illud ἵνα ex B præcedenti particula, ac legendum ἀλλὰ ἵνα ἐξ ἰσότητος. i. Sed ut ex ęquabilitate. Aliàs in Græco est, ἀλλ' ἐξ ἰσότητος, id est, Sed ex æquabilitate. Est autẽ hic, ex æquabilitate, nihil aliud, quàm ex studio æquabilitatis.

IN præsenti tẽpore, inquit.] Particula hæc aliter atq; aliter accipitᷣ. Alij referunt eã ad tempus pręsentis uitę, hoc sensu. Vestra copia quã habetis in præsenti tẽpore, quasi quod in Græco est legẽdũ sit ad hunc modũ: τὸ ὑμῶν περίσσευμα ὁ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, cũ sit, ἐν τῷ νῦν καιρῷ τὸ ὑμῶν περίσσευμα. Sane sic quidẽ habet præsentis sæculi cursus, ut in illo alius abũdet opibꝰ, alius penuria prematᷣ, uerũ Apost. huc nõ spectauit. Alij referũt ad id tẽporis, in quo Apost. hæc scripsit, & sancti in ecclesia Hierosolymitana, & Iudææ magna famis molestia premebantᷣ. Et hic mihi sensus magis probatᷣ. Voluit enim Corinthios habere rationẽ præsentis calamitatis, ac simul innuit contributionẽ illã, qua describebat, nõ sic posci, ut sit ꝑpetua, sed ut præsenti dũtaxat necessitati sanctorũ succurrat. Ideo notanter particulam hanc, in pręsenti tempore, inseruit cui etiam uox καιρὸς concordat, quæ magis articulum temporis, quàm tempus significat.

VESTRA copia, inquit, illorũ succurrat inopiæ.] Græce est τὸ ὑμῶν περίσσευμα. i. Vestra abũdantia. Non dicit simpliciter, succurratis illis, sed, ut uestra abundantia succurrat illorum inopiæ, quibus uerbis duo facit.

Primum

1 Primum cauet ne molesta uideatur futura contributio, in eo quod ex abũdantia illorum aliquid dãdum esse significat. Etenim qui dat ex abundanti necessitatibus suis nihil incommodat, quia de ijs quibus ipse habet opus, nihil deterit.

Dices: At eiusmodi contributio non laudatur à domino, sed ea potius, quæ fit ex necessarijs, sicuti uidere est Lucæ 21. ubi duo minuta æra à uidua in gazophylacium missa præferũtur à Christo omnibus diuitum muneribus, propterea quod illi ex abundantia, ipsa uero ex sua penuria quod habebat dederat. Quid igitur est quod Apostolus Corinthios docet eleemosynam dare de abundanti?

Respondeo. Causam hanc studio sic moderatur, ut Corinthios reddat uoluntarios, inducatq; eos ad contribuendum haud grauatim sed alacriter. Cum ergo dixisset acceptam esse contributionem quæ sit & uoluntaria & secũdum id quod quisq; possidet, ne uideatur requirere, ut quod quisq; necessarium habet, alijs elargiatur, moderationem hanc subiecit, qua requirat non necessaria sed quę dentur ex abundantia. Sic mitigat omnia, sciens se agere non cum Macedonibus, sed cum opulẽtis Corinthijs. Interea tamen si illi exemplum Macedonum sequuti non ex abundanti tãtum sed & ex necessarijs contribuissent, nihilo hoc secius in illis quàm in Macedonibus laudasset.

2 Deinde, in eo quod inopiæ sanctorũ meminit, cui Corinthiorum abundantia succurrere debeat, significat urgentem esse causam, propter quam hæc contributio requiratur, necessitatem uidelicet egentiũ sanctorum, cuius debeant commiseratione tanq̃ fratres ad succurrẽdum permoueri. Nos admonemur, in quos debeat nostra liberalitas ubertim conferre. In egenos uidelicet & inopes fratres. Inopiam, nõ sanctitatem ac merita, sanctorũ proponit, cui sit alacriter succurrendum. Postea cœperũt impostores ac quæstores prætexere sanctitatẽ monachorum & Nonnarum, hominũ religiosorum ut aiebant spiritualiũ, Deo soli uiuentium, mundo mortuorũ, pro omniũ salute uigilantium, precantiũ ac psallentiũ. Et sub hoc prætextu corrasæ sunt ingentes opes, ut iam dici non possit, quod inopiæ taliũ succurratur sed quod luxui potius & ocio fomenta subministrẽtur. Quare quod hic Apostolus dicit: ut uestra abundantia illorum succurrat inopiæ, inuertendum est ac dicẽdum, ut uestra inopia illorum abundantiæ subseruiat. Huius inuersionis exempla omnium sunt manifestissima in reditibus ac tributis, quæ singulis annis in monasteria & Canonicorum collegia ex labore ac sudore plebis conferuntur.

ET illorum copia, inquit, uestræ succurrat inopiæ.] Particulam hanc cõmuniter omnes sic exponunt, ut copia pauperum sanctorum, quibus cõtributio fratrum, succurrere debuit, sit bonorum spiritualium, quæ ab illis prouenerint ad Corinthios, & cæteros quoq; qui ex

A Gentibus in Christum crediderunt (nam uerbũ domini ex Sion egressum peruenit ad Gentes) uel, quæ in posterũ ad Corinthios ab illis prouenire potuerint, per communicationem uidelicet singularis pietatis ac iusticię, in quibus ipsi non abũdauerint, sed inopes fuerint. Verum, meo iudicio, nihil horũ cogitauit Apostolus, cum hęc scriberet. Etenim, primum nõ dicit, quemadmodũ illorum copia uestræ succurrit inopiæ sed, ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, id est, ut & illorum abũdantia subueniat uestræ inopię. Quare patet non esse intelligendum de eo quod uerbum domini è Zyon ad Gẽtes iam tum erat egressum, & ad Corinthios quoq; allatũ, sed de futura aliqua bonorum cõmunicatione. Deinde si de bonis spiritualibus, quæ sint pietas & iusticia, quarũ potuerit communicatio peruenire ad Corinthios fideles, locũ hũc exposuerimus: mox q̃stio nascitur an Christiani qui Hierosolymis erant sic abundanter fuerint pij ac iusti, ut de abundantia iusticiæ ac pietatis suæ inopię credẽtium Corinthiorum succurrere potuerint. Dicant hoc quicunq; uoluerint, ego nũquam dixero. Scio esse communicationem fideliũ in bonis spiritualibus, de qua non est ut hic dicamus, uerum nõ uideo, quare danda sit ecclesię Hierosolymitanæ abundantia, Corinthiacæ uero inopia pietatis & iusticiæ. Nec conuenit hic sensus prudenti moderationi, qua Apostolus causam hanc sic tractat, ne quo pacto Co-

B rinthios suos offendat. Quomodo autem non offenderet, si Hierosolymitanis daret abundãtiam pietatis ac iusticiæ, ipsis uero inopiam, eamq; talem, cui per illos sit succurrendũ, modo ipsi de terrenorum suorum bonorum abũdantia aliquid illis impertiant. In summa, nec ueritati, nec prudentiæ Apostoli conuenit hic sensus, & interim fenestras aperit eorum imposturæ, qui sanctorũ merita, si detur aliquid, ex quadam illorum abundanti pietate ac iusticia alijs nugãtur esse communicabilia. Quare cogor à receptis huius loci expositionibus discedere, eamq; sequi, quæ & simplicior est, & ueritati mẽtiq; apostoli uicinior, nec fenestras reproborum hominũ imposturis aperit. Hanc esse iudico, si exponamus non de diuersorum bonorum, corporaliũ ac spiritualiũ, sed eorundem, corporalium scilicet, communicatione, ad hunc modum. Vt uestra copia in præsenti tempore, quo rerũ necessariarũ penuria Iudęa laborat, inopiæ illorum succurrat, ut in posterum, ubi per uicissitudinem rerum uos cœperitis egere, illi uero melius habere q̃ nunc, illorum copia uicissim uestræ succurrat inopiæ. Hoc sensu admonet Corinthios, esse rerum uices, sic ut non semper abundent, qui ad tẽpus abundare uidẽtur, nec semper inopes sint, qui iam penuria rerũ laborant, unde cogitẽt, quod sibi in tali casu fieri uelint, id faciãt & alijs, nec insolescant propter luculentiorem modici tẽporis fortunam, nec contemnant fratres propter præsentem egestatem, cuius & ipsi olim

sint incommoda experturi. Hæc sententia mihi hoc loco probatur, iudicent cordati.

VT fiat æquabilitas, inquit.] Hoc est, ut remoueatur à Christianis inæqualitas illa, qua uidemus inter incredulos & alienos à Christo, alios agere in luxu ac delitijs, alios contra fame torqueri, nec esse ullam cōmunicationē rerum necessariarū, nec commiserationē erga inopes & afflictos, q̃ inæqualitas inter Christianos locum habere nō debet, inter quos regnat non φιλαυτία sed φιλαδελφία, quarum altera ęquabilitatis, altera uero inæqualitatis est mater. Vtiq; ueris Christianis cor est unum & anima una. Vbi hæc est unitas, ibi non est alius diues, alius pauper, sed suppetit singulis unde uiuant, propter fraternam bonorum communicationē, sicut in exemplo primorū Christianorum Act. 4. uidere licet. De hac æquabilitate loquitur hic Apostolus, quæ sine communicatione rerum necessariarum locum in hoc sæculo habere nō potest. Deus enim sic mundū hunc dispensat, ut nō reddat omnes ex æquo diuites, neque omnes pariter pauperes, sed alios diuites, alios pauperes, ut sint in quibus liberalitatis suæ, ac rursus in quibus disciplinæ suæ exempla uisenda proponat, detq; diuitibus occasionem exercendæ erga proximos pauperes fraternæ dilectionis ac beneficētiæ, pauperibus uero materiam fiduciæ, qua à prouidentia sua pendeant, & ut interim in patientia comprobentur & exerceantur.

Quis autem sufficiēter perpendere poterit, quantū momenti æquabilitas ista ad hoc adferat, ut animi sic inuicem de bonis suis cōmunicantium inter se coalescant, & cor unum & anima una esse in domino pergāt? Hic fieri nō potest, ut diues fastidiat pauperem, quem pauperē esse nō sinit, sed cōmunicatione fraterna æqualem sibi reddit. Rursus fieri nō potest, ut pauper diuiti opes quas habet inuideat, cū eas propter fraternā communicationem non minus suas q̃ illius esse uideat. Verum ab hac æquabilitate nostra hæc tempora omniū sunt alienissima, in quibus album & nigrū tam sibi inuicē dissimilia nō sunt, atq; inæquales inter se sunt q̃ opibus abundāt & q̃ inopia laborāt.

QVEMADMODVM scriptū est, inquit: Qui multum habebat huic nihil superfuit, & qui paulum habebat, is nihilo minus habuit.] Locum hunc citat ex ijs quæ de Māna Exodi 16. leguntur ad hunc modum. Hic est sermo quē pręcepit uobis dominus. Colligat unusquisq; ex eo quātum sufficit ad uescendum, Gomer per singula capita, iuxta numerū animarū uestrarū quæ habitāt in tabernaculo sic tolletis. Fecerūtq; ita filij Israël & collegerūt, ali⁹ plus alius minus, & mēsi sunt ad mensurā Gomer, ולא חעדיף חמרבה והממעיט לא חחסיר איש לפי אכלו לקטו, id est, & non abundauit qui multum, neq; eguit qui modicum collegerat, singuli quantū ad edēdū satis erat collegerūt.

Hanc historiam inducit Apostolus, & proposito suo accōmodat, quatenus in illa declaratur q̃ placeat domino æquabilitas alimenti necessarij in suo populo, quod ipse illi pro sua bonitate suppeditat, & cōtra q̃ displiceat auaricia eorū, qui cum detrimēto proximorū suorum necessitatis mensurā excedentes, plura sibi coaceruāt quàm usus necessarius postulat. Æquabilitas exprimitur in eo quod dicit Moses, & non abundauit qui multum, neq; eguit qui modicum collegerat. Quomodo autē factum hoc sit, declarat mox ubi subijcit: singuli quantum satis erat ad edendum collegerunt. Etenim qui numero domesticorum cæteros superabant, necessario quidē plus cæteris, qui uero numero erant pauci, minus quàm illi colligebant, & tamen, nec illi abundabāt, nec isti egebāt, propterea quod singulis Gomer unū deputatum fuerat, tam in numerosa quàm in minus numerosa familia, tam diuitibus quàm pauperibus. Etenim secundum numerum capitum cuiusq; domus colligebatur & numerus Gomer, quemadmodum præscriptum ac determinatum fuerat à Domino.

Dices. Ergo si qui plus collegissent quàm pro numero capitum, atq; ita necessarij alimenti mensuram excessissent, culpabiles fuissent tanquam præscripti diuini trāsgressores. Deinde æquabilitas ista non constabat mutua contributione, quæ locum non habet, ubi nemo est qui egeat. Atq; ita hæc historia damnat abundantes, & nullos habet egentes, adeoq; & nullam contributionem. Quare impertinēter ab Apostolo ad causam quam agit adducta uidetur, in qua sunt egentes & non requiritur, ut nemo opibus abundet, sed hoc tantum, ut qui abundat egenti de abundantia sua communicet. Respondeo. Scopus est Apostolo commendare fidelibus æquabilitatem. Et quoniā illa pulchre fuerat in populo Israël, cum cœlitus per Manna pasceretur, diuino præscripto instituta historiā illius hactenus applicat suæ causæ, quatenus simpliciter exemplum habet æquabilitatis, non quatenus singulari pręscripto Dei certa colligēdi cibi moderatio fuerat determinata, non quod alijs modis non possit fieri æquabilitas, uel quod per se illicitum sit esse diuitem, uel domino displiceat, si in populo ipsius sint pauperes, sed quod ea moderatio tum temporis conueniret circumstantijs & loci in quo agebant annis 40. & alimēti quo de cœlo communiter omnes pascebātur, & pædagogiæ, qua rudis populus manifesto & quotidiano diuinæ erat prouidentiæ experimento in fide Dei instituendus. Is modus instituendæ ac seruandæ æquabilitatis mutatus postea est, ubi ipsam promissam terram incolere, agros serere, uineas plantare, urbes & pagos inhabitare, & consueta humano generi commercia inter se exercere cœperūt. Ibi alia poscebatur æquabilitatis retinendæ ratio. Ea nimirum quæ charitate & contributione fraterna constaret, qua de eidem est populo pręscriptum Deut. 15. ad hunc modum. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuę, idcirco ego

co ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno ac pauperi, qui tecũ uersatur in terra. Hanc rationem & prima ecclesia Christianorum amplexa est Hierosolymis, & Apostolus ubiq; in scriptis suis urget, quę ob id est præstantior ea quæ fuit in deserto, quod exercitio mutuæ charitatis constat, quæ nos cum Deo coniungit, ac diuinæ bonitatis consortes reddit, à qua illa fuit aliena. Neq; enim occasionem dabat mutuæ charitatis per contributionem exercendæ, cum nec abundare nec egere quenquam sineret, quod necessarium alimentum concernebat. Quod reliquam substantiã auri & argenti & pecorum attinebat, erant utiq; in populo, cũ in solitudine quoq; ageret, multi diuites, cæteris opulentiores, uerum in necessaria uitæ sustentatione nec diues abundabat, nec pauper egebat. Nam & uestimenta omniũ ex æquo infracta durabant in deserto, & calciamenta pedum omnium nulla uetustate absumebãtur, & quotidie singulis non minus tenuioribus, quàm ditioribus æqua mensura Gomer alimoniæ gratia cœlitus dabatur. Quare cum æquales essent in uictu & amictu, nec ulla esset cuiquam alterutrius penuria, æquabilitas ista charitatis & mutuæ contributionis exercitio destituebatur, conuenientior populo rudi, quàm ei qui sit in uerbo domini institutus, ac spiritu uerę dilectionis imbutus.

Deut. 29.

Verum deplorandum hoc est admodum, quod usq; adeo inter nos, qui Noui testamẽti populus sumus, charitas & quæ ex charitate est mutua contributio refriguit, ut multo plures sint causæ, propter quas eiusmodi æquabilitas in uictu & amictu diuinitus nunc detur, qualis fuit in deserto, ꝙ fuerint olim in populo rudi & nõdum in uerbo domini instituto. Alias ad finẽ usq; mũdi sperãdũ nõ est, ut ęquabilitatis commodis potiamur in hoc sæculo.

Gratia autem Deo qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi. Nam exhortationem quidem accepit, uerum cum diligentior esset suapte spõte ad uos abijt. Misimus autem unà cum illo fratrem eum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias, nec id solum, uerumetiam delectus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, cũ hac gratia quæ administratur à nobis ad ipsius domini gloriam, & animi uestri promptitudinem: declinãtes hoc, ne quis nos carpat in hac exuberantia quæ administratur à nobis, procurantes honesta nõ tãtum coram domino sed etiam coram hominibus. Misimus autem unà cum illis fratrem nostrum quem probauimus in multis sępenumero diligentẽ, nũc autem multo diligentiorem ob multam fiduciam quam habeo erga uos, siue Titi

A nomine qui socius meus est & erga uos adiutor, siue aliorum qui fratres nostri sunt & legati ecclesiarum, gloria Christi. Proinde documẽtũ charitatis uestræ, & nostrę de uobis gloriationis in eos demonstretis, etiã in cõspectu ecclesiarum.

Toto hoc contextu laudat & commendat Corinthijs legatos, quos ad eos propter hanc contributionis causam miserat, ut contributa ab illis accepta ad se adferrent. Meminit autẽ trium: Titi uidelicet, & duorũ aliorum, sic ut singulorum encomia seiunctim ponat. Gratia autem Deo, inquit, qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi. Hunc cæteris duobus pręponit, propterea quod esset Corinthijs notus, imò iam antea haud parum apud eos in opere domini laborasset. An illis pręstatior quoq; fuerit nostrum non est pronũciare. Orditur autem commendationem eius à δοξολογίᾳ Dei, laudans diuinã bonitatem, quod cor illius in eandem curam ac solicitudinem excitarit, qua ipse erga Corinthios admodum afficiebatur. Poterat simpliciter dicere: Abijt ad uos Titus, plenus eiusdẽ solicitudinis pro uobis qua ego distineor, uerum ut significaret illis, causam hãc geri diuinitus, atq; ita animos eorum propẽsos ad illam redderet, dixit: Gratia autem Deo, agatur uidelicet, uel, agẽda est à uobis, qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi.

B Nobis obseruandum est, quod solicitudinẽ instituendæ contributionis, qua necessitatibus sanctorum Hierosolymitanorum consulẽdum erat, uocat solicitudinem pro ipsis Corinthijs, quos ad contribuendum solicitabat, quibus uerbis significat se magis ipsorũ quàm Hierosolymitanorum rationẽ habere in hac causa, sed huius admonuimus & antea. Deinde, eiusmodi solicitudinem candidam ac synceram esse donum Dei, qui illam dat in corda uerorum uerbi sui ministrorum. Nisi ille det tales animos, nihil purũ erit in omnibus omnium ecclesiarũ eleemosynarijs ministris, uel potius dominis. Nam domini esse cœperunt, qui olim ministri fuerunt.

NAM exhortationẽ quidem accepit, inquit, uerum cum diligentior esset, suapte sponte ad uos abijt.] Declarat unde cognouerit eandẽ solicitudinem in corde Titi datam esse à domino. Nam, inquit, cum exhortarer eũ ut ad uos cõtributionis huius gratia proficisceretur, depræhendi eum uoluntarium ac spontaneum, & in id negocij ultrò & usq; adeo propensum, ut manifestum esset curã hanc à domino cordi ipsius esse inditã. Supra meminit unde motus Titum adhortatus sit, ut hanc quoq; gratiã erga Corinthios expediret. Hic significat, ꝙ uoluntarium eum ad id negocij inuenerit. Habemus ergo exemplum hic uoluntariæ obedientiæ, quam Apostolus in Tito suo deprædicat. Commẽdat in eo, quod fuerit αὐθαίρετος, σπουδαιότερος, adhortationem acceperit & Corin

thum abierit. Hęc ſunt ornaméta ſyncerę obe A dientiæ. Eſſe uidelicet uoluntarium, adhortationem ſuſcipere, ſolicitum eſſe, & ad id quod faciendum eſt abire. In his eſt ueræ obediétię plenitudo. Falſa eſt, ubi adhortatio quidé aure accipitur, uerum quod faciendum eſt non perficitur, uel ab inuitis, & neglectim perficitur.

SVAPTE ſponte, inquit, ad uos abijt.] Paulo ante ab illis ad Paulum redierat, illiq; reſipiſcentiam, ſolicitudinem & obedientiam eorũ deprędicauerat ſicuti cap. pręcedéti uidimus. Iam ad illos denuo mittitur, propter unã hanc cauſam, ut cœptam apud eos contributionem expediat, & contributa ſecum ad Paulum adferat. Conſtituerat enim ille Hieroſolymam proficiſci, & ſanctis illic gratiam & cõmunicationé eccleſiarũ ex Gentibus offerre. Abit auté ſponte, quia cordi ipſi erant eccleſiarum commoda, & pręterea paulo ante corã reſipiſcétiã & obedientiam Corinthiorũ expertus fuerat.

Meminit autem huius de Tito, non tam laudãdi illius gratia, q̃ ad hoc, ut intelligerét eſſe illum erga ipſos amanter affectũ, propter pręteritam obſequétiam, qua ſe illi ad omnia morigeros exhibuerant, & hinc in ipſa cauſa propter quã ad ipſos redibat, eò ſe ductiliores ac magis propenſos præberent. Poterat alia in illo commendare, uerum quoniã ipſis iam abũde notus erat, tacitis uirtutibus quibus erat præditus, hoc unum ſignificat, quod ſpóte ad ipſos abijſſet, quo animum illius erga ſe beneuolum agnoſcerent.

MISIMVS autem, inquit, unà cum illo fratrem eum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes eccleſias.] Quod Titum nõ ſolum miſit, ſed duos illi fratres adiunxit, non eſt ſine conſilio factũ, ſicuti uidebimus mox infrà. Quis autem fuerit frater iſte, de quo pręd icat, quod laus illius ſit per omnes eccleſias, & quod delectus fuerit comes peregrinationis ſuæ, non eſt concors omnium ſentétia. Alij Lucam, alij Barnabbã intelligunt. Chryſoſt. de Barnabba intelligit, propterea quod ille comes fuerit peregrinationis Pauli, & pręterea clarus propter Euangelij prædicationem. Et huic aſſentiũtur nonnulli ex recentioribus. Sophronius uero præſentem locum de Luca exponit. Sic enim de illo ſctibit. Λουκᾶς ἰατρὸς ἀντιοχεὺς καθὼς τὰ συγγράμματα αὐτοῦ δηλοῖ τῆς ἑλληνικῆς οὐκ ἄπειρος σπουδαστὴς παύλου ἀποστόλου, καὶ πάσης αὐτοῦ τῆς ἀλλοδαπῆς ἀκόλουθος, συνέταξεν εὐαγγέλιον, περὶ οὗ αὐτὸς παῦλος, ἀπεστείλαμεν φησὶ σὺν αὐτῷ τὸν ἀδελφὸν οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ κατὰ πάσας τὰς ἐκκλησίας. Et huic ſententię Hieronymus conſentit. Sane de Luca uel ex Actis apoſtolorum cõſtat, quod comes fuerit peregrinationis Pauli. Nec dubium eſt, quin multum laudis cõſequutus ſit in omnibus eccleſijs præſertim gentiũ, propterea quod Euangelicam hiſtoriam ſingulari fide ac diligentia Græco ſermone conſcripſit. Probabile naq; eſt quod nihil huius in ſcripto ante illum communicatum fuerit Græcis eccleſijs. Matthęus nanq; Ebraice hiſtoriã Chriſti contexuit, quæ à Græcis legi non potuit do A nec Græco idiomate conuerteretur. Et de Iohãne cõſtat quod poſt cęteros ſcripſerit. Marci Euangelion ut epitomen habet eius quod à Matthæo ſcriptum eſt, ita poſt illud contextũ eſſe patet. Quod ille Græcè ſcripſerit, & non Ebraice uel Ægyptiacè, quomodo probetur non uideo. Hiſce coniecturis exiſtimo uerosimilius ſentire eos qui hæc de Luca quàm qui de Barnabba exponunt.

Mea ſentétia ſic habet. Quod hic Paulus dicit, fratrem illum quem unà cum Tito Corinthũ miſerat, comité fuiſſe peregrinationis ſuę ab eccleſijs delectum, intelligendum eſt nõ in uniuerſum de tota illius peregrinatione, ſed ea tantum, qua collectas eccleſiarũ quæ erant inter Gentes, Hieroſolymã deportare conſtituerat. Ad hanc perficiendam delecti fuerunt ab eccleſijs nonnulli fratres, qui unà cum ipſo proficiſcerentur. Ex his fuiſſe Barnabbã mihi haudquaq̃ probabile uidetur. Etenim poſtq̃ ille diuulſus fuit à Paulo, ob diſſidiũ inter ipſos propter Marcum exortũ, non legitur amplius cum eo fuiſſe coniunctus. De ſeperatione illorum legimus Act. 15. quo tempore nec Corinthij, nec Macedones ad Chriſtum fuerát conuerſi, Macedonum ſiquidem conuerſio poſtea ſubſequuta eſt ſicut uidere eſt Act. 16. & Corinthiorum adhuc poſt illam, ut Act. 18. habetur. Cum igiť legatio hæc ad Corinthios facta ſit non ante illorum conuerſioné ſed diu poſtea, & Barnabbas anteq̃ illi conuerterentur à Pau B lo fuerit ſegregatus, nec illi poſtea cõiunctus legatur, quomodo ab eo Corinthũ cum Tito mitti potuit, in cauſa, cuius adminiſtrationis principium Act. 19. demum inchoatur. Lucam uero in ea peregrinatione Hieroſolymã cum Paulo profectũ eſſe, ex ipſius profectionis narratione omnibus abũde redditur manifeſtũ. Quare q uerba hæc Apoſtoli de Barnabba exponunt, non ſatis cauſam hanc inſpexiſſe uidétur. Reſpexerunt ad ea quæ de ſocietate Pauli & Barnabbæ Act. 13. 14. & 15. leguntur, & non ad ea tempora, in quibus hæc ſunt à Paulo ſcripta, ad quæ ſi reſpexiſſent, nõ amplius Barnabbam in comitatu Pauli fuiſſe depręhendiſſent.

CVIVS laus eſt, inquit, in Euãgelio per omnes eccleſias.] Bene de omnibus eccleſijs meritus, merito ab omnibus eccleſijs laudať. Lucas conſcribendo Euangeliũ bene eſt de omnibus eccleſijs meritus. Ergo, &c. Quod maiorem attinet, admonentur eccleſiæ, ut bene de illis ſentiant ac loquantur, qui laboribus ſuis bene de ipſis ſunt meriti. Magis optandum eſt hoc ut fiat, q̃ prædicandum quod fiat. Sic ſunt noſtra tempora. Quod minoré concernit, admonentur cordati omnes, quid promereãtur illi qui ſcriptis ſuis regnũ Chriſti ac doctrinã ueritatis pro ſuis quiſq; uiribus, & mẽſura donationis ſpiritus, ſcribendo ac lucubrando illuſtrant, eoq; laborum genere omnibns, quantum in ipſis eſt, eccleſijs in cauſa pietatis ac uetæ ſalutis proſunt. De Luca ſcribunt nõnulli quod fuerit pictor. Quod ſi imaginũ uſus qui nunc

nunc est, apostolorum tempore fuisset in ecclesijs, & ille picta simulacra Seruatoris, beatę uirginis, Iohannis Baptistæ, & apostolorũ ad ecclesias misisset, an non dicendũ potius fuisset Apostolo cuius laus est in pictura imaginum sanctorũ, q̃, cuius laus est in Euãgelio, per omnes ecclesias? uerum hic pictor, Christi & apostolorum imagines non corporeas penicillo, sed spirituales scripto Euãgelico depinxit, atque ita mirũ in modũ profuit ecclesijs, & laudem, quę etiamnũ durat, est promeritus, ut ueraciter potuerit Apostolus dicere, cuius laus perpetua in omnibus erit ecclesijs.

NEC id solum, inquit, uerumetiã delectus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostrę] Quoniã quod dixit, cuius laus est in Euãgelio, generalius erat q̃ ut ad propositũ faceret, subiugit ista tanq̃ propius ad causam quã agebat facientia. Diximus autem paulo suprà, non loqui ipsum de uniuersa peregrinatione sua, sed ea tantũ, qua profecturus erat Hierosolymã & sanctis contributionem ecclesiarum ex Gentibus unà cũ quibusdã fratribus ab ecclesijs ad id negocij delectis assignaturus. Ex hisce erat hic Lucas, quẽ ideo unà cum Tito Corinthũ misit, ut aliarum ecclesiarũ præiudicio Corinthios induceret ad credendum suas collectas, uiris istis absque ulla hæsitatione fide dignis, quorũ prior ipsis erat iam antea notus, deq; ipsis optime meritus, secundus reliquarũ ecclesiarum iudicio & electione dignus, de cuius fide prorsus nihil addubitarent.

CVM hac gratia, inquit, quæ administratur à nobis ad ipsius domini gloriam, & animi uestri promptitudinẽ.] Declarat cuius peregrinationis suæ comes delectus ab ecclesijs fuerit frater iste quem miserat cum Tito. Eius uidelicet, in qua cum gratia, id est, cum collecta ecclesiarũ, quam administrandam susceperat, Hierosolymam erat profecturus. In eam profectionẽ delectus erat Lucas ut unà cum ipso proficisceretur. Commendat autẽ causam hãc non ex eo solum, quod singularis existimationis uiros Corinthum miserat qui illam isthic expedirent, sed ex eo quoq;, quod ipse eã administrandam susceperat, de cuius fide dubitare nõ poterant, ad hæc, quod administraturus eam esset non modo ad refocillationem pauperum, sed & ad domini gloriam, & ipsorum promptitudinẽ. Hæc eo faciebant, ut de causa hac non leuiter sed pie ac religiose sentientes, quo pluris eam facerent, hoc alacriores ac liberaliores ad contribuendum redderentur.

AD ipsius domini gloriã, inquit.] Erasmus reddidit: ad eiusdem domini gloriam. Sane sic reddi potest quod in Græco legitur, πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ κυρίου δόξαν. Nec est ociosa lectio. Pertinẽter nanq; admonet eundem ipsis cum ecclesia fratrum Hierosol. esse dominum, ad cuius sit gloriã factura ipsorũ contributio & contributionis administratio. Ergo gloriosum in se est, si frater fratri, eiusdẽ fidei cõsorti, de bonis suis, sicubi necessitas postulauerit, liberali & alacri animo communicet. Alioqui ad gloriam domini fieri non posset. E contra igitur ignominiosa est omnis auaricia & tenacitas.

Nec est ut quæramus, unde sit cõmunicatio ista ac liberalitas gloriosa. Accedit ad diuinã naturã, unde nobis omniũ indigis omnia necessaria liberalissime suppeditantur, id quod nõ modo fideles sed & infideles agnoscere coguntur, inter quos magni fiunt homines liberales ac munifici, propterea quod diuinũ quid spirare uidetur, unde & superstitiosa uetustas eos qui singulare quoddam beneficium mortalibus contulerunt, in deorum numerũ retulit. Hinc est illud Christi, sic luceat lux uestra corã hominibus ut uideãt opera uestra bona, & glorificent patrẽ uestrũ qui in cœlis est: quibus uerbis de operibus beneficẽtiæ loquitur, quæ ab incredulis etiam pro bonis agnoscuntur & laudantur. Vbi ergo Christiani benefici ac liberales esse depræhenduntur, utiq; ea gloria redit ad dominum, cuius sunt nomini consecrati, & spiritu imbuti, quemadmodum & ignominia ad ipsum redit, si fuerint auari, tenaces, & illiberales.

ET ad animi uestri prõptitudinẽ, inquit.] Vulgata lectio habet: & destinatam uoluntatem nostram, & exponit Lyranus, ad exequendum nostræ uoluntatis ordinationem. Verũ in Græco est καὶ τὴν προθυμίαν ὑμῶν. Tribuit illis promptitudinẽ & alacritatem animi, qua propensi fuerint ad contribuendũ. Et hoc faciens incitat eos ad maiorem alacritatem, prȩsertim cum se gratiam hanc non modo ad gloriã domini, sed & ad prõptitudinẽ ipsorũ declarãdã ac testificandã administraturũ dicit. Satis quidem incitamenti homini pio ad hoc est, ut q'd bonũ est alacriter operetur, si intelligat opus suum facturum ad gloriã domini Dei ac redẽptoris sui, uerum sciens negociũ sibi esse cum imperfectis adhuc & rudibus, adiecit particulam hanc de laude promptitudinis ipsorum, qua ut homines afficerentur & ad ampliorem contribuendi alacritatem incitarentur. Prudẽtiam hanc imitentur ministri uerbi, ut duplici hoc affectuũ genere, & ipsi fideles cũ ut pios, tum ut homines ad pietatis studium excitẽt.

DECLINANTES hoc, inquit, ne quis nos carpat in hac exuberantia, quæ administratur à nobis.] Quo consilio non miserit Titum solum sed illi adiunxerit duos fratres probatæ fidei uiros, hisce uerbis aperit. Declinantes, inquit, hoc, ne quis nos carpat. Si coniungas ista præcedentibus, quibus dixit, quæ administratur à nobis, dicẽdum potius fuerat, στελλομένων, id est, declinantibus, q̃ στελλόμενοι, id est, declinãtes. Iam cum legatur στελλόμενοι, manifestum est referendum esse ad illud quod paulo suprà dixit: Misimus autẽ unà cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio, &c. ut sequatur ratio, declinantes hoc, ne quis nos carpat. Quasi dicat. Ideo misimus hunc fratrem, propter Euangelium laudatum in omnibus ecclesijs, & præterea delectũ ab ecclesijs, ut sit peregrinationis huius nostræ comes, quo declinemus maleuolorũ morsus cauẽtes ne quis nos carpat, quasi

tam exuberantis pecunię collectam non satis fideliter administremus.

PROCVRANTES, inquit, honesta non tantum corã domino sed etiã corã hominibus.] Quomodo declinet malorũ hominum detractionem, ac sinistrã de ministerio suo suspicionem, hæc dicens declarat. Procurando uidelicet honesta. Græcè est, προνοούμενοι, id est, prouidentes. Significat sibi hoc esse curæ, ut administrationẽ hanc neq; leuiter, neq; modis suspectis, sed honeste & fideliter obeat, ideoq; non misisse uulgarem aliquem hominẽ, minus notum, neq; Titum solum, quantumuis uirũ probatum ipsisq; cum primis cognitum, sed adiũxisse illi etiã alios uiros honestos & fidei probatę, ne quem locum relinqueret cuipiam carpendi se in hac causa. Locus hic diligẽter obseruandus est illis qui in ecclesia Dei aliqua in re ministrant, præsertim pecuniaria, quo synceritatẽ, fidem, & cautionem apostoli imitẽtur. Principio, uidemus hic q̃ ille non susq; deq; faciat, quid de se loquantur ac iudicent alij, carpãt ne uel laudẽt. Declinantes, inquit, ne quis nos carpat in hac exuberantia, quę administratur à nobis. Agnoscit exuberantem esse pecuniarũ summam, quam administrandam susceperit, cogitat q̃ facile sit, ut sinistra suspicione propter illam grauetur, & q̃ eiusmodi suspicio indigna sit suo Apostolatui, & noxia futura causæ Christi & sanctorum egenorum, ideoq; declinat illã studiosissime. Hodie nulla est ne mica quidẽ eiusmodi solicitudinis in animis Rom. põtificum, de Petri & Pauli successione gloriantium. Administrandam susceperũt annatarum, ut uocant, pecuniã, multo numerosiorem q̃ fuerit collectarum, de quibus loquit̃ hic Apostolus. Carpũtur ob illius abalienationem in ipsis Imp. comitijs, nedum multorum piorum hominũ sermonibus & querelis, uerũ fraus meretricis perfricta erubescere nescit. Bonis ecclesiæ pro libidine in omnis generis luxum abutuntur, ob quam perfidiã hodie palam accusantur, uerum accusatores suos fastidiosissime exufflant. Deinde, quomodo declinat & cauet, ne à quopiam in administratione tam copiosę pecunię carpatur? Nõ legibus, minis, & execrationibus, sicuti solent pontifices. Quomodo ergo? Modo prorsus Apostolico & efficaci. Hũc ponit bimembrem. Primo, στελλόμενοι, inquit. Nõ dicit στέλλοντες, sed στελλόμενοι. στέλλω inter alia significat ordinare ac contrahere, quod legibus & minis fieri solet à tyrannis, στέλλομαι uero in passiuo contrahi metu ac cauere, quod eorum est, qui honestatis & innocentiæ sunt studiosi. Sic cõtrahebatur Apostolus, & cauebat, ne incideret in maleuolorũ hominum detractrices & carpentes linguas. Deinde προνοούμενοι, inquit, καλά, id est, solicita prouidentia procurantes honesta. Quomodo? Non tantum coram domino, inquit, sed etiã coram hominibus. Hoc est, non solũ in ueritate quæ nota sit conscientiæ Dei, sed & in specie ueritatis & honestatis, qua satisfiat consciẽtijs hominum. 1. Thess. 5. iubemur abstinere ab omni

A specie mala, nedum à malo ipso. Primum quidem est approbare se conscientiæ Dei, uerum sic animati sunt qui hoc ueraciter faciũt, ut & coram hominibus quæ honesta sunt diligẽter procurẽt, ne quo pacto cuiq̃ sint offendiculo. Nullius sibi fraudis ac perfidiæ conscius erat Apostolus, sed syncere coram domino agebat omnia, uerum quo & ecclesię Dei satisfaceret, legationẽ hanc uirorũ fide dignorũ ac selectorum Corinthũ mittit, quo coram hominibus quoq; honeste ageret. Hoc exemplũ Apostoli prorsus est omnib⁹ Christi ministris imitãdũ.

MISIMVS autẽ, inquit, unà cum illis fratrẽ nostrum, quem probauimus in multis sępenumero diligentẽ.] Hunc tertiũ cõmendat à cõprobata diligentia. Quẽ probauimus diligentem, inquit, non semel atq; iterum sed sæpenumero, non in modicis ac paucis sed, in multis. Sic exprimit non uulgarem sed singularem in hoc fratre diligentiam. Inuenias qui per occasionem, aut respectu proprij alicuius cõmodi, in uno & altero negocio diligentes sese ostendant, quos propterea non uocamus σπουδαίους, id est, diligentes ac solicitos, quia quod faciunt, faciunt non ex animo sed perfunctorie, & per occasionẽ alicuius lucri. Qui uero uel natura uel dono Dei uere sunt diligentes, illi in multis, in magnis & paruis, & semper sunt diligẽtes. Hi autẽ aptissimi sunt rebus gerendis, pręsertim quæ singularem solicitudinem ac diligentiã requirunt. Quare fratrem hunc, propterea quod inuenerat eum sæpenumero diligentem, causæ huic unà cum Tito & Luca præfecit. Quis autẽ frater hic fuerit, haud facile cõijci poterit. Neq; necessarium est ut conijciatur. Optandũ fuerit eiusmodi multos esse in ecclesia, qui curæ, diligentiæ, sedulitatis, ac solicitudinis dono diuinitus præditi, negocijs ecclesiasticis utiliter gerendis præfici possint.

B

NVNC autẽ diligentiorem, ob multam fiduciam quam habeo erga uos, inquit.] Illud, nunc autem diligentiorẽ, sic positũ est, ut ambiguum sit, ad præcedentia ne sit uel ad sequẽtia referendum. Si ad præcedentia, sensus erit. Misimus autẽ unà cum illis fratrem nostrum quem probauimus in multis sæpe diligẽtem, nunc uero, id est, in hac causa, diligentiorẽ depræhendimus, uel fore confidimus. Misimus autẽ eum ob multam fiduciã quam habemus erga uos. Si ad sequentia, quod mihi magis ꝓbatur, exponendũ erit ad hũc modũ, qui nũc, in causa hac uestra, propter quam cum primis duobus mittitur, plus adhuc solicitudinis ac diligentię pollicitus est, ob multam fiduciam, quã me erga uos habere intellexit. Vide autẽ prudentiã Apostoli. Dum hanc reddit rationẽ quare frater iste diligentior futurus sit in hoc Corinthiorũ negocio, quod uidelicet multũ sibi fiducię erga ipsos esse intellexerit, simul eos incitat, ut eiusmodi fiducię promptitudine & liberalitate cõtribuendi respondeant. Etenim uix aliquid magis improbũ ac dedecorosum uidet̃, q̃ bene de nobis sperãtiũ fallere fiduciã.

SIVE Titi nomine, inquit, qui socius meus est, &

est,& erga uos adiutor, siue aliorũ qui fratres nostri sunt,& legati ecclesiarũ,gloria Christi.] Græca sic habent, εἴτε ὑπὲρ τίτου κοίνωνος ἐμὸς καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός. εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα χριστοῦ, id est: Siue pro Tito,socius meus, & erga uos adiutor,siue fratres nostri, legati ecclesiarum,gloria Christi. Omnino subintelligendũ est aliquid,quod sententiam compleat.Chrysostomus sic habet, τί ἐστιν, εἴτε ὑπὲρ τίτου; εἰ δεῖ τι εἰπεῖν, φησι. ταῦτα ἔχω λέγειν, ὅτι κοινωνὸς ἐμὸς, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός. εἴτε ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἀκοῦσαι τί βούλεσθε, καὶ αὐτοί ἀδελφοὶ ἡμῶν καὶ ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, id est: Quid est,siue pro Tito?Si dicendum est aliquid, inquit, hæc dicere possum,quod socius meus sit,& erga uos adiutor,siue de alijs audire quid uultis, & ipsi fratres nostri sunt,& legati ecclesiarum. Si cui hæc lectio placet,habebit hũc sensum. In summa,siue de Tito siue de reliquis duobus quid sentire debeatis quæritis. Titus socius meus est,& erga uos cooperarius,cæteri duo fratres nostri sunt,& præterea legati ecclesiarum, gloria Christi.Huic sensui competit,ut illud, ὑπὲρ τίτου uertatur,de Tito.

Verum uersio Erasmi cum hoc sensu non concordat,neq; uulgata, quæ habet, siue pro Tito.qui est socius meus,&c. Hic erit Græca lectio sic complenda, εἴτε ὑπὲρ τίτου, ὅς ἐστιν κοινωνὸς ἐμὸς, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός, εἴτε ὑπὲρ τῶν ἄλλων οἵ εἰσιν ἀδελφοὶ ἡμῶν,&c.ac uertenda.Siue pro Tito, qui est socius meus,&c.siue pro alijs qui sunt fratres nostri, ut sit sensus. Misimus autem unà cum illis fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpenumero diligentẽ,nunc uero multo diligentiorem ob multam fiduciam quam habeo erga uos,siue pro Tito,siue pro cæteris duobus,qua confido uos illum, tanquam socium meum,& erga uos cooperarium,& istos tanq̃ fratres nostros & legatos ecclesiarũ, propter Christum, cuius sunt gloria, amanter accepturos,ac fidem illis indubitatam nõ minus q̃ mihi,si ad uos uenirem,præbituros.Lectori liberum sit iudicium.Vtrũ sensum ex his probauerit,nihil est periculi.

SIVE pro Tito,inquit,qui est socius meus, & erga uos cooperarius meus.] Titus erat Apostoli discipulus, & tamen uocat eum sociũ suum.Quare?Quia erat illius cooperarius. Socius erat igitur laborum illius,non ipsius Apostolatus,& Apostolicæ authoritatis.Qua in re uidemus Apostoli modestiam, qua discipulũ simpliciter uocat socium suum.

SIVE aliorum,inquit,qui sunt fratres nostri,& legati ecclesiarum.] Non dicit,qui sunt legati nostri,sed, qui sunt fratres nostri & legati ecclesiarum. Tanta modestia causam hanc agit,ut authoritatem Apostolatus sui nõ prætexat,sed magis respectũ ecclesiarũ, à quibus fratres isti ipsi erant coniuncti, ut ipsarum essent in hac causa legati. Vocat & Rom. Pontifex,quos secum habet Carnales, suos fratres: uerum quos ad reges ex illis,& principes mittit,nõ ecclesiæ legatos,sed legatos à latere appellat, quo suam in illis authoritatem uenerandam ac suspiciendam esse moneat. Nec immerito.Non enim ecclesiarum Christi, sed sua per illos agit negocia.

GLORIA Christi.] Siue duos illos fratres, siue unà cum illis & Titum gloriã Christi uocat,nobis obseruandum est, quos debeamus in ecclesia ministros habere in precio, amãter amplecti,ac reuereri.Eos uidelicet, qui sic ministrant solicite ac fideliter, & sic præterea uiuunt,ut sint Christo suo domino non dedecori,sed gloriæ.Qui diuersum agunt, non Christo,sed uentri suo seruiẽtes, quæstũ in ecclesia sectantes,oues Christi non pascentes,sed perdentes, ac simul turpissime uiuentes, ut non sunt gloria Christi, sed nominis illius ignominia,ita nõ sunt uenerandi, sed tanquam sal infatuatus contemnendi & abijciendi.

PROINDE documẽtum charitatis uestræ, inquit,& nostræ de uobis gloriationis, in eos demonstretis,etiam in conspectu ecclesiarũ.] Sic claudit cõmendationem trium istorũ legatorum,per parænesim ultro illam consequentem.Etenim cum tales essent quales eos commendauit,consequebatur dignos esse quos amanter susciperent,illisq; reuerenter obsequerentur.Sic itaq; concludit. Proinde documentum charitatis uestræ,& nostræ de uobis gloriationis,in eos demonstretis.

Hortatur eos, ut duo cõprobent ac demonstrent erga tres hosce fratres ac legatos, quæ utraq; ipsis maxime laudi & ornamento poterant esse futura.Vnum est,ut quàm sint charitate Christi præditi, legatos istos amanter ac reuerẽter suscipiendo declarent.Alterũ,ut gloriationem suã de ipsis ueram fuisse cõprobẽt. Hoc est,ut prompte ac largiter in usus sanctorũ contribuant.Hoc enim illos facturos spem fecerat, & Tito & fratribus reliquis & Macedonibus quoq;, gloriãdo de illis, quàm essent ad hanc causam animo prompto & alacri.

Vide autẽ quomodo loquatur. Non dicit simpliciter: Proinde suscipite eos reuerenter ac placide,& largiter contribuite,sed, τὴν οὖν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν, id est,ostensionem,demonstrationem dilectionis uestræ, & nostræ de uobis gloriationis in eos ἐνδείξασθε,id est,ostendite,demonstrate.Q.d.Scio uos diligere Christum & Christi ministros, ac propensos esse ad succurrendum egentibus sanctis. Quare non hortor ut tales sitis,sed ut quod estis, erga uiros istos esse uos demõstretis,quo & charitatẽ nõ quãuis,sed uestrã,& promptitudinẽ iuuandi pauperes, qua estis secundum gloriationem meã de uobis prediti,cõprobetis ac manifestam faciatis.Magnam ubiq; prudentiam spirant scripta Apostoli,uerum in ijs potissimum,quę ad Corinthios istos scripsit, si singula diligenter inspicias.Vtinam habeamus tales medicos & animarũ & corporũ, qui tanta solicitudine ac prudentia utantur erga curandos infirmos.

Illud,etiã in conspectu ecclesiarum,in Grę co est, καὶ εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν,id est, & in faciem ecclesiarũ. Chrysostomo idẽ est quod εἰς δόξαν καὶ τιμὴν ἐκκλησιῶν,id est,in gloriam & honorẽ ecclesiarũ.Hoc sensu, in faciẽ ecclesiarũ aliquid

facere, idē eſt quod reſpectu ac reuerētia eccleſiarū facere. Etenim, inquit, ſi hos uiros honore affeceritis, cedet is honor eccleſiis, à quibus ſunt miſſi. Non diſplicet hic ſenſus. Poteſt tñ etiā ſic exponi. Charitatē ueſtram, & comprobationē gloriationis noſtrę de uobis, oſtendite in eos nō ſeorſim modo & priuatim, ſed & in faciē eccleſiarū ueſtrarū. Lyranus exponit, ut & alijs eccleſijs innoteſcat charitas ueſtra ad ædificationē fideliū. Quoniā non determinat de quibus eccleſijs loquat̃, fit ut alij de eccleſijs exponāt, quarum fratres iſtos dixit eſſe legatos, alij de eccleſijs Achaiæ, ad quas illi mittebantur, alij in genere de omnibus eccleſijs, ad quas rumor de liberalitate Corinthiorū pertingere poterat. Quomodocũq; exponamus, uidemus Apoſtolum requirere à Corinthijs, ut eccleſiarum habeant rationem.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Eandem materiam proſequitur, quā capite præcedenti cœpit.

CAPVT IX.



Nam de ſubminiſtratione q̃dē quæ fit in ſanctos ſuperuacuū eſt mihi ſcribere uobis. Noui enim promptitudinem animi ueſtri, quā de uobis iacto apud Macedones: quod Achaia parata ſit ab anno ſuperiore, & ueſtrum exemplum prouocauit cōplures. Miſi tamen hos fratres, ne gloriatio noſtra qua glorier de uobis, inanis fiat in hac parte: ut quemadmodum dicebam, parati ſitis, ne quo pacto fiat, ut ſi mecū uenerint Macedones, & offēderint uos imparatos, nos pudore ſuffundamur, ut ne dicam uos, in hoc argumento gloriationis. Proinde neceſſarium arbitratus ſum adhortari fratres, ut prius accederent ad uos, & præpararēt iam ante promiſſam bonam collationem ueſtram, ut ea ſit in promptu, ſic tanquam bona collatio, & non tanquam fraudatio.

Cohærent iſta cum præcedentibus, à quib⁹ nō erant diſtinctione hac noui capitis auellenda. In calce præcedentis dixerat: Proinde documentū charitatis ueſtræ, & noſtræ de uobis gloriationis in eos demonſtretis, & in conſpectum eccleſiarū. Iam poſtremæ huius particulæ, & in conſpectū eccleſiarū, rationē ſubijcit, dicens: Nam de ſubminiſtratione quidem quę fit in ſanctos, ſuperuacuū eſt mihi ſcribere uobis. Q. d. Quod uos hortor, ut documentū charitatis ueſtræ & noſtræ de uobis gloriationis in legatos hoſce demonſtretis, nō hoc animo facio, ut ipſe experiar quomodo hac in re ſitis affecti, quaſi de ueſtra charitate dubitē. Nā mihi quidē, id eſt, quod me attinet, non eſt opus, ſed ſuperuacuum, ut ſcribam uobis de ſubminiſtratione hac quæ fit in ſanctos. Verū quod ſcribo, ob id facio, ut eccleſijs cæteris innoteſcat ueſtra charitas, manifeſtumq; fiat q̃ nō fruſtra de animi ueſtri ſimus promptitudine gloriati. Etenim mihi illa ſatis eſt perſpecta. Sic poſtq̃ dixit: Nam mihi quidem ſuperuacuū eſt ſcribere uobis de ſubminiſtratione hac quę fit in ſanctos, mox ſubiecit: Noui enim promptitudinem animi ueſtri, quam de uobis iacto apud Macedones. Verborum itaq; iſtorum emphaſis eſt in pronomine MIHI, & ordinanda eſt lectio ad hunc modum: Nam de ſubminiſtratione hac quæ fit in ſanctos, mihi quidem ſuperuacuum eſt ſcribere uobis. Vocula, quidem, non eſt ocioſe poſita, id quod infrà patebit, ubi dicit: Miſi tamen hoſce fratres. Quod ſi tamen illā ut poſita eſt acceperis, ac legeris: Nā de ſubminiſtratione quidē q̃ fit in ſanctos, &c. ne ſic quidē impedit̃ ſenſus quē oſtēdim⁹.

NAM de ſubminiſtratione quidem, inquit, quæ fit in ſanctos.] In Græco eſt περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας. Loquitur de ſuo miniſterio, quo in uſus ſanctorū cōtributa à fidelibus colligebat. Quamuis nōnulli exponunt de ſubminiſtratione contribuentiū non colligentis Apoſtoli. Notum tamē eſt, quomodo uoce hac διακονία, in hac cauſa utatur. In priore epiſtola cap. ultimo, cum de modo colligendi fidelium cōtributa admonere uellet, uocem λογίαν uſurpauit dicens, περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, id eſt: De collecta uero quæ fit in ſanctos. Ipſam uero cōtributionem, & contributa, uocat χάριν, & κοινωνίαν & εὐλογίαν, id eſt, gratiam, communicationem & benedictionē. De eo quod dicit: quæ fit in ſanctos. 1. Cor. ultimo diximus.

SVPERVACVVM eſt mihi ſcribere uobis, inquit.] Et tamen interim prolixe ſcribebat, quamuis ſciret illorum promptitudinem, hoc agens, ut illa innoteſceret eccleſijs ad ædificationē. Admonent̃ hic miniſtri uerbi, ut etiāſi ſciāt ipſi quomodo animati ſint fideles quib⁹ præſunt, urgeant tñ eos, ut id manifeſtū faciāt ipſis operibus, quo & alij ædificent̃. Deinde et illi, qui propterea quod quæ facienda ſint norunt, ægre ferunt ſi de illis admoneant̃ ſępius, habēt hic quod cogitent. Superfluū quidē uideri, ſi ſæpius audiant iam antea cognita, uerū nihilo ſecius admonēdos eſſe ſe, ut quæ ſciūt, opere quoq; præſtent ac ſcire ſe declarent.

NOVI enim, inquit, promptitudinē animi ueſtri.] Vnde illam ſciebat? Suprà cap. præcedēti dixit: qui nō ſolū facere, uerumetiā uelle iam cœpiſtis anno ſuperiore. At interea decies mutari poterāt, & προθυμία ipſorū deſinere in μεταθυμίαν, id quod in rebus humanis quotidie fieri uidemus. Sane quod Galatis accidit, accidere potuit & iſtis. Verū pro ingenio charitatis meliora ſperabat, credens eos eadē adhuc eſſe prōptitudine præditos in hac cauſa, qua prædīti fuerāt anno ſuperiore. Cum ergo diuerſum quid de illis neſciret, hāc ſe ſcire dixit.

QVAM

QVAM de uobis iacto, inquit, apud Macedones.] At Macedonibus opus non erat, ut exemplo Corinthiorum ad promptitudinem contribuendi prouocarẽtur, cum usqueadeò αὐθαίρετοι essent, ut ipsorum promptitudinẽ initio capitis præcedentis Corinthijs imitandã proponens, satis commendare & deprædicare nequiuerit. Quorsum ergo promptitudinẽ Corinthiorum tantopere apud eos iactare uoluit? Respondeo. Duo fines erant ipsi gloriandi de alacritate eorum, qui se promptos in hac causa & consimilibus alijs ostendebãt. Vnus erat, ut alios ad imitationem illorum prouocaret. Hoc consilio Macedonum promptitudiuem admodum eximiam iactauit in hac Epistola apud Corinthios. Alter erat ut eos qui iam prompti erãt, & αὐθαίρετοι in promptitudine quam habebant aliorum exemplis confirmaret, etsi fieri posset magis adhuc proueheret & ad ampliora incitaret. Sic promptitudinem Corinthiorum hic apud Macedones iactare se dicit.

QVOD Achaia parata sit ab anno superiore inquit.] Hoc uidelicet iactabat apud Macedones. Nõ dicit q̃d Corinthus, sed, quod Achaia parata sit. Non enim de Corinthiorum tãtum ecclesia, sed & de cæteris quæ in ea regione erant, loquens, paratas eas esse iactabat. Achaię metropolis est Corinthus. Quare dũ eam nominabat, simul & Corinthum complectebat̃. Et interim de Achaia iactando apud Macedones, non Philippenses tantum, uel Thessalonicenses, qui metropolitani erãt in Macedonia, sed totam Macedoniam exemplo Achaiæ in promptitudine contribuendi confirmabat.

ET uestrum exemplũ prouocauit plures, inquit.] In Græco est, καὶ ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος, id est, & zelus qui ex uobis. Vulgata habet, & æmulatio uestra. Apparet non esse frustra quod nõ dicit, καὶ ὁ ὑμῶν ζῆλος, id est, & uester zelus, sed, καὶ ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος, id est, & zelus qui ex uobis, subintellige, nascebatur. Loquitur enim, meo iudicio, non de Corinthiorum zelo, sed Macedonum, quem illorum complures ex gloriatione ipsius conceperant, qua Achaiam dicebat esse paratam. Quare uulgata rectius haberet, & æmulatio uestri, quàm, & æmulatio uestra.

Quid est autem quod Macedones hic exẽplo Corinthiorum prouocatos dicit, cum initio præcedentis capitis tantopere de illis prædicauerit, quod fuerint αὐθαίρετοι in hac causa, illorumque promptitudinem Corinthijs exempli loco proposuerit? Respondeo. Non dicit, prouocauit omnes, sed, prouocauit plures, significans esse inter eos plures, quibus occasionem æmulationis de Achaia gloriando præbuerit. Interea nõ aufertur cæteris gloria, quã illis suprà tribuit. Vide autem quàm prudẽter prouocet eos Macedonum istorum exemplo, ut & ipsi uicissim per illud ad æmulationem permoueantur.

MISI tamen hos fratres, inquit.] Hactenus ab initio capitis exposuit, quomodo non ad hoc de subministratione quæ fit in sanctos ad ipsos scribat, ut ipse cognoscat quàm sint prompto erga illam animo, quod id esset superuacuum, quandoquidẽ abunde sciat, qua sint promptitudine, sed ad hoc potius ut eam declarent erga legatos istos, & ecclesijs manifestam faciant, qua de re iam subijcit, dicens: Misi tamen hos fratres, &c. In Græco est, ἔπεμψα δὲ, id est, sed misi, uel, misi uero, ubi δὲ respondet ei μὲν, quod initio capitis habetur ad hunc modũ, περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας, id est, nam de ministerio quod fit in sanctos, superuacuum quidem est mihi scribere uobis, &c. misi tamen hos fratres.

NE gloriatio nostra, inquit, qua glorior de uobis, inanis fiat in hac parte.] Fusius exponit ad quid fratres istos miserit. Summa est, metuebat ne si imparati deprӕhenderentur, unà cum ipsis confusioni exponeretur, quãdoquidem paratos esse fuerat gloriatus. Hoc significans dicit: Ne gloriatio nostra qua de uobis glorior, intellige, quod parata sit Achaia, inanis fiat. Inane est, quod uero destitutũ est. Veritas igitur sola est, quæ omnia nostra dicta & facta solida reddit, sic ut sine illa prorsus sint inania. Magna est hæc gloria ueritatis. Iam cũ mendax sit omnis homo, quid consequitur aliud, quàm uanum & inanem esse omnem hominem, quatenus ueritate destituitur? Quare si uanitatis dedecus fugimus, necesse est, ut ueritati studeamus.

INANIS, inquit, fiat in hac parte.] Gloriabatur de illis non hoc tantum, quod parati essent ad contribuendum, sed & quod abundarent fide, sermone, scientia, ac diligentia. Quare ne uniuersam suam de illis gloriationem in hãc causam arctare uideretur, ubi dixit, ne gloriatio nostra qua glorior de uobis, inanis fiat, adiecit, in hac parte, ut reliquam gloriationẽ ad hanc causam non pertinentem excluderet. De illa siquidem certior erat quàm de ista. Erat autem pars ista non minoris momẽti, imò hoc maioris, quàm illa, quo magis quàm illa Christianæ habebat charitatis documentum, sine qua inanis est omnis fides & scientia, id quod adijcere poterat, uerum parcebat illis, sciens quanti facerent fidei, sermonis, & scientiæ, quam habebant, excellentiam.

VT quemadmodum dicebam, inquit, parati sitis.] Ad hoc scilicet miserat legatos istos. Quid autem est illud, quemadmodum dicebam? Quid dixerat? Achaiam dixerat esse paratam ab anno superiore. Ne hoc nõ ueraciter dixisse uideretur, misit legatos hosce, ut paratos se redderent.

Sed dices. Ergo nondum erant parati, & uerum non erat, quod Achaiam paratã esse fuerat gloriatus. Respondeo. Quoniam anno superiore & facere & uelle cœperant, sicuti cap. præcedenti dixit, ideo Achaiã paratã esse gloriabatur, nõ quod in uniuersum parati iam essent, sed quod studio parandi se, & opere ipso essent occupati. Sic solemus de illis gloriari, quos

quos uidemus opus aliquod alacri animo aggredi, ut dicamus illud esse iam factum propterea, quod sic animatos haudquaquã cessaturos esse confidimus, donec quod tam cupide cœperunt, opere compleant. Accidit hoc Apostolo in causa Corinthiorum. Quare non est uanitatis accusandus ob id, quod Achaiam hoc sensu dixit esse paratam.

NE quo pacto fiat, inquit, ut si mecum uenerint Macedones, & offenderint uos imparatos, nos pudore suffundamur, ut ne dicã uos, in hoc argumento gloriationis.] Quoniam apud Macedones paratam esse Achaiam fuerat gloriatus, & apud illos agebat cum hęc scriberet, essetque probabile, fore in ipsius comitatu cum discederet, nõnullos Macedones ab ecclesijs ad id officij delectos, ut ipsum deducerent & comitarentur, metuebat ne si Corinthũ unà cum illis ueniret, & imparatos offenderet, pro gaudio pudore suffunderetur.

VT si mecũ, inquit, uenerint Macedones.] Quod Corinthũ postea uenerit, non legimus. Constituit quidem illò proficisci, ut hic & alijs in locis apparet, uerum certis de causis quod decernebat, non perfecit. Cum hic dicit: ut si mecum uenerint Macedones, quasi de suo ad illos aduentu nihil dubitans, de comitatu Macedonum tantum dubitanter loquitur, tanq̃ de re etsi non certo futura, tali tamen quæ fieri probabiliter posit. Qua in re cum neutrum sit postea factum (nam è Macedonia rectà cõtendit Hierosolymam idque festinanter, ut illic esset in die Pentecost. habens in comitatu suo Macedones quatuor, sicuti uidere est Act. 20.) nobis obseruandum est, non modo non semper euenire quæ sancti decernunt, sed & nonnunquam metuere eos frustra, ne eueniãt quæ futura non sunt, atque ita probabili euentuum opinione decipi, perinde atque cæteros homines. Cum hæc acciderint ipsis apostolis, sunt à nobis patienter ferenda, tanquam humana, quibus admoneamur, ut quo minus certi de futuris euentibus sumus, hoc maiore fide à certitudine diuinæ prouidentiæ in omnibus pendeamus.

ET offenderint uos, inquit, imparatos, nos pudore suffundamur.] Quo animo ab hoc sibi pudore metuerit, & qualis ille sit, suprà in calce capitis septimi annotauimus, ubi dixit: Quod si quid apud illum de uobis gloriatus sum, non sum pudefactus.

VT ne dicam uos, inquit.] Hac particula admonet eum pudorem non sibi tantum, sed & ipsis Corinthiis euenturum, si imparati offendantur. Sed ea quoque de re loco iam citato diximus.

IN hoc, inquit, argumento gloriationis.] In Græco est, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως. Vulgatus interpres reddidit: in hac substãtia. Admonent nonnulli uertendum esse: in hac fiducia gloriationis, eò quod ὑπόστασις non solum substantiam, sed & audaciam & confidentiam Budæo teste significet. Sane hæc lectio nõ ma- A le conuenit præsenti causæ. Etenim quod gloriatus fuerat de Corinthijs Apostolus, esse illos paratos, magis fecerat ex bona erga eos fiducia, qua quod facere cęperant perfecturos sperabat, quàm ex certa scientia. Apparet tamen hanc uocem & hic & infra cap. 11. usurpatam esse pro ὑποθέσει, quæ uox propositum, causam, materiam & argumẽtum significat. Vt ut sit, nihil dicit aliud, quam quod paulo ante dixit, ἐν τῷ μέρει τούτῳ, id est, in hac parte: Idem enim cauere uoluit hoc loco quod illic.

PROINDE necessarium, inquit, arbitratus sum, adhortari fratres, ut prius accederent ad uos.] Quare necessarium? An necessariũ erat Apostolo cauere ne si Macedones uenirẽt, imparati offenderentur Corinthij & confusioni una cum ipsis exponeretur? Sic ipse animatus erat, & sic sentiebat. Hodie nihil uidetur minus esse necessarium, quam uitare confusionẽ & pudorem, ne ministerium uerbi infametur. Nihil enim minus quęritur, q̃ quod summopere quærẽdum ducebat Apostolus, & ut ducebat ita & sedulo quærebat, ædificationem uidelicet ecclesiarum & Regni Christi propagationem, quæ eiusmodi offendiculis ex comperta mendaciorum uanitate natis, mirum in modum destruitur. Quare pręter rationẽ non erat, quod ad uitandum hoc offendiculum necessarium iudicabat mittere fratres, qui quod adhuc curandum erat curarent.

ADHORTARI fratres inquit.] Non satis B pro authoritate apostolica loquitur, quam hodie Romani mandando & imperãdo fortiter exercendam esse iudicant. Poterat dicere, misi fratres, uerum quemadmodum miserat eos non mandando, sed hortando, ita se illos etiã misisse scribit, ut modestiam & facto & scripto spiret.

VT prius, inquit, accederent ad uos.] Romanus Pontifex citasset eos peremptorie, ut ad se uenirent Romam, non misisset fratres, qui ad eos accederent. Verum diuersum apostolatũ diuersi mores comitantur. Verus Christi Apostolus, omnia studiosissime uitans, quę aliquam poterant dominatus præferre speciem, non uocauit ad se Corinthios, sed misit ad eos fratres, qui quod agendum erat curarent, priusquã ipse cũ Macedonibus ad eos ueniret.

ET præpararent, inquit, iam ante promissam bonam collationem uestram.] Ad quid eos miserit hisce uerbis tandem exprimit. In Græco est καὶ προκαταρτίσωσι, id est, prius perficiant, absoluant, & expediant, iam ante promissam bonam collationem uestrã. In Græco est: εὐλογίαν ὑμῶν, id est, benedictionem uestram. Sic autem uocat collectam, quæ in usus sanctorũ parari debebat. Eam iam anno superiore promiserant non uerbis modo, sed & facto & uoluntate. Ideo uocat eam ante promissam, ut plus ponderis habeat & legatio fratrum, & præsens hoc scriptum. Nam ut uulgo dicitur, omne promissum cadit in debitum. De debito tamen tacens, promissionis meminit, quasi illius

illius fiducia fretus, fratres istos miserit, ut collectam promissam præpararent.

VT ea sit in promptu, inquit, sic tanquã bona collatio, & non tanquã fraudatio.] In Græco est, καὶ μὴ ὥσπερ πλεονεξίαν. Vulgata uersio habet, non quasi auariciam. Vox πλεονεξία significat nimiam illam cupiditatẽ, qua plura quàm par sit cupimus, à plus habẽdo. Ideo uetus interpres uertit, auariciam. Ambiguum autẽ est, intelligendum ne sit de cupiditate Corinthiorum uel fratrum istorum, quos miserat Apostolus. Sane poterat ex utraq; tam dantium q̃ accipientium parte peccari. Qui dat si det tenacius, facit hoc pleonexiæ uicio. Qui accipit, si accipiat cupidius, æquo & plura appetat q̃ cõueniat, facit hoc & ipse per pleonexiam. Existimo tamen significasse Apostolum Corinthijs, tum demum fore contributionem ipsorum ἑτοίμην, id est, paratam ac promptam, si sit non parca ac tenaciter collata, sed largiter, sicuti decet eulogiam, in usus sanctorum promissam. Et huic sensui fauent sequẽtia. Chrysostomus tamen alteri sententiæ adstipulatur. Nam sic exponit: μὴ νομίσατε, φησὶν, ὅτι ὡς πλεονεκτοῦντες αὐτὴν λαμβάνομεν, ἀλλ' ὥστε αἴτιοι γενέσθαι ὑμῖν εὐλογίας. Erasmus quoq; sic sensisse uidetur, dum reddidit: & non tanquam fraudatio. Hoc sensu ferè omnes maiorum nostrorum eleemosynæ in pleonexiam degenerarunt.

Illud autem dico. Qui semẽtem facit parce, is parce quoq; metet, & qui semẽtem facit in benedictionibus, in benedictionibus quoq; metet: unusquisq; secundum propositum cordis, nõ ex molestia aut necessitate. Nam hilarem datorem diligit Deus. Potens est autem Deus efficere, ut tota gratia in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiam habẽtes exuberetis in omne opus bonum: Quemadmodũ scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in sæculum sæculi.

Exponit quare admoneat Corinthios, ut contributionem faciant non in pleonexia, sed in benedictione. Hoc se exponere uelle significat dicens, τοῦτο δὲ, id est, hoc autem, scilicet, est quod dico, uel, quod specto. Quid? Qui parce seminat, inquit, is parce quoque metet, & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus quoque metet. Quasi dicat. Propterea uelim collectam uestram parari non parce ac tenaciter tanquam pleonexiam, sed liberaliter ac large tanquam benedictionẽ, quod ijs qui parce contribuunt, parce, qui large, large quoque retribuetur à Deo. Poterat sic simpliciter rem ipsam exprimere, uerum maluit similitudine uti omnium & notissima & conuenientissima, sumpta de ijs qui terrenam semẽtem faciunt, & ex illa uitæ suę alimenta colligunt, ut admoneat eandem esse conditionem dan-

A tis eleemosynam, quæ est facientis semẽtem. Qui seminat, id quod ex benedictione domini acceperat antea, partim in usus domesticos impendit, partim sementi deputat, & telluri committit. Facit autem hoc non grauatim ingemiscendo, sed alacriter bene sperando, manu non contractiore, sed aperta, semen suum proijcit in agrum uacuum, nihil habentem, & ex se nihil reddere ualentem, nec proijcit tantum, sed & occando operit, ac uelut in agri uisceribus sepelit, ubi hoc opus suũ perfecit incrementum illius domino committit, & ab illius munificentia fructum expectat.

Consimili modo qui dat eleemosynam, nõ dat nisi ex ijs quæ & ipse antea de manu diuinæ benedictionis accepit (excluditur in hac causa, quod iniquis est modis acquisitũ) quorum alia suis ac suorum usibus accommodat, alia pauperibus consecrat. Et dum hoc facit, non ingemiscendo grauatim, nec parca, sed larga manu facit. Et quod dat ueluti semen in uacuum agrum, sic in famelicum pauperem proijcit, ac totum gratiæ Dei commendat, sciens non perire quod in uiscera pauperum sepelitur: Qui sic benigna manu seminat eleemosynam, benignam uicissim diuinæ remunerationis messem sortietur.

QVI sementem facit, inquit.] Ergo semen est eleemosyna, idque non ut in horreo reconditum, sed ut in agro seminatum, & qui dat eleemosynam, sementem facit. Sementem autem facere, non est frustra res nostras dilapi-B dare, sed cum fœnore multiplicare.

PARCE, item, in benedictionibus.] Videmus hic, seminare in benedictionibus, & seminare parce, esse opposita quare benedictionis uocem pro copiosa contributione usurpatam esse patet. Vnde hoc sit, annotarunt ante me alij. Sensus hic conuenientior est Ebrææ uoci ברכה, quàm uel Græcæ εὐλογία, uel Latinæ, benedictioni.

Obserua uero quàm caute non dicat: Qui modicum, sed, qui parce seminat. Etenim licet in terrena satione sic habeat, ut qui parum seminat, parum etiam metat, siue id faciat parce per tenacitatem, siue modice per penuriam seminis, in hac tamen spirituali plurimum discriminis est inter eum qui parce cum large posset si uellet, & eum qui parum cum multa nõ habeat, in usus pauperum seminat. Etenim qui modicum habens, modicum largitur pauperibus, si id ex animo facit, nõ modicum largitur, sed multum. Vt enim iniuriæ, ita & beneficia animo constant.

PARCE metet, inquit, item, in benedictionibus, id est, copiose, metet.] Hoc dicens promittit cœlestem remunerationem, tanq̃ messem. Qui metit sementem quam fecit, ubi illa matura est, agrum cum falce ingreditur, & sata sua demetit, demessa colligit, inque horrea sua recondit. In hac spirituali messe nihil quæritur ex agro, id est, ex pauperibus, quibus semen nostrum concredidimus, nihil etiam ab

ipso

ipso Deo, agri huius domino, reposcitur, sed quæ ille suo tempore pro liberali sua bonitate rependit, metuntur, id est grato animo de manu illius recipiuntur.

Rependit autem ille parce, ijs qui parce, in benedictione ijs qui in benedictione, nihil ijs qui nihil seminarunt, ut quisque secundum sationis suæ mensuram recipiat, cuius rei imaginem in terrena satione uidemus. Cum nihil illis rependi dico, qui nihil in agro pauperũ seminarunt, non loquor de illis qui non tenacitate & immisericordia, sed paupertate impediuntur, quo minus aliquid egenis largiãtur, sed de tenacibus & immisericordibus, qui cũ habeãt unde dare possent, uiscera sua erga pauperes, & cum uisceribus ipsas quoque manus claudũt. Istis sanè nihil rependitur aliud quàm iudicium sine misericordia, illis uero ut uoluntas est pro facto, ita non minus rependitur, q̃ si permulta dedissent.

In eo quod dicit: Qui parce seminat, parce & metet: obseruandum est, quàm nullum bonum irremuneratum diuinæ bonitatis abundantia relinquat. Qui parce dat, quoniam hoc facit uel ex tenacitate, uel ex diffidẽtia, uel ex defectu charitatis, uel ex fastidio & contemptu pauperum, dignus esset prorsus, cui nihil rependeretur. Ea tamen est natura diuinæ bonitatis, ut & illorum eleemosynam etsi parce, remuneret tamen.

Deinde obserua, quod cum dicendum uideretur, qui seminat multum, is & multũ metet, dixit: Qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus quoque metet. Aliud enim est multum dare manu, & aliud multum dare corde syncero ac uoluntario. Qui manu dat multum, sic dare potest, ut parum sit in cõspectu domini. Qui syncero corde dat largiter, copiose dat in oculis domini. Et hoc est in benedictione dare.

VNVSQVISQVE, inquit, secundum propositum cordis.] Particulam hanc adiecit, ne quoniam parce messurum dixit eum qui parce seminat, multum à singulis requirere uideatur. Ideo benedictionem quam requirit, refert ad προαίρεσιν cordis, non ad abundantiam datorum. Hoc faciens cauet suspicionem pleonexiæ. Est autem προαίρεσις id quod penes nosipsos in corde prius eligimus ac statuimus, q̃ ad faciendum accingamur. In eiusmodi autẽ proposito est αὐθαίρεσις, quam Macedonibus capite præcedẽti tribuit, libera uidelicet & spontanea uolũtas. Huic liberum permittit, ut det quantum ipsa statuerit, nihil requirens aliud, quàm ut libera ac uoluntaria contributio fiat. Nequit autem fieri, ut non detur liberaliter, ubi datur uoluntate nõ reluctante, sed ultro ad dandum propensa. Et hic est fons eius eleemosynę, quæ sic datur liberaliter, ut possit nõ modo beneficentia, sed & benedictio uocari.

NON ex molestia, inquit, aut ex necessitate.] Græcè est, μὴ ἐκ λύπης, id est, non ex tristicia. Aperit quare dixerit: Vnusquisque secundum propositum cordis. Ne uidelicet contributio fiat cum tristicia & uelut ex necessitate coacta. Talis autem fiat necesse est, ubi non datur uoluntario cordis proposito. Quasi dicat. Nemo hic cogitur, nemini ex necessitate quantũ dare debeat præscribit. Quare non est ut quisquam ex uobis det tristis & inuitus. Qui non sponte potest dare, non est ut det inuitus, cum neque sit qui cogat, neq; tristis & coacta eleemosyna probetur. Per necessitatem intelligit coactionem, quæ coacti facimus, facimus inuiti, adeoq; & tristes. Aliàs non omnia necessaria reddunt coactos & inuitos. Necessario comedimus, bibimus ac dormimus. Nihil tamẽ horum coacti & inuiti facimus. Necesse est ad acquirendam salutem, ut resipiscamus & credamus Euangelio. Nemo tamen uere credens ac resipiscens inuitus credit & resipiscit. Necesse est, ut Deum timeamus, diligamus, & colamus super omnia & in omnibus. Et tamen fiunt ista à pijs animo non coacto, sed uoluntario, & in lege Dei meditante dies ac noctes. Sic necesse est ut diligamus proximos, ꝓpter mandatũ domini. Nec ista necessitas recipit animum coactum. Quis enim coactus & inuitus diligit? Verum si necesse sit ut quę tua sunt des ei quem non diligis, eiusmodi necessitas reddit coactum & inuitum, nõ natura sua, sed tuo uicio. Si nanque diligeres, non dares inuitus, sed αὐθαίρετος. Etiam tamen atque etiam animaduertendum est, qualis sit ista coactio, & quatenus demus inuiti. Si carne quidem reluctante, spiritu uero uolente & cogente dederimus, eiusmodi eleemosyna non est prorsus & sic coacta, ut ab inuitis data dici possit. Neque enim iudicandum est de illa secundum carnis, sed magis secundum spiritus uoluntatem. Ea uero tota coacta est & reproba, quam toti tam spiritu quàm carne damus inuiti.

NAM hilarem datorẽ diligit Deus, inquit.] Reddit rationem, quare nõ sit dandum ex tristicia aut ex coactione. Quia uidelicet non placent Deo, qui dant tristes & inuiti, eò quod ille diligat datorem hilarem. In promptu uero causa est, hilarem cur ille datorem diligat. Nõ tam munus ipsum quàm dantis animum spectat. Animi enim in dando hilaritas, multo est præstantior auro. Et sic comparati sunt quotquot homines sunt ingenui, ut magis delectẽtur dantis beneuolentia, quàm doni magnitudine. Parum iucunditatis habet munus cum tristicia datum, unde & in ea quæ ad Rom. est cap. 12. dicit: qui miseretur, faciat hoc in hilaritate. Et Ecclesiasticus cap. 35. dicit, ἐν πάσῃ δόσει ἱλάρωσον τὸ πρόσωπόν σου.

Vide autem quàm prudenter nõ dicat: nos enim hilares datores diligimus, uel, nam hilarem datorem diligunt pauperes sancti, sed, nã hilarem datorem diligit Deus, quo plus moueat ad spontaneam & hilarem contributionẽ. Poterat dicere, nam plus gratiæ habet donum hilariter datum, quàm quod datur cum tristicia. Verum prouocare uoluit eorum pietatem

tatem, quibus cordi erat placere Deo. Qui nãque sic animati sunt, nihil cum maiore faciunt delectatione, quàm quod Deo placere sciunt. Nec ociosum est, quod non dicit: Munus hilariter datum, sed, hilarem datorẽ diligit Deus. Munera nõ spectat Deus, qui omnibus bonis abundat, & omnia ipse donat, sed bonitatem eorum qui hilariter necessaria tribuũt egenis, eaque in re diuinæ sese naturæ conformant.

POTENS est autem Deus efficere, inquit, ut tota gratia in uos exuberet.] Iam illud explicat, quod dixit, qui in benedictionibus seminat, in benedictionibus quoq; metet. Ratio humana non potest aliter iudicare, quàm deperditum esse quod erogatur in pauperes, nihil rependere ualentes, non minus quàm si in sterilem proijciantur semina harenam. Quare non uidet unde sit messurus qui bona sua profundit in egenos. Ei cogitationi occurrens inducit Deum qui rependat. Huius potẽtiæ meminit dicens: Potens est autem Deus efficere, &c. quo carnem reprimat, quę dicit: impossibile est ut aliquid ex eo metatur, quod à pauperibus sic absumitur, ut nihil supersit residui. Quasi dicat. Etsi pauperib⁹ impossibile est, ut retribuant, Deo tamen non est impossibile, ut totam uestram gratiam, id est, gratuitam eleemosynã, in uos exuberare faciat, quemadmodum uos illã ubertim ꝓfunditis in pauperes.

Studio autẽ non simpliciter dicit: ut de gratia uestra portio aliqua, sed, ut tota gratia, nec dicit, ad uos redeat, sed, in uos exuberet, hoc est, cum fœnore ubertim ad uos redeat. Loquitur ad similitudinem largę sationis. Illã Deus sua potentia totam in agricolam exuberare facit, sic ut non modo quantum seminauit, sed multo adhuc plura magno cũ fœnore metat. Qui hoc singulis annis ubiq; terrarum tam erga malos quàm bonos facit, quomodo non faceret erga sementem eorum quos diligit, quã semẽtem facit charitas, per spiritumsanctum cordibus electorum infusa?

VT in omnibus, inquit, omnem sufficientiã habentes, exuberetis in omne opus bonum.] Exponit quomodo Deus totã gratiã eorũ qui succurrũt egenis exuberare in ipsos faciat. Vt in omnibus, inquit, omnem sufficientiam habentes, exuberetis in omne opus bonum. Adhuc loquitur ad similitudinem agricolæ, qui quod seminauit benedictione domini auctũ metit, inq; horreum suum colligit. Hic benedictionem domini experitur primũ in eo, qđ ex messe sua sufficiẽter recipit, unde cum suis uiuat, deinde in eo quoq; quod ultra eam sufficientiam adhuc recipit quod & seminet, & pauperioribus quoq; impertiat. De sufficiẽtia propriæ alimoniæ loquitur cum dicit ut in omnibus, intellige, ad uictum & amictum necessarijs, omnem αὐτάρκειαν, id est, sufficientiam uobis satisfacientẽ, habentes. De reliqua abũdantia, unde ad largiendum egenis sufficiat, loquitur cum subijcit, exuberetis in omne opus bonum. Hoc est, abũde simul habeatis un-

A de omne genus boni operis exerceatis, utpote, esurientes pascatis, nudos uestiatis, &c. Est hæc benedictio domini insignis, & ꝓpria piorum, sic uidelicut quæ in domesticos usus necessaria sunt habere, ut iuxta abũdet, unde beneficentiam exerceamus in pauperes. Vox αὐτάρκεια diligenter obseruanda est hoc loco. Promittit pio homini non quæ ad luxum & uoluptates, sed quæ ad necessarios usus sufficiãt, quibus possit esse contentus. Vnde αὐτάρκειαν nonnunquam pro frugalitate, & αὐταρκῆ pro contentum esse ponunt. Huius limites qui excedunt, incidunt in uiciũ πλεονεξίας, & inuoluũt se tentationibus innumeris, redduntq; prorsus ad omne bonum opus steriles & infrugiferos. Quare Apostolus magna ratione cum αὐταρκείᾳ abundantiam ad omne, opus bonũ sufficientem coniunxit. Metienda est autem αὐτάρκεια non multitudine bonorum, sed animo frugali necessario rerum usu contento, quem Apostolus alibi determinat dicẽs: Est autẽ quęstus magnus, pietas μετ᾽ αὐταρκείας, id est, cũ sufficientia (Erasmus reddidit, cum animo sua sorte contento) Nihil enim intulimus in hũc mũdum, uidelicet nec efferre quicquã possumus, sed habentes alimẽta, & quibus tegamur, his ἀρκεσθησόμεθα, id est, contenti erimus. Animo sic comparato non opus est magna bonorum copia, ad istam αὐτάρκειαν, sed modica sufficient. Est enim & ipsa natura minimis contenta. Si ad mensuram αὐταρκείας uiueremus, nunquam

1. Tim. 6.

B redderemur pauperes. Iam quoniam pars maxima insaniæ τῆς πλεονεξίας indulget, alter alterum in uicia trudimus, & ad extrema illãc abũdantiæ hac egestatis exorbitamus, atq; ita uitæ nostræ cursum multis nosipsi molestijs aggrauamus, cum si ad αὐτάρκειαν spectaremus, facillima nobis uiuendi ratio, opitulante nos diuina bonitate, constare posset.

QVEMADMODVM scriptũ est, inquit: Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in sæculum.] Locum hunc scripturę citat ex Psalmo 112. ubi prosperitas uiri iusti ac timentis Dei inter alias & ista prędicatur, quod q̃uis bona sua dispergat in egenos, perpetuo tamẽ habeat quo pauperibus succurrat. Id in Ebreo sic legit̃, פזר נתן לאביונים צדקתו עומדת לעד, id est: Dispergit, dat pauperibus, iusticia eius perstat perpetuo. Verbo dispergendi non prodigam bonorum profusionem ac dilapidationem, sed largam ac liberalem erogationem, in morem eius qui semen suum aperta manu dispergit in agrum, significat. Liberaliter, inquit dispergit sua bona, nõ tenaciter ac parce, dum largitur ea pauperibus. Et tamen hæc illius iusticia non perit dispergendo, sed firma & continua perstat perpetuo. Iusticiam autem intelligit bonitatem ac benignitatẽ egenis subuenientem, quo sensu uox צדקה in scripturis frequenter ponitur. Illam non consumit larga distributio quæ fit in pauperes, sed magis conseruat, perinde atq; agricolæ non perit semen quod seminet, ex eo quod singulis annis ma-

gnam seminis sui partem dispergit in terram, sed magis ex eo sic illi seminis copia paratur, ut quo plus seminauit hoc plus habeat quod porro seminet. Igitur hoc scripturæ loco tanquam fide digno spiritussancti testimonio cõprobat illud quod dixit: Potens est autẽ Deus efficere, ut tota gratia in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiam habẽtes, exuberetis in omne opus bonum. Huius rei imago in fontibus quoq; relucet, qui quo largius fluunt ipsorum aquę, uel hauriuntur crebrius, hoc aquarum scaturigines habent & expeditiores & copiosiores. Sic cõparata est diuinæ prouidentiæ bonitas, ut organis illis, quibus ad succurrẽdum necessitatibus nostris utitur, hoc plus suppeditet facultatis, quo plus illa in usus nostros erogant. Parca & sordida & tenacia & illiberalia pectora digna sunt, quæ tanq̃ sterilia, etiam ijs quæ habent priuentur, & inania reddantur.

Illud, iusticia eius manet in sæculum, exponunt ueteres de æterno iusticię prẽmio, quod dabitur in futuro. Verum conformior menti apostoli est expositio quam posuimus.

Qui uero suppeditat semẽ seminãti, is (potens est) & panem in cibum suppeditare ac multiplicare sementem uestrã, & augere prouentus iusticię uestrę, ut in omnibus locupletemini, in omnem simplicitatem, quæ per nos efficit, ut gratiæ agantur Deo. Nam functio huius ministerij non solum supplet ea quæ desunt sanctis, uerũ etiã exuberat in hoc, quod per multos gratię agantur Deo, qui per probationẽ ministerij huius glorificant Deum super obedientia consensus uestri in Euangelium Christi, & de simplicitate cõmunicationis in ipsos & in omnes, & in illorũ oratione pro uobis, qui desiderant uos propter eminentem gratiam Dei in uobis. Gratia autem Deo, super inenarrabili suo munere.

Id quod in præcedenti dixit adhuc clarius exprimit, usq; ad ea uerba quibus dicit: Nam functio huius ministerij. Qui uero suppeditat semen seminanti inquit. Ab exemplo incremẽti diuini, quo seminanti agricolæ semen quod in agrum proiecit, copiose multiplicatur, ut uberem messem sortiatur, fidem facit ei quod dixit: Potẽs est Deus efficere ut tota gratia in uos exuberet, &c. Nequit cœptæ similitudini satis immorari, qua uix aliud ad præsentẽ causam accõmodatius adduci potuit. Pro eo q̃d in præcedenti dixit: Potens est Deus, reponit hic periphrasim istam Dei: Qui suppeditat semen seminanti, in qua nos admonet eius potentiæ simul ac prouidentiæ Dei, qua seminãtibus nobis, plantantibus, ac rigantibus incrementum largitur, quo sata nostra multiplicentur. Potest autem quod dicit: Qui suppeditat semẽ, exponi tam de semine quod seminatur ab agricola, quàm de eo quod ab illo metitur. Nam utrunq; à Deo est, uirtute benedictionis illius suppeditatum qui suaipsius dona multiplicat dum quod satũ à nobis est copioso fœnore restituit.

IS, inquit, (potens est) & panem in cibum suppeditare, &c.] In Græco est, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγῆσαι, καὶ πληθῦναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ ἀυξῆσαι τὰ γεννήματα δικαιοσύνης ὑμῶν, id est, & panem in cibum suppeditare, & multiplicare sementem uestrã, & augere germina iusticiæ uestræ, &c. Hæc tria infinita, suppeditare, multiplicare, augere, quoniam sensum non complent, alij legunt in futuro, suppeditabit, multiplicabit, & augebit, quemadmodum uetus interpres reddidit, alij in optatiuo, suppeditet, multiplicet, & augeat, sicuti uertit Erasmus, quem sensum & Chrysostomus sequutus est, & post Chrysostomum recentiores aliquot. Mihi uero cogitanti, quàm sit præter morem Apostoli infinita ponere pro futuris uel optatiuis, apparet illud ex præcedentibus, Δύνατος, id est, potẽs est, repetendum esse, ac legendum: Qui uero suppeditat semen seminanti, potens est & panem in cibũ suppeditare, & multiplicare semẽtem uestrã, & augere germina iusticiæ uestræ, &c.

Is potens est, inquit, & panem in cibũ suppeditare. Facit hoc dum semen suppeditat seminanti. Verum hic de illis loquitur, qui seminant non in agro luteo sed in agro pauperum, quibus de bonis suis communicant. Ne illi soliciti sint ac dicant: Vnde uiuemus nos & nostri, postquã facultates nostras insumimus in pauperes? dicit Deum, qui semen suppeditat seminanti, posse ipsis & panem suppeditare in cibum. Sic carnis diffidentiæ ac solicitudini occurrit. Est autem argumentum à minori ad id quod multo est maius. Minoris momẽti est sementis quam facit agricola, quàm sit ea quã facit Christicola, qui semen suum in agrũ Christi, pauperes uidelicet sanctos, larga manu dispergit. Cum ergo Deus agricolæ sementi sic ubertim benedicat, ut copiosam messem ex ijs quę seminauit colligat, quomodo Christicolę sementem sic deserere poterit, ut ne panẽ quidem illi suppeditet in cibum? Per panem autẽ in cibũ, intellige ἀυταρκέιαν rerum necessariarũ, cuius in præcedentibus meminit.

AC multiplicare semẽtem uestram, inquit, & augere prouentus iusticiæ uestræ.] Idem bis dicit nisi quod prius per posterius exponit. Neq; enim terrenam ac triticeam sementẽ intelligit, cum dicit, ac multiplicare semẽtem uestram, sed contributionem in usus pauperũ faciendam, quam ideo sementem uocat quod pauperibus elargiri non sit detrimentum facere, sed lucrum. De hac se loqui significãs subiũgit, & augere prouẽtus iusticię uestræ. In Gręco est, τὰ γεννήματα, id est, germina. Vocat autẽ germina iusticiæ Corinthiorum, eandem contributionẽ quam semẽtem ipsorũ appellauit.

Dicit

Dicit Deum hanc posse multiplicare & augere, quo persuadeat ipsis, reijciendam esse solicitudinem carnis, quæ dicit: quo plus impendero egenis, hoc magis facultates meas imminuo. Tā abest, inquit, ut in pauperes facta contributio bonorum uestrorum futura sit diminutio, ut nullo possint illa meliori ac feliciori compendio multiplicari & augeri. Est enim illa sementis, germina habens uestræ iusticiæ, quam Deus & multiplicabit & augebit. Iusticiam ipsorum bonitatem ac benignitatem ipsorum uocat, respiciens ad locum quem supra ex Psal. 112. citauit. Huic autem admodum pulchre tribuit germina, quæ sunt opera charitatis, misericordiæ, & beneficentiæ, qualia sunt quæ in pauperes impenduntur. Quid ergo uocabimus thesauros diuitum auarorum ac tenacium, quos arcis inclusos magna solicitudine instar formicarū Indicarū custodiunt? Si iusticia piorum hominum sic est fœcunda, ut quæ tribuunt pauperibus, sint illius sementis & germina, quid aliud thesauros auarorū uocabimus, quàm inanes ac steriles iniusticiæ aristas?

VT in omnibus locupletemini, inquit, in omnē simplicitatē.] In omnibus locupletari, nihil est hic aliud, quàm quod paulo suprà dixit: Vt in omnibus omnem sufficientiam habentes. Nec illud, in omnem simplicitatem, aliud est quàm quod illic dixit, in omne opus bonum. Cap. prçcedenti eandem simplicitatē tribuit Macedonibus, ubi eam esse diximus, qua candide ac simpliciter absq; omni hæsitatione ac simulatione synceri homines pauperum inopiæ larga contributione succurrunt.

QVAE per nos efficit, inquit, ut gratiæ agantur Deo.] Nonnulli legunt, quç per uos. Nihl est autem periculi, utrolibet modo legamus. Hactenus prouocauit Corinthios ad hilarem ac largam contributionem, & diffidentiæ carnis occurrit, quç perpetuo deperire putat quç impenduntur egenis, & paupertatis se incommoda incursurā ueretur, si largius illis tribuat. Iam subijcit de gloria Dei, quç ex contributione illorū sequutura fuerit. Quç, inqt, simplicitas largiēdi hoc per nos est effectura, ut gratię agātur Deo. Est autem gratiarum actio, ipsissimus cultus Dei. Quare de illa non frustra quæ sequuntur subiecit, quibus materiam hanc eo fine claudit, ad quem omnia nostra dicta ac facta tendere debent.

NAM functio huius ministerij, inquit, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, &c.] In Græco est, ὅτι ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, id est: Nam ministerium officij huius. Vox λειτουργία sonat publicum officium ac ministerium, quo sensu hic ab Apostolo de ministerio curandarum collectarum usurpatur. Exponit præcedētem particulam, qua simplicitatē Corinthiorū per se dixit efficere, ut Deo agantur gratiæ. Tribuit hoc dicto iam ministerio suo. De illo hęc duo prædicat quę Deo sunt acceptissima. Vnum, quod suppleat ea quæ desunt sanctis, hoc est, quod pauperum fidelium, qui Hierosolymis & in Iudæa erant, necessitatibus succurrat. Quoniam autem hoc non tam est in cōspectu contribuentium q̃ in oculis Dei pręclarum, non dicit simpliciter: Nam functio ministerij huius supplet ea quę desunt sanctis, sed: non solum, inquit, supplet ea quæ desunt sanctis, atq; ita adiungit alterum: Verumetiā exuberat in hoc, quod per multos gratiæ agantur Deo. Neq; dicit simpliciter, quod gratiæ agantur Deo, sed, quod gratiæ per multos agantur Deo, significās quo liberalior sit eleemosyna hoc plurimum necessitatibus succurri, ideoq; plures ad gratias agēdas Deo ꝓmoueri, & sic fieri, ut à pluribus celebret̄ ac glorificet̄ Deus.

Larga itaq; fideliū eleemosyna præterquā quod egregium habet fidei & charitatis exercitiū, duos hosce fructus in illis parit, quibus per ipsam succurritur, si sint sancti, id est, Christiani ac pij, sustentationem uidelicet pauperū sanctorum, & glorificationem Dei. De primo dicit: Non solū supplet ea quæ desunt sanctis. Et sanctis dum in hac uita degunt, multa desunt, quæ fraterna potest supplere charitas, nō solum in corporalibus sed & spiritualibus. Verum superstitio Papistica imperitam Christi plebem à uiuis & multorum egenis sanctis ad mortuos colendos auertit, quorum defectus etiam si qui essent, implere tamē nō posset. In illos maximos sumptus facere consueuerunt, uiuis interea & egentibus sanctis egregie neglectis. Cæci homines non uident quàm diuinum sit opus, defectus implere sanctorū. Donec sumus in hac uita communi huic cōditioni subiacemus, ut in multis deficiamus, quæ nostra ipsorū nequeamus facultate supplere. Nemo ex omnibus est mortalibus qui sibijpse sufficiat in omnibus, ut aliorum non habeat opus subsidio. Sic res humanas diuina prouidentia constituit ac disposuit, quo necessario mutuis ueluti uinculis cōstricti coalescamus & conglutinemur, coniungatq; uel mutua necessitas quos non mox coniungit mutua charitas. Qui igitur sic animati sunt, ut defectus fratrum supplere gestiant, plane diuini homines sunt ac diuinæ naturę hactenus consortes quatenus diuino charitatis spiritu ducuntur.

Ad alterum pertinet quod dicit: uerumetiā exuberat in hoc, quod per multos gratię agantur Deo, in quo obserua gratitudinem sanctorum, qua pro corporali quoq; alimēto gratias agunt Deo, agnoscentes illius esse bonitatem ac prouidentiam, quod per fratres necessitatibus ipsorum subuenitur. Hanc non ita agnoscunt, qui opibus in hoc sæculo abundantes in delitijs ac luxu uiuunt.

QVI per probationem ministerij huius, inquit, glorificant Deum super obedientia consensus uestri in Euangeliū Christi, & super simplicitate communicationis in ipsos & in omnes.] Dixit ministerium hoc collectarum exuberare in hoc quoq;, quod per multos agātur Deo gratiæ. Id iam fusius explicat dicēs: Qui,

 uideli-

uidelicet multi, per probationem, hoc est, certum experimẽtum, ministerij huius, fructum illius sentientes, glorificant Deũ: quapropter? propter obedientiam uidelicet consensus uestri in Euangelium Christi, & propter simplicitatem cõmunicationis in ipsos & in omnes. Probationem ergo & euidẽs experimentum ministerij sui, in hac causa, statuit primum in eo, quod sancti Hierosolymitani per illud cognouerant, & adhuc amplius cogniturí erant, q̃ essent fideles ex Gentibus concorditer Euãgelio Christi subditi, deinde & in eo quoque quod experiebantur reipsa, q̃ candide ac largę cõtribuerent in suos & aliorũ omnium usus. Propter hæc duo glorificabant Deum, quod tantum incremẽti dedisset Euangelio Christi inter Gẽtes, de quibus nulla spes, uel certe parum admodũ fuerat spei, quod unq̃ essent ad cognitionẽ unius ueri Dei in Christo domino peruenturæ. Obseruemus hoc loco, quando susceptum à nobis Euangelium Christi cedat ad gloriam Dei. Glorificant, inquit, Deũ super obedientia, uel, subiectione, cõsensus uestri in Euangelium Christi, & super simplicitate cõmunicationis in ipsos & in omnes. Ergo, tum demum causas damus glorificãdi Deum propter nos, quando concordi obedientia cõsentimus in Euangelium, id est, in doctrinã Euangelij Christi, præbentes nos cõmuniter morigeros ac ductiles illius apostolis ac ministris, & per charitatem de bonis nostris communicamus egenis fratribus. Qui ad hunc modum se accommodant Euangelio Christi, ueri sunt Euãgelici, propter quos ab omnibus pijs merito glorificatur Deus. Verum ubi tales hodie reperiemus ecclesias, in quibus nulla sit erga Christi Euangelium ἀνυποταγὴ & ἑτερολογία imò & ἀντιλογία? Illud, & in omnes, commẽdat generalem beneficentiã, qua non in aliquos tantum sed in omnes fidei consortes studium cõmunicandi ac benefaciẽdi ueri Christiani exercẽt. Vide autem quomodo liberet sanctos à suspicione φιλαυτίας dum prædicat de illis q͛d Deum glorificent non ob id tantum, quod defectibus & egestati ipsorum succurrebatur à fidelibus ex Gentibus, sed &, imò cum primis, quod essent illi subditi Euangelio Christi, idq; concordi consensu. Deinde, dum non simpliciter dicit: & super simplicitate cõmunicationis in ipsos, sed addit, & in omnes, ne in hac doxologia Dei proprium emolumentũ quod adferebatur ex contributione ecclesiarũ magis quàm ipsum Euangelij & ueræ charitatis profectum spectare uiderentur, id quod alienum fuisset à sanctis.

ET in illorum, inquit, oratione pro uobis.] Duobus præcedentibus ministerij huius fructibus addit, & tertium, orationem uidelicet sanctorum pro fidelibus Corinthiorũ, necessitatibus ipsorum subuenientibus. Non est aũt hæc particula referenda ad proxime præcedẽtia, sed ad id quod paulo suprà dixit: Verumetiam exuberat in hoc, quod per multos agant gratię Deo, &c. ut hic subiungatur, & in illorũ oratione pro uobis, subintellige, exuberat functio uidelicet ministerij huius. Sic tribuit eleemosynario huic ministerio tria, supplementũ scilicet indigentiæ sanctorum, gratiarũ actionem, & orationem pro contribuentibus. Hæc est igĩ retributio ac gratitudo pauperum, qua subuenientibus sibi uices reddunt, non tẽporaria pro tẽporarijs rependentes, sed Deo gratias agentes & pro ipsis ad illũ orantes. Cogitet aũt pius homo, q̃ sint hęc tria corã Deo magni momẽti, & omnib⁹ sacrificijs externis potiora, cui sancti, quos ipse in filio suo, per spiritũ gratiæ suæ sanctificauit, propter ipsum afflicti & depauperati omniũ sunt acceptissimi.

Non est autem ociosum quod non dicit: Et in illorum προσευχῇ, id est, oratione, sed δεήσει. Significat autem δέομαι indigeo, unde est δέησις, quæ uox precationem sonat obnixam & urgentem, qualis esse solet indigentiũ, dum necessitate cõpulsi pro ijs orant, sine quibus consistere non possunt. Tales significat esse precationes sanctorum pauperũ pro illis, quorũ beneficentia subleuãtur, quas ego pluris fecero, q̃ omnes omniũ sacrificorum horas, ut uocãt canonicas, siue eas cantẽt coniuncti, siue murmurẽt separati, omnes item omniũ missarum orationes & collectas. Vnius pauperculæ uiduæ precationem cum orphanis suis ad Deũ pro benefacientiũ sibi salute orantis, omnib⁹ istis præferendã duxero. Hasce egentium sanctorũ preces expetat quisquis sapit, & interea intercessiones diuorũ in cœlis existẽtiũ, quas fingunt & uendũt negociatores templarij, superstitiosis relinquat. De illis nihil certo constat, de istis constat. Obtemperantes ergo ei qui utiliter ac prudenter cõsulens dicit: Tene certũ, & relinque incertum, exerceamus opera Christianæ charitatis in egenos sanctos, non in diuos, quibus nihil commodare possumus, & per illorum certas & urgentes preces gratiæ Dei commendari petamus.

QVI desiderant uos, inquit, propter eminẽtem gratiam Dei in uobis.] Significat sanctos qui Hierosolymis erant, præclare de Corinthijs sentire, sic ut desiderent eos, intellige, uidere. Rom. 1. 1. Thess. 3. & 2. Tim. 1. uerbũ ἰδεῖν, id est, uidere, cum uerbo desyderandi expresse coniungit. Hic uero & Phil. 1. & 2. non exprimit, ubi tamen subintelligendum uenit. Desideriũ sanctorũ, quo Corinthios uidere gestiebant, argumentũ erat, quod honorifice essent erga eos affecti. Sic nanq; comparati sumus, ut quos magnifacimus absentes, uidere cupiam⁹ præsentes. Quare autem magni eos facerent, exprimit cũ subiungit: propter eminentẽ gratiã Dei in uobis. Nõ dicit, propter liberalitatẽ uestrã in ipsos, sed, propter supereminẽtẽ gratiã Dei in uobis, quibus uerbis duo facit. Primo, ingeniũ sanctorũ exprimit, qui gratiã Dei in credentibus magis suspiciunt ac uenerãtur, q̃ propriũ emolumentũ spectãt. Sancti Hierosolymitani non tã propter refocillationẽ, quã acceptur.

accepturi erant ex liberalitate Corinthiorũ, q̃ propter singularẽ gratiã Dei, in illis relucentẽ, desiderabãt eos uidere. Deinde, dum prędicat supereminentẽ in illis gratiã Dei, quæ desiderium uidendi ipsos excitet in sanctis, qui Hierosolymis erant, prouocat eos ad liberaliorẽ contributionẽ, quo & gratiæ Dei & sanctorũ de se existimationi & desiderio competenter respõdeãt. Nõ possum satis Apostoli diligẽtiã, prudẽtiã, fidẽ, & zelũ in hac epistola admirari.

GRATIA autẽ Deo, inquit, super inenarrabili suo munere.] Habẽt hæc uerba exclamationem, qua consideratione tam insignis gratiæ Dei, tam Corinthijs q̃ sanctis in iudęa cõcessę, in δοξολογίαν hãc erumpit, & materiam duobus istis capitibus octauo & nono tractatã cõcludit. Sic autẽ non modo suũ erga utranq; ecclesiã tã Hierosolymitanã q̃ Corinthiacã affectũ ostẽdit, sed & Corinthiorũ animos ꝓuocat, ut & ipsi gratiã Dei utrobiq; singularẽ & excellentẽ secũ magnifaciãt. Et reuera donũ Dei est ἀνεκδιήγητον, id est, quod nemo satis exponere ac deꝑdicare queat, si ecclesiæ Christi ad hunc modum inter se sint cõparatæ, sicut de Corinthiorũ & Hierosolymitanorũ ecclesijs Apostolum in hac materia commemorare uidemus. Nã dona Dei inenarrabilia uocat fructus illos, quos ex contributione ecclesiastica tam dantibus, quàm accipientibus prouenire meminit.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Avthoritatem ac potestatem Apostolatus sui cõtra pseudapostolorum calumnias tuetur.

CAPVT X.



AETERVM ipse ego Paulus obsecro uos per lenitatẽ & mansuetudinem Christi, qui iuxta faciẽ quidẽ humilis sum inter uos, absens tamẽ audax sum erga uos. Rogo autẽ uos ne præsens audeam ea fiducia qua existimor audax fuisse in quosdam, qui putãt nos ueluti secũdum carnem ambulare: nam in carne ambulantes non secũdum carnẽ militamus. Siquidẽ arma militiæ nostrę nõ sunt carnalia, sed potẽtia Deo, ad demolitionẽ munitionũ, quibus cõsilia demolimur, & omnẽ celsitudinẽ quę extollitur aduersus cognitionẽ Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationẽ ad obediendum Christo, & in promptu habemus uindictã aduersus omnẽ inobediẽtiã cũ impleta fuerit uestra obediẽtia.

Diximus initio capitis octaui, materiam de contributione in sanctos facienda, insertã esse uelut in medio epistolæ, ut quę de synceritate A Apostolatus sui tractauit antea, & iam in posterum tractaturus est, hoc quasi tolerabiliori interstitio nonnihil mitigarentur. Hac iã absoluta, redit ad ea quæ nonnullis ante octauum capitibus, ad defensionẽ Apostolatus sui pertinẽtia subinde attigerat, quod eam causam nõdum satis expediuisse iudicaret, cũ magni esset momenti, magnaq; necessitate ad resistẽdum pseudapostolorũ improbitati, & ad defendendum Apostolatus sui authoritatẽ impelleret. Hac nanque labefactata, nihil poterat sequi aliud, quàm ut omnis illius fructus tam partus quàm adhuc pariendus interiret.

Orditur autẽ exordio admodũ emphatico dicens: Ipse autẽ ego Paulus obsecro uos per lenitatẽ & mansuetudinẽ Christi, &c. Emphasis in eo primum est, quod non simpliciter dicit: Obsecro autẽ uos, sed: Ipse autem ego Paulus, qui iuxta faciẽ quidem humilis sum inter uos, absens tamen audax sum erga uos. Mox initio perstringit pseudapostolos illorumq; sectatores, qui in nomẽ ipsius ludebãt, quod & re & nomine esset modicus ac modici momẽti Apostolus (Sonat enim Paulus modicũ) detrahebantq; illi, quod cum in faciem esset humilis & abiectus, absens audaciam scriptis in ipsos spiraret. Hæc notans dicit. Ipse ego Paulus ille, cuius nomen nonnulli apud uos exufflant & irrident, & quem tantæ dicunt esse temeritatis, ut cum præsens ob personæ humilitatem despicabilis appaream, absens quosuis B per epistolas terrere præsumam, quicquid illi dicant, & quantũuis in nomẽ meũ ludãt, obsecro uos, qui saniores estis, &c. Deinde & in eo est emphasis, quod nõ dicit simpliciter obsecro uos, sed addit, per lenitatẽ & mansuetudinem, uel, ut uulgata habet, per mansuetudinem ac modestiã Christi. Hoc dicens, non modo obtestatur eos serio per nomen Christi, sed & admonet eos, quantã oporteat eorum esse peruersitatem qui mansuetudinẽ & modestiã in Apostolo contẽptui exponãt, cum Christus ipse, Apostolo suo infinito maior, maluerit mãsuetus & modestus uersari inter homines q̃ splendidus & magnificus, cuius tamẽ mansuetudinẽ & modestiam nemo Christianus in argumentũ contẽptus rapiat, admirent uero & suspiciant omnes. Sic existimo hæc uerba, qui iuxta faciem quidẽ humilis sum, absens tamẽ audax in uos, nõ sic esse posita quod ea ipse de se prædicet Apostolus, sed quod maleuoli ea ipsi improperarent, quibus mox per obliquũ humilitatẽ, mansuetudinẽ ac modestiã Christi domini obijcit, in quo uideant, q̃ non sit in Apostolo personæ spectanda claritas, cum illa non fuerit in apostolorum domino.

IPSE autẽ ego Paulus, inquit.] Obserua fiduciam hanc in Apostolo. Quo magis Pseudapostoli nomen ipsius subsannabant, & in significationem illius ludebant, hoc ipse de illo minus erubescebat, sed quasi gloriando, esse se Paulũ profitebatur. Nulla erat in nomine hoc ignominia, nulla in ipsius persona, nulla in

Apostolatu, quare de nullo horũ erubescebat. Admonẽtur hoc exẽplo ministri Christi ut cõ simili fiducia obfirmati, neutiq̃ cedant aduersariorũ nequiciæ, qua uel nomina ipsorum, uel personas, uel fortunas, uel officia ludibrijs exponere moliuntur, scientes se cõtra eiusmodi maliciam & ueritate doctrinæ & innocentia uitæ abunde esse munitos.

OBSECRO uos, inquit, per lenitatẽ & mansuetudinem Christi.] Lenitate ac mansuetudine erga peccatores Christus dominus uti maluit q̃ seueritate. Quare in omnibus tã uerbis q̃ factis mitis apparuit & mãsuetus. Et huiusmodi medicum poscunt cõscientiæ sensu peccatorum perculsæ, quibus pacandis nihil minus accõmodũ est q̃ pharisaica seueritas, quæ malum magis exasperat q̃ curat. Sciẽs hoc Apostolus imitatus est exemplum domini, quo plures mansuetudine ac lenitate lucrifaceret, & huius Tim. quoq; admonuit, dicens: Seruũ domini oportet non pugnare, sed placidũ esse erga omnes, propensum ad docendũ, tolerantem malos cum mansuetudine, &c. Cum ergo nihil sit & acceptius & magis necessariũ peccatoribus hac Christi mansuetudine ac lenitate, non debemus eam contemnere in illius ministris, sed propter dominicũ exemplũ, & necessitates nostras cupide amplecti, procul ab ingenio phariseorũ & iusticiariorũ quibus seueritas & peccatorum dedignatio magis arridet q̃ dominica mansuetudo, qua se peccatoribus mitem ac placidum etiam usq; ad mensæ cõmunicationem præbuit. Non autẽ probanda nobis tantũ est hæc mansuetudo domini, sed & usq; adeo suspicienda ac ueneranda, ut de illa admoniti non minus flectamur ad resipiscẽtiam, quàm si de ira ac iusto iudicio Dei, ipsa quoq; gehenna admoneamur.

2. Tim. 2.

QVI iuxta faciem quidem humilis sum inter uos, inquit, absens tamen audax sum inter uos.] Obserua ingenium hominũ maleuolorum. Humilitatem præsentis Apostoli rapiebant in argumentum contemptus & opprobrationis, correptionẽ epistolarem interpretabantur audaciam absentis, quasi audacia sit, si minister Christi in faciem humilis & erga omnes mansuetus, absens per literas corripiat delinquentes quos in Christo genuit. Humilitati opposita est superbia personæ sublimis. Si despicienda est humilitas, ergo suspiciẽda est superbia. At coram Deo abominatio est, quicquid altum est coram hominibus. Et corã hominibus quoq; non est admodũ grata superbia, siue illa sit externi status, siue personę, siue morum. Quare humanæ conditioni magis amica & grata est humilitas q̃ superbia. Verum ut febres palatum reddunt amarum, sic odia iudicia rerũ corrumpũt, ut culpetur quod alienum est à culpa, & probetur quod natura sua est improbabile.

ABSENS, inquit, audax sum erga uos.] Vbi Romanus pontifex bullis suis iniquissimis excommunicat integras ecclesias, prouincias

A & regna, & detonat in reges ac principes, illosq; de sedibus suis deijcit, non accusatur audacię. Quare? Quia non est in faciem humilis, sed admodum superbus triplo diademate coronatus, nõ incedit ut homo, sed baiulatur ut eidolum, ac sedet in templo tanquam in maiestate Dei, extolliturq; supra omne quod dicitᵉ Deus. Vbi ad hunc modũ alienissimus ab humilitate Apostolica, & supra quamcunq; regiã sublimitatem sublimis ac superbissimus omnium ipsum orbem fastidiosissime damnat, non habetur audax. At cum nostra ætate frater quidam humilis in oculis mundi quæstiosissimas superbi ac Simoniaci pontificis indulgentias luce uerbi Dei reprobabiles ac uitandas esse ostẽderet, accusabatur audaciæ, quod fraterculus obscurus in angulo Saxonico latens non ipsum modo sanctissimũ sed & omnes Christiani orbis populos, sanctissimi indulgentias & probantes & ementes, reprobare non dubitaret, quasi unus plus omnibus saperet. Verũ humilitas fraterculi illius sic erat ueritate Dei munita, ut Rom. superbiæ prorsus esset inexpugnabilis.

ROGO autem uos, inquit, ne præsens audeam ea fiducia qua existimor audax fuisse in quosdam.] Quæ hactenus à principio capitis dixit imperfectum sensum habent, neq; enim expressum est, quid obsecret Corinthios. Id iã subijcit, cum repetitione obsecrationis dicẽs: rogo autem uos, ne pręsens audeam, &c. ut sic impleatur sensus. Ipse autem ego Paulus qui

B iuxta faciem humilis sum inter uos, absens tamen audax in uos, obsecro uos per lenitatem & mansuetudinem Christi, imò rogo uos, ne me cogatis, ut præsens audeam ea fiducia, &c. Sic illud, δέομαι δὲ, per auxesim esset positum. Nec inconueniens esset si quod initio est παρακαλῶ ὑμᾶς, uerteretur, hortor & admoneo uos, ut quod sequitur, δέομαι δὲ, per auxesim legat. imò obsecro ac rogo uos. Omnino plus emphasis est in uerbo δέομαι quàm in uerbo παρακαλῶ, sicuti plus est obsecrare ac rogare quàm admonere & hortari. Videtur igitur sic dicere uoluisse. Ipse autẽ ego Paulus, hortor uos per lenitatem ac mansuetudinem Christi, imò nõ hortor tantum sed & rogo, ne me cogatis, ut audeam præsens, quod absens tãtum audere putor, nolitis experiri quid possim præsens. Hoc dicens, deprecatur quidem necessitatem seuerius agendi cum immorigeris & contumacibus, uerum simul minatur eam seueritatem si admonitionem, obsecrationem & mansuetudinem suam contemnere pergãt. Vnde & subijcit, qua λογίζομαι, id est, cogito audere in quosdam, qui putant nos ueluti secũdum carnẽ ambulare, &c. Erasmus & uetus interpres uerbum, λογίζομαι, sensu passiuo reddiderunt, existimor. Verum rectius uertissent sensu actiuo, cogito, quo uerbo, minatur cogitare se de seueritate exercenda in reprobos, nisi emendẽtur. Annotat Chrysostomus, quod non dicit, paratus iã sum, uel, decreui, sed, cogito. Signi-

ficat

ficat autem λογίζομαι non simpliciter sed ratiocinando de re aliqua uel facienda uel omittenda cogitare, ad quem modū se Apostolus hoc loco cogitare dicit, si pergant esse cōtumaces fore sibi præsenti aliquando in eos audēdum.

QVI putant nos ueluti secundum carnem ambulare, inquit.] Perstringit eos, in quos sibi audendum esse cogitabat. Non dixit, qua cogito audere in uos, sed, qua cogito audere in quosdā. Eos uidelicet, qui cogitant nos ambulare secundum carnem. Ambulare secundū carnem, carnalium est hominum, & latissime patet. Est autem non spiritus, sed carnis studere sensibus, consilijs & affectibus, & secūdum hanc facere omnia. In præsenti uero, meo iudicio, cogitabant pseudapostoli Paulum ambulare secundum carnem, indulgendo suis affectibus, & secundum illorum impulsum seuerius scribendo, pluraq; sibi sumēdo, quàm humilitati personæ ipsius conueniret, ac sustinere posset. Sane & hoc ingenio caro est, ut ubi seueritatem induit, multo acrius insectetur uicia aliorum, quàm ferat ipsius conditio, & interea tamen zelum iusticiæ simulet. Erat Apostolus in faciem humilis secundum carnem, infirmus & modicæ existimationis. Quare iudicabant eum nec esse, nec posse, nec præstare alia nedum plura quàm sit, possit, & præstet caro, quamq; esset, appareret, & præstaret præsens in carne, ideoq; seueritatē illam, qua grandia quædam detonaret absens in epistolis, esse inanem, & inefficacem carnalis temeritatis præsumptionem. Cōmuniter fere exponunt in genere de carnis affectibus ac desyderijs. Chrysost. species quasdam expressit, dicens: τίνας δὲ τούτους φησὶ οἷς ἀπειλεῖ; τοὺς λογιζομένους ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας. Ἐκεῖνοι γὰρ αὐτὸν διέβαλλον ὡς ὑποκριτὴν, ὡς πονηρὸν, ὡς ἀλαζόνα. Ergo dicebāt eum ambulare secundum carnem, propterea quod iudicarent eum esse hypocritam, uersutū, & arrogantem. Sic intellexit Chrysost.

Obsecro, si Paulus in oculis pseudapostolorum uisus est ambulare secundum carnem, cuius omnia Christum, in ipso loquentem ac uiuentem spirabant, quis nam post illum sic spiritualiter ambulabit, ut à reprobis nō dicatur ambulare secundum carnem? Maledica reproborū ora nemo Christi minister effugiet, quæ ne Christus quidem ipse effugere potuit, quo minus audiret seductor, comedo, uini potor, publicanorum amicus, & peccatorum socius. Hodie matrimonia ministrorū Christi sic infamant homines spurcissimi, scortatores publici, adulteri, incestuosi, & adhuc scelestioribus libidinibus absorpti, ut uocēt ea scortationē, dicantque nubentes ambulare secundum carnē. Has calumnias minister Christi haud pluris faciat quàm latratū canum, ac cogitet hoc genus hominum sic esse comparatum, ut de rebus bonis & honestis bene loqui nesciant.

NAM in carne ambulantes, inquit, non secundum carnem militamus.] Vocula γὰρ, id est, nam, indicat particulam hanc per ætiologiam esse positam. Pseudapostoli iudicabant Paulum ambulare secundum carnem. Quare? Quia in carne ambulantes, inquit, non secundum carnem militamus. Ergo ne ob id dicebant eum ambulare secundum carnem, quod in carne ambulans non secundum carnem ambularet? Atqui hoc minus debebant eum huius insimulare quod secundum carnem ambularet. Non est igitur particulæ huius ætiologia ad id referenda, quod proxime præcedit, quia non reddit rationē, quare pseudapostoli Paulum secundum carnem ambulare cogitarint, sed ad id qđ dixit, qua cogito audere in quosdam, ut rationem redderet, quare cogitaret in eos audere qui se secundum carnem ambulare cogitabant. Ob id uidelicet, quod hoc falso de se iudicabant. Nam licet in carne ambularet ut homo carne amictus, secūdum carnem tamen non ambulabat. Ergo non ideo cogitabat audere in eos quod id de se cogitarent, sed quod falso cogitarent. Neq; enim æquum est ut propterea ultionem cogites in eum qui male de te loquitur, quod id facit, si merito fecerit. Si secundum carnem ambulasset Paulus, admodum fuisset iniquum de ultione eorum cogitare, qui id dixissent.

Dices. Atqui ne sic quidem cōueniebat Apostolo de inimicorum suorum ultione cogitare, cum Rom. 12. doceat alios, non esse quærendam propriæ iniuriæ uindictam, sed domino permittendam, dicenti: Mihi uindictam, & ego retribuam. Respondeo. Vt non quæ sua sed quæ Christi & aliorum essent quærebat, ita hic quoque non propriæ iniuriæ uindictā, sed reproborum hominum repressionem meditabatur, qui omnē Apostolatus sui cursum subuertere & fructum Euangelicæ doctrinæ in ecclesia Corinthiorū dissipare moliebātur.

Obserua uero hic, quod fatetur quidem ambulare se in carne, humili uidelicet & infirma, uerum iuxta negat se ambulare secundum carnem. Ergo aliud est uiuere in carne, & aliud uiuere secundum carnem aliud ambulare in carne, aliud ambulare secundum carnem. In carne uixit & ambulauit Christus ipse, tanquam uerus homo uiuens & circuiens inter homines, edens, bibens, dormiens, & quæ alia ad carnis infirmitatem pertinet sustinens, secundum carnem tamen nec uixit nec ambulauit. Etenim secundum carnem uiuere & ambulare, est omnia secundum carnis desideria, consilia, & corrupta studia facere, quæ locum in illo non habuerunt. In Apostolo habere potuissent, nisi illa uirtute spiritus Christi in se repressisset.

Non est autem ociosum, quod cum dicendum uideretur: non secundum carnem ambulamus, dixit, non secundū carnem militamus. In carne circuibat orbem, humilis & despicabilis in oculis mundi, & circuitus ipsius non erat uagātis, ociosi, ac curiosi hominis sed primarij ducis Christo domino militātis. Vt hoc significaret, dixit se militare. Et ut militiā suā

separaret à militia sæculi, negauit se militare secundum carnem. Non militabat mundano alicui regno, sed regno Christi, in mundo hoc propagando, quod ut mundanum nõ est, sed spirituale, ita non poscit illius militia uires carnis, sed uirtutem & operationem spiritus.

SIQVIDEM arma militię nostrę non sunt, inquit, carnalia, sed potẽtia Deo.] Quoniã negauit se militare secundum carnem, ideoq; aliquod sibi militiæ genus uindicauit, (quemadmodum & Christus coram Pilato cum dixisset: Regnum meum non est de hoc mundo, nõ regem se, sed mundanum regem esse negauit, ideoq; à Pilato audiuit: Ergo rex es tu) consequenter & probat se à qualitate armorum nõ militare secundum carnem, & simul militiæ suæ genus & uires exponit, dicens: Siquidem arma militiæ nostræ non sunt carnalia: quasi dicat, uel à qualitate armorum quibus utor in hac militia, constare potest, non militare me secundum carnem. Videtis enim me nõ esse accinctum more mundi armis carnalibus. Qualibus ergo? Subdit, sed potentia Deo. Dicendum uidebatur, sed, spiritualia, uerum ut contra contemptum infirmitatis, quam in oculis mundi circumferebat carne, armorum suorũ robur opponeret, dixit, sed potentia, nec simpliciter potentia, sed, potentia Deo: quasi dicat, cui milito, qui illis per me tanquã suis utitur. Transfer hæc ad nostros Pontifices, & uide num illi quoq; cum Apostolo Christi dicere possint: non secundum carnem militamus. Siquidem arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo. Pro mundano regno belligerantur & qualitati bellorum, ad quæ accinguntur, conueniunt ipsorum arma. Mundanum regnũ quærunt carnalibus armis, quibus & Romanos Pontifices & Carnales illorum, & equestres episcopos, accinctos ad belligerandum uidere licuit.

NON sunt carnalia, inquit, sed potẽtia Deo] An carnalia & potẽtia arma sibi sunt inuicem opposita? Sic apparet ex hisce uerbis. Poterat igitur dicere, non sunt infirma, sed potentia Deo, nisi hęsisset in termino carnis, secundum quam à reprobis ambulare dicebatur. Interim tamen ex oppositione potentium armorũ satis intelligimus infirmitatem tribui carnalib[9] armis. Sunt aũt arma carnalia non modo ferrea, lignea, ænea, lapidea, sed & ea quibus sapientia, prudentia, ratio & scientia carnis utit̃, qualibus pugnant philosophi, sapiẽtes, docti, rhetores, &c. In summa, infirma est omnis armatura carnis, & ea demũ uere potens, quę est spiritus Dei, qui suos armat uirtute diuina, uerbo uitæ, ueritate, zelo fidei, ardore charitatis, patientia aflictionũ, & constãtia spiritus inexpugnabili. His armis olim muniti episcopi expugnarũt omnis generis hæreses, maxime gladio uerbi Dei. Iam uero abiectis illis, usurpant sibi arma carnalia, gladios, laqueos, ignẽ, aquã, carceres, &c. & his se apprime munitos putãt, & fortes ad extirpandã doctrinã Euãgelij. Verũ reipsa experient̃, arma carnalia esse infirmiora, quàm ut ueritatem expugnare ualeant.

A

AD demolitionem, munitionũ, inquit, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quę extollitur aduersus cognitionẽ Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationẽ ad obediendum Christo.] In Græco sic legitur, πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, λογισμοὺς καθαιροῦντες, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα, id est, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem celsitudinem quæ extollitur aduersus scientiã Dei, & captiuantes omnem intellectum, &c. Participia illa, destruentes, captiuantes, & in promptu habentes, si ad proxime præcedentia referas, uidelicet: Nam arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad demolitionẽ munitionum, nec Græci nec Latini sermonis constructioni cõueniunt. Quare cõiungenda sunt paulò superioribus, & lectio ordinãda ad hũc modũ. Nam in carne ambulantes nõ secundũ carnẽ militamus (siquidẽ arma militiæ nostrę nõ carnalia sunt, sed potẽtia Deo) militamus autẽ ad demolitionem munitionum, consilia demolientes, &c. Sic puto beneficio parenthesis & repetitione uerbi militamus Græcam posse saluari lectionem.

Potentiã & efficaciã militiæ suæ exponit, tribuẽs illi expugnationẽ regni Satanæ, & captiuationẽ mentiũ in obedientiã Christi, deniq; & ultionẽ aduersus omnẽ inobedientiã.

B

Militamus, inqt, ad demolitionẽ munitionũ. Loquitur ad similitudinẽ mundanæ militiæ, per quã hostiũ munitiones expugnant̃ ac destruunt̃, & qui in illis deprǽhendunt̃, captiui abducuntur. De quibus aũt munitionibus loquat̃, euestigio subiungit dicẽs: λογισμοὺς καθαιροῦντες. Vertunt aũt λογισμοὺς consilia. Vox ipsa sonat ratiocinationẽ. Intelligit de consilijs ratiocinationis humanæ, non synceræ, sed corruptæ, in qua potissimum Satan regnat inter homines. Chrysost. exponit, τὸν τῦφον τὸν ἑλληνικὸν, καὶ τῶν σοφισμάτων καὶ τῶν συλλογισμῶν τὴν ἰσχύν. Hæ gentilis philosophiæ ac sapientiæ munitiones uirtute spiritus Christi per Euangelij prædicationẽ in cordib[9] hominũ destruunt̃. Huc pertinet & illud quod sequit̃: Et omnẽ celsitudinẽ, quę extollit̃ aduersus scientiã Dei. Per celsitudinẽ intelligunt gloriã & potentiã mundi. Nihil tñ uetat quo minus idẽ intelligamus quod per munitiones. Quod si de gloria mũdanæ potẽtię exposuerimus, obseruandũ est, quod nõ simpliciter dicit, & omnẽ celsitudinẽ, sed addit, quę extollit̃ aduersus scientiã Dei, ne putemus Euangeliũ omni simpliciter aduersari potẽtiæ regũ ac principũ. Legitimã illorũ celsitudinẽ nõ tollit, sed eã quæ sciẽtiæ Dei aduersat̃, destruit. In summa, omnẽ celsitudinẽ Deo aduersantẽ, siue sit spiritualis siue mũdana, siue sapiẽtię, siue gloriæ, siue potẽtiæ, demolit̃ uirtus Euãgelij. Quomodo? Non ut nulla talis sit amplius in mundo, sed ut sit inefficax, & ut in illis qui credunt, prorsus destruatur. Aliàs illud Psalm. 2.

Quare

Quare fremunt gentes,&c. Asſiſtunt reges terræ,& principes co͂ueniunt in unum aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius, inde ab initio Euangelij in orbe prædicati ad fine͂ uſq; durat in mundo.

ET captiuam ducimus, inquit, omnem cogitationem ad obediendum Chriſto.] Pertinet hoc ad ſecundam partem militaris uirtutis, captiuos, regno aduerſario ereptos abducere,& in obedientiam ac peculium legitimo regi aſſerere. Concernit hoc electos, qui per Euangelium è captiuitate Satanæ & peccati liberantur,& Chriſto uero ſuo ac legitimo regi ad obediendum adducuntur. Horum mens, uel, ut in Græco eſt νόημα, id eſt, intellectus, captiuatur luce ueritatis de errore conuicta, & Chriſto ad obediendum ſiſtitur. Quare quod dicit: πᾶν νόημα, id eſt, omnem intellectum, non eſt referendum uniuerſaliter ad omnes homines, ſed limitandum ſecundum id quod ſequitur, ad obediendu͂ Chriſto, quod non niſi de electis poteſt & credentibus exponi. Tutius ac ſimplicius igitur eſt, ut uertamus, totum intellectum, quàm, omnem intellectum, intelligamusque intellectu͂, qui prius obcæcatus fuerat in tenebris errorum, accepta ueritatis luce totum in unoquoque credentium ad obediendum Chriſto adduci.

ET in promptu, inquit, habemus uindicta͂ aduerſus omnem inobedientiam.] Tertiam militaris uirtutis partem exprimit, pertinentem ad rebelles, dignos in quos uindicta propter inobedientiam exerceatur. Et hanc militiæ ſuæ uindicat, ne quid illi deſit, ſed plena ſit, ad perfectam uictoria͂ inſtructa & efficax. Dicit hanc eſſe ſibi in promptu, paratam uidelicet, ſic ut illa poſsit expedite uti, ſi quando neceſsitas popoſcerit. Ponit autem eam indeterminate, quare tam de excommunicatione quàm de corporali uindicta intelligi poteſt, quali uſus eſt in Elymam Magum, & Petrus in Ananiam & Sapphyram. Nec loquitur de una inobedientiæ ſpecie, ſed in genere de omnibus, & omnium inobedientium, cum non ſimpliciter dicit, aduerſus inobedientiam, ſed, aduerſus omnem inobedie͂tiam. Quaſi dicat. Qualemcunq; & qualiumcunq;, etiam eorum qui apud uos inobedientes eſſe malu͂t, quàm obedire. Interim tamen non loquitur de alia inobedientia, quàm quæ rebellis ſit aduerſus ueritatem Euangelij Chriſti.

CVM impleta fuerit ueſtra obedientia, inquit.] Adiecit hoc reſpectu eorum qui in eccleſia Corinthiorum inobedientes eſſe cœperant, quibus ſpe reſipiſcentiæ parcebat, donec eccleſia perfectam obedientia͂ in cauſa, de qua duobus præcedentibus capitibus egit, & in cæteris quoque oſtendiſſet. Et hæc dicens, minando terret immorigeros Apoſtolatus ſui contemptores.

1 Eſt hic locus de efficacia Apoſtolicæ militiæ admodum inſignis, in quo diligens lector obſeruabit, primum in eo quod dicit: ſiquide͂ A arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad demolitionem munitionu͂, conſilia demolientes, & omnem celſitudine͂ quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei,&c. quę eximia & ſublimia ſunt in rebus, uiribus, & facultatibus humanis, ſiue ſint λογισμοὶ ſapientię, ſiue ὑψώματα iuſticiæ, gloriæ ac potentię humanæ, eſſe munitiones regni Satanæ, per Euangelicæ prædicationis uirtutem demoliendę. Magnæ quidem in ſpeciem ſunt illarum uires, ſic ut uideantur inexpugnabiles, ſi prudentiam, gloriam, hypocriſim, & potentiam aduerſariæ partis carni formidabilem conſyderes, uerum infinito maior eſt uirtus ueritatis Dei, quæ ubi illuceſcere incipit, haud ſecus uires illarum deijcit, quàm Sol exortu ſuo nocturnas tenebras diſpellit. Quare nihil minus ferre poſſunt quàm ueritatis Dei lucem, quotquot nomine ſapientiæ, gloriæ, iuſticiæ, & potentiæ humanæ regnant in mundo, qui omnes ueluti conſpiratione facta, aduerſus ſcientiam Dei inſurgunt & extollu͂tur. Igitur pugna eſt miniſtris Euangelij no͂ cum carne & ſanguine, cum munitionibus ac turribus lapideis, ſed cum ſapientia, gloria, iuſticia & potentia hominu͂ excęcatorum Satanæ regno militantium, ad quam nullus ipſis eſt carnalium armorum, ſed ſolius ueritatis Dei in mundo prædicandæ ac declarandæ uſus, per cuius armaturam contra portas inferorum uictores euadent, modo fideliter, animo infracto,& conſtanter, in hac militia pergant,& non de ſuis ipſorum, ſed ſolius B ueritatis Dei uiribus præſumant.

2 Deinde obſeruandum eſt quod dicit: quæ extollitur aduerſus ſcientiam Dei, ubi uidemus faſtum & ſuperbiam hominum impioru͂ non ſubmittere ſe, ſed aduerſari ſcientiæ Dei. Donec regnat ſuperbia, fieri no͂ poteſt, ut obediatur ſcientiæ Dei. Quare nemo miretur qui fiat quod qui ſublimes ſunt in hoc ſæculo, & mente & conditione elati, tantopere ueritati Dei aduerſantur. Humilibus facile perſuadet, ut obediant ueritati, ſuperbis nequaquam.

Quid rationis aute͂ eſt, quod non dicit: quæ extollitur aduerſus Deum, ſed, quæ extollitur aduerſus ſcientiam & cognitionem Dei? Regnum Satanę regnum eſt tenebrarum & ignora͂tiæ Dei. Huic nihil magis aduerſatur quàm doctrina ſcientiæ Dei. Ideo inſtigantur mancipia Satanæ, ut huic ſeſe opponant. Et quonia͂ hypocriſi maliciam ſuam obtegunt, nolunt uideri tales qui contra Deum extolla͂tur, quem apprime ſe colere ſimulant, at interim doctrinæ ſcientiæ Dei manibus & pedibus obſiſtu͂t. Obſecro quid aliud faciu͂t hodie qui uerbum ſcientiæ Dei tanta cum pertinacia repellunt, & plebem Chriſti à lectione ſacrarum ſcripturarum ſic arcent, ut codices ipſos ſacrarum ſcripturarum è manibus fidelium raptos igni tradant? An no͂ ſedent in ſublimi qui hoc faciu͂t? An non extolluntur aduerſus ſcientiam Dei?

3 Tertio, in eo quod dicit: & captiuum ducimus omnem intellectum ad obediendu͂ Chriſto, ad-

sto, admonemur sic nos esse per ueritatē Dei liberatos è regno & potestate Satanæ, ut interim mentes nostræ non sint liberæ ad cogitandum & faciendum quæ nobis adlubescant, sed captiuatæ in obedientiam Christo redemptori præstandam.

4 Quarto, cum dicit: in promptu habentes uindictam aduersus omnem inobedientiam, cum impleta fuerit uestra obedientia, admonemur de prudentia Apostolica in ultione rebellium exercenda. Nolebat Apostolus ulcisci in rebelles, donec impleta esset obedientia reliquorum, unde certus redderet, non esse multitudinem fidelium sociam rebellionis, atque ita sine disturbatiōe status ecclesiastici in paucos rebelles exerceri posse uindictam.

Quæ in cōspectu sunt uidetis? Si quis de seipso confidit quod Christi sit, illud rursum perpendat ex seipso, quod quēadmodū ipse Christi est, ita & nos Christi sumus. Nam si & amplius quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ædificationem, & nō in destructionem uestri, non pudefiam. Ne uidear ceu perterrefacere uos per epistolas. (Nam epistolæ, inquiunt, graues sunt & robustæ, ac præsentia corporis infirma, & sermo contemptus) Hoc cogitet qui istiusmodi est, quod quales sumus sermone per epistolas cum absumus, tales sumus etiam præsentes facto.

Causam quam initio capitis cœpit, prosequitur. Quę in conspectu sunt uidetis? inquit. Græcè est: τὰ κατὰ πρόσωπον, id est, quæ secundū faciem sunt. Deinde, uerbum uidetis, sic est in Græco, ut uerti possit, tam uidete in imperatiuo, quàm uidetis in indicatiuo. Vetus interpres uertit, uidete. Et exponunt: uidete uel facta mea, quæ in oculos uestros incurrentia, omnium sunt manifestissima, & ex illis iudicate, num ambulem secundum carnem, & intelligite militiæ meæ cùm qualitatem, tum uirtutem. Hoc sensu illud τὰ κατὰ πρόσωπον, id est, quæ secundū faciem sunt, idem est, quod quæ manifesta sunt & euidentia. Chrysostomus tamen per interrogationem legit: Quę secundū faciē sunt uidetis? & in sensu exprobrationis exponit ad hunc modum, ἀπὸ τῶν φαινομένων δοκιμάζετε; ἀπὸ τῶν σαρκικῶν; ἀπὸ τῶν σωματικῶν; τί ἐστιν, ἀπὸ τῶν φαινομένων; εἴτις πλουτεῖ, εἴτις πολλοὺς περιβέβληται κόλακας. εἴτις μεγάλα περὶ ἑαυτοῦ λέγει, εἴτις κενοδοξεῖ. εἴτις ὑποκρίνεται ἀρετὴν οὐκ ἔχων ἀρετήν. τοῦτο γάρ ἐστι τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπειν. Et hic mihi sensus probatur, quamuis nec alter quicquam habeat incommodi.

Dicit itaq;. Quoniam iuxta faciem humilis appareo, quod mihi nonnulli obijciunt, & hinc occasionem contemnendi Apostolatus mei sumunt, estis ne uos adeo spiritualium rerum imperiti, ut & ipsi de me non secundum

A ueritatem & efficaciam Apostolatus mei, sed secundum faciem, id est, personæ meæ humilitatem iudicetis? & gloriosulos illos in faciem eximios uestros magistros magnifaciatis? Est itaq; malum hoc, personarum uidelicet & facierum respectus, quod per omnes ubique regnat ecclesias, non recens, sed admodum antiquum, & in ipsis Apostolicis ecclesijs exortum, tamq; ualidum, ut Apostolicam quoque supereminentiam, imò Christum ipsum, in cōtemptum coniecerit.

SI quis de seipso cōfidit, inquit, quod Christi sit, illud rursum perpendat ex seipso, quod quemadmodū ipse Christi est, ita & nos Christi sumus.] Quamuis non asseueranter dicit: Sunt apud uos, qui se Christi esse dicant, sed: Si quis de seipso confidit quod Christi sit, non dubito tamen fuisse inter pseudapostolos, qui sic se dicerent & iactarent esse Christi, ut hoc nomine aduersus Apostolum insolescerēt, cuius rei argumentum est quod 1. Corin. 1. inter schismaticos etiam illi numeratur, qui se Christi esse dicebant: Significatum est mihi de uobis, inquit, fratres mei, quod cōtentiones sunt inter uos. Dico autem illud, quod unusquisq; uestrum dicit, alius quidem, ego sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi, &c. Vbi exposuimus, quomodo fieri possit, ut se Christi quisquam esse schismatice dicat. Plane probabile est uenisse Corinthum pseudapostolos, qui ob id quod Christum in

B carne uidissent, & aliquid forsan consuetudinis cum discipulis illius habuissent, aut è numero illorum extitissent, admodum gloriati sint esse se peculiariter Christi discipulos, illosque hic perstringi ab Apostolo, cum dicit: Si quis de seipso cōfidit quod Christi sit, illud rursum perpēdat, quod quemadmodum ipse Christi est, ita & nos Christi sumus. Vide autē quàm modeste loquatur. Non contendit Christi eos non esse, imò non dicit: uideat uere ne Christi sit uel secus. Neque enim mox Christi est, qui se illius esse gloriatur, ad quem modū iactantiam eorū restringere poterat, sed quasi concedens esse eos Christi, unum hoc agit, ut se quoque Christi esse contendat, ad quē scopum unice spectat. nec imprudenter. Etenim nemo ob id Christi se esse euicerit, si alios Christi non esse probauerit, quemadmodum nemo propterea bonus est, quod alios probat esse malos, sicuti cacabus ex eo se album ac nitidum esse non euincit, si ollæ dicat: Væ tibi tu nigra.

ILLVD, inquit, rursum ex seipso perpēdat, quod quemadmodū ipse Christi est, ita & nos Christi sumus.] Non simpliciter dicit, illud perpendat, sed, illud rursum ex seipso perpendat, neq;, quod & nos Christi sumus, sed, quod quemadmodū ipse Christi est, ita & nos Christi sumus. Sic emphatice posuit ista, rursum ex seipso, &, quemadmodum ipse Christi est. Argumentum est ab æquo. Vir bonus & æquus non sic de se bene sentit, ut de alijs male sentiat,

tiat, sed quod de se honeste iudicat, idem iudicat & de alijs. Est enim admodum iniquum, sine magnis & euidentibus causis non tribuere alijs, quod tibijpse tribuẽdum esse iudicas. Sic dicit hic Apostolus: Si quis sibijpse tribuit, quod Christi sit discipulus, hoc de seipso sentiens, sentiat & de nobis. Nec est, ut id audiat & cognoscat ex nobis. Si uir bonus est, quemadmodũ ex seipso de se iudicat quod sit Christi, ita ex seipso de nobis quoq; sentiat, quod Christi simus. Argumentum hoc æquitatis, locum habet in illis qui eiusdem religionis professione iunguntur: secus uero in illis, qui manifesta dissensione ac professionis diuersitate à se inuicem dissident, quales sunt Iudæi, Gentes, & Christiani. De Iudęo incredulo, & à professione nominis Christi alieno, nemo Christianus sentiet, quod sicut ipse Christi est, ita Christi sit & ille, qui non modo ad Christum non pertinet, sed & palàm se alienum ab illo esse profitetur. Pseudapostoli & sectarij Christi se esse gloriabantur. Idem faciebat & Paulus. Iã si satis illis erat professio nominis Christi ad hoc, ut Christo accenserentur, debebant hoc ipso iudicio uti & de Paulo, & reliquis Christianis. Si præter publicam Christianę religionis professionem uel fidei, uel dilectionis ac zeli, uel ministerij gratia Christi se esse confidebant, poterant ac debebant ex seipsis easdem ob causas de Paulo quoque iudicare quod Christi esset & ipse. Hac æquitatis norma si uteremur hodie in ecclesia, minus haberemus schismatum, minus temerarij iudicij, minus item persequutionum.

Dicet quisquam. Si negocium hoc erat Apostolo cum pseudapostolis, quomodo dicit se Christi esse quemadmodum illi sint Christi? An nõ aliter Christi est uerus Apostolus, quàm falsus? Respondeo. Non dicit se sic esse Christi, sicut illi sint Christi, sed iniquum illorum de se iudicium perstringens, æquitatis eius illos admonet, qua quemadmodum de seipsis iudicabant quod Christi essent, ita iudicent de se quoq; quod & ipse sit Christi. Si mulier honesta à minus honesta diffamata dicat: Si confidis te mulierem esse honestam, ex te ipsa idem de me quoq; sentias, ut quemadmodum honestam te iactas, ita honesta sim & ego. Hoc dicens non comparat se mulieri minus honestę, sed iniquum illius de se iudicium ad æquitatis normam reuocat & reprimit. Quare, ubi dicit, quod sicut ipse Christi est, ita & nos, subaudiendum est, si uere Christi est, Christi sumus.

NAM si & amplius, inquit, quicquam glorier, de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ædificationem & non in destructionem uestri, non pudefiam.] Non simpliciter dicit: Si amplius, sed: Nam si etiam amplius quicquam glorier, &c. Quare exponendũ est tanquam ætiologia eius quod præcessit. Potest autem trifariam exponi. Primo sic ut referatur ad ea quæ paulò suprà de uirtute & efficacia Apostolatus sui scripsit dicens: Siquidẽ A arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demolitionem munitionũ, quibus consilia demolimur, &c. quasi adhuc amplius quiddam sit potestatem habere ædificandi, de qua si gloriari uelit, non pudefiat. Verũ hic sensus non satis, meo iudicio, probabilis est. Deinde ut referatur ad proxime præcedentia, quibus dixit, debere eum qui se Christi esse confidit, quemadmodum ipse Christi est, ita ex seipso reputare, quod ipse quoq; sit Christi, hoc sensu. Sic enim comparatum esse se, ut si ultra id quod Christi est, tanquã Christianus, de potestate sua quoq; gloriari uelit, quã à domino tanquam Apostolus accepit, non sit pudefaciendus. Etenim amplius quiddam est nõ solum fidelem esse Christi, sed & Apostolum. Tertio, sic quoq; nõ incommode exposueris. Etenim etiamsi amplius quippiam quàm ipse sibi uindicare queat, de potestate nostra glorier, quam nobis dominus dedit, non pudefiã. Quare merito, qui talis est, duplici me nomine Christi esse cogitabit, si de seipso confidere potest, quod sit Christi.

Non dicit autẽ simpliciter, de potestate nostra, sed addit, quã dedit nobis dominus. Vindicat Apostolatui suo non audaciam ac temeritatẽ humanę præsumptionis, id quod pseudapostoli faciebant, sed potestatem legitimam ab ipso Christo acceptam, cuius demonstratio erat in efficacia manifesta, sic ut de ea gloriando non pudefieret. Qui hodie de potestate Apostolica gloriantur, probent eam sibi datam B esse à domino, deinde sic eam comprobent efficaciter, ut gloriando de illa non pudefiant. Ostendant ueritatem gloriationis suæ ipsius operis efficacia. Potestatem quam dat dominus, non sinit esse uanam & inefficacẽ, sed munit & instructam reddit eam uirtute spiritus.

Addit, in ædificationem & non in destructionem uestri, quibus uerbis potestatis suæ usum & finem expressit. Quod autem dicit, non in destructionem, nõ aduersatur ei quod suprà arma militiæ suæ potẽtia dixit esse Deo ad destructionem munitionum. Duo erant in ipsius Apostolatu, quæ à Deo acceperat. Potentia uidelicet & potestas. Priorem Gręci uocant δύναμιν, posteriorem ἐξουσίαν. Potentiã deputat militiæ, datq; illi usum destruendi munitiones ac celsitudinem regni Satanæ, captiuasq; mentes ducendi in obedientiam Christi, qua de loquutus est in præcedentibus. Potestatem deputat ædificationi fidelium, cuius hoc loco meminit. Cum ergo hic dicit: quam dedit nobis dominus in ædificationem & nõ in destructionem, non contradicit priori Apostolatus sui officio, sed distinguit inter illud & posterius, separans usum potestatis ab usu potentiæ, ideoq; non simpliciter dicit, & non in destructionem, sed addit, uestri. Vsus siquidẽ destructricis potentiæ locum habet in impijs & infidelibus, nõ in pijs ac fidelibus, quorum fides ac pietas ædificanda est, non destruenda. Prius autem est destruere per potentiam Dei omnem

omnem uim Satanæ, & captiuare mentes in obedientiam Christi. Posterius uero ædificare per potestatem à Deo acceptam. Hæc duo destruendi primum, deinde & ædificandi officia non Apostolica modò, sed & prophetica fuerunt. Sic enim Hieremiæ dictum est à Deo: Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, ut euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices ac plantes. Vtraq; incumbũt nostris quoque temporibus omnibus illis qui ministerio uerbi præficiuntur in ecclesia, quæ si fideliter exequi uoluerint, infensissimos experientur Pontifices & episcopos, & omnes eos, qui Romanæ tyrannidi sunt deuoti, qui nec destructionem impietatis, superstitionis, ac regni sui nec ædificationem fidelium ferre possunt. Curabunt autem, ut non modo fortiter uerbi potentia ad destruendum uim aduersariam, sed & prudenter potestate sua ad ędificandum fideles utantur, sic ut sint ambidextri una manu destruentes destruenda, altera ædificantes ædificanda. Inuenias qui perpetuo destruant, nunquam uero ædificent, rursus qui ex opposito toti sint ad ædificandum intenti, & interea quæ destruenda sunt non destruant. Qui sic uerbum domini administrant, inutiliter in opere domini sudant. Illi uero omnium sunt peruersissimi, & ipsissima Satanæ organa, qui non modo nec ædificant ædificanda, nec destruunt destruenda, sed quod omniũ est pessimum, quæ potentia uerbi destruenda erant, potestate illegitime præsumpta ædificant & extruunt, & quæ legitima potestate ædificanda erant, potentia brachij sæcularis quantum in ipsis est destruunt. Destruere debebant omnem impietatem, eidololatriam, superstitionem, cæcitatem, & uim Satanę uerbo Dei aduersantem. Verum hæc magis ædificant. Ædificare debebant in cordibus fidelium fidem in Christum, ueram fiduciam, pacem conscientiarum, spem futurorum, timorem & obedientiã Deo unice præstandam, &c. at ista pertinacissime quantum possunt destruunt. Et interim sunt Apostolici, catholici & orthodoxi.

NE uidear, inquit, ceu perterrefacere uos per epistolas.] Particula hæc sic posita est, ut tam sequentibus quàm præcedentibus possit accõmodari. Chrysostomus refert ad sequentia. Mihi placet, ut referatur ad præcedentia, hoc sensu. Non pudefiã, etiamsi amplius quiddam glorier de potestate mea, quam dedit mihi dominus. Verũ cohibeo me, gloriando non tantum, quantum ueraciter possem. Quare? Ne uidear uos per epistolas perterrefacere, atque ita confirmare id quod nonnulli cauillantur dicentes: Epistolæ sunt graues & robustę, at præsentia corporis infirma, & sermo contẽptus. Sic desyderatur aliquid, uidelicet, sed tẽpero mihi, uel, quod dico, ne uidear ceu perterrefacere uos per epistolas. Romani Pontifices procul absunt ab hac Apostolica modestia, ubi per minaces bullas horrendum sonantes

A & ecclesias, & regna perterrefaciũt. Quod Apostolus non modo non faciebat, sed ne uideri quidem tale quid facere uolebat, unde non simpliciter dicit: ne perterrefaciam uos, sed, ne uidear ceu perterrefacere uos per epistolas, hoc illi magno studio faciunt.

NAM epistolæ quidem, inquit, graues sunt & robustæ, at præsentia corporis infirma, & sermo contemptus.] Reddit rationem quare cum possit ueraciter citra pudorem amplius quiddam de potestate sua gloriari, quam à domino acceperat, nolit tamẽ id facere, ne ueluti perterrefacere eos per epistolas uideatur. Quia, inquit, sunt apud uos qui epistolas nostras graues & robustas, præsentiam uero corporis infirmam, & sermonem contemptũ esse dicant, quibus occasionẽ adhuc amplius oblatrandi nobis dare nolo. Quia scripserat ad eos libere, & redarguerat delinquentes, ac subinde authoritatem Apostolatus sui asseruerat: cum uero præsens apud eos esset, humilis in faciem apparuerat, sermoneq; usus fuerat nec rhetorico, nec philosophico, nec aliquo alio pacto iactabundo, sed mansueto ac paterno, erant qui dissimilitudinem ipsi Epistolarum & corporalis præsentiæ maligne opprobrarẽt ac dicerent: Videte qualis sit Apostolus, q̃ sibijpsi dissimilis, absens præsenti. Absens intonat epistolis & scribit imperiose, grauiter ac fortiter, præsens sic est persona humilis & infirmus, & sermone despicabilis, ut uix seruilius quicquam & abiectius uideri possit. Si tã

B est grandis & robustus reipsa, qualem se fingit in epistolis, quare talis non apparet præsens? Eminus audet, cominus languet. Necesse est igitur, ut fingat uel humilitatem & infirmitatem præsens, uel grauitatem ac firmitudinem absens. Nequit enim fieri, ut tam diuersis modis agat ex uero. Huic malicię sic occurrit, ut nec det occasionem illis, qui occasionẽ quęrebant, nec dissimulet se nihil iactare arroganter, sed ex uero omnia, sic ut etiamsi adhuc amplius quiddã de potestate sua glorietur, haud tamen pudefiat, & interim tamen ipsa maleuolorum uerba exprimat, ut ubi ista in ecclesia legerent, omnibus manifestum fieret, quosnam perstringeret.

NAM epistolæ quidem, inquit, graues sunt & robustæ.] Vide peruersitatem istorum hominum. Opprobrant Apostolo grauitatem epistolarũ ipsius, quasi illam malo studio simularet, cum ipsi causam illi ad eum modũ scribẽdi dedissent. Consimili modo nostra ætate illi ipsi scripta Lutheri mordacitatis accusarunt, qui pertinaci sua malicia causam illi seuerius in ipsos inuehendi dabant, cum non modo libris calumniosissimis, sed & edictis & bullis doctrinam ueritatis condemnarent, & fideles igne, gladio & laqueis improbissime persequerentur. Pessimum genus hominum, austeritatem illis exprobrant, quos ipsi aceto maliciæ suæ austeros reddunt.

AT præsentia corporis infirma, & sermo cõtemptus.]

temptus.] Ad eam præsentiam corporis refero, quod dicebant maleuoli, at præsentia corporis infirma, & sermo contemptus qua primo illis Christum prædicauit. At tum nō erat causa, quur se grauem ostenderet erga fideles, sed potius resipsa omnem poscebat mansuetudinem ac lenitatem. Posteaquam uero reprobi opus domini in absentia ipsius uiciare moliebantur, & sectę essent in ecclesiam, cum omnis generis corruptelis, introductæ, poscebat ipsa necessitas, ut scriberet ad eos grauius ac seuerius, quàm se initio apud eos gessisset. Quare iniquissime faciebant, qui id ipsi uicio uertebant, præsertim cum causa seueritatis huius esset ex ipsis.

Deinde & illud cogitemus. Erat Apostolus iuxta sæculū non illustris & gloriosus sed humilis. At sic comparatus est Deus, ut humilibus det gratiam. Eueniebat igitur ut in præsentia constitutus propter personæ humilitatem à carnalioribus ac reprobis despiceret, quod ipsi quoq; Christo accidit, atq; ita gratia Dei in ipso minoris momenti reputaretur. Et hoc nō Paulo tantum accidit, sed hodie quoq; usuuenire uidemus illis, qui cū scriptis suis magnā sibi partim eruditionis partim pietatis existimationem concilient, ubi præsentes spectant humiliores opinione apparent, ut recte dicas: Sæpe uiri magni minuit præsentia famam. Sic comparatum est hoc sæculum, ut non ęstimet magni, nisi eos quorum & persona est spectabilis, & sermo splendidus ac gloriosus, humiles uero mox primo aspectu fastidiat. Sic fit, ut in formis humilitatis gratia Dei respuatur. At aurum inquocunq; cœno ac luto repertū auide colligunt, quod eius studiosiores existant quàm gratiæ Dei.

HOC reputet, qui istiusmodi est, quod quales sumus sermone per epistolas cū absumus, tales sumus & cum adsumus facto.] Cogitabant ac dicebāt quoq;. Quæ scribit, grauia quidē sunt & fortia, sed interim nihil sunt nisi uerba hominis in absentia audentis, in præsentia uero humilis & abiecti. Quæ minatur absens, nunq̄ tentabit præsens. Occurrit dicens: Qui istiusmodi est, hoc est, qui de nobis ad hūc modū iudicat, hoc reputet ac sibijpse persuadeat, quod quales sermone sumus per epistolas dū absumus, tales sumus & cum adsumus facto, hoc est, quod absentes scribimus, hoc præsentes facere possumus, potestate & efficacia quā accepimus à domino. Sic intelligendū est qđ dicit: tales sumus cum adsumus facto, non de prima illa præsentia, qua Christum initio Corinthi prædicauerat, in qua non erat causa, ut talis esset facto, qualem se postea per epistolas ostendit sermone, sed de futura, si coactus à reprobis denuo ad eos uenisset.

Obseru[illegible] uero, quod in singulari dicit: Hoc reputet qui istiusmodi est, quemadmodū & in præcedentibus: Nā epistolæ, inquit, graues sunt, &c. ubi uni cuidā, quisquis ille fuerit, id obloquutionis dat, quo epistolas ipsi⁹ graues

A præsentiam uero infirmam & sermonem cōtemptibilem esse dixerit. Apparet uenisse Corinthum è Iudæa pseudapostolum aliquē qui spiritu liuoris impulsus Apostolo sese opponere tentauerit, id quod & capite sequenti innuitur, ubi dicit: Nam si is qui uenit alium Iesum prædicat, &c.

Deinde & illud obseruemus, quod dicit, q̄ talis est, pro eo quod dicendum erat, qui hoc dicit. Qualis quisq; est talia dicit & facit. Quare ex uerbis & factis prodit quisque qualis sit, bonus ne uel malus, amicus uel inimicus, pi⁹ uel impius, sapiens uel stultus, iustus uel iniustus. Ideo recte hic dicit: Hoc reputet qui talis est, id est, qui sic erga me maligne animat⁹ est, ut & præsentiam meam & epistolas diuexet. Vbi audimus aliquem proximi sui dicta & facta obloquendo diuexantem, facile qualis erga illum sit intelligimus.

De eo quoq; cogitandū est, quod dicit, quales sumus sermone per epistolas cū absumus, tales sumus & cum adsumus facto, ubi admonemur quid uiro graui, honesto, probo ac ueraci competat. Hoc uidelicet, inter cætera, ut sit sibijpsi nusq̄ dissimilis, non alius absens & alius præsens, sed & absens sit qualis est præsens & præsens qualis est absens, tanquā alienus ab omni hypocrisi, instar auri, quod non aliud est in loculis & aliud extra loculos, non aliud in manu diuitis & aliud in manu pauperis sed ubiq; sibijpsi constāter simile. Deinde,

B ut non iactet sermone plura, q̄ possit præstare facto, ne pudefactus inanis ac uanus depræhēdatur. Multo tutius est minus promittere uerbis, & plus q̄ promiseris præstare factis. Etenim nemo hinc leuitatis arguitur, qđ nequit magnifica præstare facto, si magnifica non promiserit, sed id demum leuitatis est pudori obnoxium, si plura promiseris q̄ opere præstare possis, præsertim si accesserit iactantia.

Non enim, inquit, sustinemus inserere aut conferre nosipsos, cum quibusdā, qui seipsos commendant. Sed isti nō intelligunt quod ipsi inter sese seipsos metiuntur & comparant semet sibi. At nos non in immēsum gloriabimur, sed iuxta mensuram regulę, qua partitus est nobis Deus, mensura pertingendi etiam usq; ad uos. Non enim quasi non pertingamus usq; ad uos, extendimus nosipsos supra modum. Nam usq; ad uos quoq; peruenimus in Euangelio Christi, nō in immensum gloriantes super alienis laboribus, sperantes futurum, ut subolescente fide uestra in uobis, magnificemur iuxta regulam nostram in exuberantiā, ut ijs quoq; regionibus, quæ ultra uos sunt, euāgelizem, non per alienam regulam, ut de his quę parata sunt gloriemur. Ve

rum qui gloriatur, in domino glorietur. A Non enim qui seipse cōmendat ille probatus est, sed is quē dominus cōmēdat.

Dixit se talem esse facto præsentem, qualis sit sermone per epistolas absens. Iā quæ subiūgit declarant, alienum ipsum esse ab ea uanitate, qua plura de se iactet uerbis, q̄ opere pręstare posit, ad quem modum pseudapostoli inaniter de seipsis gloriari soleant. Sic dicit: Non enim sustinemus inserere aut cōferre nosipsos cum quibusdam qui seipsos commendant. In Græco est, οὐ γὰρ τολμῶμεν, id est, non enim audemus, quod nihil est aliud, quàm: Non enim sic uani ac temerarij sumus, ut illis nos iūgamus ac similes reddamus, qui seipsos cōmendant, hoc est, studio inanis gloriæ plura de se iactāt quàm ueraciter præstare queant. Quare Erasmus non inscite uertit: Non enim sustinemus, ne uideatur Apostolus sic magni facere gloriosos illos Thrasones ut non ausit se illis comparare, aut albo illorum inserere. Honesta matrona nō audet inserere se ac comparare leuibus mulierculis, quę & uerbis & factis impuri cordis lasciuiam spirant. Hoc genus ἀτολμίας honesti animi indicium habet. Sic quod non audebat Apostolus comparare se uanis Thrasonibus, illorumq; se numero inserere, qui inani iactatione insolescebant, argumentum habebat animi ueritatis studiosi, & ab inani iactantia abhorrentis. Quare uanissimum erat, quod insimulabat eū, quisquis fuit, eius leuitatis, qua B grauiora sonaret epistolis absens, quàm facto præstare posset præsens.

SED isti non intelligunt, inquit, quod ipsi inter sese seipsos metiuntur, & comparant semet sibi.] In Græco est, ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν, id est: Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & comparantes seipsos sibijpsis non intelligūt. Vulgata uero uersio sic habet: Sed ipsi in nobis nosmetipsos metiētes, & cōparantes nosmetipsos nobis. Hic interpres refert ista ad ipsum Apostolū, quasi nō de gloriosulis Thrasonibus pseudapostolis, sed de seipso loquatr, & illud οὐ συνιοῦσιν, id est, nō intelligunt, omittit. Chrysostomus hic dicit, ἢ περὶ ἑαυτοῦ τοῦτό φησιν, ἢ περὶ ἐκείνων. Verum certius est, ut referamus ad eos quorū inanes glorias perstringit, hoc sensu: Non ausimus nos comparare & inserere illis qui seipsos commendant: Verum illi non intelligunt, q̄ sit turpe quod faciūt, propterea quod metiuntur sese non nisi ad seipsos, & cōparant se non ad perfectiores, sed ad seipsos, hoc est, sic placēt sibijpsis, ut neminem esse putent, cum quo sint conferendi. Non obseruāt, quib⁹ donis à Deo ornati sint alij, sed seipsos tantum spectantes existimant nō inueniri parem nedum potiorem. Si saperent, conferrent ea, de quibus gloriātur, cum donis ac dotibus aliorum, & hoc faciētes facile intelligerēt, nō esse sibi causas insolescendi, gloriandi, & alios præ se fastidiendi, sed potius modeste ac submissius agendi. Ergo illi perinde faciebant, atque sciolos nonnullos facere uidemus, qui quoniam nec legunt aliorum scripta, nec audiunt alios, sed instar testudinis suoipsius succo contentæ, suamipsorum dūtaxat eruditionem inspiciūt, illamq; pluris faciunt decuplo, q̄ sit in seipsa, atq; ita opinione scientiæ inflantur, qua stulticia liberari possent, si se non cum seipsis sed cum alijs conferrent. Consimilē plane stulticiam perstringit hoc loco Apostolus in Thrasonibus illis qui seipsi commendabāt, iactantes admodum, quod essent Ebræi, Israëlitæ, semen Abrahę, & Christi ministri, sicut capite sequenti uidebimus, & horum consideratione aduersus alios, ipsum quoq; Paulū inflabantur, quasi non & ipse Ebræum se, Israëlitā, semē Abrahę Christiq; ministrū iactare posset.

Admonemur horum exemplo, ut de nobisipsis iudicaturi non nostras tantum uirtutes, si quæ concessæ sunt diuinitus, sed & aliorū inspiciamus, nosq; non cum nobisipsis sed cum alijs, præsertim potioribus, cōferamus, ne per stulticiam insolescamus, inflemur, & alios cōtemnamus. Hæreat in mentibus nostris quod dicit: οὐ συνιοῦσιν, id est, non intelligunt, ne in putidam hanc stulticiam incidamus.

Scio à nonnullis locum hūc sic exponi: Sed isti, cum sui similibus sese conferūt, & mutuū muli scalpunt belle sibi mutuo placentes. Et hoc uolunt esse, quod dicit: sed isti ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες ideoq; ἐν ἑαυτοῖς, id est, in seipsis, reddunt, inter sese, cum uerti posit, intra sese. Verum sensus quem posuimus, meo iudicio, uerbis est uicinior.

AT nos non in immēsum gloriabimur, inquit, sed iuxta mensuram regulę, qua partitus est nobis Deus mensura pertingendi etiā usq; ad uos.] Quod in Græcis exemplaribus est, quæ nobis sunt in manu, οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ θεὸς μέτρου ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν, existimo pro μέτρου legendum esse μέτρον, id est, mensuram quemadmodum in Chrysost. quoq; expositione, in exemplari Veronensi legitur, & uulgata lectio Latina habet. Postquam stulticiam pseudapostolorum perstrinxit qua seipsi uane iactabāt, opponit iam ad finem usq; capitis moderationē suam, qua ipse non gloriabatur ultra mensurā donationis Christi, quo lector uideat, q̄ inique egerint pseudapostoli quod insimularunt ipsum eius uanitatis, qua plura sibi tribueret scribendo absens, q̄ præstitisset faciendo præsens, cum ipsi eo uicio laborarent, ut iactarent de se temere magna, quorū nihil pręstitissent, nec præstare possent. Sic dicit: At nos non in immensum gloriabimur. Gloriari, εἰς τὰ ἄμετρα, est gloriari ultra modum & mēsuram eorum quæ præstiteris uel præstare posis. Ideo subijcit, sed iuxta mensuram regulæ, qua partitus est nobis Deus mensuram pertingendi etiam usq; ad uos. Apparet pseudapostolos gloriatos fuisse, quod in longinquum prędicationis suæ cursum extendissent, & quasi totum orbē prædicando peragrassent, quod & Chrysostomus an-

mus annotat, qui dicit: καὶ γὰρ εἰκὸς ἦν αὐτοὺς κομπάζοντας λέγειν, ὅτι τὴν οἰκουμένην ἐπιτρέψαμεν, πρὸς τὰ πέρατα τῆς γῆς ἀφικόμεθα, καὶ πολλὰ ἕτερα τοιαῦτα μεγαληγορεῖν. Ea gloriatio erat inanis, & in immensum extensa. Apostolus uero non gloriabatur ultra regulam gloriandi, quæ est, ut secundum mensuram donationis Christi, & non ultra gloriemur. Hanc sibi à Deo datam esse dicit, ut ad ipsos Corinthios quoq; prędicando Christum pertigerit.

Obserua, quod non dicit: nos non gloriabimur, sed, nos nō in immēsum gloriabimur. Ergo nō diffitetur in uniuersum se quoq; gloriari. Vnde recte colligimus non esse in se illicitum sanctis, ut glorientur. Illicitum uero & culpabile est, si quis glorietur nō ueraciter sed falso, iactans ea, in quibus nihil est ueri, uel, nō de suo sed alieno, uel non moderate, sed ultra mensuram à domino acceptam, uel non certa & utili ratione sed inaniter ac frustra, uel non in domino, sed in carne siue sua siue aliena. Nihil horum in gloriationibus sanctorū reperit̃, qui gloriātur ueraciter, de suo, moderate, prægnanti ratione, & in domino.

Deinde obserua quod dicit: sed secundum mensuram τοῦ κανόνος, id est, regulę, qua partitus est nobis Deus mensuram, &c. uides hic non modo dari à Deo, quæ bona sunt, & recte geruntur, sed & partiri illum unicuiq; suam mēsuram, alij plus alij minus, nemini nihil, nemini omnia. Adhęc, partitioni huic uides assignari canonem, certam uidelicet regulam. Quis canon ille sit, secundū quem Deus unicuiq; dona sua secundum mensuram partitur, non exprimit. Neq; certo potest exprimi. Quia secreto diuinæ prouidentiæ constat, quæ omnia sapienter, utiliter, & sufficienter pro uniuscuiusq; necessitatibus siue uitæ sustentādæ siue obeundi ministerij distribuit. Et hic Canō seruandus est omnibus illis, quos Deus alijs in hac uita uel alendis & educandis, uel instituēdis, uel gubernandis ac protegendis præfecit, ut & ipsi unicuiq; suam mensuram necessitatibus ipsius competentem subministrent.

Illud quoq; animaduertendum est, quod dicit: pertingendi etiam usq; ad uos. Magnis laboribus & crebris periculis per multas Gētes & urbes inde à Iudæah Corinthum usq; euangelizādo peruenerat. Et ea de re sic gloriatur, illamque singulari dono Dei adscribit, ac si maximo suo cum emolumento cursum hunc perfecisset. Tantus uidelicet inerat pectori illius propagandi regni Christi ardor, ut quo latius illius gratia excurrere dabatur, hoc magis singularem in se gratiam Dei agnosceret.

NON enim, inquit, quasi non pertingamus usq; ad uos, extēdimus nosipsos supra modū. Nam usq; ad uos quoq; peruenimus in Euangelio Christi.] Exponit quod in prędecētibus dixit: at nos non in immensum gloriabimur, &c. Gloriari in immensum uocat hic extēdere se supra modum, intellige, gloriādo. Et negat se hoc facere, dū ad Corinthios usq; pertigisse cursum suū gloriat̃, dicēs: Dum gloriamur de A uobis, quod ad uos usq; in Euangelio Christi peruenerimus, uesterq; Apostolus simus, non gloriamur in immensum, nec extēdimus nosipsos supra modū, quasi ad uos usq; nō peruenerimus, ideoq; plura nobis gloriando tribuamus q̃ opere præstiterimus, absit, nam & ad uos usq; Christum uobis euangelizando peruenimus. Nō simpliciter autē dicit: Nam usq; ad uos peruenimus, sed, nam usq; ad uos quoque peruenimus, quemadmodū & in pręcedētibus dixit, qua partitus est nobis Deus mensuram pertingendi etiam usq; ad uos. Sic loquēdo significat se non sic ad eos usq; uenisse, ut inde à Hierosolymis Corinthū usq; nullis pręterea Gentibus ac populis euāgelizauerit, nisi ipsis solis, sed potest multas alias regiones peragratas ad ipsos quoq; pertigisse, quare gloriari se nō ultra mensurā cursus sui quoties de ipsis gloriet̃. Et illud haud ociose adiectum est, quod dicit: in Euangelio Christi. Dubio procul multi erāt ex Iudæis, qui & ipsi Corinthum uenerāt. Nam ibi synagoga Iudæorū habebatur, ut uidere est Act. 18. Vt significet igitur uenisse Corinthū se non ut Iudæum aut aliàs simpliciter ac uulgariter, sed ut Apostolū Christi ad prędicandū illic Euangeliū Christi, cum dixisset: Nam usq; ad uos quoq; peruenimus, addit, in Euangelio Christi, id est, in prædicatione Euangelij Christi, in Apostolatu prędicandi Euangelij Christi. Obserua hoc loco uerbum ὑπερεκτείνομεν. Locum habet in illis qui B modū tenere nesciunt, sed nimia uel lucri, uel uoluptatis, uel inanis gloriæ cupiditate rapti perpetuo sese ultra mensurā recti, honestatis & modestiæ, si factis nequeunt, uerbis saltem ac uotis extendūt. Et hoc ingenio fere sumus omnes, nisi quod gratia spiritus Dei electos cohibet, ne quod ipsorū quoq; est carni agnatum, una cum reliqua multitudine sequatur.

NON in immensum gloriātes super alienis laboribus, inquit.] Paulo supra quinq; posuimus illicitæ gloriationis species inter quas eā quoq; recensuimus, quam hic ponit Apostolus, negās se gloriari super alienis laboribus. Quia ubi se Corinthum quoq; in Euangelio Christi peruenisse dixit, idem poterant in speciem iactare pseudapostoli, eam illis gloriationē adimit negans se gloriari super alienis laboribus, dum Corinthum se prædicando peruenisse dicit. Venerāt quidem Corinthum etiam illi, & dubio procul ibi prædicabāt, uerum quod ibi fidelium Christi repererunt ecclesiam non poterāt suis tribuere laboribus. Nam debebatur hoc laborib9 Apostoli, qui primus Corinthios ad fidem in Christum couerterat, & ecclesiam ibi constituerat. Quare cum se Corinthiorum gloriaretur esse Apostolū, non gloriabatur super alienis sed super proprijs laborib9. Et hoc dicens putidam reddit illorum iactantiā, qua se Corinthum usq; peruenisse gloriabātur. Verum infra adhuc plura hac de re subijciet.

SPERANTES futurum, inquit, ut subolescēte fide uestra in uobis magnificemur iuxta regulam nostram in abundātiam, ut ijs quoq;

 regio-

regionibus quę ultra uos sunt euangelizem.] Ne uideatur metam Apostolici sui cursus siste re in Corinthijs, dicit sibi spem esse extēdendi illum adhuc usq; ad ulteriores populos. Hoc est, quod cum dixisset: Nam usq; ad uos quoq; peruenimus in Euangelio Christi, non in immensum gloriantes super alienis laboribus, subiungit, sperantes futurum, ut ijs quoq; regionibus quae ultra uos sunt euangelizē. Vulgata æditio nō exprimit sensum Apostoli. Sic enim habet. Spem autem habentes crescentis fidei uestræ in uobis magnificari secundum regulā nostram in abundantia, etiam in illa quæ ultra uos sunt euangelizare. Non enim loquit Apostolus de spe fidei Corinthiorū qua fore speret, ut illa crescat sed de spe Euangelij ad ulteriores quoq; Gētes prædicatione sua propagandi. Quare quod in Græco est αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν, non debebat uerti in genitiuo, fidei uestrę, sed in ablatiuo, crescente fide uestra in uobis. Sensus est. Non sic de uobis glorior, quasi prædicationis meæ cursus in uobis terminetur, sed spero futurum, ut ubi fides uestra paulo fuerit facta in uobis uegetior ac firmior secundum regulam nostram, illum ex abundāti, ad ulteriores quoque Gentes, quę ultra uos sunt, euangelizando extendamus. Verbum μεγαλυνθῆναι, id est, magnificari, sic est positū, ut tam ad præcedens, ἐν ὑμῖν, id est, in uobis, q̃ ad sequētia possit referri. Si referas ad præcedēs, sensus erit: Spero fore ut magnificemur in uobis ubi fides uestra adoleuerit. Si ad sequētia, significat sperare se ut secundum abundātiam regulæ suæ magnificet̃, ubi ulterioribus quoque Gentibus euangelizauerit.

SPERANTES futurū, inquit.] Non affirmat, sed sperare se dicit, fore ut adhuc latius Euangelij cursum extēdat. Terminus enim illius erat in scientia ac manu Dei, à cuius dispēsatione totus pendebat.

VT subolescēte fide uestra in uobis, inquit.] An cursum Euāgelij nō poterat ad ulteriores Gentes extēdere, nisi fides Corinthiorū prius adoleuisset? Quid si prorsus non credidissent? An ipsorum incredulitas regnum Christi impediuisset, quominus ad ulteriores populos propagari posset? Respondeo. Incredulitas illorum cursum Euangelij haudquaquā remorata fuisset, remorabatur uero fidei illorū imbecillitas. Etenim si Euāgeliū nō recepissent, potuisset excusso pedum suorū puluere transire ad ulteriores, id uero facere non potuit posteaq̃ credere cœperant, nisi prius fide illorum aliquousq; corroborata. Hoc scilicet est quod dicit: ut subolescente fide uestra in uobis, &c.

MAGNIFICEMVR, inquit, iuxta regulam nostram in exuberantiā.] Sensus est ut adhuc ampliorem gloriandi materiā acquiramus. Id uocat magnificari secūdum regulam suam in abundantiā. Regulam eādem intelligit quam supra uocauit mensurā regulæ. Suam eam uocat quod à Deo sibi sit cōstituta. Verbo autem magnificandi non utitur carnali affectu, quasi appetat ac speret inanis gloriæ augmentū, sed

A usurpat illud & accōmodat proposito suo cōtra pseudapostolos, quorum improbitatē refellere cœpit. Obserua obiter, quod Canonē diuinæ admēsurationis uocat suum Canonē. Talis erat Canonicus Paulus militans ac seruiens sub Canone, id est, regula, non Frācisci, nō Bernhardi, non Dominici, sed ipsius domini. Regula sit non modo ministro sed & cuilibet fideli, mensura diuinæ constitutionis ac uocationis, ut secundum hanc se religiose ac fideliter gerat. Est autem regula hæc duplicis conditionis. Alia nanq; est ἔγγραφος, alia ἄγραφος. ἄγραφος, id est, non scripta, erat ea qua de loquitur hic Apostolus. Neq; enim aliquo erat scripturæ loco expressum quousq; propagaturus esset Euangelium Christi: ἔγγραφος uero est, qua ipsa doctrina pręscribitur Euangelij ministris. Et qua fidelibus omnibus ac singulis constituitur quid credere ac uiuere debeāt. Hoc sensu sunt omnes Christiani, tam fideles q̃ ministri Canonici, ministrantes ac uiuentes sub regula Dei, à qua si declinauerint multo uerius ac perniciosius irregulares fiunt, quàm si monachus cucullatus à sua regula exorbitet.

VT ijs quoq; regionibus, inquit, quæ ultra uos sunt, euangelizem.] Non exprimit eas regiones, quibus ultra Corinthum sitis speret se prædicaturum Euangelium. Nec id referebat admodum. Si cursum illius quo inde à Hierosolymis Corinthum usq; peruenit cōsyderes, ultra Corinthum utiq; erat Macedonia, in qua

B tamē priusquā Corinthum uenisset Christum prædicauerat. Quin in ea quę ad Rom. est cap. 15. gloriatur se ad Illyricū usq; impleuisse Christi Euangelium, quæ extrema pars est Macedoniæ. Tandem & Romā usq;, licet captiuus, peruenit, & ibi quoq; bienniū euangelizauit.

NON per alienam regulam, inquit, ut de his q̃ parata sunt gloriemur.] Dixit: sperantes futurum, ut magnificemur per regulam nostrā. Iam quorsum id dixerit exprimit subijciens, non per alienā regulam in ijs quę parata sunt, intellige, ab alijs, gloriando. Dicit se nolle gloriari de alienis laboribus, de locis in quib⁹ alij Christū prædicauerint, sed de suo labore paratis. Nequit hoc satis inculcare, gloriari se non de alieno sed de suoipsius labore, nō secundū alienam sed secundum suam regulam, non de ijs quæ ab alijs sed quæ à se sint parata. Sic & Rom. 15. dicit: Non ausim loqui quicquā eorū quæ nō effecit Christus per me, in obedientiā gentium. Et paulo post: ita porro annitens prędicare Euangelium, non ubi nominatus erat Christus, ut ne super alienum fundamentum ędificarem, sed quemadmodum scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, uidebūt, & qui non audierant, intelligent. Hæc dicendo perstringit pseudapostolos ac subintroeūtes fratres, laboribus suis insidiantes, deq; alieno impense gloriantes.

Et utinam id genus hominum nullum post se reliquisset seminariū, neq; tātopere in ea urbe post Pauli labores inualuisset, quā improbissime, ecclesiarū Christi cōstituēre magistrā. Et

Anaba-

Anabaptistæ quid aliud faciunt, quàm quod in eas ecclesias, in quibus iam est Euangelicæ doctrinæ fundamentum ab alijs magno cum labore positum, subrepũt, & de suis erroribus superstruunt, unde quod positum est fundamentum subuertatur? Nec Anabaptistæ tantũ hoc faciunt. Inuenias siquidem Euangelicos ministros, qui sic in ecclesijs hodie, quas alij non sine multo discrimine ab impietate ac seruitute Papistica liberarunt, & ad Euangelij lucem ac libertatem perduxerunt, haud secus insolescant, quàm si ipsi illarum primi sint apostoli, & quod adhuc peius est, labores antecessorum, quibus ipsi bene utuntur, iniquissimis conuicijs proscindant, ac nomina eorum per quos populus primum Euangelio credere cœpit, odiosa reddere conẽtur. Pseudapostoli iactabant Hierosolymam & Petrum & Iacobũ magnos apostolos. Papistæ iactãt Romam & Petrum. Et isti quoq; habent unde se iactent, haud plus de proprio gloriantes quàm illi.

VERUM qui gloriatur, inquit, in domino glorietur.] Generalem parænesim ponit, ad omnes pertinentem communiter. Verum inquit, quisquis ille sit qui gloriatur, & undecũque glorietur, hoc ab illo cum primis requirit, ut glorietur in domino. In priore epistola ad Cor. cap. 1. eandem parænesim tribuit scripturis dicens: Vt quemadmodum scriptũ est. Qui gloriatur, in domino glorietur, respiciens opinor ad nonum caput Hieremiæ. Gloriari autẽ in domino, est nihil eorum de quibus gloriamur, nostris tribuere uel uiribus uel sapientiæ uel iusticiæ, sed omnia diuinæ prouidẽtię adscribere, & illius tantum non nostram gloriãdo spectare gloriam. Qui sic animati sunt, non poterunt gloriari secundum carnem, ideoque nec supra mensuram suam, nec de falso, nec de alieno gloriabuntur, quemadmodũ faciebant pseudapostoli, qui quoniam inanis gloriæ studio tenebãtur, in domino gloriari nõ poterãt.

Quisquis gloriatur, tria hæc gloriãdo facit. 1 Primo, gaudet & exultat in seipso, super ijs de quibus gloriatur. De tristibus, unde dolemus, nemo gloriatur, sed de lætis, de bonis, ac præclaris. Loquor de cordatis & honestis hominibus. Carnales siquidem de carnalibus, & mali de malis lætantur. Sic Pro. 2. Lætãtur, inquit, cum male faciunt, & in peruersitatibus maliciæ exultant. 2 Deinde gaudium suum non continent in conscientiæ suæ secreto, sed prædicãt & iactant apud alios. Hinc est, quod iactantia pro gloriatione sumitur. Et id faciũt non leuiter sed ore pleno, nõ semel atq; iterũ, sed frequenter, præsertim qui gloriantur in rebus uanis ac nihili. 3 Tertio laudẽ & gloriã iactando quęrunt, unde uerbũ est gloriari Latinis, & καυχάομαι Græcis. Et hic studia in contraria scinduntur pij ac reprobi. Pij gloriando non suamipsorum sed Dei gloriam quærunt, quemadmodum in illo exultant quoq;, & nõ suas uirtutes sed Dei in se dona & gratiam deprædicant, & sic gloriantur non in se sed in domino. Reprobi uero dum gloriantur, suã ipsorum gloriam ac laudem uenantur, non Deum sed seipsos laudantes. Hinc Ebræis est uerbũ, התהלל, quod seipsum laudare significat, & tamẽ ad eorum quoq; gloriationem usurpatur, qui gloriando non suam sed Dei gloriam quę runt, & non in carne sed in domino Deo suo exultãt, sicuti uidere est Hier. 9. ubi sic legitur, כה אמר יהוה אל יתהלל חכם בחכמתו ואל יתהלל הגבור בגבורתו אל יתהלל עשיר בעשרו : כי אם בזאת יתהלל המתהלל השכל וידע אותי כי אני יהוה עשה חסד משפט וצדקה בארץ כי באלה חפצתי נאם יהוה id est: Sic dicit dominus, ne glorietur, uel, ne laudet se, sapiens in sapientia sua, ne glorietur uir robustus in robore suo, ne glorietur diues in diuitijs suis. Quin magis in hoc glorietur qui gloriatur, quod intelligit ac cognoscit me, quod ego sum dominus faciens misericordiam, iudicium & iusticiã in terra. Nam illis delector, dicit dominus. Ex hac itaq; distinctione facile uidere est, qui sint qui in domino, & qui in carne gloriantur.

NON enim qui seipsum commẽdat, inquit, ille probatus est, sed is quem dominus commẽdat.] Reddit rationem quare debeat qui gloriatur gloriari in domino. Sumit autẽ eam ex opposito & illius uanitate. Commendare seipsum, inducit tanquam oppositum gloriationi quæ fit in Deo. Etenim qui seipsum cõmendat, gloriatur utiq; in seipso, & gloriã quã uindicat sibijpsi, detrahit Deo, quod maxima est in conspectu Dei iniquitas. Vanitas huius est, quod non præstat id quod ab eo qui seipse commendat quęritur. Vult enim probatus haberi, & in hunc se finem gloriãdo cõmendat. At propria commendatio probatũ reddit neminem, sed suspectũ potius de impostura, magisq; contemnendum ac fugiendum quàm suspiciendum. Hoc significans dicit: Non enim qui seipsum commendat ille probatus est.

Iudiciũ hoc de ijs qui seipsos commẽdant ac uenditant quasi admodum sint probati, de quorũ fide & integritate dubitare debeat nemo, summopere necessariũ est in ecclesijs, præsertim ubi locum habent hypocritæ qui singulari hypocriseos studio insinuant se ac commẽdant imperitis & incautis, & obtinent etiam ut pro iustis, sanctis, ac probatis habeantur, cũ sint nequissimi impostores. Si maiores nostri cautione hac fuissent usi, ut cogitassent, secundum Apostoli sententiam probatos non esse eos qui seipsi commendant, minus fuissent seductionibus facti obnoxij.

QVEM autem probatũ pronunciat? Sed is, inquit, quem dominus cõmendat.] Nõ dicit: quem alij commendant, sed, quem dominus commendat. Humana commendatio probatum non reddit. Commendabantur pseudapostoli cõmendaticijs aliorum epistolis, quẽadmodum suprà cap. 4. uidimus, & tamẽ non erant probati sed impostores reprobandi. Neminem potest homo talem reddere qualẽ cõmendat. Dum autem commendamus aliquẽ uirtutis alicuius nomine, fit ut sæpenumero fallamur, bonum existimãtes esse eum qui no

bis inscijs & nō satis circumspectis malus est ac reprobandus. Imò, quod adhuc peius est, haud raro commēdamus eum quem indignū esse scimus qui commendetur, dum illi magis cupimus esse consultum q̃ quibus eum commendamus. Non igitur præter rationem est, quod poëta monet dicens.

Qualē cōmendes etiā atq; etiā aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quendā nō dignū tradimus? ergo
Quē sua culpa premit, deceptus omitte tueri,
Vt penitus notum si tentent crimina serues
Tuterisq; tuo fidentem præsidio.

Vbi autem dominus aliquem commendat, ibi nec fallitur ipse nec fallit quenq̃, quare necesse est, ut sit probatus. Cōmendat ille non ut homo, significans qualis sit quem commēdat, nec commendat uerbis, sed manifestis argumentis, ipsis uidelicet operibus ac donis suis, quibus talem reipsa reddit, qualem uult haberi. Sic commendabat Paulum tanq̃ insignem Apostolum, reddebatq; eum probatū magna Apostolatus ipsius efficacia. Hoc genere commēdationis destituebant̄ pseudapostoli, quare quo probati uiderentur, magnas de se sciētiæ, sapientiæ, eloquentiæ iactabant ampullas, & Paulum præ se tanq̃ humilem & idiotam sermone fastidiebant. Hac regula diuinæ commendationis instructi iudicemus de ministris Christi, probati ne sint uel secus. Si donis Dei ad ministerium necessarijs fuerint instructi, idq; manifestis argumentis declarauerint, agnoscamus in illis commēdationem Dei, habeamusq; eos tanquā probatos in precio. Nulla arbor uerborū commēdatione probata reddit̄, reddit̄ uero bonorū fructuū fertilitate. Sic in ministris quoq; iudicādis ac ꝓbādis, discamus ex fructibus cognoscere arborē.

ARGVMENTVM CAPITIS.

MOx initio significat, quàm cupiat se à Corinthijs patienter audiri, & quare tam sit pro ipsis solicitus, quāq; nullā dederit ipsis causam, ob quā se fastidire debeant, ac tum fiducialiter ac libere cōtra pseudapostolos dimicat, suamq; gloriationem illorum iactantiæ opponit.

CAPVT XI.



TINAM tolerassetis me paulisper in insipiētia mea imò & suffertis me: nam zelotypus sum erga uos Dei zelo. Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo, sed metuo, ne qua fiat, ut quemadmodū serpens Euan decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ erat erga Christum. Nam si is qui uenit alium Iesum prædicat, quē non prędicauimus, aut si spiritum alium A accipitis, quem non accepistis, aut Euāgelium aliud, quod non accepistis, recte sustinuissetis. Arbitror enim me nihilo inferiorē fuisse eximijs apostolis. Si uero idiota etiā sim sermone, nō tamē sciētia.

VTINAM, inquit, tolerassetis me paulisper] In Gręco quidem sic est, ὄφελον ἀνείχεσθέ μου, id est: Vtinam tolerassetis me, uerum conueniētius est, ut legamus, utinā toleretis me. Neq; enim respicit præteritum aliquod tempus, in quo debuerint ipsum tolerare, nō tolerauerint autem, sed loquitur de præsenti causa quam tractat, gloriatione uidelicet cum sua tum pseudapostolorū, & optare se dicit, ut in illa se patienter audiant, cui sensui non conuenit præteritum, tolerassetis sed pręsens, toleretis. Sensus aūt est. Esto, uidear uobis quoq; insipiēter gloriari. Boni hoc consulens id saltē optarim, ut hanc insipiētiam meam paulisper toleretis, dum rationem & æquitatem illius explicem.

Tolerantia rerū est non lætarū, non desyderatarum, nō spectabilium & magnificarū, sed tristium, molestarū & ineptarum. Tale autē nihil eorum uideri debebat Corinthijs, quæ scribit ad ipsos Apostolus. Verū quoniā, ut ꝓuerbio dicit̄, propria laus sordet, futurū præuidebat, ut gloriando insipiens factus uideret̄ & tamē ipsa hoc poscebat, imò extorquebat, pseudapostolorum improbitas, ut Apostolatū suū cōtra illos tutaret̄, & gloriatione sua iactantiā B illorū reprimeret, id saltem erga se poscit obseruantiæ, ut si uideatur desipere gloriādo, in ea ab ipsis insipientia toleretur paulisper. Nec optat hoc ac petit ab illis, tanq̃ à filijs suis, immerito. Debent enim filij parentibus, subditi præpositis, discipuli magistris, non modo dilectionē ac uoluntariā obedientiam, sed & tolerantiam, sicubi uel per ignorantiā, uel tentatione aliqua uicti, uel senio aut morbo deficiētes, in re aliqua ineptiant & hallucinent̄, quēadmodū & parētes, præpositi & magistri multa tolerāt in ijs qui ipsis sunt subiecti. Sine hac quippe mutua tolerantia conuictus humanæ uitæ nec in prophanis nec in sacris subsistere poterit, quandoquidem nemo est tam in præpositis q̃ in subditis, tam sapiens, tam bonus, tam in bono constās ac perfectus, ut nō subinde labat̄, & ineptiat. Non ineptiebat Apostolus, sed utitur cōcesione in hoc loco, & simul poscit tolerantiā, quā sibi debebant etiāsi reuera alicubi desiperet. Cauendū tamē est, ne patrocinium hoc loco permittamus falsis doctoribus, qui ut plebē Christi subseruitute Antichristi detineant, argumentant̄ ad hūc modū. Etiāsi erret & desipiat aliqua in re Apostolica sedes & ecclesia, non debet tamē ob id deseri, sed tanq̃ mater ecclesiarū obseruanter ac reuerenter tolerari, & quicquid huius est ipsius senio attribui. Nos respondemus, in Rom. ecclesia damnari à nobis non leuia quædā & anilia deliria, sed grauissimas abominationes in cultibus, inferenda flagicia in moribus, & improbissimum dominatū Antichristianamq; tyrānidem

nidem in regimine omnium iniquissimo. Si mater esset, & non meretrix Babylonica, si tantum alicubi deliraret, facile illã toleraremus. Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, ultra quos citraque nequit consistere rectum, ut inquit ille. Idem statuendum est etiam in hac tolerantia, quę legitima esse nõ potest, ubi modus illius exceditur, quod fit, ubi ferũtur in ecclesia falsi cultus uerbo Dei repugnãtes, simonia prima illa omnium hęresis, grauissima sententia ab ipso apostolo Petro damnata, cuius se Simoniaci gloriantur esse successores, superbissimus dominatus, dogmata non modo erronea, sed & impia, ut uitę spurcissimę sordes taceam. Hic patientem esse culpabile est, non laudabile. Simus tolerãtes, ubi nec glorię Dei, nec puritati fidei nostræ, nec saluti animarum quicquam incommodatur.

IMO & suffertis me, inquit.] Græcè est, ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου: quod, ut alij quoque annotarunt, uerti potest tam imperandi modo, tolerate, quàm indicandi toleratis me. Vtrolibet modo legamus, sensus est: Verum quid opus uotis in hac causa? Nihil enim iniqui peto, & uos alioqui fertis me, uel, quare tolerate me paulisper.

NAM zelotypus sum, inquit, erga uos, Dei zelo.] Rationalis est hæc particula. Si referas eam ad id quod uersum est: Imò & suffertis me, non uidetur quadrare. Neque enim Corinthij illi, quorum gratia hæc scribit, tolerabant ipsum, alioqui quorsum opus erat optione? deinde etiamsi tolerassent, non ideo tamẽ tolerassent, quod zelo Dei erga ipsos zelotypus esset, sed tolerare ob hanc causam debebant. Quare commodius uidetur, ut legamus in imperatiuo: Imò & tolerate me, ut sequatur ratio, cur debeant ipsum tolerare. Propterea uidelicet, quod sit erga ipsos zelotypus. Quasi dicat. Quoniam quod facio, non facio inanis gloriæ studio, sed impulsu zeli, quo erga uos afficior non modico, sed admodum magno & singulari, ideo tolerate me paulisper, cogitantes, quæ sit cura & solicitudo zeli. Vox zelotypiæ non est in Græco, sed simpliciter, ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς θεοῦ ζήλῳ, quod uulgatus interpres uertit: Æmulor enim uos Dei æmulatione. Zelotypus est proprie qui propter pulchritudinem formæ solicitus est, ne riualem sortiatur in muliercula. Hac uoce nõ est usus Apostolus uspiã.

Addit, Dei zelo, quo zelum suum erga Corinthios secernat ab eorum zelo, qui non Deum, sed seipsos zelando respiciunt, quia non Dei, sed sui sunt ipsorum amantes, ac propriæ gloriæ studiosi. Pro ecclesia Corinthiorum zelabatur Apostolus, non quod sibi illam uindicaret, sed quod esset Dei. Hodie Pontifices dũ pro regno suo dimicant, & innoxios trucidãt, zelum domus Dei prætexunt, uerum reliqua illorum uita & corruptissima studia satis arguunt, quo zeli genere ferant. Zeli fons amor est, at quis celabit amorem? Nam studijs uitæ proditur omnis amor.

A

ADIVNXI enim uos uni uiro, inquit, ut uirginẽ castam exhibeatis Christo.] Exponit zeli sui rationem, explicans quod dixit, Dei zelo. Poterat dicere: Conuerti enim uos ab erroribus ac uanitatibus uestris ad Deum uiuum, uerum quo magis accommodaret se causæ, quam aduersus pseudapostolos agebat, Christum inducit, & desponsationis similitudinẽ, quo conuenientius subijciat, quid nam ipsis mali à pseudapostolis timeat, qui cum Iudæi essent, nõ tam erant in eo ut unius Dei, quàm ut Christi fidem in Corinthijs labefactarent. Sic dicit: Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhibeatis Christo, uel, exhibeam ac sistam Christo. Quod enim in Græco est, παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ. Vtroque modo uerti potest, tam, ut uirginem castam exhibeã, quàm ut uirginem castam exhibeatis Christo. Et uerbum ἡρμοσάμην non simpliciter adiungere, sed perinde atque ossa in corpore luncturis suis coaptantur, coadunare & compingere significat, atq; ita ad coniugalem quoq; coniunctionem transfertur.

ADIVNXI enim uos, inquit, uni uiro.] Loquitur ut minister Christi, cui impositum erat ministerium reconciliationis, ut quosuis ad fidem in Christum per Euangelij prædicationem adduceret, illique coniungeret, ac ueluti desponsaret. Non simpliciter autem dicit. Induxi enim uos ad cognitionem ac fidem Christi, quod tamen uere dicere poterat, sed quod

B

adhuc maius quiddam est, adiunxi, uel desponsaui uos, ut uetus habet, uni uiro ut uirginem castam exhibeam uel sistam Christo. Cognitio Christi, & fides in Christum, utræque quidem æternæ habent uitæ promissionem, uerum desponsatio hęc qua Christo tanquam uni sumus uiro in unam carnem connubiali coadunatione arctissime coniuncti, plus habet diuinæ dignationis erga genus humanũ, plus dignitatis & honoris, & plus felicitatis. Poterat dicere, subieci uos uni domino, ut illi obediatis & fidem seruetis. Verum sic dicendo summam illam nostri cum Christo coadunationem, dignitatem ac felicitatem non expressisset. Vide simul quàm singulari dignitate Apostolatum suum ornet, dum se nõ simpliciter ministrum, sed & pronubum Christi facit. Non est hoc cuiusuis serui, ut regi suo uirginem aliquam desponset, sed eius qui propter singularem fidem ac familiaritatem id in mandatis accepit à rege. Et competentẽ quoque ei dignitati fidem exprimit, cum dicit: Vt uirginem castam exhibeam Christo. Non erat contentus qualicunque desponsatione, sed tali incumbebat, qua Christo sisteret non maritatam, alij uiro coniunctam, sed uirginem, eamque non immundo aliquo amore pollutam ac uiciatam, sed castam. Cum dicit, Virginem, loquitur de statu uirginitatis, in quo puella libera est ab omni maritali commercio, nulli nec legitimo uiro, nec scortatori coniuncta. Cum addit, castam, loquitur de puritate

tate & integritate fidei sponso suo seruandæ. Exprimit igitur hac desponsationis metaphora, uerorum Christi fidelium mispat & conditiones. Requirit enim ab illis, ut quod fidē ac religionē attinet, nemini sint obstricti, nemini spirituum siue bonorum siue malorum, & nemini hominum quorumcunq;, nisi uni Christo, deinde, ut uni Christo fidei castitatem illibatam seruent & integram.

ADIVNXI, uel, desponsaui uos uni uiro, inquit.] Desponsatio per subarrationem confirmari solet. Despōsauit Apostolus Corinthios Christo. Qua igitur subarratione confirmauit eam desponsationē? Suprà cap. 1. sic dicit: Porrò qui confirmat nos unà uobiscū in Christū, & qui unxit nos, Deus est, qui etiā obsignauit nos, deditq; arrā spiritus in cordibus nostris. Ergo desponsationis huius confirmatio per arram spiritus Christi constat, cuius sacramentū est baptismus. Ipse Apostolus tanquā pronubus, ecclesiā fideliū sacramēto desponsationis, Deus uero spiritu suo tanq̃ arra confirmauit.

VT uirginē castā, inquit, exhibeā Christo.] Quid est quod nō pluraliter dicit, ut uirgines castas, sed in singulari, ut uirginē castā exhibeā Christo. Si per uirginē intelligit ecclesiā, quæ sponsa est Christi, quomodo tribuit hoc nomi nis ecclesiæ Corinthiorum, quasi illa sit sponsa Christi, cum ecclesia quæ Christi sponsa est, sit unica, quā uocāt catholicā? Respondeo. Quando ecclesia sponsa Christi unica consyderatur, non respicitur ulla particularis, siue Romana, siue Hierosolymitana, siue Corinthiorū, sed catholica, toto terrarū orbe dispersa, tanq̃ unicū Christi corpus, oēs ubiq; fideles unitate spiritus ac fidei sub uno capite Christo cōplectēs. Hic uero loquit̃ Apostolus ad ecclesiā Corinthiorum specialiter. Non loquitur igitur de catholica ecclesia, sed particulari, quā Christo desponsauerat. Ergo unaquæq; particularis ecclesia recte Christo despōsata dicit̃, ut illi tanq̃ casta uirgo sistat̃. Sunt autē eiusmodi innumeræ. Ergo innumeræ sunt uirgines, quę Christo regi post reginā ipsius, catholicā uidelicet ecclesiā, adducuntur ac desponsant̃, ut impleat̃ illud Psal. 45. Adstat regina à dextris tuis cum massa auri Ophir. Audi filia & uide, & inclina aurē tuam, & obliuiscere populi tui & domus patris tui. Et cōcupiscet rex decorē tuum, quoniā ipse dn̄s tuus, & adorabis eum. Et filia Tyri cum munere, uultū tuum deprecabunt̃ diuites populi. Tota gloriosa filia regis ab interioribus, ex intersertionibus deauratis indumentum eius. Vestibus Phrygianis deducit̃ ad regē, uirgines post eam, sociæ eius, adducunt̃ tibi. Adducunt̃ cum gaudio & exultatione, ingrediuntur palatium regis, &c. Tales uirgines sunt particulares ecclesię, quę socię catholicę, post illā Christo adducunt̃ ac dispensant̃, è quarū numero erat & Corinthiorū ecclesia, quā se hic Apostolus Christo despōsasse dicit, ut eā illi castam exhiberet, ac sisteret uirginem.

VT uirginē castā, inquit, exhibeā Christo.] Non dicit, gloriosam, pulchrā, nō habentē maculam aut rugā, sed ἁγνὴν, id est, castā. Christus ipse exhibet sibi ecclesiam gloriosam & perfectā, sicuti uidere est Eph. 5. Vt adhibeat eā, inquit, sibijpsi gloriosam ecclesiā, non habentē maculam, aut rugā, aut quicq̃ eiusmodi, sed ut sit sancta & irrepræhensibilis. Talis in hac uita reperit̃ nulla ecclesia, sed perfectio ista seruatur in futurum sęculum, ad quā tamē cōnitendum est omnibus. At castā uirginē sistere Christo satagebat Apostolus, totus in eo, ut in fide esset syncera & fideliter affecta, quēadmodum casta uirgo erga sponsum suum afficit̃, & in fide illius syncera & cōstans permanet, licet nō sit prorsus ab omnibus uicijs ac defectibus libera. Hæc fidei castitas uinculum est desponsationis, operitq; uicia reliqua adhuc in animo & moribus hærentia, quæ paulatim per spiritum sanctificationis expurgant̃. Nullę sunt uirtutes, quæ perfidiā in uirgine corā spōso illius ueniale reddāt, sunt uero uicia multa quæ per fidei synceritatem ac castitatē uenialia reddantur. Quare præter rationem non est, quod castitatem hanc in ecclesijs tanquam uirginibus Christo sistendis requirit Apostolus.

SED metuo, ne qua fiat, inquit, ut quemadmodum serpens Euā decepit sua uersutia, ita corrumpant̃ sensus uestri à simplicitate quæ est erga Christum.] Hortatus est eos ut se tolerēt. Prætexuit zelum suū erga ipsos, adiecit rationē zeli, iam metum illius exponit dicēs: Sed metuo, &c. Metuebat non sibi, sed ipsis, quos zelabat. In zelo metus est, quēadmodū res est soliciti plena timoris amor. Quid autē illis metuebat? Ne corrumpant̃, inquit, sensus uestri à simplicitate quæ est erga Christum. In Græco est simpliciter, ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν χριστόν. id est, à simplicitate quæ erga Christū, uel, in Christū. Eras. uertit quæ erat erga Christū. Vetus, quæ est in Christo Iesu. Nec, erat, nec, est, in Græco habet̃. Quare æque uerti potest, quæ esse debet erga Christum. Timebat igitur fidelis Apostol⁹, ne animi ac sensus Corinthiorum corrumperent̃ à simplicitate, quam uel habuerāt initio conuersionis erga Christum, uel tū adhuc habebāt, uel certe habere debebant. Simplicitas autē erga Christum est integritas mētis, quā Ebręi uocāt תמימות. Hanc Deus erga se à populo suo, hanc maritus ab uxore sua requirit. Ea est, bene sentire de Christo, bene fidere Christo, & bona ab illo pendere cū fiducia, ideoq; nihil esse minus q̃ curiosum ac scrupulosū in illius uerbo, sed illi simpliciter absq; omni curiosa inquisitiōe ac scrupulositate credere. Eiusmodi simplicitas corrumpit̃, uel, mētes credentium ab illa corrumpunt̃, quādo uel proprijs motibus, uel alienis suadelis incipiūt nonnihil de eo dubitare, quod antea indubitato crediderunt, & inquirere in quod antea nō inquisierant, præter Christum ac uerbum eius admirari etiā alia, & paulatim pręferre quoq;, nolle amplius stultescere credendo, sed sapere inuestigādo ac sciendo. Vbi hæc locū inueniūt in animis credētium, mox simplicitas, quę fuerat erga Christū, corrumpit̃, hoc est, synceritatē suam

ſuam amittit, perinde ac ſi liquor precioſus natiuam ſuam integritatem mixtura aliqua uiciatus perdat. Corinthij ſimplicem ac puram Euangelij de Chriſto doctrinam initio ab Apoſtolo acceperant, illiq; ſimpliciter & candide crediderant, & credentes Chriſto adhærere cœperant, deq; Apoſtolo ſuo bene tanquam de Chriſti miniſtro ſenſerant. Huic illorũ ſimplicitati metuens dicit: Sed metuo ne ſenſus ueſtri à ſimplicitate quæ erga Chriſtum eſt, corrumpantur.

Vnde autem hoc metuebat? Tribus de cauſis. Prima erat ab exemplo primæuæ ſeductionis, qua prima parens noſtra Eua per Satanæ aſtutiam ſeducta eſt. Secũda ab inſidijs pſeudapoſtolorum, qui Corinthum uenerant. Tertia ab eo quod aures illis accommodare, & imposturam eorum tolerare cœperant. Primam exprimit dicens, ut quemadmodum ſerpens Euam decepit uerſutia ſua. Nota eſt deceptionis huius hiſtoria, quam in Geneſi cap. 3. fuſe expoſuimus. Significat antiqui Serpentis maliciam ac uerſutiam etiamnum eſſe cauendã, ideoq; ſe timere Corinthijs, quod nõ ignoret perſeuerare illum in uerſutia ſua, qua initio uti cœpit. Non dicit, quemadmodum Satan Euam potentia ſua perdidit: ſed, quemadmodũ Serpẽs Euam uerſutia ſua decepit. Citius manifeſtum malum etiam admodum uiolẽtum, quàm deceptio uerſuti impoſtoris cauet. Quare uel ipſo decipiendi uerbo, & mentione uerſutiæ, admonet ſimplices & imperitos periculum ipſis imminere, niſi admoniti caueant ſibi non modo à manifeſtis tyrannis & impijs hoſtibus, ſed & ab impoſtoribus, aliud prętẽdentibus in ſpeciem, & aliud occulte machinantibus. Qua uſus eſt autem Satanas uerſutia ad decipiendum Euam?

1 Principio, non eſt aggreſſus ipſum Adamum, ſed Euam, tanquam mulierem, infirmiorem, & ad curioſitatem ac credulitatem procliuiorem. Sic ſolet etiamnum. Infirmiores tẽtat præ cæteris. Adam, inquit alibi, non eſt ſeductus. Quare? Quia uerbis Serpentis ab ipſa Euah expoſitis, non credidit, ſed ſeductæ uxori obſequutus eſt. Aſtute igitur non ipſum, ſed Euam tentando eſt aggreſſus. Neq; enim fore ſperabat, ut mendacibus ipſum uerbis ſeduceret, ſicut de Eua ſperabat.

2 Deinde & illud aſtute fecit, quod ſolam in abſentia Adę aggreſſus eſt. Metuebat enim ne fruſtra illã tentaret, ſi id pręſente uiro faceret.

3 Tertio, uerſuto & illud conſilio fecit, quod laruatus opera ſerpentis uſus eſt, unde minus uidebatur eſſe periculi.

4 Quarto, uerſute ſimulauit beneuolentiã, qua honori ac felicitati primorum hominum ex animo faueret.

5 Quinto, tale erat & illud, quod nõ in re aliqua leuicula, ſed in ea illã tentauit, unde ſi uinceret, in exitium genus humanum cõijceret.

6 Sexto, ſuadendo etiã ac promittendo, quæ curioſæ carni adlubeſcere poterant.

7 Septimo, uerbo Dei quoq; detrahendo.

A 8 Vltimo, à fide & obedientia Dei abducendo. Hæc omnia conſyderanda proponit, dum Euam per Serpentis uerſutiam deceptã fuiſſe dicit. Et quid aliud agebat Satan in eccleſia Corinthiorũ, q̃ ut plane conſimili uerſutia per organa ſua, laruatos uidelicet apoſtolos, ſimpliciores mendacibus uerbis deceptos, in abſentia Apoſtoli à ſimplici doctrina ac fide, in qua ſalus exiſtit, abduceret, corrũperet ac perderet? Hæc illius πανουργία in hunc uſq; diẽ nimis efficax, nota debebat eſſe fidelibus omnibus, præſertim Chriſti miniſtris.

NAM ſi is qui uenit, inquit, alium Ieſum prędicaret, quem non prædicauimus, aut ſi ſpiritum alium acciperetis, quẽ non accepiſtis, aut Euangelium aliud, quod non accepiſtis, recte ſuſtineretis.] Pertinent hæc ad ſecundam & tertiã cauſam, propter quas metuebat, ne ſenſus illorum à ſimplici doctrina & fide Chriſti abalienarẽtur & corrumperent. Primã eſſe diximus uerſutiam Satanæ, qua olim Euam ſeduxit. De illa hactenus loquutus eſt. Secundam, inſidias pſeudapoſtolorum, qui Corinthum in ipſius abſentia uenerant, ut ſecũdum parabolam dominicã zizania in eccleſia illa, perinde atq; in alijs ſeminaret. Tertiam, quod Corinthij aures illis præbere ac improbitatẽ eorum tolerare cœperãt. Hæ duæ poſteriores hiſce uerbis notantur. Secunda, in eo quod dicit: Nam ſi is qui uenit aliũ Ieſum prædicaret, &c. Tertia in eo quod addit, recte toleraretis.

B Tolerabãt ergo pſeudapoſtolum, qui ad ipſos uenerat, ſed non recte, ac præter rationẽ. Quare? Quia non poterat adferre aliud Euangelium, alium Ieſum, & alium ſpiritum, q̃ ipſe illis attulerat iam antea & credentes etiam acceperant, ideoq; cauſa non erat faſtidiendi doctrinam acceptam, cõtemnendi Apoſtolum Chriſti, à quo fuerant ad fidem Chriſti conuerſi, & alios ſuperuenientes admirari, ſuſpicere, & illi præferre, quaſi multo ab illis acciperent potiora q̃ hactenus accepiſſent. Hoc ſignificans dicit: Quod metuo, ne ſenſus ueſtri à ſimplicitate quæ eſt erga Chriſtum corrumpantur, nõ facio præter cauſam. Nam toleratis inſolentiã noui Apoſtoli qui ad uos uenit, cum nulla ſit ratio, quur id faciatis. Neq; enim adfert uobis alium Ieſum, aliud Euangelium, aliũm ue ſpiritum, q̃ attulimus nos, & à nobis accepiſtis. Fateor, ſi meliora adferret q̃ nos, recte nobis neglectis ipſum toleraretis. Sed meliora uobis nec adfert nec adferre poteſt. Quare nõ recte, ac nulla de cauſa, ipſum toleratis. Et hæc ueſtra curioſitas metũ hunc mihi incutit, quo anxie timeo, ne ſi tales eſſe pergatis breui corrũpamini, & ſimplicitatẽ Chriſtianã amittatis.

NAM ſi is qui uenit, inquit.] Græcè eſt, εἰ μὲν γὰρ ὁ ἐρχόμενος. Eſt autẽ ἐρχόμενος uox anceps, ſic ut uſurpari poſsit, perinde in præterito, aut futuro, atque in præſenti tempore, ac uerti, ueniens, uel qui uenit, uel qui uenturus eſt. Hic autem uſurpata eſt in præterito, de eo qui iam ad Corinthios uenerat, nouus & aduentitius Apoſtolus. Vtitur hac uoce Apoſto-

lus

lus non ociose, sed emphatice, uocans nouum illum Apostolũ, de quo pleriq; admodũ gloriabant, ἐρχόμενον, id est, aduenticiũ, quod neq; missus à domino, neq; uocatus ab ecclesia, suo pte studio Corinthũ uenisset, ideoq; indignus qui Apostoli, id est, legati sibi titulũ uendicaret, nihil uocandus aliud, q̃ ἐρχόμενος, id est, aduentitius, ad eorũ numerũ pertinens, de quibus conqueritur Deus dicens, currebant, & ego nõ miserã eos, & quos Christus uitare nos iubet dicẽs: Cauete uobis à falsis prophetis, qui ueniũt ad uos in uestimentis ouiũ. Nõ dubito pseudapostolũ illum, ubi à curiosis suspici cœpit, digitis fuisse monstratũ, idq; his uerbis, ἰδὲ οὗτός ἐστιν ὁ ἐρχόμενος, id est: Ecce hic est, qui uenit. Quare Apostolus ut hãc illorũ curiositatẽ ac leuitatẽ perstringat, recte eum uocat ἐρχόμενον.

ALIVM Iesum prædicaret, inquit (uulgata habet, aliũ Christũ) aut si spiritũ alium, aut Euangelium aliud.] Obserua hoc loco, quæ potissimũ requirat, magniq; facienda moneat Apostolus, Iesum uidelicet, spiritũ & Euangelium, sic ut qui uerũ Iesum, ac uerũ Euangeliũ, non adulterinũ, prædicant, & ex quorũ prædicatione ij qui credunt nõ alium q̃ uerum spiritum Dei accipiunt, etiamsi cætera sint insolentes, tolerari tamen & in precio haberi debeãt, secus uero, si diuersum à uero prædicẽt Iesum & Euãgeliũ, & ex doctrina ipsorũ adulterinus accipiatur spiritus, etiamsi nomẽ Christi, Euãgelij, & spiritus prætexant, titulũq; sibi uendicẽt apostolorũ Christi. Nõ est aũt ut hinc se tueantur Papistæ dicẽtes: An nõ & ipsi uerũ Iesum, unigenitũ Dei, & filiũ uirginis Mariæ, & uerũ Euangeliũ confitemur & prædicamus. An nõ spiritum S. quoq; tertiã sanctæ Triadis personam esse docemus? Quare ergo nõ toleramur, etiamsi in nõnullis culpabiles simus? Nõ mox Iesum prædicat, qui nõ talem prędicat, qualis nobis est à Deo patre ad salutẽ nostrã datus. Viderint ipsi qualẽ Iesum habeant, ac sibijpsis & alijs fingant, an nõ, ut Erasmus hoc loco annotat, onustũ opibus, onustũ imperio, ditione, uoluptatibus, & quicquid hic mundus habet præstigiarũ, ad hæc cæremonijs plus q̃ Iudaicis obsitum, cum uerus ille ab omnibus hisce rebus fuerit purissimus. Iesum habẽt in sacrario obseratũ & inclusum, in sacrario inq̃ lapideo & manufacto, in quod ille, secundum scripturas, ingressus non est, sed in ipsum cœlũ, ut appareat uultui Dei pro nobis. Iesum habent prorsus ociosum & exauthoratũ, ut qui potestatem suam omnẽ cœlestis ac terreni imperij transtulerit in omniũ teterrimũ Romanæ sedis monstrũ, quod se uicariũ illius esse contendit, & omnẽ hanc sibi potestatẽ in cœlo, terra & inferis uindicat, atq; ita Antichristũ esse se cõprobat. Sub hoc Iesu ditescunt in sæculo, & sæculi principes adæquant. Sub hoc Iesu uendũt omnia sacra, cœlum, & Iesum ipsum. Sub hoc Iesu delicianturr in carne, & horrendis libidinibus immerguntur. Sub hoc Iesu dominantur in ecclesia & in ouiculas ueri Iesu tyrannidem ad sanguinẽ usq; quẽ fundunt exercent. Sub hoc Iesu omnẽ Christianæ pietatis syncerítatẽ corrumpunt, & in impias superstitiones & eidolomanias peruertunt. Quisquis cordatus hæc considerat, facile intelligit qualis habeatur Iesus in Papatu, uerus ne uel fictitius.

De spiritu quid dicam? Non respicio quid de spiritu sancto in speciem loquantur, sed qualem habeant ipsi spiritum, & qualem accipiãt qui sub iugo illorum detinentur, & dogmatis illorum acquiescunt. Vbi fictitius Iesus habetur, spiritus ueri Iesu haberi nõ potest. Non est spiritus ueri Iesu spiritus Antichristi, sed Christi, nõ est spiritus mendacij, sed ueritatis, nõ detinet homines in impietate, superstitionibus, eidololatria & falsis cultibus, sed corda illorũ uera in Christum fide renouat, & ab hisce omnibus liberat, nõ est sanguinarius in errantes, sed mansuetus. Vnde & uerus Iesus ad discipulos suos dicebat: Nescitis cuius spiritus sitis: Venit filius hominis seruare animas, non perdere. Quid autem crudelius unquam excogitari poterit, quàm quod ab illis in eos exerceri uidemus, qui ab Antichristi iugo deficiunt?

Quale uero prædicent Euangelium, nihil est causæ cur admoneam. Tale habent Euangelium, quod ne literam quidem ueri Euangelij iuxta se ferre queat, unde & codices Euãgelij Christi fidelium manibus ereptos, igni tradunt. Prolixum est recensere Euangelij ipsorum dogmata, & forsan tædiosum quoq; lectori, cum sint omnium notissima, quorũ ne unum quidem in uero Christi Euangelio continetur. Et interim in Missis suis murmurant uel cantãt Euangelium, sed lingua populo incognita, luminaria oculis corporis lucentia accendunt: & lucem Euangelij, qua mentes audientium illuminari debebant, extinguũt. De concionibus illorum quid dicã, in quibus maximam partẽ obtinent Aristoteles, Sophistæ, Scotistæ, Thomistæ, merita mortuorum sanctorum, & doctrina de purgatorio, de Missę sacrificio, de potestate Papæ, de intercessione & cultu sanctorum, de indulgentijs Romanis, de meritis bonorum operum, de Decimis, de oblationibus, & quæ alia sunt eiusmodi innumera. Quæ Christo dantur, dantur obiter, in speciem, ad hoc tantũ, ut sub ipsius nomine regnẽt, nõ ut ipse regnet in cordibus credentiũ.

Cum ergo talem habeant Iesum, talem spiritum, tale Euangelium, non uerum, sed fictitium, non est ut præsenti se loco tueantur, sed competit ipsis potius quod Galat. primo dicit Apostolus ad hunc modum: Cæterum etiamsi nos, aut angelus è cœlo, prædicauerit uobis Euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quemadmodum antè diximus, & nunc iterũ dico, si quis uobis prædicauerit Euangeliũ, præter id quod accepistis, anathema sit. Locus ille, quoniã mẽtionem illius feci, non aduersatur huic præsenti. Cum hic dicit, recte tolerareti eũ qui ad uos uenit, si alium Iesum prędicaret, quẽ nõ prædicauimus, & aliud Euangeliũ, quod nõ accepistis, per aliud Euangelium & aliũ Iesum, intelligit

ligit uerũ,illic uero, per aliud Euangeliũ, intel ligit alienũ à uero. Hic dicit: Si nõ ego uerũ uo bis Iesum & Euangeliũ prædicaui, sed falsum, ille uero aliũ uobis Iesum, & aliud Euangeliũ uerum uidelicet, prædicat, recte me fastiditis, & illum toleratis. Illic uero, constanter sibi ue rum tribuit Euangeliũ, & pseudapostolis fal sum, ideoq; anathema pronunciat omnẽ eum, qui aliud ab illo prædicat. Anathematis huius grauitatem experiẽtur olim omnes illi qui E uangelium Christi dogmatum suorum mixtu ra corruperunt. Sed redeamus ad Apostolũ.

ARBITROR enim me, inquit, nihilo inferio rem fuisse eximijs apostolis.] Græcè est, λογίζο μαι γὰρ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, id est, ar bitror enim me nihilo inferiorem, uel, nihilo posteriorem fuisse (nam utrunq; legi potest) illis qui plusq̃ ualde, uel, supra modũ, sunt apo stoli. Vulgata habet. Existimo enim me nihil minus fecisse à magnis apostolis. Sẽsus est. Nõ aũt recte eum toleratis, quandoquidẽ neq; a lium ille Iesum prædicat, quẽ ego nõ prædica uerim, neq; alium spiritũ accipitis, quẽ antea ex prædicatiõe mea nõ acceperitis, neq; aliud Euangeliũ ab illo accipitis, ideoq; nihil in A postolatu meo desiderare potestis. Arbitror e nim me, sic illo functum esse apud uos, ut nul la in re posterior ac minor fuerim illis, qui pro ualde magnis & excellentibus habent̃ aposto lis. Nemo illorũ quantus quantus sit plus uo bis fidei, plus sciẽtiæ & cognitiõis Dei, & plus charismatũ spiritus attulisset. Quare prorsus nihil est causę cur aduenticiũ illũ tantopere su spiciatis, illiusq; insolẽtiã toleretis, quasi plus fructus ex illius q̃ ex nostra doctrina acq̃ratis.

Illud, eximijs apostolis, sic positũ est, ut re ferri possit tam ad pseudapostolos illos glo riosos ac iactabundos, q̃ ad Petrũ, Iacobum & Ioannẽ. Si referendũ est ad ueros apostolos, ar gumento est, sub illorũ se nominibus uendi tasse pseudapostolos illos, cũ quib⁹ Paulus lu ctat̃, ut sit sensus, etiãsi magni ac præcipui apo stoli ad uos ipsi uenissent, nihilo plus uobis cõ tulissent, q̃ contulerim ego. Neq; enim ulla in re minus uobis cõtuli, q̃ uestra poposcerit sa lus & necessitas, & q̃ illi pręstare possint. Qua re non est ut sub illorũ nominibus fucũ uobis fieri sinatis. Verũ mihi probabilius est, referen dum esse ad pseudapostolos, nõ quod illi exi mij fuerint apostoli, sed quod à Paulo per iro niã ὑπερλίαν ἀπόστολοι, i. supra modũ apostoli ob id uocent̃, quod se supra modũ efferrent, & ex cellẽtis Apostolatus glorias efflarẽt. Nõ uideo alioqui, quid sibi uellet Apostolus, si Petrũ, Ia cobum & Ioannem ὑπερλίαν ἀποστόλους uocaret.

Nos obseruemus hoc loco, nõ esse de mini stris Christi censendũ aliter, q̃ secundũ ministe rij ipsorũ fructus. Quantũuis in faciẽ humilis sit, quẽ dñs spiritu suo ad ædificationẽ ecclesię reddidit instructũ, nõ est propter personæ hu militatẽ inferior cẽsendus illis, qui supra mo dũ sunt in ecclesia episcopi, Pontifices, & præ lati, imò præferendus etiã, quatenus ad utili- A tatẽ est ecclesiarũ Christi per gratiã Dei instru ctior. Nec insolens uideri debet, si qui eiusmo di est nihilo seipse inferiorem illis esse, & sen tiat & libere asserat, præsertim si se inflata illo rum authoritate grauari senserit.

SI uero idiota etiã sim sermone, inquit, non tñ scientia.] Quoniã dicebãt, præsentia corpo ris infirma & sermo cõtemptus, sicuti cap. pręcedẽti uidimus, atq; ita Apostolatũ ipsius ex tenuare, seseq; comptioris sermonis prætextu supra illũ efferre moliebant̃, quasi quo splendi dior est sermo, hoc superior & excellentior sit Apostolus, etiã isti calũniæ respondet dicẽs: Si uero idiota etiam sim sermone, ut illi mihi im pingunt, inde tñ nõ cõsequit̃, esse me ipsis infe riorẽ, quandoquidẽ scientia nõ sum idiota & imperitus. Non dicit se esse idiotam sermone, neq; erat etiã, sed per cõcessionẽ, etiãsi sim, in quit, idiota sermone, ubi subaudiendũ est, sic ut ipsi mihi opprobrant. Aliàs Act. 14. ducẽ il lum sermonis fuisse legimus, ita ut ab ethnicis pro Mercurio haberet̃. Et tamẽ nõ pugnat pro gloria elegãtioris sermonis, quã pseudaposto li magnifaciebant, quandoquidem in ecclesia Christi nõ tam requiritur à ministro, ut splen dide rhetoricet̃, q̃ ut sciens sit rerũ diuinarũ & necessariã scientiã uerbis intelligibilibus gra uiter & fideliter proponat. Sæcularẽ eloquen tiã alij affectant, alij exercẽt inutiliter in eccle sia. Notũ est illud philosophi qui post longã e ruditorũ episcoporũ concertationẽ, qua nihil B efficiebat̃ cum pij cuiusdã & idiotæ Senis sim plicẽ sermonẽ religiose ac cordate prolatũ au disset, illoq; in cõscientia sua uictus teneret̃, di cebat: Donec mecũ agebant̃ uerbis, uerbis ego uerba rependi, & quæ dicebant̃ dicendi arte subuerti, ubi uero pro uerbis uirtus processit ex ore dicẽtis, nõ potuerũt uerba resistere uir tuti, nec homo aduersari potuit Deo. Vide in Ecclesiast. hist. Ruffini, lib. 1. cap. 3. Nolim tamẽ patrocinari illis, qui ad hoc quidẽ sunt parati, ut puritatẽ sermonis nihili faciant, & egregie sint idiotæ, uerũ interea de scientia Dei, ad do cendũ necessaria, nihilo plus sunt soliciti, ser mone idiotæ & scientia bardi.

Verum ubiq; manifesti sumus in om nibus erga uos. Num peccaui, quod me ipsum humiliaui, ut uos exaltaremini? quod gratuito Euangelium Dei prædi caui uobis? Cæteras ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipendio, quo uobis inseruirẽ. Et cum apud uos essem & egerẽ, non fui onerosus cuiquã. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui uenerant à Macedonia: & in omni bus sic me seruabam, ne cui essem onero sus, atq; ita seruabo. Est ueritas Christi in me, quod hæc gloriatio non interrum petur contra me in regionibus Achaiæ. Quapropter? an quod nõ diligam uos? Deus

Deus nouit. Verum quod facio, idem & A faciam, ut amputem occasionem ijs, qui cupiunt occasionem, ut in eo de quo gloriãtur, reperiantur quēadmodũ & nos.

VERVM ubiq; manifesti sumus, inquit, in omnibus erga uos.] Græcè est, ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς, id est: At in omni manifestati in omnibus in uos. Vulgata lectio sic habet: In omnibus autẽ manifestus sum uobis. Sic posita est hæc particula, ut tam ad præcedẽtia, q̃ ad sequentia referri possit. Si ad præcedentia referas, sensus erit. Arbitror enim me nihilo inferiorem fuisse eximijs apostolis. Etiamsi autem idiota sim sermone, non tamen scientia. Verum haud opus mihi est, ut ista cõprobem apud uos, quibus abunde & in omnibus sum manifestus. Qualem me gesserim in omnibus erga uos, manifestum est. Et ipsa Apostolatus mei efficacia sic est in uobis manifesta, ut iure glorier, nihilo me inferiorẽ esse illis, qui supra modum sunt Apostoli, nec idiotam esse scientia, etiamsi me sermone idiotam esse dicant. Sic apparet hæc uerba connectenda esse præcedẽtibus. Si uero referas ad sequẽtia, ne sic quidem incõmodus erit sensus, si legas ut in Græco est, absq; uerbo sumus uel fuimus, ad hunc modũ. Verum ubiq; manifestati in omnibus erga uos, an peccaui quod meipsum humiliarim? Hoc est: Verũ cum ubiq; & in omnib' sim erga uos manifestatus tanq̃ uerus Christi Apostolus, an ideo peccaui, & inferior sum nouis illis uestris apostolis, quod me B ipsum uestro bono humiliaui, ut uos exaltaremini? an ob id cõtemptibilis est meus Apostolatus, quod uobis Euangeliũ Dei gratuito prędicaui? Quasi dicat. An adeo estis peruersi, ut quod ad cõmendationem Apostolatus mei facere debebat, ad illius extenuationẽ peruertatis? An qui se uestro bono humiliat, dignus uobis uidetur, qui contemnatur? An quo minus uos grauaui, hoc inferior sum Apostolus? quasi hæc sit Apostoli conditio, ut hoc sit excellentior Apostolus, quo maioribus sumptis molestum reddit ac sumptuosum Euangelium, & quo plus accipit à fidelibus, hoc illis plus de cœlesti gratia impertiat? Si sic sentitis, toto cœlo erratis. Humiliare seipsum aliorum bono, ad exemplũ Christi, & gratis prædicare Euangelium, non inferiorem reddit, sed magis ornat & cõmendat Apostolum. Et hęc posterior expositio uerbis, ut in Græco habentur, conuenientior uidetur.

VERVM cũ ubiq; manifesti simus, inquit, in omnibus erga uos.] Gloriatur iam secundo, suprà cap. 5. & hic esse se Corinthijs manifestum in omnibus, quo omnem illis excusationem adimit. Quomodo enim uel errorem uel ignorantiã prætexere poterit, qui in re nõ simpliciter, sed sibi cum primis, & non ex parte, sed omnino manifesta mendacium pro ueritate sectatur? Vides exemplũ synceri Christi ministri, qui ubicunq; agit, lux est, nõ solũ docẽdo, sed & cõuersando, nõ ex parte tantũ, sed in omnib', quæ à Christi ministro requirunt, ne quo pacto fiat, ut fideles à pseudapostolis seducti, inueniant quod errori suo prætexant.

NVM peccaui, inquit, quod meipsum humiliaui, ut uos exaltaremini? In Græco est, ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα, id est, num peccatũ feci. ἁμαρτία est, quando à scopo præfixo aberratur, quod nos Germani *ein fehler* uocamus, & ἁμαρτίαν ποιεῖν, *ein fehler thuon*. Est autem hoc loco peccatum facere, contra mispat, decorũ & scopũ ueri apostoli, tale quid facere ob quod merito contemnare, ut si sis superbus, arrogans, ac proprij nominis studiosus, aut uentris seruus, uel turpis lucri cupidus, uel dominij in ecclesia appetẽs, aut doctrinã Christi nec fideliter nec prudẽter tradens. Non dicit aũt simpliciter, nõ peccaui, sed, num peccaui? ad hoc interrogans & urgens, ut cõscientias ipsorũ appellet, num seipsum humiliãdo peccauerit. Q. d. Adeo ne stupidi & incogitãtes estis, ut peccatũ esse putetis, si seipsum humiliauerit Apostolus Christi, cum illi magis peccẽt, qui seipsos exaltant, & & quantum in ipsis est, alios humiliant?

Humiliare uero seipsum, est gerere se nõ secundum status ac dignitatis suę amplitudinẽ, sed quæ infra illã sunt facere, perinde ac si dominus posita dominationis suæ dignitate ac potestate, agat ea quę sunt serui. Huc facit exẽplum Christi, qui cum esset dominus ac magister, usq; ad pedes discipulorũ seipsum lauando illos ac tergẽdo humiliauit. Quomodo aũt humiliauerit seipsum Apostol', mox exponet.

VT uos, inquit, exaltaremini.] Nõ dicit: ut exalter, sed, ut uos exaltaremini. Vafrũ genus humiliantium se est, qui, quoniam dictum est à domino: Qui seipsum humiliauerit, exaltabitur, ad hoc se humiliant, imò speciem humilitatis præferunt, ut exaltentur, quale est quod Rom. Pontifex sic se seruũ seruorũ Dei uocat, ut supra omnes in ecclesia dominet̃ & exaltet̃. Verus Christi Apostolus humiliãdo se nõ sui, sed aliorũ quærebat exaltationẽ, quemadmodum & Christus ob id humiliauit seipsum, ut nos ad dignitatem filiorũ Dei exaltaremur. Et ei dignitati Apostolus quoq; humiliãdo se seruiuit. Ob id enim submisse ac modeste agebat apud Corinthios omnia, ut hoc facilius eos ad cognitionem ueritatis & fidem in Christũ induceret, unde omnis nostra salus est, felicitas, gloria & dignitas.

QVOD gratuito, inquit, Euangeliũ Dei prædicaui uobis.] Gręcè est, quod gratuito Euãgeliũ Dei euãgelizaui uobis. Euangeliũ Dei euãgelizare, est felicissimũ à Deo nunciũ, salutis uidelicet, & æternæ uitæ per Christum partæ, mortalib' magno gaudio annũciare ac deprædicare. Hoc Corinthijs annũciauerat gratuito. Dices: quid hoc magni erat, quod nõ uendiderat illis Euangeliũ, sed gratuito obtulerat, cum non emisset illud, sed gratuito accepisset & ipse, ideoque contra mandatum Christi fecisset, dicentis: Gratis accepistis, gratis date, nisi

nisi gratuito prædicasset? Quod Romanus Pontifex uēdit claues, altaria, Christum ipsum, nihil habet insolentię. Nam uendere iure potest, eo quod emerit, & ipse prius. Verum alia est apostolorum Christi conditio.

Respondeo. Nec emit Pontifex quod se uēdere simulat, nec uēdit etiam, quia gratia Dei nec emi potest, nec uendi, sed turpis simoniæ fabulam ludit in ecclesia, donec tempus adueniret iusti iudicij, quod nō dormit. Quod Paulum attinet, non loquitur ille de gratuita prędicatione, cuius oppositum sit, nundinatio simonaica, sed de ea qua ne cibū quidem, qui laboranti debetur, à Corinthijs acceperat, quo omnibus modis ἀδάπανον illis exhiberet Euangelium, eoq; omnem tergiuersandi, & obloquendi causam amputaret.

Videtur autem hic exponere, quomodo seipsum humiliarit, ut ipsi exaltarentur. Gratuito uidelicet Euangelium Dei prædicando. Est enim non modica humilitatis species sic operari, ac seruire, ut ne cibum quidem accipias, cuius operanti debitum, sed ab eo iure sic abstineas, ac si ne cibo quidem dignum sit, quod operaris, ad quem modum eorum labores extenuare uolentes, qui nec utiliter, nec grauiter operātur, ne cibum quidem eos promereri dicimus. Nihil unquam geri potest in hoc mundo, & utilius, & preciosius, quodq; maiore dignius sit honore, quàm quod Apostolus gratuito egit apud Corinthios, uerum ea humilitas, non ipsius modo personæ, sed & ipsi Euāgelio Dei, quod gratuito prædicauerat, cōtemptū pepererat. Quale est quod hodie in Euangelicis ecclesijs usuuenire uidemus, in quibus quo minore sumptu constat totum Euangelij ministerium, hoc minoris æstimatur. In papatu magnifice de nugis illis sentiebamus, quæ nonnisi emendo acquiruntur. Hæc est carnis nostrę peruersitas. Ipsum cœlum uilescit, si gratis offeratur, nec de Deo magnifice sentitur, nisi bona sua uendat, uel bene meritis tantum impertiat.

CAETERAS ecclesias, inquit, deprædatus sum, accepto ab illis stipēdio, quo uobis inseruirem.] Quoniam mox audire poterat: unde ergo necessarios sumptus accepisti? Subiungit Cæteras ecclesias deprędatus sum, accepto ab illis stipēdio, quo uobis inseruirem. Quid hoc est? Licet ne Apostolo deprædari ecclesias Christi? Æquum ne est, alios deprædari, ut alios diuites reddas? An par est deprædari pauperiores, ut gratis seruias ditioribus?

Respondeo. Neminem more militari, aut prædonum deprædatus est Apostolus. Rem ipsam simpliciter in sequentibus exprimit dicens: Cum essem apud uos, & egerem, non fui onerosus cuiquā. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui uenerant è Macedonia. Ergo liberam, ac spontaneam cōtributionem Macedonum, qua egestati ipsius succurrerāt, cum seruiret Corinthijs, uocat deprædationem ac stipendium, non quod adeo multum

A ab illis, ut rectè præda uocari potuerit, acceperit, sed quod, ut ipse erat animatus, etiam modicum à pauperioribus acceptum, magni facere, ac instar prædæ habere soleret. Laborabat manibus suis, ne cui esset oneri. Verum nō potuit simul pro se & socijs, quos secum habebat, sic sufficere laborando, ut non adhuc egeret. Ei necessitati subueniebant Macedones qui seipsos primū Deo, deinde ipsius Apostolo dederant, sicuti suprà cap. 8. meminit. Hoc igitur illorum supplemētum, quo id quod deerat supplebatur, nec adeo multum, nec coactum, sed spontaneum, uocat deprędationem significans, usq; adeo se propter pseudapostolos, noluisse quempiam Corinthiorum grauare in hac causa, ut citius alias ecclesias deprædaturus fuerit, quàm cuipiam Corinthiorum futurus oneri, quod illud citra Macedonū offendiculum fieret, hoc uero citra offendiculū Corinthiorū fieri nō posset, propter pseudapostolorum insidias.

Non dicit autem simpliciter: alias ecclesias deprædatus sum, sed addit, accepto ab alijs stipendio, πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν, id est, ad uestri ministerium. Secernit deprædationem suam ab ea quæ prædonum est, qua illi nemini seruiētes, sed in quosuis grassantes ociosi ex pręda uiuunt, & confert eam militi, cui debetur militare pro ministerio ipsius stipēdium, siue id accipiat ab illis, quibus militando seruit, siue à uictis. Ad posterius hoc respicere uidetur, B comparās Macedonum fideles, iam uictis, atq; ita quod ab illis accipiebat, prædæ ac stipendij loco ducens: prædæ, respectu uictoriæ, stipēdij, respectu militiæ suæ, ac ministerij, præsertim cum Corinthij nihil darent, quibus expugnandis, ac domino asserendis inseruiebat.

Nos hinc admonemur, qua prudentia ac discretione uti debeat fidelis Christi minister, in illis locis, ubi primum populis seductis Euangelium Dei prædicat, quod attinet laboris ipsius stipēdium. A Macedonibus accepit, etiā absens & alijs seruiēs Apostolus, à Corinthijs & prę sens & ipsis ministrans non accepit. Faciebat hoc prudenter, discernens inter Macedones & Corinthios. Macedones dn̄o se iam dederant, illumq; plena fide amplexi erant, & præterea non erant ad rem intenti, sicuti erant Corinthij, sed simplices ac frugi homines, frugaliter uiuentes, ideoq; magis ad dādum q̄ ad accipiendum procliues. Corinthij nondū pleno pede ad Euangelium accesserant, & cum essent diuites, simul erant & tenaciores, adeoq; ad accipiendum magis, quàm ad dādum propensi, quare consultum non erat, ut stipēdium ab ipsis peteret, consultius uero, ut ultro à Macedonibus oblatum acciperet. Ad hunc modū hodie quoque Christi minister discernat inter eos, qui nomen Christi dederunt Euāgelio, & eos qui ad cognitionem ueritatis nondum uenerunt, nec professionē illius adhuc sunt amplexi, sed primum audire cœperūt. Ab illis accipiat stipendium, ab istis nondum. Debetur

quidē uictus laboráti ministro, uerū multum refert, à quib⁹ & quomodo accipiatur. Romanus Pontifex ministrás nemini, omnes deprędatur ecclesias, de cuius prędis qd attinet meminisse, cum nullorum prędonum, tā sint manifestę, quàm sunt illius? Illi omnium minime conuenit, præsens hoc Pauli exemplum, conuenit uero laborantibus, ac ministrantibus fratribus, qui ad illius sese imitationem accōmodare possunt, & in loco debent etiam, si fideliter domino seruire uoluerint.

ET cum apud uos essem, inquit, & egerem, non fui onerosus cuiquam.] Exponit quod se alias ecclesias deprædatū esse, & ab illis stipendium, ut ipsis inseruiret, accepisse dixit. Ne uideretur stipendiū hoc accepisse ab alijs, ut Corinthijs prædicaret, priusquā Corinthū uenisset, cum iam Macedoniā deserere cōstituisset, dicit: Et cū apud uos essem, intellige, Euāgelizans & ministrans uobis, passus sum egestatē, & quamuis egerem, nolui tamen oneri cuipiā esse ex uobis. Egerat apud eos docēdo annum & menses sex. Operabatur autem cū apud eos esset, manens apud Aquilam & Priscillā, quod eiusdem esset cum illis artificij σκηνοποιήσεως uidelicet. Credibile est autē & illos fuisse tenuis fortunæ, prę sertim cū essent exules, à Claudio Imp. cum alijs Iudæis pulsi, & artificium ipsorum nō esset de cōmuniter necessarijs, adeoq; minus lucrosum, ut mirū nō sit, eguisse ipsum aliquādiu, donec à Macedonibus quod deerat suppleretur. Neq; enim refertis loculis à Macedonibus Corinthum uenerat. Sic intelligo factum fuisse, ut egeret prædicans Corinthijs, quandoquidem illi nihil conferebant.

Illud: Non fui onerosus cuiquam, in Græco est: οὐ κατενάρκησα οὐδενός. Est autem καταναρκᾶν torpedine, ac segnicie sua, alijs esse onerosum, & de aliena uiuere quadra, prorsus segnem & inutilem, qualium innumeram καταναρκώντων prę latorum, cenonicorum, ac monachorum multitudinem ecclesiæ bona deuorare uidemus, cum interea laborantibus ministris, uix arido pane uiuere detur.

Obserua uero, quod nō simpliciter dicit: cū egerē, nihil accepi à quoq̃, sed, nō fui onerosus cuiquā, quibus uerbis satis exprimit, quare nō acceperit quicquā à Corinthijs. Quod uidelicet metueret, ne molestū hoc illis esset & onerosum. Sic animati sunt homines ingenui, ut ægre cuiquā sustineant esse oneri. Et præterea cogitabat, q̃ nō facturū id esset, ad propagādū Euāgeliū, apud eos, quibus molestū fore metuebat, si ali ab ipsis aliquandiu deberet. Hoc ingenio erat, & hac modestia prędi tus. At obsecro, quāti sumpt⁹ fuisset alere Christi Apost. nullo nec equestri, nec pedestri satellitū comitatu sūptuosū, quales hodie uidem⁹ episcopos & pōtifices, p̄latos & abbates onera terræ, sed uno & altero cooperatore cōtētum, & omniū frugalissime uiuētē? Sed hæc sors est uerorum Christi ministrorū, ut apud diuites Corinthios magis q̃ apud pauperes Macedo. egere cogāt.

NAM quod mihi deerat, inquit, suppleuerūt fratres, qui uenerant è Macedonia.] Qui nam illi fuerint, nō exprimitur. In Act. quidē ca. 18. Silas ac Timotheus è Macedonia Corinthum ad Paulum uenisse leguntur, uerum incertum est, an de illis loquatur, uel alijs quibusdam. Si supplementum illud, quo egestati ipsius subueniebatur, fratres isti de suo cōtulerunt, existimo non posse ad Silam ac Timotheū referri. Si uero non de suo, sed de contributione ecclesiarū defectus Pauli suppleuerunt, nō est absimile uero, accepisse hos duos ab ecclesijs Macedonię, quo necessitatibus illius succurrerēt. Et hic sensus, meo iudicio, probabilis est, propter præcedentia, quibus se alias ecclesias deprædatū esse dixit, quo Corinthijs inseruiret.

Non dicit: ἀνεπλήρωσαν, id est, repleuerunt, sed προσανεπλήρωσαν. Significat uero προσαναπληροῦν, nō simpliciter aliquid ab integro implere, sed id quod rei non sufficienter impletę, adeoque adhuc aliquid ad iustam impletionem desyderanti deest, facta ad ea quæ adsunt adiectione aliqua supplere, sic ut nihil desit ampli⁹. Ergo non integram & omnimodam sustētationem sui, sed portiunculam tātum, quæ deerat à Macedonibus accepit, reliquā uero partē operando manibus suis acquisiuit. Nō quod illi plura conferre nollent, sed quod ipse plura accipere detrectaret, quàm quæ ad supplementum necessarij uictus sufficerent.

Hac autē in re uideo in ecclesijs peccari grauiter. Primum ab illis magistratibus, qui bona ecclesiæ non modo suę potestati subiecerunt, sed & stipēdia ministris uerbi debita adeo decurtarūt, ut illi necessitate cogente singulis p̄pe annis eorum quæ desunt supplemētum ab ipsis precario, ac suppliciter expetere compellātur, eamq; προσαναπλήρωσιν, admodum grauatim prę stant, imò nōnunquā petentes uacuos à se, non sine contumelijs abijciunt. Quàm aūt illi diuersimode animati sint à Macedonibus, qui non de alieno, sed de suo, non sibi, sed alijs ministranti Apostolo, ea quæ deerant suapte sponte suppleuerūt, iudicēt cordati. Deinde à prælatis illis & cenonicis, qui cū de patrimonijs suis abunde habeant unde uiuere possent, non tamen contenti sunt aliquo supplemēto, sed integra præbendarum suarum corpora, ut uocant, de bonis ecclesiæ exigunt, ac sumunt, non ut sufficientem duntaxat alimoniā, sed & opum abundantiā habeant, unde & pars magna insumi in scorta, equos, mulos, canes, & reliquū uitæ luxum, & simul in thesauros cumulus aliquis pecuniarum reponi possit.

ET in omnibus sic me seruabam, inquit, ne cui essem onerosus, atq; ita seruabo.] Quod dixit, cum apud uos essem, & egerem, non fui onerosus cuiquam, id iam fusius explicat, sic ut proxime præcedentia: nam quod mihi deerat suppleuerūt fratres, qui uenerāt è Macedonia, per modum parenthesis posita esse uideatur. Explicat autē huius facti sui studiū, propositū, propositi constantiam, specificationem & rationem.

tionem. Studium exprimit dicens: Et in omnibus sic seruabam ἐμαυτὸν, id est, meipsum, ne onerosus essem ὑμῖν, id est, uobis. Non in causa uictus tantum, inquit, sed & in reliquis omnibus, in quibus uti poteram meo iure, cohibui me, ac seruaui, uiuens parcissime, ne essem uobis oneri. In uerbo, seruandi, dicens, seruabam meipsum studium exprimit facti sui, studium uidelicet abstinentiæ, non ab illicitis tantum, sed ab ijs quoq;, quibus licite ac iure Apostolatus sui potuisset uti, καὶ ἐν βάρει εἶναι ὡς χριστοῦ ἀπόστολος: sicut 1. Thess. 2. dicit: Virtus hæc seruãdi, ac cohibendi seipsum, insigne donum Dei est, ad hoc pijs datum, ut abstinentiæ bono, cum iusticiæ ac commoditati uitæ suæ studere, tum charitati proximorum inseruire ualeant. Iusticiæ, abstinendo ab illicitis: commoditati uitę, ne si affectibus suis indulgeant sibijpsis innumeras molestias asciscant: charitati fraternæ, abstinendo ab omnibus, quibus fratres, uel lædi, uel grauari, uel offendi poterũt, etiam si illis iure queant uti, quo præsens Apostoli facit exemplum.

Ad propositum ipsius pertinet quod dicit: atq; ita seruabo. Nõ erat illi satis seruasse se aliquãdiu, ne cui esset oneri, nisi id sibi in futurũ quoq; faciendũ censeret, ac porro facere ꝓponeret. Nam ratio propositi talis erat, ut nõ minus futurum, q̃ præteritum abstinentiæ huius studium requireret. Sic affecti sunt, quorũ studia non sunt perfunctoria, sed ex animo ad iustum finẽ spectante profecta. Illis non est satis semel sese atq; iterum cohibuisse, ne quã offensionem præbeant causæ, quam agẽdam susceperunt, sed à cœpto studio nõ resiliunt, donec quod agẽdum est perficiatur, ideoq; quod aliquandiu fecerunt, ad finem usq; facere cõtendunt. Sic animatus Apost. postq̃ dixit: in omnib⁹ me sic seruabã, ne uobis essem onerosus, adiecit de suo ꝓposito dicẽs, atq; ita seruabo.

AD constantiam propositi huius facit, quod subiungit: Est ueritas Christi in me, quod hæc gloriatio non interrumpetur contra me.] Nõ simpliciter dicit: Et hoc ꝓpositũ haud abijciã, sed, gloriatio hæc non interrũpetur cõtra me. Voce gloriationis significat, se ista dicere non exprobrandi, sed gloriãdi affectu, ne grauatim hoc tulisse uideat, quod nihil in usus suos cõferrent Corinthij. Etenim nemo sic animatus est, ut moleste ferat, id de quo gloriatur, uel ut glorietur de re aliqua, quã grauatim ferat. Imò nõ modo uoce gloriationis hoc significat, sed & per id quod dicit: non interrumpetur cõtra me, significans contra se, nõ pro se fore si quid ab ipsis accipiat, & gloriationem hanc, quod gratuito prædicauerit ipsis Euangelium Christi, amittat. Quod autem interpres uertit: non interrumpetur contra me: Græce est, οὐ φραγήσεται εἰς ἐμὲ, quod reddi potest: non obturabitur in me. Germanic⁹ interpres sic uertit: *so soll mir diser ruom nit gestopffet werden*, quasi dicat: nõ obturabitur gloriatio hæc in ore meo, uel nõ obturabitur mihi os, ne glorier gratuito me prædicasse uobis Euangelium. Quàm uero cõstanter in eo se proposito confirmarit, in eo exprimit, quod iureiurando dicit: Est ueritas Christi in me, quod hæc gloriatio non obturabitur in me. Habet enim particula hæc formam iuramẽti, quasi dicat: Per ueritatem Christi quæ in me est iuro, quod gloriatio hæc, &cæ. uel: Quàm certo est in me ueritas Christi, tam certo non obturabitur gloriatio hæc in me. Germanicus interpres reddidit ad hunc modum: *so gwiss die warheit Christi in mir ist*. Iurat ergo Apostolus per ueritatẽ Christi, quod nolit quicquam à Corinthijs accipere, ne obturetur in ore ipsius hæc gloriatio, quod Euangeliũ illis gratuito prædicauerit. Sic iurando cauet, ne ob id ista scribere putetur, ut Corinthij pudefacti de conferendo aliquid cogitent, quo notam ingratitudinis à se abstergant.

Vide autẽ quàm conuenienter formula hac iuramenti Apostolus Christi utatur dicẽs: Per ueritatem Christi quæ in me est. Iuramẽti mispat, hoc est, ut iuremus per ea quæ nobis sunt admodum in precio, hac cõditione, ut si iuremus falso, damno illorũ mulctemur. Cum ergo ueritas Christi omniũ esset Apostolo charissima, & maximi momẽti, per eã iurauit potissimum, ut significaret tã se nolle in uanum iurare, quàm nollet ueritate Christi, quã singulari beneficio Dei acceperat, priuari. Hoc affectu conuenit omnes erga Christi ueritatem prędeditos esse ministros, ut nihil in toto illi mũdo pręferant, & studio illius ab omnis generis mẽdacijs in uniuersum abstineant. Verũ quotus quisq; illorum est, qui in gratiam ueritatis Christi, quam prædicãdam suscepit, in omnibus suis sermonibus à mendacio sibi caueat, illudq; ex animo detestetur, ac fugiat?

Erat autẽ ueritas Christi in Apostolo uarijs modis. Primo, quatenus erat in illo spiritus Christi, qui spiritus est ueritatis, & à mundo capi non potest. Deinde in scientia & intelligentia mysteriorum Christi, qua ueritas illius cognoscitur. Tertio in affectu cordis, quo cognitam amabat, ac plurimi faciebat. Quarto, in ore, per ministerium uerbi, quod de Christo prædicabat. Tres priores modi communes sunt fidelibus omnibus, quartus ad ministerium uerbi pertinet. Quanquã nec alienus prorsus est à fidelibus, qui & ipsi ueritatẽ Christi habent in ore, dum gratiam ac ueritatem à Christo factã laudib⁹ extollũt ac deprædicãt.

IN regionibus Achaiæ, inquit.] Specificatio est propositi, uel, si mauis, limitatio. Non enim cõstituerat nusquam accipere quicquam sed, à Corinthijs tantum. Ideo dicit: In regionibus Achaiæ, inter quas erat & Corinthus. Alioqui acceperat à Macedonib⁹, & alijs quoque, ubi id citra offendiculum fieri poterat. Quare in promptu est, quod respondeatur illis, qui ex hoc Apostoli facto, generalem omnibus ministris regulam præscribere conantur, debere uidelicet eos gratuito prædicare omnibus. Apostolus hoc non fecit ubique,

quandoquidem non dicit: quod hæc gloriatio non obturabitur in me in toto orbe, sed, in regionibus Achaiæ. Et ne in illis quidem præiudicauit hoc suo facto sequuturis, post ipsum episcopis ac ministris, quasi nec ipsis aliquid ab Achaicis fidelibus accipere liceat, quanto minus in cæteris. Quare adiecta hęc limitatio generalis regulæ præscriptum non admittit.

QVAPROPTER, inquit? An quod non diligam uos? Deus nouit. Verum quod facio, idem & faciam, ut amputem occasionem ijs, qui cupiunt occasionem, ut in eo de quo gloriantur reperiantur, quemadmodum & nos.] Pertinent ista ad rationem propositi huius. Hanc uero non ponit simpliciter, sed per occupationem. Videbatur enim mirum, quare ab Achaicis nihil prorsus accipere constituisset. Quare cum fore cogitaret, ut ratio huius requireretur, præoccupãs ponit eã ipse ad hunc modum: Quapropter? An quod non diligam uos? &c. Non modo quæsituros eos de ratione hac, sed & alienam à uero suspicaturos cogitabat, quemadmodum fieri solet. Et talem inducit ipse, ac refellit, priusquam uerum exprimat.

QVAPROPTER, inquit.] Hoc est. Quã ob causam nolo, ut hęc mihi gloriatio obturetur in regionibus Achaiæ? Quid rationis est, quod tam constanter nihil à uobis accipere constitui? An ideo hoc facio, quod nõ diligam uos? Hæc erat falsa ratio, quam ob id adducit, quod timendum erat, ne illam in causa esse suspicarentur. Dices: Et quomodo uerosimile erat hoc eos suspicaturos? Etenim ut argumẽtum dilectionis non est in eo, si quis accipiat ab alijs pro labore suo, unde uiuat, ita contemptus argumentum in eo non est, si gratuito quis laboret, nolitque pro labore suo accipere quicquam. Respondeo. Quoniam acceperat à Macedonibus, à Corinthijs uero non modo non acceperat, sed & nunquam accepturum se affirmabat, uidebatur uel non tanta apud eos diligentia laborasse in opere domini, ut aliquid pro labore suo accipiendum esse sibi censeret, minus uero diligenter laborasse, ob id quod eos contẽneret, & tanto non esset amore prosequutus, quanto affectus fuerit erga Macedones. Sic timendum erat, ne propositum hoc ipsius sinistre interpretarentur, & in argumentum contemptus sui raperent. Poterant cogitare & hoc modo.

Quare accepit à Macedonibus, à nobis uero tantopere nihil accipere constituit? An quia illi sunt opulenti, nos uero pauperes? Sed hoc in causa esse non potest. Sunt enim pauperiores nobis, etiam ipsius testimonio. Restat igitur ideo nolle eum accipere à nobis, quod minus habeat erga nos fiduciæ, accepisse uero ab illis, quod magis ipsis fidat, quàm nobis, atq; ita plus eos etiam diligat, quàm nos. Quatenus igitur contemnere, ac diffidere argumentũ habent cordis non diligentis, hactenus poterãt cogitare. Non uult à nobis accipere, quia non diligit, sed contemnit nos, tantumque fiduciæ erga nos non habet, quantũ habet erga Macedones. Ne sic itaque colligerent, occupatione cauens dicit: An quod non diligam uos? Deus nouit. Subintellige, quod diligam uos. Citat Deum testem dilectionis suę, quo suspicionem hanc, & sinistram propositi sui interpretationem reijciat. Poterat dicere: nequaquam, sed diligo uos. Verum quoniam cupiebat illis esse persuasissimũ, quod ipsos diligeret, maluit Deum, quàm seipsum citare testẽ.

VERVM quod facio, idẽ & faciam (in Gręco non est, idem, sed simpliciter καὶ ποιήσω, id est, & faciam, ut subintelligendum sit, ad hoc facio) ut amputem occasionem ijs qui cupiũt occasionem.] Reiecta pseudologia, quam ex facto ipsius colligere poterant in speciem, subijcit ueram rationem, propter quã nihil à Corinthijs ac reliquis Achęis accipere constituerat. Eam exprimit primũ in genere dicens: Verum quod facio, & facturus sum, ob id facio, ut amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionem. Dictum est hoc generaliter. Specificãdi uero gratia addit: ut in eo de quo gloriãtur, reperiantur, quemadmodum & nos.

VT amputem, inquit, occasionem.] Occasionem amputare, uel præscindere, est causas & principia sequuturæ rei, ueluti radices excindere. Græce est: ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμήν. Est autem ἀφορμὴ ea causa quæ à facto, uel consilio aliquo nata occasionem gerendi, uel conandi saltem aliquid præbet, quod aliâs ne tentaretur quidem. In huiusmodi ἀφορμαῖς, tam prębẽdis, quàm amputandis, tanq; captandis, quàm fugiẽdis omnino situm est multum. Multum nocuit, qui occasionem mali, pręsertim incautis & imperitis obiecit. Multum è contra profuit, qui occasionem, uel boni prębuit, uel mali amputauit. Magnam gerendæ rei commoditatem nactus est, qui occasionem illius uigilanter captauit. Facile sequuturum malum uitat, qui occasionem illius præscindit. Principijs obsta, inquit ille, sero medicina paratur. Dum mala per longas inualuere moras. Hac prudẽtia usus Apostolus, nolebat à Corinthijs sumere stipẽdium, ne quam si sumeret, pseudapostolis hoc suo facto abutendi occasionem obijceret.

Vide autem quomodo loquatur. Non dicit simpliciter, ut amputem occasionem pseudapostolis, cum tamẽ de illis intelligat, sicut in sequentibus mox patebit, sed, ut amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionem. Græce est, ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν τῶν θελόντων ἀφορμήν, id est, ut amputem occasionem eorum, qui uolunt occasionem. Genitiuum interpres mutauit in datiuum. Occasio, si quæratur quorum sit, est & dantium, & accipientium, & rerum unde sumitur. Græcus contextus tribuit hic occasionem captantibus. Si uero quęratur, quibus amputetur occasio, amputatur alia dantibus, alia captantibus. Cũ ergo Apostolus hoc egerit, ut occasionẽ & captantium & captantibus

amputaret

amputaret, nihil est periculi utrolibet modo legamus, siue, ut amputē occasionem eorum, qui uolunt occasionem, siue, ut amputem occasionem ijs qui cupiunt occasionem. Tribuit igitur Pseudapostolis hanc maliciam, imò maliciæ studium, ut non solum oblatis occasionibus abusi sint ad malū, sed & offerri sibi occasiones cupiuerint. Cupere occasionem nocendi, inimicorum est, studiosissime insidiantium. Illis è contra pari studio, & uigilantia omnis est amputāda occasio. Si hoc egissent episcopi, tantum occasionis non esset datum Satanæ, occasionem undiq; uenanti, tam spurcis ac fœdis libidinib⁹, ecclesias cōspurcādi, cuius futuri mali occasionem Paphnutius in concilio Niceno pręscindendam esse prudētissime, quidem, uerum frustra monebat.

Dicet quisquam. Æquum ne est, ut ne occasionem inueniat, qui cupit occasionem, abstineam ab eo quod in se est bonum? An quemadmodum non sunt faciēda mala, ut eueniant bona, ita etiam non sunt faciēda bona, ne eueniant mala? Si hoc dicimus, quod nam opus tam bonum esse, tanq; bene fieri poterit, quod mali, non ad occasionem mali abripiant, ideoque fieri à nobis non debeat? Bonū autem esse iustum & æquum, ut minister in opere domini laborans de labore suo, accipiat unde uiuat, præter ipsius Christi, & Apostoli quoq; testimonium ipsa naturalis ęquitas, & communis omniū consensus comprobat. Quid igitur necesse erat Apostolo, ut tam confirmato animo nihil acciperet à Corinthijs, ne occasionē permitteret illis, qui occasionem cupiebant? Sic nascitur quæstio, an quod bonum est ac rectū, si fiat, ob id sit uitādum, ne mali ex eo sumatur occasio. Nos respondemus, diuidendū esse inter bona necessaria, & bona licita quidem, uerum nō necessaria. Bonum necessariū est prædicare Euangelium Christi. Væ mihi, inquit, si non euangelizauero. Omittendum hoc non est, etiam si mille ex eo malorū occasiones sumantur à reprobis. Bonum licitum, ęquum & iustum est, prædicantem sumere uictū & amictum ab illis, quibus prædicat. Potest hoc omitti, si cessurum uidetur ad occasionem mali, propter reproborum insidias. Non peccat, qui iure suo non utitur, si usus illius causæ Christi nociturus uidetur. Imo, q̄ Christo fideliter seruit, nūquam uolet uti iure suo, si uiderit ex eo occasionem fore reprobis, ut ueritati Dei negocium facessant. Non faciebat Apostolus malum, ut eueniret bonum, uel uitaret malum, cum stipendium debitū à Corinthijs accipere nolebat, sed omittebat bonum licitum, ne per maliciam pseudapostolorum eueniret ex eo malum.

VT in eo, inquit, de quo gloriantur, reperiātur, qnemadmodum & nos.] Supra particulam hanc specificationem habere diximus, cuius uidelicet, rei occasionem pseudapostolis permittere noluerit. Vt reperiantur, inquit, quemadmodum & nos. In quo? In eo, inquit, de quo gloriātur. Quod nam erat illud? Apparet illos non accepisse stipendium, quo Corinthios sibi deuinctiores redderent, eaque in re præstantiores Paulo inuenirētur, si stipēdium ille pro labore suo sumeret, & hāc illis gloriationem noluisse permittere Paulum, ideoque nec ipsum stipēdium accipere uoluisse, quo in hac causa non excellerent, sed tales inuenirentur, qualis erat & ipse. Sic pleriq; tam ueteres quàm recentiores exponunt.

Sunt tamen hęc uerba sic posita, ut bifariam exponi queant. Primo, quemadmodum iam exposuimus. ut amputem, inquit, occasionem ijs, qui cupiunt occasionem, amputem autem ob id, ut in quo gloriantur, nō excellentiores, sed quales & nos sumus, inueniantur. Inuenirentur autem excellētiores nobis, si nos sumptuosum redderemus Euangelium, accipiendo stipendium à uobis, illi uero gratuitum, nō accipiendo à uobis quicquam. Hanc illis occasionem nunquam permittemus, ideoq; nihil à uobis unquam accipere cōstituimus. Cōstaret hæc expositio, si constaret pseudapostolos gratuito p̄dicasse Corinthijs. Deinde exponi possunt hoc pacto: ut amputem occasionē ijs qui cupiunt occasionem. Quam occasionē cupiūt? Per quam uidelicet in eo de quo gloriātur reperiantur, quemadmodum & nos, ne minores nobis, ac minus grati, propterea inueniantur, quod stipendium accipiunt à uobis, sed pares, si & ipsi stipendium acciperemus. Quare nolo à uobis accipere quicquam, ne pares nobis inueniantur. In priore expositione uerba hæc, ut in eo de quo gloriantur, reperiātur, quemadmodum & nos, rationē habent, quare Apostolus occasionem pseudapostolis amputare uoluerit. In posteriore uero, exponunt quā occasionē pseudapostoli dari sibi cupierint. Et hāc sequut⁹ est Ambrosius. Sic enim ille exponit: Gloria pseudapostolorum, in pecunijs erat accipiēdis. Ideo Apostolus hoc refutauit, ne illis similis uideret, quia nisi hoc ab Apostolo fuisset uitatū, maior illis occasio data fuisset accipiendi, aut magis extorquendi, quando in hac re formam ab Apostolo datā, ostenderēt. Hæc ille. Ergo quod in textu est: in eo de quo gloriātur, intelligit de stipēdio apostolico, quo de gloriati sint pseudapostoli, quasi in illo uerorū sit Apostolorum argumentum. Sane accepisse eos à Corinthijs, infrà in hoc ipso capite patebit. Quare uerosimile non est fuisse eos de gratuita Euāgelij prædicatiōe gloriatos, ut quod dicit, ut in eo de quo gloriantur, reperiantur quemadmodum & nos, de illa possit intelligi, quamuis & Chrysostomus de ea exponat, non diligens alioqui in exponendis Apostoli sensibus. Annotat ille, quàm non sit ociosum quod non dicit: ut in eo quod faciunt, sed, ut in eo de quo gloriantur. Neq; enim simpliciter illi, uel accipiebant, uel gratuito prædicabant, sed ad ostētationem sese comparabant, cuius uanitatem in uerbo gloriandi perstringit. Quorsum gloriarentur in eo quod simulabant,

bant, abunde intelligebat, ideoq; & occasioné quam quærebant diligenter illis amputabat.

Siquidē istiusmodi pseudapostoli operarij dolosi sunt sumpta persona apostolorum Christi: atq; haud mirum, quandoquidem ipse Satanas trãsfiguratur in angelum lucis. Nõ magnũ est igitur si & ministri illius, personã in se transferunt, quasi sint ministri iusticiæ, quorum finis erit iuxta opera ipsorum.

1 Primo exprimit qui nam sint illi qui occasioné cupiant. Pseudapostoli uidelicet: Siquidem istiusmodi pseudapostoli, inquit.

2 Deinde rationé reddit, quare occasionem quam cupiũt amputare illis studeat. Quia dolosi sunt operarij, inquit.

3 Tertio, dolum illorũ exponit dicens: transfigurantes se in apostolos Christi, & in ministros iusticiæ.

4 Quarto, dicit eos imitari ingenium Satanæ, tanquam illius ministros.

5 Quinto, minatur illis meritum exitiũ. Sed uideamus singula.

SIQVIDEM istiusmodi pseudapostoli, inquit.] Quoniam obscurũ adhuc erat, quosnã intelligeret dicens: ut amputem occasionem illis, qui cupiunt occasionem, non simpliciter dicit: Nam sunt illi operarij dolosi, sed: Nam istiusmodi pseudapostoli operarij dolosi sunt. Hac nota, non solum qui sint aperit, sed & fugiẽdos eos esse monet. Vẽditabãt se pro apostolis Christi, uerum non erant ἀληθαπόστολοι, sed ψευδαπόστολοι. Est autem pseudapostolus falsus legatus, qui credẽtes sibi seducit, & si id in causa salutis fiat, prorsus perdit. Notæ huius sunt istæ. Primo, non est rite missus, sed suapte spõte currit. Deinde, uel prorsus falsa nunciat, uel ueris falsa immiscet, quo sub specie ueritatis seducat. Tertio, seipsum quærit in omnib⁹, ut non modo falsus, sed & suijpsius recte uocari possit Apost. Quarto, iactabundus est & gloriosulus, seipse magnificãs, & ueros apostolos cõtemptos reddere satagens. Plane tales erãt, quos hic perstringit Apostolus. Contra, uerus Apostolus est, qui non à seipso currit, sed missus est à domino, non alia nunciat, quàm quæ in mandatis accepit, non seipsum quærẽs, sed dominũ cuius est Apostolus, nec iactabundus de suo, sed glorians in dño, nec ueros alios apostolos contẽnens, sed magnificaciẽs & extollẽs.

OPERARII dolosi sunt, inquit.] Hinc erat Apostolo cautio ac solicitudo amputandi illis occasioné, quã quærebant. Sciebat eos omnia agere, ac moliri dolo improbo. Ea res reddebat ipsum cautum, ac uigilanté. Non dicit simpliciter, dolosi sunt, sed operarij dolosi sunt. Operabãtur & ipsi, sed animo doloso, nõ syncero. Videm⁹ hic referre plurimũ, quo animo quis operetur in ecclesia dñi. Operari palã mala & noxia, min⁹ habet periculi. Ociari quoq; itidẽ minus est periculosum. Verũ operari cũ dolo & in speciem, ea quæ uidentur esse bona, reipsa uero animo seducẽdi, admodũ est periculosum. Tales uocant in scripturis פועלי און id est, operarij iniqui, quos & Christus ipse notat, Matth. 7. dicẽs: Multi dicẽt mihi in illo die: Dñe, dñe, nõnne p nomẽ tuũ prophetauimus? & per nomen tuum demonia eiecimus? & per nomẽ tuum multas uirtutes præstitimus? Ac tum confitebor illis, nunquã noui uos: Discedite à me, qui operamini iniquitatem.

SVMPTA, inquit, persona apostolorũ Christi.] Grçce est μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους χριστοῦ. i. transfigurati in apostolos Christi. Vulgata habet transfigurãtes se in apostolos Christi. Verbum μετασχηματίζεσθαι, tertio habetur in hoc contextu. Eras. reddidit, iã sumpta persona, iã trãsfiguratur, & tertio, personã in se transferunt. Vulgatus interpres absq; ostentatione copiæ constanter reddidit per uerbũ transfigurandi, nõ magis culpabilis in unius Latini, q̃ Apostolus in unius Græci uerbi repetitione. Si uerbũ transfigurandi semel usurpatũ satisfacit Græco uerbo μετασχηματίζεσθαι, poterat & secundo & tertio satisfacere.

Quoniã uocauit pseudapostolos operarios dolosos, exponit illorũ dolum dicens: transfigurantes se in apostolos Christi. Trãsfigurare se, est natiuæ ac ueræ formç, falsam ac fictã superinducere, illamq; fallendi gratia ostentare. Erant pseudapostoli reipsa, quos hic perstringit. Hæc erat uera illorũ figura, ac ꝓpri⁹ color. Cũ ergo dolosi essent, ueræ figuræ superinducebant falsam, fingentes se apostolos esse Christi. Hçc transfiguratio ueram illorum figuram abscondebat quidem, uerum nõ auferebat, & figuram apostolorũ Christi præferebat quidẽ, at ueros ex illis Christi apostolos non reddebat. Quare pertinenter admodum usus est uerbo, transfigurãdi, quod sic differt ἀπὸ τῆς μετουσίας καὶ μετυπάρξεως, quod hæ uoces essentiæ ac substantiæ mutationem, illud uero figuræ alienæ assumptionem, uel fictioné significat, quo sensu positum est hoc loco. Neq; enim ueram apostolorũ Christi figurã, ueraciter assumebãt, sed falso simulabant ac fingebãt, quemadmodum neq; pseudprophetç, de quib⁹ Christ⁹ Matt. 7. præmonuit, uestimenta ouium, cum sint lupi rapaces, ueraciter assumunt, sed fingunt ac simulant. Et hoc genus falsorum apostolorum in apostolos Christi transfiguratorum Romam post Paulum uenisse, eamque ecclesiam uiciasse in uiciata & corrupta, sub prętextu nominis Petri apostolicam sedem falso nominatam miris artibus fundasse, ac mysterium iniquitatis in illa cooperante Satana, cuius erant ministri, efficaci successu operari cœpisse, prorsus nihil addubito. Quod Romæ apostolũ Petrũ iactarũt, illiusq; authoritaté prætexuerũt, ut Pauli existimationem supprimerẽt, improbissimo studio & antea in alijs quoq; ecclesijs fecerant, sicuti in epistolis Pauli patet. Et hanc subdolam & noxiam transfiguratioñe ad successores suos, tam efficaciter transmiserunt, ut

cordatus

cordatus quisq;, si consideret illam intentius, ipsissimam Satanæ operationē agnoscere cogatur. Sub hoc Sole nanq; nihil uisum est unquam magis hypocriticū ac dolosum, magisque ad fallendum, & ad inuadēdum omnium ecclesiarum magisterium instructum.

ATQVE haud mirū, inqt, quādoquidē ipse Satanas transfiguratᵉ in angelū lucis.] Quoniā imperitioribus res admodū miranda, & incredibilis uideᵉ, fieri posse, ut pseudapostolus trāsfiguretur in apostolū Christi, ut admoneat nō debere hoc uideri mirum, ipsius Satanę exemplum inducit, quod & cognitu necessariū est fidelibus omnibus, & tale, de quo dubitari nō potest, & tamen si consideretur multo est mirabilius. Tantū enim discrepātiæ inter pseudapostolum, & uerum Christi apostolū non est, quantum est inter Satanam extremæ maliciæ spiritum, & angelū lucis, & tamen in hunc ille pessimus impostor transfiguratur. Quare mirum non est, inquit, si pseudapostoli transfigurantur in apostolos Christi. Hoc dicens, significat eos imitari ingenium Satanæ.

Non dicit autē simpliciter, transfiguratur in angelū, sed, in angelū lucis. Natura spiritus est Satan, quēadmodū & angeli lucis, Angelus nō est, nisi quādo mittiᵉ à Deo ad operis alicuius exequutionē. Sonat enim angelus nunciū. Angelus erat spiritus ille malus, q mittebaᵉ ad seducēdū impiū regē Achab, ut esset spūs mēdax in ore oīm, quos habebat prophetarū. Missio hæc reddebat eū angelū, uerū nō angelū lucis, sed tenebrarū & errorū. Angel⁹ lucis, minister est ueritatis, & gratiæ Dei nuncius. Talis erat Gabriel, ad beatā uirginē missus, tales erāt angeli, quos pastoribus euāgelizasse legimus, tales erāt, qui mulieribus resurrectionē Christi nunciabāt, nec alij erāt, qui patriarchis, ꝓphetis, Christo & apostolis apparuerūt. In eiusmodi angelum mutari non potest Satan, trāsfigurari potest. Sic spiritus ille seductionis, ut falleret Achab, quem punire uolebat Deus, transfigurabat se in angelū lucis, quasi esset spiritus ueritatis. Hæc trāsfiguratio Satanæ inuexit in ecclesias omnis generis errores, impietatē, superstitiones, falsos cultus, & eidolomaniam, propterea quod neglectis sanctis scripturis episcopi, Satanā nisi nigrū & manifestū, cognoscere noluerunt, transfiguratū uero, ac dealbatum in speciē, pro angelo lucis sunt amplexi.

NON magnum est igitur, si & ministri illius inquit, trāsfigurēᵉ, quasi sint ministri iusticię.] Chrysost. particulā hāc aliter legit. In priorem siquidē ad Cor. cap. 6. homil. 16. super illud: An nescitis quod angelos iudicabimus? sic dicit: Dicūt nōnulli significari hoc loco sacerdotes. Sed absit. Nā de dęmonibus loquitur. Etenim si de corruptis sacerdotibus dixisset, significasset eos suprà dicēs: nā in uobis iudicatur mundus. Solet enim scriptura malos homines uocare mūdū. Neq; secūdo idē dixisset, nec si maius aliqd dixisset, postremo illud loco posuisset. Verū de angelis illis loquiᵉ, de quib⁹ dicit Christus: Ite in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et Paulus: Quoniā angeli eius, inquit, trāsfigurantur uelut ministri iusticię. Hæc ille. Manifestum est, nō esse antiquariorum negligētiā: ὅτι ἄγγελοι αὐτοῦ. i. quod angeli eius, scriptum pro eo quod est εἰ καὶ διάκονοι αὐτοῦ. i. si & ministri ei⁹, sed ab ipso sic Chrysost. tanquam ab Apostolo scriptum, ad hoc citatū, ut comprobaret & Satanā habere angelos. Et tamen in hoc ipso loco reperitur idē Chrysost. legere non, ὅτι ἄγγελοι, sed, εἰ καὶ διάκονοι αὐτοῦ, ut appareat sciolum quendam lectionem illius mutasse, ne à recepta discreparet.

NON est magnum igitur, inquit.] In se quidem satis magnū est, si ministri Satanæ in ministros iusticię trāsfigurenᵉ, nec magnū modo sed & admodum noxiū, uerū respectu maioris nequitiæ, qua Satan ipse in angelū lucis transformaᵉ, magnū esse negat, id quod ob id facit, ut cautiores reddat Corinthios. Etenim quo facilior est ista transfiguratio, hoc maiore attētione ac uigilantia obseruāda uenit, quo uitetur. Magnum enim nō esse, pro, mirum nō esse dixit. Sunt autem factu difficilia quæ mira, rursus faciliora, quæ mira non sunt, & mala quæ facile conflantur, quo expeditiora sunt ad nocendū, hoc sunt diligētius cauēda. Cū itaq; dicit: Nō magnū est, nō extenuat periculū, quod est à transfiguratis ministris Satanę, sed magis monet diligentius esse uitandum.

SI & ministri illius, inquit.] Vide quomodo pseudapostolos magis ac magis detestabiles reddat. Primo: Nam si is, inquit, qui uenit, aliū Iesum prædicat. Deinde, ut amputē occasionē, inquit, ijs qui cupiūt occasionē. Tertio: Siquidē istiusmodi pseudapostoli, inqt. Quarto, quo eos prorsus auersandos esse moneat, ꝓ eo quod dicendū uidebatur: non est magnū si & pseudapostoli, nō est magnum, inquit, si & ministri illius, Satanę uidelicet, transfigurarētur, quasi sint ministri iusticiæ. Nos admonemur quo loco habendi sint pseudapostoli in apostolos Christi trāsfigurati. Pro ipsissimis scilicet Satanę ministris & apostolis. Quēadmodum enim Christus totus est in saluando, ita Satan è contra totus est in perdēdo genere humano. Et ut Christus apostolos habet salutis huius ministros, ita Satan quoq; apostolos habet, quorum ministerio ad seducēdum ac perdendum mortales utitur.

TRANSFIGVRANTVR, inqt, quasi sint ministri iusticiæ.] Non dicit, ut sint, sed, quasi sint ministri iusticiæ. Ministri iusticiæ aliter atque aliter dicuntur.

Primo, de illis qui iudiciariæ iusticię ad defensionem bonorum & oppresionem malorum quocūque modo ministrant, qui omnes ad ordinem magistratus pertinent.

Deinde, de apostolis Christi, q iusticiæ Dei quæ per fidem est in Christum, euangelizando subseruiunt.

Tertio, de oīs generis doctorib⁹, qui docēdo, hortādo, & corripiēdo quosuis ad iusticiā

& innocentiam uitæ instituunt. Quarto, per Ebraismum, in genere de ministris, iuste ac recte ministrantibus, ut sicut operarij iniqui, operarij iniquitatis, ita ministri iusti, ministri iusticiæ uocentur.

Præsenti uero loco, Chrysostomus exponit ad hũc modum: Quid autem est ministerium iusticiæ? Id scilicet quod nos sumus, euangelion prædicãtes uobis, quod iusticiam habet. Nam uel hoc dicit, uel quod iustorum uirorũ sibi opinionem assumunt. Existimo conueniens esse, ut intelligam⁹ de iusticia, quã pseudapostoli Iudaico more magis quàm Christiano prædicabant, non quod iusticiam amarẽt, aut ueraciter prędicarent, sed quod illam cõtra doctrinam gratiæ prætexerent, quam Paulus ubique prædicabat. Paulus absq; ulla dissimulatione ministerium gratiæ Christi obibat, illi uero doctrinam iusticię, qua iusti redderentur homines, iactabant, quo sibijpsis quoq; opinionem iusticiæ conciliarent, & cunctis sese approbarent. Nã id genus doctrinæ plausibilior est Iudæis & Gentibus, quàm sit doctrina gratiæ, ac fidei iustificantis.

QVORVM finis erit iuxta opera eorum, inquit.] Habet hæc particula comminationem meriti interitus. Interitum significat per finẽ. Neq; enim simpliciter utit̃ hac uoce, de morte corporea, qua uerorũ quoq; apostolorũ cursus finitus est, sed de interitu, quo pereunt pseudapostoli, qui quasi fructus est operum malorũ. Sic Rom. 6. eorum finem qui peccato seruiunt mortem, aliorum uero qui Deo obediũt, uitã æternã esse dicit. Sic geminus est mortaliũ finis, bonorum alius, alius malorum. Bonorum uita æterna, malorũ interitus sempiternus, de quo & Phil. 3. sic dicit: Nam complures ambulant, de quibus sępe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est. Consolationis quidem materiam habet, quod finis paratus est omnib⁹ ministris Satanæ, hypocritis ac seductorib⁹, ut sciamus nequitiam illorũ, haud duraturã in sempiternum, uerum iuxta cõmiserandi ueniũt, si qualitatem finis illorum cõsyderemus. Erit enim ille nõ secundum gratiam, sed secundũ iustũ Dei iudiciũ, quod Apostolus innuens, nõ simpliciter dicit: quorũ erit finis, sed addit, iuxta eorum opera. Significat interitum illorum responsurum meritis ipsorũ. Etenim quo magis ingeniũ Satanæ operibus suis exprimunt, hoc grauius merẽtur exitium. Sic nos facile diuinare poterimus, quàm sit graue futurum eorũ iudicium & exitiũ, qui hodie & ueritatẽ Dei oppugnando, & ouiculas Christi atrocissime mactando, tã Satanæ se, q̃ uentris & glorię suę ministros esse declarãt. Erit enim eorũ quoq; finis, secundum opera ipsorum, nisi in tẽpore resipiscant, quo per gratiam Christi seruentur.

Iterũ dico, ne quis me putet insipientem esse, alioqui & iam ut insipiẽtẽ accipite me, ut paululum quiddã, & ego glorier. Quod dico, non dico secundum dominum, sed uelut per insipientiã, in hoc argumento gloriationis. Quandoquidẽ multi gloriãtur secundum carnẽ, & ego gloriabor. Libenter em̃ suffertis insipiẽtes, cum sitis sapientes. Suffertis enim, si quis uos in seruitutẽ adigit, si quis exedit, si quis accipit, si q̃s attollit sese, si quis uos in faciem cædit, iuxta cõtumeliam loquor, p̃inde quasi nos infirmi fuerim⁹.

ITERVM dico, inquit.] Rediturus ad materiam gloriationis suæ, quam suprà ingressus est, ut pseudapostolorum iactantiam retũdat, dicit: Iterũ dico, quasi dicat, quod suprà dixi, dico denuo, uel, q̃d dicere cœpi, repeto. Quare? Ne quis me putet esse insipientẽ, quasi oblitus sim eorum, quæ dicere cœpi, ac temere scribẽdo, uelut æstu gloriationis inebriatus ferar. Potest & sic exponi. Iterum dico. Quid? Id uidelicet. Ne me quisquam reputet esse insipientem, propter gloriationes meas, quas sum contra pseudapostolos p̃laturus, sed cogitet q̃ graui causa, ut eas proferam sim adactus.

ALIOQVI, inquit, & iam ut insipiẽtem accipite me.] Græce est, εἰ δὲ μήγε κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με, id est, Si uero minus, saltem ut insipiẽtẽ accipite me. Non loquebatur ex insipientia, sed ex Apostolica prudẽtia, cura & solicitudine, ideoq; poscit ab illis, ne se insipientem esse putent. Iam addit ex abundãti dicẽs. Sed esto, reputetis me insipientem, an nõ sic quoq; par est, ut me uelut insipientẽ accipiatis? Sic contendit ab illis quouis modo, ut se accipiant & audiant. Si non ut insipiens loquor, inquit, sed ut sapiens, accipite me tanquam uera ac necessaria loquẽtem. Si uero iudicatis me desipere, date mihi, uel eam tolerantiam, qua insipientes quoque subinde patienter audiuntur, propterea quod illi quoque sæpenumero uera loquuntur.

VT paululum quiddam, inquit, & ego glorier.] Verbo accipiendi, pro uerbo ferendi, ac tolerandi usus est, petens ut se patienter, uel quasi insipientem audiant. Iam ad quid se audire debeant, subiungit. Vt paululum quiddam, & ego glorier, inquit. Non simpliciter, ut glorier, sed, ut & ego glorier. Quasi dicat: Quãdoquidem pseudapostoli inter uos tantopere gloriantur, & uos illos patienter auditis, concedite, ut & ego glorier: quod in illis toleratis, tolerate & in me, si insipientiam illorum ferre nostis, ferte & meam.

Significat se non fuisse gloriaturum, nisi ad id per iactantiam pseudapostolorum cogeretur, nec iniquum se petere ab illis, cum id ultro pseudapostolis concedant. Nec ociosum est, quod non simpliciter dicit: ut & ego, sed ut paululum quiddam, & ego glorier. Significat haud multa sibi & operosa gloriatione opus ad hoc esse, ut iactantiam pseudapostolorum reijciat, sed satis fore, si uel modicam attingat

attingat eorum partem, de quibus ipse ueraciter, si ita res posceret, gloriari posset. Et reuera sic habebat uirtutum ipsius excellentia, ut uel minima illarum portio pluris esset facienda, quàm omnis pseudapostolorum iactantia. Quare opus illi non erat, ut multum & impẽse gloriaretur, præsertim cum in propatulo esset Apostolatus ipsius excellentia & efficacia.

QVOD dico, inquit, non dico secundum dominum (uulgata habet secundum Deum) sed uelut per insipientiam, in hoc argumento gloriationis.] Ne uideatur Apostolicũ esse, & ad mãdatum à domino acceptũ pertinere, si quis de factis suis glorietur, cauet diligenter dicẽs: Quæ dicturus sum, non sum dicturus, secundum dominum, hoc est, tanquam Apostolus domini, secundum illius mãdatum, sed perinde ac si sim insipiens, ut desipiam cum magnis illis uestris magistris, in præsenti causa gloriationis. Lyranus exponit hæc uerba cum adiecta conditione ad hunc modum: Si facio hoc sine causa rationabili, uel necessaria, sicut faciebant pseudapostoli, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia. Chrysostomus tamen simpliciter absq; conditione accipit sic exponens: Vides quod gloriatio iam non sit secundũ dominum. Dicit enim: Quando omnia feceritis dicite, quod serui inutiles sumus. Hoc genus ergo gloriationis, quo gloriabantur pseudapostoli, & ad quod adigebatur Paulus per improbam illorum iactantiam, non est secundum dominum, secundum quem magis est humilitas, ac modestia inutiles se seruos esse dicẽtium. Significat uel ex iactantia pseudapostolorum manifestum esse, quod non sint ueri Christi apostoli, quãdoquidem gloriatio illorum, secundum dominum esse nequeat.

Rursus autem non simpliciter dicit: sed per insipientiam, uerum, sed uelut per insipientiã, ne sibijpse insipientiæ notam inurat. Deinde addit: in hoc argumento gloriationis, quibus uerbis per limitationem cauet, ne quod dicit de tota sua doctrina intelligatur. Ideo restringit illud ad præsentem gloriationis causam. Sic & suprà cap. 9. eadem est limitatione, ijsdẽque uerbis usus.

QVANDOQVIDEM multi gloriantur secundum carnem, inquit, gloriabor & ego.] Quod suprà dixit, ut paululum quiddã & ego glorier. Quasi dicat: Quemadmodum pseudapostoli, id iam magis exprimit dicens: Quãdoquidem multi gloriantur secundum carnẽ, gloriabor & ego. Quasi dicat: Nisi secundũ carnem gloriarentur tam multi, nollẽ ego gloriari, uerum quoniam tam multi sunt qui hoc faciant, cogor & ego gloriari parumper secundum carnem. Notanter dicit: secundum carnem, ut intelligas illud: Quod dico, non dico secũdum dominum, dictum esse de gloriatione secundum carnem. Quid autem sit gloriari secundum carnem, dictum est alibi. Chrysostomus dicit esse gloriari: ἀπὸ τῆς ἔξωθεν, ἀπὸ συγγενείας, ἀπὸ πλούτου, ἀπὸ σοφίας, ἀπὸ τῆς περιτομὴν ἔχειν καὶ προγόνους ἑβραίους, ἀπὸ τῆς παρὰ τῶν πολλῶν δόξης. Mox tamen infra glorias pseudapostolorum, quibus secundum carnem gloriabantur, expressurus est.

Non dicit autem simpliciter: quandoquidẽ nonnulli, sed, quandoquidem multi gloriantur secundum carnẽ, gloriabor & ego. Admonemur non esse mox faciendum Apostolo, ac ministro Christi, quod in se non sit decorum, & secundum dominum, si unus & alter ineptiant, sed conniuendum magis, ne præter graues rationes cum insipiẽtibus desipere uideatur, nisi multitudo ineptientium extorqueat, ut faciat, quod facturus aliàs non erat.

LIBENTER enim suffertis insipientes, inquit, cum sitis sapientes.] Dixit: Si uero minus, saltem ut insipiẽtem accipite me. Huc accommodat quod dicit: Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis sapiẽtes. Quasi dicat: Quod aliàs facitis, haud illibenter insipiẽtiam pseudapostolorum sufferentes, facite & mihi. Hęc autẽ dicẽs, notat & carpit in illis per obliquum, quod tam erant faciles ad ferendum pseudapostolos arroganter sese iactantes. Nõ simpliciter dicit: Suffertis enim, sed, Libenter enim suffertis insipiẽtes, significans eos nimis esse propensos erga pseudapostolos, ac insipientia illorum tam non offendi, ut illa delectentur etiam. Morsum habet & illud, quod dicit: cum sitis sapientes.

Tales haberi uolebant, non autem erãt, nisi secundum sæculum forsan. Id uicij notat dicens: cum sitis sapientes, subintellige, uestro iudicio. Sane sapientum est insipientiam patienter ferre stultorum. Illi autem non ferebãt simpliciter, sed ἡδέως, id est, cum delectatione, quod fieri non poterat, nisi insipientia pseudapostolorum uoluptatem ipsis attulisset, uel singularis cuiusdam sapientiæ loco habita fuisset. Etenim non reputabant eos esse insipientes. Alioqui locum in illis non habuissent quę mox subijcit dicens:

SVFFERTIS enim si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis in faciem uos cædit.] Hæc utiq; à pseudapostolis, omnium minime tulissent Corinthij, si cognouissent eos esse insipiẽtes. Vide autem quales illi fuerint insipientes. Tribuit eis dominatum tyrannicum, uoracitatem, auaritiam, arrogantiam, & contumeliam. Hęc exercere nõ potuissent in Corinthios, nisi admodum fuissent uersuti ac dolosi, unde eos supra operarios dolosos uocauit. Hoc genus insipientes nos Germani uocamus *bœse narren*.

SVFFERTIS enim, inquit.] Exprobrat illis præposteram tolerantiam. Non debebant ferre ne in ueris quidem apostolis, quæ ferebant in falsis. Qualis sit, & multis iã sęculis fuerit in ecclesijs pseudepiscoporum tolerantia, qui nihil tam inique præsumere potuerunt, quod nõ omnium seruilissime pertulerint maiores nostri, & pars maxima hodie quoq; perferat, non est ut moneamus, cum omnium sit manifestissimum.

Quæ

Quæ Corinthij pertulerũt à pseudapostolis, principia quædã fuerunt, quorum auxesis immensa in Romana sese ecclesia exeruit, & totũ Christianum orbem occupare sategit.

SI quis uos, inquit, in seruitutem adigit.] Adigere in seruitutem, est non simpliciter docere, admonere, corrigere, & cõsolari, sed more dominorum quiduis imperare, & omnimodam qualis seruorum est, obediẽtiam exigere. Si illa præstetur, seruitus est, siue sit coacta siue uoluntaria. Si præstetur Christo domino non coacte, sed sponte, debita obseruãtia est, & grata Deo, tamq; non indigna Christianis, ut pro summo sit honore cẽsenda. Et in hanc ducunt nos ueri apostoli. Si uero præstetur hominibus in religione, noxia est, illicita, & dedecorosa Christianis, quibus Apostolus Christi dicit: Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. Item. State in libertate ad quã uos Christus uocauit. In hanc ducũt pseudapostoli, ministri Satanæ. Non debebant illa præstare Corinthij, præstasse uero, ex eo patet, quod Apostolus hic illis exprobrat dicens: Suffertis enim si quis uos in seruitutem adigit. Põtifex Romanus, quo seruitutem hanc à toto Christiano orbe extorqueret, finxit se supremum esse in terris Christi uicarium, & hoc titulo inflatus Persica prorsus superbia, pedem suum regibus & principibus osculandũ prębet, imò ceruicibus regum imponit.

Nota est historia quæ in chronica Germanorũ, lib. 18. de Alexandro tertio legitur. Hic Venetijs Imperatori Friderricho, ad ianuam diui Marci imperauit, ut se humi ꝓsterneret, ac ueniã clara uoce rogaret. Imperator procidit ad pedes Papæ. Papa Cæsaris collum, pede in terram premit, dicens: Scriptum est: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Respondit Fridericchus: Non tibi Alexander, sed beato Petro, cui te dicis succedere, pareo. Ad hæc Pontifex ait: Et mihi & Petro. Idem Alexander cũ Romę omnem sibi potestatem subijcere satageret, cœpit cogitare de abrogandis consulibus, & mox id effecit, ut consules Pontifici iurarẽt, se sedi Põtificiæ fore fideles, & audientes per omnia, nihilq; contra sententiam Pontificis facturos. In seruitutem subactis Imperatoribus & principibus, consulibusq; Romanis, quę potuit libertas manere reliquis? Quis nõ uidet successores pseudapostolorum Romanã ecclesiam occupasse, inq; illa dominatum suum sub nomine Petri confirmasse?

SI quis exedit, inquit.] Vbi pseudapostoli Corinthios in seruitutem adegerunt, mox omnibus illorum & fortunis & honoribus frenũ iniecerunt, uorãtes, rapiẽtes, & per superbiam contumelijs eos afficiẽtes. Cum ergo dicit: Si quis exedit: notat pseudapostolorũ ingluuiẽ insatiabilẽ, qualis & pseudoprophetis, Esa. 56. tribuitur, qui canes impudentissimi saturitatẽ nesciẽtes eo loco uocant̃. Rom. Carnaliũ gulã totus uix orbis exaturare queat, ut taceam numerosum illum porcorum Epicureorũ gregẽ.

SI quis accipit, inquit.] Existimo uerbum accipiẽdi positum hic esse non simpliciter, sed de auiditate accipiendi, qualis esse solet hominum auarorum, ac χρηματοφιλῶν. Tales apostoli omnes eorũ fortunas, quos sibi seruiliter subiectos habent, non minus ad se, quàm ad illos pertinere iudicant, ideoq; impudenter ab illis extorquent quicquid ipsis libuerit, sic tamẽ ut id fictis uerbis, secundum dictum Petri, negociando faciant. Inspice ecclesias Papisticas, & monasteria ociosorum aqualiculorũ, & uide, an non omnia sacra quæstui sint deuota, sic ut nisi detur perpetuo, nihil impetretur.

SI quis, inquit, attollit sese.] Dominio coniunctus est fastus. Existimãt se infinitis modis excellere eos, quibus dominantur. Pseudapostoli efferebant se sub nominibus magnorum apostolorum Petri, Iacobi & Ioannis, & inflabant̃ ex pręrogatiua carnis, quod essent Ebręi, semen Abrahæ, Israëlitæ, circumcisi, &c. ita ut omnes fideles & gẽtibus, præ se superbissime fastidirent. In ecclesijs nostris, quàm elatos fidelium patiẽtia dominos ferat, non modo inflati tituli, sed & pomposa uita mõstrat, quam uix sæculi principes adæquãt. De Antichristo futurum prædixit Apostolus: 2. Thess. 2. ut se extollat supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in tẽplo Dei sedeat ostentans se quasi sit Deus. 1 Ad hãc superbiam prorsus diabolicam pertinet, quod se Põtifex Romanus dominũ facit cœlestis ac terreni imperij. 22. dist. Can. Omnes. 2 Et quod suam sententiam omnium episcoporum sententijs præponit, uide in glossa dist. 4. Can. In istis. 3 Quodq; à nemine se iudicari debere cõtẽdit, etiam si innumera animarum millia secũ trahat in gehennam, dist. 40. Si Papa, 4 Et quod sibi soli omnẽ potestatis plenitudinem uindicat. 2. quæst. 6. Can. Qui se scit. 5 Item quod sit lex animata in terris. Sexti, de officio delegati. Can. Ab arbitris, glos. in uerbo, Iuris. 6 Et quod solus queat absq; concilio deponere Imperatorem, & omnes subditos liberare ab illius fide. gloss. in. Ca. Ad apostolicæ. De sent. & re iudicata, in titulo. 7 Quodq; ius habeat condẽdi leges, ipse uero nullus sit subiectus. 25. quæst. 1. Can. Ideo. 8 Et Nicolaus Papa, dist. 96. Can. Satis euidenter, ad asserendum pontificium fastigium citat Constantinum Imperatorem, qui Põtificem Romanum Deum appellarit. Hæc & multa consimilia alia satis opinor monstrant, quousque pseudapostolorum superbia, in ecclesia Romana ascenderit.

SI quis uos in faciem cędit, inquit.] In faciẽ cædere est præsentem pudore suffundere. Nõ loquitur de uerberibus manuum colaphis, uel alapis. Sed de contumeliosæ uerbere linguæ, quod perinde est, ac si colaphum, uel alapam incutias, unde & nos Germani ubi pudore suffundimur dicimus: *mir was als hett er mir eins ins angsicht geben.*

Illud:

Illud: iuxta contumeliam, uel, iuxta ignominiam loquor, alij referunt ad præcedentẽ particulam, alij ad sequentem. Si referas ad præcedentem expositio illius erit, ac legendum, de ignominia, uel de contumelia loquor, qua uidelicet, uos afficiunt, dũ uos in faciem uocant טמאים . ערלים . כלבים , גוים & , id est, gentes, canes, incircũcisos, & immundos. Quid sancti patres Romæ uocẽt nos Germanos abũde notum est. Si referas ad sequentẽ, sensus erit. Loquor ista ad exprimẽdam ignominiã, qua nos afficiunt, dum nos plane hac in parte infirmos fuisse mõstrãt, propterea quod nec in seruitutem uos adegimus, nec exedimus, nec accepimus, nec elati inter uos, sed humiles fuimus, nec in faciẽ uos cecidimus. Siue ad præcedentem, siue ad sequentem particulam referas, nihil est incommodi.

Illud, perinde quasi nos infirmi fuerimus, in Græco est, ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν, id est, quod nos infirmi fuimus. ὡς ὅτι, nanq; idem est quod ὅτι simpliciter. Reddi ergo potest, ꝑpterea quod nos infirmi fuimus. Et hoc sensu connectendum est, cum præcedenti particula, ad hunc modum. Dico ista ad ignominiam nostri, propterea quod nos magnis illis dominis uestris comparati admodũ fuimus inter uos infirmi.

Obserua uero, quod hæc incommoda non exprobrat pseudapostolis, qui intulerunt, sed Corinthijs, quod illa sint passi, aperitque illorum oculos, ut uideant quantum sit discriminis inter Apostolatum suum, quantumuis in speciem infirmum & humilem, & sublimium illorum dominorum fastum & dominatum, quamq; sint ipsi dementes, qui tam superbos, rapaces, uoraces, ac contumeliosos dominos ferre malint, quàm amare eum, qui ad hoc se humiliarit inter ipsos, ut ipsi exaltarentur, seruire ipsis, quàm imperare, dare quàm accipere, cohonestare ipsos, quàm ignominia afficere maluerit. Verum nos admonemur, quid cõpetat illis, qui humilem Christi ministrum fastidiunt. Seruitus uidelicet, qua subsint magnis dominis, illorumq; sint fastui, uoracitati, rapacitati, & contumeliosæ libidini expositi. Digni nanque sunt, ut Saulem tyrannum ferant, qui Samuelem prophetam contemnunt ac reijciunt, digni sunt inquam, ut pseudapostolorum iugo subdantur, qui uerum Christi ministrum humilitatis gratia respuunt.

Seruiant Satanæ, qui nolunt seruire Christo, uorentur à ministris Satanæ, qui ministros Christi modico pascere grauantur, spolientur, à magistris errorum, qui ueritatis ministros egere sinũt, mancipia sint superborum, qui humilitatem ministrorum Christi fastidiunt, cædantur in faciem omnis generis contumelijs audiantque bestiæ, bardi, laici, &c. qui cohonestari à fidelibus ministris, inque precio haberi nolunt.

Imò, in quocũq; audet aliquis per insipientiã loquor, audeo & ego. Hebræi A sunt? sum & ego. Israelitæ sunt? sum & ego. Semen Abrahæ sunt? sum & ego. ministri Christi sunt? desipiens loquor, excellẽtius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi. Ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, præterea quæ extrinsecus accidunt, incumbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarũ. Quis infirmatur & ego nõ infirmor? Quis offenditur & ego nõ uror? Si gloriari oporteat, de his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

Dixit suprà: Quandoquidẽ multi gloriãtur secundum carnẽ, gloriabor & ego. Iam gloriaturus dicit se quoq; audere in quocunq; quisquã alius audeat. In Græco est, ἐν ᾧ δ᾽ ἄν τις τολμᾷ. i. Sed in quo quis audet, per insipiẽtiã dico, B audeo & ego. Q. d. uidẽtur pseudapostoli esse inter uos magni ac præstãtes, quod in seruitutem uos adigunt, quod exedunt, quod accipiunt, quod attollũt sese, & quod in faciẽ uos cædunt, ita ut illis cõparatus admodũ uidear esse infirmus, qui nihil horũ inter uos fecerim. Sane sunt uiri audentes, dũ hæc faciunt. Verũ si in his situm est argumentũ magnorum Apostolorum, in quo quis illorum audet, quanquã insipienter hoc dico, audeo & ego. Non enim minus sum q̃ ipsi ad audẽdũ instructus. Illud: ꝑ insipientiã loquor, ad hoc inseruit, ut significet se eiusmodi audaciã nõ probare, sed magis insipientiæ damnare, nec se fuisse quicquã tale dictur ũ, nisi præter animi sentẽtiã adactꝰ insipiẽtiæ pseudapostolorũ occurrere statuisset.

HEBRAEI sunt? sum & ego, inq̃t.] Singularis prærogatiua solet homines reddere audentiores & elatiores. Pseudapost. autẽ habebant carnis suæ nobilitatem, quod essent Ebræi, Israëlitæ, & semen Abrahæ, pro singulari prærogatiua, & huius nomine admodum inflati, sic audebant inter Gentes, ut quosuis fideles in seruitutem adigerent, & contumeliosius tractarent. Eam illis audaciam & gloriam deprecaturus dicit: An ob id tantopere insolescunt, quod sunt Ebræi? At Ebræꝰ sum & ego. Quod sunt Israëlitæ? Israëlita sum & ego. Quod sunt semen Abrahæ? Et ego sum semen Abrahæ. Nihil ergo hoc nomine habent, quo me excellant, neq; inferior illis sum, quo minus & ipse gloriari

gloriari possim in carne, si in carne gloriãdum & audẽdum esset Apostolo Christi. Consimili modo occurrit illis, & Philip.3. dicens: Cauete canes, cauete malos operarios, cauete cõcisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deum colimus, & gloriamur in Christo Iesu, ac non confidimus in carne, quamuis & ego in carne quoq; confidere possim. Si quisquam alius uidetur confidere in carne, ego magis, circũcisus octauo die, Israël ex genere, tribus Bẽiamin, Ebræus ex Ebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta studium persequens ecclesiã, iuxta iusticiam quæ est ex lege, factus irrepræhensibilis, &c.

HEBRAEI sunt, inquit, sum & ego.] De Heber, unde dicti sunt Ebræi, uide in Commẽtaris nostris sup Genesim, cap.10. Israëlitæ sunt? sum & ego.] A Iacobo nepote Abrahæ, qui ab angelo Israëlis nomen accepit, uocati sunt Israëlitæ, qui ab illo prodierunt.

SEMEN Abrahæ sunt? sum & ego.] Quasi non sufficeret ad carnis gloriam, Ebræum dici & Israëlitam, propter eximiam Abrahæ prærogatiuam, & benedictionẽ seminis illi promissam, gloriabantur esse se semẽ Abrahæ. Semen Abrahæ Christus est, in quo benedicũtur omnes gentes. Ad semen Abrahæ pertinent, nõ omnes qui ex carne illius, sed qui ex Isaaco electionis filio, per Iacob descenderunt. Ideo impẽsius se Israëlitas, & sic Abrahę semen esse iactabãt, unde prodijt Christus. Speciosa erat illorum gloriatio, propter carnem Christi, uerum in cognatione carnis Christi innumeri erant alieni à spiritu Christi. Et Christus ipse cognationẽ carnis suę nõ agnoscere se, Matth.12. satis diserte testatur dicẽs: Quę est mater mea? Et qui sunt fratres mei? Qui facit uoluntatem patris mei, mater mihi est, frater & soror.

Peculiare hoc est Iudæis omnibus, ut se glorientur esse filios Abrahæ, inq; ea carnis prærogatiua, qua de & Ismaëlitæ, & Idumæi, perinde atque ipsi gloriari possunt, admodum elati, reliquas nationes omnes contemnunt, & nimis securi impie ac pessime uiuunt. Eam gloriationem repræhendit in illis, & Ioannes Baptista. Matth.3. & Christus, Ioan.8. Apostolus hic cum negare posset esse eos uerum Abrahæ semen, & ueros Israëlitas, per cõcessionem tamẽ sic gloriam hanc extenuat, ut nihil illis relinquat, in quo se excellãt. Sic obijcit illud, & ego, non ut in carne, perinde atque ipsi glorietur, sed ut typhum eorum, & insolẽtiam nihil habere rationis admoneat, quod aduersum se iactare possint.

MINISTRI Christi sunt? desipiens loquor excellentius sum ego.] Quia non solũ de carnali prærogatiua, sed & de ministerio Christi gloriabantur, iactantes se ministros esse Christi, quo sub illius quoq; nomine dominarẽtur in ecclesijs, quemadmodum & Romanũ Pontificẽ facere uidemus, qui ut sub nomine Christi, dominium exerceat in fideles, uicarium se Christi constitutum esse contendit, etiam hãc illis iactantiam infringit Apostolus dicẽs: Ministri Christi sunt? desipiens loquor, plus ego. Non dicit eos esse ministros Christi, quemadmodũ nec Israëlitas, & semẽ Abrahæ, sed p interrogationis figuram: Ministri Christi sunt? inquit. Quasi dicat: Quemadmodum gloriantur. Esto sint ministri Christi. Ideo ne cõtra me insurgunt, & uobis dominãtur, quasi minister Christi nõ sim & ego? Cũ sim excellentius minister Christi, quàm ipsi, mihiq;, si hinc gloriari liceret, gloriãdum magis sit, quàm ipsis? Poterat negare ministros eos esse Christi. Verũ ne cõtentiosius agere uideretur, cõcessit quidem eos esse Christi ministros, uerum simul excellentiam sibi ministerij huius uindicauit, quo causam illis insolescendi adimeret.

IN laboribus copiosius, inquit.] Quod dixit, excellentius se ministrũ esse Christi, ne temere dixisse uideatur, probat illud per argumentum euidens, ac manifestũ, per omnis uidelicet generis, labores & pericula, quæ propter Christum, multa ac grauia ferebat, quorũ nõnulla recenset, utpote, labores, uerbera, carceres, mortes, lapidationes, naufragia, & uaria pericula. Dicet quisquã: Ergo ne quo quis pluribus molestijs ac periculis inuoluitur, hoc est excellẽtius Christi minister? Si pericula Christi ministrum arguunt, pro ministris Christi habendi erunt, quàm plurimi hæretici, qui & ipsi haud modicis sese periculis, propter sua dogmata obnoxios reddiderunt.

Respondeo. Vt martyrem Christi facit, non passio, sed causa passionis, ita & Christi ministrũ, non simpliciter pericula, sed pericula propter Euangelium Christi fideliter, ac iusto zelo prædicatum illata arguunt, & commendãt. Excellentiam non dignitatis, ac pręlaturæ, sed ministerij, uindicat sibi Apostolus, illiusq; argumẽtum proponit in multitudine laborum, ac periculorũ. Est enim hęc sors Euãgelij serio & fideliter prædicati in hoc mundo, ut obnoxium reddat Christi ministrum, omnis generis laboribus, afflictionib9 & periculis, ut quo quis maiore zelo Christũ ubiq; prædicat, hoc pluribus & grauiorib9 periculis iuuoluatur, & hoc argumento excellẽs in ministerio Christi comprobetur. Tribuit & Pontifex Romanus sibijpse illud ὑπὲρ ἐγώ, id est, excellẽtius ego, cæteris uidelicet omnibus, uerũ quod sequitur, in laboribus copiosius, &c. tribuere sibi nõ potest. Ociosus, delicatus, ac propudiosissimus, uindicat sibi priuatũ in ecclesijs omnibus, ex prærogatiua Petri, ex Principum Romanorũ constitutionibus, ex primis sessionibus in cõcilijs, & cõsimilibus alijs nugis, quia nõ quærit ministerij, sed dignitatis & honorum supereminentiam.

IN laboribus copiosius, inquit.] In Græco est ἐν κόποις, quod idem est atq; in molestijs. Potest tamen intelligi, tam de laboribus prædicandi, in quibus multum molestiarum pertulit, q̃ de afflictionibus. De laboribus Euãgelizandi exposuimus, suprà cap.6. ubi dicit: in laboribus,

boribus,in uigilijs,in ieiunijs, &c. queádmodum & cap.10. ubi non in immensum gloriantes super alienis laboribus. De molestijs loquitur cum Gal.6.dicit, τοῦ λοιποῦ κόπους μοὶ μηδεὶς παρεχέτω.i. De cętero labores mihi nemo facessat.

IN uerberibus supra modũ,inquit.] Quod hic in genere dicit, dicturus est paulo post per speciem.

IN carceribus abundátius.] Meminit uerberum & carcerum suprà quoq; cap.6. Obserua hic insignem metamorphosim. Qui priusq̃ conuerteretur ad Christum, uiros ac mulieres in Christum credentes carceribus incluserat, post conuersionem & ipse carceribus propter Christũ includitur, perferẽs afflictiones quas alijs intulerat. Nemo igitur de persequutoribus Euangelij Christi desperet,sed pro conuersione potius illorũ ad dominum oret omnes.

Act.22.26.

IN mortibus frequẽter,inquit.] Suprà cap. 4.dixit: Sẽper enim nos qui uiuimus,in mortẽ tradimur propter Iesum. Quoniam discrimina quibus uita ipsius frequenter obijciebatur non eiusdem erant sed uarij generis,non dixit in singulari, in morte, sed pluraliter,in mortibus. Vide autẽ quomodo paucis uerbis quasi ordinem earum est afflictionum complexus, quas propter Christũ patiebatur. Prima erat molestia laborum,deinde plagæ quas inferebant ipsi hostes Christi, tertio carceres quibus tanquã occidendus includebatur,& post carceres expectatio mortis. Et tamẽ ex his omnibus semper ereptus est à domino, donec tẽpus adesset,quo dñm sanguine suo sanctificaret.

A Iudæis, inquit, quinquies quadragenas plagas una minus accepi.] Species eorũ subijcit,quę paucis in genere dixit: Orditur autem à uerberibus,quibus cæsus fuit à Iudæis hostibus infensissimis. Non est autem præter rationem quod Iudæorum mox initio ac nominatim meminit. Per obliquum nanq; Iudaicam pseudapostolorum iactantiam ac gloriam perstrinxit, dũ narrat quid ab ea sit gente perpessus. Quod uero quadragenarium plagarũ numerum attinet, legimus Deut.25.ad hunc modum. Sin autem eum qui peccauit dignum uiderint plagis,prosternent eum, & corã se uerberari facient. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, sic tamen ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus in oculis tuis obeat frater tuus. Itaq; cum Apostolum Christi uerberarent Iudæi authoritatẽ legis huius prætexebant, quasi secundum illã dignus esset plagis. Atqui nihil admittebat, quo lex ista in ipsum quadraret, quæ plagas decernit לרשע,id est,impio idq; secundũ modum impietatis ipsius. Deinde non decernit numerum quadragenarium hac conditione, ut minus quadraginta inferre non liceat, sed ne plures inferant. Erat enim non ignota Deo populi huius immisericordia & nimia ad sanguinis effusionem propensio. Illi uero, quamuis nullam iustam uerberãdi illum causam haberent,uerberarunt tamen eum pleno.40.plagarum numero,una tantũ dempta, quod plures inferre partim lege partim maiorum constitutione prohiberentur, qua in re satis declarabãt,quousq; uerberando progressuri essent, nisi cancellis numeri huius cohiberentur. Scio quid adferat hic Burgensis,uerum illius sentẽtia cum dicta lege non concordat.

Vbi autem & quibus circumstantijs plagas istas quinquies illatas perpessus sit,nusquam, quod ego sciam,certo traditur. Et tamen non est ut de illis dubitemus, quandoquidem accepisse se,id est,perpessum esse illas tam diserte testatur.

TER uirgis cæsus fui,inquit.] Semel tantũ uirgis cæsum illum fuisse legimus, Actorũ 16. Secundo ac tertio factum hoc esse, non cõstat nisi ex hisce ipsius uerbis. Poterit autẽ quæri, quales fuerint quadragenarię illę plagæ quas à Iudæis se quinquies accepisse dixit, an nõ & ipsæ uirgis fuerint illatæ. Si uirgis, quorsum hic seorsim ter se uirgis cæsum fuisse dicat. Verum si recte distinguantur hæ plagæ, hactenus aliæ fuerũt atq; aliæ,quod illas à Iudæis, istas à Gentibus inflictas pertulit, quam distinctionem ponit & Ambrosius.

Obseruet hic lector, quæ fuerit moderatio apud Iudęos & Gẽtes,in castigandis illis quos ipsi pro hæreticis habebant. A Iudæis Apostolus quinquies quadragenas plagas una minus accepit,& ab ethnicis ter uirgis cęsus fuit & post uerbera dimissus. Sic dimissum fuisse, ut recantaret,nec legimus,nec factum esse ullo modo credimus. Dimissus ergo fuit absque recantatione. Si hodie in uiuis existens in manus Papistarũ incideret, nisi reuocaret ea quæ docuit, ne uirgis quidem cæsus dimitteretur, sed prorsus neci daretur.

SEMEL fui lapidatus,inquit.] Factum hoc fuerat Lystris,quo de Act.14. legimus ad hũc modum. Superuenerunt autẽ quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis,ac Paulum lapidassent,extraxerũt eum è ciuitate,mortuum esse existimantes. Circundantibus autem eum discipulis,surrexit & intrauit ciuitatem, ac postero die profectus est cum Barnaba Derbẽ. Videmus hic quoq; moderatiores fuisse in lapidatione Pauli tam Iudæos quàm Gentes,in eo quod non sæuierũt in mortuum, sicuti putabant, sed ubi mortuũ esse existimabant, reliquerunt eum ac discesserũt. At hodie tãta est in pseudochristianis crudelitas, ut nõ sint occidisse cõtenti, nisi crudelissimis cruciatibus quos è medio sublatos uolũt sic occidãt, ut decies occisi uideri possint.

TER naufragium feci,inquit.] Semel naufragium perpessum legimus Actorum 27.quã historiã lector ipse suo loco inspiciat. Vbi præterea naufragium fecerit non legimus.

NOCTEM ac diẽ in profundo egi,inquit.] Ambrosius sic exponit. Hoc factum est quando missus est Romam, cum appellasset Cæsarem,tunc desperatione uitæ in alto,hoc est,in profundo maris fuit,mortem ante oculos habens.

bens. Sic enim scriptum est in ipso loco: ita ut desperaremus nos etiã uiuere. Lyranus illud, nocte ac die, idem esse iudicat, quod, per magnũ tẽpus, quasi dicat se Paulus crebro hinc inde per mare nauigasse. Citat pręterea aliorũ sententiam, qui putant Paulum sub aquis in ipso fundo maris noctem ac diem stetisse, diuinaq; fuisse uirtute seruatum ac restitutũ. Chrysostomus sic sentit, οἱ μὲν ἐν μέσῳ πελάγει φασὶν, οἱ δὲ ὡς νηχόμενος, ὅπερ καὶ ἀληθέστερον· ἐκεῖνο γὰρ οὔτε θαυματὸς ἄξιον, ἀλλ' αὖ ὡς τῶν ναυαγίων μεῖζον τίθεται. Putat ergo Paulum noctem ac diem natasse in mari. Erasmus, quoniam in Græco non est, in profundo maris sed simpliciter ἐν τῷ βυθῷ, id est, in profundo, putat ęque de carceris atque maris posse profundo exponi. In re quæ alijs atque alijs modis fieri potuit, non inuenio quid certo affirmari posit, nec libet affirmare ubi cõiecturis tantũ relictus est locus. Sequatur lector quod uero putauerit esse propius.

IN itineribus sæpe, inquit.] Positũ est hoc absolute, pro crebris profectionibus, quibus in omnes regiones inde à Hierusalem ad Illyricum usq; excurrerat. Quantæ autem sit molestiæ ut pericula taceam, per alienas prouincias & regiones peregrinum homine crebro proficisci, norunt qui uel modice sunt experti, pręsertim si id fiat in causa odiosa, qualis est in hoc sæculo causa Euangelij Christi.

IN periculis fluminum, inquit.] De periculis in mari, mentionem seorsim faciet. Recitat pericula quæ non modica sed multa crebro itineranti euenerunt. Exundantia flumina uix sine discrimine traijciuntur. In eiusmodi pericula sæpe incidit.

PERICVLIS latronum.] Latrocinia exercentur potisimũ in peregrinos & inermes. Quare probabile est Paulum quoq; nõ semel in illa incidisse.

PERICVLIS ex genere, inquit.] Id est, ex Iudæis, ex quorum gente erat natus. De illorũ insidijs & infestationibus quibus ubiq; Paulum opprimere moliebantur in Actis legitur.

PERICVLIS ex Gentibus.] Quibus uidelicet prædicabat, & quorum falsos cultus reprobabat. Et de illis in Actis. Iudęi illũ persequebantur, uelut apostatam à lege ac populo Dei. Gentes uero tanquam deorum aduersarium & hostem. Sic omnium ubiq; tam Iudæorũ q̃ Gẽtiũ erat odijs & insidijs exposit⁹.

PERICVLIS in ciuitate, inquit.] Ambrosius de ciuitate Damascenorum exponit, cuius infra mentionem faciet. Chrisostomus rectius ἐν πόλεσιν, inquit. Neq; enim Damasci tantum sed & in multis alijs ciuitatibus periclitatus fuit. Intelligit autem, opinor, præcipue de seditionibus, quas per ciuitates impij tam ex Iudæis q̃ ex Gẽtib⁹ aduersus ipsum excitarũt.

PERICVLIS in deserto, inquit.] Deserti pericula sunt post latrocinia, errores, fames, sitis, arenę exagitatio quæ fit in tempestatibus, qua sæpenumero uiatores magnis arenæ cumulis adobruuntur & obteguntur, & bestiarum incursus, quibus solitudines sunt refertæ.

PERICVLIS in mari, inquit.] Præter naufragia & tempestatum uiolentiam, qua naues in loca remota plerumque abijciuntur multũ periculi nauigantibus in mari à piratis est, & piscibus quoq; marinis, & Charybdi, & Scylla, & Syrti, & scopulis.

PERICVLIS inter falsos fratres, inquit.] Hæc tanto sunt periculosiora, quanto minus propter familiaritatem fraternam caueri possunt. Loquitur autem de illis potissimum, qui ex circumcisione erant, & propter Mosaicæ legis æmulationem odio ipsum prosequebantur, quamuis & ipsi pro Christianis haberi uellent. Quid hodie pijs hominibus à falsis fratribus accidat, plus nimio manifestum esse uidemus. De falsis fratribus uide Gal. 2.

IN labore, inquit, & molestia, in uigilijs sępe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate.] De laboribus dictum est supra. Labores illos irremissos quos propter Euangelium obibat, comitabantur in sæculo hoc ingrato & impio, molestiæ uigiliarum, famis, sitis, ieiuniorum, frigoris ac nuditatis, quarum singulę sufficiunt ad molestandum hominem quantumuis laborum patientem. De uigilijs & ieiunijs supra quoq; mentionem fecit cap. 6. De fame, siti ac nuditate, cui coniunctum est frigus, uide 1. Cor. 4.

PRAETER ea quæ extrinsecus accidunt, inquit.] Græcè est, χωρὶς τῶν παρεκτὸς. Quoniam ἐκτὸς aliquando extra, aliquando præter significat, fit ut particula hæc aliter atque aliter accipiatur. Alij nanq; legunt, pręter ea quæ extrinsecus accidunt, sicuti uertit Erasmus, alij, præter ea quæ prætereo, quemadmodum exponit Chrysostomus dicẽs, πλέονα τὰ παραλειφθέντα τῶν ἀπαριθμηθέντων. Vulgatus interpres tertiã lectionem posuit. Vertit enim præter illa quæ intrinsecus sunt. Si legas, præter ea quę extrinsecus accidunt, quærendum uidetur, an non pleraq; quæ hactenus recensuit extrinsecus ipsi acciderint. Item quomodo cura & solicitudo ecclesiarum extrinsecus illi acciderit. Ad uitandam hanc quæstionem, existimo legendũ esse in Græco, χωρὶς τῶν παρεκτὸς τούτων, id est, præter ea quæ sunt extra ista. Nisi dicturi sumus quæ sequũtur non pertinuisse ad munus Apostoli, ut extrinsecus dictum sit respectu eorum quę ad curam ipsius pertinebant. Vulgatus interpres respexit ad naturam curarum, quæ ut externæ molestię corpus, ita ipsæ cor affligunt, atque ita quæ hactenus recensuit pro externis, quæ uero subijcit pro internis reputauit. Hoc sensu illud τῶν παρεκτὸς ad præcedentia referendũ esset. Quasi dicat. Præter dicta iam exteriora, sunt & interiora quæ me affligunt, utpote incumbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum, &c.

INCVMBENS, inquit, mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum.] Græcè sic legitur, ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. ἐπισύστασις incursum, instantiam & conspirationem

tionem significat. Vulgata lectio habet, instantia mea. Erasmus uertit, incumbens mihi. Et utriq; interpretes illud, καθ' ἡμέραν, id est, quotidiana, coniunxerunt cum sequenti particula, cura omnium ecclesiarum, cum tamen illa distincte sit à præcedenti posita. Malim ego sic legere: Incursus meus qui quotidianus est, cura illa omnium ecclesiarũ. Germanicus interpres melius reddidit ad hunc modum. On was sich sonst zutregt (sic uertit illud χωρὶς τῶν παρεκτὸς) Das ich teglich wyrdt angelauffen, vnd trag sorg fur alle gmeinen. Sic pulchre illud ἡ ἐπισύστασίς μου, id est, incursus ille meus, ne actiue sed passiue accipiatur, uerbaliter trãstulit. Das ich teglich wyrdt angelauffen. Loquitur autem non de hostili sed de negociorum incursu ac multitudine, quibus singulis diebus uel aduentu fratrum, uel salutationibus aut consultationibus præsentium fidelium, uel literis absentiũ molestabatur, quorum indesinens multitudo & cumulus urgẽs recte ἐπισύστασις uocatur. Quis autem adeo stupidus est, ut non intelligat, ꝙ magnam quamque molestã fuisse necesse sit negociorũ multitudinem, quorum illi moles quotidie incumbebat. Cum interea pseudapostoli ociose deliciarentur? Vidi specimen huius quoddam, in uiris illis qui primi in opus reformandarum ecclesiarum incubuerunt, uerum quid illi censeri poterunt Paulo collati? Sane admodum negociosus ac frequens est incursus Romanorum Pontificum, uerum iuxta non molestus, quia lucrosus, ac talis qui & ocio, & luxui, & opibus, & regno ipsorum plurimum adferat fomenti. In curia Romana ἐπισύστασις quotidiana est non eorum qui Apostolũ Christi uel Petrum uel Paulum, sed qui Simonem negociatorem ac uenditorem Christi quærunt.

Illud cura omnium ecclesiarũ, appositorie adiectũ esse uidetur, ut exponatur, de qua ἐπισυστάσει loquatur. Ea uidelicet, quæ ad curam ecclesiarum omnium pertinebat. Nullam negligere poterat. Habebat omnes in precio. Et quia recens adhuc erat illarũ plantatio, adeoq; multa eueniebant uel ad instructionem imperitorum, uel ad confirmationem infirmorum, uel ad consolationem afflictorum, uel ad correctionẽ delinquẽtium pertinentia, curã hanc quã in pectore gerebat, excutere non poterat.

Vindicat sibi & Romanus Pontifex omniũ ecclesiarum curam, non ut illis cõsulat, sed ut regnum suum amplificet, & omnium loculis laqueos inijciat. Gerebat Paulus omniũ ecclesiarum curam, quas ipse uidelicet plantauerat & in Christo genuerat, perinde atq; pater curam liberorum suorũ gerit, & curam gerebat, qua saluti ipsarum consuleret, non qua eas domino suo subijceret. At Romanus ille Simon uindicat sibi curam ecclesiarum, quarum nullam nec plantauit, nec rigauit, nec uerbo ueritatis pauit, & talem uindicat, quæ non ad salutem animarum sed magis ad perditionem faciat. Quæ uero sit natura, quæ solicitudo, & quæ sedulitas curæ, non est ut hic memore-

A mus, cum id experiantur in seipsis, quotquot aliorum ueram ac fidelem curam gerunt.

QVIS infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror?] Ad curam ecclesiarum pertinet non modo ecclesias in genere sed & singula illarum membra curare. Erant autem in recentibus adhuc ecclesijs multi infirmi fratres, quorum imbecillis erat ac tenera fides. Erant item multę offendiculorum occasiones, quibus innumeri à sana doctrina & fide absterrebãtur. Hæc omnia pectus Apostoli cruciabant. Non abijciebat infirmos in fide, sicuti facit falsus pastor. Non dãnabat eos qui offendebantur, sed illis compatiebatur, de istorum offensione admodum dolebat. Videmus hodie innumeros haud parũ infirmari fide, quamplurimos etiam sic offendi, ut à recepta doctrina & fide prorsus resiliant, societatem fidelium deserant, & ad pristinas abominationes perinde atque canis ad uomitum relabantur. Verum quotusquisque reperitur ex pastoribus, qui cum infirmis infirmetur, & propter eos qui offensi resiliũt urat?

Obserua uero, quod non simpliciter dicit: Cum infirmis infirmor, & propter eos qui offenduntur uror, sed: Quis infirmat̃, & ego non infirmor? Quis offenditur & ego non uror? Significat se omnes Christianos ex æquo amanter complecti, nec discernere inter diuitem & pauperem, inter nobilem & ignobilem, inter doctum & idiotam, sed de omnium pariter esse salute solicitũ. Quasi dicat. Quis nam adeo

B est despicabilis, cuius infirmitati non compatiar, & de cuius relapsu non excrucier? Qui nõ ad hunc modum sunt animati, quemadmodũ potiorum tantum, nobilium, diuitum, doctorum, &c. rationem habent, illorumque offensas cauere student, ita nullam gerunt curam ignobilium, pauperum, & idiotarum, deq; horum salute parum sunt soliciti, quia nec Christũ nec oues Christi fideliter, sed seipsos perfide quærunt.

SI gloriari oporteat, de his quæ infirmitatis meę sunt gloriabor, inquit.] Iterum significat se non ex animo in materiam hanc sed necessitate adactũ descendisse cum dicit: Si gloriari oportet. Per se non erat necesse gloriari, uerum quoniam pseudapostoli perinde gloriabantur in ecclesia Corinthiorum, ac si studium gloriandi insignioris haberet Apostolatus argumentum, necessario & ipse gloriari cogebatur, quo glorias illorum extingueret. Hoc significans dicit: Si gloriari oportet.

DE his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.] Absurdũ est gloriari de infirmitatibus. Gloriandi siquidem materia in ijs potius est quę decori sunt & ornamẽto, quàm in ijs quę contemptum generant ac despectum. Quare gloriandum magis fuisse uidetur in fortitudine ac potẽtia, ꝙ in infirmitate. Est enim omnis infirmitas despicabilis, gloriosa nulla. Quid igitur est quod se gloriaturum dicit: in infirmitatibus suis? Respõdeo. Gloriabantur pseuda-

postoli de singulari scientia, de splendore sermonis, de prærogatiua carnis, quod essent Ebræi, Israëlitæ ac semen Abrahæ. Vt horũ glorias oblique perstringat, negat se de talibus gloriaturum, non quod ueraciter de illis gloriari non posset, sed quod eiusmodi gloriatio nihil faceret ad ueri Apostolatus commendationem, faceret autem potius, si quis ob fidelē ac sedulam Euangelij prædicationem multis sit laboribus, afflictionibus, periculis ac curis obnoxius, & interim tamen ope diuina adiutus strenue in opere Euangelij pergat. Gloriã potentiæ, qua in omnibus periculis & laboribus tandiu perdurabat, non sibi sed Deo reseruans, sibijpsi tribuit nihil, q̃ & carnis & spiritus infirmitatem. Carnis, quam experiebatur in externis laboribus & periculis: spiritus, quã sentiebat in cura & solicitudine ecclesiarum.

Hoc genus gloriationis autem, gloriam nõ ipsius sed Dei commẽdabat. Etenim quo magis infirmũ se esse gloriabatur, hoc magis uirtutem operantis in se Dei extollebat, iuxta illud suprà cap. 4. Habemus autē thesaurũ hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non arctamur, laboramus, at non destituimur, &c. Omnium itaque conueuientissime postquam laborum periculorumque suorum catalogum recensuit, ne de tot ac tantorũ discriminum ac molestiarum tolerantia gloriari ac tantam fortitudinem, qua in hisce omnibus infractus perstiterit, sibijpsi tribuere uideatur, subijcit dicens. Si gloriari oportet, de his quę infirmitatis meę sunt, gloriabor. Quasi dicat. Non de fortitudine, non de uictoria, non de constantia, non de tot laborum meorum fructu, sed de infirmitate mea gloriabor, quo horum omnium uirtus soli Deo cedat. Sane pati aduersa, laborare, afflictari, molestari, esurire, sitire, iactari, curis angi, & quæ huiusmodi sunt alia, quę propter Euangelium Christi in Apostolatu suo patiebatur, non sunt fortitudinis sed infirmitatis. Fortitudinis potius est, nullum hisce permittere locum, siue ea sit naturalis, siue singulari dono Dei concessa.

Obseruemus igitur hoc loco quid discriminis sit inter gloriationis pseudapostolorũ & ueri apostoli. Gloriantur illi de ijs quæ splendida sunt & plausibilia, Apostolus uero de infirmitatibus suis gloriatur. Quare tam diuersi mode gloriantur? Quia gloriam illi non Dei sed suam, iste uero gloriam non suam sed Dei gloriando quærit.

Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, nouit q̃d non mentiar. In Damasci ciuitate gentis præfectus nomine Aretę regis excubias posuerat in Damascenorũ urbe, cupiēs me compræhendere, ac per fenestram in sporta demissus fui per mœnia, effugiq; manus eius.

Quoniam de infirmitatibus suis gloriari constituit, inducit historiam, in qua quàm fuerit infirmus monstratur. Et quoniam illa mox initio Apostolatus ipsius facta fuerat, cum neminem secum haberet eorum, quos postea & comites & testes accepit eorum quæ ipsi euenerunt, inducit eam non simpliciter sed cum iuramento & contestatione conscientiæ Dei dicens: Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sęcula, nouit quod nõ mentiar. Propter Apostolicam authoritatem satis erat coram fidelibus fide dignus, ut non esset necesse usurpare contestationem Dei, uerum quoniam uersabatur in materia contentiosa, & dimicabat cum pseudapostolis, quos habebat infensissimos ac uersutissimos hostes, propter illorũ sectatores iureiurãdo cõfirmat ea quę dicit ab omni esse mẽdacio aliena.

DEVS, inquit, & pater domini nostri Iesu Christi.] Poterat simpliciter dicere: Deus nouit quod nõ mētiar, quemadmodũ capite sequenti dicturus est aliquoties: Deus nouit, uerum haud præter rationem est quod elogijs illis ornat Deum, uocans eum patrem domini nostri Iesu Christi, & benedictum in sæcula. Vsus est illis initio quoq; præsentis epistolæ ad propositum in quo tum uersabatur perinde atque hic. Quare non est ut iterum de illis annotemus, nisi quod illud: qui est benedict⁹ in sæcula, sic positum est, ut referri posit tam ad Christum Iesum dominum nostrũ, quàm ad Deum patrem. Ad Christum refert palam in Rom. cap. nono ubi sic dicit: ex quibus est Christus secundum carnem, qui est in omnibus Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN Damasci ciuitate, inquit, gentis præfectus nomine Aretæ regis, &c.] Historiã hanc Lucas Actorum nono narrat ad hũc modum. Saulus autē multo magis inualescebat & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quod is esset Christus. Expletis autem diebus compluribus inierunt inter se Iudæi consilium, ut illum occiderent. Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum. Asseruabantque portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum demiserunt submittentes in sporta.

Act. 9.

Videntur ista hactenus discrepare à uerbis Pauli quod is insidias contra se factas, & urbis custodiam, refert ad præfectum Aretæ regis, Lucas uero ad Iudæos qui habitabant Damasci, sic ut nullam præfecti huius mentionē faciat. Verum nulla hic est discrepantia. Lucas reijcit totam hanc causam in Iudæos, quod illi consilium occidēdi Paulum cœpissent, eiusque maliciæ primi authores fuissent. Paulus uero deputat eam præfecto regis, quod is ad instantiam Iudęorum urbem clausisset, & custodias sua potestate portis adhibuisset, quo ipse compræhenderetur & occideretur.

Sed oritur hic quæstio, quid nam sit in hac historia, uel sic incredibile, uel ita ad gloriationem Pauli faciens, ut dignum duci debuerit,

cuius graria Deum citaret testem. Facile credi potuit, præfectū Aretæ regis excubias posuisse in ciuitate Damascenorum ut ad instātiam Iudæorum ipsum caperet & occideret. Deinde nec illud difficile erat creditu, quod per fenestram demissus à discipulis, manus eius effugerit. Hæc duo manifesta erant in ipsa historia, quare non erat ratio, ut diuinæ consciētiæ contestatione confirmarentur. Ad hanc quæstionem respondemus, duo esse in hac historia præcipua quorum fidem operæprecium erat iureiurando confirmari. Vnum, quod salua ueritate quam prædicabat ex tricis illis euaserit. Huc facit euasionis modus. Etenim si recantasset, opus nō fuisset per fenestram urbicorū mœniorum demissum effugere. Alterū, quod nulla sua uirtute, sed magis ut infirmus consilio & prouidētia Dei adiutus euaserit. Etenim ad hunc modum effugere infirmitatis est non fortitudinis. Et tamen in ciuitate clausa, & excubijs diligenter ab ipso præfecto regio positis non posse capi, sed præter opinionem euadere argumentum habet auxilij diuini. Citat itaq; historiam hanc tanto serio, ut in illa & infirmitatem suam & præsentem opem Dei cōsiderandam proponat, quam utranque in reliquis quoque periculis ipsius concurrisse uidere licet. Ad id, uero, fuerit ne decorum Apostolo Christi, hoc pacto periculum effugere, respōderūt ant me alij. De rege Areta, quis fuerit, uidēdus est Iosephus lib. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. nono & undecimo.

ARGVMENTVM capitis.

PRosequitur gloriationes suas, & post mentionē uisionum ac reuelationum gloriatur denuo de infirmitatibus suis. Deinde causam gloriationis suæ reijcit in Corinthios. Tertio innocentiā suā, & eorū quos ad ipsos miserat asserit. Quarto significat illis quid metuat, si ad ipsos reuertatur.

CAPVT XII.



GLORIARI sane non expedit mihi. Veniā enim ad uisiones ac reuelationes domini. Noui hominē in Christo ante annos quatuordecim, an in corpore, nescio, an extra corpus, nescio, Deus nouit, raptum huiusmodi in tertium usq; cœlum: & scio huiusmodi hominem, an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus nouit, raptam fuisse in paradisum, & audisse arcana uerba, quæ fas non sit homini loqui. Super huiusmodi homine gloriabor, de meipso uero nō gloriabor, nisi super infirmitatibus meis.

A GLORIARI sane nō expedit mihi, inquit.] Vulgata lectio habet: Si gloriari oportet, non expedit quidem. At Græca exemplaria, quæ in manibus habentur, non habent, εἰ καυχᾶσθαι δεῖ οὐ συμφέρει μοι, sed, καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. i. Gloriari sane non expedit mihi. Sic legit & Chrisostomus. Quoniam cōmemoraturus iam erat nō ad infirmitatem suam, sed ad singularē & eximiam dignationem Dei pertinētia, ne studio de illis gloriari uideretur, præmisit hæc uerba quibus testaretur, agnoscere se, quàm non sit utile sibi, de uisionibus ac reuelationibus gloriari. Gloriari sane non expedit, mihi, inquit. Et ut significaret, de quo gloriationis genere loqueretur, ueniam enim, inquit, ad uisiones ac reuelationes domini. Quibus uerbis separat hoc genus gloriationis ab eo quo de infirmitatibus suis fuerat gloriatus, de quibus non dixerat, quod sibi de illis gloriari non expediret. Quare autem de uisionibus ac reuelationibus gloriari non expedierit ipsi, infra uidebitur. Dices. Vt quid ergo gloriatur, si non expedit gloriari?

Respondeo. Non simpliciter dicit: gloriari non expedit, sed, gloriari non expedit mihi. Si simpliciter non expediuisset gloriari, nequaq ad hoc gloriationis genus descendisset. Quod sibi quidē non expedire sciebat, fecit propter alios, quibus profuturum sperabat.

VENIAM enim, inquit, ad uisiones ac reuelationes domini.] Quid discriminis sit inter uisiones & reuelationes admonuerunt alij. B Visionum tria genera asignātur ab Augustino, corporale uidelicet, spirituale & intellectuale uide de Genesi ad literā cap. 11. Vbi uir ille prolixam & intricatam de uisionibus ac præsenti loco disputationem habet. Visiones esse possunt tam spirituales quàm corporales in quibus nulla sit reuelatio, nisi separatim contingat. Corporalis uisio erat, qua Balthasar articulos manus in pariete scribentis uidit Dan. 5. & tamen quod uidebat non intelligebat, quia uisio erat sine reuelatione, quā postea per Danielem est consequutus. Spirituales uisiones erāt quas uiderūt Eunuchi Pharaonis in custodia cōstituti Gen. 40. & quas uidit Pharao cap. 41. in quibus nulla erat reuelatio, donec ea daretur per Iosephū. Spiritualis uisio erat cū adiuncta reuelatione, quam Daniel uidit cap. 7. Et reuelationes sæpenumero contingunt absq; uisionibus, per internum spiritussancti instinctum. Iam de quarum uisionum ac reuelationum generibus hic loquatur Apostolus, cum dicit: Veniam enim ad uisiones ac reuelationes domini, patet in sequentibus.

Visio { corp. / spūalis / intellect.

NOVI hominem in Christo, inquit.] Hominem in Christo idem esse sentio quod hominem Christi, Christianū, ad Christum pertinentē. Chrysostomus nec legit, in Christo, nec exponit. Si uero particulam hanc, in Christo, non ad præcedentia, noui hominem, sed ad sequentia referas, legasq; ad hunc modum Noui hominē ante annos quatuordecim in Christo ra-

sto raptum in tertium usque cœlum, idem erit quod in causa & uirtute Christi. Vtrunq; uerū est. Et Christianus erat homo iste & in causa pariter & uirtute Christi in tertium usque cœlum raptus fuit. Probabile est plane, uisiones hasce ac reuelationes pertinuisse ad singularem Christi cognitionem, qua singularis Apostolus Christi erat imbuendus.

ANTE annos quatuordecim.] Libenter illis assentior qui uisiones istas Apostolo circa Apostolatus ipsius principium uel non multo pòst contigisse censent, ut per illas ad futuros labores & innumera pericula subeūda instructior redderetur, eiq; tempori cōuenire, quod hic dicit, ante annos quatuordecim. Sic nanq; solet Deus pręcipua sua organa, quibus uti ad res magnas & periculosas constituit, præcurrentibus aliquot uisionibus instruere ac communire, sicuti uidere est Hiere. 1. & Ezech. primo. Reliquis apostolis non ita opus erat spiritualibus uisionibus ac reuelationibus, quoniā per ipsius Christi præsentiam abunde erant in cognitione ipsius instructi, opus autem erat Paulo, post ascensionē Christi demū cōuerso.

AN in corpore, nescio, an extra corpus, nescio, Deus nouit.] Argutatur Augustinus in hisce uerbis Apostoli, quomodo nescierit in corpore ne uel extra corpus raptus fuerit, cū nescire nequiuerit corporalia ne uel spiritualia in raptu isto uiderit, nec illud ignorauerit, corporalia extra corpus, & spiritualia in corpore non posse uideri. Verum argutando remipsam nihilo reddit clariorem. Quin ibi rectius dicit, cum inquit, quis audeat dicere se scire, quod se nescire Apostolus dixit? Quare meo iudicio non est ut scrutemur ea quæ Apostolus non nouit, nouit uero Deus solus.

Si dicas, ad quid ergo particulam hanc ponere uoluit, cum sine illa réipsam ponere posset? respondeo, ut significaret uisiones hasce tā fuisse sibi claras & euidentes, ut in dubio hæreat extra ne corpus uel in corpore constituto contigerint. Dubitationi quippe huiusmodi non fuisset locus, si mometaneę & obscurę somnioq; q̄ uisionibus similiores extitissent.

Nō dicit, nesciebam Deus uero sciebat, sed, nescio, Deus nouit. Quæ corporalibus oculis uidemus in corpore nos uidere ac uidisse scimus. Quæ uel in somnijs uel in raptu & ecstasi uidemus, interea quidem dum ea uidemus, extra corpus ea uideri à nobis ignoram⁹, postquam uero nobisipsis restituti sumus haud ignoramus amplius. At Apostolus non modo cum in ipso esset raptu, sed & postquam ad se reuersus esset, in corpore ne uel extra corpus uidisset ea quæ uiderat ignorauit. Magna hæc est sui ignorantia. At in illa clarissimis uisionib⁹ instruebat̄ Apostolus, q̄ illi hoc fuere magis perspicuę, quo magis sibijpsi fuerat ereptus.

RAPTVM huiusmodi, inquit, ad tertium usque cœlum.] Non simpliciter raptum, sed raptū huiusmodi inquit. Cuiusmodi? Cuiusmodi ego sum. Loquitur quidem de seipso, ue

A rum sic, ut de alio quopiā loqui uideri possit, id quod modestiæ gratia facit. Quod autem non de alio sed de seipso loquat̄ infra patebit.

IN tertium usq; cœlū, inquit.] Mihi dubiū non est uoluisse Apostolum ad interiora se & secretiora sublimioraq; cœli secreta fuisse raptū significare. Quare non est ut anxie de numero cœlorum disputemus. Id sane constat unius cœli multos esse gradus qui cœli nomine in scripturis uocentur. Sic cœlum est äëreum, à quo uolucres, cœli uolucres uocantur. Sic cœlum est sydereū in quo est Sol, & Luna, & stellæ. Sic cœlum est crystallinū, quod διαφανὲς uocant. Et empyreum, id est, igneum. Erit aliquādo, ut de cœlis melius quàm nunc de terris iudicare possimus. In eam felicitatis nostrę cōditionē scrutationē cœlorū differendā est cēseo.

ET scio huiusmodi hominem, inquit, an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus nouit, raptum fuisse in paradisum.] Dixit, ueniam enim ad uisiones ac reuelationes domini: Ex uisionibus unam subiecit, quę potior erat, ubi raptus, in tertium usq; cœlum meminit. Iam reuelationum quoque unam ex multis subiecturus dicit: Et scio huiusmodi hominē, an in corpore an extra corpus, nescio, Deus nouit, raptum fuisse in paradisum, & audisse arcana uerba, quę fas non sit homini loqui. Disputat Augustinus an idem sit hoc loco per paradisum, quod per tertium cœlum intelligēdum. Et Lyranus idem esse asserit, quem & recen-

B tiores nonnulli sequuntur. Verum ipsa narratio duorum raptuum sic est distincta, ut liquidum sit, non esse de uno & eodem tantum raptu intelligenda quæ dicit. In tertium cœlum raptus fuit, ut uideret gloriam Dei & gloriam regnantis in cœlo Christi. In paradisum uero, hoc est, in sedem beatorum spirituum, patriarcharum ac prophetarū, ut non modo quo & ipse post dissolutionem corporis uenturus esset, uideret, sed & archana quædam audiret, unde ad Apostolatū suum instructior rediret. De paradiso autem diximus in Commētarijs nostris super Genesim cap. 2. ibi. Plantauerat autem dominus Deus paradisum, &c. Sic sentiendum esse puto simpliciter absque ulla scrupulositate, præsertim, cum in re tam abstrusa obtusior sit mentis nostræ acies, quàm ut ad certitudinē illius indagando pertingere possit. Quantum ac quale discrimen sit inter tertium cœlum & paradisum discutiendum mihi non sumo, donec in hoc mortali corpore detineor, spe tamen utriusque cognitionē in futurum expecto. Interim tamen sic nolim inter tertium cœlum & paradisum cœlestem, beatorum spirituum māsionem, distinguere, ut eos qui in paradiso sunt à Christo separem, cum ad latronem ille dixerit: Hodie mecum eris in paradiso, & hic ipse Paulus dissolui & esse cū Christo in uotis habuerit.

ET audisse, inquit, archana uerba, quæ fas non sit homini loqui.] Propter uerbum audiendi refero ista ad reuelationes, quæ factæ sint

sint Paulo in ecstasi constituto. Non est autem quærendum quibus modis uerba fiant in paradiso cœlesti, cum sint in illo non corpora, sed beatorum spiritus. Quemadmodum extra se cõstitutus formas se corporales uidere, & uerba corporaliter prolata audire putauit, cum tamen in cœlesti illa mansione non sint corpora, sed spiritus, ita etiam hominem illum uerba quædam in paradiso audisse dicit.

ET audisse, inqt, arcana uerba.] Græcè est, ἄῤῥητα ῥήματα, id est, uerba quæ uel non posſint, uel non debeant dici, quod sint uel auersanda & turpia, uel mystica ac propter mysterium celanda, uel impia, uel prohibita. Nos hæc uerba non sic ἄῤῥητα fuisse censemus quod dici nequiuerint, sed quod extra paradisum inter homines & ab homine dici non debeant. Vnde & subijcit, quæ fas non sit homini loqui. Hoc dicens omnem nobis cognoscendi ea curiositatem amputat.

Quæst. 1. Quare autem fas non sit homini ut ea loquatur, si quis quærat, cum fas fuerit Paulo, ut ea audiret, non est quod respondeamus aliud, quàm quod non ad præsentis uitę conditionem sed ad paradisi secreta pertinuerint.

Quæst. 2. Rursus, si quæras, ad quid ergo Paulo profuerit ea audire, respondeo, nisi profuisset ipsi, ad cognitionem eorum admissus non fuisset. Secretorum cognitio ut non conducit omnibus, ita non pertinet ad omnes, conducit autẽ selectis, quos diuina dignatio tanquam singularia gratiæ suæ organa elegit. Horum enim animos ad res arduas & grauia sustinenda discrimina conscientia cœlestium secretorũ admodum confirmare potest.

Quæst. 3. Rursus dices. Atqui Christus dicit: Omnia quæ audiui à patre meo nota feci uobis. An maiora & secretiora fuerunt quæ Paulus audiuit in paradiso, quàm quæ Christus unigenitus Dei audiuit à patre suo? Si fas fuit Christo loqui de illis omnibus quæ audiuit ex patre, cur fas nõ fuit Paulo loqui de ijs quæ audiuit in paradiso? Respondeo. De hoc reddat rationem ipse Paulus, qui diserte dicit: & audiuit archana uerba quæ fas non est homini loqui. Quæ Christus audiuit ex patre, audiuit ut mediator inter Deũ & homines, & ideo audiuit, ut ea generi humano reuelaret. Hæc conditio non fuit Pauli. Ad hæc quæ Christus audiuit à patre, audiuit non ad hoc ut ipsi conduceret, Paulus uero in paradisum raptus audiuit archana uerba, non quæ alijs exponerentur, sed quæ ipsi prodessent.

Quæst. 4. Adhuc dices: Cum Actorum 20. nihil se subtraxisse dicat, quo minus omne cõsilium Dei Ephesijs annũciauerit, quomodo hic sibi quæ in paradiso audierat, loqui dicit esse illicitum?

Respondeo, loquitur ibi de ijs rebus quæ consilio Dei ad utilitatem erant ac salutem fidelium scitu necessariæ, non in uniuersum de secretis omnibus. Vnde & eodem loco dicit, ut nihil subtraxerim eorum quæ essent in rem uestram, quin annunciarem uobis.

A SVPER huiuſmodi, inquit, homine gloriabor, de meipso uero non gloriabor, nisi super infirmitatibus meis.] Videtur adhuc loqui de alio quopiam homine, qui raptus fuerit in tertium cœlum, & in paradisum, cum tam distincte dicit: Super huiusmodi homine gloriabor, de meipso uero non gloriabor, quibus uerbis arrogãtiam quidem cauet, ne seipse efferre & gloriando iactare uideatur, interea tamẽ subtili quodam modo seipsum diuidit in hominem alium atq; alium, de quorum altero gloriari uelit, de altero nolit, nisi quod infirmitates illius attinet, imò quorum alterum huiusmodi hominem, alterum seipsum uocet quasi alter ille de quo gloriari uelit, nõ sit ipse, sit uero is de quo gloriari nolit. Quid autem hoc aliud est, quàm gloriari super felicitate sua, cuius per diuinam dignationem in utroq; raptu gestum quẽdam perceperat, super uirtutibus uero suis, & prærogatiuis carnis nolle gloriari? Quare? Quia in Paulo in tertium usque cœlum & in paradisum rapto, gloria non carnis sed gratiæ Dei relucebat. In Paulo uero Ebræo, Israëlita & semine Abrahæ, gloria erat carnis, de qua sine detrimento gratiæ Dei gloriari nõ poterat. De eo quod dicit: nisi super infirmitatibus meis, dictum est supra.

Nam si uoluero gloriari non ero insipiens, ueritatem enim dicam: sed parco uobis, ne quis de me cogitet, supra id q̃d uidet esse me, aut quod audit ex me. Et ne excellentia reuelationum supra modũ efferrer, datus fuit mihi stimulus per carnem, nũcius Satanæ, ut me colaphis cęderet ne supra modum efferrer. Super hoc ter dominum rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatẽ perficitur. Libẽtissime igitur gloriabor potius super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Quamobrẽ placeo mihi in infirmitatibus, in cõtumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in anxietatibus pro Christo. Cum enim infirmus sum, tunc robustus sum. B

Quoniam dixit: de meipso uero non gloriabor, ne hoc sic dictum acciperet, quasi etiãsi quammaxime uellet nihil in se haberet, unde ueraciter gloriari posset, significat non ob id gloriari se nolle de seipso, quod nõ posſit, sed quod satius esse ducat, ut abstineat à gloriationibus, quàm ut more pseudapostolorũ glorietur. Sic dicit: Nam si uoluero gloriari, &c. Legendum est. Nam si uellem gloriari non essem insipiens, ueritatẽ enim dicerẽ, uerũ abstineo.

SI uellem gloriari, inquit.] Atqui gloriabatur. Verum non de seipso gloriabatur, nisi quod infirmitates ipsius attinebat. Subintelligendum igitur est, de meipso.

NON essem insipiens, ueritatem enim dicerem.] Ergo qui citra ueritatem gloriatur, insipiens est. Poterat dicere, non essem mendax, non essem impudens. Etenim etiam qui uera de seipso præter rationem iactando gloriatur, insipiés est, quia facit quod uanum est ac stultum, qui uero falsa de se iactat, non modo insipienter, sed & impudẽter gloriatur. Verũ moderatius loqui uoluit, propter eos quos perstringebat, qui de seipsis non modo quæ carnis erant, sed & pleraq; falsa iactabant, id quod pro sua modestia deputat insipientiæ.

SED parco uobis, inquit.] Vobis, non est in Græco, sed simpliciter, φείδομαι δὲ, quod nulla necessitate uersum est, parco autem, cum φείδεσθαι non solum parcere, sed & cauere & abstinere significet. Quare rectius est, ut uertamus, sed abstineo, nec addamus, uobis, quia ut adiectæ rationes indicant, non tam illorum quàm sua gratia à gloriationibus abstinebat.

Nobis hic obseruandum est abstinétiæ admodum Christianæ exemplum. Poterat Apostolus ueraciter de multis suis uirtutibus ac gestis gloriari, uerum abstinebat, non quod esset illicitũ, sed quod inutile & cum periculo coniunctum esse sciret. Sic Christianus nõ modo ab illicitis, sed & à licitis abstinet, quæ nec sibi nec alijs profore nouit.

NE quis de me cogitet, inqt, supra id quod uidet esse me, aut quod audit ex me.] Incipit rationem reddere, quare de seipso magnifica iactare nolit. Reddit autem geminam, unam quæ alios, alteram quæ se concernat. Alios cõcernit quod dicit: ne quis de me cogitet supra id quod uidet esse me, aut quod audit ex me. Græce est, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται, ὑπὲρ ὃ βλέπει με, id est, ne quis in me reputet, supra id quod uidet me, ubi subintelligendum est εἶναι, id est, esse. Cauebat igitur, ne si magnifice de seipso gloriaretur, maioris fieret, quàm esse uidebatur, aut quàm essent ea quæ ex ipso audiebantur. Nõ dicit, supra id quod sum, sed, supra id quod uidet esse me, aut quod audit ex me. Erat Apostolus Christi, minister ac dispensator mysteriorum Dei. Id erat manifestum. Videbantur & audiebantur ex eo certa huius experimenta. Supra id non uult tribui sibi quicquam. 1. Corinth. 4. dicit: Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Ne pluris fieret sedulo cauebat. Notum est quid acciderit ipsi ac Barnabbæ. Act. 14. cũ claudum hominem in pedes erexisset.

Admonemur hoc exemplo, ut non minus caueamus ne pluris quàm ne minoris quàm sumus habeamur. Qui suopte studio maioris quàm par sit æstimatur, fallit alios, quod probi hominis non est, & odiosum se reddit Deo, qui eiusmodi superbiam detestatur, denique periculo sese magni contemptus exponit, quẽ incurret mox atq; detecta fuerit ipsius uanitas. Qui uero minoris reputatur quàm debeat, ad tempus quidem obscurius degit inter homines, Deo autem apprime manifestus est, ubi uero manifestationis ipsius tempus aduenerit, modici temporis contemptus indelebili laude commutatur.

Simul obserua in eo quod uidendi & audiendi uerba usurpat, unde iudicium nobis de homine constare debeat. Ex ijs uidelicet, quæ in illo uidemus, & ex illo audimus. Non solũ, quod audit ex me, inquit, sed & quod uidet in me. Nec dicit, quod audit de me, sed, quod audit ex me. Quæ de homine audiuntur ex alijs, nihilo plus sunt fide digna, quàm digna est fama. Quæ uero ex ipso homine de quo iudicandum est audiuntur, coniuncta ijs quæ in illo uidentur, ueluti duplici testimonio iudiciũ de illo confirmant. Quare admodum impudentes sunt, qui cum Bacchanalia uiuant, & ipsam impudicitiam ore spirent, nihilo tamen secius pro Curijs haberi uolunt, cum & uerbis & operibus omnium sint carnalissimi, pro spiritualibus tamen sese uenditant.

ET ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, inquit, datus fuit mihi stimulus per carnem, nuncius Satanę ut me colaphis cęderet, ne supra modum efferrer.] Habet hæc alteram rationem, quæ ipsum cõcernebat, ob quam non conducebat, ut magnifice de seipso gloriaretur. Erat enim ipsi alioqui periculum, ne propter reuelationum excellentiam supra modũ efferretur. Id istis uerbis exprimit, quibus ad hoc sibi datum esse angelum Satanę dicit, à quo colaphis cædatur, ne propter excellentiam reuelationum in superbiam efferat.

ET ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, inquit.] Patet ex hoc loco pertinere ad ipsum, quæ in præcedentibus de homine in tertium usq; cœlum & in paradisum rapto gloriatus est. Etenim si de alio loquutus esset, nihil ipsi periculi fuisset, ne ꝑpter excellẽtiá alienarũ reuelationũ supra modũ efferret.

Cogitandum est hic pio homini, quàm procliue sit carni, ut propter qualemcunq; prærogatiuam infletur ac superbiat. Etenim si hoc erat Apostolo, tot laborib⁹ ac periculis depresso, usqueadeò timendũ, ut singulari quodam antidoto opus haberet, per quod contra tentationem superbię in humilitate ac modestia cõtineret, quid nobis nõ est multo timendũ amplius, qui etsi parem reuelationũ excellẽtiam consequuti non sumus, multo tamen minus habemus roboris ad resistendum tentationibus superbiæ, quantumcũque leuibus ac minutis, quàm habuerit ille cõtra tam graues superbiendi occasiones. Quare admodum desipiunt qui studio dignitates ac honores in hoc sæculo ambiunt, non considerantes quantis seipsi periculis obnoxios reddant.

NE supra modũ efferrer, inquit.] Gręcè est, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Significat ὑπεραίρεσθαι supra q̃ par est ac conuenit efferri, ὑπεραίρεται Apostolus, si magnificẽtius de seipse sentiat, uel ab alijs sentiatur, quàm conueniat ministro Christi, quamq̃ue uel in ipso uidetur, uel ex ipso auditur. De Antichristo secunda Thess. secundo, futurum

futurum prędixit Paulus, ut efferatur supra omnem qui dicitur Deus aut numẽ, adeo ut in tẽplo Dei sedeat, ostentans seipsum esse Deũ, quo loco uocem ὑπεραιρόμενον legimus. Est autem id reuera supra modum efferri. Etenim unicuique datus est à Deo uel excellentiæ uel humilitatis modus, supra quem si quis extollitur, utique supra modum sibi uidelicet competentem, extollitur.

DATVS fuit mihi stimulus per carnem, inquit, nuncius Satanæ, ut me colaphis cęderet, ne supra modum efferrer.] Quod stimulum uertit, Græcè est σκόλοψ, quæ uox sonat palum, paxillum, & sudem, lignum uidelicet in acie præustum & acutum. Huius apud ueteres, & forsan adhuc apud plerasque nationes alius atque alius usus est, sicut alijs sit uice stimuli, ad impellendum boues, alijs uice cuspidis in conflictu militari, alijs ad conficiendum sepé ac uallum, alijs ad crucifigendum sceleratos. Vtitur hac uoce Apostolus sensu non proprio, sed metaphorico. Quid autem per illam intelligat, significat cum subiungit, nuncius Satanæ. Quis ille fuerit, non est eadem omniũ sententia. Alius adfert κεφαλαλγίαν, qua frequenter laborarit Apostolus, alius iliacam passionem, alius incitamenta carnalis concupiscentiæ, alius terrores Satanæ, alius omne genus tentationis, alius quosdam dæmonas: Chrysostomus uero propius ad sensum Apostoli, meo iudicio accedens, exponit de aduersarijs, qui illum crebris iniurijs, contumelijs & persequutionibus afflixerint, inter quos nominatim recenset Alexandrum ærarium, Hymenæum & Philetum. Sane de Alexandro 2. Tim. 4. singulariter conqueritur, quod multa sibi mala intulerit, uerbisq; suis ualde restiterit. Existimo tamen loqui Apostolum hoc loco de singulari quodam & insigniter malo aduersario, quem angelum Satanę singulariter uocet, qualis fuit Alexander, qui nõ uno tantum loco molestus ipsi extiterit, sed ubilibet infensissime aduersatus fuerit. Hunc comparat sudi ac paxillo, quod quemadmodum sudes præacuta carnẽ pungendo affligit, sic sit illius infestationibus ueluti punctionibus afflictatus. Sic intelligo illud, datus est mihi stimulus carni, ut idem sit quod, datus est mihi ueluti stimulus carnem pungens, angelus Satanæ. Non placet ut legamus, stimulus carnis, uel, stimulus in carne, aut, stimulus per carnem, sed ut in Græco est, stimulus carni, quasi sit ἐδόθη μοι, ὥσπερ σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος σατανᾶ, id est: datus est mihi nuncius Satanę, qui sit mihi instar stimuli quo caro pũgitur. Dico quid mihi uideatur, sic tamen, ut nemini præiudicare cupiam. Crediderim autem aduersarium illũ fuisse ex pseudapostolis, quos cap. pcedẽti uocauit ministros Satanæ.

Dicit autem non simpliciter, esse sibi stimulum, sed esse sibi datum stimulum, utique non aliunde quàm à Deo ipso, idq; non ad puniendum, sed ad conseruandum, loco uidelicet antidoti, quod à medico cõtra periculum pestis

A datur. Quare uidentur mihi non satis perpendere studium Dei in Paulum, qui uerbum ἐδόθη sic exponunt. Permisit Deus, ut Satan adhiberet mihi stimulum. Chrysost. forsan ueritus ne Deo mali quicquam tribuatur, sic exponit συνεχώρησε τοῖς ἀντικειμένοις ἐπιτίθεσθαι ἡμῖν. Verum Apostolus non utitur uerbo permittendi, sed diserte dicit: datus est mihi stimulus. Vt significet illum reputari à se pro singulari Dei dono. Hoc genus exponendi sacras scripturas, quo uerba, dandi, tradendi, obdurandi, excęcandi, occidendi, perdendi, &c. Deo tributa, per uerbum permittendi exponuntur, meo iudicio, nec menti spiritussancti satisfacit, nec quod cauere conatur, cauet.

Permissio.

VT me colaphis cæderet, inquit.] Intelligit de probris, conuicijs, blasphemijs, & cõtumelijs, quibus ipsum angelus ille Satan afficiebat, ac contemptum reddere moliebatur. Colaphis & alapis cædi contemptus & ignominiæ notam habet, quemadmodum & capite pręcedenti annotauimus. Quare usurpat illud Apostolus pro contumelijs ac probris, quæ sibi aduersarius contemptus gratia inferebat.

Ergo ad hoc contumelijs afficiebatur ab angelo Satanæ, ut contra periculum elationis ac superbiæ in humilitate conseruaretur, caueretur q; ne ex Apostolo Christi: fieret Apostolus Satanæ. Tanto bono seruiebat ipsi angelus ille Satanæ, imò Satan ipse, non intelligens consilium Dei, sed cursum Euangelij Christi hoc

B se pacto impedire posse putans, si Apostolum illius condigna existimatione priuatum, contumelijs ac probris contemptibilem redderet. Sic infatuatus Satan dum obesse molitur, magis etiam prodest, & quod impedire conatur, expeditum potius reddit quàm impeditum. Gloria hæc est sapientiæ ac prouidentiæ Dei, quam non satis illustrat Chrysost. hoc loco, dum Deum Satanæ permisisse dicit, ut per nuncium suum colaphis cæderet Paulum.

NE supra modum efferrer, inquit.] Particula hæc abundat hoc loco. Nam initio periodi huius posita sic satisfacit præsenti causæ, & consilium Dei exprimit, ut lector illam haudquaquam denuo desideret. Crediderim ab aliquo inconsulto repetitam. Si dicat princeps aliquis, ne per excellentiam potestatis supra modum efferar, datus est mihi peculiaris hic morbus, qui humanæ me conditionis admoneat, puto non requiri, ut denuo dicat, ne supra modum efferar. In uulgata æditione non repetitur, & ne quis Græca exemplaria prætexat, à Chrysostomo quoq; non repetitur.

SVPER hoc ter dominum rogaui, inquit, ut discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatem perficitur.] Hactenus duas rationes exposuit, quare non conducat sibi ut de seipso, sicuti faciebãt pseudapostoli, glorietur. Iam ut cõsilium Dei erga se in hac causa, cuius in posteriore ratione meminit, plenius exponat, subiungit quomodo se erga aduersarium suum,

ange-

angelū Satanæ colaphiſantem ſe, geſſerit. Principio, dicit ſe confugiſſe ad preces. Non eſt conatus ſuijpſius ſeſe uiribus contra illum tueri, ſed dominum ipſum precando implorauit. Super hoc, inquit, dominum παρεκάλεσα, id eſt, in auxilium inuocaui. Id enim ſonat hoc loco uerbum παρακαλεῖν. Videbat ac ſentiebat non hominis ſe, ſed ipſius Satanæ malicia impeti, quare cenſebat maiori ſibi quàm ſit humanū opus eſſe auxilio, ideoq; ad preces conuerſus, opem domini implorauit. Ergo precibus contra aduerſarios pugnare piorum eſt, magis q̃ uindictam moliri.

Deinde meminit quid à domino petierit: ut diſcederet, inquit, à me. Petijt igitur liberari ab infeſtatore illo angelo Satanæ.

Quæſtio. Licet quidem orare ad dominum, ut nos liberet à malis, quibus infeſtamur: uerum poterit hic quæri quare Paulus petierit à domino, ut diſcederet à ſe aduerſarius, à quo colaphizabatur, cum ſciret illum ad hoc ſibi datum, ut per eum humiliaretur ne propter reuelationū excellentiam ſupra modū efferretur. Quis ſanæ mentis petierit auferri à ſe antidotū, quod à medico contra uenenum accepit? Angelus autē ille Satanæ quid aliud erat Paulo, quàm antidotum contra uenenum ſuperbiæ?

Reſpondeo. Fieri potuit ut conſilium domini in ea cauſa non intelligeret, priuſquam illud accepto à domino reſponſo cognouiſſet. Verum eſto, intellexerit etiam priuſquam oraret, nihil tamen orando admiſit, quod domino diſplicuerit, quandoquidem & ipſe dominus cum paſsionis ſuæ calicem deprecaretur, utiq; id deprecatus ſit, quod ſibi ad totius humani generis ſalutem perferendum eſſe ſciebat. Quare non eſt ut culpemus Apoſtolum in eo quod à domino ipſo factum repræhendere non poſſumus.

Tertio, addit etiam quoties hoc à domino petierit. Non ſemel tantum ac ſecundo, ſed tertio. Ter, inquit, dominū rogaui. Exiſtimo hoc non ita eſſe ab illo factum, quod non ſæpius fuerit oraturus, niſi accepto reſponſo fruſtra ſe hoc petere intellexiſſet, ſed quod ab ulteriore inſtantia oraculo domini poſt tertiam precationem fuerat auocatus. Et Chriſtus ipſe cū calicem paſsionis ſuæ deprecaretur, tertio orauit, poſtea ab angelo confortatus deſtitit. Non eſt itaque quod dicit: ter dominum rogaui, exponendum, ſępius dominū rogaui. Cum ſemel rogaſſet, nec impetraſſet, rogauit ſecundo, cum ne tum quidem quod petebat conſequutus eſſet, orauit tertio, atque ibi per oraculum Dei admonitus, ceſſauit. Nobis hic nō pręſcribit̃ regula, quoties precari debeamus, quia exemplum hoc non eſt tale, quod unicuique cōpetat, ſed ſingulare. Generale uero eſt quod Lucæ 18. ſemper orare, ac non deficere ab orando docemur.

ET dixit mihi, inquit.] Dominus uidelicet, ad quem orauerat. Quomodo loquutus ſit illi dominus, an per uiſionem, uel per internam ſpiritus ſancti reuelationem, uel per miniſteriū alicuius ſancti ac fidelis hominis, certo ſtatui non poteſt, nec refert admodum ut modum ſciamus quo loquutus ſit illi dominus, ſed ſatis eſt ſcire quid illi, & à quo ſit reſponſum, & quod aures domini non ſint ſurdæ ad preces fidelium, etiamſi petant per imprudentiam quæ noxia magis eſſent ſi darentur quàm utilia, nedum ſi utilia & neceſſaria petant.

SVFFICIT tibi gratia mea, inquit.] Hoc eſt, non eſt opus, ut auferatur abs te angelus Satanæ, quaſi in curſu Apoſtolatus tui pergere nequeas, niſi ille à te diſcedat, ſed quātumuis ille inſaniat, ſufficit tamen gratia ſpiritus mei ad conſeruandum te, & operandum per te, ad quæ miſſus es à me. Sic puto loquutum eſſe dominum de gratia ſpiritus ſui quem Paulo dederat, & à quo ille dirigebatur, & per quē efficaciter in Apoſtolatu ſuo pergebat. Si Dauid, cum à Saule exagitaretur, oraſſet ad Deū, ut diſcederet ille à ſe, ceſſaretq; ab improbitate perſequendi ſe, reſpondiſſetq; illi Deus iſtis uerbis: Sufficit tibi gratia mea, utique nihil dixiſſet aliud, quàm, ſine ut perſequatur te Saul quantum uolet, nihil enim efficiet, ſed gratia mea qua te conſeruo, abunde ſufficit ad eneruandum illius conatus. Vſurpent iſto ſenſu dictum hoc domini, quotquot à reprobis infeſtantur in hoc ſæculo, ut dicant & ipſi: Sæuiant impij quantum uolunt, mihi gratia domini ſufficit, per quam abunde contra illorū maliciam conſeruari poſſum.

NAM uirtus mea, inquit, per infirmitatem perficitur.] Græcè non eſt, διὰ ἀσθενείας, id eſt, per infirmitatem, ſed ἐν ἀσθενείᾳ, id eſt, in infirmitate. Virtus Dei per infirmitatem Apoſtoli, illuſtrabatur quidem, uerum non perficiebatur per illam, ſed per ſpiritum Dei in illa. Reddit rationem, imò magis exponit, quomodo gratia ipſius ſuffecerit Paulo. Nam, inquit, δύναμίς μου, id eſt, potentia mea, qua per Apoſtolatum tuum operor, ac te in omnis generis periculis conſeruo, perficitur non in fortitudine tua, ſed magis in infirmitate. Etenim ſi tuopte robore ad gerenda omnia, tuique conſeruationē ſuffi ceres, non eſſet locus potētiæ meæ. Iam quanto tu es infirmior & pluribus periculis obnoxius, hoc plus eſt loci potentiæ meæ ad operandum in te, & ad conſeruandū te, ne tot periculis adobrutus pereas. Quare ſine ut colaphizet te angelus ille Satanę, ſuper quo rogas, ut diſcedat à te. Nihil efficiet, imò quo magis inſanit, hoc plus occaſionis ad illuſtrandā potentiam meam adferet, quemadmodum quo maior eſt morbus, hoc uirtus medicinæ redditur illuſtrior.

Nos admonemur hac gnoma, qua uirtutē ſuam dominus in infirmitate perfici dicit, quo cōſilio ſuo Deus totum genus humanum tot infirmitatibus obnoxiū reddere uoluerit, præſertim quod carnem noſtram attinet, de qua dominus ipſe teſtat̃ quod ſit infirma. Ad hoc uide-

uidelicet,ut sit uelut officina quædam potentiæ ipsius, in illa & exerendæ & declarandæ, magis quàm in ipsis angelis. Huius admoneamur quoties propriæ infirmitatis molestijs afficimur, ne unde ad laudandum prouidentiam erga nos creatoris nostri permoueri debemus,inde ad impatientiam impellamur.

LIBENTISSIME igitur gloriabor potius super infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi.] Quid ex accepto oraculo domini collegerit, ac quomodo p illud affectus sit,subiungit dicens:Igitur, id est, cum hæc sit ratio afflictionum & infirmitatum mearum, ut propter eas inhabitet in me uirtus Christi, libentissime super illis gloriabor, tam abest, ut illarum me pudeat. Non dicit autem simpliciter:Libentissime igitur gloriabor,sed:Libẽtissime igitur magis gloriabor super infirmitatibus meis.Potest uero illud μᾶλλον, id est, magis aliò atq; alio referri. Vtpote, magis quàm antea,uel, magis quàm ut me illarum pudeat, uel, magis q̃ super uirtutibus ac factis meis. Posterior hic sensus magis placet. Videtur enim perstringere pseudapostolos.Quasi dicat. Glorientur illi super prærogatiuis suis, dignitatibus,uirtutibus,ac factis, ego magis, idq; libẽtissime gloriabor super infirmitatib⁹ meis. Quare? uel,ad quid?

VT inhabitet,inquit, in me uirtus Christi.] Græcè est,ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ,quod mihi nõ satis pertinenter uerti uidetur, ut inhabitet in me, sed uertendũ esse potius,ut incumbat supra me,ut protegat me, ut me, quasi quodã tabernaculo obumbret. Meo iudicio non loquitur de inhabitatione, sed magis de protectione & operatione uirtutis Christi. Vt incũbat supra me uirtus Christi, inquit. Ergo nisi gloriatus esset in infirmitatibus suis, non protexisset ipsum uirtus Christi? Sic apparet. Verũ colligendum est ad hunc modum.Libentissime igitur gloriabor potius in infirmitatibus, quàm cũ pseudapostolis in uirtutibus meis, ne destituar uirtute Christi. Ergo uirtute Christi destituuntur, qui de proprijs uirtutibus gloriantur.

QVAMOBREM placeo mihi in infirmitatibus,inquit,in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus,in anxietatibus pro Christo.] Placere sibi,& gloriari, cõiuncta sunt. Nemo enim sibi displicens de seipso gloriatur,ac rursus nemo de seipso glorians, sibi displicet. Significat igitur gloriari se de infirmitatibus suis non obiter ac simulanter, sed prorsus ex animo,sic ut placeat sibi in illis. Et ut exponat quid per infirmitates suas intelligat, subiungit,in contumelijs,in necessitatibus, in persequutionibus, in anxietatibus pro Christo, toleratis uidelicet. Per se parum iucunditatis ac præstãtiæ habet,unde sibi placere quis queat, contumeliæ, necessitates, persequutiones, & anxietates, sed magis plurimum molestiæ ac contemptus,quare non simpliciter dicit:in cõtumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus,in anxietatib⁹,sed addit:pro Christo.Qua in re uides quàm eodem sint affectu erga Christum præditi apostoli. Act.5.de cęteris apostolis legimus ad hunc modum: Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij,quod digni habiti essent,ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Illis magnæ dignitatis loco erant contumeliæ pro Christi nomine illatæ, sic ut propter illas admodum gauderent.Paulo pariformiter erga Christum affecto tanti erant,ut sibi placeret in illis. Hunc in illis animum gignebat amor quo erga Christum ardebant,cuius tanta uis erat,ut quæ carni sunt acerbissima,spiritui fierent dulcissima, & quæ in mundo sunt ignominiosissima & infelicissima, ipsis essent gloriosissima & felicissima. De necessitatibus & anxietatibus dictum est suprà cap.6. Cõtumeliæ & persequutiones notæ sunt.Contumelias priore loco posuit, respiciens ad angelum Satanæ à quo contumelijs, calumnijs, blasphemijs, probris ac conuicijs perinde atq; colaphis cædebatur.

CVM enim infirmus sum,inquit, tunc robustus sum.] Græcè est δυνατός εἰμι, id est,potens sum. In ipso oraculo rationem reddidit dominus, quare Apostolo gratia ipsius sufficiat, q, uidelicet uirtus ipsius in infirmitate perficiat. Iam ipse quoq; Apostolus, quare placeat sibi in infirmitatibus suis, contumelijs uidelicet, necessitatibus,persequutionibus & anxietatibus,rationem reddit dicens: Cum enim infirmus sum,tunc potens sum.

Quæstio. Videtur prorsus esse paradoxon quod dicit.Primum enim, quando non erat infirmus cum homo esset? Homo semper infirmus est. Apostolus homo erat infirmitati adhuc obnoxius.Ergo semper infirmus erat. Quid est igitur,quod dicit: Cum infirmus sum,tunc robustus sum? Semper ergo robustus erat. Deinde cum infirmum esse,ac rursus esse potentẽ, idq; simul,inter se sint opposita, sic ut qui infirmus est,ob id non sit potens,quod est infirmus, & qui potens est, ideo non sit infirmus,quod est potens,uidetur contradictio esse in hisce uerbis:cum enim infirmus sum, tunc potẽs sum.

Respondeo ad primum obiectum. Quemadmodũ contumelias,necessitates, persequutiones & anxietates propter Christum illatas uocat suas infirmitates,ita tunc se dicit esse infirmum, quando contumelijs necessitatibus, persequutionibus & anxietatibus afficit̃. Quare non debet quod dicit ad perpetuam humanæ naturæ infirmitatem trahi.

Ad alterum respondeo. Infirmum esse ac simul esse potẽtem alio atq; alio respectu ueraciter ab Apostolo dici. Infirmum se dicit, respectu eorum quæ à reprobis illata mala patiebatur. Potentem uero respectu uirtutis Christi per quam in infirmitatibus suis confirmabatur & conseruabatur. Propter Christum infirmus reddebatur,per eundem Christum reddebatur potens. Quare nulla contradictio est in hisce uerbis: Cum infirmus sum tunc potens sum

sum. Consimili ratione recte dicet Christianus: Cum stultus sum, tunc sapiens sum. Cum peccator sum, tunc iustus sum. Cũ miser sum, tunc felix sum. Cum inglorius sum, tum gloriosus sum. Cum occidor, tũc uiuificor. Diuersis ista respectibus absque ulla contradictione recte dicuntur non à quolibet, sed à Christiano, qui in mundo stultus, in Christo sapiẽs, in seipso peccator, in Christo iustus, propter carnis ærumnas miser, propter gratiam Christi felix, in mundo inglorius, in Christo gloriosus est, in carne occiditur, spiritu uiuificatur. In Christo constitutis sunt paradoxa ista uera omnia, extra Christum uero falsa.

Factus sum insipiens gloriando. Vos me coegistis. Nam ego debueram à uobis commendari. Nulla enim in re inferior fui summis Apostolis, tametsi nihil sum. Signa quidẽ Apostoli peracta fuerũt inter uos cũ omni patientia & signis & prodigijs & potentibus factis. Nam quid est in quo fuistis inferiores cæteris Ecclesijs, nisi quod ipse ego non fuerim uobis onerosus? Condonate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio propensus animo sum, ut ueniã ad uos, nec ero uobis onerosus. Non enim quæro quæ uestra sunt, sed uos. Non enim debent filij parentibus recondere, sed filijs parẽtes. Ego uero libentissime impendam & expendar pro animabus uestris, licet uberius uos diligens minus diligar.

Poterat insipiens uideri, quod tam multis gloriationis suæ causam prosequeretur. Excusat se de eo, uerum sic ut quod cõcedit dicens, Factus sum insipiens gloriando, mox per trãslationem à se reijciat in ipsos Corinthios, imputans illis insipientiæ huius culpam, cum dicit: uos me coëgistis. Quod agnoscit uiciosum esse & notã habere insipientię, quod tam prolixe gloriationibus suis immoratus esset, documento nobis esse debet, quàm non debeamus impudenter negare, si quid à nobis sic geritur, ut speciem uicij alicuius præferat, sed agnoscere quicquid id sit uicij. Agnitio quippe uicij multum de culpa illius deterit, impudẽs uero pernegatio multum illi adijcit ponderis. Quod uero culpam trãsfert in Corinthios, & ipsum obseruandum uenit, omnibus uidelicet illis qui per alienam culpam inducti sunt, ut admittant quod sit uiciosum. Illi quemadmodum exemplo Pauli admonẽtur, ut quod uiciose gesserunt candide agnoscant, ita excusantur etiam, si ad tuendam innocẽtiam suam culpam non agnoscant sed in authores illius reijciant. Obserua interim, quod non simpliciter dicit, uos mihi occasionem dedistis & uos in causa estis, sed, uos me coëgistis. Græcè est, ἠναγκάσατε, id est, necessitatem mihi intulistis.

A Nulla externa ui coegerãt ipsum, sed sic se gesserant, ut ipsi necesse esset, materiã hãc gloriationis ꝑter animi sentẽtiã ingredi & tractare.

NAM ego debueram à uobis commendari, inquit.] Exponit quomodo se coëgerint. Quod uidelicet se non commendauerãt ipsi sicuti debuerant. Quasi dicat. Si uos me cõmendassetis sicuti debebatis, nulla mihi fuisset necessitas commendandi meipsum. Cum id non feceritis, necessitas tuendi Apostolatus mei ad hanc me propriæ gloriationis insipientiam adegit, cuius culpa in uobis residet. Ergo usqueadeò necessarium ducebat Apostolus, ut commendaretur, hoc est, in existimatione competenti apud fideles haberetur, ut cum id non fieret à Corinthijs, existimationem sui ipse gloriando tueretur. Hoc faciens non inanem gloriam, sed Apostolatus sui efficaciã ac fructum quærebat. Deinde uidemus hoc loco, ubi quis non facit quod debet, cogi alios ut id faciant, & esse illum in culpa, si qui id faciunt uicij aliquid admittant. Vt exempli gratia. Si legitimus pastor oues fidei suæ cõmissas non pascat, cogitur quisquis neglectarum ouium domino fidelis est, officium ac curã pascendi subire. Quod si id uiciosum & temerarium uidetur, in culpa est pastor, qui quod ex officio facere debebat, non facit, nõ is, qui desertarum ouium saluti ac commodis domini sui consulere uoluit.

NVLLA enim in re, inquit, inferior fui summis apostolis, tametsi nihil sum.] Poterat audire. B Commendassemus te, si par esses magnis illis Apostolis, qui post te uenerunt. Quare quod te non commendauimus, non nobis, sed tibijpsi imputare debes. Occupatione igitur cauet ne tale quid illi regerere possint, dicẽs: Nulla enim in re inferior fui summis apostolis. Hoc illis iam secundo inculcat. Nam suprà quoq; capite præcedenti dixit: Arbitror enim me nihilo inferiorem fuisse τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, id est, illis qui plus quàm ualde sunt apostoli, quemadmodum & hic dicit. Idem ergo cum sit utrobiq; sensus, non est ut illũ denuo ponamus.

Erãt igitur Corinthij culpabiles in eo quod Apostolũ nõ cõmendabant, cũ nulla in re summis esset apostolis inferior, tũ demũ extra culpam futuri, si inferiorem eum esse comprobare potuissent. Consimili modo culpabiles essemus, quotquot hodie titulares illos episcopos, ecclesiarum dominos, haud commendamus, si illi nulla essent in re ueris episcopis inferiores. Iam cum ab illis δὶς διὰ πασῶν dissideant, sic ut ueraciter commendari nequeant, extra culpam sumus nos, ipsi uero in culpa sunt, quod pro ueris episcopis nõ agnoscunt.

Illud, tametsi nihil sum, bifariam accipi potest. Primum ut nihil se esse agnoscat & fateatur, si extra Apostolatus à domino accepti eminẽtiam, & uirtutem spiritus Christi in ipso operantem consyderetur. Hoc sensu recte uerterũt interpretes: tametsi nihil sum. Hoc dicẽs omnem

omnem gloriam Apostolatus sui à se in ipsum dominum reijcit, ne hanc sibijpsi tātopere gloriando quæsisse uideatur. Deinde, ut nō dicat se nihil esse, sed, etiamsi nihil sit, sicuti de ipso censebant pseudapostoli, nihilo tamen inferiorem esse se illis, qui plusquam ualde sunt apostoli. Si hoc sensu dicit εἰ καὶ οὐδέν εἰμι, uertendum non est: tametsi nihil sum, sed, etiāsi nihil sim. Quasi dicat. Quemadmodum me nonnulli ex uobis, magnis illis apostolis collatū nihil esse iactant. Sic posterior hic sensus per concessionem esset expressus. Priorem alij, alij posteriorem amplectuntur. Meo iudicio parum refert utrum accipiamus, tametsi prior mihi magis arrideat. Quemadmodū nec in eo periculi aliquid est, quod particulam hāc uulgatus interpres cum sequentibus, Erasmus uero cum pręcedentibus coniunxit.

Nobis hic cogitandum est quid reputādus sit homo extra Christum, quantumuis sit potens, diues, sapiens, & iustus. Paulus homo erat. Verum quid est homo? inquit propheta. Ebræus erat, Israëlita ac semen Abrahę erat, & præterea phariseus fuerat, ac præcipuus legis æmulator, qua de re uide Philipp. 3. Hęc tamē omnia illic reputat ut stercora, hic nihil esse dicit. Quid minus nihilo? Seruiat hæc cogitatio ad humiliandum carnis typhum.

SIGNA quidem Apostoli, inquit, peracta fuerūt inter uos, cum omni patiētia, & signis, & prodigijs, & potentibus factis.] Quia nihilo se summis illis apostolis inferiorem esse dixit, subijcit illius cōprobationem ex ijs quę Corinthi tanquā uerus Christi Apostolus gesserat, quæ ipsi Corinthij, cum inter ipsos gesta essent, ignorare non poterant. Sic dicit: Signa quidem Apostoli peracta fuerunt inter uos. Signa hic uocat certa indicia, de uero Christi Apostolo testantia. Moderate autem non dicit: peregi, sed, peracta fuerunt inter uos, ne quid hic sibi uindicare uideatur, quasi quicquam illorum suapte uirtute peregerit. Quæ erant autem illa signa?

CVM omni patientia, inquit, & signis, & prodigijs, & potentibus factis.] Duo genera signorū ponit, quibus Apostolatus ipsius inter Corinthios, quemadmodum & alijs locis, obsignatus ac declaratus fuit. Prius est omnis generis afflictionum tolerantia, quam uocat hic omnem tolerantiā. Omnis tolerantia est, qua quicquid aduersi propter Christum accidit, cōstanter toleratur. Hanc suprà quoq; cap. 6. primo loco inter ea recensuit, quibus sese in omnibus tanquam Christi ministrum commendabat, dicens: Sed in omnibus commēdamus nosipsos ut Dei ministros, in multa tolerātia, in afflictionibus, &c. Signum hoc ueri Apostoli non est simpliciter in tolerantia malorū, sed in tolerantia qua propter Christum omnis generis mala alacri animo perferuntur. Aliàs habet & Satan suos martyres. Posterius signum tribuit signis, prodigijs, & potentibus factis, quæ per ipsum uirtute & operatione spiritus

A Christi fuerāt peracta inter Corinthios. Signa intelligit hic miracula, qualia erant restitutiones morbidorum, cæcorum, claudorum, & leprosorum, expulsiones dæmonum, & excitationes mortuorum. Nec alia intelligit per τέρατα & δυνάμεις, id est, portenta & uirtutes aut potentias. Miracula illa quę per apostolos diuina sunt operatione ædita, signa ob id uocantur, quod significabant doctrinam Euangelij, cui erant annexa, cœlitus esse à Deo missam in mundum, deinde & qualitate sua quosuis admonebant, esse illam missam ad salutem generis humani. τέρατα, id est, portenta & prodigia ob id uocantur, quod præter consuetum ordinem naturæ fiebant, erantq; instar monstrorū. δυνάμεις uocabantur, quod nōnisi singulari potentia Dei gerebātur. Sic diuersis respectibus eadem miracula, signa, prodigia, & potentiæ appellantur.

Posterius hoc signorū genus unde Apostolus Christi cognoscitur, non est simpliciter situ̅ in miraculosis factis, sed in miraculis prodigijs, & potentijs, quę Christi sint & inter falsa computari nequeat. Alioqui & de Antichristo, apostolo Satanæ 2. Thess. 2. legitur, quod aduentus ipsius sit insignis, prodigijs & potentijs, uerum additur, mendacibus quæ sint secundum operationem Satanæ, qui mendax est ab initio. Mendacium signorum & operationum Satanæ plenus iam olim est Papatus Romanus.

B NAM quid est, inquit, in quo fueritis inferiores cæteris ecclesijs, nisi quod ipse ego non fui uobis onerosus?] Sufficiētiam signorum Apostolatus sui per collationem reliquarum ecclesiarum astruit. Quasi dicat. Inspicite reliquas ecclesias, quas cæteri plantarūt apostoli, de quibus admodū pseudapostoli gloriantur, & uidete, num in illis plusculū aliquid, quod ad ueri Apostolatus comprobationem pertineat, reperiatis, quod in uestra ecclesia desiderari queat. Et quoniam de re comperta loquitur summa cum fiducia, non dicit: Nihil est, in quo fueritis inferiores cæteris ecclesijs, sed per interrogationem urgendo & instando. Nam quid est in quo cæteræ uos ecclesię excellant, quod ministerium Apostolicū attinet? Quasi dicat. Sitis uosipsi iudices, num signa ueri Apostoli plura & luculentiora in cæteris ecclesijs quàm in uestra reperiantur. Si nihil est in illis, quod in uestra desiderari possit, quid causę est, quod aduentitios illos apostolos me fastidito, tantopere suspicitis & magnificatis?

Ergo si ecclesia inferiorem se cæteris ecclesijs in ijs quæ uerum ac fidelem Christi ministrum cōprobant reperiat, non immerito Apostolum ac doctorē suum fastidit, & eos qui potiores sunt in opere domini præ illo suspicit. Est autem ecclesia alio atq; alio modo cæteris uel inferior uel superior. Primo, in ijs q̄ doctrinam & reliqua ministerij specimina cōcernunt. In hisce nullis alijs ecclesijs cedebat ecclesia Corinthiorum. Quare magnam illorū

curiositatē ac leuitatem fuisse necesse est, qua Apostolum suum fastidiebant. Deinde in fructibus legitimi ac sufficientis ministerij, qui à fidelibus requiruntur. In illis Corinthij inferiores erant ecclesijs Macedoniæ. Verum cum illas quoq; plātarit Paulus, sua ipsorum culpa erant illis inferiores.

NISI quod ipse ego, inquit, non fui uobis onerosus.] Exceptio est, non ad ueritatē causæ, sed ad sinistrum Corinthiorum iudiciū accommodata. Etenim quod non fuerat ipsis onerosus, ad maiorē potius ipsius existimationem quàm ad opinionem defectus facere poterat, nisi fuissent p pseudapostolos fascinati. Tale est & illud quod capite præcedenti dixit: Nū peccaui, quod meipsum humiliaui, ut uos exaltaremini? quod gratuito Euangelium Dei prædicaui uobis? & quæ ibi sequuntur. Consimili modo nonnullis hodie ecclesijs dici potest: Quid est in quo defeceritis in causa ueræ religionis, cum Christum apud uos prædicarem? Nisi forsan quod nulli annuli aurei digitos nostros amiciebant, nec ulla catena aurea ornati ac torquati incedebamus, neque sericis uestiebamur, quales post nos adepti estis episcopos, magnos dominos magis quàm ueros pastores.

CONDONATE mihi hāc iniuriam, inquit.] Quasi dicat. Si iniuste factum est à me, quod onerosus uobis non fui, condonate mihi τὴν ἀδικίαν ταύτην, id est, hanc iniusticiam. Nec iniuste egerat, nec petit serio, ut condonent sibi factū hoc, tanquam iniustum, sed accōmodat se causæ quam agit, & hac ironia Corinthios haud parum pungit. Solemus illa uti, quoties nos illis displicere uidemus, quos amamus, & quibus optime consultum cupimus, ut ingratitudinem illorum perstringamus. Sic dicimus: an in eo peccaui, quod te domi meæ tandiu alui, quod tanto studio ad id honoris in quo es euexi, &c. Cōdona mihi hanc iniuriam, si tam es excors factus, ut non cogites quàm rebus tuis consulere uoluerim. Habet hæc ironia ualde falsam ingrati animi repræhensionem.

ECCE tertio, inquit, propēsus animo sum, ut ueniam ad uos, nec ero uobis onerosus.] Capite præcedenti cum dixisset. In omnibus sic me seruabam, ne cui essem onerosus, adiecit, atq; ita seruabo. Id iam denuo inculcat, ne animum ac cōsilium suum mutasse uideatur. Sic dicit: Ecce tertio propensus animo sum, ut ueniam ad uos, nec ero uobis onerosus. Non dicit: Ecce tertio ueniam, sed: Ecce tertio propēsus animo sum, ut ueniam ad uos. Adhuc enim incertus erat, uenturus ne ad eos esset uel secus. Quod numerum ternarium attinet, existimant quidam uenisse eum antea ad eos, secundo & cum hæc scriberet, tertio uenire ad eos constituisse. Non repugno. Videtur tamē non de aduentu suo ad eos siue primo, siue secundo, uel tertio, sed de proposito ueniēdi ad eos loqui, quo iam cū ista scriberet, tertio Corinthum proficisci constituerit. De eiusmodi proposito legimus 1. Corinth. ultimo, & suprà capite primo.

NEC ero uobis onerosus, inquit.] Atqui iam condonari sibi petijt hanc iniuriam, quod onerosus ipsis non fuerat. Quid est igit quod iā denuo dicit, nec ero uobis onerosus? Quis ita cōdonari sibi petit admissum, ut mox idem constanter admissurum se & non magis non amplius admissurum dicat? Respondeo. Duplex modus est condonandi aliquid. Primus est, quo cōdonamus delictum, adiecta hac cōditione, ne tale quid in posterum admittatur amplius, Sic dicebat adulteræ dominus: Vade, & iam amplius noli peccare, Iohan. 8. Hic condonandi modus seruandus est in remissione grauium peccatorum, flagiciorum ac scelerum. Alter est, quo defectus leues, ac uicia nō enormia sic condonamus, ut in homine illa aliàs non malo toleremus, etiamsi quotidie admittantur. Hoc genus condonandi locum habet in illis qui sic coniūcti sunt, ut leui de causa disiungi nec possint nec debeāt, quales sunt coniuges, quorum alter alteri multa condonare cogitur, ne uinculum coniugij rūpatur. Ad posteriorem hunc cōdonandi modū, non ad priorē pertinet quod Apostolus hic dicit: Condonate mihi hanc iniuriam, & tamē mox subdit. Ecce tertio propensus animo sum, ut ueniam ad uos, nec ero uobis onerosus. Quasi dicat. Si hoc uos offendit, quod nulli ex uobis onerosus fui cum apud uos essem & egerē, condonate id mihi ac tolerate in me, quandoquidem mutare non possum. Nam etiamsi tertio ad uos uenirem, adhuc nemini ex uobis onerosus essem.

NON enim quæro quæ uestra sunt, inquit, sed uos.] Suprà capite præcedenti rationem assignauit, ob quam nulli Corinthiorum onerosus esse uoluerit. Hanc uidelicet, ut amputaret occasionem ijs qui cupiebant occasionem, ut in eo de quo gloriebātur, reperirētur quēadmodum & ipse. Hic uero adhuc aliam ponit, dicens: Non enim quæro quæ uestra sunt, sed uos. Non est insolitum facere rem eandem plures ob causas. Prior ratio cōcernebat pseudapostolos, posterior hæc affectum paternæ dilectionis, qua Corinthios prosequebatur, exprimit. Hoc enim illius ingeniū est, ut magis filiorum, qui pater est, quàm suis ipsius cōmodis studeat. Et id est non quærere quæ illorum sunt sed ipsos. Dilectio non inhiat bonis dilectorum, quia non illa sed ipsos potius diligit. Quod quisque diligit, id unice quærit, saluūq; esse cupit. Sic animatus erga Corinthios Paulus nolebat illis esse oneri, quia non bona illorum sed ipsos quærebat. Quærebat autē ipsos tanquam uerus Christi Apostolus non pecuniarum sed hominum piscator constitutus, & quærebat non ut sibi eos subijceret, sicuti faciebant, & hodie quoq; faciūt pseudapostoli, sed ut Christo adduceret, adductosq; in gratia illius ac uera salute conseruaret. Vtinam intelligāt fideles Christi, quid quærāt qui ad ipsos ueniunt

ueniunt legati Romani Pontificis, monachi, quæstuarij, & qui pasturas & episcopatus ipsorum ambiunt.

Sed dices. Paulus gratuito prædicauit Euangelium Corinthijs, quia non quæ ipsorum erant, sed ipsos quærebat. Ergo qui non gratuito Christum prędicant, sed uictum & amictū, ac quę preterea necessaria sunt, ab illis quibus prædicant, accipiunt, non ipsos sed quæ ipsorum sunt quęrunt. Respondeo. Sic colligendo damnamus nō modo reliquos apostolos, qui de labore suo uixerunt, sed & doctrinam Pauli, quā tradidit 1. Cor. 9. imò ipsius Christi, qui operarium cibo suo dignum esse dicit Matth. 10. Absit. Non sequitur si colligas ad hunc modum. Petrus à fidelibus, quibus prædicabat Euangelium, necessarios sumptus accepit, ergo non illos sed quæ ipsorum sunt quæsiuit. Aliud enim est accipere necessaria debita, ad hoc, ut porro labores ac prosis, & aliud quęrere ut accipias, & inhiare bonis aliorum. Neq; sic recte collegeris. Paulus gratuito prædicauit Corinthijs, quia non quærebat ipsorū bona sed ipsos, ergo si quid ab illis accepisset, iā non ipsos, sed bona ipsorum quæsiuisset. Non sequitur. Vt quid ergo non & ipse accepit inquies? Respondeo. Non erat ipsi hoc tantum agendum, ut singularem in illos dilectionem declararet, sed simul cauendū erat, ne pseudapostolis, quos habebat improbissimos aduersarios, occasionem quærentibus, occasionem permitteret.

NON enim debent filij parentibus recondere, inquit, sed filijs parentes.] Diuino sic est & naturali ordine constitutum, ut parētes filijs, non ut filij parentibus quæ necessaria sunt, in futurum recondant. Non dicit autem simpliciter: Non thesaurizant, sed, non debent, id est, nullo iure tenent̄ recōdere parētibus. Quare? Quia non est sic diuinitus cōstitutum, deinde, quia præstare hoc non possunt. Neq; enim loquitur de filijs adultis, & parentibus senio cōfectis, necessariaque illorum sustentatione, κατὰ νόμον πελαργικὸν, sed de liberis nondū educatis, ac parentum illorum prouidentia, futuris ipsorū necessitatibus prospiciente. Cum ergo dicit: Non enim debent filij parentibus recondere, sed filijs parentes, reddit rationem, quare non quærat bona Corinthiorum sed ipsos, propterea uidelicet, quod sit ipsorum pater, patris autem non sit inhiare bonis liberorum, sed magis necessitatibus illorum quoad eius possit prospicere, etiamsi id sine magno suo detrimēto facere nequeat. Vnde & subijcit.

EGO uero libentissime impendam, & expendar pro animabus uestris.] Reperias nōnunquam parentes qui sint erga liberos suos prorsus astorgi, & μισότεκνοι magis quàm φιλότεκνοι, in quibus id quod in genere dixit, debere parentes recondere filijs, locum non habet, eo quod nulla cura de liberorum necessitatibus procurandis afficiantur, sed sic res suas agant, ut paratiores sint ad accipiēdum ab illis quàm ad dandum, ad quem modum affecti erga Corinthios erāt pseudapostoli, uitrici, non ueri parētes. Horum respectu dicit: Ego uero libentissime impendam, & expendar pro animabus uestris. Quasi dicat. Etiamsi reperias eiusmodi parentes, qui liberis suis ne tantillū quidem recondant, imò magis ad hoc sint propensi, ut ab illis accipiant, quos magistri uestri pseudapostoli imitant̄, ego tamen, à quo estis in Christo geniti, sic sum erga uos animatus, ut libentissime impendam mea omnia, imò expendar ipse totus, pro animabus uestris. Significat naturalem parentum storgiam erga liberos ipsorū citius deficere posse, quàm suā erga eos quos in Christo genuit. Talis locus est & Iesaię quadragesimonono ubi ad Israēlē dicit dominus. An obliuisci potest mulier infantis sui, ut non misereatur filij uteri sui? Et tamen etiamsi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar.

Excellentiam autem dilectionis suæ erga eos in eo exprimit, quod non simpliciter dicit δαπανήσω, sed addit, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι. δαπανᾶν simpliciter sumptū facere & impēdere aliquid, ἐκδαπανᾶσθαι uero, omnia sic expendere significat, ut prorsus nihil retineas, sed omnes tam uires quàm facultates insumas, reddarisque exhaustus totus.

Quare uero paratus sit expēdere omnia, in eo significat, quod addit, ꝓ animabus uestris. Quasi dicat. Citius quàm patiar periclitari animas uestras, expendam pro illis omnia, & exhauriar prorsus. Hinc tamen nemo colligat, ergo poterat Apostolus animas Corinthiorum seruare, si seipsum pro illis expendisset, atque ita non solus Christus Seruator est animarum sed & Apostoli. Absit. Non dicit: Seruabo animas uestras, sed libentissime expendar pro animabus uestris. Quasi dicat. Sic uos diligo, ut si animarum uestrarum perditionem cum uitæ meæ dispendio cauere possem, libentissime expenderem meipsum. Sic Rom. 9. optabat anathema esse à Christo ꝓ Israēlitis. Quis nō cupiat charissimorum suorum pignorum uitam, magnis pecuniæ sumptibus redimere? Vnde tamen non sequitur: ergo possunt parētes uitam liberorum suorum pecunia redimere & à morte seruare. Aliud est uelle facere si posis, & aliud posse.

LICET uberius uos diligēs minus diligar, inquit.] Tria dicit. Primum, quod diligat eos περισσοτέρως, id est, copiosius & abundantius. Aperit hic fontem omnis storgię qua erga ipsos afficiebatur. Secundum, quod ab illis minus diligatur. Hoc non sine dolore conqueritur, Verum ea sors est impense amantium, ut plus diligentes minus diligantur. Hanc communē habent cum Deo, qui & ipse nos incomparabiliter diligens, minus à nobis diligitur. Verū hoc peruerso sumus ingenio ut quos admodum diligere debebamus minus diligamus, & quos odisse cōueniebat, impēse diligamus, ut recte dicat Basilius in epistola quadam: ἀδι-

λεῖς εἰ ἄνθρωποι καὶ μισοῦσι τοὺς κρείττονας, καὶ φιλοῦσι τοὺς χείρονας. Tertium: Neque sic tamen impediri se, quo minus libentissime totum se pro animabus ipsorum expendat. Ea uidelicet erat abundantia dilectionis qua ipsos prosequebatur. Huius tanta uis est, ut omnia uincat, omnia deuoret ac concoquat, unde extingui poterat, ut non immerito dictum sit illud. Amor omnia uincit. Sane id citius facit, q̃ ut uincat seipsum.

Sed esto, ipse nõ grauaui uos, uerum cum essem astutus dolo uos cœpi. Num per quenquam eorum quos misi ad uos, expilaui uos? Rogaui Titum, & una cũ illo misi fratrem. Num quid à uobis extorsit Titus? An non eodem spiritu ambulauimus? an non iisdem uestigiis?

Vt erant sectatores pseudapostolorum admodum ad comminiscendum calumnias instructi, uerosimile erat illos ad ea quæ iam dixit Apostolus maliciose obiecturos ad hunc modum, σὺ μὲν οὐ κατεβάρησας ἡμᾶς, ἀλλ' ὑπάρχων πανοῦργος δόλῳ τούτῳ ἔλαβες ἡμᾶς. Hoc est: Tu quidem non fuisti nobis oneri, uerum cum sis astutus dolo nos isto cœpisti & in nassam tuam pellexisti. Huic cauillo occurrit dicens: Sed intelligo quid nõnulli inter uos dicant. Esto fuerim astutus, ad hoc non grauans uos, ut eiusmodi uos dolo caperem. Si sic sentitis, age num per quẽquam eorum, quos ad uos post discessum meum misi, expoliaui uos? Etenim si non syncere sed dolose uobiscum in eo egi, quod neminem ex uobis grauaui, ad hoc ut uos inescarem & caperem, quibus postea dominarer, dolum eiusmodi post discessum meum cohibere non potui, quin proderem per illos, quos ad uos misi. Verum uosipsos conuenio, an per quenquam eorum quos ad uos misi, aliquid ex uobis extorserim, uosq; expilauerim. Cum autem ne per illos quidem expilauerim uos an non manifestum relinquitur, quod egerim uobiscum nullo dolo, sed syncere ac candide, dum nulli ex uobis onerosus esse uolui?

SED esto, inquit.] Cõcessionis figura est, quam tamen mox refellit, tam abest, ut hęc de se per affirmationem dicat. Concedit autem, quod maleuoli de facto suo cauillabãtur, quo gloriam illius obscurarent. Id exprimit dicẽs: Sed esto ipse non grauaui uos, uerum cum essem astutus dolo uos cœpi. Cum dicit: ipse nõ grauaui uos, exprimit concessionem pseudapostolorum, qui quod negare non poterãt fatebantur quidem, uerum sinistra interpretatione adiecta, odiosum reddebant dicentes, haud quidem ipse uos grauauit, uerum fecit hoc astute, ut eiusmodi uos dolo caperet, sibique in posterum deuinctos redderet. Sic solẽt maleuoli. Quod negare non possunt, sinistris interpretationibus maliciose obscurant. Est hoc frequentissimum apud eos, qui spiritu liuoris ducuntur. Sic pharisei cum gloriam ac lucem operum Christi ferre non possent, quoniam ea negare sine manifesta impudentia nequibant, per sinistram interpretationem cauillabantur, fieri illa per Beelzebub principẽ dæmoniorum. Nostris temporibus infinita malicię huius exempla in illis uidere licet, qui ueritati Euãgelij Christi aduersantur. Verum nemini id mirum uideatur. Etenim si non Paulo tantum sed & Christo ipsi malicia hæc negocium facere tentauit, non debet insolens uideri si uirus suum in nos quoque effundat. Illi ipsi, qui per astutiam suam dolo maiores nostros circumuenerunt, cœperunt, & in seruitutem omnium seruilissimam coniecerũt, quod ipsi faciunt, illius nos insimulant. Quàm omnis generis dolo cœperint ecclesias Romani Pontifices, episcopi, & monachi, obscurum erat, cum omnia essent caligine catholicæ ignorantiæ obducta, iam uero restituta ueritatis luce, uix quicquam magis est perspicuum.

Tria hæc ex ordine subsequuntur, ubi locus datur pseudapostolis, dolus uidelicet, captura, & dominium. Dolus uarijs modis proponitur imperitis, & incautis, in eo tamen cõuenitur, quod omnis generis doli specie pietatis ac sanctimonię obuoluuntur, quo non modo lateant, sed & incautos fallant & capiant. Huc appositi sunt homines astuti, quibus in prõptu est quidlibet fingere, simulare, ac dissimulare, quales nobis innumeros dedit ea natio, quæ ante Christum quoque ad totius orbis primatum aspirauit. Quàm illi nos Germanos præcipue dolo admodum insigni cœperint, causa imperij ad nos translati, si penitus inspiciatur, abunde declarat, ut ea quæ religionem concernunt taceam. Eo dolo capta est Germania, & unà cum suo imperio Romanorum Pontificum libidinibus subiecta fefellerunt, cœperunt, suoque dominio insignẽ hanc nationem subiecerunt, quam nostra ætate dominus singulari beneficio ad libertatem reuocare dignatur, modo intelligãt, qui in illa sunt principes ac magistratus.

NVM per quenquam eorum, inquit, quos misi ad uos, expilaui uos?] Græcè est, ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς, uulgatus interpres uertit: circumueni uos. Et Erasmus suprà capite nono πλεονεξίαν, uertit fraudationem, ubi illam cupiditatem plura habendi significare diximus. Sic refutat cauillum maleuolorum. Poterat dicere. Atqui non modo ipse nihil, sed neque per quẽquam eorum quos misi ad uos, aliquid à uobis accepi. Verum quo consciẽtias ipsorum appellet, confidenter dicit: Num per quenquam eorum quos misi ad uos expilaui uos? Quasi dicat. Age dicite uos ipsi, si dolo prædicaui uobis gratuito, quo caperem uos & postea per meos commodius uos expilarem, an per quẽquam eorum hoc fecerim, quos misi ad uos?

ROGAVI Titum (uerti poterat, hortatus sum Titum) & unà cum illo misi fratrẽ. Num quid à uobis extorsit Titus? An non eodem spiritu ambulauimus? an non iisdẽ uestigiis?] Suprà capite octauo dixit Titum se esse adhortatum

tatum,ut quemadmodum ante cœpisset,ita & consummaret cœptũ apud Corinthios opus. Huius hic mentionem facit,dicens: Hortatus sum Titum,ubi subintelligenda sunt quę iam ex cap.8. citauimus.

ET unà cum illo misi fratrem,inquit.] Miserat cum Tito duos, quare quæsierit quisquam,quare unius tantum mentionem faciat, & utrum ex illis intelligat. Verum facilis est responsio. Duos quidem cum Tito miserat, uerum unus ex illis magis Ecclesiarum, quàm ipsius fuerat legatus, sicuti capite octauo uidere licet. Quare unius tantum recordatur, idque alterius,quem non ecclesiæ, sed ipse miserat.

NVM quid à uobis extorsit Titus?] Atqui ad hoc illum miserat,ut pecunias ab ipsis acciperet. Verum non ut sibi,nec ut ipsi,sed ut in usus sanctorum acciperet. Deinde ut acciperet non ab inuitis,sed à spontaneis,idque non ad πλεονεξίαν,sed ad εὐλογίαν.Quare nihil hic actũ fuit à Tito,quod cõtra ipsius esset propositũ.

AN non eodem spiritu ambulauimus, inquit? an non ijsdem uestigijs?] Hoc est: An non ille erga uos perinde animatus fuit atque ego? An non pariformiter non uestra quæsiuit,sed uos? Sed dices. Quid autem, si diuerso ille spiritu,alijsque uestigijs ambulasset, id ne Paulo imputandum fuisset? Nemo sic senserit opinor. Neque enim conuenit ut quæ faciunt posteri, illorum maioribus, uel, quæ faciunt discipuli, illorum præceptoribus imputentur. Nec est ut dicas, Paulus miserat Titum ad Corinthios, quare si is diuersum quid ab instituto ipsius egisset, ipsi utique imputandum fuisset.Etenim miserat quidem illum, uerum non ad expilandum,sed ad ædificandum Corinthios. Si illos expilasset, haud leue quidem offendiculum Apostolatui ipsius peperisset, ipse tamẽ extra culpam fuisset,propterea quod nec ipsius hoc ille iussu fecisset, nec post factum in comitatum ipsius receptus fuisset. Romanus pontifex mittit legatos suos in orbem Christianum ad ecclesias, reges ac principes. Accipiunt illi quæcunque emungere possunt. Si faciunt hoc spiritu non eodem,sed diuerso, declaret hoc Pontifex competenti correptione & emendatione. Verum quis non uidet similes habere labra lactucas, hoc est, eodem illos spiritu, & ijsdem uestigijs ingredi? Qua in re uidemus legitimam episcoporum successionem non in eo simpliciter consistere, si perpetua imitatione successores præcedentium uestigijs ingrediantur. Stabilis quidem in eo & nullo discrimine interrupta successio monstratur : Verum non legitima, quæ non est pseudepiscoporum, sed uerorum ac legitimorum.Simon ille, unde orta est in ecclesia Simoniaca hæresis, suos habet successores, eodem spiritu, & ijsdem uestigijs ingredientes. De illorum successione glorientur pseudepiscopi, de legitima gloriari non possunt.

Illud obseruandum est obiter, quod primo loco eundem spiritum,secundo uero eadẽ uestigia posuit. Admonemur non esse expectandum ut ijsdem uestigijs ingrediantur,qui non sunt eodem præditi spiritu. Diuersa uestigia diuersitatem spiritus arguunt. Est tamen consyderatio ista caute ac moderate accipienda. Etenim non possumus tribuere Paulo, quod diuerso ab apostolis spiritu ambulauerit, ubi ecclesias ab æmulatione Mosaicæ legis auocauit magis quàm faciebant Apostoli, Petrus, Iacobus, & Ioannes. Nam frequenter hoc accidit,ut eodem spiritu præditis, necesse sit alijs atq; alijs modis rem eandem usurpare ac tractare,propter circunstãtiarum ac respectuum diuersitatem. Quale & illud est, quod cum cæteri apostoli uictum sumerent propter prædicandi laborem, Paulus à Corinthijs accipere detrectabat. In eadem uero causa,ubi nulla est circumstantiarum uarietas,alijs atque alijs uestigijs ingredi,qualis erat de qua hoc loco scribit Apostolus, non est eorum qui eodem sint spiritu præditi.

Rursum arbitramini,quod nos uobis excusemus? In conspectu Dei, in Christo loquimur,sed omnia charissimi, pro uestra ędificatione. Nam metuo,ne qua fiat,ut si uenero, non quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis, qualem nolitis, ne quomodo sint contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, seditiones. Ne iterum ubi uenero, humilem me faciat Deus meus apud uos, & lugeã multos eorum qui ante peccauerũt, nec eos pœnituit immundiciæ, libidinisq; & impudicitiæ quam patrarunt.

Quoniã tanta diligentia innocentiã suã in hac epistola aduersus pseudapostolorũ calumnias tuetur,ut uideri posit ad morẽ eorũ, qui quod male gesserunt, excusare moliuntur, ubi factũ negare nõ possunt, studiosius sese purgare, ut ei cogitationi occurrat, dicit: Rursum arbitramini quod nos uobis excusemus? Vetus interpres uertit: Olim putatis, cum sit in Græco nõ πάλαι, id est, olim, sed πάλιν, id est, iterũ. Quoniam in præcedentibus aliquoties materiam hanc attigerat, non dicit simpliciter: Arbitramini, sed, Rursum arbitramini. Erat enim uerosimile & antea eos tale quid cogitasse.

QVOD nos uobis excusemus inquit.] Græcè est ὅτι ὑμῖν ἀπολογούμεθα. Significat aũt hoc uerbũ adductis rationib. sese purgare & excusare. Negat aũt hoc se facere, ꝓpterea q, qui sese excusant, plerũq; adferãt ea q̃ magis sint accõmodata causę quã agũt, q̃ in se uera. Ideo subijcit.

IN cõspectu Dei in Christo loquimur.] Sensus est. Nihil fingimus excusationis gratia, sed quæ uera sunt loquimur. Hoc significans dicit se in conspectu Dei in Christo loqui. Hic enim

non est locus fictionibus. In conspectu Dei loqui, est loqui in conscientia Dei tam religiose, ac si id fiat in conspectu diuinæ maiestatis. Addit, in Christo, quod exponi potest, uel, in causa Christi, id est, Christum concernente, uel in spiritu Christi, uel sub testimonio Christi. Non debemus autem particulam hanc de præsenti tantum causa exponere, sed generaliter de omnibus quę in Christo loquebatur. Quasi dicat. Non est mei moris ut excusationibus utar, quę fictis rationibus conflari solent, sed ita sum comparatus, ut quæcunq; in causa Christi præcipue, loquor, loquar nō temere ac leuiter, sed magna cum religione, tanquam in conspectu Dei constitutus.

SED omnia charissimi pro uestri ædificatione.] Græce est non ἀλλά, sed, quemadmodum Erasmus hic uertit, sed, τὰ δὲ πάντα, id est, omnia uero. Vetus melius reddidit. Omnia autem. Si legas, sed omnia charissimi pro uestri ædificatione, omnino desyderabitur aliquid. Vtpote: In conspectu Dei in Christo loquimur, nihil adferentes pro nostri purgatione, sed omnia pro uestri ædificatione. Si uero, omnia autem pro uestri ædificatione, expositio erit, quorsum ista tam multis, tamque religiose in conspectu Dei loquutus sit. Pro ipsorum uidelicet ædificatione. Quasi dicat. Non specto meipsum neque in hac præsenti causa, neq; in alijs, sed ut non uestra, sed uos quæro, ita & omnia pro uestri ædificatione, non pro nostri excusatione loquor. Multa scripsit in hac epistola, quibus in speciem sui ipsius uideri poterat habere rationem, utpote contra aduersarios pugnando, tam multis gloriādo, Apostolatus sui authoritatē asserendo, suamq; innocentiam defendendo, &c. Verum in omnibus quæ scripsit, nihil minus quàm seipsum quæsiuit, sed omnia ad hunc finem direxit, ut Corinthij in fide ac synceritate erga Christū ac uera pietate ædificarent. Hoc significans dicit: Omnia uero charissimi pro uestri ędificatiōe.

NAM metuo, inquit, ne qua fiat, ut si uenero, non quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis qualē nolitis.] Sane neutrū istorum ad ędificationem Corinthiorum fecisset. Quare cum utrunq; metuendum sibi esse cerneret, in omnes sese formas mutabat, omnēq; lapidem mouebat, ne quod pseudapostoli cœperant, ad destructionem ecclesiæ perficerent. Hoc sentiens dicit: Nam metuo, ne qua fiat ut si uenero, non quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis qualem nolitis.

NAM metuo, inquit.] Paterni pectoris curam ac solicitudinē per uerbū metuendi exprimit. Solicitudo paterna erga liberos sine metu esse nō potest. Perpetuo siquidem timet solicitum parentis pectus, ne quid admittant liberi quod sit inhonestū, aut accidat illis quod sit noxium. Huiusmodi metus solicitum Apostoli pectus indesinenter molestauit. Quid autem metuebat?

NE qua fiat, inquit, ut si uenero (non est in Græco, si uenero, sed μή πως ἐλθών, id est, ne quo pacto ueniens, quod uertendū est, ne quo pacto ubi uenero. Vulgatus interpres habet, cū uenero) non quales uelim reperiam uos, & ego reperiar uobis qualem nolitis.] Quoniā in ipsius absentia subingressi fuerant pseudapostoli, metuere cœpit, ne per illorum astutiā decepti, longe in alios quàm quales reliquerat, mutarentur, atq; ita fieret, ut ubi ad eos uenisset, inueniret quales nollet, & per cōsequēs ipse reperiretur qualem ipsi nollent. Sane metus hic non est præter rationem, nec frustra fatigat eorum animos, qui à suis quos diligunt, aliquandiu abesse cogūtur. Etenim rarissime accidit, ut domum reuersi reperiant illos quales uolunt, sicut nihil acciderit domi ipsorū, unde contristentur. Quare uehementer culpabiles sunt, qui nulla necessitate coacti domo, uxore, ac liberis relictis, mercenariam militiā sectantur. Hic sæpenumero euenit, ut cōiuges quas castas reliquerant, domum reuersi corruptas reperiant, ut taceam quæ liberis interea, ac rebus domesticis incommoda accidere solent. Hęc licentia in militiā excurrendi in Republica bene constituta ferri non debet.

ET ego reperiar uobis, inquit, qualem nolitis.] Habet hæc particula minas sequuturę seueritatis, quam experturi sint Corinthij, si alij quàm conueniat reperti fuerint. Quemadmodum in ludo literario si præceptor discipulos reperiat quales nolit, mox cōsequit̃, ut reperiatur & ipse alius quàm ipsi uelint, dum uirga in eos qui deliquerunt, animaduertit, ita metuens Apostolus, ne ubi uenerit Corinthum, reperiat eos quales nolit, annectit hanc particulam dicens: & ego reperiar uobis qualem nolitis. Vtrunque metuebat, quia nec ferre poterat illorum corruptelas, nec sine dolore in delinquentes animaduertere. Qui amat, quemadmodum lætatur, nō modo si qualem uult habeat eum quem amat, sed & si habeatur ab illo qualem is cupit, ita uiceuersa non solum ob id contristatur, quod reperit eum qualem non uult, sed & ob id quod sentit se alium esse quàm ille cupiat. Honesto marito uix poterit tristius quicquam accidere, quàm si coniugem suam aliam quàm uult reperiat, & uicissim alium quàm ipsa uelit, præstare se cogatur. Sic enim omnis coniugalis societatis suauitas è medio tollitur, ac tristi acerbitate commutatur. Hoc genus mutuæ contristationis metuens Apostolus dicit: Metuo nanque, ne qua fiat, &c.

NE quomodo sint contentiones, inquit, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, seditiones.] In Græco desideratur aliquid. Sic enim habetur, μή πως ἔρεις, ζῆλοι, &c. id est: ne quomodo contentiones, æmulationes, &c. ubi subaudiendum est, sint inter uos. Exponit consequenter utramque metus sui partem. Dixit: Nam metuo, ne qua fiat, ut ubi uenero, non quales uelim reperiam uos. Iam quales eos reperire nolit ac metuat

metuat, ne tales eos sit reperturus, aperit dicens: Ne quomodo sint inter uos contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, seditiones. Erāt dubio procul & alia multa uicia, quibus Corinthij laborabant, quorum etiam alibi meminit. Verum quoniam in hac epistola contra pseudapostolos potissimum dimicat, ea hic recenset, quæ instar malorum malę arboris fructuum ex sectis nascebantur, quas pseudapostoli plantauerant. Harum primarius fructus est mutuę charitatis extinctio, quā consequūtur e uestigio quæ hic memorantur, contentiones, æmulationes, iræ, &c.

CONTENTIONES, æmulationes, iræ, concertationes.] Habent quædam exemplaria in singulari ἔρις, id est, contentio. Gal. 5. numerantur hæc uicia inter opera carnis hoc ipso ordine quo hic recensentur. Sic enim ibi legitur, ἔρεις, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι. 1. Cor. 1. contentionum meminit ad hunc modum: Significatum est mihi de uobis fratres mei à familiaribus Chloæ, quod contentiones sint inter uos. Dico autē illud, quod unusquisq; uestrum dicit: Ego quidē sum Pauli, ego uero Cephæ, ego uero Christi, &c. Et 1. Cor. 3. Siquidem, inquit, cum in uobis sit æmulatio, & cōtentio, & factiones, nōn ne carnales estis. Ergo cum priorem ad illos epistolā scriberet, tales erant, quales si ad eos uenisset, reperturū se metuebat, cum hæc scriberet. Qua in re uidemus ne apostolis quidē sic ipsorum successisse scripta, admonitiones & correptiones, ut curis, metu ac solicitudine scribendo liberarentur. Quamuis hic Apostolus in priore epistola morbum hunc sectarum studiosissime repræhenderat, in hac posteriore tamen metuere se scribit, ne ubi uenerit ad Corinthios, reperiat inter eos contentiones, æmulationes, &c. Loqui autem ipsum de contentionibus, æmulationibus, concertationibus, obtrectationibus, &c. sectariorum, puto ex priore epistola abunde esse manifestū. Contentio & zelus erat, quod dicebant, alius ego sum Petri, alius ego sum Pauli, &c. Contendebant quisque pro eo quem æmulabatur ac sectabatur. Et ex eiusmodi contentione ac zelo nascebantur quæ sequuntur iræ, concertationes, obtrectationes, susurri, tumores, id est, tumidæ animorum inflationes, quibus alij aduersus alios inflabantur, seditiones, uel, factiones, quas 1. Cor. 3. & Gal. 5. uocat διχοστασίας, hic ἀκαταστασίας, quam uocem Erasmus prima Corinthiorum decimoquarto, confusionem uertit, ubi de illa diximus. Quàm miserabilis autem sit ecclesiarum status, in quibus obtinent studia contentionum, æmulationum, irarum, concertationum, obtrectationum, susurrorū, inflationum ac factionum, quis satis unquam perpendit?

Illud obiter annotādum puto. Sunt in hoc uiciorū catalogo duæ uoces idem significātes, ἔρις uidelicet & ἐριθεῖαι, quas tamen haud sine aliquo discrimine posuit Apostolus. Vtraque

A contentionem significat. ἔριν Suidas sic definit. ἔρις ἡ διὰ λόγων ἐπὶ ψόγῳ φιλονεικία. Consimili modo & ἐριθείαν definit dicens: ἐριθεία, ἡ διὰ λόγων φιλονεικία. Mihi apparet ἔριν, sic primo esse loco positum, ut in genere significet omne illud dissidium, qđ inter Corinthios erat, ad quē modū & pacis nomine generaliter subinde utimur, quādo nihil cōtentionis, nihil odiorū, nihil bellorum, &c. esse significātes, pacem esse dicimus. Sic timebat Paulus, ne inter Corinthios reperiret, non pacem, sed contentionem. Quę uero sequuntur uelut explicationem habēt eorum malorū, quæ in contentione regnant, ac ueluti partes illius existunt. Inter illa numeratur & ἐριθεῖαι, eo uidelicet sensu, quem Hieronymus Gal. 5. ad hunc modum exponit. Est autem ἐριθεῖαι, cum quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno, & muliebri iurgio contendit, & prouocat contendentem. Hæc ille. Ergo ἐριθείαν Apostolus posuit hoc loco pro rixa. Erasmus uertit hic concertationē. Ad exprimēdum hoc discrimen pulchre facit quod in singulari dicit: μήπως ἔρις, id est, ne quo pacto sit inter uos contentio, ac tum in plurali ueluti membra cōtentionis subijcit, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι, &c. Existimo autē, haud necessariū esse, ut singula explicando persequamur, maxime nostra hac ætate, in qua plus satis hęc monstra ecclesijs Christi negocium faciunt, ac terribilibus suis formis piorum animis horrorē incutiunt. Ipse illorum catalogus uix potest ab homine Christiano, citra horrorem legi.

B NE iterum ubi uenero, inquit, humilem faciat me Deus meꝰ apud uos.] Hactenus priorem metus sui partem exposuit, iam subiungit posteriorem, quę ex priore nascebatur. Ea erat quod metuebat, ne Corinthijs suis ubi ad eos uenisset, non qualē uellent reperiretur. Ad hāc pertinet quod dicit: Ne iterum ubi uenero, humilē me faciat Deus meus apud uos, & lugeā multos, &c. Humilitas quædam est omnis tristitia. Ideo mox subijcit: Et lugeā multos eorū qui ante peccauerunt, nec eos pœnituit immūdicię, libidinisq; & impudicitię, quā patrarūt. Hoc genus humilitatis futurū sibi metuebat, secus uero animatus erat erga personæ suæ humilitatē. Quod autem nō simpliciter dicit, ne humilis fiam, sed, ne humiliet me Deus meus apud uos, puto intelligendū esse de eo, quod propter Deum, & uenire Corinthū constituebat, & si eo uenisset propter eos, qui impœnitentes erant, luctū habiturus esset. Sic dicit facturum Deum, quod sibi propter Deum euenturū metuebat. Ergo à Deo humiliat̄, qui propter Deū, & in causa Dei humiliat̄, & rursus à Deo glorificat̄, qui propter Deū glorificatur.

ET lugeam multos eorum, inquit, qui ante peccauerunt, nec eos pœnituit immūdiciæ, libidinisq;, & impudicitiæ, quā patrarunt.] Nō puto referre, siue de priuato Apostoli, siue de publico ecclesiæ luctu intelligamus. Si Corinthum uenisset, luxisset utiq;, & ecclesiam ad lugendum unà secum induxisset.

ET

ET lugeam multos.] Non perstringit omnes sed ex omnibus aliquos. Ergo non omnes tales erant, propter quos lugendum fuisset Apostolo. Nec dicit: Et lugeam aliquos, sed: Et lugeam multos. Erãt igitur in ea ecclesia, quã tantopere diligebat, non pauci aliqui, sed multi impœnitentes, quorũ gratia lugendũ fuisset Apostolo, si ad ipsos uenisset.

QVI ante peccauerunt, inquit.] An sit hoc intelligendum de peccatis ante baptismũ patratis, uel de illis quæ post receptã Christiani nominis professionem admiserant illi nõ pauci sed multi, nõ puto posse certo statui. Fieri potuit, ut in absentia Pauli multi ex Corinthijs ad professionem quidem Christianismi uenerint, uerum sine resipiscentia præcedentium peccatorum. Rursus uerosimile est fuisse in illorũ ecclesia multos, qui post baptismũ quoque in consueta immundicia, citra resipiscentiam pergerent.

NEC eos pœnituit, inquit, immundiciæ, libidinisque & impudicitiæ quam patrarunt.] Quod hic Erasmus libidinem uertit, in Græco est πορνέα, quæ uox scortationẽ significat, quẽadmodum & ipse illam Galatis 5. trãstulit, ubi inter opera carnis recẽsentur, μοιχέα, πορνέα, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, id est, adulterium, scortatio, immũdicia, & impudicitia, uel ut ibi uertit Erasmus, lasciuia. Immundicia & impudicitia generales uoces sunt, quarũ multæ sunt species, adulterium uidelicet, incestus, stuprum, scortatio, & quæ contra naturam admittuntur. Lyranus immundiciam accipit pro Sodomia, & impudicitiam pro defloratione uirginũ, quã tamen Gal. 5. refert ad exteriorem inhonestatem in aspectu, gressu, tactu, & huiusmodi quę procedunt ex impudicitia cordis. Annotant nonnulli per ἀσέλγειαν intelligi Græcis atrociorem petulãtiam, quàm sonet Latinis lasciuia. Ab Æsch. ponit pro flagitiosa & obscœna consuetudine stuprandi. Verum uideamus quæ sint hoc loco obiter obseruanda.

1 Principio obserua quod non dicit: & castigem, uel, excommunicem, sed, & lugeam. Castigare & excommunicare peccãtes facile est, præsertim iusticiarijs & magnis magistris, lugere uero non ita. Id enim eorum est tantum qui diligunt, & paterna sunt storgia etiam erga delinquẽtes prædití. Ad luctum uideo nõnullos hodie non tam esse appositos, quàm ad excommunicandum, neq; tam esse propensos ad colligendũ, quàm ad excludendum. Citantur exempla Pauli, uerũ affectus Paulinus paucis est cordi. Citius excommunicãtem quàm lugentem sequimur.

2 Deinde quid opus erat luctu, cum absens quoq; multos illos impœnitentes perinde atque unicum illum, quo de 1. Cor. 5. legimus, excommunicare posset, ac fermentum illud expurgare, ne reliqua massa corrumperetur? Nõ est uidelicet prudẽti pastori temere usurpãda quorumuis excommunicatio, sed etiam atq; etiam uidendum, ad ædificationem ne & re- A medium malorum factura sit uel secus. Periculose autem præsumitur, ubi non unus & alter, idq; propter enorme & omnibus detestabile flagitium, quale erat scortatoris illius, cuius iam mentionem fecimus, sed multi & ob uicia communiora, excommunicantur. Nam periculum illic est, ne multi illi schisma constituant in ecclesia, & malum non emẽdetur, sed in peius mutetur. Hoc timens Apostolus, non dicit: Congregatis uobis & meo spiritu, excõmunicate multos illos, qui ante peccauerunt, &c. sed, & lugeam multos &c.

3 Tertio, cum usus excommunicationis sit non modo ut emendetur qui peccauit, & ecclesiam peccato enormi offendit nec desistit, sed & ut reliqui cautiores reddãtur, uidemus id in ecclesia Corinthiorum non successisse, q̃uis scortator ille iussu esset Apostoli ab ecclesia excommunicatus, quandoquidem adhuc multi in illa erant, de peccatis suis haudquaq̃ resipiscentes, quos utiq; exemplum excõmunicati, & metus excommunicationis ad resipiscentiam non permouit.

4 Quarto, nõ simpliciter dicit, qui ante peccauerunt sed addit, nec eos pœnituit immundiciæ, &c. Ergo non tam lugubre est peccasse, quàm nulla peccati pœnitentia duci. In peccatore resipiscẽte non est materia luctus, sed gaudij potius, idq; in cœlis inter ipsos angelos Lucæ 15. Qua in re obseruandum nobis est, quãta sit resipiscentiæ utilitas, & rursus quantũ impœnitentiæ malum. B

Loquitur autem de resipiscentia uera, qua peccatum non ad tempus suspẽditur, sed prorsus abijcitur. In Papatu simulãt se sacrifici pœnitentia immundiciæ, scortationis ac lasciuiæ suæ duci, dum scorta & concubinas suas una & altera septimana, tempore quadragesimæ, quam uocant, ædibus suis excludunt, & mox ad pristinam immundiciam reiterandam resumunt, quod genus pœnitentiæ impudentissima est illusio Dei. Verum meliore digni non sunt, qui legitimi cõiugij honestatem propter terrenas ocij ac uentris cõmoditates abiurãt.

ARGVMENTVM capitis.

Minatur hoc capite non parsurũ se illis qui ante peccauerunt, sed declaraturum loquentis in se Christi uirtutem, quandoquidem experimentum illius quærebant. Tandem epistolam claudit.

CAPVT XIII.



HIC tertius erit aduentus meus ad uos. In ore duorũ testium aut trium, cõstituetur omne uerbum. Prędixi & prædico, ut præsens cum essem iterum, ita & absens nunc scribo ijs,

ijs, qui ante peccauerunt, & reliquis omnibus, quod si uenero denuo, non parcã. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquẽtis Christi, qui erga uos non est infirmus, sed potẽs est in uobis. Nam quamuis crucifixus fuit ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute Dei. Siquidem & nos infirmi sumus in illo, sed uiuemus cũ illo ex uirtute Dei erga uos. Vosipsos tentate, num sitis in fide, uosipsos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis est? Nisi sicubi reꝓbi estis. At spero uos cognituros, quod nos nõ simus reprobi.

HIC tertius erit aduentus meus ad uos, inquit.] In Græco est, τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, id est. Tertia hac uice uenio ad uos. Vulgatus interpres uertit: Ecce tertio hoc uenio ad uos. Ex hoc & eo qui in capite pręcedenti est loco, existimant nonnulli Paulum priusquam hæc scriberet, secundo inuisisse Corinthios. Dixi suprà ei me sententię non repugnare. Haud tamen uideo quomodo illa ex uerbis istis necessario concludatur. Etenim quid impedit, quo minus secundo se ad eos uenisse dicat, cũ priorem ad ipsos epistolã mitteret, & iam per alteram hanc tertio? præsertim cum hic simpliciter dicat: Tertio iã uenio ad uos. Si dixisset. Tertio uenturus sum ad uos, probabilior esset illa sentẽtia. Verum cum dicat τρίτον τοῦτο, id est. Tertio hoc, uel, tertio iã, apparet ipsum loqui de aduẽtu q̃ fiebat per epistolã quã scribebat.

Nõ est autem ociosum quod se iam tertio ad eos uenire dicit. Etenim hoc dicens notat impœnitẽtium duriciem, qua fiebat, ut semel atque iterum admoniti haud resipiscerent, & simul minatur, si tertiam quoque hanc admonitionem contempserint, tentaturum se seueriora, unde & mox subijcit.

IN ore duorum testium ac trium, constituetur omne uerbum.] Locũ hunc citat ex Deut. cap. 19. ubi sic legitur, על פי שני עדים או על פי שלשה עדים יקום דבר, id est. Super ore duorũ testium, uel, super ore trium testium stabit uerbum. Est autem stare uerbum, idem quod firmari causam de qua testimonia ferũtur, si duo uel tres de illa conformiter fuerint testificati. Hanc legem accommodat suo proposito. Quasi dicat. Iam tertio conuenio uos, ac redarguo impœnitentes. Quare nihil illis excusationis relinquetur in posterum, si tertiam hanc redargutionem contempserint, sed quemadmodũ in ore duorum uel trium testium, iuxta legẽ, condemnãtur rei, firmaturq; iudicium, ita tertia hac admonitione fiet, ut tanquam sufficiẽter admoniti, merito condemnẽtur, eo quod manifestum sit, constituisse eos pertinaciter in impœnitentia sua pergere, si ne sic quidem resipuerint. Cõsimile est illud Christi Matth. 18. ubi trina admonitione sufficientiã correptionis terminat dicens: Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus es fratrem tuum: sin uero te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut triũ testium consistat omne uerbum. Quod si nõ audierit eos, dic ecclesiæ. Quod si ecclesiam non audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus. Sic in foro iudiciario contumaciæ damnatur, si quis tertio legitime citatus nõ cõparuerit.

Itaq; secundum hãc Apostoli sententiam, tot testibus conuenitur & accusatur peccator, quot uicibus siue per unum siue per alios atq; alios admonetur, ac redargutus ad resipiscentiam uocatur. Deinde uidemus hic sufficientibus testimonijs omni excusatione priuari eos qui secundo ac tertio admoniti, pręsertim per eos quorum sunt curæ subiecti, resipiscere detrectant. Quod si ex abundanti sæpius redarguuntur, facit hoc ad cõdemnationis illorum auxesim, perinde ac si pluribus testibus quàm tribus qui in iudicio accusatur, de flagitio admisso conuincatur.

PRAEDIXI, inquit, & prædico, ut præsens cum essem, iterum ita & absens nunc scribo, &c.] In Græco sic legitur, προείρηκα καὶ προλέγω, ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν γράφω, id est. Prædixi & prædico ut præsens secundo, & absens nunc scribo. Itaq; Erasmus de suo adiecit, cum essem, &, ita, & δεύτερον, id est, secundo, uertit, iterum Augustinus libro 3. contra epistolã Parmeniani cap. 2. legit ad hunc modum. Prædixi & prædico sicut præsens secundo & nunc absens, his qui ante peccauerunt. Et Ambrosius sic: Prædixi enim & prædico ut præsens secundo aduentu, & absens nunc his qui ante peccauerunt. Vulgatus interpres habet, ut pręsens uobis. Pro δεύτερον reddidit uobis, & uerbum γράφω omisit, quemadmodum illud nec Augustinus nec Ambrosius legerũt. Et uidetur commodius omitti posse, quàm legi.

Exponit quorsum legem illam, in ore duorum uel trium testium, &c. citarit. Quasi primum testimonium fuisse significat, quod prędixerat cum secundo apud eos esset, alterum uero quod nunc denuo inculcat, quid? quod nõ sit parsurus, ubi ad ipsos uenerit. Sic dicit: Prædixi & prædico, prædixi cum essem præsens secundo, prædico etiam nunc cum sum absens, prædico autẽ ijs qui ante peccauerũt, & reliquis omnibus, qđ si uenero denuo non parcam. Si ad hunc modum exposuerimus, apparet ipsum secundo uenisse Corinthũ, ac præsentem redarguisse peccantes. Verum si illud & prædico ὡς παρὼν τὸ δεύτερον καὶ ἀπὼν νῦν, coniũctim acceperimus ad hũc modum, perinde ac si præsens sim secundo, nunc quoque absens hoc prædico, non poterit firmum esse, quod secũdo pręsens fuerit apud Corinthios. Etenim nõ simpliciter dicit, παρὼν τὸ δεύτερον, id est, cum præsens essem secundo, sed ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, id est, perinde ac si sim præsens secundo. Dein de ista iũgit nõ cum præterito uerbo, prędixi, sed cum præsenti, prædico. Verum non contẽdo, sed diligẽtẽ lectorẽ quid cogitet moneo.

Quibus autem prædixit & nunc quoque prædicit? Illis, inquit, qui ante peccauerunt, & reliquis omnibus. Vbi dicit, ijs qui ante peccauerunt, subintelligendũ est illud ex calce capitis præcedẽtis, nec eos pœnituit immundiciæ, libidinisq; & impudicitiæ quã patrarunt. Neque enim loquitur in genere de omnibus qui ante peccauerant, sed de illis specialiter, quos peccatorum suorum non pœnitebat.

Illud, & reliquis omnibus, ad hoc adiecit, ut etiam eos qui non ita peccauerant, nec peccabant in præsenti cum ista scriberet, neq; de impœnitentia accusari poterãt, cautos redderet, ne exemplo peccantium & impœnitentiũ seducti securius agerent, & in idem malum inciderent. Admonentur hoc exemplo ministri Christi, quàm non eos modo qui delinquunt corripere & ad resipiscentiam uocare, sed & cæteros cautos ac uigilantes reddere debeãt, ne & ipsi peccando à studio innocentiæ exorbitent. Quid autem illis prædicit?

QVOD si uenero, inquit, non parcam.] Est hæc cõminatio paterna. Sensus est. Si me coëgeritis ut ad uos denuo ueniam, non ueniam frustra, sed animaduertam in eos qui non resipuerunt. Dices: Quorsum opus erat iterũ hoc atq; iterum prædicendo comminari? Respondeo, quia adhuc illis parcebat, conabaťq; eiusmodi comminationibus paternam erga ipsos storgiam spirantibus, eos qui peccauerant, flectere ad resipiscentiam, ne seuerius aliquid in eos tentare cogeretur, à qua seueritate uehementer abhorrebat, qua de re & suprà cap. primo meminit dicens: Ego uero testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens uobis nondum uenerim Corinthum, & quæ ibi sequuntur. Augustinus contra Donatist. dimicans lib. 3. aduersus epist. Parmen. cap. 2. locum hunc sic proposito suo accommodat. Ideoq; idem Apostolus cum iam multos cõperisset & immunda luxuria & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epist. scribens, non itidem præcipit, ut cum talibus nec cibum sumerent. Multi enim erant, nec dici de his poterat, si quis frater nominať fornicator, aut eidolis seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere, sed ait: Ne iterum cum uenero ad uos humiliet me Deus, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia, & luxuria, & fornicatione quã gesserunt: per luctũ suum potius eos diuino flagello coërcendos minans, q̃ per illã correptionem, ut cæteri ab eorũ coniunctione se contineant. Consequenter enim dicit: Ecce tertio hoc ueniam ad uos, ut in ore duorũ uel trium testiũ stet omne uerbum. Prædixi & prædico, sicut præsens secundo & nunc absens his qui ante peccauerũt, & cæteris omnibus: quia si uenero iterũ nõ parcam, quia probationẽ quæritis eius qui in me loquitur Christus. Quid aliud dixit hic, nõ parcam, nisi quod superius ait: Et lugeã multos, ut luctus eius impetraret flagellũ à domino, quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterant ita corripi, ut ab eorũ coniunctione se cæteri continerent, & eos erubescere facerent, sicut faciendũ est, si quis frater in aliquo cęteris dissimili crimine nominatur? Et reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Hæc ille, quæ utinam considerent diligẽtius fratres illi, q̃ meo iudicio, imprudẽtius aliquãto ad seperationis cõsilia ꝑpendẽt.

QVANDOQVIDEM experimentum quæritis, inquit, in me loquentis Christi, qui erga uos non est infirmus, sed potẽs est in uobis.] Contemni se uidebat, perinde ac si nulla esset uirtute Christi præditus, atq; ita contemni in se Christum. Cum hoc facerent impœnitẽtes & secure in peccatis suis pergentes, nec quicq̃ sibi à Christo per Apostolum ipsius metuẽtes, eam securitatem moleste ferens interpretatur nihil esse aliud, q̃ tentationem Christi in se loquentis, & per hãc tempestiuum fieri dicit, ut quod experiri q̃ deprecari malunt, reipsa experiantur. Sic cum dixisset, quod si uenero non parcam, subiungit, quandoquidem, uel ut Augustinus legit, quia probationem quęritis loquentis in me Christi. Minas ipsius securi ridebant, non credẽtes eas fieri per spiritũ Christi nec fore per uirtutem illius efficaces, id quod nihil erat aliud, q̃ experimentũ quærere, Christus ne per ipsum minas eas proferret, uel essent inania tantum terriculamenta, nihil uiriũ habentia. Dicit itaq;, mallem uobis parcere, ideoq; nondum ueni ad uos Corinthum, sed literis in uiam uos reducere molior. Verũ quoniam admonitiones meas quæ per literas fiũt perinde cõtemnitis, ac si sint hominis infirmi ac contempti & non ipsius Christi, atq; ita experimẽtum quæritis loquentis in me Christi, age ubi uenero faciam ut quod quæritis inueniatis. Neq; enim parcam amplius, sed declarabo uobis, q̃ sit Christi in me loquẽtis potẽtia.

Haud quidẽ studio ac uolentes id agebant impœnitẽtes Corinthij, ut certo cognoscerẽt admonitiones Pauli, Christi esse in ipso loquẽtis, uerum quoniam illis non credebãt, sed cõtemptim in impœnitentia sua pergebãt, dicit id nihil esse aliud q̃ uelle experiri, ueritatem ac uirtutem in se loquentis Christi, quatenus uidelicet nõ credere minis, sed pergere in malo, nihil est aliud q̃ condignas uelle experiri plagas, perinde ac si præceptor immorigero discipulo, quem nullis admonitionibus acquiescere uidet, dicat: quandoquidem experimẽtum quęris uirgę, quam in potestate mea habeo, age si monitis hisce meis non parueris, non parcam amplius, sed faciam, ut quod quæris inuenias, ostendamq; tibi quę sit illa mea potestas, cuius admonitiones nihili facis.

Hunc existimo germanum esse præsentis loci sensum, ut experimentũ quærere, sit pertinaci

tinaci impœnitẽtia exequutionem minarum contra se prouocare, ut quod quis credere detrectat, reipsa experiatur, deinde illud, loquentis in me Christi, de admonitionibus & comminationibus per ipsum factis, intelligatur, licet enim uniuersa Euangelij doctrina quam prædicabat non esset ipsius, sed loquentis in ipso Christi, specialiter tamẽ hic de potestatẽ sua quam à Christo acceperat, loquitur, ex qua ipsos admonebat & corripiebat, quam impœnitentes contemnebant.

QVI erga uos non est infirmus, inquit, sed potens est in uobis.] Transfert cõtemptum potestatis suæ in ipsum Christum, & ut admoneat, quàm non sit excusabilis, reuocat illis in mentẽ, quanta sit efficacia & potentia loquentis in se Christi inter ipsos declarata. Sic dicit: Qui erga uos non est infirmus, sed potens est in uobis. Non simpliciter dicit: qui non est infirmus sed potens. Neq; enim in genere de potentia Christi loquitur, cum illa sit infinita, sed specialiter de ea, quæ erga ipsos fuerat declarata loquens: qui erga uos, inquit, non est infirmus sed potens est in uobis.

Fuerat autem illa in ecclesia Corinthiorũ bifariam declarata. Primo, in ministerio prædicationis ipsius per uirtutem cooperantis spiritus Christi, in uarijs charismatibus, signis ac portentis, de quibus capite præcedenti dixit: Nulla enim in re inferior fui summis apostolis, tametsi nihil sum. Signa quippe Apostoli peracta fuerunt inter uos cum omni patiẽtia, & signis & prodigijs & potentibus factis. Sano per hæc abunde satis declaratum fuerat inter Corinthios, nõ minus quàm in reliquis ecclesijs, non esse Christum infirmum, sed potentem in apostolorum suorum ministerio. Deinde per castigationem necessariam, qua corripiendi sunt peccantes. Ea quoq; uirtus Christi comprobata fuerat in Corinthijs, priusquã priorem ad illos epistolã scripsisset. Sic enim cap. 11. legimus. Nã qui edit & bibit indigne, iudicium sibijpsi edit & bibit, non dijudicans corpus domini. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicassemus, haudquaquã iudicati fuissemus. At cum iudicamur, à domino corripimur, ne cum mundo cõdemnemur. Quibus uerbis satis innuitur immisisse dominum uirgam paternam illis, qui sacramẽto corporis & sanguinis ipsius ad iudicium usurpabant, eaq; in re declaratũ fuisse, non esse Christum sic infirmum, ut nequeat in eos animaduertere, qui admonitionum apostolorũ ipsius contemptores esse malunt quàm obsequutores, sed satis potentem, ad castigandam fidelium suorum impœnitentiam. Quod itaq; dicit: qui erga uos non est infirmus, sed potens est in uobis, non incommode ad utranq; Christi uirtutem inter Corinthios declaratam referri potest. Nam utræq; sic inter illos declaratæ fuerant, ut sufficerent singulæ ad redarguẽdum inexcusabilẽ impœnitentiũ contẽptum.

Habent hic unde se solẽtur Christi ministri, ubi se apud eos quoque quibus Christum prędicant, nihil authoritatis habere uident. Etenim si id accidit Paulo, per cuius prędicationẽ Christus inter Corinthios potens declaratus fuerat, quid mirum est, si ipsis idem usuueniat, cum nulla tanta sit ipsorum prædicationi uirtus Christi coniuncta, quanta coniuncta erat Apostolatui Pauli, multis signis ac portentis illustrato?

NAM quamuis crucifixus fuit, inquit, ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute Dei.] Vindicat gloriam potentiæ Christi contra contemptum crucis. Quoniam prædicabat Christum crucifixum, uidebatur prædicare Christũ non potentem sed infirmum, qui sine periculo possit contemni. Occurrit, non negans infirmitatem carnis in crucifixione ac morte illius manifestatam, sed agnoscens quidem illam, uerũ sic ut asserat illi uitam, non amplius infirmitati, ut antea, obnoxiam, sed diuina uirtute glorificatam, qua se ab omni posit cõtemptu potenter asserere. Quasi dicat. An ideo contemnitis Christum in me loquentem quod mortuus est per infirmitatem carnis? Mortuus quidem fuit ex infirmitate, uerũ non est mortuus amplius, sed uirtute Dei à morte excitatus uiuit, & uiuit non adhuc infirmus, sed potentia Dei præditus. Et hæc ipsius potentia abunde inter uos est declarata, unde cognoscere potestis, habere nos Christum neq; mortuum neque infirmum, sed uiuum & potentem.

De eo quod Christum ex infirmitate crucifixum esse dicit, annotarunt alij, quomodo infirmitatis uocabulo de ueritate carnis humanę, ab illo salutis nostrę gratia susceptæ admoneamur, contra eos, qui non naturæ ac conditioni susceptę carnis, sed singulari dispensationi tribuunt, quod mori potuit. At Apostolus diserte dicit: Nam crucifixus est ex infirmitate, quod sane non potest aliò referri, quàm ad carnem illius sic infirmã ut mori posset. Diuina quidem dispensatione factum est, ut uerbũ illud æternum per quod condita sunt omnia, caro fieret, uerum talis caro, quæ infirma esset nostræque dempto peccato, natura & conditione similis, imò ὁμοούσιος. Et hæc carnis infirmitas haud quidem intulit Christo moriendi necessitatem, cum mortuus sit, quia uoluit, & quia pater sic constituerat, uerum naturæ suæ infirmitate susceptæ pro nobis dispensationi accommodata seruiuit. Ad hoc enim talem suscepit, ut quoniã nos carni & sanguini sumus obnoxij, ipse similiter particeps eorundem factus per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium. Non ob id est crucifixus ex infirmitate, quod nequiret infirmam suam carnem reddere firmam, & seruare à necessitate moriendi, si ita uoluisset pater, sed quod obediens Deo patri, infirmam suam carnem sponte sua tradidit, ut mortem gustaret in cruce. Quare nec moriendi necessitatẽ damus Christo ex carnis illius infirmitate, nec sic dispensa

tionem susceptam agnoscimus, ut infirmitatē carnis in illo negemus. Oportuit Christum sic pati, non propterea quod infirmus erat carne sed quia sic ab ęterno disposuerat pater. Infirmus autem factus est carne, ut nostras infirmitates portare, proque peccatis nostris crucifigi posset ac mori, de his sicuti dixi annotarūt ante me alij, uolui autem & ipse de illis admonere, ut sententiā meā ipsorū annotatis cōiungā.

Et illud, uiuit tamen ex uirtute Dei, caute accipiendum est, ne intelligamus tribui Christo, quod non suapte, sed sic Dei uirtute uiuat, quemadmodum nos toti quāti quāti sumus, uirtute nō nostra, sed Dei uiuificabimur. Viuit ille uirtute Dei, sua uidelicet, quatenus uerus Deus est, diuinaq; potestate quam habet animam, quam posuerat pro nobis recepit, quem admodum & ex infirmitate sua, ut homo, crucifixus fuit. Idem Christus ex sua mortuus est infirmitate, humana uidelicet, & ex diuina sua uirtute uiuit. Verbum autem uiuendi non posuit simpliciter, sed emphatice, ut idē sit quod, uiuendo triumphat ac regnat, uirtutemque suam declarat.

SIQVIDEM & nos infirmi sumus in illo, inquit, sed uiuemus cum illo ex uirtute Dei erga uos.] Græcè est, καὶ γὰρ ἡμεῖς, id est. Etenim nos, quasi quod hic dicit uel rationem uel cōprobationem habeat præcedentium, quæ de Christi dixit infirmitate, & uirtute. Rationem habere non potest. Neq; enim ideo Christus crucifixus est ex infirmitate, & uiuit ex uirtute Dei, quod Paulus infirmus postea in ipso uicturus erat cū ipso, ex uirtute Dei erga Corinthios, sed ijs potius quæ de Christo prædicat, ratio assignari potest eorum, quę hic loquitur de seipso. Cum ergo illud καὶ γὰρ nequeat hic uim habere αἰτιολογίας, restat ut positum sit sensu comprobandi. Iam quod de Christo dixit, crucifixum illum fuisse ex infirmitate, nullam comprobationem requirebat, tanquam per se alioqui manifestum. Reliquum igitur est, ut referendum sit ad id quod dixit: Viuit tamē ex uirtute Dei. Huius comprobandi gratia subijcit: Etenim nos infirmi quidem sumus in illo, sed uiuemus cum illo ex uirtute Dei erga uos. Quasi dicat. Vbi senseritis nos uiuere ac posse erga uos per uirtutem Dei cum Christo, qui iā infirmi in illo & nihil posse erga uos uidemur, tum comperietis non esse illum infirmum in nobis, sed potentem erga uos, adeoq; non cōtemnendum in nobis sed religiosissime reuerendum. Hunc sensum poscit uocula γὰρ. Nisi illa esset, appareret ista dicta esse ad exprimendam conformitatem eorum quæ Apostolo similia acciderunt cum Christo, legendaq; & exponenda ad hunc modum. Et nos (consimiliter) infirmi quidem sumus in illo, uerum uiuemus cū illo ex uirtute Dei erga uos. Quasi dicat. Quemadmodum ille crucifixus est ex infirmitate, ita & nos in illo multis afflictionibus obnoxij sumus & infirmi, & sicuti ille uiuit ex uirtute Dei, potensque est erga uos, ita

A & nos cum illo, ubi ad uos redierimus, ex uirtute Dei erga uos uiuemus potētesq; erimus. Hic sensus stare posset, nisi esset uocula γὰρ.

Quoniam nō simpliciter dicit: uiuemus cū illo ex uirtute Dei, sed addit, erga uos, manifestum est non esse intelligendū de futura uita, qua cum Christo uiuemus in gloria, sed de ea, qua se potentem erga Corinthios, ubi ad eos uenerit, ad castigandum impœnitētes fore dicat. Quare quorundam expositio, qui hæc de futura gloria exponunt, & impertinens est ad præsentem causam, & ipsis uerbis non conuenit. Minatur adhuc id ipsum quod suprà dixit, quod si uenero denuo non parcam. Ei comminationi exequendæ propter formas infirmitatis, quas uarijs modis afflictus præferebat, impar uidebatur. Comminatur igitur illis fore, ut cum Christo satis sit erga eos uiuax & potens ad castigandum immorigeros, quātumuis in oculis ipsorum infirmus & contemptibilis appareat.

VOSIPSOS tentate, inquit, num sitis in fide, uosipsos probate.] Transfert causam de qua agit ad ipsorum consciētias. Quasi dicat. Quod si uirtutem uiuentis Christi in me non agnoscitis, agnoscite illam saltē in uobis. Probate & examinate uosipsos, num declarata sit in uobis uirtus Christi. Si illam in uobis deprę henditis, quomodo in me non agnoscitis, per quem illa uobis contigit? Hæc est summa præsentis loci. Sed uideamus ipsa uerba.

B VOSIPSOS tentate, inquit.] Græcè est πειράζετε. Significat πειράζειν Gręcis immaturo aliquid & frustra neo conatu aggrediendo tentare. Hoc sensu non loquitur hic Apostolus, sed simpliciter iubet eos experimentū capere deseipsis. Quare uerti poterat: Explorate uosipsos uel, experimentum capite de uobisipsis.

NVM sitis in fide.] εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, id est, si estis in fide. Sic habet & uulgata æditio. Non iubet eos periculū de seipsis facere, num sint in fide, sed, num sit in ipsis Christus, id quod paulo post exprimet. Dicit. Si estis in fide, id est, si estis fideles & uiri Christiani, experimentum de uobisipsis capite. Nondum exprimit, cuius rei periculum in seipsis facere debeant. Quare expositio eorum impertinens est, qui sic exponunt: Vosmetipsos tentate, id est, facta uestra examinate, antequam ueniam ad uos iudicandum. Non poscit ut suaipsorum facta examinent, sed ea potius, quæ operabatur in ipsis uirtus Christi.

VOSIPSOS probate.] Repetitio ista confidentiam exprimit qua causam hanc ad ipsorum conscientias trāsfert. Alioqui, nihil aliud intelligit, per uerbum δοκιμάζετε q̄ per πειράζετε.

AN non cognoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis est?] Tandem exprimit quod uolebat, & cuius experientiam de seipsis capere debeant. Profert autē id cum quadam stupiditatis exprobratione, dicēs: An nō cognoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis est? Quasi dicat. Adeo ne stupidi estis

ut ne

ut ne uosipsos quidem cognoscatis? qua in re? Quod uidelicet Iesus Christus in uobis est, hoc est, quod uirtus Iesu Christi agit in uobis, dum tot charismatibus spiritus per fidem in ipsum, ac nominis ipsius professionem cumulati estis? Vnde est uobis sermo sapientiæ, & scientię? Vnde fides? Vnde dona sanationum? Vnde prophetiæ? Vnde discretiones spirituũ? Vnde genera linguarum? Vnde interpretatio linguarum? An non hæc & eiusmodi alia uirtutem agentis in uobis Christi declarant? Si tã potens igitur in uobis est Iesus Christus, quomodo illum in me nonnisi infirmum esse putatis? Vel ex uobisipsis perpendite, quid de Apostolatu meo sentire debeatis.

Illud, quod Iesus Christus in uobis est, exponunt nonnulli de gratia Christi, per quam credentes regenerantur ac iustificantur, & cõscientiæ ipsorum pacificantur. Verum hæc illorum sententia abludit à scopo causæ in qua Apostolus uersatur. Neque enim de gratia iustificãte agit hoc loco, illisq; dotibus spiritus, quæ hanc concomitant, sed de potentia Christi, per cuius timorem impœnitentes ad pœnitentiam reuocare moliebatur.

Haud tamen negarim non incommode locum hunc ad id usurpari posse, ut admoneamur singuli, quo nosipsi exploremus, simusne in fide Christi, & habitet in nobis Christus per fidem, uel secus. Sunt enim certa experimenta fidei, unde cognoscam⁹, sit ne Christus in cordibus nostris per spiritum ipsius uel minus, quandoquidẽ nequit ociosa esse uera in Christum fides, qua de re in locis nostris uidere licebit, ubi uolente domino in lucem prodibunt.

NISI sicubi reprobi estis, inquit.] Græcè est, ἐἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε, id est, nisi in aliquo, aliquatenus, uel aliqua ex parte, reprobi estis. Moderatius loquitur, quàm si simpliciter diceret nisi reprobi estis, quo minus offendat, & tamen interim solicitos in hac causa reddat. Dixit: An non cognoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis est? Hic adijcit exceptionem omnium urgentissimam, dicens: nisi ex parte reprobi estis. Sensus est. Christus in uobis est, agens in uobis per suum spiritum idque uirtute tam manifesta, ut in dubium uocari nõ possit, nisi non estis per omnia synceri in fide, sed nõnihil rep̃bi. Ergo nõ est in rep̃bis Christus. Fugit enim spiritus Christi animã insyncerã.

AT spero uos cognituros, inquit, quod nos non simus reprobi.] Quia dixit: nisi ex parte reprobi estis, quoniam id in nonnullis nimis uerum esse apparebat, in quibus testimonium hoc & experimentum conscientiæ propriæ quod Christus in ipsis esset, ad quod eos prouocauit, locum non habebat, redit ad ea quæ de seipso in præcedentibus dixit. Est autẽ sensus. Quicquid sit de plerisq; uestrum, etiamsi reprobi sint & alieni à Christo, illiusque uirtute ac spiritu, spero tamen ubi ad uos uenero, sic fore experimentum loquentis in me Christi, quod quæritis, manifestum, ut cognituri sitis, haud esse me reprobum sed uerum Christi Apostolum.

Potest igitur fieri, ut uerus sit ac syncerus Christi minister in ecclesia Dei, etiam si auditores sint reprobi. Et hæc cura competit ministris Christi, ut quales quales sortiantur auditores, ad hoc ipsi contendãt, ut non modo nõ sint reprobi, sed & reprobi non esse cognoscãtur. Id autem obtinere poterunt, si nihil omittant eorum quæ fidelis ministri officium concernunt, sic ut omnis culpa resideat in auditoribus, perinde atq; in sterilibus arboribus, quę nulla quantumuis diligenti cultura frugiferæ reddi possunt. Fit nonnunquam, ut diligentia ministrorum degeneres ac reprobos auditorũ animos arguat, dum frustra ad excolẽdos eos laboratur, è contra frequenter accidere uidemus, ut sterilitas auditorum arguat indiligentiam ministrorum. Verum ea demum felix est ecclesia, in qua profectus auditorũ, fidem curã ac diligẽtiam ueri ministri Christi cõmendãt.

Opto autẽ apud Deum, ne quid mali faciatis, non quo nos probati appareamus, sed ut uos quod honestum est faciatis, nos uero ueluti reprobi simus. Non enim possumus quicquam aduersus ueritatem, sed pro ueritate. Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus, uos uero ualidi fueritis. Hoc autem insuper optamus, uestram integritatem. Propterea hæc absens scribo, ne cum præsens fuero rigidus sim iuxta potestatem, quam dedit mihi dominus in extructionẽ & non in destructionem.

Quod Erasmus hic uertit: Opto autem ad Deũ, Græcè est, εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεὸν, quod uerti poterat: Oro autem ad Deum, quemadmodum & uulgata lectio habet, & Germanicus interpres reddidit. Totus ardebat studio ædificãdi Corinthios, omnibus suis laboribus nihil quærens sibi proprij uel commodi uel nominis. Cum ergo dixisset: At spero uos cognituros, quod nos non simus reprobi, ne hoc dicendo suę tantum existimationis studium spirare uideret, quicquid esset de Corinthijs, occurrẽs eiusmodi suspicioni subijcit cõfestim: Oro autem ad Deum ne quid mali faciatis, nõ quo nos p̃bati appareamus, sed ut uos quod honestum est faciatis, nos uero ueluti reprobi simus. Quibus uerbis diserte significat, alienũ esse se à studio proprię existimationis, nec quę rere aliud in tota hac causa, quàm ut ipsi probati inueniant, etiãsi ipse pro reprobo habeat.

ORO autem, inquit, ad Deum.] Non modo scribebat, & fratres mittebat, quo in uiam reducerentur Corinthij, sed & orabat pro illis ad Deum. Nec immerito. Sciebat enim nihil

hil efficere plantantem, nihil rigantem, nisi incrementum & efficacia operis detur à Deo. Quare scite admodum dictum est alicubi ab Augustino de ministro uerbi: Sit prius orator quàm dictor. Oret ad Deum Christi minister non modo pro dono intelligentiæ ac sermonis, sed & pro incremento fructificationis. Oret non solum in ecclesia cum cœtu fidelium pro more usitato, sed & domi suæ secreto, pro zeli sui ardore, quo fiat, ut & in ecclesia ardentius & efficatius loquatur. Frigidum est os docentis, cuius pectus non ante sermonẽ spiritu & ardore orationis incaluit, animumque ad dicendum ardentem concepit, quo & audientibus animum faciat.

Oro, inquit. Ad quem? Ad Deum. Papisticus doctor orat & ipse pro suggestu, & plebẽ ad orandum secum inuitat. Recte quidem facit quod orat. Testatur enim orando non esse sui arbitrij, neque facultatem neq; efficaciam docendi, quantumuis magnus sit liberi arbitrij doctor, sed aliunde petendam esse utranque. Verum ad quem orat? Paulus: Oro, inquit, ad Deum. An & ipse ad Deum? Ad Deũ quidem, sed non solum. Simul nanque orat etiam ad non Deum, dum orat ad beatam uirginem. Neq; enim illa Deus est, ideoq; quod Paulus à Deo petit, ipsa præstare non potest. In summa. Paulus orat ad Deum, Paulus ille doctor Gentium, Papisticus doctor orat etiã ad non Deum. Paulus petit aquam è fonte, ille petit & è fonte & è cisterna, in qua non est aqua, nisi infundas. Audite inuocatores diuorum. Deificate primũ quos inuocatis, ac tum demum ad eos orate, ueroque Deo adorando coniungite, ne sitis adoratores eorum qui dij non sunt. At deificare, hoc est, ex nõ Deo Deũ facere, non potestis, nec potest hoc Romanus uester Põtifex mortuorum canonizator. Cessate igitur ab illorum inuocatione, quos fatemini nec esse nec fieri posse deos, & cum omnibus electis, sanctis ac ueris fidelibus adorate & inuocate Deum uerum & unicum, patrem filiũ ac spiritum sanctũ, cuius estis sacramẽto in baptismate obsignati ac sanctificati.

Quid autem petit à Deo Paulus? Oro, inquit, ad Deum, ne quid mali faciatis. Quorsum hoc petebat à Deo, si per liberum arbitrium potest homo uitare malum & quod bonum est facere? Si suppetit nobis ex libero arbitrio facultas uitandi mali, suppetebat ex eodem illa & Corinthijs. Verum Apostolus cũ sciret non esse in carne nostra bonum, nec esse quenquam mortalium, qui ex suis ipsius uiribus bonum faciat & nõ peccet, orauit ad Deũ pro Corinthijs unde est omne bonum, qui operatur in nobis & uelle & perficere, ut per gratiam suam custodiret illorum animos ne quo mali genere delinquerent, & Euãgelium Christi dedecore afficeret, seq; ipsos perderẽt.

Non est autem ociosum, quod non simpliciter dicit: ne faciatis malum, sed, μὴ ποιῆσαι

A ὑμᾶς κακὸν μηδὲν, id est, ne faciatis uos ullum malum. Poterat dicere, μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακόν τι, uerũ quo significaret nihil prorsus admittendum esse fidelibus quod sit malum, uoluit, ad hunc modũ loqui, μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδὲν. Etenim qui in uno offendit, omnium reus est.

Sed dices. Quomodo fieri potest, ut prorsus nihil faciamus quod sit malum? cum non sit homo qui non peccet, & Dauid dicat: Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Cum ergo fieri nequiret, quod à Deo petebat Apostolus, consequitur quod rem impossibilem frustra petierit.

Respondeo. Deo, à quo hoc petebat, non est impossibile, ut tales nos reddat, qui prorsus nihil mali faciamus. Quare non petijt ab illo rem impossibilem. Deinde, perfecta hæc innocentia, quæ ab omni sit malo libera, quẽadmodum grata est Deo, & ad gratiæ illius ornamentum plurimum faceret, ita debet omnibus instar scopi cuiusdam esse præfixa, ut ad illam comitamur pro uiribus. Hoc studij omnibus modis requiritur à nobis, quantumuis nemo sit in hac uita, qui scopum hunc sic feriat, ut nusquam ab illo exorbitet. Qui hoc studio præditi ad præfixam innocentiæ metam cum timore domini collimant, etiamsi non consequuntur quod cupiunt, sed subinde aberrant, hoc tamen illis propter gratiam Christi, & propter studium pietatis, haud imputa-B tur sed misericorditer condonatur. Quare Apostolus recte hoc à Deo petijt, ut custodiret Corinthios ne quid mali facerent, idque ipsis scripsit, quo ad solidũ ueræ innocentiæ studium prouocarentur.

Adhuc dices: Cum scriptura dicat: Desine à malo & fac bonum, sitque uera ac perfecta pietas non in eo tantum sita, si nihil mali faciamus, sed requirat etiam ut quod bonum est faciamus, quemadmodum non est satis arbori, si nullos malos fructus ferat, nisi ferat bonos, quid est quod Apostolus pro eo tantum ad Deum orauit, ut daret Corinthijs, ne quid mali facerent?

Respondeo. Prima pars pietatis est innocẽtia, sine qua ad alteram, quę est in studio bonorum operũ, perueniri potest. Cum ergo tales adhuc essent Corinthij, utpote carnales, quibus nondum esset prorsus exemptum studium mali, timendumque esset ne faciendo quæ mala essent offendiculum gignerent Euãgelio, ac seipsos cœlesti gratia priuarẽt, uisum fuit summopere necessarium, ut pro dono uitæ innocuæ oraret ad Deum, non quo in primo illo gradu consisterent, sed ut per hunc ad alterum quoq; coinuitarẽtur, ad quem nemo ascẽdere poterit, nisi primum desistat à malo.

NON quo nos probati appareamus, inquit, sed ut uos quod honestum est faciatis, nos uero ueluti reprobi simus.] Potest id quod in se bonũ est animo fieri sic insyncero, ut non modo lau-

do laudabile non sit, sed & culpabile. Bonum in se erat orare ad Deum pro Corinthijs, ne quid mali facerent. Verum culpabile fuisset, si hoc Paulus ob id à Deo petijsset, ut recte se gerentibus illis ipse gloriam inde reportaret, proque magno ac probato Apostolo haberetur. Sic enim nec Corinthiorum salutem, nec gloriam nominis Christi, sed suamipsius spectasset, & insignem hypocritam in conspectu Dei gessisset. Sciens igitur hoc ingenio præditam esse carnem, ut in eo quoque, quod per se bonum est seipsum magis quærat, quàm uel gloriam Dei uel salutem eorum, quorum rationem in speciem habere uidetur, ne quod se orare ad Deũ dixit, ne Corinthij mali quid faciant, sinistro hoc animo facere uideretur, occupatione hac cauit dicens: non quo nos probati appareamus, sed ut uos quod honestum est faciatis. Quasi dicat. Cum autem id peto à Deo, non quæro meam gloriam in uobis, sed uestram salutẽ, ne gratiã Dei in uanũ accipiẽtes, & illã amittatis & uosipsi perdatis.

Refert igitur plurimum nõ modo quid, sed & ad quem finem ad Deum orando petas. Inuenias hodie qui orent ad Deum pro ecclesia, ut discordiam hanc qua illa turbatur ac scinditur, auferat, detque illi pacem ac tranquillitatem. Hoc genus orationis si fiat à priuato Christiano, nõ est obnoxium suspicioni, quod aliud quærat quàm ecclesiæ bonum. Si uero fiat ab illis qui dominantur in ecclesia, & non nisi uentris ac quæstus gratia orant & psallũt, quis dubitat quæri à talibus concordiam & pacem ecclesiæ, non ecclesiæ sed suoipsorum respectu? Si pater à Deo petat, ne filij ipsius mali quicquam faciant, probabile est peti hoc ad illorum salutem, propter affectum paternum, qui totus filiorum commodis inseruire solet. Si uero pædagogus aliquis oret, ne discipuli quos non genuit sed instruendos accepit, immorigeri sint & indociles, orat quidẽ rem in se bonam, uerum admodum in dubio est, possit ne ueraciter cum Paulo dicere: non quo ego probatus appaream, sed ut ipsi in uiros eruditos & tam ecclesiæ quàm patriæ utiles euadant. Non nego reperiri præceptores sic erga discipulos suos animatos, & uelim tales esse non præceptores tantum, sed & pastores in uniuersum omnes. Verum quod Paulus 1. Corinthiorum quarto dixit: Etiamsi innumeros pædagogos habeatis in Christo, nõ multos tamen habetis patres, id hodie quoq; nimis ueraciter dici potest.

NON quo nos probati appareamus, inquit.] Non dicit: non quo nos probati simus, sed, non quo nos probati appareamus. Aliud est esse, & aliud non esse, sed apparere probatum. Probatum uelle uideri magis quàm esse, non uerum probitatis studium sed hypocrisis est, & Deo & hominibus detestabilis. Ad hoc luctari, ut uere sis probatus, hominis est fidem ac ueritatem amantis.

SED ut uos quod honestum est, faciatis, inquit.] Græcè est, τὸ καλὸν, quæ uox aliquando, bonum, significat, quemadmodum & uulgatus interpres uertit: sed, ut uos quod bonum est faciatis, uerum magis proprie sonat pulchrum, egregium, & honestum. Habet Christiana professio suum, ut πρέπον ita & καλόν. Sua cuique statui peculiaris honestas est, & præterea est honestas omnium publica, ne quid indecenter geratur. Verum hac de re nõ est ut hic dicamus.

Non dicit autem: Vt uos quod honestum est, sciatis, sed, ut uos quod honestum est faciatis. Scientia boni & honesti acquiritur ex sedula ac diligenti instructione doctoris. Nihil huius desiderabatur in Corinthijs. Verum ut honestum quod sciebant, opere facerent, non poterat dari ab Apostolo, sed à solo Deo, qui dat & uelle & perficere, quare hoc ab illo petebat, sciens ad condemnationem magis quàm ad salutem facere scientiam honesti, ubi meliora cognoscunt & deteriora perpetrant.

NOS uero ueluti reprobi simus.] Ergo ne illorum gratia cupiebat esse reprobus, ut ipsi probati inuenirentur? Non dicit simpliciter: nos uero reprobi simus, sed, nos uero ueluti reprobi simus. Aliud est esse reprobum, & aliud, esse ueluti reprobum. Esse autem ueluti reprobum, bifariam accidit. Primum, si qua species hominis reprobi, qui tamen reprobus non sit, in conuersatione uitæ uel uerbis, uel moribus, uel factis non rite intellectis appareat. Vt exempli gratia: Species hominis reprobi erat, cum Christus cum publicanis & peccatoribus conuiuaretur. Deinde, si quis pro reprobo habeatur, cum neque sit reprobus, neque aliquid faciat, propter quod pro reprobo haberi debeat. Tale quid intelligit hic Apostolus cum dicit: nos uero ueluti reprobi simus, id est: perinde habeamur & æstimemur ac si simus reprobi. Perstringit hoc dicens pseudapostolorum maliciam, à quibus inter Corinthios insimulabatur, quasi esset non uerus sed reprobus Apostolus. Quasi dicat. Parum me moueret, quod in oculis pseudapostolorũ pro reprobo habeor, si uos nihil mali facientes probati depræhenderemini. Sic fidelis præceptor animatus est erga suos discipulos, ut æquo animo ferret, si pro indocto haberetur, modo ipsi docti euaderẽt. Et est huius sententiæ magna ratio. Erat Paulus uerus Christi Apostolus, non ob id ut ipse probatus haberetur, sed ut Christo quamplurimos lucrifaceret, multumque fructus ferret. Vbi ergo id præstare dabatur, conueniebat ut esset contentus, quicquid de se sentirẽt reprobi, sic tamen ut nullam illis causam male de se sentiendi obijceret.

Magna admodum ignominia est audire hæreticus, apostata, schismaticus, seductor, &c. quæ non præter rationem priscis patribus intoleranda uisa est, è quibus Hieronymus ne-

minem uult esse in suspicione hæreseos patiētem. Verum fidelis Christi ministri pectus studio ac zelo lucrifaciendi mortales ardens, ex animo dicet cum Apostolo: oro ad Deum ne quid mali faciant, quibus Euangelium Christi annuncio: non quo ipse probatus, uerus, & orthodoxus doctor appareā, sed ut ipsi quod honestum & uere Christianum est, facientes, probati inueniātur, ego uero ueluti reprobus hæreticus, schismaticus, & seductor interim habear. Neq; enim mea refert, quid de me sentiant ac iudicent hostes ueritatis, quorū quæstui ac uentri uniuersa Christiana religio seruire cogitur, quibus Christus ipse cum suis apostolis, si modo ut olim in terris ageret, pro hæreticissimis seductoribus haberentur. Quod enim me attinet, parum mihi est, ut iudicer ab humano die, cum habeam iudicem in cœlis.

NON enim possumus aliquid aduersus ueritatem, inquit, sed pro ueritate.] Non simpliciter dicit, se non posse quicquam aduersus ueritatem, sed subijcit hoc præcedentibus loco rationis, cum dicit: Non enim possumus aliquid aduersus ueritatem. Quare uidēdum est non modo quid dicat, sed & quomodo id faciat ad rationem præcedentium. Vox ueritatis late patet, quod & Pilatus sentiebat, cum ad dominum diceret: Quid est ueritas? Existimo autem usurpatam hic esse de ueritate Christi, Christianæq; professionis, ad quam pertinet, ut qui Christiani sunt, ab omni malo abstineant, & quod bonum honestumq; est faciāt. Etenim qui diuersum faciunt, alieni sunt à ueritate Christi. Cum igitur dixisset, orare se ad Deum pro Corinthijs, ne quid mali faciant, non quo ipse probatus appareat, sed ut illi qđ honestum sit, faciant, consequenter adijcit hęc uerba: non enim possumus aliquid aduersus ueritatem Dei, ut significet, si ueritati Christi studentes inculpate se gerant, nihil se in ipsos posse, eo quod nihil potestatis acceperit à domino aduersum eos, qui se recte gerāt, sed magis pro illis, ut eos magis ac magis ædificet & confirmet. Loquitur ut Apostolus Christi, nihil sibi in quenquam sumens, quod non sit secundum potestatem à domino acceptam.

Poterat dicere: Non enim possumus quicquam contra iustos, pios, ac fideles. Verū quoniam ueritatis Christi minister & Apostolus erat, ad hunc modum loqui uoluit, ut significaret potestatem sibi nō esse aduersus alumnos ueritatis, qui ueritati studeant, cuius ipse sit minister. Consequitur eos impugnare ueritatem Christi, qui ueros Christianos uel probris proscindunt, uel aliàs persequūtur, dum & fidem & uitam eorum insectantur. Romanus Pontifex si uerus esset Apostolorum successor, nec ipse quicquam potestatis haberet aduersus ueritatem Christi, quam hodie persequitur. Habet autem, sicuti manifestum apparet. Ergo non est uerus apostolorum successor, nec ueritatis, sed mendacij ac seductionis minister, potentia præditus eius, cuius est minister & Apostolus, Satanæ uidelicet, in angelum lucis transfigurati. Quare quemadmodum Christi Apostolus hic dicit: non enim possumus aliquid aduersus ueritatem, sed pro ueritate, respiciens ad Apostolatus sui potestatem à domino acceptam, ita ille recte contrarium dicet: Non possumus aliquid pro ueritate, sed aduersus ueritatem, uel: Non possumus aliquid aduersus mendacium, sed pro mēdacio, si loquendum ipsi sit secundum id, quod à suo domino accepit. Quod autē non loquitur ad hunc modum, in causa est, quia loqui ipsum oportet non secundum ueritatem, sed secundū mendacium, tanquam transfiguratus Apostolus, ut mysterio transfigurationis suæ, & iræ Dei corruptis ecclesijs debitæ seruiat. Non est igitur expectandum, ut Apostolus hic mendacij ac seductionum aliud unquam meditetur ac faciat, quàm ut mendacio contra ueritatem Christi, omnes suas uires impendat. Hoc fecit hactenus, facit hodie, & facturus est usque ad tempus destructionis ipsius, non palàm & ex professo, sed modis transfigurationi ipsius cōuenientibus.

GAVDEMVS enim, cum nos infirmi fuerimus, uos autem ualidi fueritis, inquit.] Adhuc aliam rationem adijcit, ut prior sumpta est à qualitate Apostolicæ potestatis, ita posterior hæc à studio quo erat erga eos plane paterno. Non modo non uindicabat sibi quicquam potestatis animaduertendi in ipsos, si in ueritate Christi inculpabiles sese præstitissent, sed nec delectabatur animaduersione, etiamsi necessaria esset. Gaudebat igitur, si ipsi recte se in Christo gererēt, utut ipse infirmus, quasi nihil posset, uideretur. Quoniam tandiu parcebat ipsis, spe resipiscentiæ, dabatur hoc infirmitati ipsius, propter quam, &, ut fieri solet, contemnebatur. Hoc se tam non laturum moleste dicit, ut gauisurus sit etiam, modo ipsi recte ualeant in Christo, sic ut nihil aduersus ipsos possit. Poterat adijcere: Si uero deserentes Christi ueritatem, quę mala sunt facere perrexeritis, cogar, nolim uelim reipsa declarare, quàm sim in Christo potens erga eos qui male agunt. Verum de hoc in præcedentibus satis meminerat.

Ergo infirmum esse Apostolum est officio castigationis uel non posse uti, quod in recte agentes nihil potestatis eiusmodi habeat, uel non uti per negligentiam, aut propter spem futuræ resipiscentiæ. Prior ac posterior modus locum habuerunt in Apostolo, medius non habuit.

Deinde ualidum esse fidelem in Christo, est saluum & integrum esse in fide, ueritate ac pietate, sic ut nihil mali, sed quod honestum est faciat.

HOC autem insuper optamus, uestram integritatem.] Hoc est, non modo gaudemus ubi fueritis ualidi, sed optamus etiam ut sitis ualidi &

di & integri. Græcè est τὴν ὑμῶν κατάρτισιν. Sonat autem κατάρτισις restitutionem membrorũ luxatorum, & laceri corporis redintegrationẽ. Vsus est hac uoce admodum conuenienter. Erant enim membra ecclesiæ Corinthiorũ sectis à se inuicem diuulsa & luxata. Quare optare se dicit, ut suis quæq; locis restituant, atque ita corpus ipsorũ redintegretur. Optamus & nos ecclesiarum κατάρτισιν, quas non Euangelij Dei ueritas, sed doctrina mendaciorum discerptas ac luxatas reddidit, optamus autem ueram quæ sit in unitate fidei ac spiritus sub capite Christo.

PROPTEREA hęc absens scribo, inquit, ne cum præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatem quam dedit mihi dominus in extructionem, & non in destructionem.] Tandem conclusurus epistolam, exprimit rationem ac consilium suum, quare hæc absens ad eos, priusq̃ Corinthum aliquando ueniat, scribere uoluerit. Pseudapostoli dicebant: Epistolæ quidem graues sunt, at pręsentia corporis infirma, hoc est, ubi præsens est, nihil potest eorum, quę minatur in epistolis. Quare ad id tãtum intonat scribendo, ut epistolaribus minis absterritos, sub potestate sua contineat. Ipse contra. Propterea, inquit, hæc absens scribo, nõ quod nequeam si præsens fuero, rigidus esse in immorigeros, sed ne sim rigidus, id est, ne cogar uti seueritate, iuxta potestatem quam dedit mihi dominus, &c. Non agebat rigide, quia parcebat, illi dicebant, quia non potest. Minatur ergo illis futurum, ut, nisi hoc se scripto in ordinem redigi patiantur, non parcat amplius, sed præsens agat rigide. Quare cum dicit: Propterea hæc absens scribo, ne cum præsens fuero, rigidus sim, subaudiendum est, ut quæ emendanda sunt, priusquam ueniam, emendetis, ut tum sequat̃, ne cum præsens fuero, & inemendatos reperiero, rigidus sim iuxta potestatem, &c. Græcè est, μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι, id est, ne seuere, rigide, truncatim, præcise, utar, quod idem est, atq;, μὴ τῇ ἀποτομίᾳ χρήσωμαι, id est, ne seueritate, rigore, præcisione ac truncatione utar, ἀποτομία est, quando incunctanter compendiosa seueritate utimur, & quæ in ordinem redigi e-mẽdariq; nullis modis possunt, abscindimus. Hanc abscisionẽ minari uideretur impœnitentibus, nisi aduerbiũ ἀποτόμως plerunq; idẽ significaret simpliciter, quod sæuere ac rigide.

Addit, iuxta potestatem. Græce, κατὰ τὴν ἐξουσίαν, qua uoce significat se nihil acturum ex cõmoti animi impetu ac proprio arbitratu, sed ex officio potestatis Apostolicæ. Et ut hãc sibi esse dicat non temere usurpatam, more pseudapostolorum, sed legitimam & authenticam, subijcit: quã dedit mihi dominus in extructionem & non in destructionem. Sed de his uerbis suprà cap. 10. diximus, quare non est ut hic illis immoremur.

Quod superest fratres, ualete, integri estote, cõsolationem habete, unanimes A sitis, in pace agite, & Deus charitatis ac pacis erit uobiscũ. Salutate uos mutuo, osculo sancto. Salutant uos sancti omnes. Gratia domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus uobis, Amen.

Concludit epistolam admodum cõpetenter & apposite, idq; cõclusione necessarijs mẽbris sic absoluta, ut uix aliquid desiderari possit. Insunt enim illi primũ summaria adhortatio, deinde promissio, tertio salutatio, & quarto Apostolica apprecatio.

QVOD superest, inquit, fratres.] Quasi dicat. Hactenus scripsi uobis quæ necessaria uidentur, iam nihil restat aliud quàm ut scriptis meis obedientes recte ualeatis, &c.

VALETE, inquit.] Græcè est χαίρετε, quod sonat proprie gaudete, quemadmodũ & uulgatus interpres uertit, & Chrysost. quoq; exponit dicens: Contristasti, terruisti, anxios reddidisti, tremere fecisti ac metuere, & quomodo gaudere iubes? Propter hoc ipsum gaudere iubeo. Etenim si ijs quæ ego feci, ea quæ uobis cõpetunt, subieceritis, nihil impediet quominus gaudeatis. Etenim quicquid potui feci. Longanimis fui, distuli, non excidi, adhortatus sum, consului, terrui, comminatus sum, quo uos omnibus modis ad fructum resipiscentiæ in unum colligerem. Iam restat, ut B quod uestrum est faciatis, quod si feceritis, immarcessibile uobis gaudium erit. Hæc ille: unde manifestum est, quod gaudendi sensu uerbum hoc χαίρετε acceperit. Nec uspiam inuenio positũ ab Apostolo, pro, ualete, quantumuis Erasmo, uertendum magis uisum fuerit, ualete, quàm, gaudete.

INTEGRI estote.] Pertinẽt ista, χαίρετε, καταρτίζεσθε, παρακαλεῖσθε, τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, εἰρηνεύετε, ad summariam adhortationem quinq; articulis uelu ti digitis cõpræhensam, & morbis Corinthiorum accommodatam. Illud, καταρτίζεσθε, uertit Erasmus, integri estote, & uulgatus interpres, perfecti estote. Diximus supra quid sit κατάρτισις, unde satis patet, quid hic uelit Apostolus, quod nec Erasmus in Annotationib9 suis dissimulat. Hortatur uidelicet, ut corpus ecclesię lacerum ac luxatum integritati suæ, relicto sectarum studio restituant.

CONSOLATIONEM habete, inqt.] Quod in Græco est παρακαλεῖσθε, adhortandi sensum perinde habere potest atq; consolandi, ut idẽ sit quod, adhortationem meam accipite ac bene collocate, qui mihi sensus præsenti proposito magis conuenire uidetur. Chrysost. tamẽ putat referendum esse ad consolationes cùm mutuas, tum suas, quibus erigendi ueniebant propter crebras tentationes ac pericula.

VNANIMES sitis.] Τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, id est, idẽ sentite. Potest referri uel ad dogmata, ne in illis discreparent, uel ad animorum in charitate mutua cõsensum. Tale est quod 1. Cor. 1. dicit: Idem

Idē dicite omnes,& nō sint inter uos dissidia. IN pace agite.] Εἰρηνεύετε. Rectius, paci studete, pacifici estote. Vulgatus interpres habet, pacem habete. Verum in pace agere, & pacem habere, optionis magis est quàm adhortationis. Nos Germani dicimus: neminem plus pacis habere, uel in pace magis agere posse, q̃ per uicinos liceat. At paci studere piorum est ac pacificorum, ad quod genus studij Corinthios hic hortatur Apostolus. Paci studere possunt Christiani, etiamsi uiuant inter eos qui oderūt pacē, quemadmodū de se canit Dauid: Cum illis qui oderunt pacem, eram pacificus. Reuocat Corinthios à se inuicem dissentientes ad studia pacis.

ET Deus charitatis & pacis erit uobiscū.] Hactenus adhortationē absoluit, cui iam promissionem diuini fauoris subijcit, si idem sentire ac paci studere cœperint. Deus, inquit, erit uobiscum. Hoc est, non destituet uos gratia & ope sua, sed fouebit uos præsenti spiritus sui auxilio. Nec simpliciter dicit, Deus erit uobiscū, sed, Deus charitatis & pacis erit uobiscū. Quare? Quia ut non est odiorum ac dissidiorum, sed charitatis ac pacis Deus, hoc est, & amans & author ueræ charitatis ac pacis, ita deserere non potest charitati ac paci studentes. Etenim similes similibus congaudent.

Dices: Ergo fieri potest ut priusquam nobiscum sit Deus, sine illius gratia & ope diligamus nos mutuo, idem uelimus ac nolimus, ac paci studeamus, atq; ita Deo causam demus, ut sit nobiscū, cum uerosimilius sit, nihil nos horū posse, nisi ipse nos gratia & ope sua præueniat. Respondeo. Sic est. Ipse nos præuenit spiritu gratiæ suæ, & corda nostra ad charitatem & pacē sectandam imbuit, ac tales redditos magis ac magis amanter complectitur. Si quis diligit me, inquit Christus, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eū faciemus. At unde homini ut diligat Christū & sermonem eius seruet? nisi ex gratia diligentis nos Dei? Diligit Deus prior, & ut nos quoq; diligamus, infundit spiritū suum in corda nostra, atq; ita regeneratos ac uicissim diligētes arctius & ampliore gratia complectitur. Nec mirum. Est enim Deus charitas, quemadmodū Ioānes in Canonica sua testat̃, ideoq; q̃ manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

SALVTATE uos mutuo, osculo sancto. Salutant uos sancti omnes.] Pertinent hæc ad salutationis officiū, ad quod procliues debent esse Christiani, tanquam ad uerum ac syncerū dilectionis exercitium ac symbolum, quo de aliàs diximus, cuiusquàm fuerit studiosus hic Apostolus in epistolis ipsius, præsertim ea quā ad Romanos scripsit, uidere licet.

De eo quod dicit: Salutate uos mutuo, osculo sancto, dictum est. 1. Cor. ultimo. & Rom. ultimo. De osculo sancto Chrysost. sic annotat: τί ἐστιν ἁγίῳ; μὴ ὑπούλῳ, μὴ δολερῷ, καθάπερ ὁ Ἰούδας τὸν χριστὸν ἐφίλησε. Addere debebat, ὅ ἐστιν διὰ τὸν χριστὸν καὶ ἐν χριστῷ φιλούντων.

De eo quoq; quod subijcit: Salutāt uos sancti omnes, dictum est. 1. Cor. ultimo, ubi dicit: Salutāt uos fratres omnes, quos hic uocat sanctos. Vtrunq; tam sanctorum quàm mutuum salutandi officium tale est, ut nequeat ueraciter usurpari à dissidentibus. Quare hortatus eos prius est, ut idē sentiant oēs, ac paci inter se studeant, ac tum de salutationibus subiecit.

GRATIA domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti spiritus, sit cum omnibus uobis, Amen.] Hæc est apprecatio, qua epistolam claudit. Rom. ult. & 1. Cor. ult. simpliciter dicit: Gratia dñi nostri Iesu Christi, sit cum omnibus uobis, quibus uerbis omnia quæ ad salutem nostram pertinent, breuiter cōplexus est. Neq; enim ubi gratia Christi locum habet, charitas Dei & communicatio spiritus deesse poterunt; quas hic tamen propter pseudapostolos exprimit, ut innuat quibus bonis illi priuent ecclesiam Christi, dum eam in sectas discindunt. Deinde non erant illi in doctrina & fide sanctæ Triadis sani, Iudaismū adhuc magis quàm uerum Christianismū spirantes. Quare patris, filij, ac spiritussancti mentionem facit, de filio priore loco, non quod is patre sit maior, sed quod sit mediator, per cuius mediationis gratiam charitas Dei patris, & communicatio spiritus locum in nobis inueniunt, qua de re Caluinus, dilectus in domino frater, ante me annotauit.

Non autem sic tribuit gratiam filio, patri charitatem, & spiritui communicationem, ut singulæ singulis tantum conueniant, & neq; sit filij charitas & communicatio, neq; patris gratia & communicatio, neq; spiritus gratia & charitas, absit. Sunt enim, ut recte annotat Chrysost. τὰ δὲ τριάδος ἀδιαίρετα, quemadmodum & multis in locis uidere licet, ubi quam hic filio asignat gratiam, & patri & spiritui, & quā charitatem hic patri tribuit, filio ac spiritui, & quam communicationem adscribit spiritui, filio quoq; dare deprehenditur. In huiusmodi donis non est distinctio personarum, est uero in hypostasibus, quarum unicuiq; sua est propria, de quibus non est hic dicendi locus.

Quomodo ex hoc loco refellendi sint hæretici, qui spiritussancti diuinitatem negant, annotatum est à Chrysostomo.

Θεῷ δόξα.

Gratia sit Christi tecum charißime Lector,

Cui me commendes, dum mea scripta legis.

